

# R. P. D.
# CAJETANI FELICIS
# VERANI,
DE
## AFFECTIBUS HUMANIS CIENDIS ET COERCENDIS.

# DE HUMANIS AFFECTIBUS CIENDIS,

*ET*

# COËRCENDIS

Ad hominem de eorundem servitute manumittendum,

*ET*

Ad libertatem Christiani instituti, seu per regiam cœli viam, manuducendum

## OPUS

## TRIBUS TOMIS DIGESTUM

Moribus corrigendis, vitijs amovendis, virtutibus promovendis, pietati fovendæ, amoliendæ impietati accommodatum.

Uberrimâ variæ eruditionis sacro-profanæ supellectili, Flosculentis SS. Patrum assertis, doctrinis, & sacrarum Scripturarum interpretamentis locupletatum.

*Sacris præsertim Concionatoribus, Viris ascetis, & evangelicarum virtutum culturæ addictis perutile.*

## TOMUS PRIMUS

De Humanis Affectibus generatim sumptis.

AUTHORE,

R.P.D. CAJETANO FELICE

VERANI

Clerico Regulari, Sacræ Theologiæ Professore.

*Nunc primùm in lucem prodit.*

Cum Gratia, & Privileg. Sac. Cæsar. Majest. Permissúque Superiorum.

MONACHII,

Sumptibus JOANNIS JACOBI REMY Bibliopolæ.

Formis MATHIÆ RIEDEL.

*ANNO M. DCC. X.*

SERENISSIMO,

ET

EMINENTISSIMO

PRINCIPI,

# CHRISTIANO AUGUSTO;

S. R. E. Presbytero Cardinali, Archi-Epiſcopo Strigonienſi, Sanctæ Sedis Apoſtolicæ Legato Nato.

PRIMATI REGNI HUNGARIÆ,

Ejusdémque ſummo Cancellario, Comitatûs Strigonienſis Supremo, & perpetuo Comiti, Epiſcopatûs Jaurienſis Adminiſtratori.

DUCI SAXONIÆ,

Juliæ, Cliviæ, Montium, Angariæ, & Weſtphaliæ; Landgravio Thuringiæ; Marchioni Miſniæ; Superioris, Inferiorisque Luſatiæ Comiti, Principi Hennebergenſi. Metropolitanæ, & Electoralis Eccleſiæ Colonienſis Præpoſito, & Theſaurario Comiti Marchiæ, & Ravensbergæ, Domino Ravenſteinij, Balliviæ Thuringenſis Locumtenenti. Sacræ Cæſareæ, Regiæque Majeſtatis Conſiliario Actuali Intimo, &c. &c.

*DOMINO, DOMINO MEO CLEMENTISSIMO.*



Rubeſcerent meæ Lucubrationes SERENISSIME, EMINENTISSIME PRINCEPS ad reflexum nitorem Veſtræ purpuræ, virtute, & majeſtate longè, latéque fulgurantis; quinimo aquilino deſtitutæ obtutu prorſus cæcutirent ad fulgentiſſi-

mum Saxonici Stemmatis regale jubar plenissimo nobilitatis, dignitatis, ac decoris splendore coruscum; neque auderent ad tanti nitoris accedere incrementa; nisi Vestri Nominis Serenitas, quibus prætexitur, non solùm nebulas, caligines, cimmerias omnes dispelleret; verùm etiam humilibus sublimitatem; exiguis magnitudinem, & angustis conciliaret amplitudinem. Quinimò mihi etiam nutabundo, diúque incerto animi audaciam Vestra sufficit Clementià, quâ accessu facilem se omnibus exhibet; & præsertim effusa illa, nullísque coërcita limitibus beneficentia, cujus impulsu perennibus officijs, & beneficijs omnes prosequitur, qui Vestrum deposcunt patrocinium; ut & illa oris, vultúsque suavis Majestas, quâ vi quadam magnetica etiam reluctantes blandè allicit, & ad sua trahit obsequia.

Quamvis exile sit, quod exhibeo, si doni pretium expendatur; præstantia tamen argumenti rectà tendentis in Deum fore speraverim, ut minimè sit displicitura. Est de Humanis Affectibus ciendis, & coërcendis juxta regulas Honestatis, rectæque dictamina Rationis, ut homo à pravorum affectuum servitute manumittatur, & per exercitia proborum ad libertatem Christiani instituti, ceu per regiam cœlestis patriæ viam manuducatur, ac omnigenæ virtutis evangelicæ floreat culturâ. Tametsi à sapientissimo mundi opifice ex humo fuerit homo conditus; spiritum tamen ei impertivit simplicem, qui neque dirimi, neque distrahi posit; eidémque varios indidit affectus, qui si ad amussim componantur Honestatis, rectæque Rationis, cujus sint consoni dictaminibus, prodromi habentur virtutum, plurimúmque nobiliori hominis parti adijciunt ornamenti, ac roboris; quô sibi homo imperat; motùsque omnes, quibus poten-

tiæ

tiæ ſingulæ, quà internæ animi, quà externæ ſenſuum, ac totius corporis ſuas exerunt vires, ſanctiori regit imperio, dirigitque ad excultæ virtutis regulam, præſertim affectus animi tam iraſcentis, quàm concupiſcentis, cujus ſunt pathemata, quæ ex boni, malique opinione in res varias feruntur, prout iisdem obviant; quæ tamen cum plerunque ſenſus demulceant exteriores, deflectántque à norma Rectitudinis; Deus hominis Plasmator imperium eidem ſublime dedit in pravos, probósque affectus ſingulos; illos ut coërceret ad vitii fugam; hos cieret ad virtutum exercitia, meritorúmque incrementa.

Idque cauſæ Senecæ fuit aſſerendi, nullum nobilius, excelſiúsque dari imperium, quàm in ſuos affectus, ſibique imperare. Quod cum SERENISSIMAM VESTRAM EMINENTIAM non lateret; in id vel maximè incubuit ſtudij, quò affectus omnes ſuos ad regulas componeret commendatæ honeſtatis, & in Deum fontalem originem totius bonitatis dirigeret; quod perinde eſt, ac omniũ virtutũ ornari myriade, ac inſignis pietatis florere culturâ. Neque in ſe tantùm ſuóſque affectus hocce imperium exercet, verùm etiam in alios, ne anguſtis fartaſſis videretur claudi limitibus: ſcimus enim odio diſſidentes pluries amore reconciliâſſe; irâ furentes, lenitate tranquillâſſe; furore commotos blanditiis ſedâſſe; indignatione æſtuantes affabilitatis lenocinio ſopiviſſe; malevolentia exulceratos benignitate demulſiſſe. Cum igitur in nobiliorem hominis portionem nobiliſſimum exerceat imperium, humanósque affectus ad normam componat virtutum, debebantur SERENISSIMÆ VESTRÆ EMINENTIÆ hæ meæ lucubrationes de humanis affectibus ciendis, & coërcendis ad regulam honeſtatis, & ad Deum dirigendis; ut ſub tanti nominis auſpicio prodeuntes non exiguos in legen-

tium animis fructus parerent; præsertim si quod assequi legendo non valent, ex integerrimis tanti Mœcenatis moribus condiscere studeant; cum inde pleraque suppeditentur exempla, quæ imitentur.

Neque ob recensitas dumtaxat causas; verùm etiam ex debito gratitudinis præsenseram me stimulari ad opus hocce qualecunque submississima veneratione tanto exhibere patrono, ob innumera propemodum beneficia, quibus nostram dignatur Congregationem prosequi, quam proniore benevolentia propriis in ædibus (raro exemplo) fovet, & nostratibus cumulatiùs favet; quos veluti salutaria sydera vult alijs prælucerê, ac virtutum semitas verbo, & exemplo præmonstrare. Idque causæ cur nostros Clericos Regulares annuente Augustissima Cæsarea Majestate Leopoldi I. Imperatoris Viennam Austriæ proprio ære suppeditatis commodis acciverit; ut quos noverat proximorum saluti promovendæ solicitos, Evangelicarum virtutum fierent cultores eximij. Ad id proprias ijsdem laxas ædes munificâ donavit largitate; cessitque proprijs commodis, quæ divino voluit dicata esse cultui, sitque in animo extruendi S. Patriarchæ nostro Cajetano peramplum templum, cujus quot erunt lapides, tot & Liberalitatis vestræ monumenta; ut nunc extant temporario in templo ornamenta cœlato ex argento; vel intexta auro; vel opere Phrygio, crispôque fulgentia; & tota supellex sacra, & domestica ex munificentia vestra dimanata, & ad Nostrates profecta.

Horum me beneficiorum conscientia etiam procul morantem ad grati animi significationem aliquam SERENISSIMÆ VESTRÆ EMINENTIÆ exhibendam perduxit. Et licèt penes Cœlites collata nostratibus beneficia nunquam moritura deposuerit: non tamen suscepti in ijsdem

fau-

favoris, mê debito absolutum esse cênsui; nisi aliquid de meo penu depromptum ad votum Nostratum rependerem. Placeat igitur hoc de tenuitate mea fidei meæ pignus sereno vultu, hilari fronte, manûque benevola excipere, eique favere. Præclarum me operæ pretium tulisse arbitrabor; si illâ, quâ solet, gratiâ, & benevolentiâ tractatus asceticos, hos etiam meos manibus terere, oculisque lustrare dignabitur; suisque per Archidiœcesim Strigoniensem Prælatis, Clero, ac Religiosis ad pietatem fovendam, impietatem amoliendam, probos affectus ad studia virtutum excitandos, pravósque coërcendos ad vitiorum fugam commendabit. Favente enim Numinis ôpe fore speraverim; ut non spiritualium tantummodo bonorum, verûm & temporalium incremento Archidiœcesis tota iniquitate bellorum haud modicè afflicta sub vestro pacifico regimine sensim respirans, magis, magisque proficiat. Deum enixim rogo, ut meis annuat votis; & vestram Serenissimam Eminentiam perenniter sospitem velit in Christiani orbis præsidium, decûsque singulare. Scribebam Monachij pridie Nonas Octobris Epochæ Christianæ Anno 1709.

Vestræ Serenissimæ Eminentiæ

*Humillimus, Obsequentissimus, Servus*

D. CAJETANUS FELIX VERANI
Clericus Regularis.

APPRO-

# APPROBATIO ORDINARII.

HOc opus de Humanis Affectibus ciendis, & coërcendis ad hominem ab eorundem servitute manumittendum, & ad libertatem Christiani instituti, seu per regiam ad cælestem patriam viam manuducendum, ab Admodum Reverendo Patre CAJETANO FELICE VERANI Clerico Regulari SS. Theologiæ, & Juris Canonici Doctore, piè conceptum, eruditè scriptum, & perdoctè expensum, juxta assertionem Theologorum, à quibus fuit approbatum typo publico evulgari posse censeo, fore sperans, ut non modicum sit emolumentum ijs allaturum tum sæcularibus, tum Ecclesiasticis, qui Christianarum sunt studio virtutum addicti. Actum Frisingæ die 10. Decembris 1707.

FRANCISCUS ANTONIUS BEGNUDELLIUS BASSUS. SS. Theologiæ Doctor, Cathedralis Ecclesiæ Frisingensis Canonicus Capitularis, Scholasticus, Vicarius in spiritualibus Generalis, & Officialis, Librorum Censor.

---

## Facultas Reverendissimi Patris Præpositi Generalis Ordinis Clericorum Regularium.

HOc opus, cui Titulus est præfixus *De Humanis Affectibus ciendis, coërcendis ad hominem de eorumdem servitute manumittendum; & ad libertatem Christiani instituti, ceu per regiam cœlestis Patriæ viam manuducendum &c.* in tres Tomos distributum, *à R.P.D. Cajetano Felice Verani* nostri Ord. Sacræ Theol. & Jur. Can. Professore compositum, & à duobus nostris Theologis, quibus id commisimus recognitum, & approbatum, ut typis mandetur; quoad nos spectat facultatem concedimus, in quorum fidem præsentes litteras manu propria subscriptas, & solito Sigillo nostro munitas damus Romæ apud S. Silvestrum Montis-Quirinalis Nono Kalendas Septembris 1706.

D. THOMAS CARAFA Præpositus Generalis Clericorum Regularium.
D. PETRUS Ab Ecclesia Secretarius.

Con-

# Confirmatio ejusdem Facultatis.

CUm opus inscriptum *De humanis Affectibus ciendis &c.* ab ejus Authore *P. D. Cajetano Felice Verani* nostræ Congregationis Sacræ Theologiæ Professore fuerit continuatum, ac in tres tomos distributum, & à duobus nostris Patribus approbatum, ut etiam ejus editio in secundo, & tertio tomo continuetur; quoad nos spectat, facultatem concedimus. In quorum fidem has literas manu propriá subscriptas solito nostro sigillo firmavimus. Datum Romæ apud S. Silvestrum Montis - Quirinalis die 17. Septembris Anno 1707.

D. LUDOVICUS FINALIS Præpositus Generalis Clericorum Regularium.
D. JOSEPH MARIA ALIPRANDI Secretarius.

# Approbationes Theologorum.

HAs dissertationes *De humanis Affectibus ciendis, & coërcendis &c. à R.P.D. Cajetano Felice Verani* nostræ Congregationis Sacræ Theologiæ Lectore elucubratas ex mandato Reverendissimi Patris nostri Generalis D. Thomæ Carafa diligenter pervolvi; cùmque se nihil mihi obvium dederit Fidei orthodoxæ, aut bonis moribus dissonum; quin imò ad virtutum culturam, pietatem promovendam, vitia amovenda per coërcitionem pravorum Affectuum, & excitationem proborum frequens incitamentum multiplici temperatum eruditionum illicio, eas publica luce dignas censeo, fore sperans, ut plurimum emolumenti sint virtutum cultoribus allaturæ. Monachij in Bavaria ex nostris Ædibus SS. Cajetani, & Adelaidis die 26. Julij 1706.

D. CAROLUS ANDREAS SCHLECHTEN
G. R. S. Theologiæ Professor.

HOc opus, cui Titulus prætexitur *De Affectibus ciendis, & coërcendis &c. à R. P. D. Cajetano Felice Verani* nostræ Congregationis Sacræ Theologiæ Lectore jussu Reverendissimi Patris nostri Generalis D. Thomæ Carafa sedula perpendi discussione; nec quidquam reperi quod Fidei orthodoxæ, aut bonis moribus dissentiat; quinimo moribus corrigendis, virtutibus promovendis, vitiis amovendis, pietati fovendæ, impietati amoliendæ omnia accommodata: edisserunt enim Dissertationes quàm umbratiles sint dignitatum splendores; quàm vanæ honorum cogitationes, quibus homines mentem implent; quàm vacua vota acervandarum divitiarum, quibus impensiùs inhiant. Quapropter cum totum opus in eum collineet scopum, ut à vitiis legentes avertat, & ad virtutum Evangelicarum studia alliciat, ut prodeat in lucem, meum propensiùs hîc adnecto votum. Datum Monachij in Bavaria ex nostris Ædibus SS. Cajetani, & Adelaidis die 26. Julij 1706.

D. ANTONIUS REINDORFF. Clericus Regularis Sacræ Theologiæ Professor.

AUCTOR

# AUCTOR LECTORI.

QUod Poëtarum commenta de suo finxerunt Æolo luctantes ventos, ac sonoras moderante tempestates; aëremque, vel nive rigentem, vel in imbres effusum, vel flatibus dissipatum, vel tonitru obstrepentem, minásque spargentem; aut fulgetris coruscum, vel fulminibus armatum, pacatæ mox, ridentique restituente serenitati; ac pelagi acrioti ventorum vi concitati decumanos fluctus coërcente; veriùs dixerim sacro oratori congruere, cujus princeps munus est, in id incumbere studij, ut compositâ ad genium, ingeniúmque Auditorum fronte, vultúque toto se penitissimè in eorumdem insinuet animos instar elementitii illius spiritûs, qui per membra transmissus terraquei corporis totam agitat molem, & magno se corpore miscens, superiori virtute singula movet, promovétque ad uberiora tum vegetantium, tum sentientium commoda. Orat enim è sublimi suggesto, ut delectet; delectat, ut juvet; juvat ut excitet; excitat ut ad exercitia pertrahat virtutum, & à vitiorum retrahat indulgentia: quos enim alloquitur pugnaci, instantíque fandi genere in eam, quam maluerit partem flectit, trahitque non aureis Gallicani Herculis catenulis, sed vi quadam suavi, fortique simul; seu solâ fandi energia, quâ nunc ad iracundiam, & indignationem eos accendit; nunc mansuetudine, ac lenitate mitigat; nunc amore rapit, vel odio inflammat, fiducia trahit, timore retrahit, pudore suffundit, miseratione flectit, stimulat æmulatione, retardat despicientia, erigit spe, deicitque desperatione; ac tandem laxatis, retractisque oratoriis habenis, ita animis moderatur, ut pro arbitrio cieat, coërceátque humanos omnes affectus, ipsúmque hominem, licèt pervicacia Saxeum, intimis delinitum sensibus blandè inflectat. Quòd si Divini vatis oraculum edixit, cœleste Numen super pennas ventorum ambulare; Orator veluti auriganis Dei quædam in terris portio, affectibus, quasi ventis rapitur, hominis parti dominaturus nobiliori, cujus mentem flectit, duritiem emollit, voluntatem trahit, quò vult, & unde vult deducit; amorem accendit, odium extinguit, desiderium excitat, fugam solicitat, lacrymas elicit, mœrores excutit, gaudia revocat, spem fovet, desperationem cohibet, umbras dissipat timoris, ausúsque coërcet temerarios; & tandem habenas injicit truculentissimo iræ affectui, quo homo percitus insanire, furere, in ultionis libidinem ferri, & in alterius doloris crucem efferari, pectoris alienatione debacchari videtur. Quinimò si occasio postulet, sedatos in animo affectus concitat, totámque mentem perturbat: nec ita Auster, vel Eurus, aut Nothus, aliúsque vehemens ventus, vel turbo furiatis flatibus è montibus erumpens mare commovet, tumidos fluctus attollit, quibus in littora & scopulos immissis insolescentem excitat procellam; ut orator lingua, verbisque prolatis tranquilla audientium pectora commovet, commotisque affectuum fluctibus omnia in animo sus déque evertit. Verùm ad hoc obeundum munus non indigesta rerum exhibenda est farrago, in quam consueverunt plures ardentiùs, quàm cautiùs se effundere, ac tota prurigine diffundere; sed solers, nervosa, & efficax dicendi ratio, accurati dolabrâ judicij dedolata; seu humanis quidem adjuta præsidijs, sed simul meliori quodam cœli ubere irrigata, qualis fuit illa SS. Patrum, qui divinitùs dati fuerunt Ecclesiæ, ut populos non solùm voce, & gravissimis concionibus erudirent; sed & moribus efficaciùs, & exemplo fortiùs concreditum sibi gregem per semitas dirigerent salutis; id præstitit D. Basilius, de quo ait D. Gregorius Nazianzenus *Orat. 20. Cum orationes eas, quas de moribus, & bene vivendi*

*ratione scripsit, in manus accipio, animo, & corpore purgor; templum Dei capax efficax efficior atque instrumentum à spiritu pulsatum divinam gloriam, & potentiam canens: per eas corrigor, & concinnor, atque divina quadam immutatione alius, ex alio efficior.* Hoc idem potest quisque asserere de universis pariter, ac singulis Ecclesiæ Catholicæ Patribus Augustino, Ambrosio, Gregorio, Hieronymo, Cypriano, & aliis si eorum scripta frequenter evoluantur. Idque causæ, cur in hoc opere eorundem selectas assertiones, florulenta asserta, proficuas doctrinas; præsertim in enucleandis sacris scripturis, moribus componendis, virtutibus excolendis, vitiis declinandis pravis affectibus coërcendis, & probis ciendis, congesserim; simúlque uberrimam variarum eruditionum, ac historiarum è sacris paginis deprompatarum supellectilem exhibuerim, quò sacris Oratoribus præstò statim esset materia dicendorum ad mentes hominum flectendas ad studia pietatis; ac deterrendas, avertendásque à vitiorum oblectamentis. Neque me oleum, operámque perditurum censui, si uberem hanc materiam ciendis, & coërcendis affectibus accommodaram, quamvis nec dolabris, nec dolabellis exasciatam concionatoribus, vitisque ascetis virtutum culturæ addictis extraderem. Licèt quod ex meo prodiit penu rude sit, suam tamen haurit nobilitatem ex accersitis SS. Patrum doctrinis, possimque propterea asserere cum Petro Abbate Cellense, *Lib. I. mysticæ expositionis Tabernaculi Moysaici. Hoc ideo summatim de dictis sanctorum recolligo, ut si opusculum nostrum per se displiceat; vel propter Sanctorum sacras reliquias, non usquequaque abjiciatur: etsi enim ligneam pyxidem propter se non suspicio; tamen quia continet Sanctorum corpora, & ossa, debita veneratione illam excipiens summis digitis, lotisque manibus tenens, lignum aliter, quàm lignum honoro.* Salve



ELEN-

# ELENCHVS

## Dissertationum, & Paragraphorum, qui in hoc primo Tomo continentur.

lonis

§. IV.

§.VI.



R.P.D.



# R.P.D. CAJETANI FELICIS VERANI
Clerici Regularis.

*DE*

# AFFECTIBUS HUMANIS GENERATIM SUMPTIS. CIENDIS & COËRCENDIS
## PROOEMIUM.



Quia in hujus operis molitione mens mea fuit universam de humanis affectibus ciendis, & coercendis selectam, congestámque materiam ad sacros dirigere Oratores, quò improbus meus labor Verbi divini concionatoribus foret commodo, laticésque exhiberet saluberrimos, quos SS. PP. ex sacrarum fontibus literarum pleno gutture hauserunt, nobisqué proficuè propinârunt; non abs re fore duxi, artificium, ac industriam in hac prima dissertatione aperire ciendi, vel coërcendi affectus quosque humanos, illos ad virtutum culturam; hos ad vitiorum fugam. Quamvis plurimum valeat ad animos flectendos præstantis ingenii felicitas, assidua præsertim corroborata exercitatione; si tamen artis, & disciplinæ destituta fuerit adminiculo, necesse est non semel impingat; præsertim nisi Deus specialem suam præstiterit opem, cujus beneficio vel infantissimos quosque, ac balbutientes efficit disertissimos. Non enim humanæ datur industriæ, affectus pios, vehementes præsertim, ac incensos, quibus solent homines resipiscere, & ad meliorem reverti frugem, ciere, vel compescere: id enim donum Dei est; cujus, ut in sensus, & mentes hominum summum est imperium; ita pro sua voluntate humana corda emollit, animos in eam, quam voluerit partem absque ullo labore, solo nutu flectit. Deus siquidem ait Theodoretus sine vectibus, absque ferramentis hanc præclaram sensibilis mundi molitionem machinatus est. Homines

verò si quid moliri aggrediantur, tot & tam variis indigent instrumentis, ac subsidiis, ut etiam nolentes, necessum sit propriam fateantur imbecillitatem. idque sacris obtingit Oratoribus, verbíque divini Concionatoribus, qui inciendis, coërcendisque hominum affectibus nisi ope divina suffulti fuerint, frustra verborum strepitu aures pulsant adstantium, cùm animi recessus intimos minimè pervadant: divinis verò innixi præsidiis eas inferunt animis permotiones, quas nulla unquam lenocinantis facundiæ ratio potis esset exprimere. Quamobrem ad probos in homine affectus ciendos, pravósque coërcendos opus imprimis est Dei opitulantis spiritu, quo qui destituitur, perinde ac inanime cadaver sine vigore, absque motu jacet.

Verùm ut præsidia quoque humana exhibeamus; ea ex suo penu humana nobis suppeditat eloquentia; cujus culmen, plerique in ea etiamnum corrupta versantur opinione, ut sibi videantur attigisse, si verbis tumidis, ac laxantibus aures impleant, & elegantiarum lenociniis animos demulceant, quos fucatæ dictionis, vario colore; ac cultæ orationis multiplici flore, Atticæque eloquentiæ pluribus luminibus aucupentur: sed falluntur, cùm hujusmodi eloquentia tot depicta coloribus, stipata floribus, ornata fulgoribus apud cordatos veteres in ore nasci diceretur, non é pectore erumpere; eò quia vi destituatur supremam in homine mentis arcem oppugnandi, animúmque in eam flectendi partem, quam finis exigeret Oratoris, & quos propterea promptiùs loqui dixeris, quàm eloqui. Quamvis videantur affectuum quasi ventorum habenas laxare, tonitru, fulguribus minas spargere; non tamen Æolum æmulantur, luctantes ventos, & sonoras tempestates moderantem: quin potiùs Salmoneum Elidis Regem, qui cùm divinos sibi honores petulantiùs quæreret, Jovémque structo æneo ponte tonando, & jaciendis fulminibus imitaretur; ab eodem irruentis fulminis inopino ictu enectus fuit, & ad inferos detrusus.

Inermis est, ac viribus vacua ea eloquentia, quæ regendis, flectendísque animis minimè est apta. Quamobrem patheticam de affectibus humanis ciendis, & coërcendis, eorúmque principiis, natura, & proprietatibus præmittimus dissertationem, cum eorundem tractatio Philosopho etiam congruat naturali; eorum enim causas à principiis petit naturæ: imò etiam Philosopho morali quatenus eosdem honestatis, vel turpitudinis capaces deprehendit. Sacro autem Oratori, verbíque divini Concionatori competit eos in animo ciere, vel compescere ad varios, quos intendit fines. Neque demorsos sapiunt ungues, nec proprio funguntur munere Oratores, qui hanc negligunt artem animos flectendi, tametsi Rhetoricarum præceptionum plenam depromant iliadem Homeriana impendio prolixiorem: cùm Plato autumaverit Rhetores ipsos minimè ex

mè ex

mè ex arte scripsisse, qui de affectionibus animi tractationem reticuerunt: quia Orator sive in foro ad populum, templóque dixerit; sive in exedra, & Academia ad viros scientiarum culturâ illustres; sive in biviis, triviisque ad homines triobolares, & sycophantas, necesse est animos flectat, ut de iisdem regina triumphet eloquentia. Idque evincitur ex tribus Oratoris muneribus, quorum duo priora docere, & delectare tertio obsequuntur in ciendis animi affectibus impensiùs occupato: eatenus erudita, & aperta oratione docet; suavi, gratóque verborum lenocinio demulcet; ut postea robusta, ac pugnaci argumentorum vi commoveat Auditores, quos concitatos in eam unius linguæ imperio feliciter flectat partem, ut ipsi magis libuerit. Ea siquidem est flexanimæ eloquentiæ præstantia, ea in flectendis, movendisque animis vis, ut auream dixeris catenam ex ore Herculis juxta Poëtarum commenta prodeuntem, quæ Auditorum animos etiam invitos suaviter illigaret, blandè stringeret, & vi quadam alliciente in suam pertraheret sententiam: vel fatidicam Mercurii virgam, quæ pugnantes inter se serpentes in mutuum conjungeret amoris complexum. Est siquidem adeo efficax flexanimæ eloquentiæ imperium in animos hominum, ut dissidentes facili studio componere, & odii gelu rigentes amoris flammâ valeat accendere. Orphæi citharam flexanima æmulatur oratio, quia efferatis, saxeísque hominum animis dominatur, & in eam, quam vult partem impellit, omnésque sive innata ruditate agrestes, sive inolita feritate inhumanos blandâ movet, flectit, cicurátque violentiâ. Imò flexanimam hanc eloquentiam tubam illam dixeris Josueticam, cujus clangore muri evertuntur Jerichontis: quia si ejus vi non muri, mores tamen flagitiosorum hominum funditùs evelluntur

Præcipuum igitur Oratoris munus non est eleganter, ac ornatè verborum circuitus lævigare; scabra dedolare periodorum, purpurâ vestire orationem, ac floribus ornare; in quo fortassis plus illucet memoriæ, quàm ingenii: sed invenire, quæ aptè dicantur, argumenta seligere, quæ ita suadeant, ut persuadeant; fundamenta jacere, quæ rem totam fulciant, ac in sublime attollant, & eos ciere animi motus, vel compescere, quibus orator, quem sibi finem præfixerat, consequatur. Cùm igitur suum non valeat sacer Orator officium obire, nec implere nisi flectendis animis studeat, & in quam ipse velit partem Auditores pertrahat: & id non sit commodè præstiturus nisi artem calleat affectuum ciendorum, operæ pretium duxi, eorundem rationem expendere, ac industriam eos ciendi, & coërcendi innuere; ac uberrimam ad id præstandum etiam in toto hoc opere materiam suppeditare, quæ concionatoribus inserviat; virisque ascetis, culturæ virtutum addictis sit emolumento; singulósque ad exercitia virtutum, fugámque vitiorum alliciat.

# DISSERTATIO I.

## De Industria adhibenda in ciendis, & coërcendis humanis Affectibus.

### §. I.

*De Facultate Pathetica, seu radice, ex qua humani Affectus pullulant.*

1. Ta à Deo primus ex humo conditus fuit homo, ut non solùm singulari, miróque ordine nobilem membrorum compagem coaptaverit, & quasi fulcimenta ossa fundaverit, quæ nervis munirentur, carne vestirentur, venis irrigarentur, cute contegerentur; elegantíque compositione summum verticem stabiliret, brachia dilataret, pectus corroboraret, totique mobili structuræ bases subjiceret pedes, quibus undique humanum circumferretur opificium; verùm etiam nobiliorem addiderit partem, animam scilicet simplicem, individuam, quæ neque dirimi, nec distrahi possit; & licèt inextensa singulis tamen extensis membris, & artubus motum impertiret, & cujus beneficio foret homo præteritorum memor, præsentium sagax, futurorum providus; suisque cogitationibus veluti alarum expanso remigio per singulas terrarum oras uno temporis momento citra omne discrimen circumferretur; trans Oceani longè, latéque diffusos tractus in ictu oculi curreret; terræ abstrusiora viscera, & in iisdem abdita quæque scrutaretur; imò & cœlum ipsum conscenderet, orbésque illos ab intelligentiis pernicissimè circumactos lustraret.

2. Unà tamen cum spiritu indidit Deus homini varios affectus, qui ad amussim si componerentur rectæ rationis egregii forent virtutum prodromi; & quos si stoica falce quis rescinderet, stipitem faceret ex homine, sine vigore, absque sensu. Sunt autem hujusmodi sensibiles motus, qui passiones, seu pathemata dicuntur sentientis animi ex boni, vel mali opinione natæ commotiones; quarum propterea origo fit anima sentiens: non enim hujusmodi affectus ex anima fluunt intelligente; cùm in ipsa homois mente, & in Angelis, qui puræ sunt Intelligentiæ ab omni materiæ concretione defœcatæ, & sejunctæ, nullæ sint hujos generis commotiones, & affectiones, ut nec in anima vegetante, cùm sint plantæ hisce motibus destitutæ, & à quavis concupiscentia liberæ; harum propterea principium est solùm appetitus sensibilis, tum brutis inditus, tum hominibus congenitus; qoique adæquatâ divisione bipartitur in concupiscibilem, & irascibilem; cujus apta analogia peti commodè potest ex gravibus; quibus duplex inest nisus, veluti appetitus itidem duplex, unus scilicet ad motum, & ad quietem alter: & quemadmodum eorundem gravium nisus alia ratione est etiam duplex, unus ad impedimenta, quæ fiunt obvia motui deorsum, tollenda; & alter ad resistendum, renitendúmque externæ violentiæ retrahenti grave à sua quiete: perinde nisus appetitionis duplex est, ad motum unus, quo ad proprium perducatur finem; & ad qoietem alter, quo in eodem fine tranquillè quiescat: hinc insurgit appetitus sensitivus ad obices quosque amovendos, aut arcendos, tametsi ardui sint, & superatu difficiles, qoique vel motum prohibent ad finem, vel quietem perturbant in tranquilla possessione ejusdem. Quo fit, ut motus concupiscibilis bipartitus sit in amorem, & odium; & appetitus irascibilis in audaciam, & timorem.

Amor affectio, & motus est, positus in prosecotione; odium verò in fuga: ille inducitur ex imaginatione objecti congruentis; quoties hoc nobis obviat, per ostiola nervorum illapsus, & affluxus spirituum fit ad urgendos eos motus corporeos, quibus anima objectum illud appetit, seu ad illud tendit; & in hac tendentia in objectum congruum sita est prosecutio, quâ vigente sanguis vegetior movetur, cor laxiùs ampliatur, pulsus fit major, ut & respiratio ob affluentem copiosum sanguinem in pulmones; & ex diffusione sanguinis oculi splendent, ac turgent; & quia retina incalescit nictantes sunt plerumque oculi. Opposita fermè obtingunt ex odii pathemate. Audacia verò, & timor tunc excitantur, cùm in prosecutione boni occurrit, vel imaginamur interponi impedimentom aliquod superatu perdifficile. Hæc enim imaginatio avertit animum à prosecutione hujusmodi objecti, & viam occludit spiritibus animalibus, ne defluant in nervos, ac excitent affectum audaciæ: ex quo oritur conflictus inter prosecutionem, & fugam: objecti commodum illam suadet, sed ab eadem interjectum impedimentum avertit: quòd si præva- 3.

leat

leat inducta ex difficultate præconcepta imaginatio; oritur timor, quo comprimuntur spiritus, ac prohibentur à centro ad circumferentiam profluete; seu à corde ad artus, & reliqua membra. Sin verò prævaleat imaginatio, quâ objectum congruum allicit, & obvia difficultas non censetur superatu adeo difficilis; excitatur tunc audacia, cum ingenti spirituum affluxu, à quo ardor in totum diffunditur corpus, dissimilis tamen ab ardore inducto ex amore: audacia siquidem cum humoribus acribus cietur, & amor cum alkalicis. Quamvis varii sint pro objectorum varietate in homine affectus, omnes tamen ab uno fluunt amore; est enim hic affectus qui reliquos ad se convertit; perinde ac suprema in cælis sphæra reliquos cœlestes orbes suo ambitu contentos motu versat, ac rapit. Spes, metus, iracundiæ, voluptates, invidiæ, imò & ipsa odia ab uno proficiscuntur amore: quia nisi quispiam se ipsum amore prosequeretur alios odio non insequeretur: ideo eos aversatur; quia credit sibi noxios. Quanta sit vis hujus affectus edisserit D. Gregorius Nazianzenus inquiens: *si Bubulcus ob vitulum unum ab armento aberrantem; vel pastor ob pecudem ex denario numero deficientem; vel avis ob nidulum, quem ad breve tempus reliquit, usque adeò discruciari solent, ut & illi arreptis fistulis in speluncam quandam evecti calamos omnes mœrore impleant; & balantia animalia, quasi ratione prædita evocent, ac si parverint, majorem ex illis, quàm ex reliquis universis delectationem percipiant; & hæc stridens ad nidum convolet, pullisque stridentibus advolet, eosque pennis foveat: quantò tandem chariores esse par est apud bonum, & commodum pastorem oves ratione præditas, & pro quarum salute nonnihil periculi subijt? quandoquidem hoc quoque acrioris amoris flamma excitat.* Imo ex affectibus humanis nullus velocior, & efficacior ipso amore, cui injuriam visi sunt intulisse, qui eum pennatum finxêre, quasi alis indigeat: cùm nil sit amore pernicius, sitque quavis emissa sagittâ velocior; quin & saxa ipsa volare discerent, si amare scirent.

4. Sanctus Herotheus apud D. Dionysium amorem in quinque partitur genera, Divinum, Angelicum, Intellectualem, Animalem, & Physicum. Est amor Divinus, qui Deo inest, & quo se communicat creaturis, quibus impertitur quidquid boni, ac mirifici habent, & hoc amore nil ad majestatem augustius, ad sanctitatem purius, & ad constantiam firmius excogitari potest. Amor Angelicus propiùs ad Deum accedens est, quo Angeli æterno cœlestis gloriæ illuminati fulgore Deum longè ardentiùs, ac firmiùs, quàm nos, diligunt. Amor Intellectualis fœtus est humanæ mentis, consistitque in voluntatis propensione in verum bonum. Amor animalis est impulsio quædam vehemens in sensu ad rem amatam, & plerumque est amor cæcus, qui amantem interdum ad præcipitia ducit, & ob impuritatem hominem fœdat, & hujus impuri amoris ea est indoles, ut simul blandus sit, & ferox; avarus, & prodigus; dives & inops; timidus & audax: ipse enim allicit, & interficit; blanditur, & enecat; oscula infigit, & vulnera infligit; dulcedinem exhibet, & amarorem propinat: ipse ex vulnere nascitur cordis, dolore pascitur, errore crescit, & æmulus salamandræ vivit in flammis, ac pyraustæ socius in cineres tandem evanescit: ipse oculis est lubricus, & procax; forma insidiosus, & pellax; alis volucer, manu expeditus, arcu, sagittis, & facibus armatus: ejus vires validæ sunt, & efficaces: siquidem improvisus instar procellæ labitur in pectus; ab oculis irrumpit in animum, est acer, facibus inflammatus, amantem cruciat, agitat, stimulat, distrahit, diripit, fugat. Hicque est ille amor, cujus furoribus tragediæ personant, qui persæpe accusatur in fabulis, ut exlex, iracundus, intempestivus; diciturque esse gratum venenum, quia blanditur, & nocet; dulcis morbus, quia placet, & lædit; illecebrosum supplicium, quia arridet, & lachrymas elicit; blanda mors, quia demulcet, & interimit: & hic amor omni nisu est coërcendus ejus flammæ illicò extinguendæ, ne virtus iisdem cinefiat. Amor naturalis est rerum intelligentia; sensúque carentium ad cumulatam sui absolutionem decursus, de quo D. Augustinus *lib. 11. de civit. Dei* loquens ait: *Amores corporum momenta sunt ponderum, sive deorsum gravitate, sive sursum levitate nitantur.* Hanc enim propensionem ad sui conservationem, ac perfectionem Deus rebus omnibus indidit, ut se ipsas conservarent, propagarent, ac proprium commodum promoverent. Ex hisce amoribus, profanus sicut est coërcendus, ita divinus, quo Deus adhæremus, jugiter est excitandus.

Est autem finis patheticæ, seu appetitivæ 5.
facultatis perfectio animati corporis, ut nimirum commodè se habeat, ac perfectè suas exerat vires, obeátque functiones: hícque finis est, in quo viventia perinde dicuntur quiescere, ac gravia in suo centro. Rursus hujusmodi finis explicatiùs dicitur situs in custodia, & conservatione nexûs organorum, membrorum, partiúmque viventis: sicut natura universa solutionem dicitur horrere hujusmodî nexûs horrore quodam publico, & communi; quô in omnibus, & singulis suis partibus à vacuo abhorret, quô nexus iste partium dissolveretur, eò quia per discontinuum vacuo interjectum pars sejungeretur à parte: ita natura animalis hanc eandem toto nisu impedit solutionem, ut nexum conservet organorum, ac propriæ studeat incolumitati, quâ remoto quovis obice suas exerceat vitales operationes, eâ facilitate, ut nullum inde incommodum sentiat, & operatio adæquatæ suæ congruat virtuti, ac Endelechiæ seu energiæ, ac vi se movendi. Tendit autem hæc operatio suaptè natura in bonum sensibile, quod vulgò dicitur objectum appetitûs corporei, & est affectio illa, & impressio inducta, & excitata in vivo corpore, ac determinata ab externo objecto,

quod propterea dicitur mediatum bonum appetitûs; cùm proximum, & immediatum sit impressio illa in animali excitata; quæque proxima ratio est, cur vires suas circa bonum sensibile exerat; totóque nisu prosequatur sibi congruum; séque à sibi noxio avertat.

6. Ad hos sensibiles, ac patheticos motus explicandos aptam exhibet analogiam organum Pneumaticum; continet hoc instrumentum seriem rectarum fistularum, quæ numero impares, ac longitudine inæquales, ita sunt dispositæ, ut per tubos inflentur spiritu, qui follibus collectus ad fistulas transmittitur: tum ictibus, ceu lusibus repetitis digitorum, utraque scientissimi Magistri manus húcque, illúcque citra omnem errans errorem flatum immoderatè profusum, opercula foraminum mox abducens, & modò diducens ex arte in tibiis moderatur; & quod per se incônditè resonaret, jucundum auribus, gratúmque animis emittit sonum acutis, gravibus, mediisque musicè temperatum: perinde animus sentiens per affectiones determinatus ad motus spontaneos, vel naturales, patheticósque edendos, immittit per tubulos fibrarum nervearum spiritus animales; non secus ac organœdus cùm reclusâ tubulorum organi paraglossâ (seu cum palmulas premit organi) vento, & aeri compresso viam aperit, ut subeat, lígulásque tubi percutiat, & illæ vibrentur, sonúmque edant, & quidem diversum pro varietate tuborum, ligularum, ordinum, ac registrorum. Hæc enim facultas pathetica varios producit motus sensibiles per spiritus animales penetrantes tubulos nervearum fibrarum; qui tamen motus, seu pathemata, si ad normam magistræ rationis edantur harmonicum efficiunt concentum rectæ vivendi, operandíque normæ consonum.

7. Princeps horum pathematum amor est, qui cæteris imperat, qua ratione cum omni passionis actu conjunctum esse amorem, imò singulas affectiones nil esse, quàm amorem proprium diversè modificatum, seu sub diversa tendentia, docet Philosophus; eò quia impressum à natura, ingenitúmque habeat homo amorem sui, quo sui conscius per usum rationis se ipsum incipit diligere; inde progreditur ad alia extera amanda, indivulsè tamen à suimet amore, eò quia cætera nonnisi relativè ad seipsum, suúmque statum, ac conservationem diligat. Protenditur enim amor ad commodum elicientis; movetúrque propterea ad ideam boni generalis, in quod fertur homo naturaliter, imò & necessariò ex eo, quòd se ipsum diligat, sibique bonum generatim velit, studeátque propriæ indemnitati. Rursus ad summum etiam porrigitur bonum, in quod sub eo conceptu, & idea necessariò tendit. Nemo siquidem est, qui erga summum bonum innatam in se non experiatur propensionem: quia cùm quisque velit proprium commodum, non utcunque, sed quantum fieri potest, necesse est, velit etiam summum bonum, cujus quodlibet partiale bonum est portio; & pars quævis cùm sit propter totum, in quo continetur, nonnisi gratiâ ipsius esse potest. Contrahitur tamen amor iste veluti genericus ab homine ad ea, quæ sibi speciatim consentanea videntur; suæque naturæ, ac conservationi congruunt: quòd si consentaneum hocce sensibile fuerit, cùm primùm imaginationi objicitur, validè animum allicit, & ad se se attrahit utrumque amorem, specialem scilicet, & genericum, quò fert animus in bonum sibi consentaneum. Idque oritur ob magnam spirituum motionem, & agitationem, quâ concitato corpore, & exertis organis phantasiæ, adeò claré, & distinctè imprimitur idea boni illius corporei, ut voluntas liberè toto nisu in illud propendeat.

Hanc internam perturbationem, ac tumultum, quem passio secum adfert; voluptatis, & tristitiæ mixtione contineri docuit Plato suffragantibus priscis Philosophis, autumantibus, aliam in re passionum confusionem nec esse, nec excogitari posse, nisi ejus, quod placet, cum eo, quod displicet; unde anima distrahitur in diversos sensus, & oppositas affectiones: quod experimento videtur assentiri, cùm tristitia ipsa licèt passionum molestissima, & ipse dolor cum quodam voluptatis sensu expleatur, & cecinerit Martialis 8.

——— *Est quædam flere voluptas;*
*Expletur lacrymis, egeritúrque dolor*

cæterum si passiones absint, anima sedata est, gaudétque tranquillitate; & è converso, si illæ insurgant, turbatur animus, qui veluti æstuans, perinde ac mare suas patitur procellas; quo fit consultiùs esse, nec delectari, neque dolere sensu corporeo, quia tunc homo caret tumultu, & anima se ipsam tranquillè possidens bono fruitur sibi congruo.

Quamvis passiones internæ sint animi sentientis commotiones, non tamen, quævis spirituum interna commotio passio dicitur; 9. alioquin sicut nulla esse potest hominis spiritualis affectio amoris, vel odii absque motu appetitûs sensibilis, spirituúmque agitatione, sequeretur citra passionem nil velle posse hominem, quod veritati adversatur: cùm vel ipsa bruta absque perturbatione multa possint persgere, ut videre, ambulare, quamvis & ipsa plerunque suis pulsentur passionibus; quod verò brutis convenit, id homini in appetitu sensibili denegandum non est. Non tamen omnes passiones brutis insunt, quibus homines aguntur, sed illæ tantùm, quæ naturæ cujusvis bruti congruunt: destituuntur siquidem bruta iis passionibus, quæ in homine ratione foventur; perversitate cientur, & propositis bonis propriè humanis excitantur, ut præ cæteris est verecundia, quâ bruta non afficiuntur.

❊(o)❊
❊

De

## §. II.

### *De Definitione, Partitione, & sede Humanorum Affectuum.*

10. *In 2. lib. Rhetoricorum.* AGit Aristoteles de Affectibus, quos enixim commendat Oratoribus, eò quia nil præstantius sit, quàm robusta, simúlque mellita oratione animos flectere, & unius linguæ imperio, in quam Orator velit partem, Auditores trahere, flectere, subigere. Certè nil fortiùs, nilque nobilius eâ imperandi ratione, quâ Orator nobiliori hominis parti dominatur, sive in genere exornativo laudet, vel vituperet; sive in deliberativo suadeat, vel dissuadeat; sive in Judiciali accuset, vel defendat. Quid enim præstantius, quàm odio dissidentes, & inimicitiâ flagrantes, amore conjungere, & arctioris amicitiæ vinculo in unum agere? furentes irâ, lenitate mitigare? commotos furore, blanditiis sedare? nimiâ fretos confidentiâ, & spe nixos, repentino timore comprimere? indignatione ardentes, verborum lenociniis sopire? cordis duritie in malis obfirmatos, linguæ imperio flectere in meliorem frugem? sævitie agitatos, misericordiâ delinire? invidia tabescentes, amoris alexipharmaco restituere incolumitati? malevolentiâ exultantes, benignitate demulcere? in præceps obcæcato impetu ruentes, sedatâ linguæ oratione retardare, & aliò traducere? Quis inficias ibit, ita supremam hominis arcem subigere, animúmque flectere; commotos affectuum fluctus sedare, ac malaciæ restituere; sedatos ciere, opus esse summæ sagacitatis, ac industriæ? Hoc idem est, ac super pennas ventorum ambulare, & aurigantis Numinis speciem imitari; cùm homines affectibus perinde rapiantur, ac ventis nubes; & Orator veluti auriga affectuum, quasi ventorum, habenas laxet, vel restringat.

11. Ut autem propiùs naturam introspiciamus humanorum affectuum, quibus si destitueretur homo incultus, aridúsque foret stipes sine sensu, absque vigore; enucleanda est eorundem genuina definitio. Sunt igitur Affectus ignotæ quædam animi propensiones, ac proclivitates à ratione alienæ, menti, ejúsque tranquillitati infensæ ex apprehensione boni, vel mali præsentis, vel imminentis. Dicuntur ignotæ animi inclinationes, quia plerumque experimur, nos animo angi, & cadere; tametsi causa nobis minimè innotescat. D. Augustinus ait, *Lib. 9. de civit. cap. 4.* has animi propensiones motus esse, quos Græci *Pathos* vocant, & Latii *Affectus*. Pressiùs Nemesius *Lib. de Natura hominis cap. 15.* definit, humanos affectus, esse motus animæ rationis expertes ob opinionem boni, vel mali. Quòd si affectus ratione destituuntur; consequens est, eorundem fontem esse appetitum sentientem; & ab ipso solo diffluere (adeout in ipsa hominis mente, seu intelligentia; & plantis soli addictis vegetationi, nulli sint affectus) quorum alii leniores sunt, alii vehementiores, ac turbulentiores, procellas etiam excitantes, animúmque invehentes, cui plurimum adferunt molestiæ.

12. Sequitur ex data definitione, duo esse genera affectuum, unum ex objecto eorundem, seu ex bono, & malo: aliud ex subjecto, seu appetitu: prima partitio ex eo petitur, quia appetitus per actus prosecutionis amplectitur bonum; & per actus fugæ detestatur malum, à quo propterea toto nisu se avertit: hinc ex affectibus alii consistunt in quadam prosecutione appetitûs; hi scilicet, qui versantur circa bonum; & alii in fuga, & detestatione; nimirum illi, qui versantur circa malum, ut docet Aristoteles. *Lib. 6. Ethic. cap. 32.* Ex parte subjecti dividuntur itidem affectus in alia duo genera, quia alii sunt affectus seu motus appetitûs sensitivi, concupiscibilis; & alii appetitûs irascibilis; quam partitionem docet Aristoteles *Lib. 1. Rhetoricorum cap. 10.* cui adhæret D. Hieronymus *In cap. 13. Matthæi.* inquiens; *In ratione possidemus prudentiam: in irascibili odium vitiorum: in concupiscibili desiderium virtutum.* Ratio suffragatur ob discrimen bonum inter, & malum; appetitus enim dicitur concupiscibilis, quia in bonum fertur, & malum refugit: & irascibilis, quia tendit in bonum arduum, & refugit malum difficile. Potest bonum appeti ut absolutè bonum; & ut tale bonum, arduum, ac obtentu difficile; similiter potest appetitus aversari malum, ut dissonum; & ut tale malum, seu superatu difficile; qua ratione necesse est, ponantur duo appetitus sensitivi, concupiscibilis unus, complectens affectus Amoris, Odii, Desiderii, Fugæ, Gaudii, Tristitiæ: alter irascibilis; sub quo militant Spes, Desperatio, Timor, Audacia, Ira.

13. Sunt in homine hujusmodi affectus, quod in mari ventorum agmina; si leniter efflaverint, solatio sunt æquora trajicientibus, remiges se à labore subtrahunt, sibíque faventem adgratulantur nautæ fortunam; ridéntque cœlo, salóque arridentibus: sin autem acriùs urgeant; cœlum nubium collisu turbant, fluctus excitant, solem abripiunt, sonantésque suscitant procellas; & glomeratâ turbulentiorum sobole ventorum omnia inter se se elementa permiscentur; aquarum montes volvuntur; & navis quamvis ingens, & valida immensis verberata fluctibus, quassata æstu incipit laxatis compagibus labefactari; & subscendibus revulsis per hiantes rimas viæ undis in navim aperiuntur, quæ mox dissolvitur; nullis nec proræ, neque puppis munimentis urgentium impetus fluctuum sustinentibus, & quassatis armamentis in ultimum etiam abripitur navis discrimen & fluctibus absorbetur decumanis. Ita in animo affectus si lenes fuerint, si rectæ obsequantur rationi, commodo sunt homini, quem ad studia incitant, promovéntque virtutum: sin verò dictamina excesserint rationis, menti serenitatem abripiunt, potentias veluti fluctus commovent, hominem turbant, ac labefactant; & plerumque etiam perdunt: omnes siquidem malorum con-

congeries, quæ hominem torquent, affligúntque in statu naturæ corruptæ suam à pravo affectu traxêre originem: enumera, si potis es, febres quotidianas, tertianas, quartanas, continuas, putridas, quibus humores in homine corrumpuntur: dolores arthriticos, pleuriticos, colicos, qui misere corpus torquent humanum: epilepticas convulsiones, dysenterias, colliquationes, quibus intestina diffluunt: exulcerationes, quibus viscera putrescunt; gangrænas ad internecionem repentes; tumorum varia genera, membrorum resolutiones, ventris lancinationes, musculorum convulsiones, paralyses, pleuritides, cordis oppressiones, deliquia capitis, gravamina, deliria, arthritides, hydropes, phthises; & alia sexcenta mala, quibus adhibita pharmaca cedunt in tormenta; cujusmodi sunt sectiones membrorum, ustiones, lacerationes: hæc omnia à pravo illo in protoparente oriuntur affectu; quo inhians divinitati, ut numen fieret, lumen perdidit supernæ gratiæ, & pomi morsu mortem deglutivit, quam in posteros transfunderet, miseriis omnibus obnoxios; ut non immeritò conqueratur Philo; perinde in corpus humanum effrænes affectus admissos fuisse, indomitas veluti bestias post hanc primam naturæ labem; ac in arcam Noëmi Cathaclysmo imminente haud cicures feras.

14. Sedes horum affectuum cor est humanum, insidens homini infra lævam papillam turbinato mucrone, priorsùm, seu in partem priorem eminens. Huic præcipuus est calor; & ab hoc fonte venæ duæ cæteris grandiores priorsum, & retrorsum, seu in priora, & terga discurrunt; sparsæque ramorum serie per alias minores membris singulis vitalem sanguinem suppeditant; totúmque corpus humore rigatur vivifico; ac demum in hac cordis officina spiritus affectibus ministrantes cuduntur: & cùm spiritus, calor, & sanguis præcipua sint instrumenta, quibus vehementiores feruntur affectus, quales sunt amoris, & iracundiæ, rectè cor affectuum statuitur domicilium, ac primaria sedes: quòd si palpitat, magnum illud dixeris mare Danielis jugiter fluctuans, in quo quatuor venti, seu perturbationum totidem fontes, adversis motibus inter se se colliduntur; & ignis excutitur; non secus ait Lactantius *lib. de ira* ac durissimi rigoris materiæ, si ictu vehementiori concutiantur, scintillas emittunt: hinc ad vehementiores affectus hi sunt proniores, quibus plurimum inest caloris, & sanguinis; ac spiritus in cordis fornace elaborantur subtiliores: quâ ratione animi affectus vigent in juvenibus acriores, quàm ad senium propiùs accedentibus, quia illi calore, ac sanguine æstuant, cùm isti frigêre incipiant, & languescere. Voluit igitur natura, cor humanum præmolli, firmóque opertum membranæ involucro, munitum pectoris muro; circumseptum costarum vallo; ut intuto positum præcipuam pariat vitæ causam, & originem; à qua affectus leniores, perinde ac rivuli à pellucido scaturiunt fonte; & acriores ut emissi flammarum globi ab accensa fornace impetu prodeunt vehementiori.

Nulla in homine cietur tempestas, mentis abripiens serenitatem; quin è fundo cordis educatur; erumpunt ex ejus angustiis non secus ac ex Eoli exeso, præruptóque antro passionum Euri, Notique atras mœroris, & aliarum passionum nubes adglomerantes; cogentésque accito in subsidium dolore in pluvias lacrymarum; & reliqua ventorum cohors oppresso angoribus pectore abit in suspiria. Sin verò dolor sit de injuriis supremo illatis Numini; tunc mens cælestibus verberata fulgetris contremiscit divinæ terrore justitiæ; & procellarum impatiens se ipsâ doctior pietate fuerit, séque indignationum turbinibus commovet, luctuosæ mutilantur singultibus voces; & effractis intimiorum sensuum repagulis, coguntur & ipsæ intimiores medullæ, doloris agitatione fluctuare, refricante memoriâ anteactæ vitæ flagitia, quibus per decem facilè millia, & ampliùs pudendarum actionum à summo se Bono averterat, ut futilium è cisternis dissipatis hauriret voluptatum corruptas aquas. Præter recensita naturalia instrumenta ciendis affectibus accommodata, concurrunt plerumque etiam causæ aliæ extrinsecæ, præsertim cacodæmones, qui mentem tacitè subeunt, & corporis humoribus impexi fluctus excitant, pravósque affectus in hominis commovent perniciem. 15.

## §. III.

### *Quædam ciendis Affectibus prærequisita donantur explicatu.*

PRæcipuum, quod ad probos in hominum pectoribus ciendos affectus, pravósque coërcendos exigitur, gratia est opitulantis Dei; sine qua futiles sunt lenocinantis facundiæ artes, inanes cultæ eloquentiæ conatus, supervacanea humanæ mentis studia. Est enim Deus, cujus imperium in sensus, mentésque hominum, sicut summum est, ac despoticum; ita citra verborum circuitus, argumentorum apparatus, vocis strepitus intimiotibus hominum illabitur sensibus, & corda blandè pervadit, suaviter movet, & in quam ipse velit partem flectit. Orator licèt è sacro suggesto ad populum dicat, nisi hac divina fuerit ope suffultus, frustra verborum murmure, quasi malleorum strepitu ad stantium aures pulsabit, terrorem incutiet, animósque ad meliorem frugem excitabit; ad id enim opus habet Dei moventis, ac moventis auxilio, quod propterea fusis precibus debet enixim expostulari; dein humanis uti subsidiis è Rhetorices depromptis penu; ad quod summa itidem desideratur solertia, ac nura sagacitas. 16.

17. Siquidem Orator ad ciendos affectus ea oportet, sit præditus mentis acie, quæ subtiliter intimas penetret hominum naturas, séque

quæ insinuet in eorundẽ mentes, illabatur sensibus, ut quibus illi ducuntur studiis introspectis, talẽ se ad speciem conformet, qualis eorũ moribus similis esse videatur: primùm obsecundet loco, alliciat, ac blandè circum præcordia ludat; dein ubi faventes animos advertit, paulatim personam sibi, mox etiam Auditoribus exuat; ac demum affectiones alias induat, & alios sensus instillet; quibus imbuantur adstantes etiam propriæ obliti consuetudinis, ac naturæ. Et quod ad id præstandum muneris fuerit oratori ingenium? quæ menti sagacitas, quæ animo sapientia, quæ intellectui perspicacitas, quæ judicio prudentia, quæ linguæ facundia, quæ eloquentiæ energia, quæ rationibus efficacitas, ut homines, qui plerumque propriæ duntaxat opinioni nubunt, propriæ obliti conditionis ad perorantis imperium alios vestiant mores, aliámque naturam induant? quis eat inficias, ad id præter Oratoris industriam vocem requiri divinam, cui singula parent, elementa obsequuntur, & creaturæ omnes obediunt?

18. Præsidia verò ex Rhetorices deprompta peno ad ciendos affectus, animósque flectendos potiora in similitudine habentur affectuum; adeout Orator in id potissimum incumbat studii, ut quos in aliis velit affectus ciere, eosdem in se priùs excitatos habeat; quos enim sibi affectus imprimunt oratores, eos faciliùs in aliorum pectora transfundunt; nisi ferrum candesceret admotam stupam nunquam adureret, neque tormentarium accenderet pulverem: non aliter operantur agentia nisi juxta virtutes, & qualitates, vel sibi à natura inditas; vel extrinsecùs comparatas, & adscititias. Quis à nive calorem, ab igne frigus, ab aqua siccum putet extorquere? Fervescat amore Orator, si alios ad amorem nititur excitare; odio vitia acriùs prosequatur, si alios velit ab iisdem aversos; miseratione moveatur non frigidè, & affectatè, sed prudenter, & opportunè & cordatè in calamitosos; si commiserationem in aliis ciere satagit: tali Auditores moventur affectu, quali Orator afficitur; prodeunt ab ore verba; sed nescio quid animi secum deferunt, per aures mentibus imprimendu adstantium. Perinde ac corporibus, creduntur animis indita quædam vestigia similitudinis, quibus promptiùs cohærescunt, etiam in primis congressibus, cùm nullum inter se se vestigium amicitiæ antea instituerint; & sola vel morum, vel animorum similitudine delectati velociùs in mutuam benevolentiæ feruntur conjunctionem; ut obtigisse Theageni, & Chariclææ narrat Heliodorus: cùm primùm in mutuum venerunt conspectum; animi, qui se iisdem ferè impressos characteribus noverunt, toti in extimam vultûs cutem variis immutatam motibus, perfusam coloribus prosilverunt. Hæc est illa animorum affinitas, quâ homines patriâ licèt dissiti, ritu diversi, studiis dissidentes mutuis benevolentiæ vinculis conglutinantur, & amicitias ineunt, quas vel colloquiis frequentioribus promovent; vel epistolarum fomentis, si locorum interstitio distent, servant incolumes.

*Lib. 1. Æthiopic.*

19. Hæc est illa animorum cognatio, quam qui ab hominum cœtu, & invecta societate volunt exulare, solem mundi universi nitidissimam lampadem nituntur extinguere. Nil inter homines jucundius, nil utilius animorum consensione, & cognatione; est enim læta animorum conciliatrix, amoris fœcunda parens; virtutis optima nutrix; cujus beneficio sedantur tumultus, extinguuntur inimicitiæ, eradicantur odia. Perinde vita civilis hac nititur animorum cognatione, ac vitis fulcro, domus fundamento, Respublica societate. Hanc animorum cognationem fuisse ab ipsa natura hominibus inditam, liquet ex naturali hominis propensione, ad amicitiam ineundam erga quasdam personas; & non alias quod autem à natura est, nequit non esse bonum; siquidem naturæ Author *vidit cuncta, quæ fecerat, & erant valdè bona:* necesse igitur erat, ut homines ex insito naturæ instinctu mutuo amoris vinculo copularentur ad civilem vitam instituendam, cùm haud inscitè dixerit ille; *quicunque solitudine delectatur, aut fera, aut Deus est:* fastidium siquidem societatis nescio quid videtur bellvini prodere; nisi propensio ad vitam solitariam à studio proveniat secedendi, ut altioribus quis vacet contemplationibus, Deóque magis adhærescat: vel extra negotiorum obstrepentes tumultus sibi magis attendat; quod non est laude vacuum in plerisque; qui aulæ abdicatis honoribus, relictisque hominum frequentiis, virtutum flores in eremitico secessu, savente cœlo, arridente solo eò feliciùs excoluerunt, quò umbratiles mundi honores; fluxáque ejus commoda, & fucatas voluptates flocci fecerunt.

*Genes. 1.*

20. Cùm igitur vis animorum insit cognationi ad excitandos affectus, flectendas mentes, reconciliandos dissidentes animos, ineundam amicitiam, promovendum amorem; in id debent Oratoris studia collimare, ut naturæ propensionibus priùs se Orator accommodet, imò & mores quasi induat eorum, quos sibi benevolos esse cupit; Dein eosdem prorsus in se affectus excitat, quos ciere in aliis nititur: siquidem qui animorum cognatione conveniunt, facilè mutuis colloquiis, quasi benevolentiæ vehiculis affectus sibi communicant; potior enim ratio flectendi animos, ciendíque in iisdem motus in hac sita est affectuum similitudine: quem Orator impressum in se habere affectum senserit, eundem facilè in pectus transfundet aliorum. Ardeat Orator, ut flammas è sacro suggesto spargat, & cor incendat Auditorum, excandescat animo, tonet voce, ut terrorem incutiat ex imminenti discrimine; miseratione, lacrymisque liquescat, ut adstantes pari afficiantur teneritudine; tristetur, si alios cupit mæstos; gaudeat, si lætos; timeat, si timore perculsos: quem ex Oratoris animo hauriunt verba affectum, eundem

dem ad Auditores succollante voce deferunt, animisque imprimunt.

21. Cavendum tamen, solertique curâ providendum est, ne affectus hujusmodi accersiti, ac intrusi videantur, seu ne appareant nimis artificiosi, ac studiosè excitati in Oratore, tunc enim, quia detecti, efficaciam exuunt, nec suum ut plurimum sortiuntur effectum; parinde ac hostium subterranei cuniculi semel detecti, aut aluduntur, aut excluduntur, aut minus habent virium; cavenda omnis affectationis suspicio est in animis flectendis, affectibúsque ciendis; affectatio fidem amittit, & cui non credimus, si doleat, aut irascatur, neutiquam cum ipso dolemus, nec irascimur: fucati in Oratore affectus umbratilem tantùm possunt verborum pugnam instruere, non verò supremam humanæ mentis arcem expugnare: ad affectus ciendos latanter ast parmotio elicienda, & nunquam aperto marte pugnandum: nec id vitio vertitur pugnanti Eloquentiæ; sicut dimicanti Bellonæ esset dedecori. Adaptanda sunt affectibus verba, sed propria, non absoleta; inferendæ sententiæ, sed consentientes, non violenter intrusæ; adjicienda lumina, sed quæ viam præsignent, non adstantes tantùm demulceant; otque omnia uno comprehendam verbo, comparanda ast motio, quæ naturaliter influere videatur, non violenter esse intrusa; hinc falluntur, qui cum affectus feliciter ciere inceperint, rem benè inchoatam, vel congestis corrumpunt eruditionibus, vel coacervatis infringunt acuminibus, quibus Auditores in alia distrahuntur ciendis affectibus haud idonea; vel detinentur in rerum nimis subtilium perceptione, quâ affectus vix natus, interitum nactus suum in ortu occasum subit: quò enim magis investigatione defatigatur intellectus, eò plus in appetitu minuitur permotio, affectuúmque excitatio.

22. Argumenta itidem ciendis affectibus selecta, non sont seriatim disponenda, nec per verborum circuitua protrahenda; sed neglecto quodam ordine, quasi confusè proponi debent, non secus ac in pugnis exploduntur tormenta; hac ratione videntur à natura obstetricante ingenii calore potiùs prodire, quàm Rhetorices artificio comparsta mentes pervadera Auditorum. Artificiosa hac confusione, & solerti studio quæsitâ negligentiâ usus feliciter fuit Seneca Tragœdus, qui in ciendis affectibus præ cæteris eminuit, ita enim pingit Medeam, ut colores confusè videntur misceri, & argumenta perinde, ac ignes atris strumpentes è nubibus rectè, obliquè vagari: verba itidem cothurnata tragico inserviunt furori: stylus non ut regalis fluvius sedatè, sed incisus torrentis instar per saxa, pérque scabra viarum ita devolvitur, ut videatur, *Pontem indignatus Araxes*; plurimum hæc omnia adferunt Oratoribus subsidii ad ciendos affectus, flectendos animos, dummodo bene adaptentur, ac personis accommodantur movendis.

23. Habenda ratio est personis, quarum animos movere, ac flectera cupit Orator; ab earundem siquidem dispositione, propensione, ac habitudine totum ferè pendat negotii momentum. Sicut varia sunt hominum studia, ita dispares in iisdem ad plures affectus inclinationes: quidam siquidem ad iras, & odia proniores, difficulter ad miserationem flectuntur; alii insano flagrantes amore, ab objecto, cui intensiori adhærescunt affectu, haud facilè divelluntur; sunt alii adeo timidi, ac dejecti animo, ut vix in spem lautioris fortunæ erigi possint; alii ita audaces in rebus arduis aggrediendis, ut licèt iisdem objiciantur vitæ discrimina, quæ imminent, difficultates superatu veluti impossibiles, vix coërceri possint; alii quasi sensu destituti, gelúque corrapti, ita frigidi, ut ad amoris incentiva non plus moveantur, quàm caucasea juga altis insepulta nivibus. Adolescentes, & fœminæ, ut etiam viri boni, qui flexilem sunt naturam sortiti, faciliùs ad affectus flectuntur miserationis, & timoris. Viri austeri, quos Brontes, Steropésque Vulcani diceres in incude malleâsse, ac chalybe cudisse duriores, vix ad affectus impelluntur doloris, & misericordiæ; sicut qui perpetuis rigentes odiis, ad amorem nonnisi difficulter moventur: difficilior anim est transitus de extremo ad extremum, quàm de medio ad alterum extremum ob minorem spatii superandi intercapedinem.

Orator si demorsos sapit ungues, sedulâ discussione perpendat naturam, ingenium, propensiones, studia cujusque, & quæ visa fuerint aptiora, singulis adaptet; idque facili negotio præstabit; si noverit, quale sit hominum, apud quos agit, ingenium, quâ educatione à tenella ætate fuerint formati, quibus imbuti moribus, instructi amoribus, præoccupati persuasionibus, quâ sint ætate, quâ conditione, quo sexu, & præsertim quo loco, & tempore sint movendi; non enim loci, temporisque circumstantiæ semper Oratori favent ad illos ciendos affectus, ad quos cupit alios flectere: non enim olitor tunc flores legere in areolis speret, cum hyema tristis, immitis, aspera riget, & omnia in luctu jacent, & squalora; vel atro gelu concreta, vel delapsis nivibus insepulta; sed cùm vernis teporibus, exhilaratis auris cœlum, & tellus incipiunt mitescere: cùm arridet astrum Arietis, sydus propitium, beneficum, fœcundum, nascentibus rebus amicum: cùm sol altior metallorum principi similior, ac de Jovis fabula in sinum illabentis Danaë triumphans, aureas demittit radiorum pluvias, fœcundaturus Floram, daturus Pomonæ fructuum divitias: cùm fontes manant liquidiùs, & hybernis compedibus expediti largiùs amnes fluunt; & pellucidi rivulorum latices pratis flore collucentibus grato murmura adgratulantur; cum turgent gemmis arbores; detonsi nitent herbarum tori; & per virentes montes agni lasciviunt, & opiliones cum bubulcis inflant fistulas, & pastorale accinunt carmen. Ita Orator in ciendis affectibus tempus feligat opportunum, 24.

tunum, locúmque proprium, quo sublatis obicibus speret, fore, ut animos flectat. Contingunt plerumque temporis, locique circumstantiæ, quibus beneficio repentini alicujus jam commoti animi magis flexiles, proniqua sint ad eos affectus; ad quos artis, & eloquentiæ subsidiis accedentibus facili negotio impelluntur. Ubi autem animi ad quosdam affectus ex inolita consuetudine obduruerunt; difficiliùs tunc est, eos in oppositas flectere partes, seu contrarios in iisdem affectus ciere; tunc enim insistendum est rationibus, colluctandum argumentis, instandum suasionibus, dextro, sinistro Marte pugnandum; donec pervicacia expugnetur, obstacula superentur.

25. Cùm omnes homines quoad animi affectiones, propensiones, ac studia non simplicis, ac uniformis sint naturæ, sed in propemodum innumeras distrahantur varietates ob variarum affectionum turbam, à qua in diversa trahuntur; ideo vitæ præ cæteris consuetudo, quæ in alteram solet naturam abire, perpendenda est; quia hæc plurimum obtinet virium ad affectus, vel suscipiendos, vel rejiciendos, arduum enim opus semper fuit inveteratas evellere in animo consuetudines, quæ temporis diuturnitate cæteris altiores egerunt radices; sicut è converso facile est, homines ad ea, blandâ suasione flectere, quibus ab ineunte ætate assueverunt. Rusticos laboribus innutritos, agrísque excolendis assuetos ægrè Orator ad otia pertraheret Musarum blandæ suasionis illicio; sicut è converso aulæ otio immarcescentes ad rurales subeundos labores: ad hos igitur flectendos eò firmiùs vi argumentorum est insistendum, quò expugnatu sunt difficiliores; hæcque ratio est, cur senio confecti difficiliùs flectantur, quàm adolescentes; magisque obluctentur rationibus, haud facilè sinentes se suaderi; quia in iisdem inolita consuetudo plurimum ex temporis diuturnitate obtinuit roboris, quò difficiliùs flectuntur: analogiam exhibent plantæ; tenellum ramusculum recèns insitum facile divelles; sed annosam quercum vix toto conatu flectes.

26. Perpendenda itidem est corporis constitutio; siquidem corpore qui vigent, ac probâ gaudent valetudine proni sunt ad quosdam affectus; quos imbecilles, & ægroti potiùs aversantur; quidam etiam certis temporibus sentiunt se turbari, & minus capaces sunt, ut suasionibus flectantur, cùm aliàs sint naturâ flexiles. Viri aulæ assueti, & alii litterarum dediti studiis, chartisque jugiter impallescentes vix tenellis, ac mollibus affectibus moventur; si enim Causidicus in pleno senatorum consessu ad sui clientuli promovendam causam, eos id temporis flebiles misceret affectus, quos adhibuit olim Cicero in Miloniana apud populum; risum faciliùs moveret, quàm lacrymas excitaret: apud doctos, & politicos adhibendi sunt affectus pleni acrimoniâ, vividóque dolore. Apud viros agrestes, naturâ rudes, ingenio feros totis lateribus, nisúque toto, ac voce pleniori insistendum est, non verborum lenociniis, sed minis acrioribus, & potioribus argumentis eorundem captui accommodatis.

## §. IV.

### *De Affectibus Ethicis, & Patheticis, Eorundémque ciendorum, ac remittendorum ratione, in quovis orationis genere.*

27. Consueverunt Rhetorices addicti studiis unà cum Aristotele affectus bipartiri in Ethicos, & Patheticos: illi sunt lenes, blandi, comes, jucundi; hi vehementiores, incitatiores, acriores; illi molliter animum titillant; isti turbatè percellunt; illi pellucidi veluti fontium latices leniter per florulentos pratorum sinus decurrentes, ac tenella irrorantes vireta, se in intimos animi recessus insinuant, & suaviter influunt; isti torrentis instar erumpentes percullum obruunt animum; & appetitum antea fluctuantem evertunt.

28. Ad ciendos affectus lenes adhibenda est oratio mollis, sonora, succulenta, quæ cùm habeat animum titillandi, & appetitum movendi, sermo debet esse numerosus, floridus, varius; eloquentia plena, arguta, jucunda, luminibus nitens, floribus stipata, elegantiis ornata, salibus aspersa, leporibus moderatè joculosa; ne Orator in scurrilem videatur dicacitatem degenerare. Permittuntur Oratori in Ethicis affectibus ciendis ridiculi quædam, non tamen quibus comicorum instar abutatur: cùm prona ex se natura sit ad risus, & delectationes, perparcè sunt ridicula adhibenda, ne gravitatem lædant Oratoris, nec in hoc genere pluribus indigent homines stimulis, proniores ad risum, quàm luctum. Ut autem lepores non sint scurriles, & simul sale aliquo condiantur, quò risum, ac lætitiam excitent, debent gravitate aliqua temperari, cujusmodi fuit lepos Leonis Byzantii Sophistæ nobilioris notæ: hic ut refert Philostratus plus uno venustæ dictionis lepore valuit apud Philippum Regem, quàm Demosthenes apud Athenienses prolixa, & culta oratione; quod enim hic longo verborum circuitu non potuit consequi, unico obtinuit Leo urbanitatis sale. Philippo siquidem contra Byzantium ingenti bellorum apparatu, plenóque exercitu properanti, festivus, ac jucundus Leo ab urbe egressus obviavit, & salutem, cum fuisset Regi precatus, subdidit: Dic, age Philippe, quæ te causa trahit oppugnatum nostra mœnia? Tum Rex hilari fronte, Amor respondit tuæ patriæ, quâ ut potiar, veni: At Leo subridens ait, non apparatu bellico, non instructo exercitu, non tubarum clangore, sed instrumentis musicis amantibus opus est; subrisit Rex audito lepore, & ab urbis oppugnatione abstinuit.

29. Blandæ dictionis venustates, ac lepores dummodo Auditorum genio, ac sensui accommodentur plurimum obtinent roboris ad demulcenda pectora, flectendos animos, ciendósque

quæ affectus Ethicos, & lenes, voluptatis præsertim, & lætitiæ, quibus libentius homines perfunduntur. Ad hos, aliósque lenes affectus fusiori oratione blandè excitandos prodesunt descriptiones per hypotyposes, partium enumerationem, quibus res non tam blandæ ornatu elocutionis, quàm suis vestitæ nativis coloribus videantur sub sensus cadere. Figuræ itidem in hisce affectibus ciendis, ut etiam sententiæ si graves fuerint, rebúsque accommodatæ, ac blandè propositæ plurimum obtinent virium.

30. In ciendis affectibus doloris, & miserationis, res illæ sunt efficaciores, si proponantur, quæ sensibus sunt viciniores: cùm sint hujusmodi affectus permotiones sensuum; res iisdem proximiores multum habent roboris ad illos excitandos, non ita quæ minimè sub sensus cadunt, & abstrahunt à sensibilibus, quia sicut difficilius sunt captui; ita plus defatigant intellectum; & minus movent sensus, quorum affectus doloris, & miserationis sunt permotiones. Et quemadmodum sensus visus est cæterorum acerrimus; ita quæ oculis subjiciuntur fortiùs movent animum, quàm quæ per aures immittuntur: solent oculis objecta animos magis afficere, quàm quæ tantùm audiuntur, ut innuit Venusinus.

*Segniùs irritant animos demissa per aures;*

*Quàm quæ sunt oculis subjecta fidelibus.*

31. Hac ratione Gregorius IX. avocaturus Romanum populum à factione Friderici, cui visus fuerat adhæsisse; non argumentorum seriem congessit; non verborum adhibuit lenocinia; neque emendicatis ab arte Rhetorices usus fuit suasionibus: sed Principum Apostolorum Petri, & Pauli religiosis manibus deportans capita per vicos, & plateas, oculis lacrymarum imbre madidis, voce flebili, incessu concitato sacra pignora, pretiosissima lipsana, sanctissimas illas reliquias, quas flexo poplite, ac intensiore devotione venerari populus consueverat, commendavit, eniximque rogavit, ut vellet eas tueri, ac servarentur Romæ incolumes. Quid ni? mutatis statim animis, qui paulò antea rebellaverant, ac in Pontificem sævierant; contra Fridericum statim districtis gladiis pugnaverunt: tanta fuit sacrorum pignorum vis, cùm primùm oculis fuerunt Romani populi objecta, ut præconcepta in Pontificem odia extinxerint, & sincerioris amoris excitârint flammas.

32. Nec obstat, Quintilianum consilium irrisisse illius Oratoris, qui depictam tabulam statuit in imaginem rei, cujus atrocitate erat Judex commovendus; ait Fabius Quintilianus *lib. 6. Quæ enim est Autoris insania, qui mutam illam effigiem magis, quàm orationem pro se putet loquuturam:* nam id nullum fecessit negotium, quia Quintilianus tantùm monuit; quòd tametsi violentæ necis cruentata instrumenta; ut gladius sanguine recens effuso madidus, vestis multo cruore fœdè polluta, suppliciorum dira tormenta, cicatrices tenello corpori insculptæ, & inflicta ad necem vulnera nonnunquam Judicis animum inflexerint; nihilominus non esse id adhibendum, nisi eùm natura rei, de qua agitur, videtur exigere, ac circumstantiis congruere; non semper quæ foris oculis subjiciuntur, accommodata esse videntur affectibus ciendis, cujusmodi sunt, quæ picturis, ac hominum artificio comparantur; quia tunc plus habent affectationis, quàm roboris ad flectendos animos; quia quæ artificio comparantur, morum potiùs exiguur, quàm excitent; cum animus ad ea, quæ ficta manifestè cognoscit, sincero non moveatur affectu; sicut quæ fucata sunt, suspicionem ingerunt; ita neque plenam fidem extorquent, quâ animus iisdem adhærescat: viris eruditis, qui rationis tantùm pondere flectuntur, nec sinunt se colorum allici fuco; hujusmodi exhibita simulacra sunt potiùs risui; licèt rudis populus, qui mentis intelligentiâ parùm valet, plus imaginibus delectetur, quàm cultâ oratione; & faciliùs flectatur rei simulacro, quàm luculentâ ejus descriptione; proprium id minutæ est plebis, oculorum magis oblectamenta sectari, quàm aurium adhærere sonis; quibus è converso in viris eruditis, assuetisque chartis impallescere vehementer auditus percellitur, & animus inardescit, ac flectitur.

Mira sanè in sonis est vis ciendis affectibus, animisque flectendis idonea; vox enim blanda sensum demulcet, animúmque titillat, & occupat; id experiuntur, qui ad musices numeros aliquem flexili, gratáque voce audiunt canentem: nimirum imprimis voce inaffectata gravem, miniméque vacillantem glomerare gradum; mox artificii fugâ secare minutatim sonos, concidere modulos, ac canora veluti in puncta distinguere; pluribúsque momentis, ac minimis, maxima eorum tempora compensare; mox arguriolas modulorum, ac bellè ad numeros artis cadentes, veluti ultimas ejusdem appendices, & quosdam quasi cincinnulos fracto spiritu integrare; nunc ductam celerrimè vocem librare, ac veluti alarum remigio in altum evehere; nunc casu inopinato ad ima devolvere, & vocem velutì fessam sistere, nunc revocare, circumagere velutì turbinem, & utrinque versare, torno vibrare; mox retrorsum è medio cursu reprehendere, & improvisa demissione vocem introrsum flectere; ac surda titillatione protrahere, ac quasi mæstitiâ quadam temperare: has qui audiunt aurium voluptates, certè deliciis perfunduntur, sentiúntque animum dulcedine delinitum in varios ethicos colliquescere affectus; vel saltem in iisdem, ut loquitur Cassiodorus, Musices suavitas noxiam abigit mœstitiam; tristes dispellit spiritus, attenuat furores, sanat mentis tædium, jucundat pressi animi angores, & incorpoream animam solo demulcet auditu. 33. *Var. lib. 2.*

Quantâ

34. Quanta verò vis musicæ insit flectendis animis, ciendisque affectibus, liquet ex historia Erici II. Daniæ Regis, quam eleganter refert Saxo Grammaticus *lib. 1 2. Rerum Danicarum*: ejus producam verba. Apud Ericum cognomento bonum Daniæ regem, ait ipse, citharœdus quidam haud ignobilis, admirabiles, & propè stupendæ artis suæ commendabat effectus; maximè illud ipsum, quòd in humanos sensus, mentésque obtineret imperium: Rex verò novitate perculsus, qui neque tantam vim musicæ arbitraretur; continuò hominem artis specimen edere jubet; & torpentes animos ad furorem martium, si posset, accendere. Annuit ille, & ne qua nocendi ansa daretur, arma ex aula omnia efferri præcipit, custodésque in atrio collocari, quò furentes, si qui fortè in insaniam agerentur, coërcerent, ne ulli essent damno. Tum Citharœdus, quâ plurimum pollebat cantandi peritiâ; primùm quidem insuetatæ severitatis concentum edidit; quo stupore quodam, & mœrore, omnium quotquot aderant Auditorum mentes, cernebantur oppressæ: deinde adeo suaves, & mellitos cantus effudit, ut omnes jactatione corporis intemperantem proderent lætitiam. Tandem verò ubi acrioribus modulis intonare cœpit, continuò totis tectis fremere, tumultuari, arma, & gladios passim inclamare. Nec mora, accurrunt custodes, ut Regem cum aliis furentem contineant: sed ille effractis atrii foribus, arrepto ense in obvios promiscuè bacchari cœpit, ac sævire, & quatuor transfodit. Vix tandem pulvinarium, & lectulorum mole undique oppressus contineri potuit. Postquam menti restitutus est, relicto procuratore Regni filio, Hierosolymam expiandorum homicidiorum per pios cruciatus gratiâ profectus est, atque in Cypro defunctus. Hactenus prætactus Historicus, qui in Citharœdo artis suæ optimè conscio vim adumbravit eloquentiæ in ciendis affectibus, animisque flectendis. Da Oratorem artem ciendorum affectuum callentem; & hic non vi, non armis, non imperio, sed sola dicendi facultate, quâ sa penitus in animos insinuat mira dexteritate Auditores, in quam voluerit partem trahet, furentes irâ, lenitate mitigabit; otio torpentes, ad neglecta subeunda exercitia excitabit; mansuetudine quiescentes, in furorem aget; lenitate mitescentes, in iras accendet; confidentes, ac spei plenos repentino timore comprimet; indignatione succensos misericordiâ flectet; pacis oleâ quiescentes ad arma, ad bellum, ad castra, & cruentam pugnam perducet: si res fuerit difficultatibus impedita, pertinaci animo defensa, vel etiam nodo Gordio implicatior, hanc mira dexteritate orator expediet, & ad felicem exitum nemine reluctante parducet.

35. Ethici, seu lenes affectus exitantur in quovis dicendi genere, ut etiam Pathetici, seu acriores, si res postulaverit. In genere demonstrativo, ad quod pertinent omnes quæstiones, quarum finis est scientia, & cognitio veritatis rei, de qua agitur; ut an terra, & aqua sint figuræ sphæricæ, efficiántque globum unum terraqueum; an nativus ignis locus sit lunæ conterminus; cœli sint fluidi, an solodi, corruptioni obnoxii, vel ab omni periculo defectionis alieni: hæc, & alia id genus eatenus quæruntur, ut eorundem veritas nobis innotescat; Hoc genus demonstrativum quatenus sistit in sola scientia tanquam fine, ex natura sua exigit affectus leniores, cujusmodi sunt Amor, Gaudium, Benevolentia, Admiratio, Imitatio. Dicitur etiam genus hoc Exornativum, Encomiasticum, Panegyricum, eò quia orator in hoc genere quasi principaliùs agit de rerum substantiis, proprietatibus, accidentibus, sive nativis, sive alcititiis, actionibus, muneribus, inquiritque, num laude digna sint, vel vituperio; ad hunc finem, ut deprehensam rei veritatem oratione, vel encomiastica, vel vituperatoria manifestet Auditoribus; quò spectant Orationes Gratulatoriæ; Gratiarum actiones; Epinicia, quibus Principi è bello reduci gratulamur pro parta victoria, Orationes gratulatoriæ, quibus de adventu gaudemus; Genetliacæ, Nuptiales, Funebres, in quibus purus putus oratoris finis est rei excellentiam manifestare, ob quam gratulatur, vel laudat; vel suum præconceptum de morte dolorem ostendere in funebri oratione. Et quia in hoc genere exornativo Orator laudat, vel vituperat; in laudatione excitat affectus Amoris, Gaudii, Complacentiæ. Si vituperet, excitat affectus Aversionis, Fugæ, Odii.

Genus deliberativum complectens omnes quæstiones, tum in ordine ad scientiam; tum ad aliquid agendum, & orationes suasorias, dissuasorias, Monitorias, Dehortatorias, Consolatorias, Petitorias, Commendatitias, & alias id genus; adeo ut ejus finis sit, Auditorea pertrahere ad aliquid agendum; exigit affectus efficaciores, ac potentiores; etenim si Orator suadet ad finis assecutionem, necesse est, excitet amorem efficaciorem, desiderium vehementius, spem firmiorem, audaciam magis imperterritam: sin autem dissuadeat, debet è converso excitare vehemens odium, ingentem metum, desperationem, pudorem. 36.

Genus Judiciale quamvis complectatur quæstiones de materia judiciali, de legibus, testamentis, viribus, operibus bene, vel malè actis; de præmiis, ac pœnis, idque in foro, & coram Judice; quia tamen in hac materia plures occurrunt quæstiones simpliciter speculativæ in ordine ad solam scientiam; ut an is dicendus sit vim intulisse, qui solis minis alium ab exercitio suæ artis prohibuit. An Nero ob ea, quæ gessit, imperatoriâ dignitate dignus fuerit. Et aliæ practicæ in ordine ad aliquid agendum; ut an solis indiciis existimatus reus, sit torturæ subjiciendus. An tale patratum crimen sit morte mulctandum; ideo ob quæstiones speculativas, & practicas genus hoc judiciale dicitur mistum, quia par- 37.

tis prolixitatis: quamvis rosas, & lilia, adamantes, & uniones loquatur, si prolixiùs oratio processerit, tædium,non affectus excitabit, & cum fastidio discedent, qui cum fame venerant, ut contigit Libanio Sophistæ nitenti affectum vehementioris doloris ciere ob Daphnitici templi conflagrationem; cujus næniam exagitat D. Chrysostomus in oratione de S. Babyla Martyre. Describit Libanius in illa lugubri nænia, priùs corruptos fletu proprios,& Adstantium oculos, & dolet,quòd imposterum non sint ampliùs visuri amplam, & supra cæteras spectabilem civitatem. Deinde alloquens Apollinem Delphicum, miratur, quòd injuriâ lacessitus, externóque spoliatus ornatu patienter tulerit damnum; nec promeritas ob tantum scelus pœnas exegerit; Postea pleraque miscens puerilia in varias erumpit exclamationes, dirásque objurgationes contra manum injicientem flammas, & ignem sacrum absumentem delubrum; dein Vulcanum redarguit segnitie, quia cùm ignis sit arbiter, non fuerit flammis comminatus detrimentum afferentibus; præsertim quia beneficio devinctus Apollini ob indicium olim ab ipso sibi factum, non debuisset igne sacrilego ejus violare templum. Postea indignatur in Jovem, qui cum imbrium habenas teneat, aquarum cataclysmum ad extinguendas flammas non immiserit; & alia plura miscet puerilia, risui potiùs movendo, quàm commiserationi ciendæ idonea.

45. Affectus deficientes, qui & languidi dicuntur, ij sunt, qui ab oratoribus frigidis infra rei exigentiam excitantur, minimè calore, & vehementiâ respondentes argumento, rei que majestati: sunt enim qui in affectibus ciendis remissi sunt, ac languidi, multúmque detrahunt de rei majestate; eò quia in ipsis nullus vigor, nulla sit vivida, & florens oratio; sed quidquid loquuntur, humi repens,ac abjectum est, demissum, languidum, ut videantur potiùs otiari; quàm agere, & animum movere, seu supremam in homine arcem expugnare. Qui in imminenti vitæ discrimine nonnisi languidè, ac frigidè suppetias, opémque peteret, is procul dubio fingere potiùs crederetur, quàm quod imminet periculum manifestum facere; cum natura ipsa hisce in angustiis sua sponte satis prosiliat, nec ascititiis, & acrioribus indigeat stimulis: nam & ipsi, qui nunquam fuerunt castra sequuti, ut ab injusto se defendant aggressore, voce, vultu, & actione, ita se gerunt, acsi totum spirarent eorum præcordia Martem: Si orator ita frigidus fuerit, ut totis lateribus non possit indignari, nec irasci; censendus est, ciendis affectibus, animisque flectendis minus aptus.

46. Affectus præsertim pathetici, qui cæteris sunt acriores, ac vehementiores, deficiunt pariter, si Orator in iisdem ciendis inanes verborum immisceat delicias Adonidis hortis steriliores; si sensus habeat tenues, lusus minutos, digressiones ineptas, allusiones imbecilles, affectatas rerum descriptiunculas,luxuriantes figuras, verba undique ad ostentationem collecta, ac illecebras vanæ jucunditatis ad aures potiùs titillandas, quàm animos intus flectendos. Sunt etiam qui in affectibus ciendis, ut videantur elegantes ex libris vernacula lingua scriptis verba seligunt minus usitata, quæque captum populi fugiunt,& ac si in Erythreo fuissent pretiosiores expiscati uniones, inserunt orationi, quam onerant magis, quàm ornent. Alii phrases congerunt, & quasi rosas & anemonas ventilantes, putant odorem omnium naribus afflari perjocundum; qui tamen apud viros cordatos ita fœtent, ut Augeæ stabulum vix illis videatur impurius; quatenus excrementa congerunt neglecto vivido calore, ac orationis robore,quo affectus excitantur, & aptiùs animi flectuntur.

Deficiunt etiam affectus,si fuerint immoderatè,ac intempestivè excitati.Sunt ex concionatoribus præsertim, qui nescientes à sacro suggesto ad populum dicere, nisi incalescentes,furere potiùs,quàm concionari videntur,ac si thyrsiû agitarent Bacchantiū more,vel thyrso percussi insanirent;hi siquidem affectus intempestivos, prorsúsque vanos excitant, obi nihil opus est affectu; vel immoderatos, ubi nulla rei eos exigit necessitas. 47. Sunt etiam qui in animis flectendis, & affectibus ciendis verba seligunt tumida, absoleta, non omnibus obvia, quibus excellentiores nituntur æmulari oratores; cum potiùs illius sint ranæ imitatores, quæ in apologo cùm mirata fuisset bovis speciem, ac succulentam corporis habitudinem, & in ejus amorem tota illicò exarsisset, ac desiderâsset se bovi similem, adeo supra propriam intumuit conditionem, ut disrupto corpore egerit spiritum. Nil supra vires aggrediatur Orator in excitandis affectibus,verbis, ac sententiis utatur rebus dicendis,animísque flectendis accommodatis; absoleta & inusitata non adhibeat, ne hoc idem illi obtingat, quod Romæ Causidico cuidam, qui, ut refert Gellius cum apud urbis Præfectum, a liósque Auditores vellet affectum ciere commiserationis in quendam suum clientulum ex inopia panem esitantem furfureum, vinúmque potantem eructum, ac fœtidum, dixit, *Hic eques Romanus apludam edit, & floces bibit.* Adspexerunt omnes, qui aderant alius alium, primò tristiores turbato, ac requirente vultu quidnam illud utriusque verbi foret: Post inde quasi nescio quid Tuscè, aut Gallicè dixisset, universi riserunt. Legerat autem ille *apludam* veteres rusticos furmenti furfurem dixisse; idque à Planto in Comœdia (si tamen ea Plauti est) quæ *Astraba* inscribitur, positum esse. Item *floces* audierat prisca voce significare vini fœcem è vinaceis expressam; sicuti *fraces* ex oleis: idque apud Cæcilium in Polumenis legerat; eáque sibi duo verba ad orationum ornamenta servaverat:sed quia tunc temporis verba erant absolera, non usita; quæque captum fugiebant Adstantium, non commiserationis affectum in paupercu lum excitârunt, sed risum in Causidicum moverunt,

*Lib. 11. Noctium Atticarū cap. 7.*

verunt, qui cachinnis fuit exsibilatus ob verborum insolentiam. Lepidum est etiam, quod de alio refert idem Gellius, cum causam sui clientis differri postularet. *Rogo Prætor*, inquit, *subveni, succurre: quonam usque nos Bovinator hic demoratur?* Atque id voce magna ter, quatérque inclamavit *Bovinator est*. Commurmuratio fieri cœpta est à plerisque, qui aderant, quasi monstrum verbi admirantibus. At ille jactans, & gestiens; Non enim Lucilium, inquit, legistis, qui tergiversatorem *Bovinatorem* dicit? est enim in Lucilii undecimo versus hic:

*Est tricosus, bovinatorque ore improbus duro.*

verbis igitur absoletis, exculcatísque, seo antiquitate protriciis, jamque antiquatis; & insolentibus non utatur Orator in ciendis affectibus; quia hujusmodi verba utpote nimis horrida, captúmque fugientia, non sunt Auditoribus grata; ut est illud apud Tertullianum *Hyprobrychium irrespirabile* prò extremo periculo, in quo omnis ex malo emergendi spes adimitur.

48. Quia verò variis est homo affectibus obnoxius, quos Deus conditor eidem indidit, cum primùm illum effingeret; nec homo semper uno, eodémque tenetur affecto, sed in pluribus detinetur, cùm scitè dixerit Juvenalis *Satyr. 1.*

*Quidquid agunt homines, votum, timor, ira, voluptas,*

*Gaudia, discursus, nostri farrago libelli est.*

in id debet Orator incumbere studii, ut varios excitet affectus; siquidem delectationis mater est varietas, quam sicut natura rebus invexit; ita orator in promovendis affectibus adpromptiùs flectendos animos eidem debet studere; adeò ut modò tristitiam moderatè excitet, quæ leniter dilabatur; nunc tristitiam adblandiente lætitiâ deleat; modò acriorem cieat dolorem, quem postea subsequens voluptas emolliat. In hisce miscendis affectibus artificiosissimus fuit Seneca tragœdus: præsertim cùm describit Medæam de nece liberorum cogitantem; non in atriores statim erumpit affectus, sed varios præmittit motus minus incitatos, ad vehementiores sensim viam sternentes; mox pectoris, animique concitati ardor acriori præludit furori, & veluti classicum canens plenis motibus vehementissimos excitat affectus, induciéque Medæam furore percitam, ita loquentem:

*Medæa nunc sum, crevit ingenium malis.*

49. Nunc pudore perfusa, & confusa dissimulat, quod priùs cogitaverat; & aliud proponit, sed vix dissimile; postea sepositâ omni teneritudine in prolem, specioso prætextu habenas furori laxat.

——— *Quidquid ex illo tuum est*

*Creusa peperit: placuit hoc pæna genus,*

*Meritòque placuit ultimum magno scelus*

*Animo parandum est: liberi quondam mei,*

*Vos pro paternis sceleribus pœnas date.*

Audaciam furore commota excitavit; mox quasi ipsam pœniteat admissi furoris, verecundiam, metum, & misericordiam excitat, inquiens: 50.

*Cor pepulit horror, membra torpescunt gelu,*

*Pectúsque tremuit, ira discessit loco;*

*Materque tota conjuge expulsa redit.*

*Egóne ut meorum liberûm, ac prolis meæ*

*Fundam cruorem? meliùs: ah demens furor.*

Hoc in hisce affectibus ciendis observandum, ut nihil misceatur incongruum, nil adsciscatur intempestivè, hæc enim plerumque motus elidunt, & seria convertunt in risum, perinde ac cauda leonis appicta capiti: sunt singula singulis aptanda, ut omnia bene cohæreant. 51.

## §. VI.

### *Exhibentur quædam servanda ab Oratore in ciendis Affectibus.*

Plerumque ad flectendos animos plus obtinet roboris authoritas dicentis, quàm totum cultæ orationis artificium. Si optima de oratore opinio intimis inhæreat affixa Auditorum sensibus, promptiùs hi eidem obsequuntur dicenti & flectuntur suadenti. Plurimum valoit Chrysostomi eloquentiâ ad populos flectendos; sed viri authoritas animos priùs præoccupabat. Fuit enim in ferrea illa hominum ætate potior aurei generis pars, cujus vita perpetua fuit vitiorum censura, norma morum, probitatis exemplar, specimen virtutum, ac veræ sanctitatis imago. Hinc ejus vox juge fuit cælestis sapientiæ quasi Oraculum, quod per aures in animos dilabens populorum, eosdem in eam flectebat partem, quæ magis placeret. Authoritatem ei conciliârunt præclaræ animi, corporisque dotes, & præsertim incorrupta vitæ institutio, morúmque innocentia. Erat illi ingenium velox, anima virtutum omnium feracissima; pectus sapientiâ loricatum, mens præcelsa cœlestibus flammis jugiter accensa, quæ neque adversantium rerum asperitate torpesceret immutata; neque blanditiis delinita conniveret in sceleribus. Corpus illius fuit staturæ, ac majestatis, quæ tantæ mentis pondus commodè sustentaret. Vitæ institutum neque latum unguem à norma deflexit virtutis; ab incunabulis eum lacte vitæ suxit innocentiam, quam nullâ unquam labe fœdavit; adultior magnarum artium pellucidos ebibit fontes, & in sinu æquè pietatis, ac Musarum adolevit, ut aliquando posset hominibus prodesse. Licèt tolerantiâ ferreus, eloquentiâ fuit pene aureus, resplenduit in illo non ancillantis facundiæ puerile blandimentum ad aures titillandas natum; sed vis dicendi ineluctabilis, quam timerent improbi, 52.

ticipat de genere demonstrativo, & deliberativo. Cæterum ad hoc genus judiciale pertinent orationes Accusatoriæ; Defensoriæ; Objurgatoriæ, quibus reus ob admissum crimen ab amico objurgatur. Invectivæ, quibus ab inimico increpatur. Expostulatoriæ, quæ ingratitudinem produnt in benefactores; Purgatoriæ, quibus nostra, vel aliorum facta excusamus, & probamus citra ullam noxam fuisse. Deprecatoriæ, quæ erroris, ac criminis perpetrati veniam expostulant. In hoc genere Judiciali, quando sistitur in sola rei notitia, excitantur affectus ethici, seu leniores; secus si oratio ordinetur ad opus, cientur affectus pathetici, seu acriores, odii, pudoris, indignationis, iræ, desperationis de emendatione; idque quando Orator accusat, & damnat reum: si enim ipsum defenderit, tunc excitat affectus commiserationis, clementiæ, desiderii, spei.

38. Affectus Pathetici, quia acriores, plúsque vehementes Ethicis, stylum exigunt plenum succo, & efficaciâ; fulguribus, & coruscationibus micantem; adeò ut Orator fulmen videatur in lingua ferre, tonare voce, fulminare, ac omnia permiscere, terrorémque incutere Auditoribus, si necessitas id expostulaverit; ut si homines avertendi sint à vitiis; in quorum cœno misere volutantur; si à perpetrando delicto sit aliquis evocandus; tunc enim Attici lepores, argutiarum sales, sententiarum acumina, styli exculta lenitas; verborum emendicatus splendor vim omnem infringerent; & nervus Orationis corrueret: in verbis robur non fucus requiritur; & in sententiis energia, non splendor. Stylus itidem debet esse concisior, ac pressior, verborum enim ambages, & circuitus affectus potiùs extingunt, quam foveant.

39. Imitetur Orator in hisce affectibus ciendis Periclem, qui unà cum Jove tonare, ac fulmina jacere videtur, & cui cœlestis cognomen admirabilis eloquentia fecit; Demosthenem, qui eloquentiæ efficaciâ impetum in animos nactus virorum, in quam ipse voluit partem flectebat; Tullium in Catilinam, in Verrem, in Antoninm, in Vatininm, contra qnos debacchatus acriores excitavit affectus. Plurimum prodest patheticis imbui affectibus; quos viri eloquentia insignes excitârunt; quia sicut qui Isomacho studuerit (ait Clemens Alexandrinus) fiet agricola; qui Lampridio, nauclerus; qui Charidemo, Imperator; qui Simoni, eques; qui Crobylo coquus; qui Perdicei, caupo; qui Archelao saltator; Homero, Poëta; Pyrrhoni, vitilitigator, obtrectator, sycophanta; Demostheni, Orator; Chrysippo, Dialecticus; Aristoteli, Physicus; ac demum Platoni Philosophus: ita si quis assuescat legendis Oratoribus patheticis, & ipse patheticus fiet. Legat quis Senecam Tragœdum, qui in ciendis affectibus patheticis, mirabilis fuit: Medeam evolvat insanientem, ac ferocientem, & ipse cum Medea sentiet se ferocire: legat furore, irâ, indignatione percitum Herculem; & ipse cùm Hercule indignabitur.

40. Remissionem quod attinet affectunm; qnemadmodum amaritudo, quæ dulcedini reconciliari detrectat, obsoniorum extinguit irritamenta; & cæcutientes luridæ noctis cimmerias, sno ad nostrum hemisphœrium appulsu nascenti soli obstetricans Aurora abigit, fugátque; ac venostatis decorem superveniens deformitas radicitùs delet; & ab eadem sede frigus calorem pellit, cum quo amicum renuit fœdus inire: ita qui ab Oratore fuerint concitati affectus, oppositorum accessione deleantur, extinguuntur. Ut præconceptum timorem Orator remittat, vel obliteret, in id debet incumbere studii, ut priùs ostendat, timorem illum nullo inniti fundamento; sed ex sola arte fuisse futilibus, fucatisque accitum rationibus; detecta enim arte, ac vafritie quod priùs timorem incusserat, mox habetur contemptui; unde ostendendum est, timore correptum vanis agitari umbris, ac panico tantùm moveri terriculamento; ubi enim qui fuerat timore perculsus id intelligit, suos incipit affectus irridere, ac fraudulentum aversari deceptorem. Quòd si fortè timens aliquot produxerit sui præconcepti timoris argumenta; sunt hæc tacitè, vel apertè minuenda, expugnanda, solóque æquanda; & si tenaciùs insidens animo colluctetur affectus; aliò sunt mentis cogitationes deducendæ, animúsque ad ex diametro oppositam audaciam excitandus; cùm ambo affectus contrarii sint, alterius alter jugum excutit, nec sinit cum ipso in eadem morari sede, colliduntur veluti fluctus in ventorum impetu concitato pelago, & alius alium frangit; hinc si Orator in cienda audacia totis lateribus institerit, necesse est, timor, qui tenaciùs animo insederat, penitùs abigatur. Hoc artis subsidio cæteri erunt affectus obliterandi; furor enim lenitate mitescit; confidentia timore comprimitur; indignatio misericordiâ flectitor; invidia æmulatione diluitur; ira despicientiâ retardatur; odium amore, ac reverentiâ intepescit; lætitia mœrore opprimitor; desiderium fugâ evanescit.

## §. V.

### *De excessu, & defectu in ciendis affectibus declinando, & varietate promovenda.*

41. EA est cujusvis affectus natura, ut cùm primùm moderatè, summisque, ut aiunt, labiis delibantur, delectationem ingerant; cum verò pleno ore deglutiuntur, stomachum aggravent, ac nauseam moveant: id vertitur vitio rei cuique interitui obnoxiæ, quia licèt eximiè sit pulchra, & singulariter jucunda, si ad summum venerit, facilè deflorescit; & temporis diuturnitate in contemptum defluit; Desiderio ruralis secessûs tenebatur quidam ex aula Principis mihi notus Administer, ratus à tumultu cogi-

cogitationum liber, graviſque negotiorum pondere, quo premebatur, ſepoſito, beatam poſſe, ac prorſus felicem vitam beneficio ſolitudinis inſtituere. Principis miniſterio, aulæque officiis ſe abdicavit, ruralémque adivit ſolitudinem. Erat illi bonis, ac divitiis affluenti rus ſuburbanum ubertate fontium irriguum, ſoli cœlique amœnitate lætum; arborum proceritate opacatum, plantarum varietate, ad plenas Pomonæ divitias conſitum; illic convalles vitebantur vinetis, hortiſque excultæ; & in collium radicibus uberrima paſtu prata. Illuc cum primùm appulit, ſibi viſa ſunt elementa mutâſſe faciem, & totas vires ſuas in illo ſeceſſu blandiùs effundere, videbatur ſibi ſol clarioribus nitere fulgoribus; aër lætiùs ridere, blandiúſque arridere; fontium admurmurantes latices ſibi gratulari adventum: delectabatur loci proſpectu, qui hîc in planitiem effusè exporrigitur; illic in colles vinetis veſtitos, placidè aſſurgit; alibi deprimitur in valles, herbis ſponte natis luxuriantes: cui non fuiſſet oblectamento tam varius, támque elegans proſpectus ruralis ſeceſſûs? Quid ni biennio ibi commoratus cæpit loci delicias, quibus jam aſſueverat faſtidire; non ampliùs fuit delectatus certantium aviculatum ſylveſtri concentu: nec labentia rivulorum murmura, neque tremuli Zephyrorum ſuſurri, neque alia loci, naturæque ludicra fuêre ipſi oblectamento, ipſúmque abdicati miniſterii pœnituit.

42. Haud diſpari ratione excitati affectûs ratio, quæ in ſuis incunabulis plurimum obtinet roboris ad animum flectendum, ſuóſque motus blandè ciendos; ſi diu inhæſerit, animúmque pulſaverit, ſuâ deſtituitur efficaciâ, caditque viribus. Qoid inter jocantem ridentis Floræ ſobolem Roſâ lætiùs ad oculos demulcendos? quid ejus odora ſpecioſitate jucundiùs ad homines exhilarandos? Prodit è fœcundis parentis terræ viſceribus, quibus jactis altè radicibus adhæreſcit in ſalutarem aëris uſuram Roſarum genitrix planta, floruleutæ familiæ prolem expoſitura. Plures ex eodem caudice ſparguntur rami in virgulta ſcabro obducta cortice, ſentibúſque circumſepta; ne ad cuſtodiam florum Reginæ armati deeſſent ſatellites. Delicatiores inde, ac vireſcentes diffunduntur ſurculi, quorum internodia teretes obarmant ſpinæ. Folia inde prodeunt in oblongum rotunda, tactu aſpera, ſerrata per ambitum, diſcriminante medium nervo, venuliſque ab eodem fluentibus interſecta; ſurculorum faſtigio pediculus imminet, quo flos pubeſcens veluti faſciis innititur. Calix inde protuberat, qui primò concluſus, granoſo cortice, nondum lucis uſuræ abſolutum cohibet, fovétque fœtum; gliſcente verò, ac intumeſcente viridi involucro, naſcitur Roſa ex ſinu ejuſdem diſrupto, lacteo priùs candore perfuſa, mox purpuram induens, vireſcentiſque impatiens carceris, totam vernantium foliorum foras explicat pompam, & ad coronamentum operis crebra in orbem ſtaminum capillamenta ſparguntur, quæ florum Reginæ nobile videntur texere diadema; vel ut nos edoceant, eſſe coronâ donandos, qui ſpinis pro cultura virtutis non detrectant compulari. Quis non rapiatur amore in tam venuſtam, támque nobilem ſolis, ac terræ filiam? Quis non ardeat deſiderio hanc odoram floræ ſobolem ſummis legendi digitis mane cum nutricis Auroræ imbuta lacte floreſcit vegetior? quis non lætetur, ſi ad floridam juventam viderit Roſam adoleſcere? At ſi diutiùs ejuſdem quis delectetur conſortio, incipit diſplicere, quæ priùs fuerat illicium gaudii. Meridiano Roſa perfuſa jubare ſtatim langueſcit, venuſtatem exuit, odoram pompam ſeponit; & è viridi ſcena rubentium foliorum, ſubitâ rerum cataſtrophe in aculeos horreſcit ſpinarum, & acciſis foliis, quaſi membris, ſqualidum remanet floris cadaver. Sic contingit in affectibus; qui cùm primùm cientur, animum flectunt; motus excitant, quibus in eam Auditores trahuntur partem, quæ oratori magis placet; at ſi plus æquo animos titillent, ſi modum prudentiæ tranſiliant, Roſam imitantur, quæ ſi horis antelucanis ſpectata varios excitat affectus amoris, deſiderii, gaudii; ſub meridiem deſloreſcens deſpicitur, nec ampliùs ridens, quæ priùs arridebat, contemptui eſt potiùs, quàm oblectamento. Movendus eſt animus modico, ſed vegeti affectu; non rerum, ac verborum copia opprimendus. Etiam fercula licèt guſtu delicatiſſima cum primùm ſtomachum aggravant, non voluptatem, ſed faſtidium generant.

Cenſetur hâc rerum, verborúmque im- 43.
portunâ copiâ Ariſtides peccâſſe, apud Cauſſinum in illa monodia, quâ affectus doloris, & commiſerationis in collapſam, dirutámque Smyrnam ciere nitebatur: Poſt flebilem lamentationem, ac repræſentationem Smyrnæ everſæ, incipit veluti ab ovo, ut vulgò dicitur, rem ordiri, recenſens Theſeum urbis conditorem; commemorans Corybantum choros; natales, & educationes Deorum; Homeri ortum, certamina, trophæa, victorias; ſuburbia deſcribens, portus, baſes, campos, proſpectus, fontes, templa, theatra, forum; & reliqua urbis Ornamenta; quorum jactura licèt opportuna fuiſſet ad affectus ciendos; prolixa tamen, & importuna narratio eos vix natos enecavit, vix incenſos extinxit, aliò diſtrahens Auditorum animos, qui narrationis prolixitate defatigati, plus inde hauſerunt tædii, quàm doloris, & commiſerationis in everſam Smyrnam.

Corrumpitur cujuſvis quamvis gratiſſi- 44.
mæ harmoniæ ſuavitas, ſi accedat odioſa prolixitas. Muſices concentus licèt plurimum adferat auribus voluptatis, & animo illicii; ſi tamen ejuſdem prolixitas, moderationis limites, modúmque prudentiæ tranſiliat faſtidium parit, & tædium inducit, licèt priùs fuerit voluptati, & oblectamento. In affectibus ciendis Orator intra cancellos ſe contineat potiùs commendatæ brevitatis; quàm excedentis

ticipat de genere demonstrativo, & deliberativo. Cæterum ad hoc genus judiciale pertinent orationes Accusatoriæ; Defensoriæ; Objurgatoriæ, quibus reus ob admissum crimen ab amico objurgatur. Invectivæ, quibus ab inimico increpatur. Expostulatoriæ, quæ ingratitudinem produnt in benefactores; Purgatoriæ, quibus nostra, vel aliorum facta excusamus, & probamus citra ullam noxam fuisse. Deprecatoriæ, quæ erroris, ac criminis perpetrati veniam expostulant. In hoc genere Judiciali, quando sistitur in sola rei notitia, excitantur affectus ethici, seu leniores: secus si oratio ordinetur ad opus, cientur affectus pathetici, seu acriores, odii, pudoris, indignationis, iræ, desperationis de emendatione; idque quando Orator accusat, & damnat reum: si enim ipsum defenderit, tunc excitat affectus commiserationis, clementiæ, desiderii, spei.

38. Affectus Pathetici, quia acriores, plúsque vehementes Ethicis, stylum exigunt plenum succo, & efficaciâ; fulguribus, & coruscationibus micantem; adeò ut Orator fulmen videatur in lingua ferre, tonare voce, fulminare, ac omnia permiscere, terrorémque incutere Auditoribus, si necessitas id expostulaverit; ut si homines avertendi sint à vitiis; in quorum cœno misere volutantur; si à perpetrando delicto sit aliquis evocandus; tunc enim Attici lepores, argutiarum sales, sententiarum acumina, styli exculta lenitas; verborum emendicatus splendor vim omnem infringerent; & nervus Orationis corrueret: in verbis robur non fucus requiritur; & in sententiis energia, non splendor. Stylus itidem debet esse concisior, ac pressior, verborum enim ambages, & circuitus affectus potiùs extingunt, quam foveant.

39. Imitetur Orator in hisce affectibus ciendis Periclem, qui unà cum Jove tonare, ac fulmina jacere videtur, & cui cœlestis cognomen admirabilis eloquentia fecit; Demosthenem, qui eloquentiæ efficaciâ imperium in animos nactus virorum, in quam ipse voluit partem flectebat; Tullium in Catilinam, in Verrem, in Antonium, in Vatinium, contra quos debacchatus acriores excitavit affectus. Plurimum prodest patheticis imbui affectibus; quos viri eloquentia insignes excitârunt; quia sicut qui stomacho studuerit (ait Clemens Alexandrinus) fiet agricola; qui Lampridio, nauclerus; qui Charidemo, Imperator; qui Simoni, eques; qui Crobylo coquus; qui Perdici, caupo; qui Archelao saltator; Homero, Poëta; Pyrrhoni, vitilitigator, obtrectator, sycophanta; Demostheni, Orator; Chrysippo, Dialecticus; Aristoteli, Physicus; ac demum Platoni Philosophus: ita si quis assuescat legendis Oratoribus patheticis, & ipse patheticus fiet. Legat quis Senecam Tragædum, qui in ciendis affectibus patheticis, mirabilis fuit: Medeam evolvat insanientem, ac ferocientem, & ipse cum Medea sentiet se ferocire: legat furore, irâ, indignatione percitum Herculem; & ipse cùm Hercule indignabitur.

Remissionem quod attinet affectuum; quemadmodum amaritudo, quæ dulcedini reconciliari detrectat, obsoniorum extinguit irritamenta; & cæcutientes luridæ noctis cimmerias, suo ad nostrum hemisphœrium appulsu nascenti soli obstetricans Aurora abigit, fugátque; ac venustatis decorem superveniens deformitas radicitùs delet; & ab eadem sede frigus calorem pellit, cum quo amicum renuit fœdus inire: ita qui ab Oratore fuerint concitati affectus, oppositorum accessione delentur, extinguuntur. Ut præconceptum timorem Orator remittat, vel obliteret, in id debet incumbere studii, ut priùs ostendat, timorem illum nullo inniti fundamento; sed ex sola arte fuisse futilibus, fucatísque accitum rationibus; detectâ enim arte, ac vafritie quod priùs timorem incusserat, mox habetur contemptui; unde ostendendum est, timore correptum vanis agitari umbris, ac panico tantùm moveri terriculamento; ubi enim qui fuerat timore percussus id intelligit, suos incipit affectus irridere, ac fraudulentum aversari deceptorem. Quòd si fortè timens aliquot produxerit sui præconcepti timoris argumenta; sunt hæc tacitè, vel apertè minuenda, expugnanda, solóque æquanda; & si tenaciùs insidens animo colluctetur affectus; aliò sunt mentis cogitationes deducendæ, animúsque ad ex diametro oppositam audaciam excitandus; cùm ambo affectus contrarii sint, alterius alter jugum excutit, nec finit cum ipso in eadem morari sede, colliduntur veluti fluctus in ventorum impetu concitato pelago, & alius alium frangit; hinc si Orator in cienda audacia totis lateribus institerit, necesse est, timor, qui tenaciùs animo insederat, penitùs abigatur. Hoc artis subsidio cæteri erunt affectus obliterandi; furor enim lenitate mitescit; confidentia timore comprimitur; indignatio misericordiâ flectitur; invidia æmulatione diluitur; ira despicientiâ retardatur; odium amore, ac reverentiâ intepescit; lætitia mœrore opprimitur; desiderium fugâ evanescit. 40.

## §. V.

### *De excessu, & defectu in ciendis affectibus declinando, & varietate promovenda.*

EA est cujusvis affectus natura, ut cùm primùm moderatè, summisque, ut aiunt, labiis delibantur, delectationem ingerant; cum verò pleno ore deglutiuntur, stomachum aggravent, ac nauseam moveant: id vertitur vitio rei cuique interitui obnoxiæ, quia licèt eximiè sit pulchra, & singulariter jucunda, si ad summum venerit, facilè deflorescit; & temporis diuturnitate in contemptum defluit; Desiderio ruralis secessûs tenebatur quidam ex aula Principis mihi notus Administer, ratus à tumultu cogi- 41.

cogitationum liber, gravíque negotiorum pondere, quo premebatur, seposito, beatam posse, ac prorsus felicem vitam beneficio solitudinis instituere. Principis ministerio, aulæque officiis se abdicavit, ruralémque adivit solitudinem. Erat illi bonis, ac divitiis affluenti rus suburbanum ubertate fontium irriguum, soli cœlique amœnitate lætum; arborum proceritate opacatum, plantarum varietate, ad plenas Pomonæ divitias consitum; illic convalles videbantur vinetis, hortísque excultæ; & in collium radicibus uberrima pastu prata. Illuc cum primùm appulit, sibi visa sunt elementa mutâsse faciem, & totas vires suas in illo secessu blandiùs effundere, videbatur sibi sol clarioribus nitere fulgoribus; aër lætiùs ridere, blandiúsque arridere; fontium admurmurantes latices sibi gratulari adventum: delectabatur loci prospectu, qui hîc in planitiem effusè exporrigitur; illic in colles vinetis vestitos, placidè assurgit; alibi deprimitur in valles, herbis sponte natis luxuriantes: cui non fuisset oblectamento tam varius, támque elegans prospectus ruralis secessûs? Quid ni biennio ibi commoratus cæpit loci delicias, quibus jam assueverat fastidire; non ampliùs fuit delectatus certantium avicularum sylvestri concentu: nec labentia rivulorum murmura, neque tremuli Zephyrorum susurri, neque alia loci, naturæque ludicra fuêre ipsi oblectamento, ipsúmque abdicati ministerii pœnituit.

42. Haud dispari ratione excitati affectûs ratio, quæ in suis incunabulis plurimum obtinet roboris ad animum flectendum, suósque motus blandè ciendos; si diu inhæserit, animúmque pulsaverit, suâ destituitur efficaciâ, cadítque viribus. Quid inter jocantem ridentis Floræ sobolem Rosâ lætiùs ad oculos demulcendos? quid ejus odora speciositate jucundiùs ad homines exhilarandos? Prodit è fœcundis parentis terræ visceribus, quibus jactis altè radicibus adhærescit in salutarem aëris usuram Rosarum genitrix planta, floruleutæ familiæ prolem expositura. Plures ex eodem caudice sparguntur rami in virgulta scabro obducta cortice, sentibúsque circumsepta; ne ad custodiam florum Reginæ armati deessent satellites. Delicatiores inde, ac virescentes diffunduntur surculi, quorum internodia teretes obarmant spinæ. Folia inde prodeunt in oblongum rotunda, tactu aspera, serrata per ambitum, discriminante medium nervo, venulísque ab eodem fluentibus intersecta; surculorum fastigio pediculus imminet, quo flos pubescens veluti fasciis innititur. Calix inde protuberat, qui primò conclusus, granoso cortice, nondum lucis usuræ absolutum cohibet, fovétque fœtum; gliscente verò, ac intumescente viridi involucro, nascitur Rosa ex sinu ejusdem disrupto, lacteo priùs candore perfusa, mox purpuram induens, virescentisque impatiens carceris, totam vernantium foliorum foras explicat pompam, & ad coronamentum operis crebra in orbem staminum capillamenta sparguntur, quæ florum Reginæ nobile videntur texere diadema; vel ut nos edoceant, esse coronâ donandos, qui spinis pro cultura virtutis non detrectant compulari. Quis non rapiatur amore in tam venustam, támque nobilem solis, ac terræ filiam? Quis non ardeat desiderio hanc odoram floræ sobolem summis legendi digitis mane cum nutricis Auroræ imbuta lacte florescit vegetior? quis non lætetur, si ad floridam juventam viderit Rosam adolescere? At si diutiùs ejusdem quis delectetur consortio, incipit displicere, quæ priùs fuerat illicium gaudii. Meridiano Rosa perfusa jubare statim languescit, venustatem exuit, odoram pompam seponit; & è viridi scena rubentium foliorum, subitâ rerum catastrophe in aculeos horrescit spinarum, & accisis foliis, quasi membris, squalidum remanet floris cadaver. Sic contingit in affectibus; qui cùm primùm cientur, animum flectunt; motus excitant, quibus in eam Auditores trahuntur partem, quæ oratori magis placet; at si plus æquo animos titillent, si modum prudentiæ transiliant, Rosam imitantur, quæ si horis antelucanis spectata varios excitat affectus amoris, desiderii, gaudii; sub meridiem deflorescens despicitur, nec ampliùs ridens, quæ priùs arridebat, contemptui est potiùs, quàm oblectamento. Movendus est animus modico, sed vegeti affectu; non rerum, ac verborum copia opprimendus. Etiam fercula licèt gustu delicatissima cum primùm stomachum aggravant, non voluptatem, sed fastidium generant.

Censetur hâc rerum, verborúmque importunâ copiâ Aristides peccâsse, apud Caussinum in illa monodia, quâ affectus doloris, & commiserationis in collapsam, dirutámque Smyrnam ciere nitebatur. Post flebilem lamentationem, ac repræsentationem Smyrnæ eversæ, incipit veluti ab ovo, ut vulgò dicitur, rem ordiri, recensens Theseum urbis conditorem; commemorans Corybantum choros; natales, & educationes Deorum; Homeri ortum, certamina, trophæa, victorias; suburbia describens, portus, bases, campos, prospectus, fontes, templa, theatra, forum; & reliqua urbis Ornamenta; quorum jactura licèt opportuna fuisset ad affectus ciendos; prolixa tamen, & importuna narratio e[illegible]s vix natos enecavit, vix incensos extinxit, aliò distrahens Auditorum animos, qui narrationis prolixitate defatigati, plus inde hauserunt tædii, quàm doloris, & commiserationis in eversam Smyrnam. 43.

Corrumpitur cujusvis quamvis gratissimæ harmoniæ suavitas, si accedat odiosa prolixitas. Musices concentus licèt plurimum adferat auribus voluptatis, & animo illicii; si tamen ejusdem prolixitas, moderationis limites, modúmque prudentiæ transiliat fastidium parit, & tædium inducit, licèt priùs fuerit voluptati, & oblectamento. In affectibus ciendis Orator intra cancellos se contineat potiùs commendatæ brevitatis; quàm exceden- 44.

tis

tis prolixitatis: quamvis rosas, & lilia, adamantes, & uniones loquatur, si prolixiùs oratio processerit, tædium,non affectus excitabit, & cum fastidio discedent, qui eum fame venerant, ut contigit Libanio Sophistæ nitenti affectum vehementioris doloris ciere ob Daphnitici templi conflagrationem; cujus næniam exagitat D. Chrysostomus in oratione de S. Babyla Martyre. Describit Libanius in illa lugubri nænia, priùs corruptos fletu proprios,&Adstantium oculos,& dolet,quòd imposterum non sint ampliùs visuri amplam, & supra cæteras spectabilem civitatem. Deinde alloquens Apollinem Delphicum,miratur, quòd injuriâ lacessitus, externóque spoliatus ornatu patienter tulerit damnum; nec promeritas ob tantum scelus pœnas exegerit. Postea pleraque miscens puerilia in varias erumpit exclamationes, dirásque objurgationes contra manum injicientem flammas, & ignem sacrum absumentem delubrum; dein Vulcanum redarguit segnitie, quia cùm ignis sit arbiter, non fuerit flammis comminatus detrimentum afferentibus; præsertim quia beneficio devinctus Apollini ob indicium olim ab ipso sibi factum, non debuisset igne sacrilego ejus violare templum. Postea indignatur in Jovem, qui cum imbrium habenas teneat, aquarum cataclysmum ad extinguendas flammas non immiserit; & alia plura miscet puerilia, risui potiùs movendo, quàm commiserationi ciendæ idonea.

45. Affectus deficientes, qui & languidi dicuntur, ij sunt, qui ab oratoribus frigidis infra rei exigentiam excitantur, minimè calore, & vehementiâ respondentes argumento, reique majestati: sunt enim qui in affectibus ciendis remissi sunt, ac languidi, multúmque detrahunt de rei majestate; eò quia in ipsis nullus vigor, nulla sit vivida, & florens oratio; sed quidquid loquuntur, humi repens,ac abjectum est, demissum, languidum, ut videantur potiùs otiari; quàm agere, & animum movere, seu supremam in homine arcem expugnare. Qui in imminenti vitæ discrimine nonnisi languidè, ac frigidè suppetias, opémque peteret, is procul dubio fingere potiùs crederetur, quàm quod imminet periculum manifestum facere; cum natura ipsa hisce in angustiis sua sponte satis prosiliat, nec ascititiis, & acrioribus indigeat stimulis; nam & ipsi, qui nunquam fuerunt castra sequuti, ut ab injusto se defendant aggressore, voce, vultu, & actione, ita se gerunt, acsi totum spirarent eorum præcordia Martem: Si orator ita frigidus fuerit, ut totis lateribus non possit indignari, nec irasci; censendus est, ciendis affectibus, animisque flectendis minus aptus.

46. Affectus præsertim pathetici, qui cæteris sunt acriores, ac vehementiores, deficiunt pariter, si Orator in iisdem ciendis inanes verborum immisceat delicias Adonidis hortis steriliores; si sensus habeat tenues, lusus minutos, digressiones ineptas, allusiones imbecilles, affectatas tetum descriptiunculas,luxuriantes figuras, verba undique ad ostentationem collecta, ac illecebras vanæ jucunditatis ad aures potiùs titillandas, quàm animos intus flectendos. Sunt etiam qui in affectibus ciendis, ut videantur elegantes ex libris vernacula lingua scriptis verba seligunt minus usitata, quæque captum populi fugiunt,& acsi in Erythreo fuissent pretiosiores expiscati uniones, inserunt orationi, quam onerant magis, quàm ornent. Alii phrases congerunt, & quasi rosas & anemonas ventilantes, putant odorem omnium naribus afflari perjucundum; qui tamen apud viros cordatos ita fœtent, ut Augeæ stabulum vix illis videatur impurius; quatenus excrementa congerunt neglecto vivido calore, ac orationis robore,quo affectus excitantur, & aptiùs animi flectuntur.

Deficiunt etiam affectus,si fuerint immoderatè,ac intempestivè excitati.Sunt ex concionatoribus præsertim, qui nescientes à sacro suggesto ad populum dicere, nisi incalescentes;furere potiùs,quàm concionari videntur,ac si thyrsô agitarent Bacchantiû more,vel thyrso percussi insanirent:hi siquidem affectus intempestivos, profúsque vanos excitant, ubi nihil opus ait affectu; vel immoderatos, ubi nulla rei eos exigit necessitas. Sunt etiam qui in animis flectendis, & affectibus ciendis verba seligunt tumida, absoleta, non omnibus obvia, quibus excellentiores nituntur æmulari oratores; cum potiùs illius sint ranæ imitatores, quæ in apologo cùm mirata fuisset bovis speciem, ac succulentam corporis habitudinem,& in ejus amorem tota illicò exarsisset, ac desideràsset se bovi similem, adeo supra propriam intumuit conditionem, ut disrupto corpore egerit spiritum. Nil supra vires aggrediatur Orator in excitandis affectibus,verbis, ac sententiis utatur rebus dicendis,animisque flectendis accommodatis; absoleta & inusitata non adhibeat, ne hoc idem illi obtingat, quod Romæ Causidico cuidam, qui, ut refert Gellius cum apud urbis Præfectum, aliósque Auditores vellet affectum ciere commiserationis in quendam suum elientulum ex inopia panem esitantem furfureum, vinúmque potantem eructum, ac fœtidum, dixit, *Hic eques Romanus apludam edit, & floces bibit.* Adspexerunt omnes, qui aderant alius alium, primò tristiores turbato, ac requirente vultu quidnam illud utriusque verbi foret: Post inde quasi nescio quid Tuscè, aut Gallicè dixisset, universi riserunt. Legerat autem ille *apludam* veteres rusticos furmenti furfurem dixisse; idque à Planto in Comœdia (si tamen ea Plauti est) quæ *Astraba* inscribitur, positum esse. Itam *floces* audierat prisca voce significare vini fœcem è vinaceis expressam; sicuti *fraces* ex oleis: idque apud Cæcilium in Polumenis legerat; eaque sibi duo verba ad orationum ornamenta servaverat:sed quia tunc temporis verba erant absoleta, non usita; quæque captum fugiebant Adstantium, non commiserationis affectum in paupercu- lum excitàrunt, sed risum in Causidicum moverunt,

47. (margin, beside "Deficiunt etiam affectus")

*Lib. 11. Noctium Atticarũ cap. 7.*

verunt, qui cachinnis fuit exsibilatus ob verborum insolentiam. Lepidum est etiam, quod de alio refert idem Gellius, eum causam sui clientis differri postularet. *Rogo Prætor*, inquit, *subveni, succurre: quonam usque nos* Bovinator *hic demoratur?* Atque id voce magna ter, quaterque inclamavit *Bovinator est.* Commurmuratio fieri cœpta est à plerisque, qui aderant, quasi monstrum verbi admirantibus. At ille jactans, & gestiens; Non enim Lucilium, inquit, legistis, qui tergiversatorem *Bovinatorem* dicit? est enim in Lucilii undecimo versus hic:

*Est tricosus, bovinatorque ore improbus duro.*

Verbis igitur absoletis, exculcatisque, seu antiquitate protritis, jamque antiquatis; & insolentibus non utatur Orator in ciendis affectibus; quia hujusmodi verba utpote nimis horrida, captúmque fugientia, non sunt Auditoribus grata; ut est illud apud Tertullianum *Hyprobrychium irrespirabile* pro extremo periculo, in quo omnis ex malo emergendi spes adimitur.

48. Quia verò variis est homo affectibus obnoxius, quos Deus conditor eidem indidit, cum primùm illum effingeret; nec homo semper uno, eodémque tenetur affectu, sed in pluribus detinetur, cùm scitè dixerit Juvenalis *Satyr. 1.*

*Quidquid agunt homines, votum, timor, ira, voluptas,*
*Gaudia, discursus, nostri farrago libelli est.*

in id debet Orator incumbere studii, ut varios exciter affectus; siquidem delectationis maxer est varietas, quam sicut natura rebus invexit; ita orator in promovendis affectibus ad promptiùs flectendos animos eidem debet studere; adeò ut modò tristitiam moderatè excitet, quæ leniter dilabatur; nunc tristitiam adblandiente lætitiâ deleat; modò acriorem cieat dolorem, quem postea subsequens voluptas emolliat. In hisce miscendis affectibus artificiosissimus fuit Seneca tragœdus: præsertim cùm describit Medæam de nece liberorum cogitantem; non in acriores statim erumpit affectus, sed varios præmittit motus minus incitatos, ad vehementiores sensim viam sternentes; mox pectoris, animíque concitati ardor acriori præludit furori, & veluti classicum canens plenis motibus vehementissimos excitat affectus, inducitque Medæam furore percitam, ita loquentem:

*Medæa nunc sum; crevit ingenium malis.*

49. Nunc pudore perfusa, & confusa dissimulat, quod priùs cogitaverat; & aliud proponit, sed vix dissimile; postea sepositâ omni teneritudine in prolem, specioso prætextu habenas furori laxat.

*———Quidquid ex illo tuum est*
*Creusa peperit: placuit hoc pœna genus,*
*Meritòque placuit ultimum magno scelus*
*Animo parandum est: liberi quondam mei,*
*Vos pro paternis sceleribus pœnas date.*

Audaciam furore commota excitavit; mox quasi ipsam pœniteat admissi furoris, verecundiam, metum, & misericordiam excitat, inquiens: 50.

*Cor pepulit horror, membra torpescunt gelu,*
*Pectúsque tremuit, ira discessit loco;*
*Materque tota conjuge expulsa redit.*
*Egóne ut meorum liberûm, ac prolis meæ*
*Fundam cruorem? meliùs: ah demens furor.*

Hoc in hisce affectibus ciendis observandum, ut nihil misceatur incongruum, nil adsciscatur intempestivè, hæc enim plerumque motus elidunt, & seria convertunt in risum, perinde ac cauda leonis appicta capiti: sunt singula singulis aptanda, ut omnia bene cohæreant. 51.

## §. VI.

### *Exhibentur quædam servanda ab Oratore in ciendis Affectibus.*

Plerumque ad flectendos animos plus obtinet roboris authoritas dicentis, quàm totum cultæ orationis artificium. Si optima de oratore opinio intimis inhæreat affixa Auditorum sensibus, promptiùs hi eidem obsequuntur dicenti & flectuntor suadenti. Plurimum valuit Chrysostomi eloquentia ad populos flectendos; sed viri authoritas animos priùs præoccupabat. Fuit enim is in ferrea illa hominum ætate potior aurei generis pars, cujus vita perpetua fuit vitiorum censura, norma morum, probitatis exemplar, specimen virtutum, ac veræ sanctitatis imago. Hincejus vox juge fuit cælestia sapientiæ quasi Oraculum, quod per aures in animos dilabens populorum, eosdem in eam flectebat partem, quæ magis placeret. Authoritatem ei conciliârunt præclaræ animi, corporisque dotes, & præsertim incorrupta vitæ institutio, morúmque innocentia. Erat illi ingenium velox, anima virtutum omnium feracissima; pectus sapientiâ loricatum, mens præcelsa cœlestibus flammis jugiter accensa, quæ neque adversantium rerum asperitate torpesceret immutata; neque blanditiis deliniita conniveret in sceleribus. Corpus illius fuit staturæ, ac majestatis, quæ tantæ mentis pondus commodè sustentaret. Vitæ institutum neque latum unguem à norma deflexit virtutis; ab incunabulis cum lacte vitæ suxit innocentiam, quam nullâ unquam labe fœdavit; adultior magnarum artium pellucidos ebibit fontes, & in sinu æquè pietatis, ac Musarum adolevit, ut aliquando posset hominibus prodesse. Licèt tolerantiâ ferreus, eloquentiâ fuit pene aureus, resplenduit in illo non ancillantis facundiæ puerile blandimentum ad aures titillandas natum; sed vis dicendi ineluctabilis, quam timerent improbi, 52.


vene-

venerarentur probi, formidarent etiam ipsi Imperatores, simúlque diligerent.

53. Hæc sunt, quæ oratori Ecclesiastico è sacro suggesto ad populum dicenti conciliant authoritatem, vitæ sanctitas, morum probitas, mens præcelsa, scientiarum imbuta fontibus, ac doctrinia farta, sanctioribus accensa flammis; corporis majestas, & religiosa compositio, quæ perinde ac speculum imaginem referat mentis; quòd si hisce præclaris tum animi, tum corporis dotibus accesserit, ille robur eloquentiæ, illa dicendi energia, ille persuadendi vigor, quo Orator vi quadam ineluctabili vitia prosternit; nulli dubium, quin flectendis animis, ciendísque affectibus futurus sit aptior; præsertim si virtutum culturâ efflorescat; si demissionis, patientiæ, charitatis innixus radicibus fructus det, quibus cælites delectantur, & homines non possunt non amare: plerumque plus habet virium in flectendis animis, ciendísque affectibus vitæ probitas, morúmque simplicitas, quàm cultæ eloquentiæ mendicata energia; cùm homines plus fidant operibus, quàm dictis; & fortiùs moveantur exemplo, quàm verbis. Memini, novisse Ecclesiasten exiguæ litteraturæ, & nullius in dicendo culturæ; cujus tamen probitatis opinio altè mentibus insederat Auditorum; siquidem pietate, & charitate in proximum erat insignis. Is nullo innixus eloquentiæ subsidio, nulla munitus dicendi arte opposuit se murum pro domo Dei, stetit in sacro suggesto, veluti in Ecclesiæ propugnaculis, non coronatus floribus, non mollis, nec delicatus, nec blanditiarum perfusus illecebris; sed rudi eloquio, forti tamen; pulverulentus; & sincera charitate inflammatus; mirum sanè dictu; tanta fuit ejus probitatis opinio; quæ veluti defectus supplens eloquentiæ, duriora corda verbis rudioribus, nullòque ordine digestis emolliret, ad resipiscendum flecteret, lacrymas eliceret; contra impietatem, contra vitia, contra torrentem rerum humanarum eluctatus, semper vicit, triumphavit, & spolia in cæleste præmisit capitolium; palmarum ipse fructus aucto fœnore lecturus.

54. Econverso id temporis in eadem urbe alius Ecclesiastes conciones ad populum habuit studio eloquentiæ cultas; viretis, ac floribus stipatas, leporibus aspersas, fucis venustas, consitas elegantiis, distinctas veneribus, variis tessellatas eruditionibus, expolitas periodorum tornatili structurâ; adeout ex diametro prætacto alteri opponeretur Ecclesiasti, cujus oratio rudis, austera, & plerumque horribilis fuit: sed ille durus, & asper ferrea corda disrupit; hic suavis, & amœnus aures titillavit: ille toto impetu irrumpens in animos, eos prostravit; hic sensim, & leviter irrepens nullos profligavit: ille vase fictili panaceæ succum propinavit; hic gemmeo poculo vanam dulcedinem extimis exhibuit labris: ille seccando, urendo sanavit; hic flores spargendo soporavit: etenim hic cùm declamationem potiùs, quàm concionem, melle illitam, nectare, & ambrosia fluentem, ac floribus aspersam recitâsset, magna ut erat linguæ volubilitate; gestûsque non inconcinnâ præditus gratiâ, videbatur placuisse: alii siquidem laudabant mellitos verborum globulos, quibus tota perpluebat oratio; alii cultam mulieris venustatem delicatissimis depictam, ac descriptam lineamentis, vivisque Rhetoricæ coloribus expressam commendârunt; eò quia in ejus descriptione, mixtæ apparuerint liliorum candore, rosarúmque tenui rubore genæ, nativum florum referentes splendorem; labra subtilia tenui distincta interstitio; supercilia fusca, purissima nigredine picta, & disparata inter se æquabili meditullio, nasus rectus, & adæquatus tenuitati labiorum; oculi amplitudine speciosi & flagrantes, & puro lumine suffusi, in quibus nigrum pupulæ lactei circuli vicino candore circumfusum, & ipsa colorum pugna temperiem excitarent venustatis, quæ sedes foret Gratiarum. Alii descriptam Lusciniam laudibus excipiebant, quasi audierint illam verno tempore canentem totis diebus, noctibúsque absque ulla intermissione, & tam ingeniosa modulatione, ut audiretur modò in longum continuo spiritu trahi; mox inopinâ quadam varietate flecti, nunc concissâ distingui; aut intorta copulari. Alii alia eleganti colore illustrata usque ad superiora sydera evehebant; sed præter adblandientes auribus voces nil Auditores ab hoc Oratore hauserunt, quô spiritus reficeretur, quô anima ad culturam virtutum alliceretur: nulla in ipso authoritas; nullus masculæ eloquentiæ vigor, sed tantùm dictiu verbis, non rebus redundans ad aures titillandas, non animum penetrandum, ac flectendum.

Præter authoritatem, mentémque oratoris inflammatam factu optimum erit, si Orator ante omnia aliquot seligat affectus, quos ciere velit; perinde ac aliquid certum sibi sumit, quod persuadeat. Hoc enim fundamentum est, quo nititur oratio; proinde hoc unum Oratori in publicum progressuro ingerendum; quid persuadere velit, & quos ciere affectus, & huc momenta rerum, & rationes huc causæ, & argumenta omnia sunt dirigenda. Plures Oratores sacrum conscendunt suggestum, omnia præclarè dicunt, ut plausum ferant, & verborum lenociniis laudes aucupentur; & fructum, quem capiant, prorsus negligunt; quia dictione non persuadent, nec animum movent, imò nec persuadere, nec movere intendunt; sed solis verborum illiciis auribus eblandiri: descriptiones habent plures; sermocinationes varias; digressiones amplas; sententias frequentes, verborum circuitus, amplificationum redundantias, periodorum exornationes; sed hæc omnia in id tendunt, ut Auditores demulceant, non moveant. 55.

Non excedat Orator prolixitate in affectibus ciendis, ne tædio sit; nec nimia brevitate proprio desit muneri; orationis exordium non multum protrahatur; sunt plerumque 56.

conci-

conciones, quæ longis prolusionibus Auditores priùs fatigant, quàm aggrediantur. Monstrosum est corpus, cujus caput dimidiam ejusdem corporis exæquat longitudinem: & illa concio monstrum sapit, cujus prolusio dimidium fere absumit temporis spatium. Auditores semel tædio affecti ex prolixitate prolusionis fiunt minus dispositi ad illos promendos affectus, quos nititur postea Orator ciere.

57. Inter concionandum non multum properet, nec verba præcipitet; sed tardè loquatur, & omnia probè pronunciet, exprimátque; ne populus in audiendo, & percipiendo ex intensiori attentione, quàm aliàs deberet adhibere, defatigetur; tarda in Concionatore, ac bene expressa locutio Auditores ad audiendum allicit, ac devincit; Rudes enim eruditam linguæ volubilitatem minimè assequuntur, nec doctiores amant verborum celeri tumultu obrui; sit Orator tardiloquus, si quæ profert, velit altiùs animis audientium infigi: quæ animo imprimuntur, affectus excitant, non quæ præcipitanter, & perfunctoriè audiuntur.

58. Ab omni itidem abhorreat affectatione; quicquid enim affectatum est, decori adversatur, & risum potiùs movet, quàm alios excitet affectus. Stylus non sit supra captum populi audientis: quæ non percipiuntur, ægrè audiuntur. Orator in ciendis affectibus in Auditorum animum se insinuet dictione à familiari colloquio haud aliena. Prudens Orator ad sensum, captúmque præsentium se se attemperat, ut blandiùs se in eorum insinuet animos, quos movere cupit, & flectere. Non tam vitii est non intelligi, quàm difficulter, & ægrè intelligi; in ciendis affectibus stylus adhibeatur captu facilis; usurpentur hypotyposes, prosopopœiæ, similitudines; hæc & alia id genus plurimum habent virium ad flectendos animos. Vox non sit unisona, sed varia rebus accommodata dicendis; non laudantur Concionatores unisoni, qui concionem eodem prorsus vocis sono, ac tenore, quo sunt exorsi, ad finem perducunt; molestissimum hoc obtingit Auditoribus; propterea minus idoneum ad excitandos affectus; quos Ecclesiastes, ut paulò superiùs innui, debet in se priùs excitare, ut eosdem aliis imprimat. Quæ verosimilia non sunt, excludantur in ciendis affectibus, quia cùm iisdem non præstetur fides, vim totam infringunt; hinc fabellæ, adulationes, auxeses, hyperbolicæ exaggerationes, inutiliùm narrationes è sacro exulent suggesto. Ex sacris paginis depromantur sententiæ, quibus oratio, seu concio nitatur; plus enim habet succi, plus efficaciæ unica sacræ scripturæ sententiola, quàm mille profanorum Authorum effata, quibus cum fides non præstetur inconcussa, exsucca sunt, ac infirma, ad animos movendos, ac flectendos. Hinc falluntur, qui neglectis, aut perparcè consultis sacris codicibus omne percurrunt scriptorum genus; & tunc autumant se venustissimè dixisse, cùm plura congesserint ab hisce decerpta Authoribus, quasi tunc favos sugant ex acerbitate improbi laboris adhibiti in libris hisce volvendis.

Orator in ciendis affectibus non alios, sed tantùm se ipsum imitetur; quia aliorum imitatio in voce, gestu, & actione semper est affectata, cum non fluat ab intrinsecis principiis concionatoris; pictura si fuerit originalis pluris fit, quàm alia picta similis eidem. Ecclesiastes igitur è suggesto dicturus ad populum se ipsum tantùm imitetur, seu peroret convenienter suæ naturæ; licèt in aliis artibus imitatio suadeatur; hic minimè probatur; in hoc dicendi genere non alio debemus prævio uti duce, quàm natura, cui proprium est aurigari, & ducere; propterea ut ipsa suggerit perorandum est; alioquin affectata erit dictio, fœda, & intolerabilis. 59.

Ut autem sæpius innui, & centies reor inculcandum, quos velit concionator affectus in aliis ciere, eosdem in se ipso priùs excitet; ut enim monet Horatius: *si vis me flere; dolendum est primum ipsi tibi*; quod concionatoris non movet animum, neque mentes cæterorum movebit: necessum est, hic priùs sibi persuadeat, quod ab aliis nititur extorquere: prægustandum est, intimisque percipiendum sensibus, quod aliis proponitur; efficaciùs aliorum infigitur animo, quod in nobis experimur plurimum habere virium: quæ nobis pro certo innotescunt absque hæsitatione eadem asseveramus, firmiúsque adstruimus, consequentèr altiùs cæteris imprimimus. Non modicum interiacet discrimen, mediúmque intervallum, eum inter, qui animi viribus haud obiter meditata vibrat; & illum, qui hinc, illincq; conquisita è memoria segniter, ac perfunctoriè pronuntiat. Præ cæteris nitatur Ecclesiastes, quod alios monet verbis, monstrare priùs exemplo; & factis propria dicta comprobare. Virtutibus ipse studeat, præsertim animi demissioni, ac humilitati; ut virtutes, quarum culturam aliis persuadet, in ipso videantur efflorere; & præsertim animi submissio in ejus debet spirare vultu ad religiosam modestiam composito. Orator turgidus, vel mimus est, aut tragædus, ad pompam facundus, & in plausum ambitiosus; eò siquidem omnia sua dirigit, ut laudem aucupetur, & nomen enancíscatur; quod est inanem autam pretium labori facere. 60. *De arte Poëtica.*

## §. VII.

### *De causis intrinsecis humanorum affectuum.*

Censuerunt Stoici, humanos affectus, & passiones males esse, & non cadere in virum sapientem ad virtutis normam compositum; & hac ratione aiunt, Socratem clarum Sapientiâ eodem semper observatum fuisse vultu, neque aut hilari magis, aut turbato. Peripatetici è converso asserverunt, humanos affectus quatenus imperio subjiciuntur 61.

untur rationis, cujus regulæ sunt uniformes, esse morali bonitate circumvestitos; quod inficiari nequit; quia si motus voluntatis est rectus; & eidem consentiat motus appetitûs circa finem, cùm à bona causa proficiscatur, & in objectum tendat rectæ consonum rationi; nequit motus ille moralem non induere bonitatem.

62. Bifariam humani possunt considerari affectus, quatenus præveniunt, ac præoccupant rationem, quam perturbant, ejúsque judicium obnubilant: & quatenus se habent consecutivè ad rationem, ejúsque judicium, à quo regulantur; licèt Tullius *lib. 3. de Tuscul. quæst.* humanos affectus in priori sensu vocaverit morbos animi; nemo tamen ibit inficias, motus appetitûs regulatos per rectam rationem, esse bonos, cùm moralis bonitas ab hac uniformitate cum recta ratione minimè sejungatur. Quia verò experimur, alios aliis procliviores esse ad quosdam affectus, inquirendum est, quænam sit causa intrinseca hujus propensionis: causæ intrinsecæ proclivitatis ad certos affectus sunt illa naturalia irritamenta, quibus aliqui faciliùs ad unum, quàm ad alium excitantur affectum.

63. Nulli dubium, quin pro ætatum varietate varii insint hominibus affectus; in juvenibus, & florente, ac vegeta ætate constitutis certi vigent affectus, quos senes vix sentiunt, ut notat Aristoteles. Perspicuum est etiam, ex hominibus ejusdem ætatis, quosdam esse paratiores ad iram; ut ad minimam sibi oblatam occasionem illicò effervescant, videantúrque excandescere; alios ad iram esse segniores, ac prope rigentes; pronos tamen ad timorem, quo jugiter concutiuntur habentes omnia suspecta, nihilque ducentes securum, semper dubii, semper ancipites. Sunt etiam qui neque irâ corripiuntur, neque timore abducuntur; & cæteris ad gaudium, & lætitiam sunt procliviores; ac perinde gaudio inhiant, ac auro avarus. Alii è converso perpetuo mœrore, jugique angore premuntur, & in tetrum hunc affectum naturæ propensione jugiter feruntur.

2. Rhetor. cap. 12.

64. Causam intrinsecam hujus proclivitatis ad tam varios, támque sibi adversantes affectus non putârim esse animam rationalem, cùm hæc in omnibus, ac singulis hominibus ejusdem sit speciei; & proprietates intrinsecæ minimè sejunguntur à natura, cujus sunt pedissequæ inseparabiles in quovis individuo; necessum siquidem foret, omnes homines æquè pronos esse ad eosdem affectus, quod experimento falsum deprehenditur. Et licèt plerique in ea detineantur opinione, quâ putant, animas ratione præditas differre in perfectionibus individualibus; hoc tamen discrimen nullum facessit negotium; quia tantùm pertinet ad perfectiones exercitium alicujus operationis elicibilis ab eadem anima. Causa verò intrinseca hujus propensionis est aliunde petenda: cum per ætatum varietatem, varientur itidem in hominibus hujusmodi proclivitates ad diversos affectus, ut paulò superiùs innuimus: & anima semper eadem sit usque ad ultimum senium.

65. Putârim igitur, præcipuam saltem intrinsecam causam hujus proclivitatis ad certos humanos affectus oriri ex diversitate temperamenti, quo alii sunt aliis ferventiores; alii aliis frigidiores. Experimur, nonnullos adeo rigentes, ut perpetuo videantur otio torpescere; & alios ita ferventes, ut ignem imitati, semper agant. Cum homines diversam sortiantur corporis temperiem, sive à primo ortu, siva ex ratione victûs; sive ex aëre, aut astrorum influxu, aliísque externis causis; & ratio victûs, qualitates aëris, astrorúmque influxus non semper sint iidem; consequens est; homines ex iisdem varia emancisci temperamenta; & cum ipsis varias propensiones ad hos, vel illos affectus: adeout sicut affectus jam concitatus variam excitat corporis temperiem: ita varia corporis temperies antecedenter constituit hominem proniorem ad hunc, val illum affectum, cui promptiùs adhæresc it; quâ ratione Seneca asserit, fervidi animi naturam opportunissimam esse ad iracundiam; producitque causam; quia cum elementa sint quatuor ignis, aqua, aër, terra, iisdem respondent in corpore humano frigida, fervida, arida, & humida complexio; adeout mixtura elementorum varietatem inducat corporum, ac morum. Sicut quædam regiones dicuntur humidæ, vel aridæ, aut calidæ, val frigidæ, prout unum ex quatuor elementis in iisdem prædominatur; ita ex hominibus, qui natura sont fervidi, proni sunt ad iram, quia ignis actuosus est. Quibus verò prævalet frigiditas pigri sunt, ac segnes, quia frigus activitatem prohibet.

Lib. 2. de ira cap. 18.

66. Hac ratione Gallenus in opusculo, quod inscripsit. *Quòd animi mores corporis temperamentum sequantur*: ostendit, pronitatem ad quosdam affectus oriri ex temperamento, cui mores accommodantur, quod verum est, salvo tamen per omnia libertatis jure; non enim à corporis temperamento contra hominis libertatem possunt animi mores extorqueri; cum sit homo sui juris, in ordine ad coërcendos motus appetitûs inferioris; & tametsi ratio nonnunquam ab iisdem præveniatur; nihilominus accedenta cognitiona potest homo semper eos coërcere, & eorundem continuationem prohibere. Quamobrem licèt corporis temperamentum juvet ad excitandos affectus; non tamen potest hominem ad eosdem adigere, ac compellere: est enim temperamentum veluti instrumentum, quod dependet ab arbitrio hominis, ut adhibeatur, nec; adeò ut sit sub libera hominis potestate coërcere motus appetitûs, & juxta regulas prudentiæ dirigere motus passionum, & affectuum.

67. Quòd si ad particularia velimus descendere, conveniunt omnes, sanguinem subtilem, & clarum in substantia, tamperatum tamen in qualitatibus, esse materiam spirituum splendidorum, & ex tali sanguine oriri proclivitatem

tem ad gaudium. Nomine autem splendoris in spiritibus abditis intra arterias, vel immissis sanguini, intelligitur puritas; seu defœcatus sanguis, semotâ omni fœculentiâ, & terrestreitate, quæ sanguinem assolet inficere. Hic igitur sanguis accedente temperie proportionata, seu nec præfervida, neque excedente in frigiditate, dicitur ingenerare propensionem ad gaudium, aliósque affectus consocios, ut ad amorem, hilaritatem, benevolentiam; adeo ut qui hoc sortiuntur temperamentum, sint naturaliter læti, amantes, pij, benigni, liberales. Quòd si sanguis subtilis sit, & clarus, sed intemperatus ob excessum caloris prædominantis, tunc ingenerat propensionem ad iram, & alios affectus sibi consocios, ad audaciam, arrogantiam, garrulitatem, temeritatem, bonorum appetentiam, igneam celeritatem, vigilantiam, & impetum in rebus agendis; quo pacto juvenes, quibus tale inest temperamentum audaces sunt, & omnia temerè agunt ex impetu. Et hocce temperamentum vocari etiam solet cholericum: indicium temperamenti cholerici est rubedo in vultu; ut censent plures, quod tamen non est intelligendum de quavis rubedine, ut notat Gallenus *Lib. 2. de temper.* sed de rubedine fusa, quâ tinguntur, qui nimio indulgent potui: contingit enim istis ob ætatis fervorem, quod ebriis ob haustûs calorem; & irâ percitis ob spiritus vi iræ diffusos per corpus, ut docet Aristoteles *3. Ethic. cap. 8.* quòd si sanguis subtilis, & clarus sit intemperatus ob prædominantem frigiditatem, ut in phlegmaticis, in quibus aqueus dominatur humor; tunc sanguis iste inclinat ad pusillanimitatem, timorem, honorum contemptum, torporem, somnolentiam, tarditatem; quia hæc omnia oriuntur ex defectu caloris, & exiguitate spirituum.

68. Sin autem sanguis crassitiem contraxerit diversimodè temperatam inclinat ad alias passiones, aliósque affectus: si enim sit crassus, & calidus, ac turbidus, adjectâ tenebricositate inclinat ad tristitiam propter spirituum fœculentiam; & ad iram ob eorundem caliditatem; non tamen ad iram facilè mobilem, sed fixam, proinde ad pertinaciam in suscepto semel consilio ob sanguinis spissitudinem, ac terream melancholiam. Sin autem sanguis spissus, & calidus non sit turbulentus, ingeneratur inclinatio ad constantem audaciam, & iram mediocrem: tales dicuntur esse, quibus cor est bene temperatum, & hepar notabiliter calidum, & siccum. Sin autem sanguis crassus sit, & frigidus, non tamen turbidus, ingeneratur uniformis tenor ad omnes prope affectus, & mediocris propensio ad ipsos, & iis obtingit, quibus cor est temperatum, & hepar siccius, ac frigidius temperato, magísque siccum, quàm frigidum. Demum si sanguis sit crassus, & frigidus, & simul turbidus ingeneratur tarditas ad iram, & prompta, ac diuturna tristitia; & si in hisce, qui talis sunt temperamenti ex vehementi aliqua causa oriatur irâ; hæc tenacior est, ac diuturnior ob tenacitatem materiæ: & tunc ira facilè etiam degenerat in odium juxta illud Augustini: *Ira inveterata vertitur in odium.*

Ex corporis, præsertim vultûs, extimo colore dignoscitur, qualis sit homo temperamenti, ut notat Fontanus ex Aristotele, qui enim vivido colore sunt perfusi, hi calidi sunt ob sanguinis exuberantiam: qui ex albo simul, & rubro conflantur, si sint corpore leves, hi laudabilem sortiuntur indolem. Admodum nigri sunt timidi, ut Ægyptii, & potissimùm qui incolunt Æthiopiam: extremè albi ipsi etiam timidi, quod ad mulieres refertur. Color medius album inter, & nigrum fortitudinem prodit, qui flavo sunt colore, iidem etiam magnanimi; idque experimur in Leonibus. Qui fulvo intensiore perfunduntur, execrandi sunt, & exitiosi, quod quidem datur vulpibus. Qui pallidi ac perturbati ipso colore videntur timidi, & referuntur ad ipsam perturbationem, quæ nascitur ex timore. Qui subvirides, iidem sunt perfrigerati; refrigerata autem ineptissima sunt ad motum: hinc subvirides sunt corporis actionibus admodum pigri. E converso quibus color est rubeus, ij celeres sunt ad operationes. Quibus color est inflammatus, atque igneus; hi habentur insani; omnes enim corporis partes si impendiò calidiores reddantur, flammeum colorem induunt: qui verò ad extremum calefactionis perveniunt, meritò furiosi dicuntur. 69. *Cap. 10. Physiognomiæ*

Contrahitur etiam pronitas ad quosdam affectus ex sanguine, quo proles generatur à parentibus, quâ ratione dicuntur parentes cum sanguine, ut plurimùm mores in prolem influere: hæcque ratio, cur plerumque filii iisdem sint obnoxii affectibus, ac moribus, ad quos parentes proni erant: qua ratione Aristoteles docet, consentaneum esse, ut meliores sint filii, qui ex melioribus progenerantur parentibus: & alibi notat, quòd fient ex hominibus homo, & ex bestiis bestia generatur: ita ex bonis parentibus, ut plurimum bona editur proles: ut è converso ex malè moratis parentibus non bene morati filij; quod etiam cecinit Horatius *Fortes creantur fortibus; nec imbellem feroces progenerant aquila columbam.* Hinc Plutarchus parentes monet, ut circumspectione, & curâ utantur conjugio, eò quia parentum intemperantiam, ac lasciviam postea luit proles malè morata. Filij enim sicut substantiam à parentibus, ita & mores, ac pronitates ad certos affectus, ac motus hauriunt; adeout vulgò dicatur: *Sæpe solet similis filius esse patri.* Dicitur sæpe, quia nonnunquam oppositum obtingit, præsertim in Principibus, qui rarò ijs delectantur, in quibus eorum parentes fuerunt occupati. 70. *2 Politic. cap. 8.* *Lib. 1. cap. 4.* *Lib. 4 Od. 4.* *Initio libri de puerorum institutione.*

Membrorum itidem, vasorúmque in humano corpore configuratio haud modicè ad hujusmodi pronitates conducit. Hinc ex animalibus, quæ grande, ac capacius habent cor, ut cervi, lepores, timidissima censentur; quia per cordis amplitudinem liberiùs spiri-

 tuum

tuum calor spatiatur, ac proinde suam vim remittit; è converso quæ pusillum sortiuntur cor, sunt cæteris audaciora ob spirituum collectionem, quâ eorundem vis est vegetior, ac robustior, ut docet Aristoteles asferens: discrimina cordium, quæ amplitudine, exiguitate, mollitie differunt, ad mores aliquatenus pertinere: hinc animalia, quæ sensu sunt hebetiorâ, cor habent durum, ac spissum: quæ sensu valent, mollius. Pavida sunt etiam illa, quibus cor inest grandius; quibus mediocre audentiora sunt, ac ferventiora. Cor amplum habent lepores, cervi, mures, hienæ, affini, mustellæ; & ideo timida sunt animalia & propter metum malefica.

*5. de part. animal, cap. 4.*

72. Plurimùm etiam ad ingenerandas has pronitates habet efficaciæ assuetudo, quæ habitum inurit facilitantem ex parte appetitûs ad actus similes depromendos; nec possit homo nisi difficulter hanc inolitam habituum proclivitatem coërcere: hæcque causa, cur prisci homines hostibus suis nil tetrius, aut infestius imprecari se posse existimarent, quàm malam consuetudinem; est siquidem assuetudo teterrimum malum, quod ad extrema quæque trahit. Hinc Aristoteles *1. Ethic. cap. 1.* advertit, multum referre, quibus quisque assueverit à puero actionibus; eò quia habitus ab ineunte ætate per assuetudinem inoliti, affectus, ac passiones quasi effrænes, & ad rationis ductum indociles reddant: donec ex jugi oppositorum actuum frequentatione eradicetur, quæ altè radices fixerat prava consuetudo; & abstergatur rubigo, quam præcedentium actuum vis potentiæ indidit.

73. Imò ea est pravæ consuetudinis corruptâ conditio, ut non solùm augeat pronitatem; verùm etiam virtutis extinguat nitorem; idque S. Eucherius disertis innuit verbis ostendens, quàm periculosum sit, consuetudinem peccandi contrahere, inquiens; *Habet hoc infelix consuetudo peccandi, ut quantò amplius quisque deliquerit, tantò minus delicta ipsa cognoscat: suffundunt enim mentis intuitum tenebræ delictorum, ac sic peccantem plus peccare delectet; quia de negligentia subtrahitur verecundia, & pudoris casta reverentia; & de luxuria crescit illecebra, & sicut ministratis, & ingestis lignorum pabulis non extinguitur, sed magis, magisque nutritur ignis: ita ipsa inhonestatis assiduitas esca est voluptatis.* Affectus enim ex assuetudine immutant temperamentum, adeò ut qui frequenter irascuntur, evadant iracundi; & ignescentibus per iram humoribus difficiliùs motus iræ coërceant. Quantum assuetudo obtineat virium, ostendit Plutarchus & adfert exemplum Licurgi, qui ut doceret, quanta insit consuetudini vis ad ingenerandas propensiones ad affectus varios, exhibuit duos catulos divet simodè educatos, adeo ut venaticus ad offam assueverit; & domesticus venationi; iisdem exhibitis offâ, & lepore fugiente; venaticus statim offam arripuit, & alius leporem fuit insecutus. Id lepidè narrat Valerius

*Homil ad plebem obtrect.*

Maximus inquiens: Licurgus, qui Lacedæmoniis leges condidit, cum conaretur cives suos à moribus præsentibus ad temperatiorem vivendi rationem traducere (nam erant corrupti deliciis) duos educavit catulos, venaticum unum, alterum domesticum: venaticus domi lautioribus cibis assuevit; domesticum verò eductum venationibus exercuit. Dein cum ambos produxisset in forum apud multitudinem, posuit illic escas aliquas delicatiores, mox emisit leporem. Cùm uterque raperetur ad assueta, & venaticus escas, domesticus leporem invaderet; an non videtis, inquit, cives, duos catulos ob diversam educationem admodum dissimiles evasisse, plúsque ad honestatem momenti habere exercitationem, quàm naturam? Scitè Seneca; *Educatio, & disciplina mores facit, & id sapit unusquisque, quod didicit.* Itaque bona consuetudo excutere debet, quod mala induxit; hinc aiebat Tullius *eligenda est optima vitæ ratio, quam consuetudo jucundissimam reddet.* Plurimum refert optimum suscipere vitæ institutum, quod licèt sub initiis durum obtingat, assuetudine dulce fit. Unde monet Horatius *L. 1. Satyr. 3.*

> ——————————— *te ipsum*
> *Concute, num qua tibi vitiorum inseverit olim*
> *Natura, aut etiam consuetudo mala, Namque*
> *Neglectis urenda filix innascitur agris.*

## §. VIII.

### *De causis extrinsecis humanorum affectuum.*

Causæ extrinsecæ, juxta præsens institutum, illæ dicuntur, quæ extrinsecè movent, alliciunt, exhibéntque fomenta excitandis affectibus opportuna; seu illa extrinseca incentiva, quæ valent in homine quosdam ciere affectus. Hæcque extrinseca, & remota affectuum irritamenta plura solent recenseri; inter quæ Principem videntur sedem occupare esculenta, & poculenta, quorum vis non modica est ad varios ciendos affectus; hæc enim in viventis transeunt substantiam; eò quia viventia iisdem nutriantur, crescant, & sustententur; quò fit, ut eorundem viventia enanciscantur temperamentum: cùm enim communicent viventibus propriam substantiam, oportet ut iisdem proprium etiam temperamentum conferant: adeout absoluta in stomacho concoctione affectiones esculentorum, & poculentorum communicentur homini alito, qui majores experitur pronitates ad eosdem affectus, quibus temperies per alimentum inducta magis consentit. Hæcque ratio, cur juxta diversa temperamenta esculentorum & poculentorum variæ itidem ingenerentur pronitates in corporibus alitis ad illos affectus, ad quos temperamenta esculentorum incitabant: quâ ratione dicuntur conquesti Monachi illi apud S. Bernardum, cum enim rustica- 74.

*Serm. 40. in cant.*

noa

nos, ac viles nauſearent cibos; ut pretioſiores, ac delicatiores illis *exhiberentur*, non aliam attulerunt cauſam, quàm affectus varios, qui in ipſis excitabantur per hujuſmodi eſculenta, dicentes: *Caules nutriunt melancholiam; choleram porri accendunt, piſces de ſtagno, aut luteſa aqua meæ complexioni non congruunt.*

75. Ariſtoteles itidem ex ſanguinis tenuitate, & frigiditate, ut etiam ex ejus craſſitie, & calore ex eſculentis, & poculentis derivatis in animalibus infert varias in iiſdem pronitates ad paſſiones, & affectus: ait ipſe: Habent ſenſum mobiliorem, quorum humor tenuior, & ſincerior eſt: hinc etiam nonnulla ex iis, quæ ſanguine carent, animalibus, prudentiora plerisque ſanguinem habentibus ſunt, ut apes, formicæ: timidiora, quibus ſanguis eſt dilutus nimium; metus enim refrigerat. Itaque animalia, quibus hujuſmodi temperamentum cordi ineſt metuendi affectioni ſunt proniora; aqua enim frigore congelaſcit. Quorum autem ſanguis fibris admodum multis, craſsisque refertus eſt, hæc terrenâ ampliùs conſtant naturâ, & animoſa, iracunda, proindéque furibunda ſunt; ira enim calorifica eſt.

76. Præ cæteris, quæ ad nutritionem pertinent, plurimum cenſetur habere momenti lac, quò parvuli aluntur; ſiquidem ex hoc proximo alimento varias contraxiſſe infantes proclivitates ad paſſiones compertum fuit; ut etiam de brutis notavit Cardanus, & refert, viſum à ſe fuiſſe felem à cane lactatum, & propterea minus agreſtem, ac infidum evaſiſſe. Homines itidem ex lacte, quo in infantia nutriuntur, contrahere proclivitates ad varios affectus, & paſſiones nulli eſt dubium; adeò, ut nemo ſit, qui dimidiatum illud matrum genus, ut ita dicam, non reprehendat, quæ cum per plures menſes proprium aluerint fœtum; cum primùm poſtea eundem in lucem ediderint, aliis fœminis alendum tradunt; & negligunt proprios filios, quos vident jam matris officia implorantes: redarguendæ ſanè mulieres illæ, quæ fontem prolis educatorem arefaciunt, & exſiccant, non absque periculo lactis corrupti, idque non aliam ob cauſam, niſi ne pulchritudinis inſignia ſibi devenuſtent; præferentes novercali ritu propriam vanitatem ſobolis utilitati.

*Lib. 2. de Sapien. ſub finem.*

77. Sunt etiam in quibusdam Regionibus matres, quæ in lucem editos filios non alio enutriunt lacte, quàm bovino, vel ex aliis emulſo brutis, non ſine prolis damno; cum ex tali nutrimento contrahat proles temperamentum craſſius, minúsque capax ad functiones homine dignas exercendas; ſi enim cum lacte, quò infantes aluntur, communicatur iiſdem temperamentum, quod continet; non poſſunt naturam non contrahere quaſi brutalem; cum in moribus inoleſcendis potiorem partem, ingenium altricis, & lactis natura teneat. Hinc Martinus Uratislauienſis in ſuo de monſtris commentario *cap.* 15. refert, puerum caprino lacte enutritum, cum adoleviſſet, ſaltitare ſemper fuiſſe ſolitum more caprarum. Et alium ſuili lacte, cœno ſemper & volutabri fuiſſe delectasum.

78. Poculenta etiam plurimum obtinent roboris ad affectus ciendos. Unde Ariſtoteles ait, vinum immodicum tales homines conſtituere, quales melancholicos eſſe aſſerimus, & ob nimium hauſtum, aliquos fieri iracundos, alios miſericordes, audaces alios, ex quo infert Philoſophus; poculenta plurimum valere ad ciendos affectus, præſertim vinum; cujus propterea hauſtum Plato 2. *de legibus* pueris interdixit, citra duodecimum annum propter affectus, quos aſſolet vinum excitare; & tantùm permiſit ſenibus ad diſcutiendum mœrorem, quem ex temperamenti frigiditate ſolent contrahere. Gallenus itidem non diffitetur in vino luxuriam eſſe, & juvenibus prohibuit uſum vini, ut etiam ciborum copiam; & iiſdem commendat parcitatem in victu, & potu, ut accommodatam affectibus mitigandis: unde Nazianzenus: *Sufficit corpori malitia ſua; quid flamma ampliore materia opus eſt, aut bellua copioſiore alimento, ut effrenatior reddatur?*

*Seſſ. 30. problem. quæſt. 1.*

*Orat. 34. ſub initium.*

79. Ad alimenta proximè accedunt pharmaca, quæ non modicam cenſentur vim habere ad functiones cognoſcitivas expeditè, promptiùs, ac liberiùs exercendas: ſiquidem exonerato ab impuritatibus, & gravedine phantaſiæ ſenſorio, expeditiùs, ac ſubtiliùs intellectus proprios exercet actus. Hinc Carneades diſputaturus, conſueverat caput elleboro purgare, ne quidquam ex corruptis humoribus in ſtomacho ad animi domicilium, ſeu caput redundaret, mentisque vigorem labefactaret. Quamobrem pharmaca ciendis, vel ſedandis affectibus apta ſunt juxta qualitates medicamentorum. Huc etiam vocantur amatoria, quæ dicuntur philtra, ad quorum vim, tametſi dœmoniaca ars adhibeatur, tanquam cauſa applicans naturalia activa, aut removens obices; nihilominus cauſa proxima talis amoris cenſetur eſſe medicamentum; licèt Theophraſtus veluti fabuloſos rejiciat hos affectus.

80. Inter cauſas extrinſecas ciendis affectibus aptas recenſentur etiam Dæmones, qui corporis humoribus implexi plures in humanis corporibus excitant fluctus, plerumque marinis decumanis ſæviores; quippe mentem vitiis mancipatam corrumpunt; eidémque ad naufragium Euros, Notósque turpium ſuggeſtionum immittunt; ut non eis neceſſe ſit fucata alia emendicare ſubſidia homini evertendo. Hinc Chaldaicum illud effatum, quod proditur ex penu Zoroaſtri emanatum *Tuum vas feræ terreſtres habitabunt*, explicant de Dœmone varios in humano corpore ciente motus: vas dicunt eſſe compoſitam vitæ noſtræ conſtitutionem; Feras terreſtres Dœmones circum terras vagantes; adeout cor noſtrum malis ſcatens affectibus inhabitetur ab hiſce feris, commoventibus ſanguinem, calorem, ac ſpiritus; & turbulentiores cientes inſani

amoris

amoris, vel iracundiæ fluctus. Cor humanum à Dœmone sic percitum eleganter pingitur ab Isaia non enim aliud adumbravit, quàm hominis cor variorum affectuum commotum fluctibus, cum dixit: *Requiescent ibi bestia, & replebuntur domus eorum draconibus: & habitabunt ibi struthiones, & pilosi saltabunt ibi. & respondebunt ibi ulula in ædibus ejus, & sirenes in delubris voluptatis.* Per pilosos versio septuaginta Interpretum intelligit Dœmones.

*Cap.13.v.21.*

81. Qoalitas aëria, quem quis assiduè haurit, pronitates etiam Inducit ad quosdam affectus, quia per aërem non modicè corporis temperamentum immutatur, ut docet Hippocrates asserens, eos, qui plagas incolunt septentrionales, & montana loca mores contrahere agrestea: & Asiam, quæ cæteris est clementior regionibua, homines progignere temperatissimie præditos moribus. Illi etiam ut plurimùm timidi sunt, qui loca fervida incolunt, Fortes verò qui gelida, & perpetuo rigentia frigore; quod approbat Seneca, inquiens: *In frigora, septemtrionémque vergentibus immansueta ingenia sunt, & ut ais Poëta: suòque simillima cælo.*

*Lib. de aëre, locis, & aquis.*

*2. de ira, c. 16.*

82. Cœlestes itidem influxus proclivitates juvant ad quosdam affectus. Immutant enim, & ipsi corporis temperamentum, quâ ratione inducuntur proclivitates ad hoc, vel illos affectus: variè siquidem affecto hominis temperamento per cœlestes influxus, variæ in eodem oriuntur proclivitates, ut per diuturnam observationem compertum fuit. Hinc vulgata sont apud Astronomos effata illa, quibus asserunt, homines affectos influxo Saturni pigros, segnésque evadere; fierique tristes, solitarios, timidos, avaros, suspicaces, pertinaces. Econverso ex Jovis influxu fieri homines lætos, honestos, liberales. Prædominante Marte evadere audaces, vigiles, mobiles; & sic de cæteris immutationibus, quae influxua reliquorum syderum causant in temperamento humani corporis, citra tamen omnem libertatis læsionem; quia homo ut liber, & sapiens dicitur astris dominari, non ab astris cogi. Præterea valde incertum, an syderum influxus has in homine imprimant proclivitates, quia plerumque tam multi occurrunt obices, vel impedientes, vel retardantes, ac imminuentes astrorum activitatem, ut vix possint sidera immutationem illam perficere. Interdum etiam influxus unius astri vires retundit alterius; & incertum est, quæ, & quanta sit via uniuscujusque astri singillatim sumpti, cum plura semper astra simul influant: hinc Cyrillus has futiles, vanásque redarguens Astronomorum observationes sit: *Astrologica observatio crimen est Græcorum stupiditatis, ludúsque puerilis, & vana dementia, nihilque aliud.* Neque aliud Astrologi à planetis errantibus valent edicere, quàm errores.

*Lib. 10. contra Julianum in fine.*

83. Societas itidem, & necessitudo cum vitiis nequam, & perditis, vel cum probis, ac virtutum addictis culturæ vim habet efficaciorem ad mores immutandos, & proclivitates ad quosdam affectus inducendas: fortiùs enim exempla movent, & adhortationes amicorum: unde Basilius eleganter ait: *Noxiæ sunt amicitiæ, quæ cum malitia contrahuntur. Quamobrem rectè Apostolus dicit, corrumpunt bonos mores colloquia prava; quemadmodum enim in pestilentibus locis sensim attractus aër latentem corporibus morbum injicit, sic item ex prava consuetudine, ac conversatione maxima nobis mala oriuntur, etiam si statim incommodum non sentiatur.* Serpit nimirum lues ab uno ad alterum. Unde sunt pravi socij omnino declinandi, ut cum probis tantùm consuetudo ineatur: piorum enim exempla proclivitates inducunt ad virtutes. Obstandum præsertim est principiis, ne malam quis contrahat consuetudinem, quia ut monet S. Hieronymus *difficulter eraditur; quod rudes animi perbiberunt:* Janarum conchylia, quis in pristinum candorem revocet? Recens testa diu & saporem retinet, & odorem, quo primò imbuta est.

*In homilia quòd Deus non sit Auctor malorum.*

*Epist. 7. ad Letam.*

Musica itidem plurimum habet roboris ad affectus ciendos, vel sedandos. *Hæc enim* (ut disertè loquitur Cassiodorus *cum de secreto natura, tanquam sensuum regina tropis suis ornata processerit, reliquæ cogitationes exiliunt: omniáque facit ejici, ut ipsam tantùm delectet audiri. Tristitiam enim noxiam jucundat; tumidos furores attenuat, cruentam sævitiem efficit blandam: excitat ignaviam, soporantémque languorem, vitiatam turpi amore ad honestum studium revocat castitatem.* Hinc non hauserunt cribro aquam; neque cecinerunt surdis, qui vitæ deprecatores, musicam precibus admiscuerunt: Theodulphum enim è vinculis Ludovicus Pius liberavit, postquam ab eo plena voce cantari audivit hymnum, quem recèns in vinculis composuerat. *Gloria, laus, & honor tibi sit Rex Christe Redemptor.* Nulla ex tot, támque variis, ac multiplicibus artibus, quæ ab hominibus excogitatæ fuerunt, ita humanitati amico, gratóque fœdere consociatur, sicut musica; nulla quæ blandiùs hominibus dominetur; est quippe animorum propè domina, ac moderatrix, quos movet, sedat; intendit, remittit, perturbat, tranquillat, incitat, & coërcet; prout musici utuntur, vel incitatione modorum, vel cantûs tarditate. Nulla ex liberalibus artibus nobis Dei beneficio traditis æquè blandius simúlque fortiùs animos movet, quàm musica. Hæc cæteris faciliùs, jucundiúsque homines regit, mores immutat, affectus excitat, totúmque hominem exhilarat, cui in doloribus est lenimento; in tristibus solatio; in mœroribus gaudio, in laboribus ac itineribus levamini. Hæcque ratio, cur ubique gentium opifices in officinis, remiges in navibus, aratores in agris, operariique fermè omnes in ferendis, trahendisque oneribus cantu aliquo, vocisque modulis studeant minuere laborem, mœrorem propelle.

84.

*Lib. 2. epist. 40.*

pellere, animúmque exhilarare. Duo sunt genera Musicæ, alterum, quod consopitos affectus iræ, & appetitûs in pectoribus nostris exsuscitat, provocat, accendit: alterum, quod eosdem excitatos, ac effervescentes sedat, coërcet, ac prorsus refrigerat, animósque blandè afficit, atque delectat, & præ cæteris disciplinis, artibúsque liberalioribus gratiam conciliat; tristes erigit; afflictos solatur; iratos placat, insanos reprimit, ignavos excitat, morbisque animi juxta, & corporia medetur, noxiam tristitiam excutit, & mentem jucundat, tumidos furores attenuat, cruentam sævitiam mitigat; & ut loquitur Cassiodorus *Vitiatam turpi amore ad honestum studium revocat castitatem, sanat mentis tædium bonis cogitationibus semper adversum; perniciosa odia convertit ad auxiliatricem gratiam, & quod beatissimum curationis genus est per dulcissimas voluptates expellit animi passiones, incorpoream animam corporaliter mulcet, & solo auditu ad quod vult, deducit, quam tenere non prævalet, verbo tacito manibus clamat, sine ore loquitur; & per insensibilium obsequium prævalet sensuum exercere dominatum.*

85. Neque abs re dixit Plato nihil tam facilè in animos molles influere, quàm varios canendi sonos, quorum, dici vix potest, quanta sit vis in affectibus vel ciendis, vel sedandis. Quid fortius ad excitandum amorem quàm vocis cantum dulci lyræ sono temperare? hac arte utuntur amasii ad alienum sibi conciliandum amorem. Hi nonnunquam delicato calamo ita argutè fides molliter resonantis citharæ verberant; & voces ad musicea regulas inflectunt, ut non amorem tantùm excitent, verùm, & animum videantur rapere; acsi fides præstaretur Orpheo illi Poëtarum fabulis decantarissimo; qui eâ fertur Musicarum artium fuisse instructus peritiâ, perfusus dulcedine, quâ non feras tantùm è nemorum opacatis traxerit secessibus; verùm & Euridicem lectissimam conjugem ex ipsis avernalium specuum penetralibus ad superos reduxerit. Imò fabulantur solo cantu arbores ipsas traxisse, cursus amnium stitisse; sensúsque brutorum, ac hominum animos permulsisse.

86. Quid ergo mirum? quòd Musica vitæ gaudium adferat? quid? quòd ad sanctissimam jucunditatem homines promoveat, quorum aures dulcisono demolcet concentu? Quid? quòd animi habitum rectè ad normam informet honestatis? quid? quòd mentes rapiat, raptas restringat, restrictas alliget, alligatas retineat? Ea est vis Musicæ, quæ casuum acerbitates mellita dulcedine adspergit, & abigit; quæ turbulentas fluctuantis vitæ procellas compescit, & sedat; quæ tristes novercantis fortunæ occursus superat, & declinat; quæ inflictis adversitatum vulneribus mollioribus, ac delicatioribus cantillenis medetur, & animi morbos sanat. Hæc omnibus hominibus, sexibus, ac ætatibus accommodatissima est, siquidem ejus beneficio infantes in cunis adhuc vagientes oblectati nutricum dulci murmure sopiuntur. Pueri ad exhilarandum animum cum æqualibus dulcisonos cantus instituunt. Juvenes ætate florescentes frequenter cantillantes præconceptos excutiunt mærores. Provectiores ætate negotiorum pondera, quibus premuntur Musicis instrumentia, cantuum solatio alleviant. Senes reliquis jam defervescentibus voluptatibus hac præcipuè delectantur, quam ex blando, suavique variarum tum fistularum, tum vocum percipiunt concentu.

Neque ulla est natio, ulla gens, quamvis agrestis rudis, ac efferata, quæ artificiosa canendi ratione non mitescat. Nullus in castris labor, qui vel harmonico tubarum strepitu non minuatur; vel blando fistularum sonitu non dulcescat: hinc Dionysius, cum exercitum duceret, essétque in eo mirus quidam lepos, amórque jucunditatis, fertur suis in castris egregias quasdam habuisse puellas Musicam callentes artem, omníque rerum scientiâ, ac virtute ornatissimas, quæ cantuum varietate, ac suavitate regium animum à curis bellorum, tœdióque stationum avocarent, ac relaxarent. Imò tanta est Musicæ suavitas, ut censuerit Pythagoras, etiam ipsos cœlites eâ delectari: opinabatur siquidem in mirabiliter temperata syderum conversione, cœlestiúmque orbium motibus gigni quamdam suavissimam harmoniam, quam homines obtusi auribus minimè percipiunt. 87.

Plurimum itidem obtinent roboris in animi ciendis, aut coërcendis affectibus verba ore prolata, prout duriuscula, vel blanda fuerint, cum sit lingua mediis instrumentis verborum tacitæ cogitationis internuntia, prodátque foras, quæ intus quis animo volvit poris est, ad odia excitanda, vel extinguenda; amorémque reconciliandum. Ea propterea occulta vis inest verbis, ut seu amando, seu offendendo, plus in animis possint hominum verba, quàm ipsa facta; qua ratione graviùs maledictis, quàm malefactis homines exacerbantur, promptiúsque excandescunt, irásque, & odia concipiunt: quia malefacta dolorem, & maledicta contemptum nostri ingerunt; qui altiùs, acerbiúsque ferit, quàm dolor: hic enim corpus tantùm; ille verò in animum intimum pugnat; nobiliorémque hominis partem inflicto vulnere lædit: è converso gratiosiora sunt generosis pectoribus bene dicta, quàm bene data; ut ferè omnes inter actiones si amicos sibi parare quis cupiat, in verba priùs, quàm in facta; & in linguæ magis, quàm manuum operationes intentus esse debeat. Plerumque minore impensâ obvenit multa bene dixisse, quàm multa dedisse. Utrumque tamen si rectè adhibeatur, longè plures devinciuntur, ac conciliantur amici. Secus acerbè dicta, & facta vim inferunt, simúlque terrent, ac lædunt, & aptiora sunt ad odium excitandum, quàm terrorem movendum; quòd si verba duriuscula citra cntem metum incutiant, tunc inermis iræ contemptum, ac indignationem pariunt cum majore audacia ad 88.

ad ultionem: est quippe lingua dum loquitur potissimum orationis instrumentum, quo animus, quæ intus concipit, foras per verba comportat, per quæ, veluti onusta vehicula in animum transmittit audientis; hinc verba si blanda fuerint, si dulcia, & ad obsequium prona homines quantumvis agrestes, ac barbaros deliniunt, flectúntque ad amorem; cùm sit lingua fidelis administra pectoris, cordisque interpres, loquentis sensa, & affectus prodit, qui consimiles excitant in audientibus; perinde ac calor calorem, amor amorem progignit.

89. Ad id lingua hominibus data est, ut mediis verborum instrumentis, internorum affectuum, ac cogitationum esset internuncia, & complicatas animi notiones foras explicaret: non enim lingua nisi mendax sit, alia profert, quàm quæ animo intus volvuntur; hinc perinde ac ex plumis, & cantu cognoscitur avis; ita ex lingua & loquela qualis sit intus homo: hæcque ratio, cur lingua dicatur instrumentum utile, ac perniciosum; est siquidem instrumentum laudabile, si probè ad vota aliorum loquatur citra alieni honoris, & bonæ opinionis læsionem, Deique offensam: est verò instrumentum perniciosum, si gloriæ, famæ, ac honori detrahat alterius; tunc præconceptos intus odij, vel invidiæ adversantes prodit affectus: hócque insinuaturus Amasis Rex Ægypti misit victimam ad Biantem illustrem id temporis Philosophum adjecto mandato, ut exemptam ex ea simul optimam, & pessimam carnem sibi mitteret; paruit Bias, & exsectam linguam Regi transmisit; ex qua *In Convivio.* vel tacente didicit Rex, referente Plutarcho, quanti sit momenti usus linguæ; hæc siquidem licèt pars corporis modicissima prægrandis gubernaculo navis haud dissimilis est, in cujus parvulo motu totius navigij regimen, imò & nautarum salus vertitur, vel interitus. Lingua enim si mala est vitiis omnibus, aut materiam præbet, aut incitamentum; ejus lubricitas, & inconsiderata volubilitas plures perdidit, qui cùm verba effutierint scurrilia, vel alienum denigrantia honorem, odia excitarunt, haud extinguenda, nisi multi sanguinis effusione; ad pericula hæc præcavenda factu optimum est censendum; si verba priùs ad limam, librámque veniant, quàm ad linguam: de aliis vel bene loquamur; vel omnino taceamus: à scurrilibus, nimiaque loquacitate abstinendum omnino est: illaudabilia itidem est garrulitas à quocúnque usurpetur. Huic præ cæteris sunt vitio obnoxij Balbi, de *Lib. 7. epist. 76.* quibus Symmachus ait: *Natura rerum est, ut qui balbutiunt, plus loquantur: affectant enim copiam pudore defectûs.* Laborant eo-*Lib. 8. epist. 48.* dem morbo senes, ut notat prætactus Symmachus, qui senem inducit ita loquentem: *quid faciam senex garrulus, cui mensura sermonis à juvene præscribitur? trahit nos vitium senile verbositas.*

90. Mœtti senibus consociantur; quia ut observat Philotas apud Curtium *Modum verborum misero tenere haud facile:* qui multo *Lib. 6.* sunt itidem vino madidi hanc in linguæ facilius elabuntur lubricitatem. Sunt etiam, qui vitium garrulitatis specioso contegunt eloquentiæ titulo; sed falluntur: cum loquentes tantùm habeantur, non eloquentes; loqui plures sciunt, eloqui pauci; quos si interroges plurimis respondent verbis; sed paucissimis rebus; vel si mavis verborum mare linguæ volubilitate effundunt; absque tamen salis guttula: non copia, sed energia verborum animum movet. Non invenustum est, quod de Ferdinando I. Cæsare fertur: ad clavum is sedebat Romani Imperij, cum nescio quis veteranus miles, qui per plures annos se obsequio devoverat Imperatoris, vitámque plories ancipiti exposuerat discrimini, loqui cum Cæsare petierit, enixim eum rogaturus pro dimissione, nisi debitæ sibi pecuniæ solverentur. Insinuatur Imperatori, veteranum adesse militem, qui ad ejus cuperet aures admitti. Cæsar autem in aliud magis opportunum tempus, cúmque commodior se occasio obtulerit, militem redite præcipit: verùm ad hæc miles instantiùs urget; vociferatur, conqueritur se frustra itineris subiisse labores; séque tribus duntaxat verbis velle totum negotium exequi; neque diutiùs velle detinere Imperatorem post hæc tria prolata verba. Defertur militia desiderium iteratò ad Ferdinandum, qui hominis importunitate victus, accedat inquit, ea tamen lege, ut non plura, quàm tria depromat promissa verba. Paret miles, & ad Imperatorem ingressus; cum interrogaretur, quid peteret, respondit miles: *solutionem, vel dimissionem*, tum Imperator aliis tribus verbis reposuit *solutionem, non dimissionem.* Plus ponderis plerumque habent paucula verba ad rem prolata, quàm plures prolixioris sermonis circuitus, præsertim in ciendis affectibus, flectendisque animis, quos fortiùs paucorum pondera verborum trahunt, quàm sermonis prolixitas.

Linguâ, qui probè utitur, cæteris promptiùs dominatur, idque ut contingat; vitanda in primis in omni consuetudine est detractio, & quidquid eam redolet: est Sapientiæ 91. monitum *Remove à te os pravum, & detrahentia labia sint procul à te*; quasi dicat: legem linguæ ruæ impone, ostia obducito, seras ori, linguæ fræna immitte; Lauda si materia suppetit laudis; virtutes aliorum recense, vitia tace; si alij proximi detrahunt honori; tu aliò sermonem pertrahe, eâ tamen industriâ, ne inurbanè videaris Majorum sermonem, veluti injectâ novaculâ secare; vel si aliò verba non potes divertere, saltem mollioribus aspera leni; nulli enim potest, si velit, lenitas deesse; vel vitiis virtutes oppone; & pro damnandis satage laudanda suggerere. Plurimum obtinent laudes roboris ad odia, vel minuenda, vel extinguenda; & amorem conciliandum. Quid? quòd vel ipsi qui damnant, laudent taciti secum, ac mirentur, & amare vehementiùs incipiant, quem hostis suî lauda-

laudatorem senserint. Verùm quò quis in aliorum laudibus est effusior, eò fit in suis parcior; imò nullus, cum vulgò dicatur laus in ore proprio sordescere: sunt qui opes laudant, quibus affluunt; vel equum commendant, quia robore, & cursu reliquos antecedat; sed hæc nullum animo adjiciunt ornamentum, suntque adscititia, minimèque apta materiæ suggerendæ, quâ homo possessor popularem aucupetur laudem.

92. In homine id laudetur, quod ipsius est hominis, quodque à nullius fortunæ pendet eventu; hæcque solius animi bona sunt, quorum nemo in re sua Judex esse debet: amor proprius quemque assolet obtenebrare, densâque obtegere nube; vel saltem crassa, spissâque involvere nebula, quâ se minimè videt; alienum non proprium nos os laudet; nec sine rubore laudes admittamus; plus laudis tunc à verecundia accedit. Plures sunt, qui fucatis, falsisque laudibus delectantur non præsentibus tantùm; sed etiam quæ in posteros transfundantur; sed hi alienis volunt opibus ditescere, non proprio fulgere auro; sola virtus est, quæ laudem promeretur, & amorem.

93. Cæterum ob corruptos mores proniores sunt homines ad convicia & scommata, quàm ad alienas laudes recensendas; vix in hominum cœtu unus honori detrahit alterius, & reliqui statim vel tacitè assentiuntur; vel proditum vitium ubique promulgant locorum, ut in hominibus sic hodie videre, quod olim in Dodonæo Jovis templo. Erat illud teste Suida lebetibus æreis undique cinctum, ita ut se se invicem contingerent, unde necessum erat fieri, ut uno quopiam pulsato, vicissim & omnes resonarent, sonitu per contactum ab aliis ad alios succedente: durabátque in longum tempus tinnitus ille, per orbem redeunte sono: ita contingit detrahentibus, qui semel auditum convicium, vel vitium obstrepentes per loca omnia spargunt in orbem; ut: *Tot pariter pelues, tot tintinnabula credas pulsari*, sicut cecinit Juvenalis; neque spes ulla affulget, ut sibi temperent, vel ora comprimant.

## §. IX.

### *De Affectibus per excessum, vel defectum à recto deflectentibus.*

94. EA est rerum humanarum conditio, quæ licèt eximiè venustæ, & excellenter jucundæ, si ad summum pervenerint facilè deflorescunt; & fastidium pariunt, quæ suis sub initiis erant oblectamento; etiam gaudia humanos inter affectus, si summa sint, plerumque in luctus dicuntur vulgò degenerare; ut & quævis alia voluptas, si diuturnior fuerit tandem in contemptum defluit. Idem dixerim Oratoribus obtingere in affectibus ciendis; si diutiùs quàm par sit, insistant in uno, eodémque affectu, quem plus æquò excitatum velint; vel digressiones ingerant, quibus auditores aliò trahuntur; vis concitati affectûs suis extinguitur in cunabulis. Luculentum suppeditat exemplum Aristidis Monodia de Smyrna collapsa: vix sensum sub initio doloris videtur concipere, & statim totus profusa oratione ac verborum emendicatâ copiâ est in collapsæ urbis descriptione, commendans dignitatem, commemorans Corybantum choros, educationes, natalésque Deorum; recensens eam fuisse nobilissimam Peloponensium coloniam, urbem præclarissimam; referens Theseum habuisse conditorem; certamina ludicra, & umbratiles pugnas pluries in ea fuisse populis oblectamento: hisce narratis describit suburbia, Portus, Maria, Campos, Fontes, Prospectus, Templa, columnas, statuas, forum, plateas, & reliqua urbis ornamenta, eâ verborum copiâ, ac prolixitate, ut vel ipsis legentibus tœdium potiùs, quàm affectum moveat commiserationis.

Is Aristidem diceretur Orator imitari, qui lapsui illachrymaturus Funambuli, ut affectum doloris excitaret, totam ejus saltandi artem describeret, nimirum eum per extensum funem, perinde ac in pavimento non solùm deambulâsse; verùm etiam vibrato sursum corpore, pedibus micantibus cytharædo personante choreas ad numerum duxisse; & adjunctis ad plantas orbiculis, ac muricibus, Musicis instrumentis repetita saltatione aprimè respondisse, & mox Mustellarum, vel Anguium more, prono pectore, projectóque corpore reptasse ad nervum, ubi resiliret, ubi suspenderetur, & ubi simulata prolapsione se se in gradum resetret. Hæc qui audirent potiùs artem ac agilitatem laudarent funambuli, quàm dolorem ex ejus lapsu conciperent; nec lacrymas ex ejus interitu orator eliceret. 95.

Cavendum, ne in affectibus excitandis puerilia misceantur, quæ cùm nihil habeant ponderis, parum continent roboris ad animum movendum, talia sunt, quæ habet Libanius Sophista in nænia de conflagratione Daphnitici Templi; exclamat enim contra ipsum ignem, qui ausus est Templum comburere inquiens: *O dexteram malignam, ô iniquum ignem! quónam primum dilapsus est? Quodnam mali hujus exordium? siquidem à tecto exortus in reliquas deinceps partes irrepsit; & ad illius caput serpsit, ad phialam, cydarim, & talarem vestem: Vulcanus enim ignis arbiter non comminatus est igni huic detrimentum afferenti, cum beneficio devinctus Apollini deberet, ob indicium olim sibi ab illo factum: sed neque Jupiter, qui imbrium habenas tenet, aquam in ignem dimisit; qui præsertim olim Lidorum Regi periclitanti aquam extinxerit. Trahitur mihi mens ad Dei Apollinis speciem, ac mihi ob oculos cogitatio typum ipsum repræsentat, forma lævitatem, colli mollitiem, idque in lapide cingulum, quo aurea tunica circa pectus sic colligebatur, ut partim subsideret, partim subsurgeret. Denique totus Dei habitus, cujus iram, vel ferventem non sedâsset,* 96.

*set, ut qui similis esset cantilenam occinenti, & herculè audivit hunc olim aliquis in meridie citharæ ludentem! aures beatas! Cæterum cantus telluris erat laudatio, cui quidem de aureo Cyatho libare mihi videtur, quòd puellam occuluerit dehiscens, ac se se deinde contrahens.* Hæc & pleraque alia puerilia prodncit Libanius Sophista in sua nænia, quæ tantùm abest, excitando dolori idonea esse, ut potiùs risum moveant.

97. Sunt etiam, qui in excitandis affectibus vehementioribus, quique plurimum exiguot fervoris, & efficaciæ, ita sant remissi, ac languidi, ut vix animos moveant, & tunc potiùs videntur fingere, quàm affectus ciere; ut qui in gravissimis injuriis reprehendendis omnino languidus esset, & voce demissa illatas sibi injurias recenseret: cum natura ipsa satis ex se prosiliat, quoties pulsatur quis conviciis, vel læditur injuriâ; neque tunc ita injuriis lacessitus acrioribus indiget incitamentis: nullæ siquidè sunt gentes, quamvis rudes, & aggrestes, quæ cum suas, vel consanguineorum lamentantur injurias, totis lateribus, plena voce, fervido vultu, ac plena actione non conquerantur, petántque illatas sibi injurias vindicari, pœnisque puniri acrioribus, & ita se gerunt voce, & vultu, ut satis conjiciatur eas ex intimioribus visceribus loqui. Quamobrem si orator sit remissus, imbecillis, destitutus vigore in iis movendis affectibus, qui ex natura sua vehementiam exigunt, nil efficit; ac perinde se gereret, sicut qui gelu vellet paleas accendere, vel amota nive tormentario pulveri ignem excitare: si orator non sit fervidus; sed potiùs naturâ imbecillis voce, & lateribus tenuis, nec possit indignari, aut irasci, satius est, si ab hisce excitandis affectibus abstineat, quos movere duntaxat ij possunt, qui ferventioris sunt naturæ, & totis lateribus invehunt, indignantur, ac irascuntur. Est tamen nonnunquam excessus ardoris coërcendus, quia facilè irrumpit tunc orator in motus inconditos, & agrestes, qui majestatem dedecent eloquentiæ: convenit dicenti è suggesto ad populum gravitas, & modestia, quibus masculam præseferat authoritatem.

98. Præterea optimum factu est, si orator personarum, quas constituit flectere, exploratos habeat mores, ac innatas propensiones; qui enim naturâ sunt feroces, & animo pervicaces, vix ad commiserationem flectuntur; hi enim validioribus argumentis ac ferventiori æstu permovendi sunt. Difficilius itidem est movere, ubi jam senio ad similes affectus pectora indurescere consueverunt, vel contrariis etiam affectibus jam diu fuerunt occupata: cum hisce dimicandum potiùs est validissimis rationibus; alioquin si Orator paulò remissiùs dixerit, irritos prorsus efficiet motus; perinde ac qui pugno cuperet pulsatum Elephantum in terram prosternere. Motus si tunc sint remissi, nil obtinent roboris; oilque efficiuot, nisi pervicax adversus ea, quæ dicuntur judicium validiori marte oppugoatum fuerit.

Potior ars in ciendis affectibus, flectendisque animis est, intellectum eorum convincere, quos Orator movere intendit, adeout erudiendus sit etiam, & plenè convincendus imperitorum intellectus, ut mox postea incipiant inardescere: nulla inducitur recens in rebus corruptioni obnoxiis forma, quin debitæ præcesserint dispositiones, quibus prævié subjectum præparetur ad recentem formam induendam. Hinc nunquam ex abrupto incipiendum est, sed præviæ inducendæ sunt dispositiones, quibus præparentur animi ad eos motus, quos Orator intendit in iisdem excitare: nisi fortassis jam mutæ rerum circumstantiæ egeriot, quæ erant ab Oratore inducenda; qua ratione Cicero interdum ex abrupto suis initium posuit orationibus, ut: *Quousque tandem abutêre Catilina patientiâ nostrâ:* quia tunc animi jam erant præparati adversus Catilinam, & faciliùs potuit Cicero ad iram, & indignationem movere. 99.

Cæterum quamvis animi fiat præviis dispositionibus præparandi ad hos, vel illos affectus, solerti tamen industria id providendum est, ne accersiti, aut intrusi potiùs videantur affectus, quàm suaptè natura excitati: si enim nimis artificiosi deprehendantur, quasi detecti hostium subterranei coniculi, vel suo destituuntur effectu, vel omnino eluduntur. Quamobrem permotiones animi non aperto marte evocari debent, sed omnino latente, ut Auditores sentiant quidem se tali affecto tangi; non verò cognoscant, oratorē ad eum finē eos pulsare. Hac in re festiva est narratio, quam exhibet Quintilianus de adolescente quodam Causidico, qui apud Cassium Severum peroraturus alloquens Severum dixit, *quid me torvo vultu intueris Severe?* atque frigidè Vir gravis reposuit, *Non me herculè faciebam, sed sic scripsisti;* unde & quàm potuit truculentissimè cum aspexit: sunt etiam qui res sensibiles exhibent ad animos flectendos, qui tamen sæpius risum potiùs, quàm affectum movent. Viri præsertim cordati ratione potiùs, quàm rebus materialibus finnntur moveri. 100.

Affectib[us] sunt etiam propriæ sententiæ accommoda[ndæ], ac verba aptanda, in quo non modici ingenij necessaria est industria: siquidem ita comparanda est motio, ut naturaliter censeatur enasci, non verò arte intrudi. Neque in vestigandis sententiis, ac delectu verborum debet quidquam affectatum, aut violentum induci: quæ enim violenta sunt affectus potiùs corrumpunt, enecántque com primum nascuntur. Adscititia itidem, quæque minus ad rem faciuot resecanda sunt, quia si Auditores iisdem adhærescant, excitati affectus statim marcescunt: unde delectus sententiarum, ac verborum haberi quidem debet, sine tamen affectatione, sed potiùs neglecto quodam cultu; ita tamen ut vim non exuant, sed potiùs acriorem occultent, quâ ratione etiam argumenta mista, & confusa plerumque producuntur, quæ adaptato quodam errore 101.

rore vagantur, ut videantur ab excitata potiùs mente subjici, quàm ab ulla artificij exquisitione comparari, quo pacto Medea apud Senecam tragœdum confusis cogitationibus, sententiisque abruptis raptim desilit, pluresque affectus excitat.

102. Debent tamen sententiæ esse vibrantes,& plurimum continere acuminis, breves quidem, sed crebræ, quia si fusæ sint affectum potiùs enervant, perinde ac tempestas, eò fit imbecillior, quò ventus eam latiùs spargit: si enim quæ Medea apud Senecam profert fusioribus verbis, ac per dedolatas periodos proferrentur, minus procul dubio præseferrent efficaciæ ad movendos animos, excitandósque affectus. In mitioribus tamen affectibus dictio requiritur mobilis, expedita, quæque facilè de re una ad aliam percurrat, dummodo honesta sit,& gravis; quia ut nervi, seu fides in chely, ut harmonicum edant sonum intendi nimium non debent, nec inertiùs remitti, sed ita adaptari, ut omnes unà concordent; ita in ciendis affectibus adhibenda est quædam in rebus norma, & verbis mensura, quæ si negligatur, oratio fit minus apta ad animos movendos; perinde ac non concordantes nervi in cythara minori sunt auribus oblectamento: cavere igitur debet Orator, ne sententiæ, & argumenta, quibus utitur ad movendos animos, humi repant ob nimiam infirmitatem, nec nimis in sublime evehantur ob exoticam subtilitatem; quia animi potiùs defatigantur in perceptione argumentorum, quàm præparentur ad animi præmotiones: unde mentes sunt firmissimis præsidiis muniendæ, seu argumentis convincendæ, quibus in eam flectantur partem, quam orator intendit. Oratori,qui affectus movet,non tantùm calor, qui statim effluit, verùm etiam solida animorum persuasio, quæ diutiùs hæreat animo, quærenda est.

## §. X.

### *De Excerptorum utilitate ad affectus ciendos, & coercendos.*

103. QUantæ sint excerpta oratoribus utilitati ex memoriæ nostræ conjicitur fluxibilitate,ac labilitate: cum omnium, quæ audimus, videmus, legimus,meminisse, hominis excedat conditionem; cujus memoria segnis est, angusta,volatilis,ac infidelis,nisi suis fulciatur adminiculis; ideo sunt hæc beneficio decerptorum accersenda, ut notat Drexelius. *In sua Aurifodina.* Quamvis tenacissimæ sit quis memoriæ, fieri tamen non potest, ut omnia quæ sensui obviant exteriori, fideliter retineat, & præsertim quæ per plures annos studiosa lectio haurire valuit ex probatis præsertim authoribus. Tametsi labor improbus tantarum rerum imagines varietate dissimiles, multitudine propemodum innumeras, in hoc memoriæ ærarium recondat, & reconditas aliquandiu conservet, prout altiùs menti imprimuntur: sine tamen excerptis semper,ac fideliter ea conservari vix labor ullus, vel memoriæ præstantia poterit impetrare. Insider nobis intimò capite ad imas aures cellula quædam angustiis perquàm coarctata, licèt capacitate latissima, ac dispositione fermè mirifica, hæcque memoria dicitur, quâ qui pollet, meritò glorietur tanquam excellenti vitæ bono, penúque disciplinarum, ac thesauro rerum omnium, cum sit germana musarum parens, altrix Sapientiæ: non enim potest quidquam præstantius excogitari,ea in homine capacitate,quam immensa rerum sibi jugiter succedentium, & quotidie accedentium congeries non expleat, nec cumulet,sed latiùs dilatet,ac novos semper sinus, ac recessus intùs aperiat.

104. Beneficio memoriæ rerum, verborúmque multitudines,formâ prorsus discrepantes, sensus varios,numerò innumeros non confusè, & permixtè, sed distinctè quasi seriatim, & discretis per capita rebus retinemus, ac repetimus. Verùm absque decerptorum beneficio, quæ aliquandiu memoriæ hæserunt facilè obliterantur. Tametsi in hoc ærario reconditæ sint res à nobis gestæ, vel fictæ,vel dictæ imò & sæculorum omnium historiæ, quas legimus; homines quos novimus; doctrinas quas didicimus; artes quas exercuimus, præcepta,quæ servavimus; adhuc hæc,si non omnia, saltem potiori sui parte memoriâ excidunt, & oblivione consepeliuntur, quia licèt lateant hæc omnia, hæreántque in illis memoriæ receptaculis; adhuc tamen suis in imaginibus, & simulacris deficiunt, & paulatim delentur, ut rectè notat Hieremias Drexelius in sua Aurifodina Excerptorum.

105. Quamobrem licèt ire inficias haud possimus, magnam esse vim memoriæ,ac penetrale amplissimum,præterquam quod magnæ molis sit, & laboris improbi in hoc spelæo, quod in occipitio natura aperuit res omnes, quæ vegetant cum plantis, sentiunt cum brutis, discurrunt cum hominibus, hærent cum saxis, natant in undis, volitant per aëra, recondere; ideo necessum est adminiculis excerptorum supplere ejus defectus, præsertim cum suis in homine memoria coarctetur limitibus, claudatur terminis, ultra quos non progreditur. Quapropter licèt rerum variarum imagines certis velut cellulis recondantur, nisi tamen repositæ custodiantur, facilè evanescunt, adeò ut conquestus etiam fuerit D. Augustinus de hac memoriæ fluxibilitate; ait ipse. *Lib. 10. confess. c. 11.* *Quàm multa hujusmodi gestat memoria mea, quæ jam inventa sunt, & sicut dixi quasi ad manum posita, quæ didicisse, & nôsse dicimur? quæ si modestis temporum intervallis recolere desidero, ita rursus demerguntur, & quasi remotiora penetralia dilabuntur. Ut denuò velut nova excogitanda sint.* Ratio, ea est, quia cum novæ rerum notiones jugiter memoriam subeant ad accessum recentiorum, priores, ac vetustæ deliquium patiuntur, ac prorsus deficiunt, ac si imago imaginem expelleret, ac per rerum successiones priora simulacra interirent. Hæcque ratio cur Plato

memoriam stomachum animi dixerit, quia sicut stomachus plura dietim, & varia recipit, quibus tamen diurnum non indulget hospitium: ita plurima quotidie in memoria imprimuntur rerum diversarum simulacra, ut diversissima quidem complectatur; sed brevi veluti oneris impatiens, quasi admissorum hospitum pertæsa citiùs ea dimittit, quæ impenso labore admiserat.

106. Huic defectui occurritur, si quæ è probis authoribus leguntur, vel à laudatis Oratoribus audiuntur separatim notentur in proprias suas distributa classes, quia licèt sit memoria rerum plurium capax, est tamen veluti ligneum vas rimulis crebris dehiscens, ac propterea hac, illácque perfluens: unde satiùs si excerpta notentur. Juvat enim scriptura memoriam, & fideliùs, diutiúsque excipiuntur excerpta papyro, quàm memoriæ concredantur. Sunt qui multa legunt, plurima addiscunt, quæ cum non fuerint papyro concredita, & scripta facilè dilabuntur, & nunquam revocantur. Parum prodest plura didicisse, val legisse, si quæ legimus, vel didicimus iterum elabi patiamur: id perinde est, ac oleum perdere, & nullum ex labore improbo fructum colligere. Plures sunt, qui retroactis annis varia ac multa legerunt, & audierunt, quorum vix habent unam, vel alteram speciem, dicuntúrque propterea nescire, quæ olim sciverunt, quia meminisse eorundem nequeunt.

107. Scio plures vel maximè memoriâ polluisse: legimus enim Alexandrum Macedonum totam Homeri Iliadem, magnámque Odyseæ partem; & Cosroem Persarum Regem omnes Aristotalis libros memoriâ retinuisse, ac fideliter recitâsse; Demosthenem Thucydidem octies sua manu descripsisse, ac memoriæ ad verbum mandâsse; Mitridatem duo supra viginti calluisse diversa idiomata, & totidem linguis jus dixisse populis, qui ejus subjiciebantur imperio; Cyrum Regem Persarum cum numerosissimum duceret exercitum singulorum militum nomina memoriâ retinuisse. Imò Genethlius ea fertur fuisse memoria, ut totam declamationem semel auditam potuerit ad verbum recitare; Nepotianus itidem Heliodori Episcopi è sorore Nepos cum in castris adolevisset, profectiori ætate institutum monasticum amplexus ea memoriæ facilitate libros percurrebat, ut in familiaribus colloquiis si quid eruditionis in medium prolatum fuisset, statim authores recenseret, ex quibus fuerunt eruditiones decerptæ; S. Hieronymus referente Augustino eâ valuit memoriâ, ut non solùm Hebræorum, verùm etiam Græcorum, Caldeorum, Persarum, Medorum, & Arabum, aliarúmque exterarum nationum linguas calluerit, adeout Augustinus illud de Hieronymo præclarum scripserit: nullum scilicet hominem scivisse, quod Hieronymus ignoravit.

108. Verùm ut ad recentiora, nostrisque tamporibus proximiora accedamus, Paulus IV. Pontifex maximus Clericorum Regularium Theatinorum confundator ea fuit memoriæ felicitate à natura donatus, ut sacra biblia ad verbum didicerit, & in extremo senio integras è Tullio, Virgilio, aliisque authoribus orationes, & poëmata fideliter recitaverit, linguas calluerit hebraicam, Chaldaicam, Græcam, Arabam præter latinam, Hispanam, Italicam, Gallicam, & Anglicam, Gregorius XIII. omnes Psalmos proprio ordine memoriâ fideliter recitavit teste Ammonio Abbata, Athanasii, & Basilii scripta, ita legerat, ut decem millia versuum, & sexcentos ax iisdem protulerit: & ut à summis Antistitibus ad laicos transeamus Principes; Fridericus I. & Maximilianus itidem I. ambo Imperatores adeo tenacis dicuntur fuisse memoriæ, ut eorum omnium etiam exigui momenti, quæ semel audierant ampliùs non oblivilcerentur, hominésque noscent omnes, quos semel ad suas admiserant aures. Franciscus itidem I. Rex Galliæ expedito memoriæ captu omnes fere sui ævi homines superavit, omnes quotquot in suo amplissimo exercitu milites duxerat proprio potuit nomine ab aliis distinguere teste Jovio, qui addit, potuisse fideliter recensere quid, & quantum peculiaris commeatûs unaquæque provincia suppeditare posset, quænam itinera, quæ flumina ad convectiones opportuniora, ac viciniora forent, è quibus Ibernis equitum alæ celerrimè convenirent, tam exactè norat, ut rationes itinerum, compendia navigantium, civitatum etiam remotissimarum copias, præcipua rerum omnium subsidia è memoriæ thesauro fideliter depromeret. Non tamen hi, & alii sexcenti, qui memoriâ excelluerunt, adeo felices fuisse dicuntur, quin rerum plurimarum etiam obliviscerentur. *Lib. 33. Histor.*

Oratores igitur, qui ea non gaudent memoriæ felicitate; quæ in scriptoribus legerunt, vel à concionatoribus audierunt natatu digna, præsertim ad affectus excitandos, vel coërcendos necesse est, adnotent, ne è memoria excidant, ac dilabantur, ut insigniores, ac cæteris doctiores viri præstiterunt. Hoc subsidio decerptorum Cajus Plinius II. naturæ Panegyristes laudatissimus eam sibi eruditionum excyclopediam comparavit, ut aliis fuerit admirationi. Fertur de Plinio, quòd post meridiem plerumque frigidâ lavaretur, postea gustaret, dormirétque minimum: & mox quasi alio die studeret in cœnæ tempus, super quam liber legebatur, & adnotabantur eutsim excerpens, quæ sibi notatu digna visa erant. Aulus Gellius noctium Atticarum eruditissimus scriptor de se ipso ait: *usi sumus ordine rerum fortuito, quem antea in excerpendo feceramus. Nam proinde, ut librum quemque in manus ceperam sive græcum, sive latinum, vel quid memoratu dignum audieram, ita qua libitum erat, cujus generis, cúmque erant, indistinctè atque promiscuè annotabam: eaque mihi in subsidium memoriæ, quoddam litterarum penus recondebam, ut quando usus venisset, aut rei, aut verbi, cujus me fortè recens* 109. *Lib. 20.*

*cens oblivio tenuisset, & libri ex quibus ea scripseram non adessent, facilè inde nobis inventu, atque depromptu foret:* & hoc decerptorum beneficiò noctes Atticæ in lucem prodierunt; & noster Aloysius Novarinus plures edidit volumina Adagiorum, & alia, ut Schediasmata sacro-profana. Aquas Nuptiales.

110. Nulli igitur dubium quin maximè sint Oratori excerpta utilitati, quia quæ è memoria facilè exciderent, fideliter asservantur, simúlque lectoris ingenium plurimum acuitur curê scribendi, & annotandi, quæ præ cæteris notatu censentur digna; tunc enim sicut lectio, ita & meditatio memoriam juvant; tantóque meliùs res intelliguntur, quantò exactiùs expenduntur, si transeant in notas; quæ enim propria manu scribuntur ingenium juvant, & diutius memoriæ hærent, quâ de causa Demosthenes referente Dionysio Alicarnaseo Tucydidem totum octies sua manu descripsit, ut etiem D. Hieronymus plura volumina descripsit, èx quibus plurimum hausit utilitatis. Theodosius itidem junior imperator non solùm venustos chrecteres efformavit, ut refert Nicephorus, verùm etiam plurima descripsit, & tam multa, ut si tenuis fuisset fortunæ, adhuc se se alere scribendo cmmodè potuisset; cum non solùm diurnas horas; verùm, & nocturnes scribendo impenderet. Hæc alia hauritur utilitas ex annotatis excerptis, quia quæ scribuntur intelligentiam profundiùs subeunt, mentique altius imprimuntur, quia tunc diutius excerptor lectis immoratur; quia annotens excerpta pluries relegit, retractátque longè meliùs, quæ retinendo possidet; cum hominis memoria segnis sit, labilis, fallax, & rimulis fermè dehiscens, vix plura capit; quin eorum potior pars eam fugiat: perinde ac aqua cribro hausta, quæ statim iterum defluit. Effluit, quod in notas non venit; & pene totum frustra legitur, quod in excerpta non seligitur; unde optimum sectu, si orator, quæ ex probis decerpsit scriptoribus in notas exscribat, quas facilè quoties libuerit légere valeat. Quæ præsertim cursim, ac persunctoriè legntur, vix animo hærent impressa, & è legentium memoria promptiùs elabuntur. Nullum memoriæ juvandæ præstantius subsidium, quàm ab Authoribus classicis decerpta chartis concredere, ac in suas digerere classes: sicut enim sæpius chartis impallescimus, ut ipsæ nos doceant, quæ scire cupimus; ita crebriùs è chartis meminisse edigimur. Hâc solertiâ plutima postea prodierunt volumina Reipublicæ litterariæ utilia, quæ nil allud continent nisi excerpta in suas classes digesta, quæ legentibus non modico sunt commodo. Beneficio excerptorum prodierunt pleraque miscelanea, summaria, promptuaria, rerum plurimarum sylvæ, Horæ succisivæ plurimum eruditionis, ac amænitatis exhibentes, Farragines doctrinales, Tituli immemoriales, Collectanea, Pantectæ, Epithomæ, Florilegia, Polyantheæ, Spicilegia, quibus omnibus hisce commodis procul dubio privaremur, si studiis addicti litterarum excerpta suis non concredidissent chartis. Quemadmodum igitur qui alienos labores annotârunt, plurimum nobis adferunt utilitatis: multò magis erunt nobis proficua, quæ nos ipsi decerpimus; & quæ sparsim collegimus in unum comprehensa papyraceum volumen unita legimus: sicut enim de coclea vulgò dicitur, omnia bona secum deferre, eò quia domus propria, quam semper secum advehit, sit domus optima; ita notæ propriæ optimæ sunt, & cæteris nobis utiliores; magis enim nostro accommodantur usui, quàm plurima alia volumina excerptorum, quæ elienus labor congessit: quæ nostra sunt, nostróque labore parata, nobis magis sapiunt, magisque prosunt, quia nobis notiora, nostróque captui magis accommodata.

Hanc excerptorum utilitatam scitè nos edocet formicula parentis telluris agilis alumnula: hæc siquidem è terris emersa visceribus, locísque abditis promptâ, & festinâ velocitate gnavitar huc, illúcque discurrit, & sedula congerit æstivis diebus, unde habeac, quo hyeme congruè alatur: videmus formiculam nostros quasi, ob suam exilitatem, oculos fugientem, itionibus plurimis, ac reditionibus eadem relegere millies itinera, fatigari nesciam, ac inertis otij sterilitatem catenatis suis damnare laboribus: videmus hanc terræ rimularum agilem incolam, futuri quasi providam matremfamilias, æstivi syderis beneficio è suis in terræ sinu abditis cavernulis liberiorem ad auram emergere excerpturam, quæ suum in penu convehat semina, quæ abrosa condit, ne rursus in fruges exeant è terra: quòd si imbra mandefiant, statim exteriùs profert, ut exsiccentur: hacque industria sibi ita providè consulit, ut brumæ injurias non metuat, nec famis luridum vultum horreat: quinimo sterilescentem hyemen commeatu jam pridem recondito citra damnum, & sine fame tolerat. Quòd si formicarum officia, ac munia, quæ obeunt consideremus, non unus est omnibus, & idem labor, plures siquidem baiularum fungentes officio festucas ferunt se ipsis longè grandiores; si enim comperemus onera, quæ repentes trahunt, earundem corporibus, necesse est fateamur esse longè majora, ac pondere greviora· gerunt ee morsu, si earum vires non excesserint. Sin verò majora fuerint, tunc aversæ postrèmis pedibus nituntur ea trahere. Aliæ itinerum obstacula amovent, viarúmque semitas sternunt; aliæ herbarum semina oris forcipe devehunt; aliæ è foveis impenso labore terram egerunt, meatus aquarum aggeribus exluduut, ne scilicet madefacta tellus congesta semina pubescentem convertat in herbem; idque, ut impediant, illata quoque semina prærodunt, ut ubi germen erumpere assolet, sterilescat. Quædam itidem solemni luctu corpora efferunt emortua, quæ debitâ donentur sepulturâ parentantibus defunctæ reliqnis circum mortuam: & quamvis varij sint labores, diversa officia, ac munia, 111.

quæ

quæ obeunt discretè, & plurima, eo tamen singulæ procedunt ordine, ut nulla alteri sit obsiculo in suis obeundis officijs, neque egredientes ex dehiscentis telluris rimulis ingredientibus sunt obstaculo; quin potiùs si quæ sub immodico onere fatiscunt; vel sub fasce corruunt, ab aliis illicò juvantur, quæ suppositis humeris laborem oneris vehendi dividunt, & collapsas erigunt charitatis simul officia exercentes, sibique providè consulentes: mirum sanè, quòd tam minutum animarculum tantum adhibeat studij in seligendis æstivo sub sydere, quæ gelida in hyeme noverit sibi prodesse. Documento planè sunt formicæ Oratoribus, qui si velint sibi providè consulere necessum est decerptis utantur, discántque, vel ex formicula seligere, quæ inter legendum probos authores notatu repererint digna, eáque annotare suas in classes digesta; ut si libri desint; & occasio exigat, ut orator è suggesto ad populum dicat; parata statim habeat, quæ noverit esse tunc magis opportuna.

## §. XI.

### *Quomodo excerptorum classes distribuenda, ut Oratoribus sint commodo.*

112. NE excerpta tumultuatim congerantur factu optimum est, si suas dividantur, congerantúrque in classes, quæ tripartiri possunt in lemmata, Adversaria, & Historica, ut notat Drexelius: ad lemmata pertinent, quæ nec Historiæ sunt, neque fusè scribuntur, sed pressè, & laconicè, & quasi per modum cujusdam sententiæ; quâ ratione, quæ circa affectus humanos in probis scriptoribus leguntur, possunt congeri per modum lemmatis, vel quasi documenti: in exemplum adjicio aliqua circa affectus excerpta, & adnotanda sub serie lemmatis, suntque

*In sua Aurifodina.*

113. Primò ex S. Augustino. In disciplina nostra non quæritur, utrum pius animus irascatur, sed quare irascatur; nec utrum sit tristis, sed unde sit tristis; nec utrum timeat, sed quid timeat. Irasci enim peccanti ut corrigatur; contristari afflicto ut liberetur; timere periclitanti, ne pereat, nescio utrum quisquam sana consideratione reprehendat? Ex hoc Augustini effato, inferimus; illas solas passiones damnari, quæ rationis terminos excedentes hominem dejiciunt de rationis tranquillo statu, & in scelus aliquod, ac vitium pertrahunt.

*Lib. 9. de civitate Dei c. 5.*

114. Secundò, indomitos animi affectus, seu passiones tam concupiscentis, quàm irascentis animi coërcere quidem oportet, non tamen penitus eradicare. Ratio petitur ex ipsa natura, quæ hujusmodi propensiones nobis indidit, & unicuique earundem sedem propriam in humano corpore constitutam esse voluit, nimirum lætitiæ in splene, iræ in fele, cupiditati in jecore, timori in corde, quapropter si quis stoicâ falce has prorsus affectiones scinderet, vitam cum iisdem evelleret: hinc perperam docuerunt Stoici, has animi affectiones nostris è pectoribus esse prorsus eliminandas; quid hoc aliud esset, quàm hominem vitâ destituere. Non evellendæ sunt animi passiones, sed coërcendæ, & ad libellam dirigendæ rectæ rationis, quo pacto frequentem nobis laudis segetem, assiduámque victoriarum materiam suppeditant: virtus enim sine contrario suas nequit vires exerere; & omnis humana actio sine insurgentibus passionibus necesse est languescat; tolle cupiditatem, & temperantiæ exercitia prohibes; tolle metum & prudentiæ regimen adimis; tolle lætitiam, & amor virtutis exarescit; intercludе audaciam, & fortitudini vires sustulisti. E contra si modum audaciæ dederis, fortitudinis laude commendaberis: si avaritiam coërcueris, virtute frugalitatis laudaberis: si profusionem compescueris, liberalitatis commendatione donaberis: si ambitioni fræna injeceris, modestiæ encomiis commendaberis.

Tertiò, perinde ac principes venti quatuor recensentur efflantes è præcipuis terraquei globi partibus nimirum Eurus ab ortu, notus ab occasu, Auster à meridie, Boreas à septentrione, qui si immodicè perflent sus, deque omnia in arvis, sylvisque vertunt, ac evertunt, fluctúsque in pelago excitant decumanos: ita quatuor dicuntur præcipuæ animi passiones voluptas, dolor, spes, timor, quarum effrænata concitatione omnes in animo oriuntur tempestates, quibus homo miserè fluctuat, non sine fœdo plerumque naufragio virtutum. 115.

Quartò, non rectè Princeps imperat, qui non magis suis imperat affectionibus, quàm suis subditis; ineptus enim censetur ad regimen aliorum, qui proprias passiones, seu naturæ immodicas propensiones potis non est regere. Advertantur siquidem hujusmodi motus rectæ rationi, quam propterea excæcant, hinc Sapiens monet *fili in vita tua tenta animam tuam, & si fuerit nequam, ne des illi potestatem.* 116.

*Eccles. 37.*

Quintò, ex Tacito si Princeps quosdam ex optimatibus suis effrenes noverit passionibus agitari, eos vigili oculo observet; acres siquidem animorum passiones diu vix celari possunt, aut cohiberi, quin foras erumpant: exiliunt enim quamvis premantur. 117.

*Lib. 1. annal.*

Sextò, sentiunt omnes affectus suos, ac sibi inditas propensiones, adeò ut nec ipsa infantia pravis careat inclinatiunculis, cum vel pilus ipse, ut vulgò dicitur, suam habeat umbram. Sunt propterea infantium affectiunculæ, si pravæ fuerint ab educatoribus coërcendæ; ne si adoleverint animum ad vitia pertrahant. 118.

Septimò, ineptissimus est affectus consiliarius, quia frequenter res majores exhibet, quàm sint in se. 119.

Sicut sub titulo affectuum annotantur singula effata ad animi passiones pertinentes, ita sub aliis titulis congeruntur, quæ spectant ad virtutes, & vitia, aliásque materias, ut ad 120.

ani-

animantes, volucres, quadrupedes, pisces, arbores, montes, elementa, sydera, & alia.

121. Sub titulo lachrymarum notantur quæcunque ad affectum doloris, & ad lachrymas spectant, & laconicè indicantur, quæ fusiùs ab scriptoribus narrantur: ut de lachrymis apud Drexeliom Cæsar Baronius ait, Tbamuz Idoli concavi oculis infusum plumbum fuit, ut accenso intus igne liquefceret & idolum flere videretur. De Beata Genovefa refert Zacharias Lippelous præ gaudio, flevisse, quoties cœlum suspexit. Perinde ac Ericius calidis dicitur aquis interfici; ita dæmonis conatus, ac tentationes lacrymis extinguuntur. Lacrymas viduarum ex oculis in cœlum subsilire innuit Ecclesiasticus. Alexandro Macedoni obviârunt quatuor Græcorum millia, quorum alii pedibus, alii manibus, auribúsque mutili erant, ac frontibus inusti, quique lacrymantes ad lacrymas provocârunt Alexandrû, ut testatur Curtius, qui narrat, Alexandrum profusis lacrymis fuisse conquestum de suis militibus in patriam redire petentibus. Item refert, Alexandrum Macedonem fuisse illacrymatum funeri conjugis Darii. Lacrymas efficacissimam apud Deum esse orationem testantur post lapsum resipiscentes Petrus, & Magdalena; & quotquot lacrymis, quas petrârunt culpas eluerunt. Julianam Martyrem, & virginem profusis lacrymis accensum rogum extinxisse testis est Lippelous die 16. Februarij. Xerxem suum cum lustrâret exercitum non potuisse à lacrymis se temperare, eò quia brevi tot hominum millia ineluctabile Fatum è vivis rapturum esset, refert Valerius Maximus, Mercellum expugnatis Siracusis lacrymas emisisse: & Julium Cæsarem fuisse illacrymatum capiti Pompei hostia infensissimi. Cumis in arce Apollinem triduo lacrymâsse, duoa æditimos Romæ nuntiêsse narrat Livius. Crocodili lacrymas in parœmiam abiisse res nota est, in eos flectuntur, quibus simulato dolore displicet damnum alteri intulisse: Crocodilus enim ad Nili fluvii ripas homini illecrymatur, quem enecavit. Lacrymæ simulatæ crocodilli esse dicuntur. Non tamen simulatè teste Curtio, sed acerbissimè flevit Alexander super Clyti à se interfecti adhuc calente corpore. Narses bellorum fulmen, Martisque terrificus socius, quamvis Gallos subegerit, Germanos vicerit, pluresque alias gentes, vel fregerit, vel deleverit; nunquam pugnavit quin priore nocte proxima amarè fleverit. De quibusdem in bello victis, ac plorantibus militibus appositè nescio quis dixit: quàm meritò illacrymantur ut fœminæ, qui non pugnârunt ut viri. Imaginem Redemptoris cruci affixi dies aliquot flevisse narrat Spondanus in suis ennalibus anno 588. n. 5. & in Hungaria superiore depictam Dei Matris effigiem lacrymas ex oculis emisisse sub Leopoldo I. Cæsare testes fuerunt plures. De Pachomio Abbate fertur, tota nocte cum lacrymis orâsse: & alium eremi incolam profusis lacrymis proprias eluisse culpas narrat Barradius. Huc pertinent junges D. Petri lacrymæ ob negatum magistrum Christum, de quibus fusè agit Busquier Ut etiam lacrymæ Magdalenæ, cujus oculi, cum antea profsoi amoris non tela, sed fulmina fuissent; lacrymarum postea evaserunt flumina; tota enim Magdalena in fletus versa per oculorum stillicidia guttatim defluebat; imò tota exardens purioris amoris flammâ liquescebat in lacrymas; quibus Christi pedes cùm abluit, suas è capite, & corde sordes eluit. Felices oculi, qui cum geminæ essent impuræ flammæ fornaces; perennes, ac pellucidi, mox fiunt fontes lacrymarum, qoi cordis sterilescentem tellurem, vepribúsque obsitam cum irrigant, in excultæ virtutis flores cogunt vernare.

*In aurifodi tom. 2. an. 253 n. 50. & an. 254. n. 35.*

*c. 35. v. 17. & sequent.*

*Lib. 5. Histor. & initio lib. 6. Lib. 4. paulò post medium.*

*Lib 9. c. 13. Item lib. 5. c. 1.*

*Lib. 43.*

*Lib. 8. initio.*

*Tom. 1. lib. 10. c. 17.*

*In notis de passione Christi tom. 28. c. 8.*

Perinde ac sub titulo lachrymarum plura hinc inde collecta promiscuè, & ordine quodam confuso congeruntur; ita sub aliis titulis varia, quæ censentur notatu digna, & seliguntur ex probis scriptoribus, vel audiuntur à viris fide dignis adnotantur ordine Abecedario, adeò ut sub littera A. comprehendantur ea, quorum littera initialis est A. ut amor, Agricultura, Academiæ, Architectura, a quarum admiranda, acroamata, seu ludicræ narrationes Sub littera B. notantur brevitas vitæ, balnea, bacchanaliorum detestatio, bibliothecæ, bombardæ, bellum, & alie, quorum littera initialis est B. & ita procedendum in reliquis alphabeti litteris, quâ ratione sub littera C. collocantur, comæ, crines, calvities, colores, conscientia, carceres, convivia, caduceatores, cingulum, seu milites cincti, & discincti, circus, crocodilus, charitas, castitas, cognitio Dei, contemptus sui, consuetudines, colloquia, & alia id genus. Non tamen omnia sunt indiscriminatim trahenda in notas, sed quæ notatu digniora visa fuerint, quæ enim pervi videntur esse ponderis, ut etiam quæ sunt satis vulgata, & millies decantata omitti possunt, ne farrago nimium excrescat. Eos qui obvia quæque in excerpta rapiunt, præstringit Gellius, quos peres facit Græcia, qui olim: *Varia, & multa lectitantes in quæcunque res inciderent, albâ, ut vulgò dicitur, lineâ, sine cura discriminis, solam copiam sectati, convertebant*, ut ipse loquitur. 122.

*Lib. 20. noct. Attic.*

Non obvia quæque sunt in notas trahenda, sed selecta, & quæ notatu videntur digniora, nobisque posse inservire; ut apiculam potiùs imitemur in hybla volitantem, modò dulces florentis tiliæ succulos, mox gratos Thymi odores, nunc croceata genistarum acumina, modò pallentium violarum suaves delicias, modò purpurascentium rosarum odoratas divitias, aliorúmque florum meliores gemmas ore legulo populantem, ac numerosis crurum, atque coxarum villulis implicantem Tametsi sedulitate argutissime sylvas, prata, flores, herbásque fragrantes, arborésque luxuriantes percurrat apicula, non tamen à singulis aliquid excerpit; cum plures flores negligat, & eos solos delibet, qui aptam favis construendis materiem suppeditare possunt; 123.

non enim nectar Deorum colligit, ut nugantur Poëtæ; non cœli, syderúmque sudorem, ut opinatur Plinius; sed ut rectè putat naturæ interpres Aristoteles aërei roris perfectissimam portionem favis construendis peridoneam, ex qua suum ditat alvearium, ubi ceram liquoribus stipat, favos construit, & mella diffundit. Sicut igitur apicula nonnisi cum maximo delectu è floribus excerpit, quæ sibi possunt inservire, ac esse commodo; iis in excerpendis ex libris, iis, quæ in notas trahimus, ea duntaxat debemus seligere, quæ nobis possunt melius prodesse, ac esse usui; ac imitari apiculam, quæ è floribus tantùm excerpit, quod melioris est succi, & ceræ, mellique aptius. Plures igitur sunt qui ut paulò superiùs annotavimus agunt de lachrymis. Sin verò hyblam SS. Patrum velimus percurrere, & selectiora decerpere; hæc paucula de lachrymis possunt adjici, quæ habentur *in Polyanthea Langij*.

124. Lachtymas Petri lego, satisfactionem non lego: sed quod defendi non potest, ablui potest. Lavant lachrymæ dalictum, quod pudor est dicere, vel confiteri. Lachrymæ veniam non postulant, sed obtinent S. Ambros. Flevit amarè ut lachrymæ lavarent delictum. Similiter lachrymis dilue culpam. Non invenio quid dixerit, bene tamen quòd fleverit, suot enim lachrymæ potiores voce, *Ambrosius*. Pascunt frequenter lachrymæ, & mentem alleviant fletu: refrigerant pectus, & mœstum consolantur. Est enim piis affectibus quædam flendi voluntas, & plerumque graves lachrymas evaporat dolor, ut asserit *D. Ambrosius*.

*In Lucam lib. 9.* — *Ibidem.* — *De obitu Valentini*

125. O lachryma humilis! tuâ potentiâ, tuo regno, tribunal judicis non vereris: amicorum tuorum accusationibus silentium imponis, non est qui te accedere vetet, si sola intraveris, vacua non redibis: Quid plura? vincis invincibilem: ligas omnipotentem, inclinas filium Virginis. Docente te in Ecclesia non clamor populi, led gemitus sulcitetur. Lachrymæ auditorum laudes tuæ sint. Petrum ter negantem amaræ lachrymæ suum restituerunt in locum. *S. Hieronymus.* Oratio Deum lenit, sed lachryma cogit; hæc ungit, illa pungit, *idem in Isaiam.*

*In Epistolis.*

126. Holocaustum siccum est bonum opus, quod orationis lachrymæ non infundunt; holocaustum pingue est, quando hoc quod bene agitur corde humili, etiam per lachrymas irrigatur *S. Gregorius.* Irriguum superius accipit anima tua, cum se lachrymis Regni cœlestis desidetio affligit: irriguum verò inferius accipit, cum inferni supplicio flendo pertimescit. Idem *in registro.* Sæpè quod torpentes latuit, fletibus ionotescit, & afflicta mens malum invenit; quod fecerat: & reatum soum, cujus secura non meminit, hunc in se commota deprehendit: & alibi. Unioscujusque mens tantum ex cordis compunctione ebibat lachrymarum, quantum se à Deo meminit amisisse per culpas. *idem in Pastoral.*

*In Psal. 21.* — *Lib. 8 Moral.*

Deliciæ Angelorum sunt lachrymæ nostræ, & delectabiles lachrymæ pœnitentis *D. Bernardus.* Felices lachrymæ? quas benignæ manus conditoris abstergunt; & beati oculi, qoi in talibus magis liquefieri elegerunt, quàm elevari in superbiam, qoàm omne sublime videre, quàm avaritiæ, & petulantiæ famulari: & alibi. Lachrymæ pœnitentium vinum sunt Angelorum, quia in illis odor vitæ, sapor gratiæ, gustus indulgentiæ, sanitas redeuntis innocentiæ, reconciliationis jucnnditas, & serenatæ coascientiæ suavitas, Illas lachrymas verè in vinum mutari bonum dixerim, quæ supernæ compassionis affectu in fervotem prodeunt charitatis. 127.

*In sermon.* — *De contemptu mundi.* — *Idem super cantica.* — *Idem.*

Nemo ad Deum aliquando flens accessit, qoi qood postulavit, non acceperit; nullus ab eo beneficia dolenter optavit, qoi non impetraverit: ipse est, qui consolatur flentes, dolentes curat, pœnitentes informat *D. Joan. Chrysost.* sicut post vehementes imbres mundus aër, ac purus efficitur; ita & post lachrymarum pluvias serenitas mentis sequitur, & tranquillitas cordis. 128.

*In ser. mon.* — *Idem in Matth.*

Absit ab oratione multa precatio, sed fervens perseveret intentio. Nam multum loqui, est in orando rem necessariam superfluia agere rebus. Multum autem precari, est eum, qui rogatur diuturna cotdis oratione pulsare: nam plerumque hoc negotium plus gemitibus, qoàm sermonibus agitur, plus fletu, quàm affatu *D. Augustinus.* 129.

*Ad Probam.*

Neque ab excerpendis unquam desistendum, tametsi quis à prima florente ætate initium iisdem dederit, quia tantò copiosior fit supellex, quantò studium hujus industriæ est diuturnius: sunt tamen cum judicio seligenda, quæ in notas trahere volumus; in hoc enim omnis vertitur cardo excerprorum, ne labor sit inanis, suóque frustretur fine; non enim ex quavis herbula componendus est noster fasciculus, sed ex iis duntaxat, quæ nobis prodesse possunt. Declinanda itidem est infelix illa solertia, quæ in nugis, & apinis, assaniisque colligendis tota insudat, & ea coacervat, quæ vix unquam futura sunt usui. Lepidum est, quod ad rem nostram refert Gellius inquiens: homo nobis familiaris in litterarum cultu non ignobilis librum grandi volumine mihi dedit, doctrinis omnigenis, ut ipse asserebat præscatentem, quem sibi elaboratum esse ait, ex multis, & variis, ac remotis lectionibus, ut ex eo sumerem quantum liberet rerum memoriâ dignarum. Accipio cupidus & libens tanqoam copiæ cornu nactus essem; & recondo me penitus, ut sine arbitris legam: at quæ ibi scripta erant, proh Jupiter! mera grammaticorum miracula: quo nomine fuerit, qui primus Grammaticus appellatus est: quot fuerint Pythagoræ nobiles, quot Hippocratæ: Euryclia Telemachum, quo genere claustri incluserit, & quapropter idem Poëta rolam non norit, oleum ex rosa norit: atque illud etiam scriptum fuit, quæ nomina fuerint sociorum Ulyssis, qui à Scylla rapti, lacerati que sunt; qui 130.

*Lib. 14. noct. Attic. c. 6.*

adeo

adeo versus sit, qui per singula vocabula, singulis syllabis increscat; ac deinde quâ ratione dixerit singulas pecudes in singulos annos terna parere, & ex quinque operimentis, quibus Achillis clypeus munitus est, quod factum ex auro fuit; summum, an medium? & præterea, quibus urbibus, regionibus vocabula jam mutata sint, quod Bëotia antea appellata fuerit Aonia; quod Ægyptus Aëria, quòd Creta eodem quoque nomine Aëria dicta est. Hæc & alia id genus nullius momenti, nec scitu digna comprehendebantur in libro, quem amicus Gellio obtulerat, veluti locupletissimum thesaurum, ex quo decerperet, quantum vellet: sed Gellius cum plura perlegisset statim ad amicum properavit, cui gratias egit, inquiens; virorum doctissime librum hunc opulentissimum recipe, nil prorsus ad nostras paupertinas litteras congruentem. Continebat enim volumen illud farraginosam inanem varietatem ridicularum quæstionum, quas scire operæ pretium non fuit, neque ut aliquid ex iisdem decerperetur tanquam notatu dignum.

131. In excerptis finis præsertim studiorum attendi debet, cum quo excerpta sint commetienda, alioquin si orator vellet ea tantùm exeerpere, quæ ad solam pertinent mathesim, frustraneè diceretur chartis impallescere, oleúmque propterea perderet; aliter enim Philologus excerpit, aliter Orator, seu concionator, aliter medicus; quisque enim excerpit, quæ ad propriam spectant professionem, sibique esse possunt usui, & commodo. Ut verò excerptores memoriam juvent, consultius semper est si horulis succisivis relegant excerpta, quia hæc firmiùs memoriæ imprimuntur, & hærent: incredibile enim est dictu, quantum hæc mixtura lectionis adferat memoriæ subsidij, & commodi Oratoribus, plura enim ibi leguntur quæ sunt voluptati, alia quæ usui, & multa quæ decerpsisse juvabunt: quinimò selectiora, & utiliora non tantùm chartis scribenda, verùm & memoriæ mandanda sunt, ut usui sint familiari, possintque iisdem decerptores uti in publicis, privatisque colloquiis.

## §. XII.

### *Quomodo adversaria excerpenda, ac instituenda. Personata est mundi lætitia, cui si larvam detrahas non nisi lacrymas elicit.*

132. VOcantur adversaria juxta præsens institutum à Drexelio in sua Aurifodina, quæ ad historias non pertinent, neque ad lemmata; unde adversaria sunt ritus prisci, descriptiones insigniores, sententiæ, & sapientum effata uberiùs explicata. Conveniunt igitur adversaria cum lemmatibus, eò quia non sint historica; differunt verò, quia fusiorem secum trahunt explicationem. Sicut in præcedenti paragrapho lachrymas proposuimus sub titulo lemmatum adnotandas; quæ pertinent ad excitandum pium affectum doloris de patratis noxis; ita è converso hic risum, & quæ pertinent ad mundi gaudium coërcendum exhibemus.

Personatum si dixeris mundi gaudium, cui si larvam detrahas luctus potiùs, ac mœror deprehenditur, posset facilè evinci ex illo Salomonis. *Risum reputavi errorem, & gaudio dixi quid frustra deciperis?* Quòd si decipit, jam personatus est risus, ementita lætitia, & gaudium larvatum, & fictum; adeout falsa sint & fallacia omnia ea gaudia, quibus mundus suos decipit sectatores: apparet in mundo risus, sed qui extima sui specie suos decipiat, non reficiat; nullum enim mundus sectatorem habet, quem suis non fefellerit priùs blanditiis. In mundi scena ridentem vultum exhibet quidem mundi sectator, sed personatus est risus, & nuda oculorum deceptio; tota siquidem hujus scenæ pulchritudo in eo duntaxat sita est, ut aliud pro alio exhibeat spectantium oculis: siquidem felicitas, quam mundus suis pollicetur pura est oculorum deceptio. Pulchrè Chrysost. *Nil habet stabile, neque firmum, sed sola est oculorum deceptio, quæ priusquam appareat, avolat.* Vocat mundi felicitatem oculorum deceptionem, ne mundi illecebris, nec larvatæ ejus lætitiæ, nec falso gaudio fidamus, eò quia ejus lætitia fucata sit, quæ ut ait S. Bernardus *Cor non imbuit, sed tenui duntaxat colore frontem pingit, ut ementita facie suos decipiat spectatores.* Hæc fusius exhibita notari possunt sub titulo adversariorum, eò quia nec historica sint, nec lemmata, ut etiam quæ subjiciuntur. 133. Eccles. 2. Homil. 25. Genes.

134. Legimus quondam risui, veluti Numini cuidam à decepta gentilitate quot annis fuisse sacrificia oblata, ait enim Apuleius *Deo risûs per annua diverticula solemniter celebramus*, & sicut falsum est numen risus, ita etiam ementitus est mundi risus apud Amos Prophetam: *demolientur excelsa Idoli, seu vanitatis*; seu ut legunt septuaginta Interpretes *delebuntur aræ risûs*, ac si in idem falsum idolum, & mundi gaudium reciderent: ita est, ex mundi culta tellure verum gaudium non nascitur, sed tantùm fucata pullulat lætitia: non enim fructus dat ea tellus, quæ non nisi spinis, ac urticis scatet, & ubique semina offert lachrymarum, sepelienda in hominum cordibus fœcundo fœnore in messe miseriarũ pullulatura: hæcque ratio, cur mundus non lætitiæ collis, sed vallis audiat lachrymarum, plorationisque locus, ut inde doceamur, verum gaudium hanc tellurem, nec producere, nec recipere, & si alicubi ridet, suos tunc irridet; scitè S. Laurentius Justinianus *Plorationis, & lachrymarum vallis nuncupatur hic mundus, ut in illo degentes nullum verum nôrint invenire posse solatium. Instabilis est, & per momenta decurrens, casibus plenus, periculis septus, turbinibus agitatus, fluctuationibus anxius, cladibus refertus, dissentionibus inquietus, mutationibus deditus, Deo contrarius, Cælo dissimilis, virtutibus oppositus, sanctitati inimicus, & piis mentibus onerosus.* De interiori conflictu c. 2.

135. Hinc licèt qui mundo adhærent, videantur deliciis affluere, ac pluribus lenociniis ad gaudia invitari, cum tamen rident, risum simulant; quia fucatus est risus, pictus, & fictus; cui si larvam detrahas, luctus esse deprehenditur, vel saltem inanis risus, non verus; perinde ac vel in frigido marmore videntur nonnunquam statuæ ridere, qui tamen risus simulatus est, & fictus, quia marmoreus; nullus enim adeo insanus, ut lapidi verum tribuat risum. Obsepiantur mundi illecebris, qui mundo favent, risum extimo ore ostentent; nonnisi in extremis labiis risus iste fucatus oritur, & moritur: intus enim ridere nequit qui terræ, non cœli est cultor; neque ab hac arbore poma possunt decerpi, quæ verum inducant gaudium, non enim amaræ salices sapida producunt poma. Fatuis sanè ac deliris accensendi sunt, qui ementito, ac personato mundi risui se credunt, hi enim gaudium, quod enixiùs cupiunt, & avidiùs quærunt, citiùs perdunt, quàm enanciscantur, imò neque amittunt, cum nunquam possederint: non enim potest verum esse gaudium, quod eò ipso quòd quæritur, perditur.

136. Risus quem mundus suis exhibet, Sardonicus est, quia non gaudium, sed mortem secum adfert, quam ridentibus miserè infert: quamvis homines sensui, mundique deliciis indulgentes ridere videantur, non tamen verus est eorum risus, sed vera veræ mortis consignatio, ut hisce congruat, quod Salvianus de Romano populo edixit: *Sardonicis herbis omnem Romanorum populum putes exsaturatum, moritur, & ridet:* quia risus mundi Libithinæ est prodromus: habet enim Sardonicus risus mortem comitem: etenim ridere Sardonico risu per parœmiam in eos torquetur, qui sibi indulgentes per noxias culpas à summo bono se avertunt, hinc scitè cecinit ille

*Non bene sollicito veniunt de pectore risus*
*Non bene mærenti fingitur ore jocus.*
*Sardoa non felix mala gramina pastus arator*
*Ridet, & in risu tristia fata trahit.*
*Sic risus perimunt, humanáque gaudia fallunt,*
*Et restat Nemesis sæva pianda manu.*

137. Quid? quod adeo mundi illecebris addicti fatui sint, ut licèt sardonicum risum esse sciant, cui indulgent, eum tamen quærunt, avidéque sequuntur? se fugit hunc qui risum sequitur, quia à fine ultimo avertitur & fugit. Pluribus hic risus arridet, à quibus pretio etiam emitur molestiarum, & lassitudinis; quasi parum sit sine labore perire, adhuc velit homo doloribus dolores sibi promereri; ut eò sit miserior, quò miseriam in risu quærit, & miser esse vult, quia risui huic comiti omnium molestiarum adhærescit.

138. De quibusdam Goæ mulieribus id perhibetur, quòd herba utantur dattoa, ut viros fallant, cujus seminis succus in cibo, aut potu propinatus insanis similes reddit: nec intelligit quidquam, sed semper ridet, qui succum ebibit. Plures sunt, qui minimè expectant ut decipiantur, sed ipsi se decipientes succum hauriunt humanarum voluptatum, ut simul rideant, ac pereant; idque eò nocentius, quò se perire non nôrunt; vel si sciunt, adhuc perire hoc in risu malunt. Mundana gaudia veram nequeunt inferre lætitiam; quia iisdem indulgenti venenum propinant, & ad lethum trahunt; siquidem mundi gaudia venena sunt, quæ placent, & nocent. Cacodæmonis hæc fraus est sibi addictos decipientis, dulce venenum in sæculi voluptate iisdem offert, ut blandam mortem inde hauriant. Pulchrè Eucherius *Homil. 3. in Epiphan.* *Diabolus obsessa semel pectora mollissimis seductionibus decipit: sic Diabolus calliditate veteris artificij condit blandimenta peccandi: quomodo solent, qui mortiferos herbarum temperant succos in condito, aut in aliquo mellito poculo nescientibus propinare gustus mentita suavitate componunt; virus amaritudinis obscurant fraude dulcedinis. Provocat priùs odor poculi, sed præfocat infusus sapor in venis; mel est, quod ascendit in labia, fel est, quod descendit in viscera. Perinde Diabolus per rerum carnalium concupiscentias, voluptatésque illicitas blanditur extrinsecùs, & insidiatur intrinsecùs.* Hæc Encherius, ex quibus conjicitur, quàm noxium sit omnibus temporale gaudium, & iis præsertim, quà cæteris imbecilliores promptiùs sinunt se decipi, in quos tartareus hostis potiores suas vires exerit, ut observat Umbertus inquiens: *Lib 4. erud. relig. p. 4.* *Sicut vinum purum habentes capita debilia lædit, sic gaudium temporale cordibus infirmis nocet.* Caligula referente Suetonio *Lautiore convivio effusus subiit in cachinnos, Coss. qui juxta cubabant, quidnam rideret, blandè quærentibus, quid inquit, nisi uno meo nutu jugulare unumquemque vestrûm statim posse.* Risum excitavit alienæ necis cogitatio, quia risus in symposiis, mundique voluptatibus morti faciliùs associatur: hinc magna nominis cognatio lethi, & læti, ut vix cognata nomina distinguantur, si aures pulsent, non oculis obvientes, ut nimirum discamus ex hac nominum cohærentia lethum esse, quod in mundi illecebris lætum putamus: speciosum est læti nomen, sed lethale, cum ad lethum ita lætantes rapiat. Sunt gandia, quæ mundi illecebræ exhibent hamis paria, quibus pisces capiuntur, ut pereant; exhibentur affixæ escæ non apparentibus hamis, ut pisces decepti ibi mortem deglutiant, ubi vitæ alimenta capere putârunt; pulchrè Nilus Abbas *In parænesi.* *Vita hujus fluxa ne te oblectent, hami enim sunt, ut pisces irretientes.* Displiceant hujusmodi hami, ne mors nobis placeat.

Fucatus sanè, ac larvatus est mundi risus, 139. cum nonnisi lachrymis scateat, ut non abs re ridentes mundi voluptates arridenti similem iridi faciamus. Iridem si rorida in nube suspicimus suos colorum varietate oblectat intuentes,

tuentes, quibus videtur iris ridere simul, & arridere; forma siquidem, quæ in arcum flectitur, oris curvitatem refert, colores labra referunt, & dentes adstantes nubes. Placet quidem pluribus depicta iris coloribus, quos adverso sole exhibet, ceruleum, viridem, purpureum, luteum, igneum, admirabili naturæ arte permistos, & confusione quadam distinctos, alios ex aliis nexos, & tantâ eorundem venustate, ut nullus herbarum, florúmque succus, nullus è lapidibus, lignisve liquor expressus, nullus vermiculorum, conchiliorúmque sanguis eorum exæquet perspicuitatem, superet gratiam. Verùm quæ nobis ridere videtur iris revera plorat, sitque iris, ut cecinit Poëta *Risus plorantis Olympi*. Causam enim iridis discoloris si investigemus in humore esse deprehendimus; non enim apparet unquam iris, nisi in nubilo: & quidam aiunt esse, referente Seneca, aliqua stillicidia, quæ ad solem nubes transmittunt, & quædam magis coacta, quàm ut transluceant: itaque ab illis fulgorem reddi, ab his umbram, & sic utriusque intercursu effici arcum, in quo pars fulgeat, quæ solem recipit; pars obscurior sit, quæ illum excludit.

*Lib. 1. 3. natur. quæst.*

140. Alij existimant, arcum fieri in ea parte, in qua pluit, & singula stillicidia cadentis pluviæ singula specula esse, à quibus solis imago reddatur; vel si hæc Philosophorum placita minus placent; hoc certum est, iridem tunc apparere, quando solis radij in nubem cavam, humidam, roridam, tenuem, æquabilem, quæ in guttas liquari jam cœperat in adversum soli positam reflectuntur: solaris radius cavæ immissus nubi repulsâ acie in se refringitur, & quia solis radij figuram ingenerant rotundam; arcuata nobis imago ostenditur, & ipsa iris discolor, quia partes aliæ in nubibus tumidiores sunt, aliæ submissiores; crassiores aliæ, quæ solis trajectioni obstant, & aliæ quæ prorsus impediunt: ex qua inæqualitate varietas oritur illa colorum ex luce, & umbra apparens: quæ tamen tota venustas licèt mirabilem conciliet varietatem, fucata est, non vera, & risus ille arridentis iridis lachrymæ sunt quasi plorantium nubium, cum in pluvias dissolvantur: si enim sol obtegatur, evanescit illicò tota discolor iridis imago, & tantùm pluviarum lachrymæ supersunt.

141. Ecce mundi imaginem in iridis figura ad vivum expressam suspicimus, non enim mundi gaudia lachrymarum imbrem duntaxat portendunt, verùm etiam tegunt: nudam risûs imaginem deliciis suis, ac illecebris mundus exhibet sibi addictis, quibus ridere quidem videntur, sed extimo tantùm in cortice, quia intùs lachrymis madent, ut non inscitè Plutarchus contra sententiam Epicuri mundi gaudia *ejulantes risus* dixerit, quatenus *risus* apparent, si extimam cutem spectemus: *ejulantes* verò, si quod intus continent, introspiciamus. Seducuntur miserè, qui se duci extimo mundi vultu sinunt; nec sub larvata lætitia luctum vident: hinc rectè monet Augustinus. *Nolite seduci gaudio rerum humanarum, flenda in rebus humanis advertite*: quia nimirum hujus sæculi risus, nonnisi lachrymia scatet, idque ex eo itidem conjicitur, quòd post effusam lætitiam soleant & lachrymæ suboriri, ut verè sapiens dixerit *extrema gaudij luctus occupat*, hoc est non afficit tantùm, sed occupat, quia nil nisi lachrymæ ex mundi risu supersunt, ut verè talis sit risus, ut nonnisi in pluvias solvatur lachrymarum; sitque lætitia fœcunda parens, ac nutrix amari luctûs.

*In Psal. 118.*

Idque apprimè refert lignum adhuc virescens, vividóque humido intus refertum, si igni admoveatur: siquidem ab altero extremo post plura emissa fumi volumina ad lachrymas adigentes circumstantes, flammam tandem concipit; verùm altero in extremo illachrymari deprehenditur lignum, ut nimirum discamus, mundi risum nonnisi in lachrymas, & fumum desinere. Neque errant, qui mundi delicias hujusmodi virescenti ligno pares dicunt; tametsi in fucatæ lætitiæ flammam videantur splendescere; in lachrymas, & fumum statim desinunt: pulchrè Cyrillus Alexandrinus *Desinunt in lachrymas delicia, quæ eò amariores, quò dulciores nobis videbantur*. Sunt qui mundi illecebras similes faciunt pellucidis fontibus. Nobis per arvorum amæna deambulantibus fons obviat, qui è longinquo obstrepens ad nostros usque pedes gratissimo spectaculo procumbit, si ejus scaturiginem adeamus è prærupto scopulo modestis desultibus videmus eum prorumpere, & in subjectam scrobem conchæ simillimam effundi, cujus crepido arridente verno tepore flosculis variatur, ac gramine arridet. Móxque in suum excurrens alveolum prata pleraque grato murmure lustrat. Verùm dum dulces secum advehit latices ad amaras defluit aquas, est quippe mare, quod suo gremio excipit flumina, quæ varios, & singulos terræ tractus percurrunt: ut nimirum inde discamus, mundi risum, ac dulces latices, quos suis voluptatibus exhibet, nonnisi in lachrymas desinere, ac amaritudinem, quia ut præclarè Richardus *Omnis dulcis aqua in mare descendit, & dulcedinem amittit: transit enim mundus, & ejus concupiscentia*. Verùm forsan tolerabile foret, si in solam desineret amaritudinem: sed quod deteriùs, in luctum pertrahit, qui terminum habet nullum, ut notat D. Bernardus *Videte ne blandiens prosperitas sui vobis finem abscondat; ne lætitia temporalis luctum vobis æternum, & operiat, quem parit; & pariat, quem operit*. Vult mellifluus doctor ab effectu nos causam docere; nimirum ex æterno fletu, quàm noxium sit mundi gaudium, cui veritati calculum suum procul dubio adjiciunt, qui æternis cruciatibus, flammisque nunquam extinguendis addicti eò acriùs torquentur, quo liberiùs in mundi risum se effuderunt. 142.

*In c. 2. Amos.*

*De extermi. nationis mali c. 10.*

*Epist. 44.*

Præsentis vitæ gaudium quid sit, ut discamus, sufficit si mare ipsum adeamus, hoc enim plerumque lacteâ nobis blanditur mala- 143.



ciâ,

ciã, ut ad illud trajiciendum nos alliciat: verùm ut suis fluctibus, quos allexerat insepeliat, in cautes, & scopulos naves ad naufragium urget.

144. Imò non mare tantùm, verùm etiam rabidus canis quid sit hoc gaudium edocet; si enim nobis rabidus obviet canis, cum dentes statim ostendat, ridere quidem videtur, sed sub personato risu veram occultat rabiem, & sicut helebore indigeret fatuis accensendus, qui rabidi canis inermem se morsui exponeret fucati illius risus specie deceptus: ita non sanæ est mentis censendus, qui mundi canino risui fidit, licèt enim ridenti facie blandiatur, caninum tamen est ejus gaudium, quod mordet, & interficit. Canis igitur in rabiem acti se exponit morsui, qui mundi gaudio adhærescit, qui carnis indulget voluptatibus: sunt hæ illecebræ mundi dentes, quibus lethaliter mordet.

145. Luxuria, quâ vel maximè sibi addictis mundus eblanditur, tametsi ridentem videatur faciem præseferre, verè tamen, & ipsa canino dente mordet; malus siquidem vermis est luxuria, quæ mordet ridendo, & perimit consentiendo: hæc enim cùm creditur carnem mulcere, mordet; cum blanditur cruentat, ut non abs re eam S. Gregorius Nissenus rabiosam edixerit: *Crudelis* (ait ipse) *domina, ac rabiosa luxuria est, libidine quasi stimulis fervilem mentem exagitans, pungens, & dentibus velut canis mordens, & discerpens.* Blanda videtur, & florida carnis voluptas, sed intus cuspis latet, quâ inflicto lethali vulnere perimat, ut monet S. Ambrosius inquiens: *Intuere peccatoris lætitiam, introspice vulnera, & vibices animæ ejus, cordisque mæstitudinem.*

*De vita Moysis ante medium*

*Lib. 1. offic. c. 18.*

146. Non mordent solùm mundi gaudia, sed quod deteriùs etiam lethalia infligunt vulnera, quæ si non sanguinem fundunt, animam perdunt; si exteriùs cutem non disrumpunt, intus dilaniant; & eò sunt hæc vulnera graviora, quò latentiùs inflicta, & noxiori fraude sub flosculis illecebrarum occultata. Has versutias, fallaciásque detegens S. Hieronymus loquens de fucato mundi gaudio ait: *Universa mendacia subdolo melle circumlinit, ut qui audit verborum dulcedinem venena pectoris non formidet, pacem pollicetur, ut graviora bella exerceat; ridet, ut mordeat.* Certè malorum omnium fœcunda parens est mundi voluptas, cum noxia quæque subdolo melle circumliniat, ne formidetur; & mellea dulcedine blandè alliciat, ut interimat; Imò pejores canibus sunt mundi illecebræ, cum canes in alios sæviant, & propriis dominis parcant, quibus eblandiuntur: mundi verò gaudia acriùs suos discerpunt Heros; eòque sæviùs, quò tenaciùs iisdem adhærent.

*In proœm. 3. lib. comment. in Ieremiam.*

147. Non solùm noxia, & fucata est mundi lætitia, verùm & ita brevis, ut vix nata sepulchrum nacta emoriatur, cujus insigne symbolum producitur rosa non ob brevitatem tantùm, verùm etiam quia spinis circumsepitur, Humanis se dat obtutibus spectandam florum regina matutinæ lucis ad radios primitivas veluti ad faces ante mundi proscenium de more succensas. Erumpit è fœcundo parentis terræ gremio, ubi jactis altè radicibus, & sparsis undique fibris inhærescit. Ad salutarem mox lucis usuram prodit generosæ sobolis, & florulentæ familiæ copiosam exhibitura seriem. Plures ex ono caudice rami sparguntur in virgulta undique scabro cortice contecta; patulisque obarmata sentibus; tenuiores inde pubescentes surculi variè emersi sparguntur, quorum internodia frequentiores, ac teretes spinæ sepiunt. Folia pariter geniculatim diffunduntur in oblongum rotunda, tactúque peraspera, quorum medium nervus interfecat, à quo venulæ plures per totum sparguntur ambitum usque ad extremum marginem crenis incisum, ac serræ præseferentem figuram. Fastigium surculorum globulum virescentem sustinet, seu capitulum mordaci lanugine refertum, in quo foliculus rosæ protuberat inclusus in calice virentibus, ac laciniosis involutus integumentis. Móxque intumescente hoc involucro disrumpitur calix, & intus occlusa folia solis depicta radio rubere incipiunt, ac purpuram induere, ut tandem explicatâ totâ foliorum pompâ superbiat rosa purpureo supernè colore perfusa, subalbis infernè unguibus ad calycis umbilicum coactis. Verùm vix hæc hortorum pulcherrima hospita suam explicat vernantium foliorum ambitionem, ut statim deflorescere, ac devenustari incipiat, sitque propterea rosa extremum, ac lethale morientis veris vulnus; quandoquidem inter ejus spinas nitidè cruentum moritur ver; adeò ut nascatur rosa finem impositura ridenti veri, cujus etiam risus, & splendor umbraculis est, quia momento extinguitur. Insignæ igitur humani gaudii symbolum est rosa, cum non solùm spinis circumsepiatur, verùm etiam eodem quasi momento, & florescat, & flaccescat.

Generatim mundi voluptates, & gaudia flores dixerim extimo colore, ac venustate allicientes, sed statim deficientes: rident quidem campi, & prata variis depicta floribus, venusta coloribus, sed minimè diuturnus est hic risus; evanescit enim cum flores flaccescunt, cum germina arescunt: cum non possint campi diu florere, nec mundus diuturnas potest sibi mancipatis spondere voluptates: perinde ac quidquid floribus innititur, statim arescit; ita qui florentibus sæculi deliciis adhærent, florere diu non possunt, quia caducis innituntur, & perituris inhærent; stare nescia terræ gaudia volant, si adsint, sempérque avolant: hinc scitè cecinit ille: *Gaudia non remanent, sed fugitiva volant.* Non solùm fugiunt profana gaudia, sed totis explicatis alis volant, quia stare nesciont, nec hærere; neque mundana essent, si diuturna forent; vix nascuntur, & intereunt, & si maneant, tœdium procreant, quia spinis, ac molestiis circumsepta. Imò adeo vana sunt hæc gaudia, ut Philo somniis æquiparaverit, ait ipse *Profana gaudia somniis soph-* 148.

sunt

*Lib. de Io-*

*sunt simillima, veniunt, & abeunt, occurrunt, & refugiunt, priusquam comprehendantur, avolant:* nimirum quia referta vanitatibus. Quis vanis somniorum figmentis sinat se vel terreri, vel allici? cum etiam nocturnæ visiones contrarios eventus nonnunquam pronuncient, ut flere, vapulare, & nonnunquam jugulari; & interdum prosperum eventum; quæ tamen omnia plena sunt vanitatis: perinde cum suis amatoribus ludunt sæculi gaudia, quibus illudunt.

149. *In satyra.* Risum inconstanti lunæ aspectui comparat Petronius inquiens: *delectata illa risit tam blandum, ut videretur mihi plenum os extra orbem luna proferre*, & rectè sæculi risus cum luna cohæret. Hæc enim crescens semper, aut senescens, nunquam eadem perseverat, sed suspicitur modò curvata in cornua, modò æqua portione divisa, modò sinuata in orbem: eadémque maculosa, subitò prænitens, & immensa orbe pleno coruscat, repentè decrescit, fitque nulla, & in sua varietate tantùm constans, ac firma, mox pernox, mox sera, mox crescens, mox deficiens, nunc humilis, modò excelsa, nunc in aquilonem elata, mox ad austros dejecta. Neque luna proprio elucescit nitore, sed à sole emendicato, cum pro diversa ad solem habitudine, ita suos mutet aspectus, ut modò in cornua curvetur, suspiciatur falcata, modò æqua portione dividatur, fitque semiformis; modò in orbem sinuetur, appareátque bicornis; modò pleno orbe immensa terminetur, fitque globosa, & modò nulla conspiciatur, adscititio suo destituta nitore: perinde sæculi gaudia tametsi aliquid videantur nobis præseferre illicij, non tamen quod in iisdem placet, firmum est, & diuturnum, sed statim evanescit; quia perinde, ac Luna, phases suas variant, ut quæ risum excitabant, modò lachrymas eliciant.

150. Quòd si nobis splendescere videantur; eorum flamma illicò moritura in fumum desinit lachrymis eliciendis duntaxat aptum; hinc pyraustæ gaudium in parœmiam circumferri assolet de momentanea lætitia ad flammæ splendorem: hisce, qui gaudiis adhærent, iisque inhærent flammis se æternis addicunt ludentes instar pyraustæ ridenti quadam specie circum flammam, seu mundani gaudij arridentem aspectum; cujus risus similis est spinis, quæ igne cremantur, ut enim spinæ citò exuruntur, ita & risus: vix enim exilit, vix oritur, & moritur: egregiè sanctus Ambrosius *In exhort ad Virgin.* *Sicut vox spinarum sub olla ita risus stultorum, Nempe spinæ cum ardent, sonant, & citò exuruntur, ut nullus caloris sit effectus: unde & de Judæis dictum est, exarserunt sicut ignis in spinis: exusti sunt enim suo risu, & conflagrârunt in Domini passione.*

151. Meritò mundi gaudia igni æquiparantur, occupat hic, ambitque sub luna extimam cœli faciem latè per spatia circumfusus. immensa, quæ implet ea magnitudine, quâ elementa cætera longè superat. Quòd verò nativa hac in sede delitescat, nec se prodat, id contingit, quia laxior, & solutior est, & à quavis crassiori materia secretus. Si non splendeat, id oritur, quia caret hoste, nec urgetur adversis; vel fortassis, ut homines edoceret, neminem in sua patria illustrem fieri, sed splendorem laudis, & gloriæ foris quærendum esse; tunc enim splendet ignis cum incipit è patria exulare, tunc torret, si sit extorris. Hinc apud Terricolas si commoretur, totus splendescit; quinimò licèt mitis sit in lunæ concavo; apud homines quasi inhumanitatem ab homine edoctus, plerumque grassatur, non solùm in sylvis, verùm etiam in oppidis, & urbibus, ut in iisdem exitialis sit flammarum crepitantium fulgor, tectorum decidentium fragor, qui omnia feralibus replet umbris; nec ipsis parcit templis, quæ sacrilego pede ingreditur; & sacras violat aras. Nostra gaudia ut sint innoxia non in terris quærenda sunt, sed in cœlis, ubi perinde ac ignis perennant: apud homines exitialia sunt, & nonnisi damna inferunt, quia ut scitè D. Bernardus *Lætitia læta rei in tristitiam commutatur, sicut flamma illius novissima fumus occupat, & caligo.* *De fallaciis præsentis vitæ.*

Vera gaudia nonnisi in cœlesti patria enancisci valemus, in terris adscititia sunt, & lachrymas potiùs, quàm risum provocant: si mentem invadant, hanc evertunt, ut desipere incipiat, qui sapere hæc gaudia incipit; unde Augustinus *Phantasmata rerum temporalium afferunt sæpe deliram, insanámque lætitiam;* excusserat procul dubio hanc lætitiam Salomon, cum dixerit *risum reputavi errorem*, seu ut alij legunt *insaniam*, quia nimirum lætitia, quæ ab humanis hauritur voluptatibus mentem dementat, ut verè dixerit S. Laurentius Justinianus *Talis est mundus iste, ut nonnisi ab insipientibus diligatur: qui enim gratia cœlesti sunt præditi, illius blandas despiciunt voluptates:* & eò majori laborant dementiâ, quò avidiùs inhiant voluptatibus hujus vitæ, quæ tot sunt discriminibus obnoxiæ, tot amaritudinibus subjectæ, tot calamitatibus, & miseriis immixtæ; ut revera stultitia sit in ipsis quærere gaudia, ac velle risu diffluere: qui verè sapiunt, perfunctoria hæc spernunt gaudia, quorum societatem abjiciunt, ne cum iisdem perire cogantur. 152. *In Psalm. 7.* *In fasciculo amoris c. 11.*

Falluntur qui ab humanis voluptatibus oriri lætitiam, prodire risum autumant, ac propterea videntur hisce inhiare voluptatibus, earúmque desiderio teneri. Abstergendus est hic error, qui malorum omnium est origo, ac fons ille putidus, à quo sordes omnes scaturiunt. Tametsi terrenæ voluptates sensum extimè videantur afficere, non tamen intus cor penetrant; ut vel inde ediscamus, nonnisi superficiales esse quas mundus voluptates exhibet, cum extimam duntaxat illecti sensûs illiniant superficiem. Neque voluptatis nomenclatione donari debent, quia ut appositè Nicetas *Omnis voluptas, quæ nec ex Deo, nec in Deo suscipitur voluptatis est putidum excrementum:* cujusmodi ea est, quam mundus suis exhibet sectatoribus: proh quàm deliri 153. *In orat. eod. S. Gregorij Nazian.*

sunt

sunt homines! qui excrementum voluptatis præferunt veris gaudiis! sunt terrenæ voluptates sodomitica poma, quæ licèt extima suî specie eblandiantur, intus tamen cinerescunt ut exitium fucato cortice contegant, rectè Solinus. *Referebant quidem sodomitica poma speciem maturitatis, sed speciosa cutis ambitione favillaceam intrinsecùs fuliginem abscondebant, quæ vel levi pressu tacta fumum exhalet, & fatiscat in vagum pulverem.*

154. Spuriæ sunt voluptates, quas mundus exhibet, fucata gaudia, quæ licèt extima cute eblandiantur, intus tamen nonnisi exitium exhalant; larvata est voluptas, & larvatus risus, qui ab illa diffluit, voluptati larvam calamo detraxit, ejúsque lacrymas detexit S. Laurentius Justinianus, ne imposterum nobis esset risui, sed ludibrio, ait ipse: *voluptas deformis est, & squalida, puritatis inimica, pudicitiæ exterminium, esca diaboli, peccatorum incentivum, mentis rubigo, conscientiæ abolitio, Dei adversatrix, animarum interemptrix, & totius corruptrix honestatis. Hanc quisquis rectè sapit, qui vult vitam, cupitque dies videre bonos, fugiat, ejúsque amicitiam, perinde ac aspidum, ac viperarum aspectum horreat.*

*Lib. de casto connubio, c. 11.*

155. Ecce quàm deformis, quàm lurida, quàm squalida, quàm noxia, & feralis est mundi lætitia, si larvam ei detrahas, & qualis in se sit videas; nulla siquidem est tam fœcunda malorum parens. Hæc circeum poculum eam sitientibus propinat, quos è ratione dejiciat, & in bruta convertat; ut rectè dixerit Seneca: *Voluptatem bonum esse pecoris, non hominis*, adeo ut se homo fugiat, si voluptatem sequatur; séque interimat, si assequatur; ebibit enim circeum poculum, quod sitim acuit, non extinguit; & venenum suis dat potatoribus blandimento voluptatis delinitum, ut blanda sit mors, quæ inde hauritur; & dulce venenum, quod ebibitur.

156. Brevis quidem est voluptas, sed quæ diuturna damna invehat: fallit ipsa, sed non falluntur, quæ ex ipsa sequuntur detrimenta: hac fermè unicè utitur tartareus hostis ad homines decipiendos, & capiendos, quia voluptas delinita dulcedine, depicta coloribus, fucata lenociniis, larvata deliciis extimo vultu minùs cautos allicit, quos perdat; cùm sit intus fornax scelerum, metropolis damnorum omnium, philtrum improbitatis, alveus vitiorum, pestis hominum, contagium malignitatis, humani generis corruptrix, & totius naturæ exitialis morbus. Seligendæ sunt veræ voluptates, non fucatæ; non est sanæ mentis eas delicias amare, quæ nobis veras delicias surripiunt; si voluptatibus allicimur, eas quæramus, quæ veræ sunt, fuósque possessores æternùm beant, ut nos monet Augustinus inquiens: *Voluptatem illam incorruptam, & quietam concupiscamus, & totum mundum deridebimus.* Mundi voluptas est mortis illatrix; nos allicit, ut perimat; arridet, ut lachrymas eliciat; dulcescit, ut perpetuum propinet amarorem; quia ut rectè Dio Chrysostomus *Voluptas sæva quidem, & hostilis, & insidiosa adspectu, jucundè tamen, atque fardonium quiddam subridens, occurritque, fertque vincula juxta naturam, florida ac mollia.* Dicitur voluptas vincula ferre, quia quos semel illigat, fortiùs tenet, ut vix ampliùs dimittat; quia assueti mundi voluptatibus ita iisdem implicantur, ut vix emergere possint.

*Orat. 8.*

157. Pleni hisce vinculis, laqueisque sunt mundi tractus, quos qui percurrunt, sibi cavere debent, ne iisdem irretiti necem incurrant, ubi sensui indulgere in animo erat: hisce irretiri laqueis perinde est ac in mortis laqueum delabi. Verè sardonicam præsefert humana voluptas faciem, herbámque sardonicam sibi emancipatis deglutiendam exhibet; cum hi eò infeliciùs intereant, quò se feliciores voluptatis adspectu fore sperarent; fugiendum est hoc dulce venenum, ne nos interimat, ad mortem siquidem properat, qui mottiferas sequitur voluptates, qui corporis sensui indulget: hæcque ratio, cur D. Paulus corpus nostrum dicat corpus esse mortis; *quis me liberabit de corpore mortis hujus?* quia scilicet per patulas sensuum fenestras mors ingreditur, & per blandimenta voluptatum, quibus allicimur, nos perdunt: hinc Author operis imperfecti *corpus hoc*, ait, *corpus est mortis, quia non vitalibus, sed mortiferis est obnoxium voluptatibus*, qui enim voluptatibus inhiant, iisque indulgent, detrimenta ab iisdem patiuntur, non oblectamenta; quia flagellantur ab iisdem, non oblectantur.

*Homil. 6. in Matth.*

158. Moris apud priscos fuit, ut Angerona, quæ tristitiæ præsidebat, in templo Volupiæ coleretur; eò quia gravida lachrymis semper est omnis humana voluptas, quæ omnium fermè miseriarum fœcunda est parens, plúsque mœroris habet, quàm lætitiæ, plúsque amaritudinis, quàm dulcedinis. Quàm bene Angerona Volupiæ adnectitur in eodem templo? quia voluptas sine tristitia, sine luctu, in terris non invenitur. Proinde cum sint homines cœlo nati, solis cœlestibus debent voluptatibus inhiare. Hinc D. Anselmus inducens alloquentem veræ voluptatis Authorem, ait: *Pota me torrente voluptatis tua, ut nihil jam mundanorum degustare libeat venenata dulcedinis*, cui vera cœli voluptas sapit, huic desipit quævis terrena jucunditas, quæ utpote inanis sitim quidem acuit, nunquam extinguit. Is moritur fame, qui terrenis studet satiare voluptatibus, quæ utpote umbratiles nihil exhibent substantiæ, ut non importunè dixerit Joan. Tollen, *Cui rei aptius profanas comparavero voluptates, quàm mensa Heliogabali, quam ad ludibrium amicis instraverat, in qua cibi omnes è vitro ad imitationem veritatis effecti, irritanda potiùs, quàm sedanda orexi inserviebant:* perinde voluptates epotæ sitim irritant, acuuntque, non extinguunt, neque reficiunt; quia ut rectè S. Laurentius Justinianus: *voluptas semper siti torquetur*, ut inepta sit alienæ siti extinguendæ.

*In alloquiis cœlestibus.*

*In c. 1. Ecclef.*

Adeo

159. Adeo exilis est voluptatis dulcedo, ut fami tollendæ omnino inidonea sit. Errant, qui corporis deliciis putant se reficere; extra veritatis limites vagantur, & falluntur, qui intra harum deliciarum limites, unde satientur, & expleantur, quæritant: ubi omnia sunt inania, & vacua, nil potest quærenti obviare, quô expleatur. Vera voluptas non est, quæ in carnis germinat illecebris; Larvata est illa jucunditas, quæ à corporis pullulat deliciis; quinimo ulceribus se scatere prodit, qui deliciis corporis scalpi cupit: ulcerosa est anima, quæ hac laborat prurigine, ut carnis illecebris

*Lib. 3. confess. cap. 1.* scalpi velit, ut scitè Augustinus monet inquiens *circumstrepebat me undique sartago flagitiorum amorum, nondum amabam, & amari amabam, secretiore indigentiâ, oderam me minùs indigentem, quærebam quid amarem amans amari; & oderam securitatem & viam sine muscipulis: quoniam fames mihi erat intus ab interiori cibo, seu Deo meo: & ideo non bene valebat anima mea, & ulcerosa proiciebat se foras miserabiliter scalpi avida contactu consensibilium.* Animi igitur ægrotantis est non sanæ mentis avidè concupiscere à corporeis confricari illecebris: corruptæ pus mentis, & sanies hanc quærit confricationem: mens enim, quæ sua gaudet sanitate veris tantùm congaudet deliciis, quas solus Deus elargitur.

160. Errat, qui verum putat gaudium, quod è carnis pullulat deliciis, ex mundi germinat illecebris; quia mundus cum undique urticis, ac vepribus circumsepiatur, nonnisi vulnera, & dolores spondere potest. Veriùs censuit, qui mundi blandimenta, carnisque illecebras spurias, ac fucatas dixit voluptates, non genuinas, quia cum veræ deliciæ nonnisi à Deo sint, quas aucupatur homo extra Deum, veræ non sunt, sed spuriæ. Hinc rectè Basilius *Postquam à*

*Homil. 11. in Examer.* *veris in paradiso deliciis excidimus, spurias delicias nobis ipsis excogitamus.* Imò non spuriæ solùm, verùm & noxiæ sunt, quia molestissimam rabiem adferunt, veprésque in iisdem, & dumeta latent, quibus inflicto vulnere miserè dilacerant; ut postquam ab iisdem se subduxerat S. Augustinus testatur inqui-

*Lib. 2. confess. cap. 3.* ens; *Excesserunt caput meum vepres libidinum, & nulla erat eradicans manus.* Quis blandas dixerit spinas, quibus profundiùs anima pungitur, & eò acriùs, quò intimiùs penetrant? Qui sanioris sunt mentis veras tantùm ebibunt voluptates; quæ à Deo fonte bonorum omnium scaturiunt, & sensuum voluptates, carnisque illecebras contemnunt, quia non sunt veræ, sed fictæ; fucatæ, non probatæ, quapropter ait Apostolus: *state succincti lumbos vestros in veritate:* quàm aptè, quàm verè subdit *in veritate:* quia si non castitatis vinculo succincti sint renes, larvatæ voluptatis mendacio capiuntur, & lethali noxiæ libidinis umbrâ decipiuntur; hinc egregiè Chrysostomus explicans verba Apo- *Homilia in Epist. ad Heb.*

stoli: *state succincti lumbos vestros:* ait, *& subjunxit in veritate. Quare in veritate? est enim cupiditas illusio, & mendacium; propterea dicit Propheta Lumbi mei impleti sunt illusionibus. Non est ea res voluptas, sed umbra voluptatis. Succincti inquit state lumbos vestros in veritate; hoc est in vera voluptate, modestia, & honestate.*

Quis igitur tam alienus à sana mente, 161.

quis tam fatuus, ut à vera velit voluptate excidere, æternæ felicitatis destitui dulcedine, ut umbræ adhærescat deliciarum, quæ plenæ sunt mendaciis, delinitæ veneno, circumseptæ vepretis, & sentibus, qui pungunt, ut à veris sibi indulgentes expungant deliciis? Non esse veras voluptates, quas homines ex deliciis sensuum aucupantur, ex eo liquidò evincitur; quia solus Deus vera est, plena, ac tota lætitia; vera, & tota jucunditas complectens totum voluptatis ambitum: est autem Deus à quavis corporea concretione omnino discretus, adeo ut in ipso sine corporis consortio vera, & plena sit voluptas, quæ propterea oriri non potest ex corporeis sensibus, neque in iisdem reperiri. Fucata igitur, & larvata est ea voluptas, quam homines in externis corporis sensibus quærunt, & aucupantur; vera enim soli animo adhærescit; hinc Angeli, quia puri spiritus, puris beantur deliciis: quæ corporis sensus demulcent, carnis duntaxat eradunt superficiem. Imò ita radunt extimam cutem, ut intima discerpant, vulnerentque præcordia, quia corporis voluptates venena propinant, quibus anima miserè inficitur, ac interimitur. Hinc rectè S. Ambrosius *quasi clavis quibus-* *Lib. 4. in Luc.*

*dam suffigitur anima corporeis voluptatibus;* quia inflicto vulnere intus sauciant intimiora præcordia; & dum corpori eblandiuntur, animam enecant.



# DISSERTATIO II.

## Punguntur mundi illecebræ, quia noxiæ, ut humanus affectus ab iisdem expungatur.

### §. I.

*Sirenius mundi cantus homines demulcet, quos lethali somno sopitos interimit.*

1. Unt, qui cum cantu delectentur, veras in eodem putent posse lætitias aucupari, præsertim si lusciniam redeunte verè cum arbores frondent, herbæ pubescunt, prata rident, flores multiformi explicata colorum pompa lætantur, diebus, noctibúsque perpetuis sine intermissione audiant canentem. Mirantur quomodo in tam exili corpusculo, in tam parva avicula, tam grandis, & pertinax hæreat spiritus, ut una cantûs continuatione, geminatæ vocis contentio simul, & remissio eudiatur; & tam perfecta, tamque ingeniosa modulatio, sonúsque adeo varius; qui modò trahatur in longum spiritu continuo, modò varietur inflexo, nunc distinguatur conciso, copuletur intorto, protrahatur revocato, infuscetur ex opinato: & nunc iterum vocem revocet, & modulos præter opinionem commutet, nunc jucundè secum submisse murmuret, modò laxato gutture pleniori sono modulos repetat, cantúmque edat plenum, remissum, gravem, acutum, contractum, diffusum, crebrum, attenuatum, & tandem derepente intermisso spiritu remissum: ea siquidem est hujus aviculæ indoles, ut uno angusto gutture harmonicè, & blandè exprimat ea omnia, quæ ars vario labore, diversis instrumentis vix assequitur. Verùm nonnisi aërea, & inanis est hæc voluptas, quæ à cantu petitur, cum cantus aliud non sit, quàm aëris verberatio arte quadam, vel naturæ instinctu effecta: certè nonnisi aerea esse potest ea voluptas, quæ solo innititur aëre; verberatur aër cantu; & plerumque etiam varberatur, qui ex aëre verberato cantum excipit. Nullius ponderis esse potest ea voluptas, quæ ex solo aëre petitur, & in solo aëre fundatur. Quis adeò mente vacuus, & ratione inanis, qui solidum existimet, quod solo aëre fulcitur? afferre aliis nequit, quod secum ferre non valet.

2. Alij non avium sono, sed hominum vocibus vel maximè delectantur: sed vocalis tantùm est, & in extremis labiis ea voluptas, quæ ex musica hauritur. Fateor plurimum in hac roboris esse ad humanos affectus ciendos, & coërcendos: duo siquidem dantur musicæ genera; alterum, quod consopitos nostris in pectoribus affectus iræ, & concupiscentiæ provocat, & inflammat; alterum, quod eosdem mitigat, & refrigerat; sed nullum est, quod veram ingeneret voluptatem, cum neutrum summo bono adhærescat. Scio ubique gentium opifices in officinis; remiges in navibus, milites in castris, operarios in suis laboribus, cantu aliquo commune tœdium minuere; sed nullus est, qui ex modulis istis veram se haurire lætitiam, ebibere voluptatem sentiat. Plurimum adfert oblectamenti musica constans longis, brevibus, acutis, & gravioribus sonis, ac variis, oppositisque vocibus, ex quibus consona resultat harmonia. Ubi enim vocalis genius in suam sensim delabitur artem, audiuntur statim argutiolæ modulorum, & veluti bellè cadentes ad numerum charites, quæ creduntur, quosdam quasi cincinnulos concinnare, seu nunc ductum celerrimè spiritum librare, & veluti pennis in sublime promittere, nunc ad ima, & in profundum devolvere, & mox retrorsum à medio cursu reprehendere, semperque eundem spiritum inflectere, impellere, expectatum premere, sistere, revocare, circumagere, quasi in turbinem, ut non uno ore, sed torno credatur vibratus. Tale est artis ingenium, ut improvisa dimissione vocem introrsum flectat, & surda quadam titillatione provehat. Miræ sanè huic datur industriæ, quòd vox eadem variè inflexa, & ad numeros emissa hilaritatem excitet, quam si velit mæstitiâ temperet; & suspiriis, trepidatione, modulatione, minuratione, concentus potis sit consopitos exsuscitare in homine affectus, & excitatos iterum sopire. Verùm neque genuinam exhibet musica lætitiam, quia cum constans non sit, nec perennis minimè potest hominem exsatiare: effluit enim vento citiùs ea voluptas, quæ à solo cantu diffluit.

Quòd si cantus ab honestate deflectat, à 3.
vera tunc prorsus exulat lætitia: & quamvis ridere tunc videantur, qui hisce oblectantur cantilenis, non eorum risum vera lætitia parturit; etenim etiam turdi, noctuæ objectu, visúque dicuntur statim canere, & obstrepere, non in lætitiæ argumentum, sed in timoris augmentum; eò quia horrentes strident. Risum

ex

ex pavore ortum evincit, quod de Aristomena narrat Apuleius inversâ lenticulâ operto: *Ut lacbryma* (ait ipse) *sæpiculè de gaudio prodeunt, ita & in illo nimio pavore risum nequivi continere, de Aristomene Testudeo factus.* Huic risui parem dicas, quem cantus exuscitat, non ex genuina prodit risûs lætitia, sed ex animi potiùs concepto mœrore, ob imminentia undique pericula, quibus circumvallantur, qui hocca delectantur cantu, quem gallinæ symbolicè exprimunt; ovum siquidem pariture obstrepunt, & cantant; non tamen verus est cantus iste, qui prodeat ax interna jucunditate; sed singultus, quatenns gallinæ partûs dolora correptæ singultiunt; ut enim notat Columella *parituras se gallina testantur crebris singultibus.* Obstrepunt, cantántque gallinæ edito ovo ob dolorem, eò quia venter vacuus vanissimum statim suscipiat aërem; idque ad amussim vanitatem axprimit, quæ cantui adhærescit, obstrepit iste, gracillat, sed instar gallinarum non in lætitiæ incitamentum, sed in interni doloris, & conceptæ vanitatis argumentum.

4. Adeo affinis est fletus cantui, ut apud Hebræos uterque voce eadem *bicbosaroth* exprimatur, ut moneamur, fletum à cantu mundi non sejungi, cum utriusque rei notio in una eadémque voce nectatur: est enim cantus ab honestate deflectens adeo fletui proximus, ut à fletu vix secernatur. Cygni cantui persimilis est, qui profanas anres demulcet; imminentis scilicet mortis feralis prodromus; & licèt temporalis sit cantus, æternam tamen præsagit mortem, ut scitè notat Petrus Bercorius inquiens (V. cantare,): *Cantus falsus est mundi lætitia, qua falsa est, & vana; & similes sunt ita canentes Cygno: avis enim hac est, qua continuo in fluminibus versatur: cujus cantus præsagum est mortis: sic lætitia temporalis signum est aterna mortis.* Cygni esum veluti immundæ avis lege Mosaica legimus interdictum; ut inde moneremur mundi cantus, & fallacias declinare, quæ nonnisi æternæ necis præsagia sunt: refert Cygni cantus hunc mundi cantum, cum uterque imminentis mortis sit præsagium. Nequa quidquam in hoc cantu potest utilitatis reperiri, cum sit aurium potiùs ludibrium, quas demulcet, ut ingressuræ morti blandè aditum adaperiat.

Falluntur igitur, qui profani cantûs inani modulatione putant, verum ad se posse gaudium trahere, præsertim si impuritate consuta, scurrilitate compacta sint carmina, quæ concinuntur; redoleant proptarea, sapiántque luxuriam. Quid talem cantum dixerim? quàm veræ lætitiæ venenum, veri gaudii pestem, veræ voluptatis internecionem? Lasciviens siquidem cantus intimum subit animum, perniciem ingerit certissimam, ac innocentiam, cordisque puritatem, à qua vera pullulat lætitia, verum oritur gaudium, interimit. Ea est tartarei hostis vafrities, ut etiam ad nocendum instrumentis utatur, quæ placent, quæque eò acriùs vulnerant, quò blandiùs delectant: cicatrices doloris, & vulnera tristitiæ non obducunt, quæ ex lascivienti cantu hauriuntur voluptates.

5. Declinandus itaque hic cantus, qui nonnisi amaritudine animum perfundit, nullámque effundit veram voluptatem; nullam secum affert jucunditatem: immo venenum ad necem paratum exhibet bibendum, non per os, sed per aures, hinc scitè B. Valerianus Niciensis Episcopus (Homil 8.) *Refugiendus est ergo iste vocis sonus, qui humanis pectoribus dulcedine sua amaritudinem fecit; & persuasione quadam mellifluus cantûs frequenter mortifera agris venena commiscuit: isti sunt laquei, quibus famulantibus inter catera vulnera Diabolus hominum mortes operatur.* Quis nonnisi corruptæ mentis, & malè sani judicii rideat inter imminentia pericula pluribus circumseptus discriminibus? premendus est hic cantus, ne ipse nos premat, & simul interimat; excutiendus, ne noceat: *Nemo* (subdit Valerianus) *insidiosis cantibus credat, nec ad illa libidinosa vocis oblectamenta respiciat, qua cum oblectant, saviunt; cum blandiuntur, occidunt.* Exulat à profano cantu vera lætitia, quæ nonnisi à cordis puritate oritur.

6. Cantus lasciviam redolens par est insidiosis avibus, quæ alias cantu alliciunt, ut capiantur: cavendum est ne in culpæ caveam injiciamur, capiamur profano cantu, Diaboli laqueis: lasciva carmina occinentes satanici aucupis vices gerunt, ut monet Valerianus inquiens (Homil. 8.): *Frequenter videmus blandis sibilis aves decipi, & hebetes feras in laqueum mortis dulcedine vocis impelli: similis est dilectissimi causa mortalium, quos dulcisoni cantus cura solicitat, ut homo aut capiatur, aut capiat.*

7. Tunc Mulier quamvis virtutum cultrix, & castitatis studiosa floram corrumpit pudicitiæ, & meratricis nomen induit, cum citharam assumit, dulcisonos emittit cantus, & vaga circuit urbis plateas, vel in theatro lascivit in sono: desinit tunc esse virgo, cùm cantu delectatur, quo virorum aures demulceat. Idque innuit Isaias inquiens (Cap 23.v.16.) *Sume citharam circui civitatem meretrix oblivioni tradita, bene cane, frequenta canticum, ut memoria tui sit.* Cùm primum cœpit Tyrus lascivira in cantu, pudicitiæ ornamenta abjecit; & meretricis hausit dedecora: & mulier si domo excedat urbem lustratura, ornatu compta, citharâ, & cantu adblandiens castitatem prostituit. Nequit puella sibi de virginitate eblandiri, si in publicum prodeat alios provocatura ad amandum: nobis Isaias exhibet Tyrum virginem, quamdiu à cithara, & cantu abstinuit, sed cùm primùm cœpit in cantu lascivire, fit ex virgina meretrix: *circui civitatem meretrix oblivioni tradita bene cane.* Petulantia canendi, & circumeundi procul sit à virgine, si pudicitiæ florem incorruptum custodire satagit: cithara, & cantus Tyrum aliàs virtutum cultricem convertit in scortum.

8. Quòd si dicas, laxandi animi causâ, & ad excutiendum mœrorem, luctúmque abjiciendum

dum te exemplo Davidis sono indulgere vocis, & citharæ: scias unà cùm mœrore etiam pudicitiam excuti; etiam filia Sidonis duro premebatur vinculo, & diro angebatur mœrore, & tamen dum Assyriorum vincula sono lenire contendit, captiva fit impuritatis, ac
Isaiæ cap.23. v.17. in vincula se injicit turpitudinis *Et rursum fornicabitur cum universis Regibus terræ super faciem terræ*: tametsi in una tantùm urbe citharam pulsaverit, ac dulcisonos emiserit cantus, ubique tamen Reges accersivit; licèt enim cantus, cùm lascivit, in una tantùm effundatur urbe, per urbem tamen latiùs diffunditur, & Reges plures simul inficit licèt dissitos; ubi enim vox lascivit, aurésque blandè demulcet, eminus, & ubique auditur; quia publicè peccat, quæ publicè lascives non reformidat cantus: neque verecunda erubescit in scelere, quæ impudenter in cantu tripudiat, & citharâ: ubi cantus lascivit, ibi honestas prosternitur, à qua canens deflectit; non enim rectus est cantus, cùm rectitudinem à se excludat: non est cantus vox directa, sed inflexa; non recta, sed fracta, quò discamus, nil recti à cantu illo, nilque integri prodire, ait Isidorus *Cantus est inflexio vocis: nam sonus directus est*. Mœrorem igitur non excutit lasciviens cantus, nec lætitiâ diffluit, sed tristitiam ingerit. Ille duntaxat cantus mentem exhilarat, gaudium excitat, mentem tranquillat, qui Deo laudes rependit.

9. Joram Rex Israël; & Josaphat Rex Judæ prodierant in prælium adversus Regem Moab. Accersitur Eliseus, qui de belli eventu exitum prænuntiet. Sed Eliseus severissimè objurgavit Idololatram Joram, & verbis cum illo egit asperioribus. Josaphati autem annuens voto præsaga mente munus tandem intentat Prophetæ opiæ; sed priùs Psaltem petiit, quo in angustiores Dei laudes se effunderet *Nunc*
4.Reg c.3. v.15. *autem adducite mihi Psaltem, cumque caneret Psaltes facta est super eum manus Domini*. Quid quòd Eliseus Psaltem petierit ad prophetandum? quid cùm prophetia harmonici moduli? cantus modulatus aures pulsat, quas demulcet: Prophetia autem negotium est gratiæ, quæ mentem illuminat, ac supernæ revelationis arcanum: at à Psaltis cantu, non à Dei instinctu Eliseum prophetâsse putat Rabinus Salomon censens, spiritum prophetiæ ab eo recessisse, eò quia exasperatus fuerit contra Regem Israël, ac proinde ope Psaltis cœpisse spiritum restaurare prophetiæ deperditum ob verba asperè in Regem prolata; sed putârim cum Lyrano, Psaltem petiisse ad sedandas animi permotiones, corporisque passiones,

10. Mentem igitur tranquillaturus Psaltem expetiit, ut beneficio cantûs animi affectus compesceret, est enim musica divinas concinens laudes passionum quies, & prophetiæ illex: appositè Lyra ait: *Ad hoc autem, quòd spiritus tangat cor Prophetæ facit elevatio mentis per devotionem, ad quod juvat melodia ad hoc ordinata*. Concentus igitur pius in divinis laudibus occupatus mentem tranquillat, & spiritum excitat prophetiæ. Est cantus iste, quo turbata mens pacatur, tumultus passionum sedatur, & quidquid in nobis dissonat ob pravos affectus in quendam redigit concentum harmonicum; quatenus reprimit immodicos affectus, motúsque omnes utriusque appetitus irascentis, & concupiscentis ad normam componit rectæ rationis; est enim hæc concordantia, quæ affectiones, & concupiscentias carnis sedat, duritiem cordis emollit, flectitque in Dei obsequia; animum demulcet, & totum hominem internâ perfundit lætitiâ. Potis est cantus iste ad humanos mores componendos, ad pietatem homines flectendos, imò ægritudinibus animi curandis nullum alexipharmacum hoc cantu aptius. Idque causæ, cur Clemens Alexandrinus post recensitas Poëtarum fabulas de Amphione Thebano, de Arione Methynæo, & Tracio Sophista, qui suo cantu lapides polire, & aptare vi-lus fuit ad mœniû structuram, ferarúmque cicurationem; quinimò etiam ad annosas quercus, fagos, tilias, ac reliquas arbores è suis evellendas locis; hæc subdit de cœlesti cantu inquiens: *Vide quantum potuerit novum canticum; homines ex lapidibus; & homines fecit ex feris*. In adhort. ad gentes.

11. Tametsi sint homines saxis duriores, rupibúsque obstinatiores, quamvis eorum mores belluinam sapiant feritatem, beneficio tamen hujus cantûs emollescunt, flectuntur in virtutum studia, & belluinæ obliti feritatis pietati unicè adhærescunt; pulchrè S. Augustinus ait: *Quantum flevi in Hymnis, & canticis tuis suavè sonantis Ecclesiæ tua vocibus commotus acriter! voces illæ influebant auribus meis, & eliquebatur veritas tua in cor meum, & ex ea æstuabat affectus pietatis, & currebant lachrymæ, & bene mihi erat cum eis*. Cantus igitur Ecclesiasticus, quo laudes Deo panguntur ferinos abigit mores, & pios in Deum fovet amores, & cor lapideum per oculos liquescit in lachrymas, ac in omnem effluit sanctitatem. Lib.9.c.6.

12. Imò non solùm pravos compescit hic cantus affectus, cordis duritiem emollit, ac devios componit in homine mores. Sed etiam Dœmones ipsos fugat. Neque aliter David Dœmonem fugavit, à quo Saul divexabatur, quàm sono, & cantu *Quandocunque spiritus Dei malus arripiebat Saul, tollebat David citharam, & percutiebat manu suâ, & refocillabatur Saul: recedebat enim ab eo spiritus malus*. Cum David lyram pulsavit, dulci plectro Dœmonem propulsavit: cum epinicia Deo cecinit, lugubre epicedium cacodœmoni pepigit; tunc laxiùs spiritum ebibit prophetiæ, & cum cantu gratiam hausit uberiorem. Cantus, quô Deo laudes concinuntur, non solùm est divinæ laudis cantatio, verùm etiam lugubria Dœmonum lamentatio; qui mœstissimè lugent, & acerbiùs excruciantur: scitè Basilius Seleuciensis de Davidis cantu Dœmonem excantante ait: *Legatos humanè excepit David, & mox erat in armis spiritus. Psalmus enim* 1.Reg.cap.16.v.23.

& ly-

*& lyra, & gratia, & arma sunt in Dæmonem, loquebatur tantùm, & hostis vincebatur: & lyra melos veluti telum jaciebatur in Dæmonem. Quis audivit trophæum cantibus excitatum.* Verùm hæc trophæa nunc Ecclesiæ cantus excitat, dulcedine siquidem harmoniæ Dœmones fugat, quos datriumphat.

## §. II.

### *A Gula Illecebris avertendus humanus affectus: quæ enim fercula ventrem implent, mentem evacuant vera refectione.*

13. NEque verum gaudium à gulæ proficiscitur indulgentia, adeò ut deliciæ gulæ verum nesciant gaudium enutrire; neque qui variis gulæ illecebris famulantur, verum possunt gaudium degustare, neque varam ebibere lætitiam; cum cibus integer non placcat, integram nequit lætitiam adferre. Est voluptas, quam in farculis, & poculis quærimus nobis cum brutis communis, hominémque propterea in brutorum dejicit cœtum, si nimia sit. Quò enim major est voluptas, quam à luxu haurimus ferculorum, eò fortiores insurgunt in nobis brutales motus, quibus à tatinna dejicimur: desinit anim esse homo, qui nimio haustui indulgat, qui copia abutirur ferculorum: qui calices avidiùs siccat, rationem *De sobrietate c. 2.* sibi exsiccat, quia ut ractè monet S. Laurentins Justinianus: *Ubi est crapula ratio cespitat, intellectus obtunditur, consilia deviant, judicia subvertuntur.* Avertenda est mens à poculis axsiccandis, ne ipsa nos evertant, & in nobis rationem exsiccent, quæ immodico immersa potui naufraga extinguitur; insuaves sunt illæ deliciæ, quæ à potûs inavitate bibuntur, cum suos potatores usu destituant rationis: nutrire non possunt illæ ferculorum deliciæ verum gaudium, cum necem infarant: satis nobis memoriam refricat mortis ciborum indigentia, faméæqua stimulans: nec propteraa necassaria ast hæc superfluorum ciborum digestio, ut ad mortem nos impellat. Naque constans est, & firma ea lætitia, quam gulæ illecebræ parturiunt, cum modicissimo tempora transaant, & stomachum aggravent: tamdiu enim santitur ferculorum sapor, quamdiu deglutinntur, hoc est in transitu, adeò ut quod dalectat, transeat, ac statim desinat delactara, & incipiat gravare; rectè S. Pe- *Opuscul. 49. cap. 2.* trus Damianus *Totius nostra voluptatis iter, cui tanta ambitione servimus brevissima unius palmi summâ concluditur:* brevissimum, & fugax ast iter harum gulæ illecabrarum, cum tunc incipiant quando transaunt, desinántque cum transitu.

14. Mirum sanè, quòd ad captandam hanc fugacem lætitiam, hanc bravissimam voluptatam tantum impandant homines laboris, & pro palmari stomacho ingentia fument fumibnla, ferveat tripadala ahenum, caleant Babilonicæ fornaces, æstuent ingentas ignes, superstent fercula ferculis, sudet coquorum, & ancillarum axercitus, natent vino penuaria, fatiscant frumento horrea, asportentur vina genarosiora è provinciis magis dissitis; scindantur maria, omnésque terrarum tractus labore improbo excolantur: imò ne quidquam dasit hisce gulæ illecebris, congeruntur piscium rariores species, avium delicatiora genara, & qoidquid flumina, maria, sylvæ, campi, aër habant delicatioris: hæcque ad proritamanta condita, ut jam non ampliùs pisces, avas, & feræ; sed in saccharum ob dulcedines videantur degenerâsse, cum innatent pisces velnti in sacchareo oceano, procumbant sacchareæ feræ sacchareа inter pascua, voliténtque sacchareæ aves sacchareas inter sylvas. Legimus in Hæliogabali conviviis exhibita fuisse innumera ingentium apularum fercula; Antonij, & Cleopatræ cœnas fuisse lautissimas, quæque inimitabiles dicerentur. Virelij patinas luxuriosissimas. Imperatoris Veri convivium pretiosissimum, Luculli convivia ad omnem luxum compacta, & alia prandia Caligulæ, aliorúmque priscorum hominum, adeo sumptuosa, ut Vulcanus in iisdem coquendis desudâsse videretur, & Flora suas accivisse ancillas ad flores spargendos, & Gratias ad balsama effundenda. Naque deerant musæ, quæ voce canora personarant ad numeros Apollinis citharam pulsantis; & ex Musis aliæ chorcas ducerent, aliæ tibias inflarent.

Naque ad generosiora suppeditanda fa- 15.
lerna deerat vitrum affabrè sigillatum, neque majora pocula argento nitida, & auro pretiosa. Pocillatores plusculi splendidè amicti, ut atiam puallæ scitulæ ministrantes fercula deferebant, & pueri calamistrati etiam gemmas axcavatas in poculo exhibebant: utinam hæc priscorum convivia, nostris non æmularentur temporibus gulæ indulgentas illecebris; quæ minimè verum possunt gaudium ingenerare. Quinimò ferculorum copiam pedissequa capitis gravedo comitatur, mentis oppressio, stomachi dolor, & totius corporis ægritudo; quæ omnia avincunt non posse gulæ illecebras veram adferre lætitiam, cum dolorie ac ægritudinis sint potiùs putidi, ac corrupti fontes; adeo ut ferculorum deliciæ non tam vanæ sint, quàm perniciosæ, cum morbos procreent, eò pariculosiores, quò uberiores fuerint, quæ ex ferculis haustæ sunt deliciæ; ut scitè dicantur gulæ voluptatas corporis gravamina, & hæc vactigalia voluptatis. Exulant à vero gaudio ferculorum illecebræ, cum corpus contra mentam farciant, aggravent, & pramant; ut tunc aò agiliùs in animam corpus debacchatur, quò obesiùs, obtusiúsque pinguescit, ractè Isidorus Pelusiota *lib. 5. epist. 237. Si delicatis epulis, & luxu distendere corpus tuum velis, inscius ipsum contra animam armabis, ac refractarium reddes.*

Armis tunc corpus adversus animam sa 16.
munit, quando fercula deglutit, & ex ciborum, potúsque nimia copia valuti ab armamen-

tario desumit loricas, scuta, lanceas, gladios, jacula, & reliqua armorum genera ad animam expugnandam: quidquid enim indigentiæ superfluit, idonea materia est armis hisce cudendis: hæc pugna verum nequit gaudium ingenerare, neque hæc inter armorum genera potest spiritus fœdus cum corpore inire, cum per ingesta in stomachum fercula, & plura exsiccata pocula fœdos ipsum, quo corpus adnectitur animæ disrumpatur.

17. Dulce est venenum, quod propinant gulæ illecebræ; interficiunt, & damnum inferunt cùm placent; sæviunt, cum eblandiuntur; quia premunt, aggravant, non reficiunt epulæ, si immodicæ sint; & eò sunt tunc sæviores, quò suaviores & molliores blandiùs palatum titillant; unde rejicienda est hæc epularum lautities, abjiciendæ sunt hæ gulæ deliciæ, quæ necem secum adferunt: & in hoc differunt à spiritûs deliciis, quia illæ si possideantur, aggravant; spirituales verò epulæ vera jucunditate mentem replent, eum habentur, ut rectè notat S. Laurentius Justinianus, qui indicans, quo discrimine distent spiritûs deliciæ ab illis gulæ ait: *Longè à carnalibus spiritualia distant alimenta, & avidiori sumuntur desiderio. Ex repletione enim carnalium hebetatur mens, sensus obtunditur, animus dissipatur, venter distenditur, calor naturalis accenditur, corporis organum humoribus præpeditur. Ex spirituali verò refectione irradiatur intellectus, exhilaratur cor, jucundatur animus, & cœlesti charitate inebriatur affectus. Carnales quoque epulæ fastidium creant; spirituales autem acuunt desiderium: illæ onus corpori, istæ delectabile ingerunt gaudium menti.* Cùm corporeæ sint, quæ à gulæ illecebris hauriuntur deliciæ, non possunt non corpus premere, cum ipsum aggravent, fintque eidem oneri.

*De disciplin. monast. convers. cap. 20.*

18. Dejiciunt gulæ illecebræ hominem viliora inter bruta, ut excidat ab homine, fiatque vile stabulum: testis est desertor ille filius, qui accepta portione substantiæ, quæ ei contigerat, abiit in aliam regionem satur, cibisque repletus; & nonnisi ventre vacuo reversus est ad patrem. In se enim reversus dixit prodigus ille filius: *quanti mercenarij patris mei abundant panibus, ego autem hic fame pereo.* Nimirum ut eleganter explicat S. Petrus Chrysologus *Serm. 2. de duobus filiis, prodigo, & frugi. Fames revocat, quem saturitas exulârat: fames illi Patrem dedit sapere, cui copia tulerat sentire genitorem. Et si tantùm præstitit vel invita fames; probate, quid voluntarium possit conferre jejunium.* Oneratus venter ad vitia eor deprimit, premit mentem, ne supernam valeat pietatem sentire, quia ut habetur *Sapientiæ cap. 9. Corpus quod corrumpitur, aggravat animam, & deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem:* unde Christus *Luc. 12.* Monitos nos voluit ut attendamus: ne graventur corda nostra crapulâ, & ebrietate.

19. Vacuandus est venter moderatione jejunij, ut exoneratus animus valeat ad suprema, & alta pertendere, ac conscendere ad virtutum fastigia, possitque ad ipsum pietatis Auctorem aliger pervolare. Hoc Elias probat; qui dominici continuatione jejunii defœcatus à carnali pondere mortis, victor evolavit ad cœlum. Quàm rectè dixit filius ille desertor: *Surgam, & ibo ad Patrem meum:* siquidem jacebat dejectus inter porcos, qui dixit *surgam*, hoc est jacebat squalidus, vitiis depressus, qui surgere cupiebat ad resipiscentiam: tunc intellexit se lapsum, sensit ruinam, & resipuit; cum vacuus ventre à pondere escarum liberum se senserat: escarum copia eum in luxuriæ cœnum dejecerat, sed jejunium apprehensâ veluti manu eum è cœno, porcisque extraxit proinde exclamat *surgam, & ibo ad patrem meum:* ventris onera porcorum eum dederant servituti; sed vacuitas stomachi ad pristinam eum evocat libertatem: *Ibo ad patrem meum,* ea quidem spe, quâ pater est, quia tametsi perdiderit ipse, quod erat filij, non tamen pater amisit, quod patris erat. Urgentur patris viscera iterum filium genitura per veniam, à quibus filius se separaverat per crapulam, Ivit ad patrem reus, sed pater viso filio reatum cooperuit; & ut non Judicis, sed patris officium impleret, non sententiam dixit, sed veniam dedit; satis fuit patri resipiscentia filij, cum dixit *peccavi in cœlum, & coram te.*

Non terrenus pater fuit, sed cœlestis, cum dicat *peccavi coram te*, cui aperta sunt, & præsentia, quæ in cœlis, & terra geruntur: & subdit, *Et jam non sum dignus vocari filius tuus* peregrè profectus fuerat, & in regionem longinquam fugerat, sed accusatores suos, suósque testes divini patris oculos non declinavit. Petiit reversus, & resipiscens à patre fieri sicut unus de mercenariis suis. *Fac me sicut unum de Mercenariis tuis,* ut nimirum annua locatione servitus innovetur, ut labore jugi conditio conducta deteratur; ut die toto in opere suspiret miseræ mercedis: ut sic semper venditor sui, ne unquam negare possit suam servitutem. Hoc petiit filius resipiscens à patre; fieri scilicet unum de Mercenariis suis, ut qui per crapulam, gulæque illecebras se à patre sejunxerat, per jejunium corporisque laborantis vacuitatem patri jugiter adhæreret; ut qui penes extraneos servam senserat libertatem, apud patrem libera donaretur servitute: sieque præteritis experimentis præsentem corrigit vitam, & futuræ prospicit. 20.

Id interest discriminis inter indulgentes ventri, & obsequentes menti; quia isti nullis corporeis escis gravati ad suprema semper avolant; illi verò ferculorum pondere pressi ad ima truduntur, seu ad hujus sæculi illecebrosas convalles, usque ad pascendos porcos; eos scilicet, qui proni semper in terra viventes ventri, æstus carnis in volutabro luti temperant, in cœno premunt, refrigerántque in gurgite vitiorum, ut eleganter notat S. Petrus Chrysologus ubi subdit, *Quod autem Mercenarios suos mittat ad porcos, facit hoc* 21.

*Serm. 2. de duobus filijs prodigo, & frugi*

insa-

*insatiata crudelitas, quæ contenta non est homines criminosos fieri: nisi eos vitiorum duces, criminum faciat & Magistros, cùmque eos tales fecerit, non finit eos ex ipso porcorum cibo, pastúque saturari, ut esurientes vitia plus delinquant; luxuriosos satietas capere non potest: voluptas nescit expleri.* Sed beneficio jejunii cum evasisset agilior, surrexit, qui antea ferculorum pondere pressus delapsus inter porcos jacebat cœnosus. *Surgam, & ibo ad patrem meum:* hoc est surgam de ruina mentis, & corporis de profundo inferni, & *ibo ad patrem meum*, non pedum gressu, sed mentis incessu; non cursu corporis, sed volatu spiritûs: terreno cursore non indiguit, quia compendia vitæ salutaris invenerat. Cecidit pater super collum filij revertentis, & osculatus est eum: hæc est divinæ bonitatis indoles, revertentibus filiis à peccato oscula figere, non flagella & vulnera infligere.

22. Dilectio paterna non sinit peccata filii videri, & ideo amplexu totum clausit, cooperuitque filium, ne nudaret pater filii crimina. Si igitur abscessimus, si substantiam patris luxuriosè viventes dispersimus, si in cœnum vitiorum dejecti porcis viliores viximus, surgamus alacres, properemus ad patrem desertores filios expectantem, ut apertis ulnis resipiscentes filios amplectatur, osculetur: patrata delicta non sinit videri paterna dilectio, quæ nuditatem filii stolâ primâ cooperit; *citò proferte stolam primam, & induite illum* hoc est, ait Chrysologus *sustulit filij crimina, qui non sustulit nuditatem: hinc est quòd à servis ante vestiri voluit, quàm videri, ut soli patri nota esset nuditas filij:* qui licèt divitiis afflueret cum discederet; vitiis postquam indulsit, adeo pauper revertitur, ut de tota substantia, nec ipsa calceamenta in pedibus reportaverit. *Date calceamenta in pedibus ejus:* ita est, vitia non solùm animi surripiunt ornamenta; sed etiam corporis indumenta.

Serm. 3.

23. Rejiciamus igitur epularum lautitias, ut spiritualibus reficiamur deliciis, quæ cum possidentur, sublevant, non premunt; reficiunt, non interficiunt; pudeat nos perituris voluptatibus immorari, cum nati simus, ut æternis donemur. Moriamur gulæ illecebris, corporeisque voluptatibus, ut spiritualibus vivamus deliciis: hominem exuit, qui corpori nutriendo tantùm studet, negligitque mentis refectionem. Vile est stabulum humanum corpus: in brutum degenerat, cui nil magis cordi, quàm huic adhærere, quia ut rectè Albertus Magnus: *fit homo per gulam quasi vile stabulum, & fœtens cloaca*, unde vix hominem refert, qui inferre in ventrem fercula cupit; obliviscitur enim, quæ hominis sunt, ut communia cum brutis habeat, iisque delectetur: homo enim esse non videtur, qui cum jumentis totus semper in epulis est; mentem evacuat, cum ventrem implet; quia mente destituitur, qui mentem suam stabulo corporearum voluptatum alligat; excidit à statu hominis, ab officio mentis, qui ventri indulget.

Serm. in Domin. 3. post Pascha.

Qui igitur est sui compos iis mentem nutriat, quæ menti congruunt, non quæ ventri: sibi non vacat, qui mentem suam vocat ad gulæ illecebras, ad epularum delicias: hisce qui inhiant esca fiunt gehennalis flammæ nunquam extinguendæ: testantur id epulæ Divitis Evangelici, qui è mensis lautioribus ad ignes gehennales delapsus cessit in escam flammæ, qui gulæ escis unicè delectabatur: hinc scitè monet Isidorus Pelusiota: *Si te ad Deum abiturum esse expectas consiliis meis obtempera, gulæque rabiem extingue, voluptatum igniculos consopiens, quorum immodicus usus homines ad futuras flammas transmittit.* Noxiæ sunt & lethales, quæ ex gulæ illecebris, ex luxu epularum exposcuntur deliciæ: an non ut gulæ indulgeret, unà cum pomo mortem deglutivit sibi, & posteris suis primus homo? Nonne Esau primatum suum propter lenticulam perdidit? mala domina est gula, si huic serviatur, cum semper expetat, nunquam expleatur; & quò plus ei obsequimur, eò acriùs in nos sæviat: siquidem ut docet Hippocrates in aphorismis; crassa, & obesa corpora, quæ crescendi mensuram implevêre, nisi citò ablatione sanguinis minuantur in paralysin, & pessima morborum genera erumpunt; proinde docet, necessariam esse demptionem, ut rursum habeant, in quo possint incrementum subire. Non enim manere in uno statu naturam corporum compertum est; sed vel crescere, aut decrescere: quò verò decrescit pinguedo corporis, eò plus acuitur acies mentis; & sicut saturitas nimia mentis aciem obtundit, & ingenium evertit; ita sobrietas animum erigit, ac reficit. Sunt qui epulis repleti caput excutiunt, manus in altum expandunt, oculos intorquent, pedes agitant, non sine dedecore, & turpitudine; & quasi usu destituti rationis, quæ hominis sunt ampliùs non recordantur. Abjiciamus igitur gulæ delicias, quæ palatum tantùm deliniunt, ventrem implent, mentem evacuant, hominem homine spoliant, & brutorum inter cœtus dejiciunt. 24.

Lib. 1. epist. 346.

## §. III.

### *Ludi theatrales suis illudunt spectatoribus, qui cùm in ludicra spectacula affectum fovent, larvis, ac mendacsu favent.*

PLures venaturi mundi gaudia ad theatra se conferunt, in quibus si mimus adsit, rident; si funambulus ludat, timent; si comœdos agat, gaudent; sed verum non est gaudium, quod in theatris quæritur, personatus est risus, larvata est lætitia, ubi omnia sub aliena specie spectantur, ut ad risum moveant; non enim à personatis nonnisi personatus prodit risus, qui licèt larvatus, nonnisi arte, & verborum delectu extorquetur, ut ridentes torqueat, fallátque, sitque luctus sub larvâ risûs, & ideo theatralis, quia personatus: quidquid enim spectatur in scenis oculorum ludi- 25.

brium

brium est, auriúmque deceptio: verum gaudium á theatris procul exulat, quia verum, & non larvatum: à verâ excidunt lætitiâ, qui gaudium in theatris, & spectaculis quærunt, non enim ubi omnia sunt larvata, & sub aliena exhibentur specie vera potest lætitia florere. Insana sunt hæc spectacula, prodúntque hominum insaniam, dum veram abjicientes lætitiam larvatam à larvatis petunt spectaculis.

26. *Lib. 6.* Acriter contra hujusmodi spectacula, ludósque theatrales invehit Salvianus, ubi mirifica dicendi acrimonia, ac masculâ eloquentia improbat, quæ ibi ab hominibus probantur, ait ipse. Sicut enim exercitus pugnaturi, ea loca, per quæ venturas hostium turmas sciunt, aut foveis intercidere, aut sudibus præfigere, aut tribulis infestare dicuntur: scilicet ut etiam si non in omnia ea quispiam incidat, nullus tamen penitus evadat: Ita etiam Dœmones tam multas in vita ista humano generi illecebrarum insidias prætenderunt, ut etsi plurimas earum aliquis effugiat, tamen quacunque capiatur. Equidem quia longum est nunc dicere de omnibus, amphitheatris scilicet; aleis lusoriis, pompis, athletis, petaminariis, pantomimis, cæterísque portentis, quæ piget dicere, quia piget malum tale, vel nosce, de solis circorum ac theatrorum impuritatibus dico. Talia enim sunt, quæ illic fiunt, ut ea non solùm dicere, sed etiam recordari aliquis sine pollutione non possit. Alia quippe crimina singulas sibi fermè in nobis vendicant portiones; ut cogitationes sordidæ animum; ut impudici aspectus oculos; ut auditus improbi, aures; ita ut cùm ex his unum aliquid erraverit, reliqua possint carere peccatis: In theatris verò nihil eorum reatu vacat, quia & concupiscentiis animus, & auditu aures, & aspectu oculi polluuntur. Quæ quidem omnia tam flagitiosa sunt, ut etiam explicare ea quisquam, atque eloqui salvo pudore non valeat. Quis enim integro verecundiæ statu dicere queat illas rerum turpium imitationes? illas vocum, ac verborum obscœnitates, illas motuum turpitudines, illas gestuum fœditates? quæ quanti sint criminis, vel hinc intelligi potest, quòd & relationem sui interdicunt.

27. Nonnulla quippe etiam maxima scelera incolumi honestate referentis, & nominari, & argui possunt, ut homicidium, latrocinium, adulterium, sacrilegium, cæteráque in hunc modum. Solæ theatrorum impuritates sunt, quæ honestè non possunt vel accusari: ita nova in coarguenda harum turpitudinum probrositate res evenit arguenti; ut cum absque dubio honestus sit, qui accusare ea velit, honestate tamen integra ea loqui, & accusare non possit. Alia quoque omnia mala solos agentes polluunt, non videntes, nec audientes. Siquidem etsi blasphemum quempiam audias, sacrilegio non pollueris, quia mente dissentis. Et si intervenias latrocinio, non inquinaris actu, quia abhorres animo. Solæ spectaculorum impuritates sunt, quæ unum admodum faciunt, & agentium, & aspicientium crimen. Nam dum spectantes hæc comprobant, ac libenter vident, omnes ea visu, atque assensu agunt, ut verè in eos Apostolicum illud peculiariter cadat; *Quia digni sunt morte, non solùm qui faciunt ea, sed etiam qui consentiunt facientibus.* Itaque in illis imaginibus fornicationum, omnis omnino plebs animo fornicatur: & qui fortè ad spectaculum puri venerant, de theatro adulteri revertuntur. Non enim tunc tantummodo quando redeunt, sed etiam quando veniunt, fornicantur. Nam hoc ipso quòd aliquis rem obscœnam cupit, dum ad immunda properat, immundus est. Quæ cum ita sint, ecce qualia aut omnes, aut pene omnes spectantes ludicra spectacula agunt. Et cùm hæc ita sunt; qui talia agimus, negligi nos à divinitate causamur; relinqui nos à Domino nostro dicimur, cum ipsi Dominum relinquamus.

Fingamus enim, quòd respicere nos Dominus noster velit, etiam non merentes, videamus si potest. Ecce innumera Christianorum millia in spectaculis quotidie rerum turpium commemorantur. Potest ergo illos Deus respicere, qui tales sunt? potest ad eos respicere qui bacchantur in circis? qui mœchantur in theatris? An fortè hoc volumus, & hoc dignum putamus, ut cum in circis nos, & in theatris Deus videat, ea quæ nos aspicimus, aspiciat quoque ipse nobiscum, & turpitudines, quas nos cernimus, cernat etiam ipse nobiscum? alterutrum enim fieri necesse est: quia si nos videre dignatur, consequens est, ut etiam illa, ubi nos sumus, videat: aut si ab illis, quod non dubium est, avertit oculos, etiam à nobis, qui illic sumus, pariter avertit. Et cùm hæc ita sint, facimus hæc tamen, ac sine cessatione, quæ dixi. 28.

An fortè in morem veterum paganorum, theatrorum, & circorum nos Deum habere arbitramur? Faciebant enim hæc illi quondam, quia has idolorum suorum delicias esse credebant. Nos quomodo hæc facimus, qui odisse Deum nostrum hæc certò scimus? an certè si placere has turpitudines Deo novimus, non prohibeo, quin sine cessatione faciamus. Si verò in conscientia nostra hoc est, quod Deus horret, quod execratur, quod sicut in his sit pastus Diaboli, ita offensio Dei; quomodo nos in Ecclesia Dei colere Deum dicimur, qui in obscœnitate ludorum semper Diabolo deservimus, & hæc gnari, ac scientes, de consilio, & industria? & quæ nobis quæso spes erit apud Deum, qui non casu, aut imprudentiâ Deum lædimus, sed exemplo illorum quondam gigantum, quos insanis conatibus superna tentâsse, & quasi in nubes gradum tulisse legimus? sic nos per injurias, quas in omni mundo semper inferimus, quasi consensu publico cœlum oppugnamus. Christo ergo, ô amentia monstruosa! Christo circenses offerimus & mimos, tunc & hoc maximè cum ab eo aliquid boni capimus, cum prosperitatis aliquid ab eo nobis tribuitur, aut victoria de hosti- 29.

bus

bus à divinitate præſtatur. Et quid aliud hæc re facere videmur, quàm ſi quis homini beneficium largienti injurioſus ſit, aut blandientem convitiis cædat, aut oſculantis vultum mucrone transfigat? Interrogo enim omnes potentes, ac divites mundi hujus, cujus piaculi reus ſit ſervus ille, qui bono, ac pio Domino malum cogitet, qui bene merenti convicium faciat, & pro libertate, quam accipit, contumeliam reddat. Abſque dubio maximi criminis reus creditur, qui malum pro bono reddit; cui etiam malum pro malo reddere non liceret. Hoc ergo etiam nos, qui Chriſtiani dicimur, facimus: irritamus in nos miſericordem Deum impuritatibus noſtris, propitiantem ſordibus lædimus, blandientem injuriis verberamus: Chriſto ergo, ô amentia monſtruoſa! Chriſto Circenſes offerimus, & mimos, Chriſto pro beneficiis ſuis theatrorum obſcœna reddimus, Chriſto ludicrorum turpiſſimorum hoſtias immolamus. Videlicet hoc nos pro nobis in carne natus Salvator noſter edocuit? Hoc vel per ſe ipſum, vel per Apoſtolos prædicavit? propter hoc humanæ nativitatis verecundiam ſubiit, & contumelioſa terreni ortus principia ſuſcepit? Propter hoc in præſepio jacuit, cui ſervierunt Angeli cùm jaceret? Propter hoc involvi ſe pannorum crepundiis voluit, qui cœlum regebat in pannis? Propter hoc in patibulo pependit, quem pendentem mundus expavit? Hactenus Salvianus maſcula vi eloquentiæ.

30. Quis igitur ignoret, eſſe theatrum cathedram peſtilentiæ, Gymnaſium incontinentiæ, officinam injuriæ, ſentinam vitiorum, cloacam immunditiæ, fornacem impudici ignis, & Orcheſtram impudicitiæ, cum vitia quæque à putida hac radice pullulent, & immunditiæ omnes ab hoc corrupto fonte ſcaturiant, quia ut rectè Tertullianus *Theatrum eſt privatum conſiſtorium impudicitiæ, ubi nihil probatur, quàm quod alibi non probatur,* & tamen proh dolor! promptiùs Chriſtianus interdum ludicra theatrorum ſpectacula frequentat, quàm Dei templa. *Pudet dicere* ait S. Leo Papa *ſed neceſſe eſt non tacere; plus impenditur Dæmoniis, quàm Apoſtolis, & majorem obtinent inſana ſpectacula frequentiam, quàm beata Martyria. Quis hanc urbem reformavit ſaluti? Quis à captivitate eruit? quis à cæde defendit? ludus circenſium, an cura Sanctorum?* Intorqueri poſſunt hæc in eos omnes, qui alacriores currunt ad theatralia ſpectacula, quàm ad divina in templis; promptiores ad ſcurrilia in theatris hauriendum, quàm ad verbum Dei in Eccleſiis audiendum; propenſiores ad ridicula mimorum ſpectanda, quàm ad ſacerdotum miniſteria expetenda, idque ut rideant cum mimis: ſed verus non eſt hic riſus, quo verum gaudium extinguitur; & à vera lætitia, qui ridet excidit: hinc monet Iſidorus Peluſiota theatra, & ludos curules communem eſſe orbis peſtem, quæ mentem inficit, implétque impuris cogitationibus, à quibus verum gaudium exulare neceſſe eſt, cum hoc nonniſi menti inhæreat defœcatæ à quavis impuritate, & cum theatra ſuis ſpectaculis impuritatum ſimulacra ingerant, puritatem cogunt exulare, ut obſcœnis dent locum cogitationibus: quòd ſi vera lætitia pediſſequa eſt puritatis; nonniſi fucatum, & larvatum eſt gaudium, quod cum impuris imaginibus à ludicris, ac theatralibus hauritur ſpectaculis.

*De ſpectaculis cap. 17.*

*In Serm. 8. SS. Apoſtolorum Petri & Pauli.*

*Lib. 5. epiſt. 817.*

Pictæ igitur, & fictæ ſunt ſpectaculorum lætitiæ, quæ propterea nonniſi fictè poſſidentur, & ut pictæ, ac fucatæ exhibentur; quòd autem fictum eſt, veram nequit lætitiam ſuppeditare, non enim à ficto nonniſi fictum oritur; proinde nonniſi ludicra lætitia à ludicris ſpectaculis haberi poteſt. Verùm licèt ludicra ſit lætitia, quæ in ludicris homines nundinantur ſpectaculis; non tamen ludicra ſunt, quæ ab hiſce ludicris damna ſuboriuntur, cùm mentem repleant fœdis imaginibus, obſcœnis cogitationibus, cogantúrque exulare virtutes, ut vitia inducantur. Neque ſiccis oculis ſpectanda ſunt, quæ ex ludicris ſpectaculis oriuntur damna, quæ à ſummo Bono hominem totum avertunt, ejúſque nobiliorem partem inflicto vulnere vel enecant; vel ad imum dejiciunt turpitudinis, ac ignobilitatis. 31.

Mare olim fluctibus concitatum decumanis fuiſſe in theatro repræſentatum meminit Auguſtinus inquiens *Cras illi habent, ut audivimus, mare in theatro, nos habemus portum in Chriſto:* quam ſcitè mare fluctibus æſtuans theatris congruit, quia ſi mare undarum truculentia inſoleſcat, fluctúſque ſpumis albentibus turgidos extollat, quotquot ipſum naves trajiciunt, undarum violentiâ, iteratis pulſibus ad naufragium impellit: venti ſiquidem tunc debacchantes naves exagitant, & earundem firmiſſimos tabulatorum aſſeres, trabéſque ingentibus fixas clavis, diſruptis coagmentationibus cæſim diffindunt, dilacerántque ad interitum. A vero neque latum unguem aberravero, ſi dixerim, in hocce mare quod in theatris repræſentatur, ipſa ſpectacula naufragium ſuis adaperire ſpectatoribus. Excitantur varii affectuum venti, quibus mens fluctuat ſpectantium; inſoleſcunt motus concupiſcentiæ, perinde ac fluctus inſurgentes; & mox animus, qui antequam theatra frequentaret, tranquilla gaudebat malacia, variorum affectuum turbinibus exagitatus per præſtitum ad turpia conſenſum naufragus ad interitum ducitur: eximerent ſe homines à ſpectaculis, ſi hæc damna perpenderent. Seneca hic accerſendus, qui pudorem injicit iis, qui ſub Chriſto militant, & frequentant theatra: ait enim *Quid me exiſtimas dicere avarior redeo, ambitioſior, imò verò crudelior, & inhumanior* loquitur de ſpectaculis, quæ interdum adibat, quia in ipſis, quæ latent vitia, foras exiliunt in perniciem ſpectantium. 32.

*In Pſalm. 81.*

*Epiſt. 7.*

❀ (o) ❀

## §. IV.

### *Spectantes ludicra spectacula, theatro adstant, perinde ac in luco feræ, in quas degenerant.*

33. Apud Plutarchum in problematis, quod olim in spectaculis insumebatur, moris fuit, ut *Lucar* vocaretur, eò quia plures essent sylvæ circum urbem Numinibus dicatæ, quasque lucos appellabant desumptâ forsan nomenclatione ex eo, quia ob nimiam procerarum arborum frequentiam, & spissitudinem minimè lucerent: qui verò ab iisdem quot annis redditus exigebantur, spectaculis instituendis insumebantur. Tolerabile foret, si tantùm sylvarum proventus in spectaculis insumerentur; verùm quod dolendum, & deplorandum, etiam ipsi spectatores, qui theatra frequentant vitiorum vepribus referti sylvescere incipiunt: exsiccatis siquidem virtutum floribus, nonnisi vepres in theatris crescunt spectantiam animos miserè saucianres, & dilacerantes; adeò, ut spectatores sylvam ipsam noxiis umbris opacatam, ac vitiorum feris refertam exhibeant, ac repræsentent in animo, quem si ingrederemur, horrentem procul dubio sylvam adiremus spinarum aculeis obsitam, monstrisque ferarum plenam, ut scitè
In Psalm. 9. notat Euthymius, loquens enim de iis, qui theatra frequentant ait: *Apud quot densa sunt affectuum & passionum sylva, in quorum latebris dæmones ferarum instar commorantur:* has satanicas, qui scholas frequentant sylvescere ediscunt ab ipsis spectaculis, sylvarum sumptu, proventúque institutis: quæ cum suam à sylvis originem trahant, nonnisi sylvescere edocent homines, qui si non feras, vitia tamen feris sæviora enutriunt.

34. Qui spectaculis delectantur, veram necesse est exuant lætitiam, non enim possunt vera gaudia evocare ea spectacula, in quibus spectatores sylvescunt, & in intimis pectoribus à sævioribus vitiorum feris mordentur, ac dilacerantur: non mulcent, quæ placent in spectaculis, sed mordent; quia intus vulnerant: hinc falluntur, qui ad tristitiam fallendam theatra ingrediuntur, quia ut scitè Seneca *Ludi spectacula infirma sunt artificia dolori, & affectibus placandu innatis tortoribus:* tristitiam non revocant spectacula, sed avocant; & risum, quem in summis labiis movent, intua
Epist. 7. luctus est, ac dolor; unde subdit Seneca *Nihil tam damnosum bonis moribus, quàm in aliquo spectaculo desidere; tum enim per voluptatem faciliùs vitia surrepunt.* Ita est surrepunt vitia, & per ora ridentia spectantium animum ingrediuntur, quem dilaniant. Quod verò deterius; non faciliùs tantùm animum vitia subeunt spectantis spectacula, sed semel per ridentis oris hiatum ingressa difficiliùs abeunt: altiùs enim hærent animo profana simulacra, turpésque imagines spectaculorum voluptate impressæ: altiùs insidet menti, quod in ludicris voluptatibus mentem subit; ægriúsque exit, quod cum voluptate aditum sibi aperuerat; adeò ut non solùm spectacula noceant, cùm spectantur, verùm etiam, cùm amplius spectari nequeunt, sintque noxia, etiam quando esse desierunt, ut monet Salvianus *Omnes* Lib. 6. de gubernat. Dei.
*hi qui spectaculis istiusmodi delectantur, etiam quando non spectant, innoxij tamen à spectaculorum maculis mente non sunt*, ita est, par altiùs impressas rerum turpium imagines mentem inficiunt spectacula, non solùm quando spectantur, verùm etiam cùm desierint spectari; mentémque occupant, quam à summo Bono avertunt; sitque propterea mens spectatrix aliorum theatrum spectaculorum, in quo risus movetur, sed lachrymæ cientur; luctus accersitur; cum per impressas imagines vitia ipsa spectacula exhibeant, repræsenténtque ad exitium illius, qui spectator fuerat theatralium spectaculorum: foras enim exiliunt per turpes cogitationes, quæ intus impressæ hærebant spectaculorum imagines, quibus si homo adhærescat miserè se ipsum interimit.

Alieni sint à theatris, qui à se alieni esse 36.
nolunt, vera gaudia respuunt, quæ spectacula exhibent; larvatum est, & fictum, quod spectacula spondent gaudium; vera lætitia non à turpibus imaginibus, quæ menti hærent, imprimuntúrque in theatris, sed ex cordis innocentia pullulat; scitè Augustinus expendens ver- In Psalm. 100.
ba illa Davidica *Perambulabam in innocentia cordis mei*, ait: *Qua est innocentia cordis sui? medium domûs sua, hanc domum quisquis habet malam, pellitur ab illa foris. Quisquis enim in corde premitur malâ conscientiâ, quomodo quisquis à stillicidio exit de domo suâ, aut à fumo, non ibi se patitur habitare: sic qui non habet quietum cor, habitare in corde suo libenter non potest. Tales foras exeunt à se ipsis animi intentione, & de his qua foris sunt circa corpus delectantur, quietem in nugis, in spectaculis, in luxurijs in omnibus malis quærunt.*

A vera errant lætitia quotquot extra se 37.
lætitiam in spectaculis, & theatris quærunt, quamvis ibi rideant, lætentúrque, nonnisi fucatus est risus, & larvata lætitia, quæ sub specie gaudij luctum excitat; sub imagine risus lachrymas elicit. Hinc etiam militibus olim spectacula, sicut & lavacra fuerunt interdicta, ea quo more à lætitia, & gaudio, quod in spe- Homil. 14. in epist. 1. ad Timoth.
ctaculis quæritur avocat S. Joannes Chrysostomus inquiens: *Si miles lavacris, & spectaculis vacans, intentúsque negotiis veluti desertor militia jure damnatur; multò magis vidua, qua deserto munere suo delicijs studens.*

Quia certamina etiam Olympica spe- 38.
ctaculis donabantur, nonnulla adjicere de olympicis certaminibus non abs re fore duxi, cum à probis Authoribus excerpta sint. Certamina hæc olympica plures olim exercuerunt, & plures delassaverunt; & ut vires non ampliùs abripiant, delumbéntque suos spectatores, proderit utilia aliquot monita à variis decerpta in unum veluti fasciculum congerere. Basilius Seleuciensis vocat certamen olympi- Orat. 27.
cum

cum *Lætitiam exitij conciliatricem; & voluptatem, gehennæ viam.* Quòd si nemo sanæ mentis exitium appetit, nec viam æternæ perditionis; neque spectacula, quæ in olympicis certaminibus spectantur spectare debet: siquidem hac Insania videntur laborare, qui spectatores fiunt horum spectaculorum, in quibus vitium triumphat, luxuria jocatur, libido ludit, & tartareus hostis vitiorum ariete mentes evertit spectantium. Cuique athletæ sorte fuisse Antagonistam datum indicat S. Chrysostomus inquiens: *Velut in olympicis certaminibus sorte hic quidem Antagonistam hunc habet, alius alium: ita & hic, sed ratione hac, & regulis adstrictus; & Ecclesiasticus vocandus clerus est: unicuique enim sicut divisit Deus. Unusquisque ut sors ei data est à Domino, ita ambulet.*

*In catena græca in cap. 52. Jeremiæ.*

38. Non solùm olympica exercentes certamina sorte nacti erant Antagonistam; verùm etiam spectantibus hic aderat; vitium scilicet, quod intùs animum subiens, mentem spectantium pugnabat, ut expugnaret. Hoc tamen discrimine, quòd cùm olim varia præmia statuerentur, minora essent, quæ victori in certaminibus Isthmicis darentur, quàm quæ iis, qui in olympicis vicissent ex Solonis lege referente Plutarcho his verbis: *victori ludis Isthmicis centum drachmas dari jussit, olympicis autem quingentas,* cui suffragatur Laërtius addens, universa Athletarum præmia Solonem contraxisse: sed non aliud, qui se spectatores exhibent in hisce certaminibus præmium accipiunt, quàm proprium detrimentum.

39. Non tamen hujusmodi certamina semper noxia præseferebant spectacula; interdum enim ad exercitium fortitudinis, & virtutis experimentum fiebant, & ab iisdem servi, fures, aliique improbis moribus infecti excludebantur, ut explicat S. Joannes Chrysostomus expendens illud Apostoli ad Hebræos *spontè enim peccantibus nobis,* ubi ad spirituale certamen refert verba D. Pauli inquiens: *Nonne in ludis Olympicis stat præco magna, excelsáque voce clamans: si quis hos accuset, ne servus sit, ne fur, ne improbis moribus præditus? atqui certamina illa non animi sunt, nec morum, sed virium, & corporis. Quòd si ubi corporis est exercitatio, magna voluptatis ratio habetur; quantóque magis hic, ubi animus omnino exercetur?*

40. Hæc olympica certamina sola virtus moderabatur, & modestia componebat indicto per præconem silentio, ut innuit Chrysostomus inquiens: *Nonne videtis in olympicis certaminibus, dum capite coronam gestans, amictus stolâ, virgam manu tenens agonotheta per forum incedit, quanta sit tranquillitas, ac modestia, dum præco voce denuntiat, ut omnes sileant, ac decenter quiescant? cui non igitur absurdum videatur, ut ubi triumphat diabolus, tranquillitas tanta sit, ac silentium; ubi verò Christus ad se vocat, tumultus plurimus audiatur? in foro silentium, in templo clamor, in pelago tranquillitas, in portu tempestas.* Nos monet Chrysostomus, quomodo stare in Ecclesia debeamus, quomodo ad modestiam compositi, & sine tumultu preces fundere. Ut quis in olympicis certaminibus faciliùs vinceret, ita oportuit se se instituere, ut duntaxat necessariis vesceretur, abstineret se à superfluis, séque ad necessitatem exerceret ad præscriptam horam in æstu, in frigore, frigidam non biberet, nec vinum, ut notat Epictetus. 41.

*Tom. 6. homil. de bapt. Christi.*

*Cap. 34.*

Quanto autem labore plerique in certaminibus olympicis starent, ut viderent, ad quem victoria inclinaret, subindicat S. Chrysostomus, eósque simul premit, qui facilè in spirituali certamine tædio afficiuntur, licèt inde victoriam sint delaturi perenni gaudio donandam, ait enim contra Judæos: *absurdum fuerit, alios in certaminibus olympicis quotidie à medio noctis usque ad meridiem perdurare spectantes, ut videant, cui cessura sit corona, nudóque capite excipere solis radios, nec priùs abscedere, quàm de certamine fuerit pronuntiatum: nos verò nunc quòd certamen sit non de tali corona, sed de corona immortali, defatigari, tædio affici:* ita ille qui subdit quòd qui coronam victori esset impositurus in medio certantium loco staret, ita tamen ut nulli voce, aut nutu favere posset, utrumque enim indicat, quod ad spirituale flectit certamen, & Christum repræsentat in medio fidelium dimicantium sistentem, & assistentem, ac coronam impertientem victori, non tamen tacentem, sed faventem, & opem ferentem, ait Chrysostomus: *Olympico certamine, & frivolo, perditóque spectaculo impositor coronarum in ipso contentionis examine præesse consuevit, & in medio certantium loco consistens, nulli parti favorabili nutu subvenire procurat; sed ipsius certaminis expectat incertum, & ut mente, sic & loco medio continetur. Inter nostrum, autem & Diaboli certamen Christus spectator extat, non tamen media lance consistit, sed totus noster fautor expectat.*

*Orat. 2.*

*Homil. ad Neophytos.*

Quàm præclarius, quàm utilius est virtutum certamen, & pugna, quam cum vitiis inimus, quâ cum tartareo hoste confligimus, cùm Christum habeamus spectatorem, simúlque, & fautorem; paratam nobis exhibentem coronam, si de vitiis gloriosè vincamus. Longè utilius est hoc certamen, in quo vitia sternuntur, quàm illud, in quo feræ feriuntur. Imò in hoc contra vitia certamine etiam feræ cadunt, cum pravos affectus prosternimus. In amphitheatro olim homines cum feris pugnarunt: nos verò in hujus vitæ castris bellum indicimus vitiis, cum ipsis pugnamus, quæ si à nobis prosternantur in cœlesti capitolio triumphali pompa recepti perenni donamur gaudio: felices igitur, qui pugnantes cum vitiis non sinunt se ab hisce feris morderi, ut notat S. Bacchiarius inquiens: *considera quia pauciis tribuitur, ut de amphitheatro mundi istius, ubi cum feris, seu vitiis depugnatur, immaculati* 42.

*In epist. de recipiendis lapsis.*

*culati à peccati morsu membra sua liberent, quod expertus ille dicebat : ne tradas bestiis confitentes tibi.*

43. Sicut gloriosior est victoria in hoc certamine vicisse, ita turpioris dedecoris, ac damni est profligari, ac vinci, imò ex lapsu damnum magis noxium: in aliis siquidem certaminibus corpus cadit, quod resurgere facili potest negotio; in hac verò pugna si anima semel vincatur, erigi ex se amplius non potest, sed ut dejecta resurgat, ope indiget divinæ gra-

*In Asceticis* tiæ, scitè ad rem nostram Nilus *Gymnico certamine certamen hoc est multò difficilius. Illic enim pugnantium corpora prosternuntur, quæ facilè possunt excitari: hic animæ concidunt, quæ ut semel afflictæ sunt, vix erigi possunt. Quòd si quis nondum cupiditates superavit; adhuc in pugna, & sanguine versatur.*

44. Quòd si quis vitium non prostraverit, ludibrio est reliquis, quæ victum adoriuntur, trahúntque in pleraque discrimina, retibúsque implicatum huc, illúcque ducunt. Noxia sunt hæc retia, quibus in pugna vitiorum victus implicatur, quia ad mortem pertrahitur, vel saltem ad caveam; ubi ad pompam saginatur, mortem mox subiturus, ut notat S.

*Epist. de recipiendis lapsis.* Bacchiarius inquiens: *Qui captus in rete vitiorum, & patienter inimicis fuis, hoc est venatoribus acquiescit, donec etiam recludatur in cavea, & ibi longo temporis spatio saginetur ad pompam, tunc maximè principalibus sæculi cum occisus fuerit, placiturus est.* In hac pugna contra vitia is hostes prosternit, qui se dejicit; sævit in adversarios, qui in se ipsum ferocit; dœmones confundit, qui se peccatorem fatetur, reúmque se judicat, ut eleganter infert Petrus Damianus inquiens *In*

*Lib. 4. epist. 15.* *Cades ergo, qui est fons judicij Amalecbitas, & Amorrhæos gladio verante dejicimus: quia tunc vitiorum omnium barbariem sternimus, tunc potestates aëreas invictissimè debellamus, si & innocenter vivimus, & tam Reos nos, ac peccatis obnoxios judicamus dicentes cum Apostolo: si dixerimus, quia peccatum non habemus, nosmet ipsos seducimus, & veritas in nobis non est.* Qui verò in hac pugna vincunt, coronis donantur cæteris nobilioribus, simúlque pretio excellentioribus, quia nihil hoc certamine melius, nihil illustrius, quia ut ait D.

*Homil. 9. in epist. 2. ad Timoth.* Chrysostomus *Nullo fine concluditur hæc corona, neque ex Oleastri floribus texitur.* Theatrum, in quo hæc pugna instituitur Angelos habet spectatores, & Deum Agonothetam, seu munerarium, qui prœmium certantibus, ac vincentibus donat: in hac pugna strenuus certator fuit sanctus Job, qui in hac palestra egregiè pugnavit, & satanam debellavit, sed Athleta fuit invictus, quia animum suum priùs ex-

*Cap. 1.* ercuerat, sicut *in catena græca* dicitur; simúlque invitamur ad nos exercendum. *Exerce te in palestra: ærumnosos dolores, qui animo observantur tuo, fer fortiter, ut eos corporis valeas superare. Etenim si antequam cum diabolo certamen Jobus iniit, non animum exercuisset, non tantopere ex contentionibus clarus, & nobilitatus fuisset.* Qui in hac palæstra cupit victorias, præmia amat, eadem premat vestigia, qui parem quærit coronam, paria non diffugiat certamina.

Claudo paucula, quæ protuli contra spectacula, pauca adjiciens de ipsis theatris. Præcipuum theatra, in quibus olim spectacula repræsentabantur, locum obtinebant inter urbia ornamenta, in quibus plures spectabantur partes, ut scena, proscenium, Orchestra, cunei, cavea: deinde ornatus, quales erant columnæ, tabula, signa, & totum scenicorum choragium. De theatris subjicio fragmentum exceptum ex Plinio in theatro Scauri, ubi ait; Scaurus fecit in Ædilitate sua opus maximum omnium, quæ umquam fuêre humana manu facta, non temporaria mora: verùm etiam æternitatis destinatione. Theatrum hoc fuit; scena ei triplex altitudine trecentarum sexaginta columnarum, in ea civitate, quæ sex hymetrias non tulerat sine probro civis amplissimi; Ima pars scenæ è marmore fuit, media è vitro; inaudito etiam postea genere luxuriæ; summæ tabulis inauratis columnæ, ut diximus; imæ duodequadragenum pedum; signa ærea inter columnas fuerunt tria millia numero. Cavea ipsa cepit hominum octoginta millia, cum Pompei amphitheatri toties multiplicata urbe, tantóque majore populo, sufficeret largè quadraginta millia, &c. 45. *Lib. 36. c.*

## §. V.

## *Quæ in theatris spectantur spectacula bellum indicunt virtuti, & innocentia exitium exhibent spectandum.*

Nemo expetit spectaculis interesse, nisi ut aliquam inde hauriat voluptatem, animique solatium: sed error est mentis iste amentis: quid enim sunt hæ voluptates, quas spectacula in theatris exhibent, quam damnorum appendices, innocentiæ clades, ac virtutum omnium strages, à quarum studio animum avertunt; & secum agmen malorum omnium advehunt. Ex hac enim voluptate velut ex equo Troiano effunditur acies malorum, quæ partim corpus, partim animum infestant. Non enim quid aliud in hisce voluptatibus occursat, quàm expectatio anxia, visus lasciviens, usus infamis, cogitatio fœda; cùm vix possit quis hisce uti voluptatibus sine læsa conscientiâ, absque Numine læso, sine salutis suæ periculo, sine gratiæ dispendio. Est igitur voluptas, quæ ex profanis hisce hauritur spectaculis, fœcunda malorum omnium parens; sed perinde ac insulsus cibus, si aliquo condimento melliatur, avidè sumitur, ac deglutitur dulcoratus; ita vitium, tametsi ex se naturæ adversum, si plausu, ulúque receptum sit, quæritur expetitum. 46.

47. Plerique explendæ curiositatis causâ hæc frequentant theatra, hisce intersunt spectaculis: sed quis non accuset spectatorem, quis non condemnet hanc curiositatem, illum ut vitio-

sum,

ſum, & hanc ut vitium? Proprium eſt curioſo eſſe ſuarum rerum incurium; & tantùm ſtudioſum, ut aliena exploret; & deſidioſum, ut proprios mores corrigat; otioſum in neceſſariis, negotioſum in ſupervacaneis. Seria curioſus negligit, & in futilibus expetit occupari, adeò ut omnis ineruditus idem ſit ac curioſus, & paratior ad inquirendum, quàm capacior ad intelligendum: hinc D. Auguſtinus rogatus ab Afro, quid Deus ante mundi creationem faceret, ſcitè reſpondit; *paraſſe tunc curioſis infernum.* Solet hoc vitium ultimum parere exitium præſertim virtuti, ac pudicitiæ, ut contigit Dinæ Jacobi filiæ, formæ ſupra cæteras puellas venuſtæ; hanc curioſitas impulerat urbem Sychimorum viſendi, motéſque urbicos præſertim fœminarum, earúmque ſtudia obſervandi: ſiquidem puellæ plures ſibi coævæ tunc ad nundinas convenerant, & ad publica ſpectacula: ſed quia raro abſque periculo in publicum caſtitas prodit; vix Sichemus Dinam vidit, & cœpit ipſam deperire, quam lenociniis cum non poſſet ad flagitium pertrahere, vitium eidem licèt reluctanti tulit, & damnum ejus virginitati intulit irreparabile. Curioſitas Dinam ad nundinas, & ſpectacula perduxit, non ut aliquid honeſti, & decoris emeret, ſed caſtitatem venderet. *Tenera res* (ait Hieronymus) *in fœminis fama pudicitiæ eſt; & quaſi flos pulcherrimus, citò ad levem marceſcit auram, flatúque corrumpitur;* quapropter ſcribit ad Euſtochium: *Cave ne domum exeat, & velis videre filias regionis alienæ; quamvis fratres haberet Patriarchas, & Iſraële parente lætaretur Dina, egreſſa corrumpitur.* In puella, quam decus caſtitatis commendat videre, & videri fomes eſt concupiſcentiæ, & cogitationes excitat, quæ caſtitati bellum indicunt, quia ut ſcitè ait Clemens Alexandrinus: *Dum laſciviunt oculi, caleſcunt appetitus.* Quòd ſi mulier tactu eſt viſcus, viſu eſt Baſiliſcus; ſolo enim aſpectu interitum molitur pudicitiæ. Sichamus libidinis amans, cùm primùm aſpectus in Dinam injecit, & hæc oculos in ipſum direxit, flammam concepit, quæ in puella liliom aduſſit caſtitatis, quia ut ait Chryſoſtomus: *Sicut ignis ubi calamum apprehenderit mox attractam materiam ſuâ flammâ accendit: ita ignis concupiſcentiæ, ut primùm formoſitatem, & venuſtatem viſu attigerit, animum ſtatim inflammat.* Caſtitatis amans na detrimentum patiatur, neceſſe eſt à theatris ſe ſubtrahat, à ſpectaculis ſe avertat; ubi & cantus impuri, & puellæ comptæ, & oculi laſcivientes igni concupiſcentiæ fomitem ſuppeditant.

*Epiſt. 9.* — *Epiſt. 22. ad Euſtochium.* — *Lib. 3. pædag. c. 11.* — *Serm. in Ozia.*

48\. Samſon cùm incidiſſet in truculentiſſimæ feræ rictus, ejus dentibus fuiſſet procul dubio diſcerptus, niſi ſacer ſpiritus animos indidiſſet: ſed qui leonem proſtravit ferocientem, mulierem non valuit ſuperare eblandientem, cùm primum eam vidit, periit, quia efflictim eam deperiit. *Deſcendit ergo Samſon in Thamnatha, vidénſque ibi mulierem de filiabus Philiſthiim aſcendit, & nuntiavit patri ſuo, & matri ſuæ dicens: vidi mulierem in Thamnatha de filiabus Philiſthinorum, quam quæſo, ut mihi accipiatis in uxorem.* Mulier enim compedes gerit in oculis, quibus vinciat; glutem, quô affigat; hamum, quo inuncet; ſagittas, quibus confodiat; flammas, quibus adurat. Quærunt Interpretes, cur Samſon deſcenderit in Thamnatha. Et præ cæteris Hugo Carenſis cenſet, occaſionem nactum fuiſſe ex aliquo ſpectaculo, quod in feſto quopiam Philiſthinorum populo dabatur ad feſtivam hilaritatem excitandam; cui tamen dum incautus adfuit Samſon, & vago aſpectu adſtantes luſtravit, fœminam eximiè venuſtam aſpexit, cujus obtutus ita animum aduſſit, ut Samſon fumo cæcutiens inflammatæ concupiſcentiæ, legis ampliùs non viderit obſervantiam, quam parvi pendens nuptias expetiit Philiſthinæ mulieris: ait Hugo *Deſcendit Samſon in Thamnatha civitate Philiſthinorum, ut videret ſolemnitatem, quæ ibi agebatur.* Spectaculum à Philiſthinis exhibitum, occaſio fuit Samſoni legis temerandæ. Hinc ſcitè Tertullianus *Nobis ab omni gloria & dignitatis ardore frigentibus nulla eſt neceſſitas cœtûs, nec ulla magis res aliena, quàm publica: unam omnium Rempublicam agnoſcimus, mundum; æquè ſpectaculis veſtris in tantum renuntiamus, in quantum originibus eorum, quas ſcimus de ſuperſtitione conceptas, cum & ipſis rebus, de quibus tranſiguntur, præterſumus. Nihil eſt nobis dictu, viſu, auditu cum inſania Circi, cum impudicitia theatri, cum atrocitate arenæ, cum Xyſti vanitate.* Aptè impudicitiam adnectit theatro, circo ferociam, ſcenæ voluptatem, inde enim ſparguntur ſales, non ut mens condiatur, ſed virtus corrumpatur; dulciſſoni cantus emittuntur, qui dum aures demulcent, animum inficiunt, cui per aures venenum inſtillant, dum puellæ choreas ducunt, & multiplici ſaltu theatrum pulſant; & dum pedes ad numeros harmonici concentus movent; capita adſtantium in diſſonantiam trahunt, & à concentu removent virtutis.

*Jud. 14.* — *In Apologet. cap. 38.*

49\. Idque cauſæ, cur olim virtutum addicti ſtudiis inhiberentur ſpectaculis intereſſe, ut theatri, ſcenæque periculoſam corpori, & animæ voluptatem exterminarent, cum eos non lateret, quantam hæc ſpectacula adferrent virtuti, ac ſaluti perniciem. Hinc etiam David, quia culturæ incubuit virtutum, quarum ſumma decora attigit, non ſemel obnixis precibus Deum rogavit, ne in hujuſmodi ſpectacula permitteret eum incidere: *Averte oculos meos, ne videant vanitatem.* Quòd ſi petas, à quanam vanitate voluerit oculos ſuos averſos? ab ſpectaculorum reſpondet Euthymius noxia voluptate: ait ipſe: *Averte eos à noxiis ſpectaculis, ita ut inania non videant; oculos autem non corporis tantùm, ſed animæ etiam intelligit.* Cui ſuffragatur Cyrillus Jeroſolymitanus inquiens: *Non ſis curioſus frequentiâ ſpectaculorum, ubi conſpicias mimorum petulantias omni contumeliâ, & impudicitiâ refertas, & virorum effœminatorum choreas, le-*

*Pſalm. 118. v. 37.* — *Catecheſ. Myſtagog.*

*vitatem corporis prodeuntes, & animi vacuitatem.*

50. Spectaculis, qui intersunt, theatrisque assident, pulchritudine, & varietate alliciuntur; sed dum oculi muliebri depascuntur venustate, vestiúmque excurrunt elegantes angustias; virtutis nervus laxatur, & enervis animus miserè irretitur, quapropter David licèt cantu dœmonem fugaverit, lapide gigantem prostraverit, manu leonem discerpserit, adeo spectacula hæc exhorruit, ut ab iisdem exulare enixim petierit: & qui etiam dehortante Saule impavidus ad singulare certamen cum Goliatho descenderat, mox trepidat, timétque spectacula, à quibus vult oculos averti; ac si aspici spectacula non possint sine virtutis discrimine, absque probitatis detrimento, & morum damno. Sunt enim theatra, in quibus vitia omnia triumphant, à quibus propterea homines avertere David satagit inquiens *Beatus vir, qui non abijt in consilio impiorum, & in via peccatorum non stetit, & in cathedra pestilentiæ non sedit.* Vocat spectacula cathedras pestilentiæ, quia sedentes in theatro spectaturi, quæ ibi exhibentur spectacula pestem contrahunt, cujus veneno virtus corrumpitur, & innocentia emoritur. Per cathedras pestilentiæ intellexisse Regium Psaltem profana spectacula adstruit Tertullianus qui spectaculis adaptat verba Davidis inquiens: *Invenimus ad hanc quoque speciem pertinere illam primam vocem David: felix inquit, qui non abijt in consilium impiorum, & in via peccatorum non stetit, & in cathedra pestium non sedit. Semper scriptura divina dividitur, ubicunque secundùm præsentis rei sensum etiam disciplina munitur, ut hic quoque non sit aliena vox à spectaculorum interdictione.*

Psalm. 1.

Lib. de Spect. cap. 3.

51. Ipsos theatri gradus, & amphractus ad declivum dispositos confessum David vocat cathedras pestilentium, quia lethalis vitiorum pestis irrepit, omnésque inficit sedentes, quos stare in virtutis exercitio prohibet: pestes ibi oriuntur, & grassantur vitiorum mortiferum virus effundentium. Quinimò exuit in hisce spectaculis homo ipsam humanitatem, induitque feritatem: dediscit humanitatis officia, & rabie oblectatur crudelitatis: huc accersendus Salvianus inquiens: *In spectaculis primum deliciarum genus est mori homines, impleri ferarum alvos humanis carnibus, cum circumstantium voluptate, & conspicientium lætitia. Et hoc ut fiat orbis imperium est, adeuntur loca abdita, lustrantur invij saltus, peregrantur sylvæ inexplicabiles; & ut devorari possint homines, non licet naturam rerum habere aliquid secretum.*

Lib. 6.

52. Quinimò Taurus quæritur cæteris truculentior, feræ seliguntur reliquis sæviores, & quæ in homines possint acriùs irruere, ac funestiùs sævire, quò humanum sanguinem fundentes, & membra hominis discerpentes, viscera, & præcordia vorantes, & corpus in frusta dilaniantes sint detestabili hac feritate spectantibus hæc cruenta spectacula oblectamento, & solatio: nec minor est strages animorum, quæ illi haud suppar est corporum: ibi enim confusus auditur vocum tumultus, modestiam abigens, & innocentiam prosternens: verba impudica per aures in animum dilabentia fœdas excitant cogitationes, quibus innocentia interimitur; ibi mutui fœminarum, ac virorum aspectus scintillas emittunt libidinis, quibus castitas aduritur, & pudicitia cinerescit. Ut igitur fit quis beatus, necesse est, has pestium cathedras inhorrescat à profanis hisce se avertat spectaculis, in quibus etiam siccis oculis spectatur virtutis interitus; dum vitium aspicitur suos agere triumphos: nulla est morum probitati nocentior corruptela, quàm quæ ex hisce oritur spectaculis, scitè Lactantius Firmianus ait: *In scenis quoque nescio, an sit corruptela vitiosior; nam & comica fabula de stupris virginum loquuntur, & amoribus meretricum.* Lascivire edocent in scenis, & theatris puellæ, quæ aspectu, motu, cantu concupiscentiam excitant, pravósque ignes in intimis adstantium visceribus accendunt, quibus pudor corrumpitur, & castitas absumitur; discunt puellæ in scenis, quibus adulationibus, artibus, ac blanditiis aptiùs valeant causam agere libidinis, ut ad se viros spectantes pelliciant, quapropter concludit Lactantius: *Vitanda ergo spectacula omnia, non solùm ne quid vitiorum pectoribus insideat, quæ sedata, & pacifica esse debent; sed ne ejus nos voluptatis consuetudo delineat, & ab eo, atque à bonis operibus avertat.*

In Lib. 6. c. 20.

Nil blandius animum ad concupiscentiam emollit, quàm puellæ theatralis cantus; nil ad resistendum vitiis virum magis enervem reddit, quàm ipsæ mimorum gesticulationes, puellarum saltus, ac corporum in choreis infractiones, quàm gestus pudicitiæ noxii, hi enim animos velut injectis igniculis urunt: & tamen lætiores adeunt homines theatra, quàm Ecclesias; illa frequentantur, istæ deseruntur: scitè Seneca *Cogito mecum, quàm multi corpora exerceant, quàm ingenia pauci; quantus ad spectaculum non fidele, & lusorium fiat concursus; quanta sit circa artes bonas solitudo, quàm imbecilli animo sint, quorum lacertos, humerósque miramur.* Solitudinem necesse est bonæ artes patiantur, quoties ad spectacula lusoria se homines urgent; nec possunt tunc quidquam honesti appetere, ubi libido suos spargit igniculos ad interitum castitatis; ubi vitium compedes cudit, quibus adstantes in suum pertrahat famulitium; unde nil melius appeti potest, quàm se huic servituti eripere, quæ omnes premit, & dum premit, spiritûs abigit libertatem. 53.

Epist. 11.

Nulla servitus fœdior, quàm quæ pravis obtemperat affectibus, qui nisi coërceantur præcipites nos trahunt in imum calamitatum. Is sapit, & scitè imperat, qui in pravos quosque affectus imperium exercet. Axa Calebi filia in domum traducta sponsi, la- 54.

lachrymas fudit ab oculis, & suspiria emissis è corde *Suspiravit ut sedebat in asino:* (Josue cap. 15.) filiam sponsam comitabatur Pater, qui dolore perculsus ob lachrymas & suspiria filiæ, eam interrogavis; quid causæ dederit lachrymis, & suspiriis? *Quid habes?* ait pater, cui filia doloris causam aperiens, amœnum, ac irriguum expetivit agrum, subdens: *Da mihi benedictionem: terram australem, & arentem dedisti mihi, junge & irriguam.* Non tamen videtur vacare mysterio, quòd Axa Neo-nupta asino insidens, suspiria emiserit, si asino vehebatur, cur per suspiria cordis prodit dolorem, cùm jumentum itineris labores levaret? scitè Axa insidens asino suspiria emittit è pectore, & lachrymas fundis ab oculis, quia cùm premeret asinum, seu portionem inferiorem, ac utrumque appetitum, omnésq; pravos affectus frœno compesceret virtutis, agrum expetiit irriguum, seu portionem superiorem, quæ veluti exculta tellus, ac cœlestium imbre gratiarum rigata, flores daret virtutum, quibus cœlesti sponso magis placeret: prolixa igitur emisit Axa suspiria, ut superius irriguum obtineret, cùm brutalibus superior esset affectibus, ac asinino insideret appetitui. Nimirum inardescit animus ad studia virtutũ, ubi brutalium affectuum frœno prudentiæ motus coërces. Non priùs Axa suspiria emisit, quàm asino insideret, suspiravit, sed cùm asino insedit: quia tunc ferventiùs æterna suspiramus, cùm appetitum inferiorem, ejúsque brutales motus ritè compescimus; pulchrè D. Gregorius: (Lib. 3. Dialog. cap. 34.) *Axa super asinum sedet, cum irrationalibus carnis motibus anima præsidet, quæ suspirans à patre terram irriguam petit, quia à creatore cum magno gemitu quærenda est lachrymarum gratia:* & nonnullis interjectie subdit: *Flere incipit, quòd differtur à Regno, dat ergo ei pater irriguum superius, cum se in lachrymis cœlestis Regni desiderio affligit.* Cohibitis pravis affectibus, ac coërcitis carnis concupiscentiis, pompísque despectis sæculi, cœlesti incipiunt præcordia inflammari desiderio, & per crebra suspiria cœlum inscendere.

55. Pravos inferioris appetitûs coërcuit David affectus, de quibus illustriùs triumphavie, quàm de prostrato Goliatho: etenim post gigantis singulare certamen, ad bellum accersitur periculosius; Saul siquidem turbulentæ ambitionis cæcutiens fumo armatur in Davidem, à quo multiplici fuerat beneficio cumulatus, & totis viribus acquisiam sibi gloriam in prostratione gigantis adnititur obscurare: & cùm Saul fugientem Davidem insequeretur, per sylvas, montésque, spelæum ingreditur, inimico objicitur præda: cùm enim intus lateret David, facilè violentas potuisset in Saulem manus injicere, eúmque gladio confodere; sed quia virtutis amans, didicerat gratiæ servire, & non vitio famulari, noluit sanguine justæ vindictæ gratiam cruentare excultæ virtutis, tametsi loci opportunitas ansam ei porrigeret ad thronum ascendendi, maluit generosus thronum despicere, quàm vindictæ servire; noluitque diademate cingi, ne in castris virtutis discinctus fieret miles, dixit tunc David: *Propitius sit mihi Dominus, ne faciam hanc rem Domino meo Christo Domini.* (1. Reg. cap. 24. v. 5.)

56. Ex hoste fit David inimici custos, cujus vitam defendit, quam sui juris occasio, locíque opporsunitas effecerat; noluit per justam vindictam, per sanguinis fusionem aditum sibi ad thronum aperire, quapropter exclamans Basilius Seleuciensis ait: *O generosum pectus, & soli gratiæ servire gnarum!* (Lib. 6. Anagog.) quòd si quæras, quâ arte, & industriâ David thronum conscendetit Israëlis? non credas alio munitum subsidio thronum occupâsse, quàm exercitio virtutum, ac prostratione pravorum affectuum: ajebat ipse *Quis mihi dabit pennas sicut columbæ, & volabo, & requiescam.* (Psalm. 54. v. 7.) Si petas, quónam concupierit David avolare, respondet Anastasius Sinaita. (Orat. 10.) Ad thronum illum cœlestium volucrum habentium sex alas, ait ipse: *Volucrem desiderabat fieri, qui dicebat: Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, quæ descendit in Jordanem, & volabo, & requiescam in illa requie cœlestium volucrum sex alas habentium:* nimirum quia in spelæo illustrius triumphavit David de prostrato affectu, & appetitu effræni cruentæ vindictæ, quàm de Saule, quem potuisset confodere, & per inflictum ei vulnus viam sibi ad thronum Israëlis adaperire; à quo tamen abstinuit, ne de superato pravo affectu vindictæ, palma destitueretur; ideo, cùm Seraphinis, qui senis muniuntur in cœlo alis de desiderio certat: & cum terrenum thronum posthabet victoriæ superatæ vindictæ, vehementiori studio inardescit throni cœlestis desiderio.



# DISSERTATIO III.

## Affectus immodici in divitias aggerandas, ni coërceantur plurimum adferunt dispendii, nilque compendii. Carpitur Avaritia.

### §. I.

*Viperinus est fœtus immodicus in divitias affectus, matrem enecat, à qua vitam haurit.*

1. 
Overcali se odio prosequitur, qui impenso amore divitias sequitur; cùm hæ minimè constituant hominem probum, sed persæpe malum efficiant: divitiis,sicut nomine,ita, & re affinia sunt vitia; rati siquidem affluunt divitiis, qui vitiis non diffluant, sunt enim divitiæ vitiorum alimenta, iniquitatum fomenta, & peccandi divitibus instrumenta; pulchrè Eucherius, *Quædam societas pœna etiam nominis duabus bis rebus VITIIS,& DIVITIIS.* Quòd si vitia à veris avertunt divitiis, quæ in cœlesti duntaxat regno possidentur; dementiæ dandum est, cœnum quærere in divitiis, & cœlum perdere; insania est acquirere aurum, & vanam duntaxat aucupari auram; divitias cumulare,& summum Bonum amittere.

*De contemptu mundi.*

2. Quòd si vita hominis quidam est ad cœlum ascensus, quis a sana mente ita dejectus est, qui hunc in cœlum cupiens ascensum supervacuis se ponderibus oneret: in altum non ascendit, qui plurimo gravatur pondere, sed in ima deprimitur; nil divitiis, nil auro gravius? vix Jobus divitias possederat, & earum præsentiens gravedinem conquæritur Princeps Husseus, inquiens: *Factus sum mihimet ipsi gravis.* Fuit ipsi gravis labor, quo eas acquireret; gravis timor, ne acquisitas perderet: gravis dolor, ubi acquisitæ amittuntur: ab hisce gravibus malis non eximitur,qui affectum in divitias non compescit; nec in altum ascendit,qui iisdē gravatus in ima deprimitur.

*Job,7.v,20.*

3. Imò non solùm divitiæ aggravant, & premunt, sed etiam illigant, opes enim compedes esse dixeris,quia quæ putas ornamenta esse corporis, impedimenta sunt animi: plusque divites divitiis inserviunt, quàm divitiæ divitibus, fitque propterea longè faciliùs plures adinvenire viros divitiarum, quàm divitias virorum.

4. Nil est, quod suos magis aggravet possessores, quàm divitiarum copia, hæc enim impediuntur sursum conscendere, & ad veras pervenire divitias: quantī sint divitiæ incommodi suis possessoribus edocuit Theopompus Lacedæmonius Princeps: *Hic*, ait Plutarchus, *adjecit regnantibus Ephoros, hinc cùm eum uxor infectaretur, quòd imperium filijs relicturus esset, quàm accepisset, angustius: imò amplius, ac firmius respondit Theopompus; siquidem ubi vim ejus immodicam remisit, simul cum invidia declinavit periculum.* Flumen fuerat Theopompus imitatus, quantum in alios contulit, tantum sibi detraxit. Si flumen copiosis aquarum exundet voluminibus ne urbes, & pagos ejus adjacentes ripis suis obruat fluctibus,nocéatque incolis,factu optimum est exundantes aquas dissecare, ac in plures dividere rivos. Immodica auri, argentique pondera onera sunt, quæ animum premunt, ac ita deprimunt, ut non sinant eum sursum elevari, sed cœno duntaxat adhærescere ac immorari.

*Comment. in Princ. indoct.*

5. Idque expertus fuit, qui in evangelio divitiis affluens ob messis ubertatem,& nesciens ubi collectos reconderet fructus, cum horrea agri non caperent proventus; cùm noluerit eos dividere, & aliis impertiri; se ipsum maluit gravare, quàm alienas miserias levare; & cùm renacissimus fructus omnes sibi retinuisset, ac quietem, cæteris omnibus invidiosus sibi spopondisset dixit: *Congregabo omnia quæ nata sunt mihi, & bona mea, & dicam animæ meæ: anima habes multa bona posita in annos plurimos quiesce.* Sed copia divitiarum inopem eum effecit, & divitiæ in illius excrevere detrimentum, cui utilior fuisset angustior annona, siquidem ut scitè ait D. Gregorius *De ubertate agri angustatur animus avari, dicens namque, quid faciam? profectò indicat, quia votorum suorum affectibus pressus sub quodam rerum fasce laborabat* Congestæ divitiæ quietis, & lætitiæ accersivere paupertatem, peperit fructuum copia cordis anxietatem; variis enim desideriorum motibus agitatus, quò se verteret nescius, anceps hærebat interno conflictu saucius; *Quid faciam? quia non habeo, quo congregem fructus meos.* Ecce ad quales incitas rerum copia

*Luc.12.v.18.*

*Lib.15. Moral,cap.11.*

*Luc.12.v.17*

copla hunc pertraxit divitiis affluentem: talibus fuit angustiis pressus cum laxioribus cœpit terræ fructibus ditescere, ut iisdem pressus animam miserè efflaverit. *Dixit autem illi Deus, stulte hac nocte animam tuam repetent à te, quæ autem parâsti cujus erunt?* quia pectus summam nequivit divitiarum amplecti, animam foras evomuit. O quàm utilior ei obtigisset fructuum inopia! nec conflictu desideriorum inflicta sibi vulnera sensisset, & vitam protraxisset feliciorem: dum uberioribus cœpit divitiis affluere, pluribus etiam cœpit molestiis torqueri, ac veluti immodico pressus pondere infeliciter periit. Si enim fructus saltem superfluos, & quos horrea non caperent aliis præsertim indigentibus fuisset impertitus, utiliùs sibi, & laudabiliùs aliis consuluisset.

6. Idque causæ, cur Daniel Nabuchodonosori suaserit congestas divitias pauperibus impertiri. Somniaverat Tyrannus Babylonius suos ob oculos arborem vegetam, & tantæ proceritatis obversari, ut vertice, ramisque superioribus nubes attingeret, & ramorum explicatu, ac virentium comâ foliorum longè, latéque plures terrarum tractus inumbraret; & non bestiis tantùm omnis generis, sed & hominibus escas abundè suppeditaret: ex quavis telluris parte festinato gressu videbantur accedere ferarum omnes species, fructus arboris percepturæ, ejúsque umbra fruituræ, quippe visa fuit voluptas terræ frondoso sub illo tecto suam locâsse sedem. Sed quia fluxa est, ac vanida quævis terræ voluptas, adfuit illicò de cœlo genius excubitor, qui voce minaci præcepit tyranno, arborem illam succidi, ramos amputari, folia dissipari, fructus dispergi, relictâ duntaxat somniatæ arboris radice in novos postea surculos germinaturâ, & in novos fructus pullulaturâ. Imò addidit Numinis Minister, eum, quem arbor denotat, talia subiturum fata, nimirum compede vinciendum, omnibus cœli injuriis expositum sylvas inter & feras; herbisque cum bestiis integro pascendum septennio: quæ minæ non tantùm Nabuchodonosorem, verùm & ejus interpretem Danielem turbârunt subeunte ejus animum commiseratione; eò quia esset Rex Babylonius ex pinguissima fortuna, & insolenti dominatûs amplitudine ad extremam cum bestiis detrudendus miseriam; & Rex præpotens, opibus affluens, deliciis diffluens, magnæque orbis parti imperans esset in bestiam à divina Nemesi deformandus, vinculis illigandus, & brutorum cœtui associandus: objectam enim per somnium sibi arborem Rex Danieli aperuit ejus auditurus Interpretationem: *Ecce arbor in medio terræ, & altitudo ejus nimia: magna arbor, & fortis: & proceritas ejus contingens cælum: aspectus illius erat usque ad terminos universæ terræ: folia ejus pulcherrima, & fructus ejus nimius.* Daniel quo studiosius Babylonio Regi consuleret, & consultiùs provideret, eum seriò monuit, ut quas divitias congesserat, pauperibus impertiret, ne ipse sub onere auri, argentique pressus periret oppressus, rami siquidem arboris ex nimio fructuum pondere, non solùm incurvantur, sed plerumq; etiam rumpuntur: *Rex consilium meum placeat tibi, & peccata tua eleemosynis redime, & iniquitates tuas misericordiis pauperum.*

Daniel, 4. (left margin)

Daniel. 4. v. 7.

7. Hæc fructuum partitio non solùm in pauperum cedebat utilitatem; sed in Regis etiam commodum: hortulani siquidem, & qui arborum delectantur culturâ, si ramum aliquem nimio videant fructu prægravari, ne copia eidem noceat, inopémque efficiat infelici avulsione ab arbore, ramisque aliis; satagunt superfluos separare fructus, ne ramus casũ subeat; sed per fructuum imminutionem ejus consulatur commodo; quia dum ramus exoneratur fructibus fulcitur; dum pomis destituitur, firmior stabilitur: frangitur namque ramus, si nimio fructuum pondere prematur, & cito arescit exuccus, scitè Seneca *Hæc eò, quò superfluunt, nocent; sic segetem nimia sternit ubertas. sic rami onere franguntur; sic ad maturitatem non pervenit nimia fœcunditas:* si igitur arbor fructibus prægravata, ac multo pressa onere suas aliis divitias communicet, imminens declinat lapsûs periculum, casum eludit, & in annos venturos uberem sibi proventum spondet. Si Nabuchdonosor consilio annuisset Danielis, si divitias superfluentes permisisset in arescentes pauperum campos derivari; abjectus, & curvatus cœtui non fuisset bestiarum adscitus: appositè Theodoretus ait: *Propheta hanc sententiam exposuit, ille verò cùm se durum, & inexorabilem præbuisset scelerum præmia tulit, & quæ audiverat tristia, hæc oculis conspicatus est.* Exundantis divitiarum, copia fructuum sordidè custodita, & avarè detenta ramos fregit, quibus fuit exitio, clamavit vigil Angelus *Succidite arborem, & præcidite ramos ejus: excutite folia ejus, & dispergite fructus ejus: verumtamen germen radicum ejus in terra sinite.*

Epist. 39.

Orat. 4. in Daniel.

Daniel, 4.

8. Consueta est hæc Numinis moderatio in scelestis puniendis; è pingui fortuna in imum eos detrudit ærumnarum, ut quos divitiarum exundantia corruperat, miseriarum accersita congeries corrigat; Nabuchodonosorem fructuum ubertas, & folia luxuriantia bonorum temporalium avulserunt ab hominum cœtu, & stirpem etiam radicitus abstraxissent, nisi per veram resipiscentiam in saniorem reversus esset frugem: addidit ibi somniatæ arboris Interpres *Ejicient te ex hominibus, & cum bestiis, ferisque erit habitatio tua.* Mirum quòd Daniel decretoriam hanc divini Judicis sententiam in potentissimum totius Orientis Monarcham edixerit. Mira sanè in aulico hæc dicendi libertas, Principum proceribus, consiliariis, aliisque palatinis altiùs imprimenda; apud quos moris est veritatem variis obtegere fucis, vel per varias detorquere ambages, ne ad Principis aures deveniat: assuescunt vafritiei Aulici, qui ex ambiguo per varios flexus Principem, cui adulantur, circumducunt,

Daniel, 4.

ducunt, non ducunt; parum curantes, quàm sint fidi, dummodo aures Principis demulceant.

9. Hinc Augustus Imperator ob impudicos Juliæ filiæ amores contractâ jam infamiâ altum ingemuit, eò quia nemo fuerit, qui de Juliæ impudicitia eum moneret, dixitque, id ei minimè obtigisse, si Agrippa, aut Mecœnas vixisset, erant enim viri ob ingenuam dicendi libertatem commendatissimi, quique non finerent veritatem Principi occultari. Dixit DEI nuntius Nabuchodonosori: *Succidite arborem, & præcidite ramos ejus:* abundantia fructuum avarè detenta curvescentibus ramis ruinam attulit, si enim fructus, quorum pondere incurvatus premebatur ramus, aliis communicâsset, esurientes pavisset, præcisus non periisset, sed indemnem servâsset gratiem, & decentem custodivisset arboris opulentiam; simul fuisset & pauperibus utile, fructus gravati rami recepisse; & toti arbori commodum, eos aliis impertivisse. Mortem dives incurrit, dum misero, cùm possit, non succurrit: commodè Nabuchodonosor consilio potuisset Danielis annuere, suásque divitias superfluentes finere in pauperes diffluere; sed quia sordidè maluit eas servare; insorduit & ipse cœtui ascitus ferarum: imò sicut misericordia cœlum dicitur aperire, ita & immisericordia claudere; ante cœli fores vigil adstat immisericordia, & neminem, qui fuerit immisericors, finit eò admitti, ut neque misericordia ullum permittit in gehennam detrudi, ait Augustinus. *Ante fores gehennæ stat misericordia, & neminem permittit in carcerem mitti:* Sed Basilium in locupletes avaritiâ sordescentes audi non tam perorantem, quàm detonantem: *Non es misertus; non invenies misericordiam; non aperuisti domum, repudiaberis à regno: non dedisti panem; non accipies vitam æternam.*

Homil. 30.

Orat ad Divites.

10. Quæ in alios per rivulos misericordiæ non defluunt aquæ, putrescunt stagnantes, & vitium contrahunt jacentes, & quiescentes; quapropter sponsus commodis consulens sponsæ, putei ac fontis eam donavit nomenclatione *Fons hortorum, puteus aquarum viventium, quæ fluunt impetu de Libano:* nimirum de Libani vertice candicantes solutarum nivium defluunt torrentes, putei cavitatem implere festinantes; tunc putei profunditas felix, cùm puræ undæ, & pellucidi latices in ejus derivantur sinum, & dum delabentes è Libani jugo aquarum rivuli puteum implent, sibi etiam consulunt, sedem in qua quiescant enacti: sed licèt sponsa dum puteus est, rivulos gratiarum è cœlesti diffluentes munificentia in se recipiat; attamen ut fontis fortitur ingenium non tam sibi consulit, quàm alijs commodum prospicit: erumpunt è fonte pellucidi latices, qui per floridas telluris amœnitates discurrentes alienæ indigentiæ opem suppeditant opportunam: rivuli námque generosè fluunt etiam per arentes campos, quos grata herbarum viriditate convestiunt, dulcolore floram amœnitate exornant: fons latices non emittit, quos sibi retineat, sed ut aliis impertiatur; alienæ magis, quàm propriæ prospiciens utilitati, & commodo: sponsus igitur hortis consulit, & aresentibus arvis prospicit, dum fontis nomenclatione suam donat sponsam, quam putei elogio fuerat remuneratus; quia ut ait D. Ambrosius: *aquâ sponsa gloriam adornat indefessa fontis scaturigo, ac copiosa putei receptio:* si aqua in puteo semper detineatur inclusa, vitium contrahit, situque corrumpitur degeneri; sin autem honesta profluat largitate, jam nitescit oculis, extenuatur haustui, & refrigeratur siti extinguendæ accommodata: aqua igitur uberi adaucta incremento nisi rigandis terræ tractibus, hortis, pratisque communicaretur, puteum gravaret, & cùm largiter alijs impertitur putei consulit salubritati, & alienæ prospicit commoditati: perinde quæ congestæ detinentur divitiæ possidenti nocent, quem sordidæ incusant avaritiæ; cùm verò in alios profluunt largienti prosunt, & accipienti commodum adferunt: appositè D. Ambrosius expendens præfata verba ait: *Puteus, si nihil haurias, inerti otio, & degeneri situ facilè corrumpitur; exercitatus autem nitescit ad speciem, dulcescit ad potum. Ita & acervus divitiarum cumulo ærenosus speciosus est usu; otio autem inutilis habetur.*

Cant. 4.

In Cant. 4.

Corrumpitur, quæ non movetur aqua, vermes producit, quibus & putrescit, & malè olet; & divitiæ, nisi in alios profluant in vitia degenerant. Sitiunt plures aquas divitiarum, sed quia non ut aliis prosint, sibimet obsunt, nec sitim extinguunt, quam potiùs magis acuunt; sitque eorum sitis Tantaliceâ noxior, quæ nullo potuit humore sedari, nullis unquam extingui laticibus, licèt alioquin tedundent fluenta, saliant fontes. Tantalea hac siti exæstuant, labotántque, quotquot divitiis inhiant; de quibus appositè Nicetas Chrotoniatea ait: *Tantaleam sitim perpessi, eum fontem haberent, bibere non potuerunt, sed crebrò haurire conati aurum ex manibus amiserunt.* Haustus divitiarum siti extinguendæ non solùm inidoneus est, verùm etiam noxius. Hinc Hebræis vitulus ex puro puto auro conflatus, ac in pulueres redactus exhibitus à Mose fuit, ut aurum biberent, quod sitietant, scitè Petrus Rhemensis: *In vitulum sævit, cúmque rapit, comminuit, commiscet aquas, potum dat Hebræis.* Non solùm sitim non extingunt aquæ divitiarum; verùm etiam ut Tantalicæ difugiunt, cum videntur labiis delibari, ore ebibi; manu possideri cum creduntur divitiæ, disparent, quia fluxæ; unde monet David, qui divitiis affluxit: *Divitiæ si affluant nolite cor apponere:* affluunt, quia difluunt, ut scitè notavit D. Antiochus *Utique dixit eleganter, si affluant, more enim aquæ per alveos diffluentes divitiæ mundi istius nos prætereunt. Hodie ad hujus pendent arbitrium, crastino futura penes alterum.* Fluenta sunt, quæ dicuntur divitiæ affluere; quia jugi fluxu è patre 11.

Lib. 3. in Alexio.

Psalm. 61.

Homil. 29.

tre in filium, & nepotes fluunt à suis delabentes possessoribus, quos deserunt veriùs, quàm ab iisdem deserantur. Divitiarum amore non irretiretur homo, si earum fluxibilitatem animo seriò volueret, quin & earundem fastidiret illecebram; D. Chrysostomus hanc edocens divitiarum labilitatem quemdam opum appetentem, ait: *Quid insanis circa fugientia? nihil divitiis fallaciùs; hodie tecum, & cras contra te invidorum oculos armant.*

*Homil. 2. ad populum.*

12. Quòd si divitias mare dixeris ubi divitiis affluentes tumidis desideriorum fluctibus agitantur, sua non credas mare hocce charybdi destitutum; immodica possidendi cupiditas Charybdis est naufragiis nota; pertrahit enim per patrata flagitia ad æternum exitium. Perit hanc qui non declinat Charybdim naufragiis infamem; mergitur has qui trajicit aquas divitiarum. Joabus Israelitici exercitus ductor strenuus pugnaci æquè, ac pertinaci obsidione regiam cinxerat, ac pressè strinxerat Ammonitarum urbem, *Misitque Joab nuncios ad David dicens: dimicavi adversus Rabbath, & capienda est urbs aquarum. Nunc igitur congrega reliquam partem populi, & obside civitatem, & cape eam: ne cum à me vastata fuerit urbs, nomini meo adscribatur victoria.* Quærunt Interpretes, cur regia Ammonitarum urbs cum oppugnatur à Joabbo dicitur Rabbath civitas regia; & cum evertenda erat, solóque æquanda vocatur *urbs aquarum*: eadem civitas duplici donatur nomenclatura; quia ut notat Abulensis, urbs, quæ Rabbath dicitur, eadem urbs aquarum audit, seu divitiis affluens, ac deliciis difluens; & quia hisce abundavit aquis siti periit, non peritura siti si aquis fuisset divitiarum destituta.

*2. Reg. c. 12. v. 27.*

*q. 27 in lib. 2. Reg. c. 12.*

13. Refert Josephus Hebræus ad quem fuerat urbs Rabbath statum redacta, cùm suas Joabbus literas direxit ad Davidem: tunc intercluso commeatu obsessi fame laborabant; præcisisque tubis, ac canalibus, per quos aquæ in civitatem fluebant, omnia commoda ad vitam sustentandam necessaria jam defecerant; adeout aquis aliò detortis, unus tantùm in obsessa urbe puteus pateret siti obsessorum extinguendæ impar; licèt ab eodem spes tota penderet: cum putealis aqua modica esset, adeo perparcè distribuebatur, ut sedandæ siti non sufficeret; idque asservisse Josephum ex Judæorum traditione autumat Sanctius ibidem num. 56. inquiens: *nisi dicamus id ex eo conjectâsse, quia Joab scripsit capiendam esse civitatem aquarum. Quasi dicat civitatem, qua aquarum abundabat jugi scaturigine, eò esse redactam, ut explere non possit obsessorum sitim.* Cum Rabbath capienda, & evertenda est præ aquarum penuriâ, aridæque sitis impatientiâ non ampliùs urbs regia vocatur; sed signatè urbs aquarum dicitur: quia circa eam erant aquæ, & paludes, in quibus sperabant obsessi: sed cum ob aquarum copiam urbs diceretur aquarum, cum divitiis afflueret, in quibus confidebant cives, diuturna obsidione civitas circumvallatur, cives fame, ac sibi pereunt, & urbs ipsa evertitur; nimirum cum obsessi in aquis potiùs, quàm armis sperarent, mentitis eorum spebus, exsiccantur aquarum scaturigines, deficiunt fontium latices, siti extinguendæ antea opportuni; & miserè pereunt.

*Lib. 7. Antiq. c. 7. prope finem.*

14. Aquarum nomine divitias in scripturis significari, eò quia continuo fluxu delabantur de possessore ad possessorem res est perspicua, cum dicat regius vates Psalm. 31. *verumtamen in diluvio aquarum multarum ad eum non approximabunt*; ac si diceret aquæ temporalium bonorum; divitiæ, quibus homines affluunt, plus obsunt humanæ saluti, quàm prosint: raro dives, idémque innocens. In hoc etiam divitiæ pariantur aquæ, quia sicut hæc hidrope laboranti exhibita eum, dum bibitur, recreare, ac reficere videtur; & semel epota noxia est; in stomacum trajecta ægritudinem adauget, non minuit; ita pecuniæ, quæ anxiè, ac extremè sitibundo, ac inhianti divitiis offeruntur, plus eidem obsunt, quàm prosint: quia ut scitè Horatius *Lib. 2. ode 2.*

*Crescit indulgens sibi dirus hydrops*
*Nec sitim pellit, nisi causa morbi*
*Fugerit venis, & aquosus albo*
*corpore languor.*

15. Diogenes avaros hydropicis pares dixit; illos ajebat argento plenos, hos aqua refertos amplius desiderare, utrosque autem in sui perniciem. Natura necessaria nobis suppeditavit, ne suis deficeret, quibus pascendis provida est mater constituta; sed dum superflua quærimus, divitiis volumus affluere, ac deliciis diflnere miseriam, ac inopiam accersere incipimus: necessaria simplicem exigunt curam; cum soliciti sumus in divitiis aggerandis, ac deliciis accersendis, laboramus; non fuit natura nos odio prosecuta novercali, ut necessaria, quæ cæteris suppeditat animantibus, hominibus deneget. Tecta, tegumenta, & fomenta corporum obvia erant, & gratuitò nobis exhibita, levique operâ acqnirenda, quia paratu facilia; sed quia pretium iisdem addere voluimus; ea nobis efficimus paratu difficillima, & nonnisi ingenti sumptu, magnisque artibus conquirenda. A natura lasciviens abundantia descivit, quæ quotidie se ipsam incitat, sibi ad vitia viam emollit. Cum primùm cæpimus supervacua

concupiscere; ad contraria etiam perreximus, & animam corpori addiximus; ejus deservire libidini, ut assuesceret: divitiis qui affluit promptiùs indulget vitiis; quia faciliùs deliciis diffluit. Falsata sunt divitiæ bona, quæ solam spem alunt, & pectus non implent; desideria excitant, quæ torquent; & commoda exhibent, quæ animæ sunt incommodo; imò & exitio: ait enim Siracides Eccles. 11. *Si fueris dives non eris immunis à peccato*; quia scribente Apostolo I. ad Timoth. 6. *qui volunt divites fieri incidunt in tentationem, & laqueum Diaboli.*

## §. II.

### *Studio virtutum nil nocentius immodico in divitias affectu, qui nisi compescatur Religionem idololatriâ corrumpit, & ipsi divinitati insidias nectit.*

16. Aurum licèt metallorum princeps, plerunque ex non coercito in ipsum affectu fit scelerum magister, & vitia edocet, quibus auro inhiantes inficiuntur. Divitiæ improbæ uberem suggerunt omni improbitati materiam, & flagitia non tam evocant, quàm foveant. Ubi enim fervidus divitiarum affectus, & desiderium opum cumulandarum humanum pectus occupat, nullæ artes bonæ, nec ulla virtus suis in corde radices agit; est siquidem æstus hujus inordinati affectus virtutibus singulis noxius, quarum germina illicò exarescunt: ubi enim divitiæ adsunt coacervatæ, & humanus affectus iisdem adhærescit; ibi virtutes, vel deficiunt, vel suo destituuntur decore: quin & Religio ipsa non modicum patitur detrimentum; quippe divina & humana promiscua fiunt, nullóque discrimine sacra, & profana confunduntur: semel enim quòd avida divitiarum cupiditas, immodicus in opes affectus, & auri coacervandi fames animum subeunt opibus inhiantis, improbi omnes affectus humanum cor subjugant, sensus captivant; adeò ut inhiantes divitiis vitiis ut plurimum inserviant, culturam virtutibus denegantes: quippe cùm divitiis incrementum subit vitium, & insolentia, quæ quasi omnia sibi licerent, virtutes corrumpunt singulas, quas, & longiùs abigunt: imò unà cum affectu in divitias enutrito adolescit ingratitudo, quapropter ajebat Seneca *Non patitur aviditas quemquam esse gratum.* Quinimò divitiis affluens non solùm ingrati animi vitio laborat, verùm etiam persæpe injurius est beneficiorum impertitori: & ipsimet religioni plerumque præ hostibus divites deprehenduntur infensiores.

Lib. 2. de benef. cap. 37.

17. Cùm arca DEI ingenti apparatu, ac populorum affluxu in campum fuisset decenti pompa delata; Philisthæi pavore perculsi trepidârunt, imò & conterriti ingemuerunt, potentiam Numinis fassi: *Timuerunt Philisthiim dicentes venit DEUS in castra, & ingemuerunt dicentes: Væ nobis; quis nos liberabit de manu sublimium istorum? hi sunt Dij, qui percusserunt Ægyptum omni plaga.* Philisthiin tametsi veræ religionis, ac Numinis virulentissimi essent hostes, ac divino cultui infensissimi, adhuc tamen veri DEI fatentur potentiam, & ab ipso in Ægyptios exitium derivâsse agnoscunt, eò quia nemo sit, qui valeat ei obsistere. Quòd si Philisthæi veræ religionis pervicaces hostes DEI non diffitentur potentiam; Hebræi qui ejusdem sunt cultui addicti, cùm primùm auro fulgent, divitiis affluunt fœdè cæcutiunt, & in auri splendore non vident, quem colere tenentur. Hi sunt Israëlitæ, quorum uxores, ac filiæ multo micantes auro, plurimóque ditescentes argento hoc omisso metallo, utpote deteriore, ex puro puto auro vitulum construunt, cui Ægyptiorum stragem, & Israëlitarum liberationem attribuunt dicentes: *Hi sunt Dij tui Israël, qui te eduxerunt è terra Ægypti.*

1. Reg. c. 4. v. 7.

Exodi 32. v. 4.

18. An non præ hostibus Philisthæis Israëlitæ divitiis affluentes sunt vero Numini infensiores, magísque injurij? etenim Philisthæi quamvis à veri Numinis cultu alieni, & à vera dissiti religione, cultúque Dagon dicati, adhuc fatentur Hebræorum Numinis præpotentiam, & in Ægyptios nesciunt patrata reticere prodigia; & tamen Israëlitæ plurimis cumulati beneficiis, ditati favoribus, affecti gratiis, quia divitiis affluunt, auro micant, vel in ipsa luce cæcutientes divinitatem à vero Numine in vitulum transferunt, & quæ fuerant beneficia experti, inficiantur ingratissimi, séque Numinis præsumunt constructores intumescentes superbi, & superbia cæcutientes. Dixerat olim DEUS cum mundi fundamenta jaceret *Faciamus hominem*, sed succlamant Israëlitæ. *Fac nobis Deos*, quasi minus potens esset DEUS cum hominem fieri expetierit; quàm ditescentes Israëlitæ cum Deos sibi cudere mente delira præsumpserunt, appositè Oleaster hîc ad mores ait: *Parum istis fuit Idolum suum summis honoribus, ac laudibus attollere, nisi potissimum DEI beneficium, quod illis impenderat in eum collocarent.* Ita est, quia Israëlitæ divitiis cumulati multò micabant auro, clamoribus ingratissimis vitulo adscribunt beneficia, quæ à vero Numine fuerant iisdem impertita, magísque injurij fuerant DEO Israëlitæ ditescentes, licèt divinis beneficiis cumulati, quàm Philisthæi indicta hostilitate adversarij.

Genes. 1.

Assueti

19. Assueti Hebræi auro inhiare, ut divitijs affluerent totum affectum in ipsas direxerant divitias. quin & auro cultum exhibuêre: adeò hoc dilexerent metallum, ut eidem perinde ac vero Numini sua obtulerint obsequia. Quotquot immodico affectu auro adhærescunt, aurum perinde ac Numen
Cap. 1. colunt, audi Oseam, *Argentum suum, & aurum suum fecerunt sibi idola*, & alibi: *dives effectus sum, inveni Idolum mihi:* hoc est, ibi Idolum invenit, ubi divitias congerit; & qui auri, argentíque cultui se devoverunt, universa venerantur Idola; siquidem sua præstant turpi Veneri obsequia, quia aurum ad impudicitiæ fœditates foveam aperit. Marti obsequuntur, quia divitijs cumulati faciliùs insolescunt, & ad rixas, vindictam, vulnera, cædésque cruentas sunt cæteris propensiores. Colunt Jovem, cui aëris elementum dedicatur, quia vanitate tumidi inflantur superbi, aërem bibentes, & reliquos spernentes; aërei siquidem omnia sua verbis supra nubes extollunt, & chimeras mente gignunt, quas alere nequeunt. Adorant Mercurium putantes se eloquentes; & quasi plenam scientiarum callerent Encyclopædiam de re quavis proposita, inverecundè audent philosophari, ac si Platonis, ac Aristotelis viderentur esse Magistri; cùm tantùm didicerint pecunias numerare, & divitias coacervare; & ideò paupertate laborant, quia divitijs affluunt; cùm enim per exercitia virtutum veras possent sibi divitias comparare malunt per indulgentiam vitiorum à cultu veri Numinis se evertere, ac detrimentum pati æternæ salutis: & hi sunt, de quibus conqueritur DEUS per
Cap. 8. Oseam. *Argentum suum, & aurum suum fecerunt Idola, ut interirent.* Ecce quàm turpiter errant, qui divitijs donantur cumulati; quàm fœdè cæcutiunt, qui auri præstringuntur nitoribus; veras enim abijcientes divitias fucatas, & umbratiles sequuntur, quibus exitium sibi accersunt, ut no-
In cap. 6. Oseæ. tavit D. Cyrillus Alexandrinus, inquiens: *Unde enim laudari poterant ab omnibus ex misericordia in fratres, errantes, inde DEUM offenderunt, & instrumentum salutis ad exitium inde sibi comparandum converterunt.* siquidem aurum sitientes, divitias ebibunt, quibus congestis ebrij miserè pereunt.

20. Veræ non sunt, sed fucatæ, sæculi opes, & deliciæ umbratiles; quæ ventrem non implent, sed mentem evacuant, ac decipiunt; somnia sunt, quibus dormientes decipiuntur, & expergefacti tristantur delusi. Id expertus in Ægypto Pharaonis Pincerna, dixit explicans nocturnum somnium, quod ei obtigerat. *Videbam coram me vitem, in qua*
Genes. cap. 40. *erant tres propagines*, non veram vidit Pincernarum Præfectus vigilans vitem, sed somnians fucatam, & umbratilem; non veri palmites, nec botri, nec flores fuerunt ei objecti; nec racemi ad vindemiam spumantes exhibiti; sed horum duntaxat imagines, & figmenta in somnijs concepta, quæque unà cùm somnijs pariter iocerierunt; quò inde discamus, quàm fictæ sint hujus sæculi opes, quàm fucatæ deliciæ, quæ mentem subeunt, somno sopitam, quam postea vigilem torquent, simúlque fatentur, præter imaginem, & picturam nihil esse. Fucatæ sunt sæculi divitiæ, ac deliciæ, quibus propterea, si larvam detrahas, nonnisi miserias, & dolores deprehendes. Mirum tamen, quòd ubi pincernarum Præpositus vitem in somnio inspexerit, eam non viderit confestim in palmites dilatari, in gemmas turgescere, in botros crispari, in flores exornari, in frondes opacari, in racemos ditascere, in annulos coronari, & in mustum, vinúmque generosum liquescere. Plures sunt, qui etiam vigiles hujusmodi somnia sibi fingunt: cùm enim vineis, campísque destituantur, se tamen & vites possidere, & vineis ditescere, fundísque abundare ex levissimo confingunt fundamento, vitésque jam florescentes in palmites dilatatas, uvísque onustas animo concipiunt, lætantúrque, ac si vinum ex torculari jam expressum haurirent, dulia implerent cordi recreando, sitíque extinguendæ opportunum; sed somnia sunt hæc vigilantium: quia ut scitè notat Lippomanus expendens somnium Præpositi Pincernarum: *Solicitudo causa est somniorum. Quisque somnium videt de suo negotio:* quæ enim die mente volvuntur, hæc noctu somnianti occurrunt, unde cecinit ille:

*Omnia, quæ penso volvuntur sensa diurno.*
*Tempore sopito reddit amica quies.*

Ruminat homo noctu somno sopitus in 21.
phantasia, quod die volvit in sensibus, & in mente, sed quàm vanæ, ac insanes sint hominum curæ diurnæ, facilè produnt somnia nocturna: scitè Augustinus ait: *Fac hominem in somnijs vidisse, se invenisse thesaurum: dives est, sed donec evigilet, si non evigilásset, dives esset.* Quotquot igitur opibus inhiant, hi vanè somniant, quia si vigiles essent, agnoscerent somnia esse, quas veras credunt divitias, mundíque delicias. Quinimo somnia sunt, quæ si somniantibus arrident, vigilantes excruciant: tot enim Deus divitibus curas partitur in pœnam, quot ijsdem dispersit opes: ait enim Isaias: *Formido, & laqueus, & fovea super eo, qui habitator est terræ.* seu ut expendit D. Am- Lib. de bono mortis.
brosius. *Est enim laqueus in auro, viscus in argento, nexus in prædio, clavus in amore: clavi sunt omnes possessiones,*

Divitijs, qui affluit, tot est clavis con- 22.
fossus, quot curis affectus; quot affectibus tortus, quot desiderijs inflammatus. Sunt curæ divitiarum pedissequæ; & qui ditescit auro, is necesse est, fit curis dives. Referunt plerique quadraginta aureorum millia ex Hungaria ad Sigismundum Cæsarem una die allata fuisse; cœpit Imperator varijs exagitari

gitari cogitationibus, quomodo pecunias impenderet, & noctem totam transegit insomnem. Promptiùs darem montes sine feris, prata sine herbis, sylvas sine arboribus, insulas sine serpentibus, provincias sine avibus, litora sine arenis, maria sine piscibus, quàm divitem sine curis. Ex Agricolis quispiam dum aratro incumberet fortè thesaurum adinvenit, quem solicitus ad propria defert mapalia, ubi cùm lætus ossa consuevisset detritas ex diurno labore vires reficere, cœpit curis miserè torqueri, varijs intus agitari cogitationibus, satagens quomodo tantâ uti pecuniâ posset: & quia suspicabatur, an adinventæ pecuniæ notitia ad vicinos pervenisset, cœpit acriùs recursantibus curis affligi, quibus infeliciter pressus, & fermè oppressus contracto morbo perijt. O quàm noxiæ etiam corpori sunt sæculi divitiæ! cùm vitam adimant; gaudium, quo rusticus fruebatur, adinventa pecunia excussit, quia quidquid est ultra usum, non habet possessionis fructum, sed custodiæ molestias, & vitæ periculum; quapropter nec ipsa avaritia latentium indagatrix lucrorum, aurique sanguisuga, & cupiditate ulterioris semper pecuniæ coacervandæ miserrima, comites secum trahit corporis vigilias, & labores, animique curas, & molestias.

23. Sunt enim solicitudines, & curæ indivulsæ, pedissequæ immodici affectus in divitias. Idque cùm novisset Socrates non præcepto, sed exemplo; non verbis, sed opere nos docuit, quàm flocci, ac nihili sit aurum faciendum, quod ab hominibus bonum creditur inæstimabile: quidquid enim auri, & argenti habuit Philosophus, non adactus, sed sponte, non urgente maris procellâ, sed favente mentis prudentiâ projecit in mare inquiens: Procul abite malæ cupiditates maris profundum subite affectus in divitias: ego vos mergam, ne mergar à vobis. Ne nobis fortuna illudat, ludamus nos cùm illa, & pectore generoso, animoque magnanimo reijciamus quidquid auri, & argenti nobis offert, reijciamus quidquid volatile, fucatum, & vanidum est in divitijs; non expectemus fortunam, ut ea nobis eripiat, quæ à nobis possessa nonnisi molestias ingerunt, & curas fovent; non est operæ pretium pondere auri, argentique premi, & curis opprimi: hoc pressus pondere Regum potentissimus David, doluit, ac ingemuit, inquiens, *Defecit in dolore vita mea, & anni mei in gemitibus:* ideo ingemuit, quia ampliores divitias possedit, quia congestæ divitiæ curis, & molestijs fomitem suppeditabant; suum enim solicitudo subit incrementum cum opulentia, & mœror animum torquet divitijs affluentis: est opulentia, quâ curæ, & molestiæ aluntur. Rete plenum piscibus, cùm novisset D. Petrus, seque ijsdem trahendis imparem socios in subsidium vocavit, quorum ope retè reduxit: sed quid tunc: *Stupor circumdederat eum, & omnes, qui cum eo erant in capture piscium:* quia retia ingentibus ditescebant piscibus, cœpit stupor, & pavor mentem pulsare, & præcordia premere inter angustias accersitæ solicitudinis. Quod Petrus expertus fuit in piscium opulentia, hoc idem sentijt in fructuum copia Evangelicus ille colonus, cui messis adeò exuberans obtigerat, ut parata horrea collectos non caperent fructus: tunc solicitudine pressus ajebat, *quid faciam, quia non capiunt horrea triticum?* Opulentia unà cùm divitijs molestias ingessit, animique perturbationes congessit, quibus cœpit angi, ac torqueri.

Psalm. 30. v. 11.

Luc. 5. v. 8.

Quis igitur veluti animi tortorem non excutiat immodicum in divitias affectum, cùm nonnisi curas excitet, & dolores pariat? 24. sed quia in auri splendore cæcutiunt divitijs inhiantes; adeò se arctè ijsdem addicunt, ut mori potiùs eligant, quàm vitam ducere sine illis; talis fuit Acham. Inhibuerat DEUS sub acerbissima ignis morte subeunda, ne auderet quispiam ex spolijs Jerichontis aurum, & coccinum rapere, & terrorem incussurus auro inhiantibus, hanc protulit sententiam in delinquentes, *Quicunque fuerit deprehensus, comburatur igne*, sed quia plerique mortalium mori malunt; quàm divitijs carere, auroque non fulgere, deprehensus Acham fuit in furto. Quidni irritatus in ipsum populus lapidibus Achamum obruit, ut pœnas daret, qusa luere promeruit. *Lapidavitque eum omnis Israël, & cuncta, quæ illius erant, igne combussit.* Sed si DEUS per latam sententiam igne voluit delinquentes extingui, cur lapidibus potiùs obrutus, & non igne combustus dicitur Acham? quia nimirùm supponitur citra dubium combustus, dum bona, quæ Acham ex spolijs eversæ Jerichontis congesserat incendio perjêre: tamdiu supponitur Acham vixisse, quamdiu acervatæ ejus opes servatæ fuerunt incolumes; sed cùm primùm fuerunt flammis extraditæ, & in cineres redactæ, ijsdem flammis Acham perijt: quia si ubi congestus thesaurus, ibi cor hominis, eundem hoc exitum sortitur, ac thesaurus, quapropter scitè monuit Regius Psaltes. *Divitiæ si affluant, nolite cor apponere:* sed cur jubet cor potiùs, quàm oculos, caput, manus à divitijs præcavere? an quia perinde sunt divitiæ cordi noxiæ, ac venenum, quod cùm cor impetit, necem infert? idque causæ cur ab affluentia divitiarum fategit David cor evellere: perinde enim immodicus affectus in divitias cor impetit, ac inficit, sicut venenum; non enim sunt divitiæ minùs lethiferæ, quàm venenum: quinimò acriùs plerumque hominem torquent divitiæ, quàm haustum venenum, transfigunt enim divitiæ veluti sagittæ præcordia, quibus lethalia infligunt vulnera per prava desideria, quæ excitant; quapropter loquens David de noxijs divitijs dixit. *Transierunt in affectum cordis;* quia nimirùm divitiæ cordis affectum fovent, quò earum possessor miserè torquetur.

Josue 7. v. 11.

Josue cap. 7. v. 25.

Psalm. 61. v. 11.

tur. Imò non solùm divitiæ curis torquent, vulneribus cruentant, & mortem inferunt, verùm quòd deteriùs etiam post necem cruciatus inferunt gehennali igne nunquam extinguendo: ait enim de divitibus David,
Psalm. 48. v. 16. *Sicut Oves in inferno positi sunt; mors depascet eos*; quæ verba expendens, D. Bernardus ait: *Quàm benè sicut oves, quia detracto vellere mundialium divitiarum, durè, pressèque detonsi sempiternis nudi incendijs deputantur.* Tamdiu divitijs affluens hanc æmulatur ovem, quamdiu suo vellere involvitur, cui, si Atropos forpicem admoverit ad paucos morsus nudata, seu divitijs spoliata ovis, in gehennalem detruditur carcerem. Turgent divites suis opibus, suóque vellere ditescunt; sed ad Parcæ, quæ minimè parcit, forpicem, ac Libitinæ falcem nudati opibus, exuti vellere, ad ignes truduntur gehennales.

25. Sed cur tam atroci cruciatu torquentur divites? nisi quia auro, & argento fides violatur, religio corrumpitur, justitia periclitatur, & virtutum reliquarum honestamenta corruunt deturpata? ubi enim affectus in divitias humanum pectus invasit, disciplinæ servandæ studium negligitur; virtutis excolendæ desiderium abigitur; adeò ut nec ulla sit virtus, quæ satis polleat. Ubi enim affectus in divitias fovetur in corde, jam insana auri cupiditas dominatur in mente, cui virtutum cultura vilescit. A vera deficiunt religione, qui divitijs inhiant, quia cultum Numini debitum auro exhibent. Jeroboam Author defectionis decem Tribuum vitulos erexit aureos in Deos, quos Hebræi avitâ religione desertâ divino cultu adorarent, ac ijsdem idololatrica reverenter offerrent sacrificia. Vitulos voluit erigi, sed aureos; cujus splendore perstricti cæcutirent; ejúsque nobilitate illecti promptiùs sua deferentur ad obsequia ei præstanda, quos tamen valido redarguit Zeno Veronensis argumento, eò quia lumen cæcis inferrent, thura non spirantibus concremarent, precibus non audientes rogarent, suásque supplices voces ad surdos dirigerent, & ab ijs custodiam peterent, quos fur non timeret surripere, postea
In Psalm. 40. eleganter ait. *Igitur gentium sacrificium, quàm execrabile est, tam inane est: colunt enim vani vana figmenta in qualibet formas, vultus, sexus, ætates, auri, argentique detrimento matris limæ moderato dente figurata.*

26. Aversurus Zeno homines ab idololatria, primum eruit argumentum ex utilitate parentum, à quibus aureæ Numinum statuæ suam trahunt originem: est enim horum parens Deorum artifex, qui ex auro, vel argento Deos elaborat; sitque propterea artifex statuæ Numinis parens; & Idoli mater ipsum artificis instrumentum, seu lima moderato dente ducta: mater est lima, non tamen quæ labijs osculetur, quos gignit fœtus; sed dente mordeat, quos parit; nec lac suppeditat fœtui nutriendo opportunum, sed ramenta spargit, ut elaboratum metallum viribus destituatur, suámque deperdat substantiam. Si artifex pater est idoli, seu statuæ, mater est lima moderato dente mordens auri, argentique detrimento. An non cæcutit, qui in homine affectus fovetur in divitias, eum operibus manuum hominum cultum exhibeat divinitati debitum: adeò corruptus est in homine affectus in opes, ut promiscuè divina, & profana accipiat, quò horum metallorum dispendio sibi compendium faciat.

Religio deficit, & virtutes culturâ destituuntur, ubi affectus in divitias cor invadit humanum, adeò ut gravius virtuti detrimentum immineat ab immodico hoc affectu, quàm à quovis sæviente hoste: est enim avida divitiarum cupiditas, aurique cumulandi desiderium humani cordis tortor, & virtutum omnium hostis infensissimus. David apud Achis commoratus Angelorum cœtui audivit se recensitum: ita splenduit ejus virtus, ut occultari minimè potuerit, nec ullo hostili dente morderi. *Scio, quia bonus es, tu in oculis meis sicut Angelus DEI.* Sed qui apud Achis ob morum probitatem, virtutum culturam, animi candorem commendatur ut Angelus; apud Nabal exprobratur indignus. *Quis est David, & quis est filius Isai?* Quid? quod Nabal convicijs candorem denigraverit Davidis, quem Achis dignis, ac prometitis commendavit elogijs? quia scilicet Nabal divitijs tunc exundavit, cùm dicat scriptura de illo: *Homo ille magnus nimis:* quamvis Nabal ad Davidem pertineret, cui Achis infensus erat hostis, virtus tamen, quæ splenduit in Davide, apud Achis dignis commendatur elogijs, quam Nabal, quia divitijs affluens contemptui habet; divitiæ igitur virtutem dehonestare nituntur, quàm paupertas tuetur, & fovet, David enim virtutum cultutæ unicè addictus duriùs à suis, si divitijs affluant, dehonestatur; quàm detrimentum ab hostibus patiatur: imò non solùm in Davide, sed etiam in Christo Domino, visa fuisset virtus periclitari, si capax fuisset detrimenti. Subijt ipse solitudinis recessus, nósque edocuit ad assultus Dæmonis retundendos, incursúsque eludendos opportunum esse secessum, ubi tentati voluit suam nobis ostensurus virtutem, ut suâ pugnâ nos ad victoriam instrueret. *JESUS ductus est in desertum, ut tentaretur à Diabolo;* siquidem coluber veternosus virtutis, & jejunij implacabilis hostis Christum adoriri fuit susus, sed lethale odium simulaturus, livorem exitialem larvâ obtegit charitatis, & Christo suadet, vires ex diuturno collapsas jejunio restaurare; sed spe sua frustratus à vanitate suppetias exposcit; noverat enim homines, quamvis vacuo ventre, adhuc tumida mente non semel virtutis dispendio inhiare plausui, volaticum honorem concupiscere salutis detrimento, sed quia neque hisce munitus armis quid-

Marginalia (right column): 27. — 1. Reg. cap. 29. v. 9. — 1 Reg. 25. v. 10. — Matth. 4. v. 1.

quidquam valuerit proficere: ad cupiditatia insidias se convertit; sed tunc quia fategit affectum in divitias excitare; non cor, sed stomachum movit, & Christus verbo eum repulit, & imperio exterminavit, dicens: *Vade Sathana*, Christus igitur congressurus cum dœmone secessum perijt solitudinis: sed Christum sequamur in Ægypto: ubi enim Herodes cæca gloriæ cupidine æstuavit, regnique sui largitotem munificentissimum, perinde ac hostem infensissimum ad necem insequebatur, fugit Christ⁹ in Ægyptū, *Accipe puerum, & matrem ejus, & fuge in Ægyptum, & esto ibi usque dum dicam tibi: futurum est enim, ut Herodes quærat puerum ad perdendum eum.* Mirum sanè, quòd cùm in secessu solitudinis congressum, ac certamen cum dœmone non expaverit, Herodis tamen debuerit delirium fugere! Quid quòd Herodem timuerit, quem licèt multiplici exercitu armatum, adhuc solo nutu potuerit evertere, ac sola voluntate prosternete? & Dæmonem in secessu solitudinis habuerit contemptui? *Vade Sathana.* Nimirum plus hominem timuit, quem fugit, quàm Dæmonem, quem à se abjecit; quia hunc noverat suggestionibus armatum; illum verò divitijs præmunitum; & quia nocentiora sunt virtuti divitiarum illicia, quàm suggestionum illecebræ; has à se excussit, cum ab illis se averterit, ac longiùs fugerit: sed cùm desperâsset Dæmon, posse falsis suggestionibus veritatem opprimere, hominem locupletem accersivit in subsidium, ut divitijs virtutem everteret: appositè D. Chrysologus expendens Christi fugam in Ægyptum ait. *Persequente homine, DEUS fugit, saviente terra cælum trepidat, & volitante pulvere pavore turbantur Angeli, & pavor patris filio fugiente monstratur.* Addit Chrysologus. *Herodes quærebat: sed quærebat diabolus per Herodem*; plus roboris censuit dæmon inesse ad Christi virtutem evertendam in Herodis divitijs, quàm in propria versutia; proinde speravit forè, ut Christum vinceret, si viri prædivitis, ac potentis uteretur auxilio. *Herodes quærebat: sed quærebat diabolus per Herodem*; sed per virum divitijs affluentem, cujus ope infaustum virtuti de prostrata innocentia speravit triumphum.

Matth. 2. v. 13.

Serm. 150.

28. Quia vis pecuniæ ad animos evertendos, & à studio virtutum avertendos dæmonem non latuit, divitijs fategit Christum expugnare: & licèt Christi æmuli ejus sæpissimè necem procuraverint, effectu tamen semper carnere: sed cùm primùm fuerunt argentei Judæ promissi, tunc tartareus hostis acriùs indicto virtuti bello mortem speravit Authori vitæ posse inferre, & innocentiam condemnare, ac virtutem extremo supplicio plectere; quia innocentiæ prosternendæ, ac virtuti evertendæ nullum pecunijs aptius instrumentum. *Constituerunt ei triginta argenteos:* Licèt cacodœmon pluribus technis, & assultibus Christum nusquam potuerit in sua vota flectere, pecunia accedente hostibus eum tradidit: virtuti enim nullum bellum tam ferale imminet, quàm ab ipsis divitijs, quibus Discipulus proprium Magistrum non erubuit venalem in mercem exponere, & negotium proditionis absolvere. Judas mercator pessimus ipsam divinitatem hastæ subjecit, si quæras, quo pretio? præconis impurissimi voce 30. argenteis proclamatur venalis Deus; quasi non Dominus esset Majestatis, sed Syrus nescio quis de grege mancipiorum; & tunc tantùm prodiga fuit avaritia, cùm inexhaustum ærarium unica liguriverit effusione. Judas enim non melior mercator, quàm Apostolus propriæ depeculator salutis, ubi lucrari etiam alienam debuerat; quò viliùs Deum venderet, emptores adivit, qui ejus pretium ignorarent; & à pravo affectu in divitias non virtus tantùm, & sanctitas, sed ipsa etiam divinitas extradita fuit hostium furori: ait enim Theophylactus: *Conduxerunt Judam, ut indicaret eis, quando solus esset*, nimirum pecuniâ conductus vesanæ militum cohorti secretum manifestavit, & Magistrum tradidit, & plus obfuerunt Christo argentei, quibus fuit Judas conductus, quàm Cacodœmonis technæ, & insidiæ pluries paratæ, quia evertendæ virtuti, prosternendæ innocentiæ, nulla vis fortior auro, & argento: *Circa pecuniam* ait Seneca *plurimum vociferationis est: hæc fora defatigat, patres, liberósque committit, venena miscet, gladios tam percussoribus, quàm legionibus tradit: hæc est sanguine nostro delibuta: propter hanc uxorum, maritorúmque noctes strepunt litibus, & tribunalia Magistratuum premit turba, Reges sæviunt, rapiúntque.*

Matth. 26. v. 15.

Lib. 3. de ira cap. 33.

29. Pecunia est, quæ non solùm ad flagitia quæque, ad scelera omnia, in detrimentum virtutis, in perniciem innocentiæ homines pertrahit, verùm etiam ad labores, ac pericula subeunda: ob pecuniam vitæ discrimina homines adeunt, marinos tractus traijciunt, labores subeunt, & vilia quæque obeunt munia. Atterebantur in Ægypto Israëlitæ operibus luti, & laterum, & quidem supra modum divexati, adacti erant laterum mensuram diurnam supra eorum vites pendere *Præposuit itaque eis Magistros operum, ut affligerent eos oneribus.* Perquirentes Rabbini, undénam ea laterum mensura fuerit Hebræis decreta, asserunt, Pharaonem astu versutissimo spopondisse quandam pecuniæ summam pro quovis latere, sive Ægyptijs, sive Hebræis efficto, & aiunt id causæ fuisse, cur Hebræi supra vires laboravetint; quia scilicet pecuniæ inhiantes, ut plus acciperent, plus laboris impenderunt; adeò ut affectus in pecunias fuerit, qui labores supra vires exegerit, & imbres extorserit sudorum. Huc accersendus Abulensis inquiens: *Hebræi dicunt, quod ista mensura laterum fraudulenter imposita est, scilicet quod Rex Ægy-*

Quæst. 5. in Exodum.

*Ægypti volens scire, quantum numerum laterum quotidie Hebræi facere possent; mandavit, quòd omnes in Regno suo lateres facerent, sive Hebræi, sive Ægyptij, & quòd pro quolibet latere, aut pro certo numero laterum, certum pretium daretur. Tunc omnes Hebræi ardenti animo fecerunt lateres, & mandavit Rex eadem die numerari quantum quilibet de Hebræis fecisset; & tantam summam postea cuilibet ad quamlibet diem imponebat.* Versutissimus Pharao exploraturus quantæ cuilibet vires suppeterent ad effingendos lateres, & opera luti continuanda à nimis voluit id dignoscere, quia extorquendis humanis laboribus nil pecunia aptius, cujus cupiditas persæpe vires prodit, quas industria satagit occultare: plures se viribus destitutos dicunt, quibus si pecunia exhibeatur fractas vires resarciunt, & corpore integri plurimos valent labores exantlare. Hebræi igitur cæca cupiditate, affectúque immodico pecuniæ inhiantes, laboribus se devovent importunis, & imprudenter laboriosis se aggravant miseriis, & quò plus cupiunt, plus ingemiscunt, duplici onere pressi famulitii, & laboris.

30. Affectus, qui in divitias fovetur, tyrannus est, qui labores supra vires exigit, & supplicia indicit toleranda: & plerumque ex acervatis pecuniis nonnisi dispendium salutis eruitur. Nabuchodonosor eo in divitias tenebatur affectu, ut arborem intuitus omnem in illa escam viderit, *Fructus ejus nimius, & esca universorum in ea*, adeo ut aliæ arbores ab hac una inveniretur depauperatæ, quia fructus cæterarum sibi usurpaverat, sed eodem tempore unà cum fructibus etiam folia amisit, quibus spoliata, ramorum brachia ad rapinas non valuerunt ampliùs extendi. *Præcidite ramos ejus, excutite folia ejus, & disperdite fructus ejus*, fructus hujus arboris divitias indicare injustè congestas asserit Theodoretus inquiens: *Fructuum tributum quod undique ei afferebatur: idcirco multum fructum; non autem pulchrum dixit; nec enim justè impositum erat.* Nimirum arbor ex alienis fructibus dives, simul & fructus, & folia, ac ramos amisit.

Daniel. 4. v. 9.

Daniel. 4. v. 11.

Orat. 4.

31. Non solùm congestæ divitiæ perinde ac folia arboris exarescunt, ac decidunt, sed quod deteriùs virtutum etiam devenustant decora, morúmque corrumpunt probitatem, sitque propterea pecunia morum tinea, virtutum corruptrix, & probitatis exilium, adeò ut dixerit Seneca *Pecunia, ex quo in honore esse cœpit, verus rerum honor cecidit.* Cùm primùm auri splendor oculos cœpit perstringere divitiis inhiantium, decor virtutis corruit. Abraham honestam sponsam daturus filio, famulum Sacramento obstrictum in patriam delegavit, pervenit in Mesopotamiam ad urbem Nacor, ubi Deus ejus fortunavit appulsum, cum Rebecca ei obviaverit juxta puteum; expertus ille ingenuam adolescentulæ indolem, gnarúsque cognationis cum Domino suo puellam aureis muneribus donat *Protulit vir inaures aureas appendentes siclos duos: & armillas totidem pondo siclorum decem.* Acceptis Rebecca muneribus festinato gressu domum repetit, & quæ ei obtigerant ingenuè denuntiat: visis aureis muneribus Rebeccæ frater Laban obvius occurrit Abrahami famulo, quem & hospitio excipit: verùm adeò gnaviter suæ implevit legationis munus, ut nec rogatus cibum susceperit, donec itineris scopum daclaraverit. Tunc Laban à Domino rem specia li providentiâ fatetur dispositam, & servus prolatis iterum donis Labani devinxit animum, illexitque affectum. *Prolatis vasis argenteis, & aureis, ac vestibus dedit ea Rebeccæ pro munere, fratribus quoque ejus, & matri dona obtulit.* Hisce muneribus non solùm Rebeccam sibi devinxit Eliezer Abrahami Oeconomus, sed & ejus parentes, à quibus puellam petitam Isaaci sponsam obtinuit; & ne quidquam nuptiarum deesset pompæ; instruitur epulum geniale, & nox ferè tota inter mutuas hilaritates insumitur; dies intercedunt aliquot, quibus antidora, & quæ ad iter necessaria erant interim expediuntur, & tandem neonupta faustissimas inter apprecationes paternâ dimittitur è domo; exactóque octiduano itinere ad terram pervenit Chananæam, in qua Abrahamus cum Isaaco degebat. Ubi auri splendor oculos perstrinxit Labani, sororem è domo dimisit, & decus familiæ, florem virtutis amisit, ditior postea ærumnis, quàm auro: scitè Beda *Familiaris res est humanum cor opibus, ac libertate dissolvi, ærumnis verò ac paupertate ad se ipsum recolligi.* Hinc Deus Moysi: *Ne accipias munera, quæ etiam excæcant prudentes,*

Epist. 115.

Genes. 24. v. 22.

Genes. 24. v. 53.

In Esther lib. 1.

Exod. 23. v. 8.

## §. III.

*Adeo est homo divitiarum appetens, ut à delusorio in easdem affectu sinat se decipi, putétque divites beatos, cum miseri sint, & curis angantur, nisi pauperibus opes distribuantur.*

Bracteata est, quæ à divitiis in homines auro, argentóque diffluentes derivata censetur felicitas; præstigiosa est beatitudo hominum mentibus aludendis nata, oculisque perstringendis invecta: cæcè ideo sapit, qui hujus felicitatis acquirandæ causâ divitiis inhiat, quas ut sibi comparet labores subit improbos, marinos trajicit tractus, cum procellis naufragia minitantibus luctatur; séque in vitæ injicit discrimina: & cùm putant mortales, se veras fuisse divitias enactos; ac felicitatem assecutos, nonnisi curas, ac miserias se possidere deprehendunt; quiescere nequeunt in acervatis divitiis, quia hæ menti tranquillitatem, & cordi quietem adimunt; & nonnisi cruciatus, molestias, curas, ac dolores ingerunt: neq; labores tollunt, sed geminant; cum non minoris curæ sit, ac solicitu- 32.

licitudinis jam parta tueri, quàm novas semper lucri occasiones quærere, ait enim D. Prosper; *Qui divitias habere volunt sine labore non quærunt, sine difficultate non inveniunt, sine cura non servant, sine anxia delectatione non possident, sine dolore non perdunt.* Et hæc est illa beatitudo quam sitiunt, qui divitiis inhiant, & quam cùm enacti fuerint se ipsos miseriores aliis experiuntur. Nam sive in turba forensi, sive in urbium frequentia versentur divites avaritiâ sordescentes, lites excitant, labores ingeminant, curas accersunt, & quietem à se longius excutiunt: neque ibi potest esse tranquillitas, ubi turbulentiores affectus desiderij, spei, timoris, avaritiæ, & doloris, tumultuantur. Nil prodest loci silentium, ubi intus in animo affectus fremunt: nulla est placida quies, nisi quam ratio componit, & cordis tranquillitas invehit; ea est vera tranquillitas, in quam mens sibi bene conscia explicatur.

*Lib. 2. de vita contempl. cap. 13.*

33. Neque credes, divites nocturnos somnos tranquillè protrahere, licèt interioris domûs recessus petant, ne rumor ullus eorundem aures exagitet; licèt servorum turbæ silentio conticescant inviolato, & suspensum propiùs accedentes ponant vestigium; edhoc tamen insomnia turbulenta, vel in ipse noctis quiete quiescentes divites inquietant: conqueruntur audire, quæ non audiunt; videre, quæ non vident, & ubique suis bonis, ac divitiis parari insidias; habéntque vel ipsas nocturnas tenebres sibi suspectas: quòd si causam quæras, hanc tibi suggerit Ecclesiastes *Saturitas divitis non sinit eum dormire*, quæ verba in duplicem possunt flecti sensum, planum alterum, ac simplicem, ut sensus sit, divitem comessationibus, ac ventri implendo assuetum propter crapulam & stomachi cruditates difficiles peti somnos, & frequentiùs turbulenta insomnia: alterum metaphoricum, ut saturitas divitis idem sit, quòd divitiarum abundentia, & huic sensui adhærent septuaginta Interpretes, ubi legunt: *Qui saturatus est ditescendo, non permittitur quietè indormire. Non enim dormire potest* ait Ambrosius *qui solicitam auri exercet custodiam, qui damna formidat, qui lucra cogitat, qui usuras computat, qui hypothecas numerat*, & de Nebuthe eit: *Natura ipsius nescit munia, nec somni novit vices: excitat eum cupiditas, exagitat cura pervigil aliena rapiendi, torquet invidia, mora vexat, sterilitas proventuum infœcunda perturbat, solicitat abundantia.*

*Cap. 5. v. 11.*

*In Psalm 1.*

*Cap. 6.*

34. Larvata est hæc, quæ divitiis creditur inesse beatitudo, cui si larvam detrahas, nonnisi dolores, & cruciatus deprehendes. Refert Stabæus *Serm. 91.* Anacreontem quinque talentis à Policrate Tyranno donatum, cœpisse molestiis animi exagitari, curisque gravioribus torqueri; & tametsi ab aliis felix censeretur, & exteriùs beatus, intus tamen in animo miser erat; cum nullam posset quietis partem capere; quin & subsultim inter dormiendum persæpe expergefactus non solùm de pecunia; sed etiam de vita, vel à domesticis eripienda pavidus, seriò cœpit de pristina animi tranquillitate recuperanda cogitare; utque voti compos fieret, cum binas duxisset noctes insomnes talenta sibi extradita Policreti restituit. Errant auri, & argenti possessores putantes se veras possidere divitias; agnatum divitiis onus est, onerant enim opes, quæ honorare videntur; aggravant, non alleviant possessores suos, quos propterea deprimunt, non erigunt: hinc Minutius *Dives es, sed fortuna mala creditor, & magno viatico brevevita iter non instruitur, sed oneratur.* Quid congestæ divitiæ sunt, quàm grandia oneta, animum enim aggravant, cùm possidentur: etiem S. Paulinus grandia patrimonia vocat grandia onera, inquiens: *Respuens patrimoniorum onera, seu stercorum*, & Seneca omnia ea bona, quibus divites intumescunt divitum pondera, & onera vocat, ait enim in consolatione ad Helviam *Pecunia nihil ad animum pertinet, non magis quàm ad Deos immortales omnia ista, quæ imperita ingenia, & nimis corporibus suis addicta suspiciunt, lapides, aurum, & argentum, & magni, levatique mensarum orbes terrena sunt pondera, quæ non potest amare sincerus animus.*

*In Octavio.*

*Epist. 1. ad Severum.*

*Cap. 11.*

Divitiarum pondera animum premunt, mentem curis affligunt, cor molestiis torquent, neque sinunt hominem cœlo natum sursum conscendere, sed deorsum trahunt, trudúntque in cœnum, cui divitiis inhians hæret, cùm ad ima se demittat, & congestas à se divitias svarè possessas custodiat: huc accersendus Salvianus inquiens: *Condentes profundis specubus infernas opes, simul pecuniam suam, ac spem suam infodientes secundùm illud Domini nostri dictum, quo ait: Ubi fuerit thesaurus tuus, ibi erit, & cor tuum. Invidentes itaque saluti sua animas proprias, quæ vocantur ad cælum, terrenis ponderibus in terram premunt: mens enim thesaurizantis thesaurum suum sequitur, & quasi in naturam terrestris substantia demutatur.* Is igitur emotæ mentis censendus est, qui divitiis affluens beatum se credit. Quia beatum dixerit, quem graviora premunt onera, quem compedes, & catenæ vinciunt, quem curæ, & molestiæ torquent? Pudore potiùs deberent divites suffundi, quàm possessis à se divitiis gloriari, id enim perinde est, ac majore premi pondere. Nulla in congestis divitiis patet beatitudo, sed summa latet miseria, quia ut scitè ait D. Ambrosius *Laqueus in auro, viscus in argento, nexus in prædio, clavus in amore. Dum aurum quærimus strangulamur, dum argentum quærimus in visco ejus hæremus, dum prædium invadimus, alligamur.* 35.

*Lib. 1. ad Eccles. Catbol.*

*Lib. 4. in Lucam cap. 5.*

In hunc laqueum incidit Judas, qui auri amore possessus, affectúque in divitias æstu- 36.

ans

ans Mercator perditissimus cum sacrilego emptorum grege, & amoris syngrapha, seu osculo impiæ proditionis mercaturam instituit, quâ ut triginta acciperet ipse argenteos, Christum vendidit; cessitque in pretium proditionis, qui supra omne pretium fuit Author nostræ redemptionis; sed susceptis argenteis laqueo se suspendit, priùs avaritia strangulatus, quàm laqueo suspensus. Piè Drogo Episcopus Hostiensis loquens de Juda proditore ait: *Ecce infelix qualiter excæcatus est. Maluit se ipsum perdere, quàm denarios perire: Denarios templo, se ipsum laqueo addixit. Amabat hæredes suos, qui eosdem denarios exinde colligerent; qui etiam nunc reservant, in sua corbona. Projecit eos in templo, & abiens laqueo se suspendit. Jam diu erat quidem, quòd à Christo recesserat, & avaritia laqueo se suspenderat: sed quòd fecerat in occulto, palam omnibus innotuit.* Utinam divitiis inhiantes Judam non imitarentur proditorem: avaritiæ enim laqueo irretiti in omnium vitiorum scelera delabuntur, Deum ipsum argento posthabentes.

*Serm. 1. de de Sacram. Domin. passion.*

37. Rectè dicuntur divitiæ mentem strangulare, cùm probos affectus, pia desideria non sinant ad cor pervenire, ut notavit venerabilis Beda inquiens: *Divitiæ strangulant guttur mentis; nec bonum desiderium in cor intrare sinunt;* ecce quàm longè à salute, à beatitate distat divitiis affluens, & avarus opum possessor; cum solubria monita ac utilia desideria ægrè sinum pervadant ejus cordis. Laqueos esse divitias, quibus miserè illaqueantur iisdem affluentes, ne ad veram beatitudinem suos valeant gressus dirigere innuit Apostolus vocans divitias tartarei hostis laqueum. *Qui volunt divites fieri incidunt in tentationem, & in laqueum Diaboli,* quæ verba expendens D. Ambrosius ait: *Advertis laqueum Diaboli esse divitias, quem tetendit etiam Salvatori, ac ne mediocrem hunc laqueum putes, hic laqueus Judam Apostolum strangulavit.*

*In cap. 13. Matth.*

*1. ad Timoth. 6.*

*Orat. 14. in Psalm. 118.*

38. Non solum laquei sunt divitiæ, sed & compedes, ac vincula in iisdem delitescunt; divitiæ siquidem suos possessores detinent, ne fugiant; arctè vinciunt, ne elabantur, non ligant divites aureos, quos possident, nummos, sed miseri ab iisdem ligantur, dum pecunias in sacculis ligant; vinciuntur ipsi arctiori cupiditatis vinculo, dum opes suas vinciunt. Idque adspiciens S. Chrysostomus ait: *Quando divitiis fuerimus alligati, quomodo vincemus adversarios? sunt enim manuum vincula his, qui uti nesciunt.* Non coronant divitiæ, sed compedes licèt aureas cudunt; non libertatem spondent, sed famulitium indicunt; non beatitudinem exhibent, sed curas, molestias, & miserias coacervant. Nemo adeo desipiat, ut divitibus beatitudinem invideat, què enim pluribus abundant opibus, eò uberioribus torquentur curis, affliguntur molestiis. Nonnullis populis hoc in more positum fuit, ut reos, ac nocentes aureis vinculis, ac catenis devincirent, ut eò essent locupletiores, quò nocentiores, ac sceleratiores, quod spectans Tertullianus lib. de habitu mulierum ait: *Qui auro vinctos in ergastulis habent, & divitiis malos onerant, tantò locupletiores, quantò nocentiores,* & lib. de cultu fœminar. c. 10. ait: *Aurum ipsum, cujus vos gloria occupat, cuidam genti ad vincula servire referunt gentilium litteræ.* Delusoriæ igitur sunt divitiæ, quæ libertatem spondent, & laqueos injiciunt, beatitudinem promittunt, & miserias coacervant.

*Homil. 13 in epist. 1. ad Corinth.*

*Cap. 7.*

39. Desipiunt, qui divitiis inhiantes credunt in earum possessione veram posse felicitatem enancisci, in quarum tamen cupiditate præstigium notavit Cassiodorus *de amicitia* inquiens: *Isti ut metam suæ intentionis attingant, viarum dispendia eligunt, & cæca cupiditatis multiplici præstigio dementati ad sui desiderij finem per divortium & amphractus incedunt.* Hoc præstigio decipiuntur, qui terrenarum divitiarum cupiditate corripiuntur; & D. Chrysostomus vocat hoc desiderium ditescendi incantationem, & præstigium inquiens: *Incantatio quædam est, & præstigium, quod aurum, & argentum à nobis tantoperè honoretur.* Copia divitiarum quædam censetur esse felicitas, sed hominum mentes eludit, & præstringit oculos; cæcè enim divitiæ rapiunt in amorem, & æstimationem sui. Cæcutiunt quotquot putant speciem quandam beatitudinis divitiarum inesse possessioni; non divitiarum possessio felicitas est, sed earundem in pauperes distributio ad veram beatitatem viam sternit; scitè Cyrillus Jerosolimitanus. *Non est malum argentum, tu tamen utaris bene. Poterit sanè aliquis per pecunias justificari:* mirum sanè quòd divitiæ dicantur justificare; quòd pecuniis proprietas attribuatur gratiæ sanctificantis, quid gratia cum pecuniis, quæ cohærentia cum cœlo, & cœno; gratia semen est cœlestis gloriæ; pecunia fœtus cœnosæ telluris; illa à patre luminũ benefico affluxu in homines delabitur; hæc ex tartareis, & imis terræ visceribus trahitur; illa animam, quam afficit sursũ evehit, hæc hominem, à quo possidetur aggravat, ac deorsum premit: quis valeat dotes gratiæ justificantis recensere? Quod anima est corpori, hoc est gratia animæ; quòd si corpus animâ destitutum vita caret naturali; hæc absque gratia vita privatur supernaturali.

*Homil 10. in epist 1, ad Tessal.*

*Cathechef.*

40. Quòd si corpus sine anima nullius potentiæ valet munia obire, adeò ut cæcutiat in meridie, & toto radiorum apparatu circumfusum non tamen oculos aperit; ut videat; adeout frustra ex Luculli mensis saliares ei proponantur dapes, frustra naribus exhibeantur flores, & ex Arabia selectiora odoramẽta, frustra harmonico cantu aures demulceantur, eò quia carens animâ corpus emortuũ est: ita animæ nil placet sine gratia, nil prodest sine vita supernaturali. Quòd si circumfulgeat eam

Psal. 144. Vates ait: *Magnus Dominus, & laudabilis nimis, & magnitudinis ejus non est finis*: indicat nun solum immensitatem extensiunis intriotecè impartibilis, sed etiam infinitatem naturæ, quapropter ajebat Psal. 138. *Quo ibo à spiritu tuo, & quo à facie tua fugiam? si ascendero in cœlum, tu illic es, si descendero in infernum, ades: si sumpsero pennas meas diluculo, & habitavero in extremis maris; illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tna*, apertè indicat David nusqoam posse creaturam coostitui, ubi Deus
Cap. 11. non sit, quod confirmans, Job inquit: *Excelsior cœlo est, & qnid facies? profundior inferuo, & nnde cognosces? longior terra mensura ejus, & latior mari.* Indicat enim Deum excedere omnem mensūram, ac in immensum expandi, cnm ea superet, quæ vel ipsa mens non est potis concipere: & revera cùm sit DEUS infinitus in substantia, noo potest non esse infinitus etiam in virtuali exsensione: quia cum substantia Dei nullo coërceatur limite; hnic necessè est, respondeat extensio, quæ nullo propterea potest termino claudi, ex quo provenit, ut dicatur Deus esse ubiq; , & illocabilis, & incircnmscriptus: dicitur ubiq; esse, quia per suam naturam, & substantiam est præsens omni loco, spatio, & rei existenti, adeò ut nulla res sit qnantumvis exigua, & vilis, intra quam Deus non sit totus præsens, nec ullus possit locus designari, vel spatium, in quo itidem noo existat totus præsens: dicitur etiam illocabilis, quia nullo loco, vel spatio circumscribi potest, in qno sensu D. Athanasius io rescripto ad Liberium ait: *Deum esse incomprehensibilem loco.*

Quomodo igitur, si est Deus ubique præsens, & nulla est possibilis creatura, quæ
43. ab ejus possit, ss præsentia subducere dixit Cain *A facie tna abscondar*: quid est, Cainum ejici à facie Dei, & abscondi ab ejus vultu? num ultra terram erit habitaturus? sed nec potest ibi Dei præsentiam subterfugere, Deus eoim ob suam, quâ pollet, immensitatem, non solùm est io mundo, sed etiam extra mundum per immensa spatia diffusum, perinde ac lumen quoddam, non solùm totum occupans mundum, sed extrorsnm in omnem partem absque termino se diffundens. Sicut Deus coëxistit non solùm durationi hujus mundi, verùm & infinitæ, quæ hunc mundum antecessit: ita etiam coextenditur non solùm spatio hujus mundi, verùm etiam immensis intervallis, quæ sunt extra muodum: est siquidem immensitas divina primævum, & intimum intervallum, seu spatium, origo omnis intervalli, spatium totius spatii, & basis primordialis omnis loci, quod innuens Arnobius exclamat: *O Maxime, ô summe rerum visibilium, & invisibilium Procreator!* & nonoullis interjectis
Lib. 1. advers gentes. subdit: *Prima enim tu causa es, locus rerum, & spatium, fundamentum cunctorum quæcunque sunt*; cui assentitur Tertullianus contra Praxeam. *Ante omnia erat DEUS, solus ipse sibi, & mundus, & locus, & omnia.* Cap. 5

Quòd si Deus est omnis locus, quomodo creatura, quæ nonnisi in loco esse potest, 44.
à Dei præseotia poterit se subducere? quomodo Cain potuerit dicere: *Ecce eijce me hodie à facie terra, & à facie tua abscondar?* Quid sit eijci à facie terræ, & abscondi à facie Dei, edisserit Cajetannus inquiens expendens præfata verba Caini: *Ecce eijcis me* In Genes. 3
*hodie à facie terra, & à facie tua abscondar. Ejectio à facie terra est in hoc, quòd terra non respondeat ei secundùm vim suam; absconsio antem à facie Dei est privari divina cura, & à Deo derelinqui.* Eijcitur quis à facie terræ, cùm hæc probro notata sterilitatis optatos noo suppeditat fructns cultoribus: quapropter terra sterilescens ad agricolationem Caini, & malignus proventus avarè respondens laboribus culturæ dicitur à Caino objectio à facie terræ, & Dei: quasi divitijs affluens, bonis abundans temporalibus sit in conspectu Dei, ejúsque facie perperfruatur. Copia igitur fructuum, & abundantia bonorum temporalium dicitur à Caino divinæ faciei quasi fruitio, propterea dum terrenis destituitur opibus, conqueritur, quasi ejectus à facie terræ, & Dei;, & quasi absconditus à Numinis providentia: ita cæcutiunt homines divitijs inhiantes, ut beatitudinem censeant io earundem possessione sitam esse; & ijsdem, si destituantur, se credant à facie Dei ejectos, & absconditos.

Idque fortassis causæ, cur evangelicus paterfamilias pro diurno labore denarium 45.
promiserit, quo impensum in vioeæ cultura remuneraret laborem. Communi suffragio sacri Interpretes mercedem haoc Operarijs pactam beatitudinem esse edisserunt, inter quos D. Remigius ab Origine edoctus denarij nomine beatitudinem significari fatetur, inquiens: *Conventione facta ex denario diurno, quia unusquisque in agro ec-* In Matth.
*clesia pro spe futura remunerationis laborat*, 30.
Sed cur Christus *Matth.* 30. Cœlestem beatitudinem denarij nomine significatam voluit? putârim ut inde homines utpote divitijs inhiantes magis allicerentur ad subeundos labores in vinea Dei, in excolendis virtutibus: cùm suam videantor homines beatitudinem io divitijs ponere, pactam mercedem denarij nomenclatione voluit significari: cùm enim Christus tunc hominibus loqueretur, apud quos pecnnia habetur summa felicitas, hanc rectè pecuniæ nomine designavit, quò ferventiùs laborarent, quapropter etiam Matth. 13. v. 43. ait: *Simile est regnum cœlorum thesauro abscondito.* Illecturus Christus homines ad regnum cœlorum per exercitia virtutum sibi comparandum, congestis divitijs, ac thesauro illud pariavit, ut pari desiderio, quo divitias cupiunt, oiterentur

cœlestem enascisci beatitudinem; cùm in ea versentur corrupta opinione, quâ putant, latere in divitijs felicitatem, cum videant divites delicijs difluere.

46. Thesauro igitur simile dixit cœlorum regnum, quò promptiùs homo cor suum, omnésque suos affectus in cœlum dirigeret: *Ubi est thesaurus tuus, ibi est cor tuum*; omnium animos ad se trahit thesaurus; affectúsque omnes ad se rapit; ideóque regnum cœlorum thesauro pariavit, qui absens perle-ctat, & præsens delectat: in eodem cordis scrinio thesaurus servatur, & amor; in eadem arca conditur pecunia, & sepelitur affectus: est thesaurus illex voluntatis, fomes voluptatis, magnes desideriorum: sed bracteata est felicitas, quæ in auro splendet; personata beatitudo, cui si larvam detrahas; nonnisi curas, molestias, & dolores deprehendis. Aliud opes esse videntur in extimo auri nitore; & aliud intus sunt, diceres scenicam personam in hujus mundi theatro repræsentare. In scena, qui prædivitis Regis personam agebat, auro, gemmisq; fulgebat, si eidem larva detrahatur, vel absolutâ fabulâ pristinam repetat proprij status conditionem; pauperrimus est, & qui videbatur divitijs affluere, ac delicijs diffluere, pannosus affligitur miserijs, inops premitur angustijs, æger torquetur doloribus: Hoc idem obtingit divitibus: huc accersendus D. Chrysostomus, ubi calamum acuens in divitias ait: *Si delicias objeceris, si gloriam, si divitias, sive aliud quodcunque ex his, quæ magna esse videntur, figura tantummodo sunt non ipsius, quæ in rebus est, veritatis demonstratio: persona quadam scenica, non consistens rerum substantia*: extima divitiarum facies nos non decipiat; Davidem imitemur, qui suo exemplo nos ab hoc evocavit errore. Cognovit ipse mundi opes veras non esse divitias, sed mera præstigia decipiendis hominibus invecta; proinde licèt ijsdem esset onustus, quamvis multo ditesceret auro, pauperem se tamen fatetur, probè sciens, bona omnia terrena seriò cogitanti nihil esse; nec temporalibus bonis fieri homines bonos; & hallucinari istos non minori damno, & periculo in æstimandis sæculi divitijs; opes enim, dignitas, honor, gloria, fama, & alia id genus, boni nomenclatione donari non merentur, quis fugiunt instar umbræ, evanescunt instar fumi, pereunt cum fugacissimo tempore; quòd si hæc bona non sunt, cum bonos non faciat possidentes; nec divites dicendi sunt, qui in mundo divitijs affluunt: appositè S. Basilius expendens verba Davidis. *Et factus est Dominus refugium pauperi*; illicò subdit? *Sapissimè David pauperem se, & tenuem appellat, quamvis regijs circumflueret opibus, ac divitijs. Utpote cui certò certiùs constaret, omnia humana siccum pulverem, nihilque esse*.

Matth. 6.

Homil 20. in Epist. ad Rom.

In Psalm. 9.

47. Fallaces sunt divitiæ; alternantis fortunæ nutu veniunt ad nos, ut nos decipiant à nobis statim abeuntes: suos divitiæ celerrimè fugiunt possessores, quos beare nequeunt; sed tantùm torquere cum fugiunt. Beatitudo est sine defectu; & bona temporalis, quæ possidentur, divitiæ, quæ congeruntur, sine defectu esse non dixeris, nec duxeris; deficiunt enim, ac dilabuntur unà cum tempore, vix cumulari incipiunt, & statim evanescunt. Hinc Euripidis in Peleo commendatur effatum: *Non probo usquam inter homines illas opes, quæ faciliùs delentur à DEO, quàm scribuntur*; ac si divitiæ cum acervantur, scriberentur in flumine, ubi tanta velocitate delentur, ut non sinat aqua characterem unum absolvi; quia fluxæ sunt divitiæ stare nesciunt, fugitivæ sunt, infidæ, volaticæ; appositè D. Chrysostomus divitem avaritiâ sordescentem perstringit inquiens: *Auro pallidior volitat propter divitias, quæ magnopere expetuntur; quarum amicitia infirma, & instabilis est; quarum cupiditas insidiarum plena est, quæ derident ut domina multorum; quæ irridens, ut vehementer amentur; quæ vinctæ sunt, & suspectæ: mortua sunt; sed noxia, quæ in unum congesta venti vim obtinent*: non solùm fugaces sunt opes, ac ut servi transfugæ, turpis sunt fugæ semper suspectæ, quamvis in arca veluti in carcere detrusæ, ac vinctæ; verùm etiam suis die, noctúque insidiantur possessoribus, qui nonnisi gravibus afflicti molestijs divitias conservant, quas impenso labore, multóque discrimine congesserunt. Dum enim custodiuntur perpetuis curis, ac animi cruciatibus uberem suppeditant fomitem: priùs quàm possideantur, quandam videntur beatitatis speciem spondere: quæ tamen semel possessæ curarum, ac molestiarum secum trahunt gehennam.

Tom. 1. homil. in Epist. 38.

48. Rutilat aurum, splendet argentum, nitent gemmæ; sed solicitudo, quâ custodiuntur; cura, quâ asservantur; timor ne amittantur, suos miserè torquent possessores; & hoc maximè præstigio decipiuntur, qui terrenarum cupiditate divitiarum corripiuntur: hinc non defuerunt, qui sophisticas sæculi divitias dixerint; eò quia nil solidi, & veri ijsdem inesse putaverint: huc evasit Petrus Blesensis, ubi divitias carpens appositè ait: *Beatior in sua miseria reputandus est pauper, quàm dives in opibus sophisticis, & gloria seductrice*. Et D. Isidorus Pelusiota *phantasmata* divitias, quibus homines inhiant, vocavit; quia phantasiam magis pascunt, quàm cor reficiant; cui assentitur D. Chrysostomus *homil. 80. in Joannem*: *Nemo*, inquir, *argentum, aurum, & hujusmodi imaginarias divitias possidet, quin majorum desiderio teneatur*. Et homilia, *quòd nemo læditur nisi à se ipso*, non solùm divitias fucatas esse dicit, sed cultum etiem præferre meretricis, quatenus eblandiuntur, & vulnerant; mulcent, & sauciant; alliciunt, & enecant; ait Chrysostomus: *sicut plerumque meretricis vultu, cum fœdus, & turpis est per naturam, fucis,*

Epist. 60.

Lib. 5. Epist. 36.

*fucis, & coloribus pigmentarijs prostituitur ad decipiendos, qui ignorant, quanta fœditas sub velamine fuci illius contegitur: ita & divitiæ faciunt*; quia solatia spondent, & curas exhibent; gaudia promittunt, & lacrymas eliciunt; oscula figunt, & vulnera infligunt; quos extimâ sui specie illiciunt, veluti adhibitâ larvâ decipiunt, quia per se diffluunt, vel infelici negotiatione dissipantur, vel morientem deserunt, & tunc non minus lethale doloris vulnus infligunt: & tamen adeò cæcutiunt homines, ita desipiunt, ut ipsa vulnera esse solatia putent; & divities posse beatitatem divitibus impertiri: ac beatos dicant, qui divitijs affluunt.

49. Quis ita dejectæ sit mentis, ut eum felicem existimet, qui aspidem in sinu fovet; à quo mortiferum patitur vulnus? quis adeò à sana mente alienus eum beatum dicet, cui viperini fœtus viscera corrodunt? omnem succum, & sanguinem exsugunt? tales sunt diurnæ curæ, nocturnæque molestiæ, quibus divitiæ, vel possessæ custodiuntur, vel possidendæ coacervantur, pectus pungunt, viscere torquent, & cor lancinant: & tamen hi infelices, qui dies, noctésque torquentur ob vilissimas terræ fæces, & caducæ fortunæ munere felices censentur, ac beati esse dicuntur. An non potiùs miserrimos dixeris, cum nil animo volvant præter umbras cupiditatum, ac vacua possidendi simulacra? divitias sitiunt extinguendæ siti inidoneas, cupiditatibus inflammendis duntaxat aptas.

50. Quinimò plerúmque dum opes, quæ sitiuntur, desideria inflammant; vitam, saltem animæ excidentis è divina gratia infeliciter extinguunt; quia ut scitè, ac verè loquitur Chrysostomus *homilia, quod nemo læditur nisi à se ipso. Divitiarum sequela est luxuria, ira intemperans, furor injustus, arrogantia superba, omnísque irrationabilis motus.* Divitiarum pedisequæ omnes sunt noxæ, quæ venenum voluptatis, vel improbi affectûs divitijs affluenti propinant: dives siquidem venenum bibit, dum divitias perperam impendit in mundi voluptatibus, quas dum bibit, mortem ebibit. Legimus, quosdam vehementi aquæ siti correptos, mortem unà cum aqua hausisse. Refert Sabellius *lib.* 10. *decad.* 3. Leodrenses à Turcis diuturna, ac pertinaci vallatos obsidione, cum ad id aquarum inopiæ devenissent, ut vix modicum quid singulis distribuendo per tres adhuc dies, sussecturæ crederentur; abeunte mox hoste, quasi præcipites ruisse in vicinum flumen, ac vehementer concupitam multis diebus aquam tam cupidè bibisse, ut plures eadem repleti, stupidi, rigentibus membris statim exanimes conciderint. Plerique divities sitiunt, quas cum ebiberint, seu congesserint; ardentiori æstu vitiatas voluptatum aquas ex dissipatis sæculi cisternis haustas degluttiunt, & exanimes concidunt è divina excidentes gratia. Cedit qui violatâ castitate in scelus delabitur impuritatis: moris etiam antiquitus fuit, ut is cecidisse diceretur, qui fœda libidine se inquinaverit; id innuit Joannes Climacus inquiens; *In aliis peccatis reliquis seductos homines solemus dicere, cùm verò quempiam fornicatum esse audivimus, dicimus; ille cecidit.* Gradu 15.

51. Caveamus ab hac divitiarum siti, ab haustu voluptatum, ne mens ebria titubet, & cadat: virtutem sitiamus, ejúsque bibamus exercitium, ut præstitit D. Macharius, qui, ut habetur in Apophtegmatis Anachoretarum, quoties à fratribus invitaretur ad haustum, bibebat quidem sibi propinatum vinum, hac tamen sibi lege indicta, ut pro vini calice uno integro die solam frigidam biberet; & per hoc lætabatur in haustu vini, quia inde se per abstinentiam diurnam esset cruciaturus: quod ubi fratres resciverunt; non ampliùs ausi sunt vini haustum ei propinare. (Lib. 4. n. 29.) Bibunt divites divitias, sed sitim non extinguunt, hydropicis similes, ut notavit Cassiodorus *de amicitia*; inquiens: *Hydropici more, qui plus bibendo, plus sitit, pecuniæ cupiditas ex multiplicatione grandescit*: perinde ac ignis arescentibus lignis non obruitur, sed augetur uberior; congestæ divitiæ cupiditatem avidæ mentis magis acuunt, & inflammant. Tametsi mare omnia ebibat terræ flumina; nunquam tamen satietur; nec suam extinguit sitim: mare multiplici æstu effervescens dixeris animum divitijs inhiantem; licèt plures ebibat opes, absorbeat divitias, nunquam tamen est satur, nec expletus; appositè S. Nilus ait: *Nec multitudine fluminum mare; nec divitiarum copiâ avari animus expletur*: (Orat. 3. de avaritia.) quòd si mare suis intumescit fluctibus; divitijs affluens, vel ambitione inflatur, vel superbia fit tumidus; si mare procellis agitetur; dives æstus pravorum affectuum, vel in ipsa amoris malacia experitur; naufragijs obnoxius in ipsis arridentibus mundi delicijs.

52. Habet divitiarum mare Scyllæ scopulum, & Charybdis vortices; quinimò, & adblandientes cantu Sirenes in perniciem trajicientium ejus fluctus; trahunt divitiæ secum mundi delicias, voluptates, libidines, & vitia reliqua, in quæ veluti in scopulos impingentes divites fœdo pereunt naufragio; quis igitur est inficias, divitiarum mare sua habere brevia, suásque voragines, suas Scyllas, ac Charybdes, cùm divitijs affluentes, & delicijs indulgentes tot patiantur naufragia, quot sunt vitia, quæ contrahuntur. Cavendi sunt hujus Charybdis vortices, hujus Scyllæ scopuli, si naufragia velimus declinare: hæc Charybdis non solùm corporis navigium sorbet, sed & animæ mentem deglutit. Sæva est hæc Charybdis, eò lethalius furit, quò suaviùs eblanditur; nec ab illa abjungitur Scylla: audi peritum nauclerum D. Hieronymum; quid scribat ad Heliodorum: *In illo æstu Charybdis luxuria salutem vorat Scylla, seu renidens libido blanditur.* (Epist. 1. ad Heliodorum.)

Quis

53. Quis hæc inter discrimina se beatum dixerit; quis propriæ appa entis incolumitatis hos non declinet scopulos? non vitet voragines? Neque suis divitiarum pulagus est sirenulis destitutum; non caret hoc mare hisce illicijs; generatim omnes sæculi voluptates, ad quas divitiæ viam sternunt, sirenæ sunt, quæ fucatis suis illecebris homines fallunt; alliciunt, ut interimant; eblandiuntur, lethalia vulnera mox inflicturæ; demulcent sensus, sævituræ in animam, adeo ut non possis satis cum earundem feritate conferre Draconem venena despumantem, nec Chimeram flammas exitiales evomentem; neque tricipitem Ponticum canem, neque sphingem scopulo insidentem, ac vitæ insidiantem, neque Hydram lernæam septemplici capite strages minitantem, neque leænam repetito rugitu exitialem, neq; volucres Harpyarum genus; neque ullum ex Hircania monstrum, quamvis diritate cæteris truculentius: quia hæc monstra corpori duntaxat nocent; divitiæ autem per vitia in animam sæviunt: audi Petrum Damianum quomodo alloquatur mundi blandimenta, divitum delicias, vitiorum illicia, & procaces mulieres: *Vo Harpyjs, quæ sacrificium Domini circumvolantes arripitis, eósque qui Deo oblati fuerant crudeliter devoratis. Nam, & leænas vos non incongruè dixerim, quæ belluarum more subas attollitis, & incautos homines ad sua perditionis interitum cruentis amplexibus barpaxatis. Vos sirenæ, atque Charybdes, quæ dum suavem deceptionis editis cantum inevitabile struitis salo vorante naufragium.*

Opuscul. 18 dissert. 18, c. 7.

54. Divitijs inhians vitijs faciliùs indulget, quibus lethaliter saucius miserè perit; sunt divitiæ homini ad vitia per mundanatum voluptatum illecebras prono, perinde ac furioso nudatus gladius; imò quidquam acerbius, ac nocentius: nam qui furit, adacto semel in pectus gladio, à furore se liberat, ejúsque furentem æstum proprio extinguit cruore, nec alterum lethale sibi vulnus infligit: divitiarum autem appetens, diriùs in se sævit, & non dena tantùm, sed & centena graviora vulnera sibi infligit, tot scilicet, quot scelera perpetrat: quin mœrores etiam, solicitudines, ac molestias in se fovet, quibus dirè torquetur: sicut Hirundines, quasdam dicuntur circumferre inter plumas areneas sui corporis succum, ac sanguinem perpetuò sugentes; quæ tamen in pascua ijsdem identidem cedunt: ita divitiarum donatus cumulo ijsdem curis, ac solicitudinibus, quæ præcordia mordent, corarrodunt, & animi vigorem exhauriunt, jugiter pascitur; eò quia non minor sit cura, & molestia in custodiendis acervatis divitijs, quàm in ijsdem parandis: & tamen adeò cæcutiunt homines, ac delirant, ut beatos censeant divitijs cumulatos; & opes quandam præseferre beatitatem. Idque causæ, cur sit opulentia illex voluntatis, fomes voluptatis, magnes humani desiderij.

Neque Christus, quò per virtutum exercitia ad veram, & cœlestem beatitudinem alliceret homines, sub alia voluit hanc ijsdem exhibere metaphorâ, quàm thesauri divitiarum, ac possessionis regnorum terræ *Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram*. Tametsi non me lateat, SS. Patres cùm D. Augustino *de sermone Domini in monte* hanc terram à mitibus possidendam intelligere terram viventium, seu regnum cœlorum: attamen D. Chrysostomus *homil. 16.* & alij censent, hanc terram esse intelligendam, cujus possessio mitibus promittitur, quibus suffragatur Theophylactus, qui expendens præfata Matthæi verba ait: *Verùm tu hanc terram intellige:* sed oritur statim difficultas, cur paupertati promittatur Regnum cœlorum. *Beati pauperes, quoniam vestrum est Regnum DEI*; & mansuetudini, quæ placidior, ac gratior est virtus, terræ tantùm exhibeatur possessio. Non enim videtur æquitati consonum, ut minori præmio nobilior, ac splendidior donetur virtus; & pannosa, ac lacera paupertas longè uberiori mercede: quinimò non solùm minus præmium virtuti assignatur mansuetudinis, verùm etiam longè exilius, & in futuro duntaxat dandum; cùm paupertati de præsenti, ac statim Regnum detur cœlorum: etenim de mansuetis dicitur: *Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram*; hoc est, erunt terram possessuri: secus pauperibus statim datur præmium longè nobilius, ac locupletius: *Beati pauperes, quia vestrum est Regnum DEI.* Quid quòd pauper statim inauguretur Rex cœli; & mitis tantùm in futurum sit terram possessurus? quia nimirum innotuerunt Christo, quanto sint in pretio apud homines bona temporalia, & quàm anxiè ea quærant, quàm ardenter cupiant: ut igitur magis alliceret, certiúsque pertraheret ad amorem mansuetudinis necessariæ ad humanum convictum, & inter homines societatem ineundam, & conservandam; minùs quidem præmium virtuti spondet mansuetudinis, sed quod pluris fiat ab hominibus, qui magis appetunt divitijs temporalibus affluere, quamvis in futurum tantùm promissis, quàm spiritualia, & cælestia, licèt statim possidenda.

Lib. 1.

Luc. 6.

Soli enim divites censentur præsertim à pauperibus beati, & in mundo felices, quos propterea monet Augustinus, ne intumescant, ait enim. *Audite divites, qui aurum & argentum habetis, & tamen cupiditate ardetis, quot quando pauperes intuentur, murmurant, gemunt, laudant, & invident, æquari optans, & impares se dolent, & inter laudes divitum, hoc plerúmque dicunt, soli isti felices sunt, qui soli vivunt. Pro his verbis quibus homines tenues divitibus adulantur, eùm dicunt: isti soli vivunt, ne in superbiam erigamini ò vos* 55.

Serm. 32 ex 40.

divi-

*divites? sed potiùs Apostolum audite morbi curatorem, & non verbi adulatorem. Una ista somnus vester est; divitiæ istæ velut in somniis fluunt.* Soli ergo divites censentur in mundo vivere, ac felices esse cùm tamen pluribus premantur miserijs, torqueantur curis, quàm ipsi miseri; quos fortuna bonis destituit temporalibus; hinc Syracides ait: Divitias in perniciem sui possessoris asservari.
Eccles. cap. 5. *Est & alia infirmitas pessima, quam vidi sub sole, divitiæ conservatæ in malum Domini sui. Pereunt enim in afflictione pessima.* Assignans causam, cur divitiæ conserventur in perniciem sui possessoris, aliam non adfert, nisi quia pereunt in afflictione pessima: pereunt divitiæ, quia possessorem suum ultra tumulum non prosequuntur; neque apud hæredem stabilem sedem figunt: siquidem vel potentioris alicujus violentiâ rapiuntur, vel infelici pereunt negotiatione, vel quodam refluxu fortunæ aliò suum derivant cursum.

67. Inter bona fortunæ à jureconsultis, quædam talis dicuntur esse naturæ, quæ servando servari nequeunt ut quæ corruptioni sunt faciliùs obnoxia, id generis sunt vinum, frumentum, fructus. Alia verò quæ servando servari possunt, cujusmodi sunt bona immobilia, & quæ se habent instar immobilium, ut vasa aurea, argentea, gemmæ, & pretiosa supellex, sed hæc omnia quamvis in pretio habeantur, hominémque dicantur beatum constituere, nihil tamen habent stabilis, atque firmi, quia quod ab instabili pendet fortuna, stabile esse nequit: quòd si stabilem servet clienti fidem, bonum non est fortunæ; ergo quæ magna, speciosa, immobilia, ac pretiosa habentur, fluxa sunt, quæ servando servari nequeunt, sed pereunt in afflictione pessima, quæ tantò est acerbior, quantò ardentiùs, & accuratiùs asservantur divitiæ: hanc afflictionem explicans Seneca
c. 8. *de tranquillitate animi* ait: *Si omnia alia, quibus angimur compares, mortes, ægrotationes, metus, desideria, dolorum, laborúmque patientiam, cum ijs, quæ nobis mala pecunia nostra exhibet. Hæc pars multum prægravabit.* Deinde huic ægritudini curandæ aptum dicit esse alexipharmacum seriò perpendere, *quanto levior dolor sit non habere, quàm perdere:* quia paupertas minoribus est obnoxia curis, solicitudinibus, ac molestijs; hinc lætiores deprehendis, quos nunquam fortuna respexit, quàm quos diutius aspexit, & mox deseruit. Quapropter monet nos Regius Vates, ne nostra desideria in
Psalm. 61. v. 11. divitias congerendas dirigamus *Divitiæ si affluant, nolite cor apponere.*

58. Facilè ea dimittuntur, quæ veluti domûs hospitalis sarcinæ in angulo jacuerunt abjecta, ac sorduerunt domestico pulvere neglecta: ea vero acriori avelluntur cruciatu, quæ in sinum pectoris recepta, ipsi cordi intensiori affectu sunt agglutinata. Nullus esset, qui rebus hisce fluxis, labilibus, ac corruptioni obnoxiis amoris affectu adhæresceret, si quales in se sint seriò perpenderet, & quàm flocci divitias fecerint etiam profanæ Philosophiæ studiosi, & quàm levi manu iisdem missionem dederint, oculo simplici, nulloque affectu præoccupato viderent. Crates Thebanus è præcelsa rupe in subjectum mare cum plura auri, argentique pondera projiceret, dixisse fertur: *Abite pessum malæ cupiditates: ego vos mergam, ne ipse mergar à vobis.* Diogenes eò usque se vitæ subsidiis nudavit, ut nihili fortunæ bona fecerit, quæ abjecit, ne ulla ampliùs doloris materia ei suppeteret. Qui sapit definit ea sequi, quæ assequi miseria est. Satiùs eùm honore ea spernuntur, quàm cum dolore amittuntur.

Non is beatus, qui divitiis affluit, sed 59.
qui divitiis imperat, qui animum erigens rebus humanis majorem, divitias non ut idola veneratur, sed ut instrumenta vitæ ad singulas opportunitates paratas esse jubet, & obsequentes: qui non sordes in iis eruendis, & accumulandis, sed in usu splendorem diligit, & dignitatem: qui non in custodiendo solicitudinem; sed in erogando beneficientiam consectatur. Inventæ sunt divitiæ non ut superflua possideamus, sed ne quid ex necessariò nobis desit: ideóque mensura opulentiæ est, non multa habere, sed nihil deesse: quòd autem plurima nobis desint, id sola cupiditas facit: sunt qui plurima cupiunt in cella pennaria esculenta, in vinaria poculenta, in pixide gemmas, in arca attalicas vestes, plures in stabulis equos; quæ omnia ideo desunt, quia desiderantur: & eorundem defectus egestas est, quæ cupientem torquet, & miserum facit. Tunc homo egere cœpit cum expetere, ac concupiscere incæpit. Quis eo pauperior, cui multa desunt? Quis eo ditior, qui nihil cupit, & quem pauca explent, satiantque? & tamen felicitatem quærunt homines in possessione divitiarum, licèt nonnisi miserias enancifcantur. Imò tanti faciunt homines sæculi divitias, ut impensiùs desudent in iisdem quærendis, & acquirendis, quàm in cœlestis gloriæ laborent adeptione.

Quapropter advertens Christus hanc 66.
hominum incuriam, qui nonnisi tardè, & oscitanter feruntur ad cœlestia appetenda, quibus videntur fluxa terræ bona præferre; ad exercitia virtutum homines excitaturus cœlestem beatitatem sub divitiarum specie exhibet acquirendam *facite vobis sacculos, qui* Luc. 12.
*non veterascunt, thesaurum non deficientem* v. 33.
*in cœlis.* Quid quòd Christus moneat homines sacculos consuere pecunijs opplendos? an avaritiam edocet Christus? num homines adhortatur ad pecunias congerendas in sacculis? si paupertatem ipse prætulit divitiis, & pauperes beatos dixit: *Beati pauperes*, cur nunc adhortatur ad sacculos parandos, & pecunias in iisdem servandas? an mutato consilio desideria excitat divitiarum, qui amotè paupertatis persuaserat? scitè D. Chrysologus

Serm. 24. sologus *Ecce docet avaritiam qui caperat suadere contemptum.* Nimirum contemptum divitiarum suasurus hominibus, eos edocet avaritiam, virtutem tegit specie avaritiæ, ut homines pertrahat ad virtutis amorem: ingeniosa sanè industria est per divitiarum affluentiam ad earundem contemptum homines pertrahere: cùm novisset homines divitiarum appetentes, opes in sacculis congerendas iisdem suasit, ut per fucatas, ac fallaces divitias, veras, ac cœlestes nanciscerentur: *Facite vobis sacculos, qui non veterascunt, thesaurum non deficientem in cœlis.* Divitias contemnit, qui molestias, & curas in iisdem acquirendis, ac servandis in sacculis expetitur, ideóque per virtutum studia satagit veras congerere divitias, verúmque enancisci thesaurum non deficientem in cœlis. Non latuit Christum, homines divitiarum desiderio ultro cogi, ac liberè adigi ad earum amorem, ideóque piam ingeniosè invenit avaritiam, ut fallax fallacis pecuniæ desiderium religiosè falleret, & affectum inhiantis divitiis fluxis sæculi, traheret ad veras, ac stabiles cœlestis beatitudinis divitias: acutè Chrysologus: *Ecce docet avaritiam,*
Serm. 24. *qui cœperat suadere contemptum; qui thesaurizantes temporaliter arguebat, ad totum cupiditatis fomitem jubet sacculos sine fine perquiri. Christe quò te pertrahit amor tuorum? ut avarum lucri facias, facis enim quod desiderat, non quod oportet audire: sacculos imperas, æternos thesauros, qui non deficiant, vis parare? ut avarus dum consueta percurrit ad lucra, aut virtutem capias, aut à virtute capiatur.*

61. Veræ divitiæ sunt, non quæ fluunt, transeunt, ac pereunt in terris, sed quæ æternùm perseverant in cœlis, sed ideo terrenas anxiè concupiscimus, quia cujus sint cœlestes conditionis non videmus; ideóque inculcanda nostrorum oculorum lippitudo est, qui divitias veras putamus, quæ divitiarum sunt tantùm præstigia: hanc lippitudinem excutiendam esse monet D. Gregorius Nazianzenus ad Julianam scribens: *Non sursum in cœlum aspiciemus? non expergiscemur? non oculorum lippitudinem amovebimus? non intelligemus? quænam veræ sint divitiæ?* Quæ in terris possidentur divitiæ, si pauperibus erogentur in cœlestes vertuntur, & tunc sacculi non veterascunt, sed thesaurum accipiunt, non deficientem in cœlis. Idque causæ cur primi in Ecclesia fideles divenditis, quæ possidebant, prædiis, pecunias ad pedes Apostolorum projicerent, ut deposito quovis onere, ac impedimento expeditiores fierent ad salutis percurrendam viam, verásque divitias acquirendas in cœlo, eleLib. 4 ad Eccles. Cathol. ganter æquè, ac nervosè Salvianus *Plerique eorum hac habent quasi exordia, & quasi incunabula conversionis suæ, ut priùsquam limen sanctæ professionis introeant, de propriis sibi facultatibus nil relinquant, secundùm illud Domini nostri dictum, quô ait: Vende omnia bona tua, & da pauperibus, & sequere me, & illi itaque secuturi vocantem Deum, priùs vendunt omnia, quàm sequantur: divitias enim onerum, atque impedimentorum loco esse ducentes, expeditos se non putant ad sequendum Deum, nisi omnia priùs carnalium sarcinarum impedimenta projecerint: simul ut more hominum commigrantium, priùs ad locum habitaculi destinati, res suas transferant, quàm se ipsos.*

Homo ille, qui in Evangelio divitiis 62.
affluens voluit peregrè proficisci, tradidit Matth. 25.
priùs servis bona sua, ex quibus qui accepit quinque talenta, alia quinque superlucratus est: similiter & qui duo, alia duo; sed qui unum tantùm acceperat illud otiosum tenuit, & Domino reduci restituit, qui præcepit, ut ab hoc servo nequam, & deside auferretur; & ei daretur, qui jam decem habebat. Conveniunt sacri Interpretes, id intelligi de mercede reddenda pro humana negotiatione, seu hominum operibus in judicio finali. Verùm oritur dubium, cur servo jam prædestinato, & qui ex quinque talentis sibi concreditis, alia quinque fuerat lucratus, hoc unum adhuc impertiatur talentum: si jam fuit judicatus, & cœlestis patriæ adscitus civibus, à quibus omnis exulat negotiatio, cùm ibi non sit ampliùs merendi locus; cur habenti jam decem talenta adhuc additur unum, cujus negotiationem servus deses neglexerat? an ut novum institueret negotium lucri causâ? & talentum, quod in servo deside nullum dedit fructum, in servo solerte lucrum pareret? sed si servus iste ulterius nequit negotium instituere, cur hoc donatur talento? acutè Cajetanus ait: *Tollite ab eo talentum, & date ei, qui habet decem talenta, non quoad usum, quia non est ampliùs tempus meriti, sed quoad gaudium:* numerosam talenti pecuniam in die judicii erit Christus beatis daturus, non tamen negotiationis causâ, quia nil poterit ampliùs ex terræ bonis emi, sed uberioris gloriæ gratiâ; utque ad hoc gloriæ incrementum homines alliceret, divitias, seu talentum se rectè operanti daturum spondet; nimirum ei innotuerat, quo æstu, ac ardenti desiderio cupiant homines divitias, quibus inesse beatitatem putant; ideóque ad veram eos illecturus gloriam divitiarum terrenarum promittit incrementa, ut paratiores sint ad cœlestes sibi comperandas divitias.

Hinc etiam cœlestis paterfamilias ope- 63.
rarios conducit, labores suos in veneæ cul- Matth. 20.
tura impensuros: conventio autem fit ex de- v. 2.
nario diurno, quis verò sit hic denarius pro conductorum promissus labori; communis Interpretum sensus est, denarii nomine beatitudinem præfigurari: sed quid causæ, quòd prædestinatis operariorum nomine significatis proponatur cœlestis beatitudo sub specie denarii diurni? quia nimirum cupiens

Chri-

Christus homines ad beatitudinis amorem allicere, quos sciverat à natura avaros, & pecuniarum appetentes, ut faciliùs desiderium beatitudinis acquirendæ in iisdem accenderet, hanc studiò sub specia proposnit numorum. Inhiant operarij pecuniæ, ob quam suos impendnnt labores, quos fortassis impendere detrectarent, nisi sub nomina & specie pecuniæ iisdem fuisset beatitudo exhibita; adeo avaritia humana occupat pectora, ut nisi pecuniarum lenocinio excitarentur ad amorem cœlestis beatitatis, fortassis ajus negligerent assecutionem. D. Bernardus appositè ait: *Sunt viri divitiarum in civitate Domini virtutum:* fortassis alludit ad hos Operarios, quos paterfamilias conduxit, pactâ mercede denarij diurni; amore siquidem pecuniæ vineam excoluerunt, & impensis laboribus promissam sibi obtinuerunt mercedem, & hi sunt viri divitiarum in civitate Domini in cœlesti patria: spe enim præmij, ac pinguioris fortunæ agit, quidquid homo operatur: & sicut apud Psalmistam homines divitiarum appetentes vocantur in terra *viri divitiarum* ob nimium in opes affectum: ita sunt virtutum cultores etiam viri divitiarum, quibus ipsa beatitudo denatii nomine exhibetur; adeo inhiant homines pecuniis, ut quamvis studio sint virtutum addicti nullo blandiore lenocinio ad amorem cœlestis beatitudinis excitentur, quàm exhibitione denarij diurni: sed si beatitndo cœlestis diuturna ast, & æterna, cur denario pariatur diurno, ac fluxo? siquidem transit ad plures manus, variósqua acquirit possessores: si beatitudo est æterna permanens, & in sampitarnum perenniatnra non aptè per denarium diurnum, ac momentaneum repræsentatur: ast anim æternitas interminabilis vitæ tota simul, & perfecta posteslio, si enim termino catet, nullóque fine clauditur, quomodo denarius diurnus potis est eam nobis exhibere? quod enim dinturnum non ast, & æternum, sed diurnum à beatitudine deficit, quæ diuturna ast, & æterna.

Serm. 12. super Cant.

64. Verùm licèt sit beatitudo æterna, adhuc tamen rectè denarij nomine significatur, quia bona pecuniarum videntur hominibus divitiarum cupidis stara, ac qnandam præseferra felicitatem permansuram, cùm in divitiarnm possessiona sitam beatitudinem esse autument: huc accersendus D. Chrysostomus ubi loquens de bonis præsertim pecuniarum, quibus plns cæteris inhiant homines, ait: *Et hæc quasi stantia arbitrati sunt, & manentia, & non quasi fugientia, hoc est avolantia, & ne ad momentum quidem permanentia*, licèt fugitivi sint numi, & ab sphærica, quam præseferunt, figura, volvi dicantur promptiores, ac citius fugere, quia taman pecuniarum appetentes snam in eorundem possessione felicitatem locatam assa arbitrantur, pecunias licèt ex natura sua fugientes; stabiles putant, ac permanentes; ideóque quò promptiùs allicerentur homines ad amorem cœlestis beatitudinis, rectè sub specie denarij iisdem æterna felicitas exhibetur possidenda: quamvis sit peconia ex se diurna, in affectu tamen eam appetentinm diuturna est, imò & æterna, quatenus nullo unquam tempore vallent eâ destitui: sed quia hæc beatitudo, quæ in possessione collocatur pecuniarum ex se instabilis est, fugax, & incerta, ideo consultò denarius dicitur, non simpliciter, sed diurnus; quia possessio pecuniarum inconstans, incerta, & fluxa est, vix enim possidetur, & statim elabitur. Imò perinde divitiæ evanescunt, ac umbra, & fumus, ut observat D. Chrysostomus inquiens: *Quid autem omnino sunt divitiæ? umbra iners, fumus deficiens, qui citò evanescit.*

Homil. 4. in Genes.

Homil 11 in Joan.

65. Est igitur hæc beatitudo, quam in possessione divitiarum nituntur homines evanescisci, umbratilis, & non vera; evanida, non plena, imò & purum nihil; quapropter Amos Propheta divites sæculi redarguens, eò quia cùm divitiis affluerent, & deliciis diffluerent, se beatitate donatos existimarent, ait: *Qui lætamini in nihilo*, vocat divitias *nihil*, quia cum fluxæ sint & instar fumi evanescentes, nihili sunt faciendæ: quod etiam edocuit Christus *Matth* 25. *v. 26.* ubi paterfamilias, qui peregrè erat profecturus tradidit servis suis bona sua, & reversus intellexit, eum, qui quinque talenta acceperat alia quinque fuisse lucratum, & similiter qui duo alia duo; qui verò unum duntaxat acceperat, illud otiosum servâsse; tunc harus in pœnam desidiæ jussit ob eo auferri talentum, & donari ei, qui decem possidebat: *Habenti dabitur, & abundabit; ei autem qui non habet, & quod videtur habere, auferetur ab eo.* Sed si servus deses dicitur non habere, quomodo potest quidquam ab eodem auferri, non enim potest quis privari eo, quod non possidet: qui nihil habet, nil possidet; nec potest propterea quidquam ab illo auferri: quid enim auferendum est à nihil habente? sed si servus deses integrum accepit talentum, qnomodo dicitur nil habere? si unum duntaxat talentum valore æquatur duodecim millibus aureorum, quomodo possessor harum divitiarum dicitur nil habere? quia nimirum divitias, qui possident, nil habent stabilis, nec permanentis, ut veriùs nil dicantur habere, quamvis opes possidentes: siquidem divitiarum, numorúmqua possessio fugax est, & insida, quæ suos præstigiis eludit possessores, divitiæ sunt umbræ inertes, fumus evanescens, & plura illa aureorum millia servo desidi concredita non tam fuêre divitiæ, quàm divitiarum umbræ fugaces, evanidæ, & quæ in se nihil sunt; qnapropter consultè ait Evangelista, *Ei autem qui non habet, & quod videtur habere auferetur ab eo*, quia insidæ sunt, fugaces, & volatiles divitiæ, citò è mani-

C. 6 v. 14.

Matth. 25. v. 29.

manibus pristini possessoris elabuntur, & fugiunt ad alium Dominum: & qui lætantur ob acervatas pecunias ij sunt, de quibus dixit Amos *Qui lætamini in nihilo.*

66. Quòd si aliquid esse dixeris, id nil boni secum trahit, sed potiùs totam malorum congeriem; ait enim D. Ambrosius de bono mortis. *Laqueus in auro, viscus in argento, nexus in prædio, clavus in amore. Dum aurum quærimus, strangulamur: Dum argentum quærimus in visco ejus hæremus: Dum prædium invadimus alligamur.* Divitiis cumulati vitium contrahunt Phrygis Mydæ; ditescunt enim ut fame pereant. Non corpus tantùm sed & ipsam mentem suffocant divitiæ, cùm non sinant proba desideria ad cor pervenire: quin vitia accersunt, quibus & fomitem suppeditant, & materiam subministrant, quapropter eleganter ait Salvianus *Auro nihil est scelestius; & pessimum, ac feralissimum morbi genus.* Esse pravum in divitias affectum proborum morum deturpatorem, & flagitiorum omnium putidissimum fontem, imò & ipsius vitæ interfectorem, edocuit Judas proditor: *Et pacti sunt pecuniam illi dare*, quæ verba expendens Chrysostomus in Catena ait: *Tales enim avaritia generat passiones:* hoc est à pravo in divitias affectu passiones prodeunt, adeò ut affectus inhians divitiis indulgeat vitijs, sitque pravarum omnium passionum radix corrupta, vitiorum fœcunda mater, & virtutum sæva noverca: idque causæ, cur D. Ambrosius, hunc affectum in divitias vocaverit alterum peccati fomitem, inquiens: *Magna illecebra delinquendi est rerum affluentia*; & alibi eleganter nominat divitias *lenocinia delictorum*, quia affectus in divitias vitia omnia suadet, & instigat ad delinquendum, nec uno duntaxat modo est criminosus, sed criminum omnium seminarium est, ac fomentum: siquidem persuadet avaritiam, provocat ad luxum, irritat ad vindictam, instigat ad libidines, gulæ deliciarum materiam suppeditat, iræ fomitem subministrat; & nullum est vitium, cui pravus affectus in divitias fomitem non exhibeat: tales enim generat passiones, quæ vitiis omnibus obsequuntur; adeò ut qui opes immodico affectu coacervat, illecebras addat originali fomiti, & uberem feralibus hominum passionibus materiam subministret. Quòd si quidquam boni dicatur inesse divitijs, non aliud certè dixeris bonum esse, nisi quia in amatores suos ita sæviunt, ut in magna eos pericula injiciant, ut notavit Isidorus Pelusiota inquiens: *Divitiæ unum mihi continere bonum videntur, quòd eas amantibus ingentia pariant pericula;* & quò major earum affectus est, eò majus periculum subit, qui eas amat.

Cap. 5.
Lib. 1 ad Eccles.
Luc. 22. v. 5.
Lib. 2. de interpellat. Job cap. 5. In cap. 6. Luc.
Lib. 5. Epist. 447.

❉ (o) ❉
❉

## §. IV.

### *Sæculi divitiæ suis non sunt honori possessoribus, sed oneri; ac dedecori, seu laqueo; propterea humanus in easdem affectus excutiendus, ne suis præstigijs eludat iisdem inhiantes.*

67. Divitias qui amant, se ipsos oderunt; quia pondera quærunt auri, vel argenti, quibus premantur, & opprimantur: non honestant, quæ congeruntur divitiæ, sed onustant; ut non honori, sed oneri sint suis possessoribus. Agnatum divitiis onus est, quia onerant opes, quæ honorare videntur, hinc scitè Minutius: *Dives es: sed fortunæ malæ creditor, & magno viatico breve vitæ iter non instruitur, sed oneratur.* Hoc in itinere peragendo divitiarum acervi suis sunt possessoribus impedimento, quò minus ad patriam perveniant, detinentur enim in via divitiarum oneribus pressi, nec celeres progrediuntur ad terminum. Hinc grandia patrimonia gravia dicuntur onera, quibus divites premuntur, & anguntur, ut innuit Seneca de consolatione ad Helviam inquiens: *Pecunia nihil ad animum pertinet, non minus quàm ad Deos immortales omnia ista, quæ imperita ingenia, & nimis corporibus addicta suspiciunt. Lapides, aurum, argentum, & magni, lævatique mensarum orbes terrena sunt pondera, quæ non potest amare sincerus animus* sincerus igitur non est, divitias qui amat, quia cœlo natus in cœno vult detineri: nititur anima in sublime ferri, quam tamen deorsum premunt congestæ divitiæ; & avarè possidentes opes, opus suum totum in iisdem servandis, custodiendisque impendunt, ibi enim cor ponunt, ubi opes reponunt, ut innuit Salvianus Massiliensis Episcopus inquiens: *Condentes profundis specubus infernas opes, simul pecuniam suam, & spem suam infodientes, secundùm illud Domini nostri dictum, ubi fuerit Thesaurus tuus, ibi erit, & cor tuum.*

In Octavio.
Cap. 11.
Lib. 2 ad Eccles. Catholic.

68. Invidentes igitur propriæ saluti animas proprias, quæ sursum innato instinctu nituntur, terrenis ponderibus, seu auri, argentive oneribus in terram premunt; siquidem mens thesaurizantis ibi tantùm quiescit, ubi thesaurus conquiescit; imò ibi premitur, & torquetur, ubi congestæ divitiæ ab ipsa longè non absunt. Quid ni, an non pondere pressus fatuus haberetur, si majora peteret pondera, quibus graviùs premeretur, iisdemque opprimeretur? sanâ mente nec donantur, qui divitijs affluentes, alijsque inhiantes congerendis; id unicè concupiscunt uberiori divitiarum copiâ gloriari, ac gravioribus congesti auri ponderibus premi: ab hac insanæ mentis nota vix se eximunt divi-

tijs

tijs affluentes, quosque divitiarum uberior copis in supetbiam erigit, ac in tumorem inflat: pudori potiùs suffundi deberent, quàm gloriari hisce oneribus premi, scitè Ugo Victorinus. *Quis non vanè glorietur ampliùs se cateris oneratum esse? hoc profectò divitia, hoc dignitates suis possessoribus solùm conferunt, ut quo ex ejs plus alijs accipere videntur, inde plus alijs onerati inveniantur:* hisce ponderibus prægravati minimè fuernnt Christi discipuli, de quibus S. Hieronymus ad Agerochiam ait: *Quòd non erant divitiarum sarcinâ pragravati*, & monet Exuperantium, ut nudus, & levis ad cœlum evolet, quia auri pondera alas deprimunt virtutum.

*Homil. 1. in Ecclesiast.*

*Epist. 11.*

*Epist. 35.*

69. Esse divitias oneri, noo honori, imò & impedimento nitentibus ad sublimia, nos edocuernnt primævi exorientis ecclesiæ fideles, qui Christum secuti terrena quæque reliquerunt, ne impedimenta ijsdem injicerent, & obices, ut monet Salvianos Massiliensis. *Plerique eorum hac habent, quasi exordia, & quasi incunabula conversionis sua, ut priùsquam limen sancta professionis introeant, de proprijs sibi facultatibus nihil relinquant, juxta illud Domini Nostri Vende omnia, qua possides, & da pauperibus, & sequere me. Illi itáque vocantem DEUM secuturi prius vendunt omnia, quàm sequantur: quia divitias onerum, ac impedimentorum loco esse ducentes, expeditos se non putant ad sequendum DEUM, nisi omnia prius carnalium sarcinarum impedimenta projecerint, simul ut more hominum commigrantium priùs ad locum habitaculi destinati res suas transferant, quàm se ipsos:* hæc deponamus pondera, ut sursum mittamur, ut in sublime nitamur.

*Lib. 4. ad Ecclesi. cap. 6.*

70. Non sunt divitiæ eas possidentibus levamini; sed ijsdem gravamini auri, & argenti pondera; quæ quò majora subeunt incrementa, eò perniciosiùs aggravant, premúntque possessores. A vers exulat felicitate, qui divitijs inhiat, quia tunc vitijs propensiùs indulget: perinde ac divitijs, & vitijs cognata, & perquam affinia insunt nomina; ita parùm videntur re ipsa distare, quæ divitijs, & vitijs congruunt; respondent integra ferè echone ultima primis, quia promptiùs divitiæ dicuntur in vitia degenerare, quibus saltem viam sternunt, ac emolliunt, dicitúrque propterea, plus divitijs inesse afflictionis, & vanitatis, quàm solatij, & felicitatis. Possederat plora pretiosissima Salomom, cui David exuens mortalitatem pro sola templi Jerosolimitani structura reliquit talentorũ auri centum millia, quæ computantur ducenti aureorum milliones: & argeoti mille millia talentorum, quæ tantundem computantur, una siquidem libra auri decem argenti libras valore æquabat: reliquit igitur David moriens Salomoni superstiti bis mille milliones, & quadringentos milliones aureorum, ut notat Cornelius à Lapide; & nihilominus candidè fatetur Salomon, se in universa sua opulentia nil aliud deprehendisse præter vanitatem, & afflictionem spiritûs.

*In Ecclesiast. part 3. c. 49.*

71. Da divitijs affluentem, qoi longè, latéque sine termino, & propemodum in infinitum exporrecta possideat rura; ædificia splendidissima, in quibus laudetur amplitudo, structura, ornatus, & universa supellex, quà auro illita, quà gemmis fulgida, ac unionibus, margaritísque distincta: Stagna maris instar io imensum effusa, ædificijs circumsepta, omnium piscium referta generibus. Colles vinetis, racemísque spumantes. Prædia culturâ, & feracitate felicissima. Sylvas pascua suppeditantes innumeræ pecudum multitudini. Palatia, quorum fundamentis tartara penetrent, & fastigia quasi propè Lunam protendantur, quorum parietes in extima facie nonnisi Alexandrina marmora vestiant Numidicis distincta crustis; vel silice pinso, atque contuso; aut cœmentis imbricatim dispositis, ars ad singularem communiat elegantiam. Quarum in atrijs æstuent fontes intra marmoreas concharum laxitates; vel saliant in cratere, è cujus labro caduci latices, veli instar tenuissimi, & æquè translucidi, ac pellucidi dimittuntur in subjectas piscinas, quas circum syphunculi plures expressi micent; vel ex varijs fistulis foras exilientes ad altitudinem nitantur originis; móxque recidentes in subjectum alveum grato labendi tumultu placidè obmurmurant Da divitẽ cui tota fermè domestica supellex argentea sit, vel etiam aurea, mensæ, vasa, sellæ, scrinia; da reprehendentem iniquissimas eorum querelas, qui nostram ætatem ferream esse lamentantur, cum affluat auro, argento: hunc tamen inter divitias suas trepidum incertæ cogitationis solicitudo discruciat, ne prædo vastet, ne percussor infestet, ne inimica cujusque locupletioris invidia calumniosis litibus inquietet. Huic nec cibus securè, somnúsque contingit; frequentia emittit in convivio suspiria, quamvis in gemma bibat; quinimò, epulis gravatus, vinóque madidus adhuc in thoro, mollique pluma vigilat, oec intelligit miser speciosa sibi esse supplicia, nec cognoscit auro se teneri alligatum, & possideri magis à divitijs, ac ijsdem affinibus vitijs, quàm possidere divitias.

Nulla igitur in divitijs felicitas, ut non immeritò Syllam felicem illum hermaphroditum post Africanum Bellum gloriosis se verbis efferentem præstrinxerit nescio quis optimatum, redargueritque, quomodo boni viri oomen potuerit assumere, qui modica in fortuna relictus à Patre, tot jam divitijs afflueret? quia nimirùm videtur opulentia telis armata aureis morum integritati bellum indi-

indicere, cùm enim pugnent opes armis argenteis, inermem virtutum aciem facilè expugnant, & prosternunt; adeò ut vix in eodem pectore valeant stativa locare virtus, & opulentia, cùm hæc interitum illius jugiter moliatur; hinc Lacedæmonius ille scitè divitias thesaurum edixit malorum, calamitatis viaticum, comitem improbitatis, vinculum injustitiæ; aureis siquidem nodis possidentium voluntates illaqueant, vinciúntque, & ad quæcunque pertrahunt flagitia. Non enim aurum lutósæ genitricis terreus fœtus potest nisi sordibus inficere Mydas illos, quorum pascit aviditatem. Neque aliud quàm opulentia Cæsarem, & Pompejum furialibus in exitium Reipublicæ facibus armavit, cum intestino odio excitârunt in civibus discordias, ac dissidia, quibus veluti dissecta matris alvo in patriam, & Rempublicam sævierunt.

73. Qui sapiunt, in auro laqueum cavent, & retia in divitijs, ne vitijs capiantur, quia ut monet S. Ambrosius, *laqueus in pecunia est, quo miserè irretiuntur, qui pecunijs inhiant.* Et de bono mortis, *Laqueus in auro, viscum in argento, nexus in prædio, clavus in amore. Dum aurum quærimus strangulamur: dum argentum quærimus in ejus visco hæremus: dum prædium invadimus, alligamur.* Plerósque ad laqueum adegit aurum, incidit præ cæteris Judas hunc in laqueum, qui auri amore possessus, laqueo vitam clausit, ut scitè notat Drogo Episcopus Ostiensis *de Sacramento Domini. eu Passionis*, ubi loquens de Juda ait: *Ecce infelix qualiter excæcatus est, maluit se ipsum perdere, quàm denarios perire. Denarios templo, se ipsum laqueo addixit. Amabat hæredes suos, qui eosdem denarios exinde colligerent. Projecit eos in templo, & abiens laqueo se suspendit. Jam diu erat quidem, quòd à Christo recesserat, & avaritiæ laqueo se suspenderat: sed quod fecerat in occulto, palam omnibus innotuit.* Utinam plures nostrum ævum Judas non haberet, qui avaritiæ laqueo irretiti, & divitijs præpediti, vitijs non illaqueantur. Hinc Apostolus monet suum Timotheum: *qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, & laqueum Diaboli*, quæ verba expendens, S. Ambrosius ait: *Advertis laqueum diaboli esse divitias, quem tetendit etiam Salvatori, ac ne mediocrem hunc laqueum putes, Judam Apostolum, laqueus iste strangulavit.* Laquei sunt divitiæ, quia misere capiunt in suum famulatum ijsdem inhiantes.

*Lib 4. in Lucam.*
*Cap. 5.*
*Serm. 1.*
*1. ad Timoth. 6.*
*In Psalm 118. oras. 14.*

74. Non solùm laqueus, sed & retia dixerim divitias, quia vitijs irretitur, qui divitijs augendis inhiat: hinc qui sapit exemplo Apostolorum hæc retia relinquit; ut præ cæteris alijs Severus, de quo ita scribit S. Paulinus, inquiens: *Cælestem Patrem anteverterat terreno parenti, exemplo Apostolorum Patre in navicula fluctuante; scilicet in hujus vitæ incerto, cum retibus rerum suarum, & implicatione patrimonij derelicto:* hisce retibus sinunt se homines præpediri, ac implicari, qui divitijs acervandis totam impendunt operam: & ita implicantur, ut explicare alas cogitationum nequeant, nec ad superna avolare; quia compedes, & vincula terrenis delitescunt in divitijs, quibus implicantur vitijs, & in imo detinentur, qui divitijs affluunt: hinc Nicetas Choniates in Manuele Comeno de Joanne Epiceno, ait, *Sed divitias perpetuò vinculis insolubilibus constrictas teneret, nec eas magìs in publicum prodire pateretur, quàm olim Danaëm Acrisius.*

*Epist. 1.*

Possident, ligántque avari suas divitias, sed miseriores ipsi possidentur, ligantúrque suis à divitijs; earúmque affinibus vitijs. Cùm vinciunt opes, vinculo vinciuntur ipsi cupiditatis; scitè Chrysostomus aurea sua eloquentia divitias carpit, inquiens: *Si divitijs fuerimus alligati, quomodo vincemus adversarios? Sunt enim manuum vincula his, qui divitijs, quas possident, uti nesciunt.* Ligari igitur se sinunt, qui congestas divitias in sacculis ligant, & eodem, quo divitias vinculo illigant, libertatem ipsi perdunt, congestis servientes divitijs, eorúmque cognatis vitijs. 75.

*Homil 13. in Epist 1. ad Corinth.*

Nemo ita desipiat, ut illigari velit, cum liber esse possit, nemo patiatur se hisce vinculis constringi, si servitutis jugum cupit excutere. Quisque in sublime adspirat, cupitque in cœlum avolare, necesse est, rejiciat hæc vincula, exuat crassas, ac ponderosas has compedes, quibus in imis detinetur; neque enim compede, sive aurea, sive argentea, aut etiam ferrea præpeditus sursum niti valet, ut scitè inquit S. Nilus. *Avarus in cælum conscendens huic similis est, qui pedibus suis vinculo constrictis currere conetur.* Pudeat hominem, quem natura, & gratia libertate donârunt sinere se hisce vinculis illigari, & miseræ servituti addici. Divitias ligare mentem avari, expertus fuerat Matthæus, cùm adhuc esset Publicanus teste S. Petro Chrysologo, qui ait: *Matthæum Publicanum divitiæ sic cupiditatis publicabant Magistrum, in fornace avaritiæ sic coquebant, sic alligabant vinculis cautionum, sacculorum ponderibus, sic premebant, ut levari ad innocentiam, ad justitiam surgere; ad virtutem progredi non valeret.* Cùm primùm verò hæc vincula disrupit, ab hisce ponderibus se sejunxit, & retia dilaceravit, liber factus ad justitiam illicò surrexit ex publicano, ad Apostolatum evectus. Ita est quisquis avaritiæ pulsatur stimulis, suis à divitijs, quas putat possidere, miserè possidetur, iisque famulatur, quæ in hominis usum, ac servitia à natura destinantur. 76.

*Orat. de avaritia.*
*Serm. 28.*

Legimus moris fuisse olim ut Rei, & nocentes aureis vinculis, catenisque argenteis vincierentur, ut eo locupletiores essent, 76.

sent, quò nocentiores; aò vinculis nitidiores, quò scelaribus fœdiores, hùc vocatur illud
*Lib. de habitu mulier. c. 7.* Tattullisni: qui loquens de populis, in quibus mos iste vigebat, ait, *qui auro vinctos in ergastulis habent, & divitijs malos onerant, tantò locupletiores, quantò nocentiores*, &
*Lib. de cultu fœmin. cap. 10.* innuans hunt aundam morem apud priscos ait; *Aurum ipsum, cujus vos gloria occupat, cuidam genti ad vincula fervire referunt Gentilium littera.* Non ita desipiant divitee, ut his vinculis, ac catenis appetant illigari. Quòd si tortores nlim vinculie, & catenie lagimus reos illigasse; quis non dicat, divitias divitum Tortores? cum suos vinciant possessores, torquaántqua, ut suspirent in convivija, vigilent in pluma, illachrymentur in risu, enguſtentur amplioribus in pletais? quia ut rectè observat S.
*Homil. in Psal. 48.* Chrysostomus. *Jam verò divitia sunt cortore acerbiores: Tortor enim corpus vincit, sed divitia animum vinciunt: vides illum vinctum, nec illius te miseret: illum propterea odi, quod vincitur; quod non necessitate, sed consulto catenam attraxit,* Imò non vinctis tantùm, & compedibus præpeditis, manibue ligatis reis, parec dicuntur divites; verùm atiam canibus tabidis, qui catenis vinciuntur. Divitum siquidem catenæ curæ sunt, & anguſtiæ, quibus opprimitur, qui anri ponderibus premitur, ut notat S. Nilus, inquiene:
*Orat. 3. de avaritia.* *Dives ærumnis, & molestijs impeditus, & canis instar est, quod si migrare compellatur, divitiarum memoriam, & dolorem inutilem tanquam gravem sarcinam circumfert, mærore stimulatur, animóque vehementer angitur*, quinimò canie unico solet vinculo ligari; dives verò pluribus circumligatur, quia quò plurae pecunias habat, eò pluribus curarum catanie constringitur, ut difficiliori sit farvituti addictus, ec rigidiori famulitio, rabido cane eò etiam infelicior, quò ditior.

78. Auri fulgor, argenti nitor, gemmarum splandor iridem raferunt axtima sui speeie; fallunt anim, quos habent ſpectatoras, à quibus sub specie risûs lachrymas extorqoent, ut lepidè tatigit Joannes Tollenariua, inquians:
*In cap. 2. eccles.* *Nihil est mortali conducibilius, quàm ut divitias instar iridis esse reputet, quæ vano splendore perniciem suam occultent, & spectantium oculos mox lachrymas datura fallant.* Quòd si Iris, cùm èn nuba ridet, pluvias spondet, ita ridantes in divitija, imbres mox sunt daturi lachrymarum: & sicut fucati sunt, at larvati, sau ficti, quoe Iria tolores exhibet; larvatas etiam dixerim divitias cum aliam speciam præseferant, à qna in ra omnino distant. Non donatur feliciteta, non efficitur gaudio, quisquis divitije effluit, aurique oneretur ponderibus: larvatuaeſt hic risus, ficte hæc felicites, quâ dives, quas in intimo pectora experitur curse, contegit, na alijs appareant; parlonatæ sunt divitiæ; personatíque divites, & fallitur, qui ex extima facia judicium da illis æstimat: Pulchrè ait Joannes Chrysostomus, *sicut Actores in scena Regum, ac Ducum personas, item Medicorum, ac Rhetorum, Sophistarum, ac Militum assumentes ingrediuntur, cum ipsi nihil horum sint: sic & in præsenti vita paupertas, & divitiæ nihil aliud sunt, quàm persona. In mundi theatro, si sedentes in scena spectes, ubi videris plures divites, ne putes verè divites esse, sed divitum objectos personas. Sicut qui in scena Regem, vel Bellis Ducem agit, frequenter est famulus eorum, qui ficus, aut Botros vendunt in foro: ita & hic dives crebrò pauperior est omnibus, quòd si detraxeris illi larvam, si conscientiam explices, & ingrediaris animum; multam illic offendes virtutis inopiam, comperiésque omnium esse hominum abjectissimum.* *Concione 6. de Lazaro.* Ex quo conjicirnt, divitias mœroris potiùs, & tristitiæ exhibare matariam, & divitias essa suie possessoribue, fletui potiùs, quàm risui: tametsi divitijs effluantes lætitiam ostandant; fucata tamen hæc est, cni larvam, si detraxeris, nomiſi curæ, solicitudines, molestiæ, angores intimis deprehanduntur in pectoribus, aò atriùs torquentee animum, quò cordis penetravit intimiora.

Nequa ingenerara possunt congestæ divitiæ genuinam lætitiam, cum tam dirè suos distorqueant possessores, at vitijs omnibus soleant viam sternera; adeò ut post Plutum, sequatur Venus, eíque luxuria auri pedissequa; tante enim est luxuriæ, & opulentiæ conjunctio, ut effluentes divitijs, vix à vitije præsartim carnie sint immunes. Etiam olim in templo ubi vasorum aureorum acervos, aureásque cortinas conspicimus latuisla, inibi Adonidem fuisse deprehendimus, immo nec latuit ibi Cupido, qui nudus lusit, & in summa rarum opulentia didicit lascivire: & quia nudus acriùs tunicatos; ac vestitos inflicto vulnera sauciavit. Non igitur mirum, si Venus comburat, quos Cupido trensfigit, Insidiatur nudus amor Paludatis, quoe statim despoliet, nec quisquam promptiùs nudatur grassante amore, quàm qui mollibus, duplicibúsque vestitur. 79.

Quis credat divitias spoliare suos possassores, eósque deprimere, non erigere: documanto est nobis Salomon, qui cum amissis ad Tharsos navibus. receptísque nateret in auro, sau affluaret divitije, in luto dejectus ast; quia vitije indulsit. *Rex antem Salomon adamavit mulieres alienigenas multas, filiam quoque Pharaonis, & Moabitidas, Jdumaas, & Sydoneas, & Zethaas*, ut legimus in sacris litteris. Ecce quàm infelix fuit Salomon in ipsa divitiarum felicitate, cum per gradua Gemonijs infeliciores in voreginem voluptatis, & vitiorum præceps ruerit! Primùm Regis filiam non cam procus, quàm 80. *3. Reg. 11.*

Prin-

indicere, cùm enim pugnent opes armis argenteis, inermem virtutum aciem facilè expugnant, & prosternunt; adeò ut vix in eodem pectore valeant stativa locare virtus, & opulentia, cùm hæc interitum illius jugiter moliatur; hinc Lacedæmonius ille scitè divitias thesaurum edixit malorum, calamitatis viaticum, comitem improbitatis, vinculum injustitiæ; aureis siquidem nodis possidentium voluntatea illaqueant, vinciúntque, & ad quæcunque pertrahunt flagitia. Non enim aurum lutosæ genitricis terreus fœtus potest nisi sordibus inficere Mydas illos, quorum pascit aviditatem. Neque aliud quàm opulentia Cæsarem, & Pompejum furialibus in exitium Reipublicæ facibus armavit, cum intestino odio excitârunt incivibus discordias, ac dissidia, quibus velnti dissecta matris alvo in patriam, & Rempublicam sævierunt.

73. Qui sapiunt, in auro laqueum cavent, & retia in divitijs, ne vitijs capiantur, quia ut monet S. Ambrosius, *laqueus in pecunia est, quo miserè irretiuntur, qui pecunijs inhiant.* (Lib. 4. in Lucam.) Et de bono mortis, *Laqueus in auro, viscus in argento, nexus in prædio, clavus in amore.* (Cap. 5.) *Dum aurum quærimus strangulamur: dum argentum quærimus in ejus visco hæremus: dum prædium invadimus, alligamur.* Plerósque ad laqueum adegit aurum, incidit præ cæteris Judas hunc in laqueum, qui auri amore possessus, laqueo vitam clausit, ut scitè notat Drogo Episcopus Ostiensis *de Sacramento Dominicæ Passionis*, ubi loquens de Juda ait: (Serm. 1.) *Ecce infelix qualiter excæcatus est, maluit se ipsum perdere, quàm denarios perire. Denarios templo, se ipsum laqueo addixit. Amabat hæredes suos, qui eosdem denarios exinde colligerent. Projecit eos in templo, & abiens laqueo se suspendit. Jam diu erat quidem, quòd à Christo recesserat, & avaritiæ laqueo se suspenderat: sed quod fecerat in occulto, palam omnibus innotuit.* Utinam plures nostrum ævum Judas non haberet, qui avaritiæ laqueo irretiti, & divitijs præpediti, vitija non illaquearentur. Hinc Apostolus monet suum Timotheum: (1. ad Timoth. 6.) *qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, & laqueum Diaboli*, quæ verba expendens, S. Ambrosius ait: (In Psalm 118. orat. 14.) *Advertis laqueum diaboli esse divitias, quem tetendit etiam Salvatori, ac ne mediocrem hunc laqueum putes, Judam Apostolum, laqueus iste strangulavit.* Laqui sunt divitiæ, quia misere capiunt in suum famulatum ipsdem inhiantes.

74. Non solùm laqueus, sed & retia dixerim divitias, quia vitijs irretitur, qui divitijs augendis inhiat: hinc qui sapit exemplo Apostolorum hæc retia relinquit, ut præ cæteris alijs Severna, de quo ita scribit S. Paulinus, inquiens: (Epist. 6.) *Cælestem Patrem anteverterat terreno parenti, exemplo Apostolorum Patre in navicula fluctuante; scilicet in hujus vitæ incerto, cum retibus rerum suarum, & implicatione patrimonij derelicto*: hisce retibus sinunt se homines præpediri, ac implicari, qui divitijs acervandis totam impendunt operam: & ita implicantur, ut explicare alas cogitationum nequeant, nec ad superna avolare; quia compedes, & vincula terrenis delitescunt in divitijs, quibus implicantur vitijs, & in imo detinentur, qui divitijs affluunt: hinc Nicetas Choniates in Manuele Comeno de Joanne Epiceno, ait, *Sed divitias perpetuò vinculis insolubilibus constrictas teneret, nec eas magis in publicum prodire pateretur, quàm olim Danaëm Acrisius.*

Possident, ligántque avari suas divitias, sed miseriores ipsi possidentur, ligantúrque suis à divitijs; eatúmque affinibus vitijs. Cùm vinciunt opes, vinculo vinciuntur ipsi cupiditatis; scitè Chrysostomus aurea sua eloquentia divitias carpit, inquiens: *Si divitijs fuerimus alligati, quomodo vincemus adversarios? Sunt enim manuum vincula hæ, qui divitijs, quas possident, uti nesciunt.* Ligari igitur se sinunt, qui congestas divitias in sacculis ligant, & eodem, quo divitias vinculo illigant, libertatem ipsi perdunt, congestis servientes divitijs, eorúmque cognatis vitijs. 75. (Homil. 13. in Epist. 1. ad Corinth.)

Nemo ita desipiat, ut illigari velit, cum liber esse possit, nemo patiatur se hisce vinculis constringi, si servitutis jugum cupit excutere. Quisque in sublime adspirat, cupitque in cœlum avolare, necesse est, tejiciat hæc vincula, exuat crassas, ac ponderosas has compedes, quibus in imis detinetur; neque enim compede, sive aurea, sive argentea, aut etiam ferrea præpeditus sursum niti valet, ut scitè inquit S. Nilus. *Avarus in cælum conscendens huic similis est, qui pedibus suis vinculo constrictis currere conetur.* Pudeat hominem, quem natura, & gratia libertate donârunt sinere se hisce vinculis illigari, & miseræ servituti addici. Divitias ligare mentem avari, expertus fuerat Matthæus, cùm adhuc esset Publicanus teste S. Petro Chrysologo, qui ait: *Matthæum Publicanum divitiæ sic cupiditatis publicabant Magistrum, in fornace avaritiæ sic coquebant, sic alligabant vinculis cautionum, sæculorum ponderibus, sic premebant, ut levari ad innocentiam, ad justitiam surgere; ad virtutem progredi non valeret.* Cùm primùm verò hæc vincula disrupit, ab hisce ponderibus se sejunxit, & retia dilaceravit, liber factus ad justitiam illicò surrexit ex publicano, ad Apostolatum evectus. Ita ast quisquis avaritiæ pulsatur stimulis, suis à divitijs, quas putat possidere, miserè possidetur, usque famulatur, quæ in hominis usum, ac servitia à natura destinantur. 76. (Orat. de avaritia.) (Serm. 28.)

Legimus moris fuisse olim ut Rei, & nocentes aureis vinculis, catenisque argenteis vincierentur, ut eo locupletiores essent, 76.

sent, quò nocentiores; eò vinculis nitidiores, quò sceleribus fœdiores, huc vocatur illud Tertulliani: qui loquens de populis, in quibus mos ista vigebat, ait, *qui auro vinctos in ergastulis habent, & divitijs malos onerant, tantò locupletiores, quantò nocentiores*, & innuens hunc eundem morem apud priscos ait: *Aurum ipsum, cujus vos gloria occupat, cuidam genti ad vincula servire referunt Gentilium littera.* Non ita desipiant divites, ut his vinculis, ac catenis appetant illigari. Quòd si tortores olim vinculis, & catenis legimus reos illigasse; quis non dicat, divitias divitum Tortores? cum suos vinciant possessores, torqueántque, ut suspirent in convivijs, vigilent in pluma, illachrymentur in risu, angustentur amplioribus in plateis? quia ut rectè observat S. Chrysostomus. *Jam verò divitiæ sunt tortore acerbiores: Tortor enim corpus vincit, sed divitiæ animum vinciunt: vides illum vinctum, nec illius te miseret: illum propterea odis, quod vincitur; quod non necessitate, sed consulto catenam attraxit;* Imò non vinctis tantùm, & compedibus præpeditis, manibus ligatis reis, pares dicuntur divites; verùm etiam canibus rabidis, qui catenis vinciuntur. Divitum siquidem catenæ curæ sunt, & angustiæ, quibus opprimitur, qui auri ponderibus premitur, ut notat S. Nilus, inquiens: *Dives ærumnis, & molestijs impeditus, & canis instar est, quod si migrare compellatur, divitiarum memoriam, & dolorem inutilem tanquam gravem sarcinam circumfert, mœrore stimulatur, animóque vehementer angitur*, quinimò canis unico solet vinculo ligari; dives verò pluribus circumligatur, quia quò plures pecunias habet, eò pluribus curarum catenis constringitur, ut difficiliori sit servituti addictus, ac rigidiori famulitio, rabido cane eò etiam infelicior, quò ditior.

*Lib. de habitu mulier. c. 7.*

*Lib. de cultu fœmin. cap. 10.*

*Homil. in Psal. 48.*

*Orat. 3. de avaritia.*

78. Auri fulgor, argenti nitor, gemmarum splendor iridem referunt extima sui specie; fallunt enim, quos habent spectatores, à quibus sub specie risûs lachrymas extorquent, ut lepidè tetigit Joannes Tollenarius, inquiens: *Nihil est mortali conducibilius, quàm ut divitias instar iridis esse reputet, quæ vano splendore perniciem suam occultent, & spectantium oculos mox lachrymas datura fallant.* Quòd si Iris, cùm in nube ridet, pluvias spondet, ita ridentes in divitijs, imbres mox sunt daturi lachrymarum: & sicut fucati sunt, ac larvati, seu ficti, quos Iris colores exhibet; larvatas etiam dixerim divitias cum aliam speciem præseferant, à qua in re omnino distant. Non donatur felicitate, non afficitur gaudio, quisquis divitijs affluit, aurí que oneratur ponderibus: larvatus est hic risus, ficta hæc felicitas, quâ dives, quas in intimo pectore experitur curas, contegit, ne alijs appareant; personatæ sunt divitiæ; personatique divites, & fallitur, qui ex extima facie judicium de illis æstimat: Pulchrè ait Joannes Chrysostomus, *sicut Actores in scena Regum, ac Ducum personas, item Medicorum, ac Rhetorum, Sophistarum, ac Militum assumentes ingrediuntur, cum ipsi nihil horum sint; sic & in præsenti vita paupertas, & divitiæ nihil aliud sunt, quàm persona. In mundi theatro, si ludentes in scena spectes, ubi videris plures divites, ne putes verè divites esse, sed divitum objectos personis. Sicut qui in scena Regem, vel Belli Ducem agit, frequenter est famulus eorum, qui ficus, aut Botros vendunt in foro: ita & hic dives crebrò pauperior est omnibus, quòd si detraxeris illi larvam, si conscientiam explices, & ingrediaris animum; multam illic offendes virtutis inopiam, comperiésque omnium esse hominum abjectissimum.* Ex quo conjicitur, divitias mœroris potiùs, & tristitiæ exhibere materiam, & divitias esse suis possessoribus, fletui potiùs, quàm risui: tametsi divitijs affluentes lætitiam ostendant: fucata tamen hæc est, cui larvam, si detraxeris, nonnisi curæ, solicitudines, molestiæ, angores intimis deprehenduntur in pectoribus, eò acriùs torquentes animum, quò cordis penetravit intimiora.

*In cap. 2. eccles.*

*Concione 2. de Lazaro.*

Neque ingenerare possunt congestæ divitiæ genuinam lætitiam, cum tam dirè suos distorqueant possessores, ac vitijs omnibus soleant viam sternere; adeò ut post Plutum, sequatur Venus, sitque luxuria auri pedissequa; tanta enim est luxuriæ, & opulentiæ conjunctio, ut affluentes divitijs, vix à vitijs præsertim carnis sint immunes. Etiam olim in templo ubi vasorum aureorum acervos, aureásque cortinas conspicimus latuisse, inibi Adonidem fuisse deprehendimus, immo nec latuit ibi Cupido, qui nudus lusit, & in summa rerum opulentia didicit lascivire: & quia nudus acriùs tunicatos; ac vestitos inflicto vulnere sauciavit. Non igitur mirum, si Venus comburat, quos Cupido transfigit. Insidiatur nudus amor Paludatis, quos statim despoliat, nec quisquam promptiùs nudatur grassante amore, quàm qui mollibus, duplicibúsque vestitur. 79.

Quis credat divitias spoliare suos possessores, eósque deprimere, non erigere: documento sit nobis Salomon, qui cum amissis ad Tharsos navibus, receptisque nataret in auro, seu affluerat divitijs, in luto dejectus est; quia vitijs indulsit. *Rex autem Salomon adamavit mulieres alienigenas multas, filiam quoque Pharaonis, & Moabitidas, Idumæas, & Sydoneas, & Zethæas*, ut legimus in sacris litteris. Ecce quàm infelix fuit Salomon in ipsa divitiarum felicitate, cum per gradus Gemonijs infeliciores in voraginem voluptatis, & vitiorum præceps ruerit! Primùm Regis filiam non tam procus, quàm 80.

*3. Reg. 11.*

Prin-

Princeps deperiit; postea accensam facem Hymenei Regni juri prætulit, & alienigenas thoro adscripsit. Obducebatur tunc insana libido studiô firmandi fœderis, ac voto illustrioris connubij. Et licèt ardere tœda non valeret exterorum nuptiarum, quin templi lampas extingueretur; Sanctuarij nihilominus nox illa tolerabatur tanti generis, ac clarioris connubij compensatione: libenter prætulit populus Reginam lucernæ Sanctuarij, & splendorem connubij templi Lychno. Verùm quia Salomon hâc nuptâ haud satur; ad Æthiopas etiam abripitur, ut non minus scelerum, ac fœminarum caligine etiam templum obumbraret, domúmque propriam obscuraret, cum fœminas Æthiopas Hierosolymas inveheret. Et quia quò quis plus indulget libidini, eò acrioribus urgetur stimulis ad alias; & alias transiit Salomon mulieres: *cui non una satis fœmina, nulla satis.* Imò & Numina, quibus flexo poplite obsequia præstitit: quia nimirum opulentiâ, & divitijs affluentes promptiùs ad deteriora fluunt, & aliena quærunt Numina, quibus miserè inserviunt, & ad id respexit David cùm dixit; *Adoraverunt omnes pingues terræ*, seu quotquot terrenis opibus abundant. Moris apud Athenienses referente Svida fuit, ut divites *pingues* vocarentur; & D. Augustinus divitias à pinguedine vix secernit: ait ipse: *Manducaverunt, & adoraverunt omnes divites terræ:* quia nimirum divites solent pinguescere, & ab effectu divites pingues dicuntur; idque conjicitur ex illo Zachariæ *Carnes pinguium comedet*, seu ut habet Chaldaica versio *substantiam divitum.*

*Psalm. 21.*

*Concion. 10. in Psal. 48.*

*c. 11.*

81. Veras qui cupit divitias possidere, affectu, & præsertim amore in divitias se spoliat; tunc enim eò fit liberior, quò pauperior, quia ut appositè loquitur Sanctus Laurentius Justinianus: *Nil perdit, qui se ipsum habet: dicit tamen querimoniosè, qui dilexit, & amisit temporalea: pecuniam perdidi; fortassis si non perdidisses, illa te perdidisset, felicem te dixerim, si cum illa avaritiam perdidisti, antequam tu haberes, alius illam perdidit; intellige tamen, quàm multis cupiditatibus via præcisa est. Dives enim in superfluitatibus resolvitur, à jactantia effrænatur, currit ad libitum, currit ad illicitum, & fiunt instrumenta pœnarum, quæ erant oblectamenta culparum. Labor in acquirendo, dolor in amittendo, timor in possidendo, mentem semper fatigat, sollicitat, & affligit.*

*Lib. de perfectiôna cap. 4.*

82. Divitias igitur plures comitantur sollicitudines, ac pericula; præsertim si avidè quærantur, & possideantur avarè; tunc adeò in amatores suos sæviunt, ut in graviora pericula eos conjiciant, & quò major est in easdem amor, eò majus imminet periculum: scitè Seneca de vita Beata: *Otiosi divitiis sudatis, nec prævidetis earum periculum sicut barbari plerumque inclusi, & ignari machinarum; segnes laborem obsidentium spectant, nec quò illa pertineant, quæ ex longinquo struuntur, intelligunt: idem vobis evenit: marcetis in vestris rebus, nec cogitatis, quot casus undique immineant, jamque pretiosa spolia laturi.* Sunt igitur divitiæ plenæ periculis, refertæ discriminibus, & vacuæ delicijs, exotæ gaudio, quia ut monet Augustinus: *Divitiæ illæ, quas putatis plenas esse deliciarum, pleniores sunt periculorum*; nullus igitur sanæ mentis sibi eblandiatur divitiarum affluentijs, quia qui dives est opibus, dives est etiam periculis, ut monet Lactantius: *An ignoras, quot periculis, quot casibus cum his malis opibus subjaceas?* nemo igitur credat se à periculis alienum, cum obruitur divitiis, quia tunc majus imminet periculum quò quis longiùs se à periculo distare autumat. Non caret periculo amor ditescendi, ut qui divitias quærit, periculis obviet, ubi enim quis incipit verè ditescere, incipit innocentiam negligere, & cùm inhiare incipit divitijs, vitijs itidem incipit indulgere. Scitè Sanctus Hilarius expendens pericula, in quæ se divites injiciunt ait: *Periculosum est velle ditescere, & grave onus innocentia subit incrementis opum occupata.*

*cap. 26.*

*Serm. 110. de tempore.*

*Lib. 7. cap. 12.*

*Cap. 19. in Matth.*

83. Quòd periculis obviet, qui divitijs inhiat, id etiam monumenta priscorum expresserunt: dracones enim olim custodiendis thesauris præficiebantur, ut perinde esset thesauros, ac dracones quærere, & acquirere, ut uno, eodemque itinere pericula Draconum, & opulentiæ divitias quærentibus obviarent. Quinimò draconis exercet munus is, in quem cupiditas divitiarum suas exerit vires, quia perinde ac draco vult & ipse custodiæ adjici divitiarum: qui enim divitias congerit, necesse est eas dracone vigilantior custodiat, ut vel ipsæ divitiæ multo labore congestæ, plurimóque sudore partæ suos torqueant possessores, quos etiam iisdem compellunt famulari. Germanorum hunc fuisse morem legimus, ut numis serram insculperent, ut hinc discerent possessores divitiarum, pecuniarum amore perinde cor secari, ac serrâ lignum, quia mentem diducunt numi, cùm amantur, soléntque perinde ac serra dividere, sejungere, ac separare, dividunt enim divitiæ amicos ab amicis, & plerumque etiam à Deo, cum facilè affluentes divitiis vitiis indulgeant, quibus ab honestamentis virtutum alieni à summo bono sejunguntur. Divitijs non re tantùm, sed etiam nomine cognata sunt vitia, ut pulchrè Eucherius in epistola Parenethica ad Valerianum *adeò quadam societas penes etiam nomina duabus his rebus vitijs, & divitiis.*

84. Latet in divitijs vitij nomen, utinam non etiam res: & sicut eo in animo ubi vitia stabulantur, necesse est virtutes exulent, proinde & vera lætitia; sequitur, verum gaudium divitias non pati, quia vix virtus, quæ veræ lætitiæ est genitrix, divitijs consocia-

sociatur, & ægrè cum iisdem cohærere probitatem censuit etiam Sylla, qui referente Plutarcho jactanti se cuipiam, quòd vir probus esset, respondit: *Qui possis tu probus esse? qui cum nihil à patre acceperis, nunc possides adeo multa*, innuit enim decrementa subire probitatem, si divitiæ crescant, si pluribus augeantur incrementis.

85. Quis verò modus servandus sit in divitijs; præscribi quidem potest, an verò sperari, non affirmârim, cùm & ipsæ divitiæ modum nesciant, & quò plures congeruntur, eò earumdem sitis acriùs acuatur, non absque detrimento virtutis, quia ubi desiderium ardet divitiarum cumulandarum, cinerescit disciplina, exarescunt virtutum flores, & extinguitur tota probitas; quia divitijs promptiùs consociantur vitia. Non tamen divitiæ ex se improbæ censendæ sunt, cum ex se mali quidquam non contineant, nec boni; sunique bona adiaphora, seu indifferentia, eò quia possimus ijsdem benè, vel malè uti, suntque bene utentibus veluti pennæ, quibus ad cœlum attolluntur; & malè utentibus pondera, quibus ad ima deprimuntur.

86. Sunt igitur divitiæ, quæ uberem suppeditant materiam æquè virtutis exercendæ, ac improbitati, & vitiis indulgendi. Plerumque scelera opes docent; hinc Apostolus scribens ad Timotheum ait; *Qui volunt divites fieri incidunt in tentationem, & in laqueum Diaboli, & desideria multa inutilia, & nociva, quæ mergunt homines in interitum:* quinimo etiam Servator ait; *Facilius est camelum per foramen acûs transire, quàm divitem intrare in Regnum Dei.* Vix id crederemus, nisi is diceret, qui nec falli, nec nos fallere potest, sed quis non credat, si is dicat, in quo nec dolus, nec mendacium esse potest. Qui igitur divitiis inhiant coacervandis, excludi volunt à Regno Dei, cum facilius sit, camelum per foramen acûs transire, quàm divitem intrare in Regnum Dei, unde vel debet dives transire cum camelo per foramen acûs, vel cum eodem desperare de Regno Dei, ex decretoria sententia illius, qui mentiri non potest. Sed quid ergo agendum? si divitiæ Majorum industriâ coacervatæ accesserint; an cum Philosopho abjiciendæ erunt omnes in mare? probanda non est mens hæc adeò indignabunda, sed si divitiæ accesserint; omni studio curandus est probus earundem usus, cum divitijs possimus etiam Regnum Dei nobis emere, ut nos monet Christus apud Lucam *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut cum defeceritis recipiant vos in æterna tabernacula.* Quòd si contractus emptionis venditorem obligat, ut quæ paratâ pecuniâ emimus, nobis tradat; venditores Regni Dei sunt manus pauperum januam cœli nobis aperientium, si manus pauperum eleemosynis impleamus, ipsi nos redimunt à noxis *Peccata tua eleemosynis redime, & iniquitates tuas misericordiis pauperum, forsan ignoscet delictis tuis.*

1. ad Timoth. 6.

Luca 18.

Luc. 16.

Daniel, 4.

87. Hinc si divitiæ facilè ad vitia viam emolliunt, rectus tamen earundem usus virtutum promovet culturam, si nimirum pauperibus erogentur, & quò majores affluunt opes, major excrescat munificentia: idque didicerat Sanctus Job, qui præ cæteris Orientalibus bonis affluebat temporalibus, ait enim *Si negavi, quod volebant, pauperibus, & oculos viduæ expectare feci: si comedi buccellam meam solus, & non comedit pupillus ex ea.* Non damnat Author sacræ historiæ in Jobo opes, & divitias, sed probum earundem usum commendat, eò quia stimulos addat virtuti: recensentur quidem in sacris paginis bona temporalia, quæ possederat, sed ut appendices, ut accessoria ad ipsam virtutem, quatenus Deus adeo est munificus in cultores virtutum, ut non sinat iisdem quidquam deesse. Utinam pluris probitas morum fieret ab hominibus, quàm pondera auri, & argenti? pluris censeretur splendor virtutum, quàm nitor gemmarum: pluris exercitium justitiæ, quàm acervatio pecuniarum: ditiores procul dubio fierent homines, quia patrimonio virtutum ditati. *Quid prodest arca plena bonis*, ait Augustinus, *Si inanis sit conscientia. Quid prodest diviti quod habet, si DEUM, qui omnia dedit, non habet:* adeo humanum judicium est corruptum, ut neglectâ virtute, posthabitâ probitate solas in hominibus divitias veneretur, & tanti faciat hominem, non quantum in se revera est; sed quanti eum faciunt æstimari bona, quæ possidet, divitiæ, quibus affluit.

cap. 31.

Serm. 10.

88. Non ita fuit S. Job, qui nihili faciens divitias, quæ illi inerant, soli virtuti adhæsit; plúsque studuit simplicitati, quàm cupiditati; plus justitiæ exercendæ, quàm desiderio thesauros coacervandi: & tamen procerum ætatis suæ potentissimus fuit, opibúsque exundavit; nimirum quia fortuna illi favet, qui virtutem fovet; eique est secunda, cui Religio est prima. *Erátque vir ille magnus inter omnes Orientales*, si quæras, quomodo vir iste describatur subdit Author historiæ sacræ: *Erat vir ille simplex, & rectus*, ideo rectus quia simplicitati, & rectitudinii opulentia famulatur. Non tamen Jobi opulentia limites excessit necessitatis ad illustrem familiam tunc temporis congruè sustentandam: ait sacer historicus, *Fuit possessio ejus septem millia ovium, & tria millia camelorum, & quingenta juga boum, & quingenta asinæ:* hisce potentissimi viri opulentia circumscribitur terminis, quorum nostris temporibus puderet virum quemlibet illustrem in ordine equestri; quis ex nobilibus non se pauperrimum diceret, si iis tantùm instrueretur opibus, quibus inter Orientales Job potentissimus habebatur, cui tamen nulla fuerunt signa, nullæ tabulæ, nullæ aulæa, nulla supellex aurea, & argentea, nec potaria gemmata, nec lances ex argento conflatæ, nec vasa ex au-

ro cum emblematis faberrimè cælata, aeque pictæ telæ, quæ fictis coloribus vera exprimerent æquè in floribus, quàm in plantis, brutis, & hominibus. Adeo enim opulentissimi illius temporis Principes horrebant speciem quamlibet,apparatúmque luxuriæ: ut ijs tantùm contenti essent, quæ natura suppeditaret. Oves tunc computabantur in censu, & boves,ac reliqua jumenta agris excolendis, vel fructibus comportandis apta.

89. Non legimus possedisse termas, vivaria, Theatra: contenti tunc erant Proceres ijs, quibus D. Paulus Apostolicam circumscripsit egestatem. Fuerunt quidem Jobo asinæ qningentæ, sed equus nullus, biga, & quadriga nulla; vel si habuit, ea Deus recensere noluit, vel quia superflua etiam viro Principi, vel quia viro justo minimè accommodata. Unde non mirum si vir rectus fuerit Jobus, cùm nihil obliqui, seu ad congruam sustentationem non necessarij possederit, omnémque fuerit superfluitatis pompam execratus; præterea quia licèt ei fuerint ovium septem millia, nusquam tamen de pascendis ovibus solicitus fuisse legitur, sed curam totam impendisse in expiandis filiorum maculis, ut documento foret patrifamilias, quem anxitudo augendæ pecuniæ exagitat, & nulla eum tangit solicitudo liberos excolendi, ac in cultura virtutum instruendi: *consurgensque diluculo offerebat holocausta pro singulis*, obtulit agnos ne à lupis dilaniarentur, seu vitiis deturparentur: hanc filijs pius Pater purpuram non marinis è fluctibus, sed agnino ex sanguine promebat cæsæ scilicet hostiæ. Effundebat victimarum cruorem, ne viri sanguinum fierent, quos voluit solo innocentiæ candore delectari. A truculentioribus liberos hostibus, seu allicientibus vitiis tuebatur sanctus pater, non pugnaci hastâ, sed sacro cultu; & ut ad uberiora semper virtutum assurgerent incrementa, voluit pro iisdem, ut DEO caderent plures agnorum centenæ victimæ: & quò inquinatiorem fuso cruore sacram intuebatur aram, eò mundiorem sibi domum fore augurabatur: quot mactandis agnis vulnera infligebat, totidem in filiis plagas obductum iri existimabat: hæc fuerunt studia reparandæ familiæ, instruendis liberis, excolendis virtutibus impensa; maluit in gregibus perdere, quæ in filiis inveniret. Non legimus parâsse filijs convivia ferculorum luxu ultra necessitatem instructa, quia verebatur, ne inter epulas DEUS offenderetur, & crimen expavescebat epulantium. *Ne fortè peccaverint filij mei:* crimina pertimescebat, ea scilicet, quæ latebant in ferculis.

90. Divitjis affluentes edocuit Jobus vir suo ævo opulentissimus, quomodo debeant uti divitijs, ne vitijs inficiantur; sed virtutibus excolendis fiant aptiores. Impendendæ sunt præstandis DEO obsequiis, levandisque pauperum miserijs, quod est amicos de mammona iniquitatis sibi comparare, ut in æterna nos recipiant tabernacula: invidentiâ plenæ sunt opes, maximarúmque offensionum refertæ; sed utrique malo una medetur munificentia: nemo siquidem liberali invidet aurum, quin potiùs apprecatur, ut cumulatiùs eodem ditescat: nec ulla fortunarum offensio legitur è liberalitate nata; cum ea sit hujus virtutis indoles, ut eorum amorem sibi conciliet, in quos se diffundit, & odia extinguat; imò ignorat liberalitas insidias, quas avaritia invenit; convitia non audit, quibus sordida parsimonia pulsatur; odia nescit, quibus infelix avaritia obstetricatur. Da divitijs affluentem, sed liberalem, & munificum in pauperes, in amicos, in quosvis opem ab ipso poscentes, & hic expers erit æmulationum, insidiarum, fraudum, & invidiarum, quibus solet passim avaritia obviare.

Amici, qui prodesse velint, nullâ meliori arte possunt comparari, quàm munifica bonorum largitione: non est timendum, eos velle nobis obesse, quibus prodesse studemus: qui commoda à nobis recipiunt, benè nobis apprecantur, suntque nobis auxilio, ut sibi consulant. Neque ex solo illustri genere parandi sunt amici; verùm etiam ex infima plebe, qui possint saltem bonum nomen tueri, & quos verecundia non terreat in tutelam, si gravior nata fuerit necessitas: hi enim etiam cum propriæ vitæ discrimine solent eum tueri, à quo noverint, se fuisse beneficijs cumulatos: hi è præteritis futura metiuntur, doléntque spem sibi eripi cum sperata pro possessis habeant: hinc totis viribus eos propugnant, defendúntque, à quibus beneficia, vel acceperunt; vel fore, ut sint accepturi, sperant. 91.

Cæterum divitibus supra reliquos concessa est prærogativa ad hominum animos licèt agrestes sibi comparandos; cum etiam ad Barbaros, hostésque conciliandos nil munetibus sit potentius, nil certius; adeò ut in manu divitum res consistant humanæ, quas ut libuerit, disponent, ac dirigent ad propriam salutem, si bene divitijs utantur: est rectus divitiarum usus, qui ad cœlum etiam divitibus viam aperit, emollitque, si in manus pauperum profundantur; est enim DEUS liberalis, atque munificus remunerator hujus profusionis, quapropter, invitat nos Christus ad possessionem cœlestis Regni per hanc profusionem: vicea enim agens pauperis ait: *Possidete paratum vobis Regnum; esurivi enim, & dedistis mihi manducare, sitivi, & dedistis mihi bibere; hospes eram & collegistis me; nudus, & cooperuistis me*; hoc est agnoscit DEUS à manu divite beneficium, quod cœlesti regno remuneratur. 92 Matth. 25.

X o X

§. V.

## §. V.

*Avara opulentia scelerum est supellex; & immodicus in divitias affectus aurum pluris æstimat, quàm animam, ac vertit in materiam criminis, occasionem virtutis.*

93. EO perrexit hominum in aurum, & argentum propensio, & affectus; eò vesana cupiditas, ut non secus, ac anima interdum ab aliquibus fiat pecunia, (Serm. 91.) ut notat Antiphanes apud Stobæum *de laude divitiarum* inquiens: *Argentum hominibus sanguis, & anima est. Id quisquis non habet, nec possidet, ille inter vivos mortuus obambulat;* cui adhæret Pindarus in Isthmicis (Hym. 2.) ubi pecuniam vocat vitam hominis; hinc ubi Avarus pecuniam effundit, propriam diffundit animam: testis avarus Judas, qui mordente, & urgente conscientiâ statim sanguinis pretium, quod in Christi iniquissima venditione collegerat, cùm primùm reddidit templo, animam exhalavit; ut disceremus, avari animam esse, vel pecuniam, vel pecunis hærere; cum vix avarus adactus pecuniam solvere statim cum pecunijs animam à corpore solutam evomat, ut scitè innuit sanctus Maximus homilia de Juda proditore inquiens: *Post redditum pretium laqueo se suspendit; ut qui se multaverat pecunia, multaret, & vita* subindicans avari animam pecuniam esse, cum una cum pecuniis privetur & vitâ. Quòd si avari anima pecuniarum est pedissequa, ibi præmittendæ sunt divitiæ, quò itura est anima, quæ cum fuerit à DEO condita, ut cœlesti donaretur beatitate; in cœlum sunt pecuniæ transmittendæ per manus pauperum. Qui avaritiæ pungitur stimulis, & quas possidet pecunias in terris abscondit, animam deprimit, non erigit, & è cœlo ob quod creata fuerat in cœnum detrudit. Hinc pulchrè Petrus Chrysologus alloquens hominem divitiis effluentem ait: (Serm. 22.) *Homo mitte, & præmitte thesaurum tuum in cælos, ne cœlestem animam demergas in terram, aurum de profundo terræ, anima ab excelsis cœli. Melius proinde est ad sedem animæ deferri animum, quàm in sepulchro auri anima demergatur.* Inserviat aurum animæ, non hæc famuletur auro, præmittantur pecuniæ, ubi itura est anima, non hæc detrudatur in ima terrarum, ubi aurum sua traxit natalia. (Matth.)

94. Pudeat hominem servire cœno cum fuerit cœlo conditus; pudeat sequi in ima terrarum metallum inanime, eique vinculo ferreo validiori, quia aureo colligari; pudeat auri amore, animam propriam negligere, ad ima detrudere, & etiam ad tartara demittere, ac æternùm amittere, pulchrè S. Ambrosius: *Non auro redimitur anima, non argento, imò auro amittitur, dum aurum plus æquo amatur, & quæritur.* (cap. 5. de bono mortis.)

Nil homini perniciosius auri amore, quo ad scelera quæque miserè trahitur, donec etiam ad patibulum pertrahatur. Quòd si avaritia homines perdit, interimitque; tandem & se ipsam enecat. In Juda Christum avaritia occidit, sed cum Christo etiam avaritia unà cum latronibus è cruce pependit: *Crucifixi sunt cum eo duo latrones: unus à dextris, & unus à sinistris* Matth. 27. Si quæras cur sole cum Christo crucifixo pependerit avaritia in latronibus? in promptu ratio est, quia sola avaritia in Juda proditore Christum crucifixerat: non homicida, non ebriosus, non adulter, non veneficus, non ariolus, sed Reptores auri, inhientes pecunijs, homines avari, res alienas sibi invito Domino usurpantes cruci affiguntur cum Christo; forsan ut discamus, quòd cum Christus avaritiam vel maximè oderit, & post aurum non abierit, sed paupertati fuerit semper addictus; quò avaritiam deleret in terris, abiturus ipse in cœlis, voluit cum ipsa crucifigi & mori, ne viveret amplius in terris avaritia: cum natus fuerit DEI filius Bethlemitico in stabulo, obstetricante paupertate, noluit Hierosolymitano in colle mori, nisi secum & ipse avaritia moreretur, quia noverat ex auri siti omnes in homine ita sitiente ægritudines oriri. Quamvis mori voluerit, ut omnia è mundo scelera amandaret; licèt sanguinem fuderit, ut quas per culpas contraximus sordes lavaret, nostrásque levaret iniquitates; solam tamen avaritiam, aurique sitim voluit secum extingui proprio sanguine, quem cum latronibus auro inhientibus effudit, ut reliqua vitia suum post funus perirent. 95.

Imò avaritia, vel ipsum sitivit supplicium, à quo sibi, & Apostolis eripi primùm doluit, & detrahi vestes, deinde vitam ipsam adimi, & ipsum spiritum intercipi sensit. Quòd si Calvariæ montem pio ascendamus affectu, & quotquot Christi funeri intersunt, lustremus, certè inter lachrymas fœminarum, inter singultus adstantium, inter gemitus spectantium, inter pectoris tonsiones, inter voces Centurionis, & inter naturæ umbras funereas suos parentantes creatori, solam deprehendimus ludere auri cupiditatem, solámque illudere, cum milites sortiantur inter se vestem, & avaritia in altero latrone blasphemet è cruce: adeò altiùs suas in terris radices fixerat avaritia, ut nec moritura in latronibus cum Christo, è terra potuerit evelli, cum adhuc pendente è cruce luderet in terris, & illuderet in patibulo. Tantæ fuerunt in terris avaritiæ vires, ut Christum 96.

semper fuerit infecuta cum in convivio non ungeretur, quia avaritiâ pungeretur, ob quam experitur in horto inter oscula laqueos, in cruce chlamydis sortionem, in sepulchro corporis venditionem: licèt quiesceret ibi mors, vigilabat tamen avaritis, ut sublatum Domini corpus à discipulis excubiæ mentirentur; & avaritia, quæ vitam Christo eripuerat, moliretur quoque immortalitatem eidem eripere post mortem debellatam. Ita est, DEI charitas, quæ de DEO ipso triumphat, avaritiam non vicit, neque emollivit, & quæ fugare potuisset Diabolum è corde Judæ, avaritiam non exclusit, quia peior dæmone, nec in oratione, nec in jejunio, imò nec in lotione, nec in cibo ejici potuit.

97. Nullum dixerim in mundo malum notari, quin avaritia eidem, vel vires suppeditaverit, vel incrementum dederit, ut sit avaritia vitiorum omnium (asserente Apostolo I. ad Timoth. 6.) venenosa radix, flagitiorum seminarium, & noxarum, fomes scelerum, fons putidissimus culparum, scaturigo calamitatum, delictorum propugnaculum, præcipitij origo, præsidium concupiscentiæ, nutrimentum ambitionis, domicilium malorum omnium, ac totius iniquitatis damnanda metropolis. Nullus mons tot spargitur sylvis, nulla sylva tot vestitur plantis, nulla planta tot luxuriantibus foliis capillatur, ut flagitijs noscitur circumlepta avaritia: hinc Chrysostomus *tolle pecuniarum studium, & omnia mala sublata sunt, conquiescet bellum, cessabit pugna; eliminantur hæreses, extinguuntur inimicitiæ.* Ut enim innuit Plato Avaritia mater est, & nutrix omnium motuum, turbarum, ac seditionum in Republica; qui enim hac animi peste corripiuntur, eo consilio simultates fovent, dissidia serunt, ut commotæ Reipublicæ in turbido expiscentur, résque suas augeant; tentavit id ipsum Catilina, & Cicero Marco Antonio id objecit. Eandem ob causam Pericles suscitavit contra patriam bellum Pelloponesiacum. Et ab hac putidissima radice pullulârunt frequentes illæ apud Græcos, & Romanos contentiones Agrariæ.

Homil. 17.

Lib. 4. de Republic.

98. Verùm cum sit avaritia tot in terris malorum origo, non tamen caret ipsa suo tormento; etenim inter alia supplicia, quibus olim Rei afficiebantur illud postremum haud erat, ut ad metalla eruenda destinarentur. Quidni, se ipsos nulla præcadente Judicis sententia ad hæc supplicia sponte damnant, qui avaritiæ inficiuntur vitio: eo enim amentiæ deveniunt, ut absque ulla mercede, absque alieno imperio metallis aggerandis se addicant, avidiùs aurum, argentúmve, vel in intimioribus terræ visceribus quærentes, quàm olim damnati ad metalla eruerent. Hoc tamen discrimine, quia avari, se ipsos ad metalla eruenda vel acervanda destinant; & cùm sub Ecclesiæ exordija SS. Martyribus daretur gloriæ in fidei testationem ad metalla damnari; avaris datur ignominiæ, in probitatis detestationem; & cum illi nobiles essent Christi purpurati; teterrimi sunt isti Diaboli candidati. Metallorum fossores sunt divites avari, qui non sibi, sed alijs laborant, ut scitè innuit S. Chrysostomus inquiens: *His similes sunt, qui metallorum operè traditi sunt: nullum enim illis emolumentum, nullas opes inde consequuntur: sed magno periculo, ac detrimento suo alijs laborant: nihil prorsus de sudore, ac labore, ac morte, quam plerumque obeunt, ad fructum suum inde convenientes. Hos igitur plurimi nunc imitantur, qui non sibi, sed alijs divitias congerunt.*

Homil. 50.

99. Verùm quod avarus congregat, hæres dissipat; & quod parcus servat, prodigus ore vorat; & quantò est avarus ditior, tantò est pauperior; quia ille pauper, cui plura desunt, & avaro omnia desunt; ideo pauperior, cùm longè plurima semper concupiscat, quærátque etiam in intimioribus exenteratæ telluris visceribus. Demum ait Seneca *Laborat sæculum nostrum non novis vitijs, sed jam antiquitùs traditis: nec nostra ætate primùm avaritia venas terrarum, lapidúmque rimata in tenebris malè obtrusa quæsivit: illi quoque majores nostri, quos celebramus laudibus, quibus dissimiles querimur nos esse, spe ducti montes ciderunt, & supra lucrum, sub ruina steterunt.* Quæ tanta spes fuit, quæ tanta necessitas hominem ad sydera erectum incurvavit, at defodit, in fundum telluris intimæ demersit, ut aurum erueret, non minori periculo quærendum, quàm possidendum? propter aurum cuniculos egit, circa prædam lutulentam, incertámque reptavit, oblitus dierum, oblitus naturæ melioris, à qua se avertit, nulli ergo mortuo terra tam gravis est, quàm istis supra quos avaritia urgens terrarum pondus injecit, quibus abstulit cœlum, quos in imo, ubi illud malum virus latitat, infodit; illò descendere ausi sunt, ubi novam rerum positionem, terrarúmque pendentium habitus, ventósque per cæcum inane experirentur; & altam, perpetuámque noctem; ut jam viventes in infernum descendant, discántque inferos metuere.

Lib. 5. natur. quæst. cap. 1.

100. Ita est, qui auri inhiat splendori, omni se abdicat nitore, & sordidus, illiberalis, hiulcus, miserrimè vivit; imò, & iniquissimè; aurum enim qui anhelat justitiæ obliviscitur, & in cœno sordescit improbitatis; extinctâ siquidem rationis luce, rejecto judicio, & consilio non ampliùs Deum veretur, sed aurum in terra semper pronus unicè colit; cui & labores consecrat, & cogitationes dedicat, sudorésque offert. Qui enim auro incubant, qui spem totam in lucro ponunt, qui divitiis coacervandis inhiant,

inhiant, nil loquuntur, quàm lucrum; nilve cogitant, quàm ex mutuatis pecunijs fœnus; utinam non etiam funus, cum dies, noctésque ducant insomnes, ut pro auro vivant; à quo non auram vitæ, sed feralem æternæ mortis umbram consequuntur. Unà cum pecunijs iniquitates congerit avarus, qui ob aviditatem pecuniarum nullum quæstum turpem putat, fraudat, decipit, aufert, eripit, sociósque expilat, & turpissimo vivendi generi prorsus deditus nullum dedecus, nullam infamiam veretur. Non tamen ob id extinguitur ejus sitis, nec expletur ejus cupiditas; quem enim auri desiderium tenet, is quantò majores opes acquirit, tantò plures semper concupiscit, & quò plura possidet, eò major accenditur in eo cupiditatis sitis, ut sentiat, se semper torqueri, sempérque secum habere tortorem.

101. Ut enim Cruciarij apud priscos Romanos suam deferebant crucem, cum & ipsi essent ab ea mox ferendi: ita sitientibus aurum, avarísque injustè agentibus hanc videtur ultor DEUS conscientiæ crucem imposuisse, in qua insatiatæ cogitationis stimulo agitati pœnas priùs luant, quàm ad pœnas ob delicta coarcervata cum divitijs iniquè congestis condemnentur; luunt siquidem pœnas, cum nullibi quiescere, nullibi tutò consistere valeant. Licèt divitijs affluant, opibúsque abundent, eas tamen plerumque Tantalo fugientia pocula captanti similes contrectare non audent. Balnestoris pariaveris asino ligna, & aquas deferenti, ut alii se lavent, cum ipse sordescat denigratus jugiter fumo. Vel si malueris Chio illi æquiparaveris, qui apud Plutarchum vinum, quod habebat generosissimum alijs vendebat, cum biberet ipse flocces, & vappam, adeo ut sciscitatus famulus, quid ejus Herus domi ageret, responderit: *In omni bonorum affluentia malum quærere.* An non hujus furfuris hominem illiberalem, sordidum, rapacem, hiulcum, Milvinis tantùm ungulis instructum, in conquisitis vitiorum sordibus, in cœno sordescentem avaritiæ exsibilares?

102. Hunc hominem sordidum, hiulcum, ac rapacem proprijs pinxit Theophrastus, coloribus inquiens. Cerne, ut loculos habet, situ obsitos, claves ferrugine illotas, oppletas araneis ædes, ut ipse capite est usque ad cutem, raso, ne sæpius tonsoris operâ indigeat: ut domi nudis pedibus obambulat, ne calceos deterat: citiùs ex pumice aquam, quàm ex eo elicueris beneficium. Agrum quotidiè inspicit, an limites eodem loco maneant immoti, ficum de suo hortu neminem gustare sinit, neminem per suum fundum transire, aut ullum pomum tollere, ignem in ædibus extingui jubet, ne quis corroget testula: & si quis fortè vicinorum (ut sæpe fit) cultrum, securim, pistillum, mortarium, aut aliquid simile utendum rogitet; fures venisse dicit, atque abstulisse. Porrò autem debita, si quis die præstituta non solverit, ut est importunus exactor, pœnam pro mora, atque adeò usuræ usuram solet exigere. Quid, quòd servos alit siliquis, & si quis eorum patinam, aut ollam fregerit, de ejus demenso tantùm detrahi jubet, quanti erat, quod fractum est? Quid; quòd uxor, si nummulum amiserit, domum evertit; omnem supellectilem, lectos etiam, atque capsas loco movet, & ancillis equleum, ni inveniant, minatur? Jam domi cum bruma est, riget frigore, & ne candelam accendat, felem circumfert, cujus oculis tanquam facibus illustretur: at cum populares convivio est excepturus, nec aliter fieri potest, diu ante pertentat macellum, pisces, agninam, vitulinam, porcinam, ne cara inveniat omnia. Tum vacuus rediens, secum inter eundum mussitat; festo die, ne quidquam expendat pecuniarum, satiùs ducit nil emere, ne sacrum diem violet: re demum cum uxore diu deliberata, decennem gallum gallinaceum jugulat ad geniale convivium, & pueris uncinatos pedes, cristámque de capite resectam largiens; capite hoc, inquit, & genium curate, quando semel prodigere oportet: Mox convocatis convivis, atque ijs epulantibus, tetricum quidpiam renidet, summis labris ridens, ac interim, quot quisque calices educit in convivio numerat, pene ad singulos ingemiscens. Hactenus Theophrastus.

Nullo deteriori, magísque lethali, potest homo morbo laborare, si avaritia corripiatur; estque morbus iste eò gravior, quò qui eo laborat, minus morbi sentit acerbitatem, ut rectè dixerit S. Isidorus Pelusiota. morbum esse sanatu perdifficilem, ait ipse: *Inexplicabilis est avaritia morbus, & ænigmati similis, & nonnisi ægrè sanari potest, nonnisi neces, & funera præsagit;* adeò ut plures avaritia occiderit. 103. Lib. 2. epist. 44.

Testis est Nabothus, possidebat hic vitiferum collem regijs conterminum prædijs; ad hunc injecit Achabus oculos, petítque sibi vineam, vel pretio dari, aut permutari cum alio fundo; eò quia velit apricum collem excisis vitibus, olerum, herbarúmque amænitate vestire. Nabothus verò, qui agellum avito dominio ad se transmissum sciret paterna hæreditate, negat sibi licitum esse per patria instituta fundum abalienare. Rapitur in furorem, spumátque rabie Achabus repulsam passus, præque animi ægritudine cibo, hominúmque consortio abstinet. 105.

Objurgat Jezabel imbecillitatem, ac timiditatem Achabi; quia nesciret regijs uti imperijs: scribit illicò ad eos, qui judiciariam potestatem in Israëlitas exercebant, literas nomine, & annulo Regis signatas, mandátque, prætextâ sceleri pietatis specie, ut edicatur publicum jejunium, quasi de 106.

gravi religionis negotio ageretur, convocatur seniorum, & optimatum consessus inter quos oderat Nabothus. Instituitur judicium, subornantur accusatores, adducuntur falsi testes, & innocens Nabothus læsæ Majestatis tum divinæ, tum regiæ Reus proclamatur; calumnijs opprimitur iñocentia, vi obruitur justitia, & Nabothus inauditus, ac indefensus morti adjudicatur, & lapidibus è vita, & suo agello exturbatur, & cum ipso occiduntur quadrigemini filij, ne superesset, qui Nabothi fundum hæreditario jure peteret ab Achabo. Quis Nabothum perdidit, nisi Achabi avaritia? *Venit Achab in domum suam indignans, & fremens*, 3. Reg. cap. 21. causa verò regij furoris alia non fuit, nisi quia Nabothus avitam tradere ei vineam recusaverat: tametsi non deessent Achabo colles ad omnem amænitatem consiti, vineæ vindemijs despumantes, adhuc Nabothi vineam concupivit; inexplebilis sanè est avaritia, cùm quò plura consequitur, eò plura semper appetat. Fuit avaritia internus tortor, qui animum excruciavit Achabi, cui nullam concessit quietem, donec Nabothi vineam suis adijceret cupiditatibus. Pulchrè S. Ambrosius libro de Nabothe carpit avaritiam. Cap. 2. *Inflammatur lucro avaritia, non restringitur. Quasi gradus quosdam cupiditas habet, quò plures ascenderit, eò ad altiores festinat, unde sit gravior ruina lapsuro.* Paucis interjectis subdit. *Rex Achab in Israël erat, & pauper Naboth, ille regni opibus affluebat, iste angusti soli cespitem possidebat: nihil pauper de possessionibus divitis concupivit; Rex sibi egere visum est, quia vineam habebat pauper vicinus:* quàm miserè indiget dives avarus, quàm abjectè mendicat, vineam angustis circumscriptam limitibus à paupere Nabotho petit, *da mihi vineam tuam*, 3. Reg. 21. quasi indigeret, exposcit sibi vineam donari, quasi aliud vivendi subsidium non haberet. Lib. de Naboth. cap. 2. Pulchrè S. Ambrosius expendens verba Achabi, *da mihi vineam tuam*, subdit: *Da mihi, quia egeo, da mihi, quia aliud vivendi subsidium habere non possum, da mihi, quia non est mihi panis ad victum, nummus ad potum, sumptus ad alimentum, substantia ad indumentum.*

106. Ita est avaritia, quos inficit non divites, sed pauperrimos efficit; argumento est Rex Salomon, qui quò blandior fuit mulieribus, eò asperior fuit populo Israëlitico, quem exactionibus Tyranno proprioribus, quàm Regi, exsuxit. Prodigus in mulieres, avarus in populum, cui pellem detraxit, cum aurum, & argentum corrasit, ut haberet, quod suas effunderet in Veneres: quid enim non exegissent tot delicatissimarum mulierum convivia, ludi, donaria, mundus muliebris, res vestiaria, ornatus gemmarum, cum vel ab una aure fœminæ soleat integrum pretium pendere opulentioris patrimonij? quas non absorbuerunt divitias septingentæ Reginæ, seu uxores primariæ regia oriundæ prosapia, quarum singulis si pro comitatu pedissequas adijciamus, & ancillas ornatrices cum numero fœminarum excrescunt sumptus. Præter hunc uxorum primarum, famularumque cœtum erant Salomoni etiam trecentæ concubinæ, seu uxores secundariæ, quæ nec dominæ erant, nec prænobiles, sed quasi proletariæ, & propagandæ tantùm sobolis causâ quæsitæ, quibus si suae concedamus ancillas, & famulas crescit ad pleniorem numerum sequioris sexus exercitus, totum exsugens ærarium, adeò ut indiguerit Salomon; perque fas, & nefas aurum extorqueret, ac divitias congereret, quibus suam expleret libidinem: & quia avarus fuit Salomon in populum, ut prodigus esset in mulieres, eò redactus est inopiæ; ut qui annuis reditibus sex auri milliones ex oleo, vino, frumento habuit, præter tot insuper vectigalia, indictiones, tributa, collectas, dona; adhuc laborante ærario populum acerba vexatione contributionum, manúque avarissima flagellaverit; & quem inexplebilis libidio prodigum in mulieres habuit; turpis avaritia pauperem in populum effecit, quia ut rectè Hieronymus. *Multis paupertatis, & indigentia occasio est avaritia:* In Sermonib. quos avaritia divitijs cumulat, pauperes constituit,

Utinam solam induceret avaritia paupertatem, sed pejorum est etiam causa malorum, 107. Acciri huc potest Acham, qui avaritiæ morbo infectus furtivam prædam absconderat. Tam Dei, quàm Josuë interminatione severè fuerat interdictum, ne quis de Urbe anathemati subjecta, funditúsque delenda quidquam sublegeret, sibique usurparet. Justum mandatum infregit Achani militis avaritia: hic siquidem in direptione Jericuntis conspicatus inter spolia chlamydem purpuream auro intextam, laminam insuper auream, seu regulam quinquaginta aureorum surripuit: quidni? unius delictum totum verberavit exercitum, & omnia castra sceleris contagione involvit, ac divinæ subjecit vindictæ. Miserat Josuë ad expugnandam Haiam pulcherrimam tunc temporis Montanam Urbem, frequentiâ civium, & copiâ divitiarum opulentissimam, tris pugnatorum millia: negârunt siquidem pluribus opus esse, qui locum exploraverant: hi verò dum aggressionem moliuntur, prorumpit ex urbe statim miles, & perterritos in fugam vertit, interfecitque ex fugientibus tres supratriginta: cùm primum in castra pervenit nuntius susceptæ fugæ, & cruentæ cladie longè majoris, quàm revera fuerit cæsorum numerus, mœstitudine totum explevit exercitum, ratum ea se regione potitum, & exercitum, ut DEUS promiserat, evasurum illæsum: hæcque causa fuit, cur Josuë in luctu, & squalore, lachrymisque DEUM enixim rogaret, ut suam dignaretur opem ferre, cui responsum fuit cruentæ cladis causam fuisse sacrilegium militis, quod totum polluit exercitum ob violatam religionem.

Pul-

Pulchrè S. Ambrosius avaritiam soli opponit, qui jubente Josue stetit, quò caderet Amorrhæus. *Vide quantam adferat mali effrenis avaritia. Jesu Nave, qui potuit solem sistere, ne procederet: avaritiam hominis non potuit sistere, ne serperet. Ad vocem ejus sol stetit; avaritia non stetit. Sole igitur stante confecit Jesu victoriam, avaritia procedente penè amisit triumphum.* Neque Achan, cujus avaritia totum polluit exercitum, inultus fuit dimissus, sed lapidatus cum filijs, rogo injectus. Sed quo jure peccante patre plectuntur filij, & filiæ? cum DEUS dicat: *Filius non portabit iniquitatem patris*, sed puniuntur cum patre filij, quia Achanis filij, & filiæ grandiores paterno furto consenserant: nec luunt liberi delictum patris fato functi, sed adhuc viventis, & videntis, ut in filijs acriùs puniretur & pater, cujus supplicium eò esset gravius, quò plus doloris hauriret ex filiorum occisione.

Lib. 1. offic. cap. 36.

Ezech. 18.

108. Fortiùs hæret avarus auro, quàm magnes ferro; evelli ab hoc facilè potest lapis; sed non citra vitæ discrimen ab auro avarus. Symbolum avari fuit in mare piscis, qui staterem aureum deglutivit, & à quo jussit Christus extrahi: *Vade ad mare, & mitte hamum: & eum piscem, qui primus ascenderit, tolle, & aperto ore ejus invenies staterem: illum sumens da eis pro me, & te*; aurum deglutivit piscis Symbolum avaritiæ, & adeò tenaciter eidem adhæsit, ut debuerit ferrum in eundem desævire; ascendit quidem piscis, sed ferreo homo extractus; & postquam ferrum deglutiit, adhuc aurum non evomuit; sed obstructum os piscis adigitur Petrus diducere, nec sine conatu aperire. Adeo pisci, vel morituro carius erat aurum, quàm vita, ut marinis è fluctibus violentiâ ferri extractus, & in littore palpitans spiritum promptiùs emitteret, quàm staterem. Ecce quâ violentiâ extorquetur pecunia ab avaro. Non homines tantùm pulsant avaritiæ stimuli, sed etiam bruta animantia torquent; apiculas videmus lecta florum odoro sinu mella stipare; & bombices folijs saturos viscera effundere in sericum; ac Elephantos dimitti edentulos, postquam in ejus faucibus ebur adolevit.

Matth. 17.

109. Nullum adfert aurum genuinum avaro gaudium cum suos aurum, vel torqueat, vel interimat possessores; quia affluentes divitijs licèt ridere extimo ore videantur, fucata est lætitia, larvatus risus, ut scitè notat S. Hieronymus, expendens verba illa. *Væ vobis divitibus; quia habetis consolationem vestram*, advertir, non dici simpliciter consolationem, sed consolationem vestram, quia avarorum bona non dicuntur simpliciter bona, sed diminutivè bona avarorum, eò quia ipsis duntaxar bona esse videantur, cum Apostolus Paulus, qui larvam ijsdem detraxit, stercora esse deprehenderit. Non igitur consolationem simpliciter dicuntur divites habere, sed consolationem suam, scilicet somniatam, fucatam, & larvatam; est hujusmodi consolatio deaurata; quod autem auro oblinitur, venustum per se non est, cum suffragio alienæ pulchritudinis venustetur.

In comment. super Isaiam.

Tantùm abest, ut divitijs affluentes vero gaudio diffluant, ut potiùs ab eo exulent extorres; reique firmandæ opportunum est, quod de paupere quodam circumfertur; hic cum victum suis manibus arte quæreret, tranquillam, & curarum omninò expertem visus est vitam duxisse, sorte sua contentus; imò & in sua paupertate divitijs animi abundare, cum manè lætus antelucano cantu latentem in corde veram lætitiam exprimeret. Dynastes nescio quis experturus, num aurum gaudium induceret, vel extingueret, aliquot auri nomos in domum pauperis, sed læti injecit: quidni invenir pauper pavimentum sui tuguriolî pluribus disseminatum aureis: non tamen potis fuit tellus illa aureo hoc semine sata veram progerminare lætitiam, cùm pauper ille statim in aureis illis spinas legerit, quæ ejus animum pupugerunt multiplici curarum stimulo: cœpit, quis illos injecisset secum cogitare; quis postet injectos aureos tutiùs custodire, & in quæ utiliùs eos impendere: & demum eò res abijt, ut multiplici curarum, ac solicitudinum ligatus vinculo, solvere ampliùs in cantum linguam non posset, nec labra diducere lætitiæ per cantum exprimendæ: ubi in pauperie serenitas frontis totum vultum exhilaverit; subeunte mox auri splendore tristitiæ nube obductus, omnem abegir hilaritatem. Idque ubi Dynastæ innotuit, accersiri hominem jubet, interrogátque, cur ampliùs non caneret: diu veritatem studuit ille subducere, sed tandem adactus veritatem aperuit, fassus ingenuè ab injectis in suam domunculam aureis sensisse sibi abripi lætitiam omnem; & plures curas ejus menti statim affricavisse: Didicit Dynasta à paupere illo aurum veram lætitiam non efficere, sed inficere; & nomos æquè arcam gravare, ac cor, & mentem possidentis aggravare. Deprimunt enim auri, argentive pondera, non alleviant corpus possidentis, ut discamus flocci facere divitias, & bona temporalia, cum moneamur *Luca 6.* Auferenti nobis vestimentum non prohibere etiam tunicam: neque merentur Christiani nomenclatione insigniri, qui acquirendo auro tam ardenter inhiant, ac si plena essent beatitate donandi; cum tamen auri custodia torqueat; ejus nitor cæcitatem inducat; ejus possessio nonnisi solicitudines, & spinas producat. 110.

Sunt enim divitiæ spinæ, quæ acriùs pungunt, quia blandiùs alliciunt; nec veram possunt propterea lætitiam invehere. Sinceri gaudij symbolum ficus ponitur, eò quia fervandæ dulcedinis desiderio ultro oblatum sibi ab alijs arboribus regnum constanter repudiavit; 111.

pudiavit; nimirùm ut nos doceret veræ lætitiæ dulcedinem minimè ex aureo sceptro, ex gemmea corona, nec ex congestis opibus sperendam. Amant nihilominus, qui stimulis pulsantur avaritiæ divitiarum spinis dilacerari, ut delicijs, perinde ac divitijs diffluant, putantes posse ficus è tribulis colligere, uvásque è rubis; sed falluntur, cum sub larva deliciarum lateant spinæ, quæ lancinant; falluntur, qui racemos è spinis, non vulnera, & dolores, se posse colligere autument. Ite est, ait D. Augustinus: *Cum avaritia alicui dominatur, subjectum malis omnibus demonstratur, quia de avaritia mala omnia oriuntur, & peccatorum omnium spina producuntur.* De lib. arbit.

112. Minus avari non delicias ex auro colligunt, sed dolores, non vitam hauriunt, sed spiritum exhauriunt: assuetæ manus avari pecunijs acervandis, ungues rapaciorum milvorum nutriunt, quibus non sanguinem tantùm, sed & vitam abripiunt: hæcque ratio, cur Salvator diceretur traditus in manus hominum: *futurum est, ut tradatur in manus hominum.* Sed cur potiùs non diceretur filius hominis hominum pedibus proterendus, vel oculis deridendus, vel labijs blasphemandus, vel convicijs pulsandus, vel immanitati tradendus; cur non diceretur; filius hominis subijcietur imperio hominum condemnandus, potentiâ crucifigendus, spinis coronandus, flagellis cruentandus, & clavis vulnerandus, affligendúsque crucis ligno? Sed letiùs fuit dixisse *futurum est, ut tradatur in manus hominum*; scilicet in manus avaritiæ, cujus manus hominum sunt instrumentum. Proprium erat avaritiæ pecunies coacervare cupiditati; & divinitati parare tormenta: sicut radix malorum omnium est avaritia, ac putidus totiùs iniquitatis fons primarius; ita qui scaturivit ab hoc fonte rivulus, mors fuit Salvatoris, & ideo dicitur, *futurum est, ut tradatur, in manus hominum*, quia perinde fuit, ac si diceretur, futurum est, ut morti addicatur, quia manus hominis fuit, quæ nummos numeravit, & piissimum, ac innocentissimum JESUM furentibus satellitibus tradidit, nec ulli ex membris alijs tribui potuit tam attrox facinus, quàm manui, quæ avaritiæ famulatur, non enim sine pecuniæ interventu, sine avaritia suggerente Christi proditio suum posuit initium: imò & Pontifices ab promptiùs Christum morti addixerunt, quia templo, sibique decimas imminuendas esse ob Christi doctrinam, timuerunt, fuit igitur avaritie, quæ JESUM prodidit, vendidit, & crucifixit.

113. Extorram nostris è laribus dimittamus hanc Mægeram, quæ nonnisi spines, vulnera, & necem molitur. Auri, argentique pondere abijciamus, si aggravent, si per manus pauperum viam nobis ad cœlestem patriem non aperiant, sternántque: vult enim Christus suos sectatores contentos esse solo quotidiano pane, cum docuerit eos orare *panem nostrum quotidianum, da nobis hodie:* mendicos enim vult Dominus asseclas suos esse, quos quotidia voluit egere pane. Videant qui congestis divitijs affluunt, qui congregant in horrea non ad unam, vel alteram hebdomadam, sed ad plura lustra, num à Christo addiscere possint, hunc orandi modum: *panem nostrum quotidianum da nobis hodie*, cùm eorundem opulentia horreorum, integrum posset ad plures menses exercitum alere. Redarguentur, qui panes, quibus ebundant, petentibus esurientibus denegant, cum divite illo Evangelico; qui nocte intempesta pulsanti ostium amico petitos recusavit panes, inquiens: *Noli mihi molestus esse, jam ostium clausum est, & pueri mei mecum sunt in cubili, non possum surgere, & dare tibi.* Luc. 11. Sunt qui pueros istos, non filios interpretentur, sed famulos. Quòd si famuli erant, quàm feriò heris plerisque inhumana prorsus avaritia exprobratur! præfert paterfemilias servorum quietem amici pulsantis indigentiæ: proh dolor, ut ludo, vel choræis tempus prodigatur, jubentur famuli, & ancillæ noctes integras insomnes ducere, qui dormire sinuntur ad virtutis exercitium.

Certè avaritiæ fuit, repulisse amicum noctu: ne pueros excitaret, abitum indixit esurienti amico: quid hac excusatione insulsius? ergóne ad propria obeunda munera non sunt famuli è somno excitandi? ergo non sunt famuli vocandi, ut amicorum consulent necessitati, sed tantùm cum propriæ indulgent iniquitati? Non puerorum somnus, sed vigilantis avaritiæ inhumanitas panem esurienti amico negavit; cum clamor petentis, & ira denegantis, aptiores fuerint quieti amovendæ, quàm clandestina è culcitra surrectio, & panis è fenestra in plateam demissio. In domo avari cœtus famulorum, & ancillarum non excitetur jurgijs, pulsatione, & repulsis, sed sola panis exporrectione, cùm præcesserint jurgia inter Patremfamilias, & pulsantem amicum, confabulationes, & repulsæ, & tandem denegata fuerit panis exporrectio, ne pueri expergefierent; hoc est in domo avari, non turbatur somnus clamoribus, nec jurgijs, sed sola panum distributione. Videat avarus, quomodo panem suum quotidianum à cœlesti patrefamilias exposcat, cum panem suum deneget ipse amico esurienti, noctúque pulsanti ostium. 114.

115. Perperam sibi consulit, qui studio opum augendarum avaritiæ inservit, torpitérque in ejus famulitio insordescit: non avaritia dat opibus incrementum, sed splendida munificentia, distributio panis in esurientes amicos; idque nos edocuit Christus *Luc. 9.* Cùm assumptis Discipulis secessit seorsum in desertum, qui est Bethseidæ, ubi paucos, qui superarant panes esurienti turbæ jussit impertiri; cùm enim edessent ferè quinque millia hominum, & Discipuli rogassent JESUM, ut turbes dimitteret, quò sibi victum com-

compararent in oppidis eremo illi adjacentibus, eò quia nonnisi duo pisces, & quinque panes Apostolis supererant ad levamen, jussit eos distribui. Pane tantùm, & pisce vescuntur Christi Discipuli in deserto, quia eremi asperitas epularum delicias non patiebatur, non enim id ex paupertate contigit, sed ex parsimonia, cùm non defuerint pecuniæ ad lautiores, & delicatiores escas emendas, cum dixerint Apostoli: *Ne fortè nos eamus & emamus in omnem hanc turbam escas:* Non dixerunt Apostoli, ibimus emendicatum cum turbis, sed emamus pro omni turba, ut inde nobis innotescat, non adversari Apostolicæ paupertati numerosa pecunia, dummodo non præparentur numerosa fercula in solitudine, nec luxus inducatur in epulis. Sequentibus Christum Religiosis, ac cœnobitis mensa sit frugalis, quòd si cœnobiorum reditus incrementa subeùnt, non ferculorum augendus est numerus, sed Monachorum, ut non pompa tumeat mensarum, sed cultus irradiet ecclesiarum: Jussit igitur Christus discumbere turbas.

Luc. 9.

116. Quidni in tanta loci sterilitate, ac ciborum parsimonia, multitudo non surget? non huc, illúcque discurret ad escas sibi comparandas in conterminis oppidis, sed otiosa discumbet? non enim quinque panes, & duo pisces explere possunt turbarum urgentem famem. Verùm qui Christi epulo excipiuntur, non esuriunt: sed hi Christi epulo reficiuntur, qui humiles discumbunt, qui sine solicitudine in solo DEO quiescunt, qui nullis pulsantur avaritiæ stimulis, nec acervandis divitijs student. Elias siquidem discumbens in eremo ab Angelo subcineritio pane alitur, & quidem lautiùs cum tranquillè sub Junipero discubuit, quàm cum in urbe sedit ad paratum sibi ab amicis prandium. Aves itidem cœli, licèt, nec ungue, nec rostro terram excolant, sed aërem cantu recreent, adhuc pascuntur, licèt in horrea non congregent. Lilia itidem agri tametsi non laborent, neque nent, Salomonis ornatum longè superant. E converso industrij bombices totius serici ornatus artifices, dum Textrinæ toti incumbunt, alijs sericum, sibi sepulchrum construunt. Christus igitur in eremo solos pascit discumbentes, quique solicitudine quærendi aliena, ut sibi consulant, non anguntur. Sed quomodo solis quinque panibus potuerint tot hominum millia propriæ satisfacere fami? Manus id præstitit munifica Christi, non illiberalis avari. *Respexit Christus in cœlum, benedixit illis, fregit, & distribuit discipulis suis, ut ponerent ante turbas:* non avaritia congestis divitijs turbarum consuluit necessitati, sed liberalitas solâ panis parsimoniâ. Benedixit Christus pauculos panes, quos fregit, & auxit, ut abundè sufficerent omnibus discumbentibus. Hanc unam augendarum opum rationem Christianos edocuit Christus, nimirum frangere, quod possident, & turbis, seu pauperibus erogare: si ita distribuantur opes, replentur divitijs arcæ, frumento horrea, cellaria vino, & oleo; abigatur à custodia divitiarum avaritia, & uberiùs opes munifica diffusione multiplicabuntur. Apponunt discipuli pauculas escas panis, quas Christus multiplicat; quia non avaritiæ custos earum fuit, sed liberalitas munifica dispensatrix.

Putabant olim prisci homines, dracones conservandis, custodiendísque thesauris deputatos, ut notat Cælius Rhodiginus, inquiens: *Pervulgatum est Ædium, Oraculorum, nec non thesaurorum custodia Dracones præfici.* Sed cur divitijs custodiendis draco præponitur? quia nimirum draco divitem refert avarum: divitias congestas qui arctè custodit, divitijs non utitur, sed æquè divitijs, ac vitijs famulatur; & sicut draco custos tantùm erat non dominus divitiarum, perinde avarus, qui divitijs non utitur, sed eas tantùm custodit, dominus earundem non est, ut homo; sed custos, ut draco: pulchrè S. Chrysostomus ad populum Antioch. ait: *Avarus custos est non Dominus pecuniarum, servus non possessor.* Divitem avarum vigilem draconem thesaurorum custodem etiam novit Martialis inquiens; 117.

Lib. 10. lect. antiq. cap. 6.

*Nummi cum tibi sint, opésque tanta,*
*Quantas civis habet, Paterne rarus*
*Largiris nihil, incubásque gaza,*
*Ut magnus draco, quem canunt Poëtæ*
*Custodem Scythici fuisse luci.*

Lib. 12. Epigram. 43.

Placet hæc custodia, & munus hocce vigilis draconis, obire, sed pudeat hominem draconem referre, & draconi se parem facere. Divitias, qui possidet; & illis non utitur; draconem præseferre thesauro invigilantem innuit S. Basilius; inquiens: *Ego non video, quid prosint illis divitiæ, nisi fortè more draconum in fabulis jucunditatem aliquam afferat defossis invigilare thesauris.* Custodit alijs divitias avarus, non sibi; servus est, non Dominus divitiarum, hominem exuit, ut officium induat draconis, quod hominem pudeat, idque sit ei stimulo avaritiæ eliminandæ. 118.

Homil. de legendis lib. Gentil.

Hinc Christus ijs, qui divitijs congerendis toti erant, edixit; *non potestis DEO servire, & Mammona.* In alijs vitijs videtur quodammodo homo regnare, sola avaritia coronam non patitur, quia compedes injicit. Etenim indulgentes sensuum voluptatibus sibi videntur regnare, cùm dicant: *Coronemus nos rosis:* Epulo lautiora inter fercula, inque luxu epularum purpurâ operiebatur, quæ regnantis est symbolum. Avaritia autem, & coronas abijcit, & purpuras exuit, & solùm ferreas cryptas, æneas arcas, repagula, pessulos, pendulas claves, & catenas dissonantes circumfert; quibus instrumentis nil certè tetrius, nil ad famulitium aptius; quòd si adijcias pallorem vultûs, timorem cordis, angores animi, mentis cruciatus, pectoris suspiria, corporis detrimenta, noctes insomnes, 119.

Sapient. 2.

dies molestissimos, sordidam parsimoniam, avaritiam dixeris veram, & miserrimam servitutem in luctu jacentem, in squalore sordescentem: & quia congestis divitijs avarus inservit, à famulitio disjungitur DEI, cum dicat Christus, non posse nos Deo servire, & Mammonæ. Ridentibus verò Pharisæis hæc audientibus à Christo reposuit Christus. *Vos estis, qui justificatis vos coram hominibus: Deus autem novit corda vestra:* sed cur non dixerit potiùs nolcere manus, cùm instrumenta sint manus avaritiæ? Dixit, novit corda vestra non manus, quia pestis avaritiæ rectà cor petit, quod penitus inficit. Non enim sine amore asservantur opes, proinde nec sine corde retinentur. *Luca 16.*

120. Imò cor non retinet, qui congestas tenet opes, clausásque in arca, quia si ibi dicitur cor divitis esse, ubi ejus thesaurus, non in se cor retinet, sed in arca tenet cum acervatis opibus: unde se corde evacuat, qui desiderio auri, & argenti cor implet. Non tamen ex auri nitore ullum haurit splendorem, nec subit incrementum, licet hominibus videatur cæteris felicior, ac excelsior, quia ut dicitur. *Quod hominibus altum est; abominatio est ante DEUM:* nimirum hominum divitiæ, vanæque pompæ, quibus præ cæteris satagunt eminere, abominationi sunt Deo: quò enim divites in suo luxu superbiunt, eò teriori dejecti in luctu contemnuntur à Deo, & præsertim si sacerdotes fiot, patrimonium ecclesiarum in fucum convertentes vanitatum: hi vel maximè sunt Deo abominationi, adeò ut non solùm sint viles, inglorij, & vani; verùm etiam abominabiles præsertim si cælo aurum anteferant, quod scelus non solùm est enorme, sed insania, cui neque helleboro mederi possit. *Luc. cap. 16.*

121. In lege Moysis subductum erat cœlum hominibus, ut unus duntaxat pateret Abrahæ sinus, & quidem omnisi optimis, ac vità pientissimè functis: mortua verò lege Mosaica, cùm primùm cæpit evangelica enasci Deus cœlos ipsos inclinavit, ut promptiùs ijsdem homines per subsidia virtutum potirentur: non auri nitore, nec opum affluentiâ cœlum emimus, sed ultronea paupertate. Epulo ille Evangelicus in luxu ferculorum, purpurâ indutus pauperem contempsit Lazarum multiplici ulcere saucium, detritis indumentis vestitum; hic pannosus, & laceratus stimulante fame coram epulantibus non dapes exquisitas, non fercula ad delicias præparata, sed tantùm micas superstites concupivit; & quis crederet? Lazarus sua paupertate cœleste sibi emit Regnum, cum auri pondera infelicem divitem traxerint ad tartara: adeò pauper fuit Lazarus, simùlque felix, ut nec micas petierit, sed tantùm concupierit ad urgentis famis sedandos stimulos; tametsi enixim flagitare, & micas, & panes, & dapes adigerent, non solùm fames, quâ torquebatur, verùm etiam præsens ferculorum copia, quæ acriùs famem irritabat, pectúsque pauperis mordebat. Neglectus fuit pauper à divite, prætermissus à ministris, despectus à famulis; & soli canes accedentes aliquid lenimenti ejus attulerunt ulceribus. *Sed & canes veniebant, & lingebant ulcera ejus.* Gemina torquebatur Lazarus ægritudine, ulcere scilicet, & fame, hujus postremi mali in domo divitis dapibus jam saturi remedium quærit, & primi impetrat à canibus medicinam: solatium, quod homo denegavit pauperi, accurrentes canes præstitère: cùm cuperet famem explere, tunc vulnera curabantur. Falluntur, quotquot spes suas in homine collocatas volunt, cùm hic beneficium deneget, quod canes statim exhibent. Id interest discriminis inter divitem avarum, & neglectum pauperem, quia hic etiam à canibus beneficijs cumulatur; sed ille vitijs implicatus fit infelix dæmonis præda. *Luc. 16.*

Quàm infelix, quàm immanis est avaritia, quæ suos interficit cultores? quæ nonnisi necibus, malisque tetrioribus delectatur? idque nos edocuerunt Coloni illi evangelici, qui servos exigentes pro Domino pensum repetitis cæciderunt ictibus, & ad extremum etiam in rabiem acti filium trucidârunt patrisfamilias dicentes. *Hic est hæres, occidamus eum, ut nostra fiat hæreditas.* Quàm insania est avaritia, quæ sanguinem fundit, ut aurum colligat, servos heri vulnerat, filium enecat, ut per cruenta flagitia, per neces crudeles hæreditatem adire valeat. Tametsi avaritia aurum sitiat, adhuc etiam ferrum tractat, & ideò ferro sævit, ut aurum sibi eblandiatur: hæredem confodit, ut aurum effodiat; infligit vulnera ferro, ut auro medellam adferat morbosæ siti. Quàm ferales plerúmque sunt vineæ, cùm Noemum denudaverint, Nabothum interfecerint, & filium hunc occiderint! ita est terrarum deliciæ, vinearum voluptates noxiæ sunt hominibus. Imò & etiam filio Dei, cum vix ab horto Getsemani egressus stimulante avaritiâ traditus ad necem fuit furentibus Judæis. Æquè avaritia stimulante insanijt Cain in fratrem, ac Judas in Patrem, & Magistrum: Cain, & Judas infesta nomina, infausta omina sanguinem fuderunt innocentiæ, ut sitim explerent avaritiæ; & quidem Judas triginta argenteis eum vendidit, cujus caput erat aurum optimum, ac probatissimum, si testanti sponsæ fidem adhibeamus. Caio verò patrati sceleris Reus à Deo convictus mulctatur privatione opum, ac fructuum, damnatus ad terram excolendam sine fructu, & messe. *Cum operatus fueris eam, non dabit tibi fructus suos:* æquum erat, ut delicto responderet pœna, ut per quæ quis peccat, per hæc plectatur; & ideò Caino fratricido tellus sterilescit, quia ex radice cupiditatis orta rabies malè litantis, Abelem eradicare cogitavit è terra; sed avulsit simul ab occata tellure feracitatem, ut cupiditas, quæ causa fuit sceleris, torqueretur cultæ telluris sterilitate. Fuit rapax Caio, & avaritiâ infectus, siquidem cùm primùm 122. *Luc. 20.* *Genes 4.*

con-

conspexisset Deo gratiores suis hostijs Abelis esse victimas, suspicatus fuit, futurum, ut præ suis fraternæ opes incrementa subirent, irrorantibus super bona fratris propitioris Numinis beneficijs; ne igitur se ditiorem fratrem pateretur, innocuum ejus sanguinem effudit, & paternæ damnationis primitias adegit fratrem prægustare; adeò ut avaritia fuerit, quæ prima mortem corporis in mundum induxerit.

312. Quis non dicat avaritiam malorum omnium radicem? cum ab ea inducta fuerit primùm mors in mundum, cæcitate ipsa laborat, auri nitore perstricta; sed si oculis talpam, aut vespertilionem; manibus Briareum effingit. Me legisse memini, Sinarum Principem nonnisi obducto, velatoq; vultu conspiciendum se suis præbere subditis. Quàm meliùs si Princeps nudaret faciem, ut posset ipse exactiùs suos, videre, & cognoscere subditos: & detractum à se velum in vultum injicere subjectorum, quorum obedientia, sicut decet, cæca esset, & oculatissimum fieret Principis imperium, cujus symbolum dederunt animalia, illa quæ describuntur à Joanne plena oculis. *Et in medio sedis, & in circuitu sedis quatuor animalia plena oculis ante, & retrò.* Apoc. 4.

124. In medio throni, ubi Imperator sedet, plena sunt oculis, quia hi non procul debent à throno abesse: utinam Principum Administri pleni forent oculis, & manibus carerent, vel oculos aperirent, & manus clauderent, quàm feliciùs Regnis prospicerent, & parciùs domos pauperum expilarent! Sed plerúmque qui Argos acturi, deberent pleni esse oculis, pleni sunt manibus, & oculis vacoi; ut Briarei, non Argi fabulam in medium producant. Vel si manibus abundant, utinam non palparent, ut aurea illa simulacra, quæ manus habentia minimè palpabant; sed avari quamvis auro pleni, argento onusti adhuc divitiarum inhiant incrementis, ut retorqueatur in ipsos illud Isaiæ. *Repleta est terra argento, & auro, & non est finis thesaurorum ejus*, quia ut pulchrè S. Hieronymus: *semper avarus eget, & non est finis thesaurorum ejus*, non quia thesauri suis non claudantur limitibus, suis non circumscribantur terminis, sed quia possidentium animus non impletur, sicque avaritia inexplebilis; hinc quotidie experimur impleri, quod Apostolus redarguit: *Qui prædicas non furandum furaris.* Furem Judicem arguit, qui sententiam promens propriæ consulit avaritiæ, sinitque auro corrumpi, & flecti; qui adamante deberet ad æquitatem tuendam esse firmior. Et D. Hieronymus legem improbat repetundarum, quâ in quæstores rapaces à Judicibus sententia ferebatur, ut ab ijs, qui repetebant, mercedem reciperent. Utinam interdum Judices, qui furem addicunt patibulo; rapinis ipsi non exundarent. Ita est, una avaritia radix est malorum omnium, *Repleta est terra argento, & auro*, hoc est, repleta est terra idolis avaritiæ, ut ex ejus radice enixa credatur idololatria, & terra tota repleta auro, & argento sua colit Idola, tota procumbens in eorum cultum: neque facilè ad Idola declinâsset terra, si non argenti copia inebriata insaniret.

Cap. 2. v. 7.

Ad Roman. 2.

Vix sperent, qui divitijs affluunt, qui in auro, argentóque florent, fore, ut avaritiam à se abdicent, cum terra ipsa non solùm aurum optaverit, verùm etiam in adorationem prona aureum coluerit idolum, ut ipsa thesauris ditesceret. Homo verò, qui avaritiæ famulatur, aurum congerit, non solùm ut aurea colat idola, seu aureas pecunias, verùm etiam, ut talpas adoret, & cæcutientes vespertiliones, ut loquitur Isaias. *Et simulacra auri sui, quæ fecerat sibi, ut adoraret talpas, & vespertiliones:* apprimè verba Isaiæ avaro congruunt, qui simulacra auri sibi construit, cùm divitias congerit; eatenus igitur aurum coacervat, ut cæcutientes talpas, exoculatos vespertiliones in terram pronus, seu terræ adhærescens adoret. Talpa animal est, ait S. Hieronymus oculis destitutum, quod lempet terram fodit, humúmque egerit, ut radices subter comedat plantarum, quibus propterea, vel maximè noxium est: cæcitate igitur turpiter laborat, qui terram fodit, ut ijs pinguescat, quæ sub terra gignuntur; cujusmodi sunt metalla auri, & argenti: induit igitur avarus naturam talpæ, quatenus cæcus ad æquitatem, radices eradit familiarum fœnus exigendo, & incautorum adolescentum patrimonium occultè vorando, eâ tamen fraude, ut pompam foliorum exteriùs luxuriantium relinquat indemnem, radices verò consumet, ut inde subiti sequantur florentium plantarum casus, & familiarum eversiones, *quia comederunt alieni robur ejus, & nescivit.* 125.

Cap. 2. vers. 20.

Oseæ 7. v. 9.

126. Quòd verò avari dicantur talpas adorare, ad id adstruendum innata adigit avari propensio ad terram jugiter fodiendam, ad novos thesauros quærendos, & congerendos, ad vegetabilium radices altiùs in terram actas devorandas: sed quòd etiam vespertiliones afferantur avari colere non modica oriri difficultas videtur, cùm vespertilio non terræ ima penetret, sed sursum aliger æreos discurrat campos. Verùm corruit difficultas, si indolem pensemus vespertilionis: siquidem vespertilio, ait S. Hieronymus; licèt videatur volitare, animal est lucifugum, quod solem non patitur, neque propterea è suis exit foraminibus, nisi post solis occasum, & cum nox atra aërem occupat: quod avaros, & fœneratores exprimit; videntur hi auri nitorem odisse, cum congestas divitias sepeliant clausis in arcis, & ipsi sordescant in caligine turpis parsimoniæ.

In cap. 2. Isaiæ.

127. Sunt tamen, qui & divitijs affluunt, & auro inhiant, eòque simul superbiunt: sed væ ipsis, ait Isaias *Quia dies Domini exercituum super omnem excelsum superbum:* ita est, avarorum superbiam depressam vult Deus, cum certum sit, nullum scelus in die illa Domini-

Cap. 2. vers. 12.

exercituum abiturum impunitum;&cùm certum sit, avaros se pluribus alijs implicare vitijs: an non reliqua avarorum scelera impunita Deus dimittet? nequaquam id erit, sed solius meminit superbiæ in avaro, quia avaritia, & superbia putidæ sunt geminæ illæ radices, è quibus turpissima quæque emergunt vitia, excisâ autem radice necesse est, & rami cadant, ac folia; exsiccato fonte arescunt rivuli, sublato fundamento corruit ædificium. Sed si divites avari radices altiùs in terram agunt, simúlque superbiunt, quænam arbores verum avarorum symbolū erunt nobis daturæ? Isaias geminam nobis indicat arborem, quercum scilicet Bassam, & Cedrum Libani, ait Propheta de avaris simul superbientibus, ac auro inhiantibus: *Et super omnes Cedros Libani sublimes, & erectas, & super omnes quercus Bassam.* Sed cur avari pariantur quercubus Bassam? quia quercus vel prorsus sterilescunt, vel si fructus ediderint, fructus sunt porcorum, hoc est gregi porcorum saginando aptiores, quàm hominibus reficiendis idonei.

Cap. 2. vers. 13.

128. Legimus ex quercu fuisse olim coronas compactas, quia eædem arbores, quæ sues pascunt, etiam duces coronant, ut inde conijciamus, quantâ laboret ignominiâ avarorum superbia, cum illius se arboris fronde coronet, cujus sues fructu vix saginantur. Rectè reduce aureo sæculo feruntur homines glande victitâsse; cùm homines, quos avaritia pulsat, vix dissimiles à suibus habeantur, eâdémque propterea saginentur arbore: quâ perperam sibi avari consulunt, qui cum Tantalo in profluente ita sitiunt, ut vel in aureo sæculo, inter arcas auro oppletas, scrinia gemmis redundantia, vitam gerant porcia haud degenerem: quamvis nostra ætas ferrea dicatur ab avaris, tamen tota migravit in aurū; ut in rediviva hac aurea ætate fuilles fierent homines sordescentes in cœno avaritiæ. Eorum verò superbia per cedros Libani sublimes nobis exprimitur, quia vindicis Dei justitia æquè quercum, ac cedrum eradicat; neque cedro parcit ob auream venustatem, neq; quercum negligit, quia sues pascat; sed utramque arborem punit, & evellit. Nec mirum si quercum æquè, ac cedrum eradicet Deus, cum ambæ arbores sublimes sint, & foliorum pompâ ad venustatem etiam luxurient, quia tametsi in utráque arbore celsitudo pulchritudinem sibi conciliet, & pulchritudo altitudini confœderetur; avarorum tamen superbiam, & avaros in sublimi dignitate non patitur Deus, proinde utramque arborem, & quercum Bassam, & cedrum Libani radicitùs divellit.

129. Non in die Domini tantùm conteruntur, qui auro inhiantes, divitijs acervandis toti fuerunt; verùm etiam, cum opes congerunt, opibus à Deo avari destituuntur. Irrneus bellum unâ horâ disperdit, quæ solicitudines, & labores plurium annorum congesserunt, quia avaritia etiam milites inficit, qui æquè aurum, ac sanguinem sitiunt: verùm militis nomen non promerentur, qui spe pugnant rapinæ, & sordida cupiditate auri enervant ferri fortitudinem; & splendidam devenustant militis nomenclationem. Is miles, quâ ferrum stringit, non qui auro adstringitur; ideo Medos selegit Deus ad subvertendam Babylonem, ait per Isaiam. *Ecce ego suscitabo super eos Medos, qui argentum non quærant, nec aurum velint.* Medos accivit ad subversionem Babylonis, hoc est, homines inimicos argenti, alienósque ab auro delegit Deus ad subvertendam Babilonem, quia auro non inhiantes validiores sunt ferro muniti: non enim mundum vincit ferro, qui se ab auro sinit vinci, nimis delicatus est miles, nimis imbecillis, qui auro vincitur, qui argento superatur. Non delegit Deus ad subversionem Babylonis milites aurum sitientes; quia poculum aureum, quo mulier Babylonica propinat hominibus, promptiùs milites aurum sitientes ad sua vota flexisset, ac subjugâsset: rectè igitur ad Babylonem subvertendam Deus exercituum Medos delegit, qui alieni ab auro proximiùs accederent ad triumphum.

Cap. 13.

Non tamen belli duces, & milites, qui ferro ad aurum viam sibi aperiunt expilantes domos civium, ac mapalia rusticorum, ditescunt ipsi; cùm moris sit, ut in bello capta prodigantur, non retineantur; & plerúmq; belli duces, ac Præfecti exercitûs milites denudant, quos vestire debuerant. Idq; videtur innuere Isaias. *Nudabitur alveus rivi à fonte suo*, quid insolentiùs, quàm rivum exsiccari suo à fonte: & rivulos larices suos scaturigini suppeditare? Præfectos id respicit æquè militum, ac subditorum cujusvis conditionis; cavendum ijsdem est, ne avaritiæ morbo laborantes, extorqueant à sibi subjectis, quod ijsdem conferendum esset. Quod improbandum, vel maximè foret in Prælatis ecclesiasticis, qui reliquo cœtui clericorum præficiuntur, & quorum propterea munus est pascere dominicum gregem: cùm enim Christus interrogâsset Petrū, an eum diligeret? reposuit postea Christus, *pasce oves meas*, non dixit, ut Pastor pasceretur ab agnis, sed ut agni à Pastore. Agni utpote ætate tenelli, nec lac, nec lanam proferunt; imò lactè indigent, quia lac non præbent. Utinam non essent pastores, qui ab agnis sanguinē elicerent, non lac emulgerent. Quidni ditescunt alieno auro Præfecti, quiq; alijs præsunt sitientes subjectorum aurum, quod tamen, cùm exhauriunt, venenum ipsi hauriunt. Felicitas est hæc, sed misera, ita in auro bibere, ut venenum ebibatur, quis credat, Reges, & Principes venenum bibere in auro subditorum? & tamen à vero id nec latum unguem distat, si injustis graventur subditi exactionibus: coronam tunc sibi Principes conficiunt auro subditorum nitentes, sed tot experiuntur in corde spinas, tot contrahunt noxas, quot in capite fulgent gemmæ. 130.

Cap. 19. vers. 2.

Sunt


131. Sunt qui auro affluentes alieno in sublime attolluntur, sed follis instar lusorii, ut ictu allidantur graviore, lapsúque perniciori, quò pulsu, repulsúque detineantur sublimes, & tamdiu perseverent verberati, quamdiu sublimes attolluntur: non est hæc avarorum sublimitas iisdem honor, & dignitas, sed ludus; per aëra inflati vento ad aliorum spectaculum, & jocum in sublime efferuntur; ut eò infeliciores pulsentur, & torqueantur, quò sublimes hac, illácque percussi discurrunt; donec in terram deducti, ibi motu quovis destituti emoriantur. Væ Ecclesiarum Prælatis, si ita in sublime attolluntur alieno auro splendentes; hi enim pompas suas in opprobrium vertunt, & cum vehuntur ipsi aureis essedis, Christum calcant; cum parietes serico, & auro fulgente vestiunt, Christi corpus denudant; cum achate, & smaragdo digitos coronant, Christi caput spinis cingunt; cum luxu delectantur in epulis, Christi famem in suis pauperibus acuunt; & sublimitas hæc virtute vacua in opprobrium cedit domûs Dei. Certè qui hoc vano fastu intumescunt, Neronianâ potiùs superbiunt pompâ, quàm Apostolicâ splendeant religione; cum legamus projecisse quidem fideles aurum ad pedes Apostolorum, non verò manibus tradidisse eorundem; sordescere in pulvere potuit aurum propè pedes Apostolorum, non in eorum manibus fulgere: qui Christum sequuntur auro non coronantur, sed spinis cinguntur: decet enim, membra sub capite spinis coronato, dumetis constipari, ut dolores capitis leniantur transfusi in membra. Non vocantur qui Ecclesiis præficiuntur ad infulas auro, gemmisque fulgentes, sed ad spinas intimiùs pungentes.

132. Redarguendi sunt etiam qui avaritiæ ægritudine laborantes propria negligunt in sibi concreditis Ecclesiis munia obire, ut proprijs vel commodis studeant, vel acervandis divitijs omne impendant studium; hi enim tentantur à concupiscentiis suis abstracti, & illecti, & nonnisi terrena sapiunt. Verùm perinde sibi indulgent, sicut somnians esuriens bibit & comedit, ait Isaias Propheta, (Cap. 29.) comedunt quidem lautè avari, & falerna generosiora bibunt, spumantes calices exsiccant; sed instar somniantium, qui expergefacti ventre vacuo se deprehendunt. Potest quidem corpus onerari escis temporalibus, repleri bonis sensuum, affici deliciis; sed anima virtutibus vacua, inanitate laborat, & id clariùs cognoscunt, cum è somno expergefiunt, seu cum Libitina ostium pulsat, & lethales vocat ad Manes, tunc cum incipiant indormire in morte, evigilant ad mortalis hujus vitæ ærumnas, liquidóque cognoscunt nullâ saginatam virtute animam, sed omni destitutam bono, & prorsus vacuam. Quid quòd bonis affluxerint temporalibus? Nil ipsis prosunt coacervatæ divitiæ, & alieni rapiunt, quæ avarus pluribus annis congesserat, & totidem perpetua solicitudine custodierat, idque videtur Isaias prædixisse inquiens: *Tunc dividentur spolia prædarum multarum: claudi diripient rapinam.* (Cap. 3.) Omnes tunc expediti, & celeres sunt ad prædam, cæci ipsi vident, claudi ambulant, surdi audiunt: si quid obvium rapinis pateat, etiam claudi rectè ad non recta accedunt; & utroque crure præpediti, etiam Regiam Davidis frequentant, ut inde aliquid asportent. Avaritiæ qui morbo laborant ad sordida quæque, & turpia trahuntur.

Nulla fuit gens profusior Hebræâ, ut liquet in Abrahami hospitalitate, Isaaci munere, Jacobi supellectile: sed post quam Ægyptum expilavit, postquam avaritiâ cœpit intus sordescere, adeo tenax effecta est, ut nonnisi usuris pasceretur, sordibúsque fœdissimæ mercaturæ; & aurum sitiret, seu divitiis inhiaret, quibus congestis sitis magis acueretur, acriùsque torqueretur. 133. Bibunt avari divitias, & sitim minimè extingunt; Hydropicis pares, ut ait Cassiodorus *de amicitia*, inquiens: *Hydropici more, qui plus bibendo, plus sitit, pecuniæ cupiditas ex multiplicatione grandescit.* Cassiodoro suffragatur Paccatus. (In Paneg. Theodos.) *Ut agrorum sitim potus accendit, ut ignis arentibus non obruitur, sed augetur; ita coacta publica egestate divitiæ aviditatem jejunæ mentis acuebant.* Sitiunt avari auro inhiantes, divitias, quas ebibant, quibus non secus ac vino madidi inebriantur, ac miserè lumen extingunt rationis, quia ut notat Isidorus Pelusiota. (Lib. 3. epist. 412.) Et si temulentia eorum, qui vini, & pecuniarum rabie tenentur, species diversa est (altera enim à vino, altera à pecuniis proficiscitur) effectus tamen similis est, quia utrique eodem modo à turpi, & absurda cupiditate subacti sunt: siquidem & qui vini avidus est; quò plures calices exhauserit, eò plures appetit; & qui pecuniarum amore tenetur, quò plus collegerit, eò magis cupiditatis fornacem accendit: & Sanctus Leo hanc in Juda ebrietatem detexit, quia avaritiæ insaniâ miserè infectus: ait de passione Domini: (Serm. 9.) *Hoc perfidus Judas inebriatus veneno, dum sitit lucrum, pervenit ad laqueum*, aurum sitit avarus, sed cum auro venenum bibit, & tamdiu sitit, quamdiu bibit, ut Tantalea sit sitis, quâ torquentur avari: licèt adsint auri fluenta adhuc torqueri non desinunt, quia sitire non cessant, qui enim aurum sitiunt, aurum quidem assequi possunt, non sitis extinctionem consequi. Hinc Petrus Blesensis. (Epist. 12.) *Quidam more Tantalico in aquis sitiunt, dum inter opulentias inediâ se affligunt.* Mari pares dixeris avaros: licèt flumina omnia mare bibat, non tamen expletur, nec sitim, quam nativa salsedo acuit, extinguit: opes ebibit avarus, divitias sorbet, non tamen inde expletur, quia ut S. Nilus de avaritia ait: (Orat. 9.) *Nec multitudine fluminum mare, nec divitiarum copiâ avari animus expletur.*

134. Noxia est etiam Religiosis pectoribus inexplebilis diviriarum cupido, & congestæ divitiæ sacra itidem claustra, ac cœnobia in discrimina trahunt: quia in naufragium semper prona est avaritia, auri, argentique gravata ponderibus: an non Princeps ipse Apostolorum pené cum sociis æstuantibus fluctibus sorbetur ob nimiam pisciú captam multitudinem? Ea est auri natura, ut suo alliciat nitore, sed eò graviore premit onere, quò cætera inferiora metalla antecellit; cùmque suo pondere deorsum trahat in hac fluctuante vita faciliùs ad naufragium pertrahir, idque cùm cognosceret, oculatissimus Crates Thebanus opes demersit in mare, ne ab ipsis mergeretur; obruit enim copia bonorum temporalium: siquidem præ multitudine prædæ Petri rete rumpebatur. *Rumpebatur autem rete eorum, & annuerunt sociis, qui erant in alia navi, ut venirent, & adjuvarent eos. Et venerunt, & impleverunt ambas naviculas, ita ut pene mergerentur*, tunc submersionis, & naufragij periculum imminebat, cùm navis copia bonorum temporalium plena fuit. Quid ni etiam casses religiosæ disciplinæ interdum bonorum temporalium affluentia dissuit: & cùm divitiæ affluunt in cœnobijs, tunc hæc periclitantur. An non rete distumpitur ob divitiarum abundantiam? copia frugum horrea interdum destruit; premuntur enim, & vitium contrahunt, quo lapsui fiunt proximiora. Luc. cap. 5.

Etiam arbores, quò fructibus sunt ditiores, eò suis in humum proniores curvantur ramis, & plerumque disrupti vi ponderis à reliquis arboris ramis divelluntur. Quò plures etiam cœlum vapores in sublime attrahit, eò celeriùs eosdem demittit, vel concretos in grandinem, vel cussos in fulmina, vel accensos in fulgura, aut eliquatos in imbrem, constipatos in nivem. Noxia est sibi copia, ut & injuriola fertilitas, quò enim tellus est pinguior, eò uberiores sibi parturit urticas, gignitque tribulos. Si Religiosorum cœnobia divitijs affluunt, impensiús tunc Cœnobitæ propriis student commodis, & ob nimiam opulentiam, bonorúmque temporalium copiam rete disrumpitur religiosæ disciplinæ. Hinc Petrus conclusâ piscium multitudine statim alloquens Magistrum suum dixit: *Exi à me Domine, quia homo peccator sum*, tunc cœpit se peccatorem fateri, cùm se novit bonia temporalibus affluentem. Luc. cap. 5. Sed cur Christus Simonem, Joannem, & Jacobum, quos ad Apostolicam paupertatem erat vocaturus, affluere voluit tantâ piscium multitudine, seu bonorum temporalium copiâ, quâ remorari potiùs poterant ab Apostolatu, quàm ad Christi discipulatum trahi? Sciè voluit Magister Christus suos mox discipulos bonis abundare temporalibus, quia nimitum hæc cùm possidentur curas, solicitudines pariunt, quibus eorundem Possessores tædio etiam afficiuntur, cum nil magis temporalium fastidium pariat, quàm eorundem copia: pleromque absentibus bonis inhiamus, cupimúsque præsentia; quæ tamen si possidentur nobis potiùs sunt contemptui, quàm æstimationi; opum desiderium tenaciùs nobis hæret, quàm usus, fortiùsque earum privatio nos allicit, quàm satiet possessio: nisi Christi Discipuli experimento deprehendissent, quàm futilis sit, quàm inania, imò & noxia omnis copia, quæ etiam rete dissolveret, fortâssis desiderio absentem copiam ad se vocâssent, & facilè potuissent se à Magistro avocare. Postquam verò noverunt ambas naviculas esse naufragio proximiores, eum bonis temporalibus opplerentur; tunc abjecerunt omnia, & abdicata piscandi cupiditate, quâ obrui poterant, non satiari; imò mergi, non impleri, secuti sunt Christum, & cùm primùm fuerit Petrus piscium captor, factus est hominum piscator. Timeret cum Petro quisque, si sciret, bona temporalia non opes esse, sed laqueos.



DIS-

# DISSERTATIO IV.

## Pungitur Ambitio, ut ejus tumor detumeat; ac insolescens in honores, ac dignitates affectus non ampulletur, sed expungatur.

### §. I.

*Vanæ gloriæ ambitio suos depravat appetitores, quorum pectora, nisi excutiatur, pertinaciter urit.*

1. On divitijs tantùm inhiant homines, sed etiam honores ambiunt, quibus auram popularem expiscantur, Camæleonti haud dissimiles, cum inani pascantur aurâ. Implent mentem magnis cogitationibus, quæ propriâ inanitate vacuitatem produnt judicij. Gloriantur varia rerum occultarum scientiâ, cùm nec Socrate sint doctiores, nec septem decantatis Gratiæ Sapientibus suppares, qui tripodem Delphici Apollinis jussu sapientissimo destinatum ad se, singuli ad alios transmiserunt. Tumor est, quem ambitio prodit, sed plenus vacuitate; imò non solam secum inanitatem trahit; verùm turgescit, ut statim detumescat; vehitur in sublime, ut lapsu graviore ad ima detrudatur.

2. Ambitionis usus ariete tartareus hostis Christum oppugnaturus, vel supra templi pinnaculum, vel in montis editiori fastigio eum aggressus est, ostendens bona temporalia, quæ sponderet, si cadens cultum ei exhiberet, quia in altum evectos promptiùs dœmon aggreditur, expugnaturus, & in ima dejecturus; ut inde discamus, altiora non ambire, sed in imis detineri: tumidus est, & inanis spiritus, qui altiora petit: qui plurimum habet spiritûs soliditatis, non supra templum evehitur, sed templum ingreditur *Et venit in spiritu in templum* hoc est, venerat Simeon in spiritu, non ut in sublime eri geretur, sed in templum vero ac probato spiritu ingrederetur: qui enim statui ambiunt supra pinnaculum templi, non ducuntur vero spiritu, sed trahuntur à Lucifero. Nec Christus legitur fuisse supra templum, nisi eò à dœmone translatus ex deserti solitudine; ut inde doceamur à deserto ad templi pinnaculum suspectum semper esse transitum; hoc est à jejunio eremi ad lautitiem dignitatis Ecclesiasticæ; ab umbris solitudinis ad splendores infularum inter frequentias hominum. Stetit quidem Christus ope dœmonis in vertice templi, non tamen ut ibi staret, sed ut præceps deorsum ageretur: quia plerumque qui eminentiores ambiunt in Ecclesia dignitates lapsu graviore in ima detruduntur profundiora. Hinc Simeon plenus ætate, & spiritu sancto non supra templum, non supra pinnaculum ejusdem, sed tantùm in templo puerum JESUM meruit in ulnis suis suscipere; quia Deum non tumidi alta petentes, & inflato spiritu sursum nitentes inveniunt; sed humiles, qui vero spiritu in imis detinentur. Luc. 2.

Ambitio ad Dei nomen potest quidem pertingere, imò & attingere, non verò ipsum Deum: & quidem nomen Dei non in sublimibus humanarum dignitatum fastigiis, sed in humilibus pannosæ servitutis. Si enim volvas Romanum Cathalogum ibi civibus Bethlehemiticis accensetur filius Dei: qui se humiliavit, factus obediens usque ad mortem: proprium est munus famuli obedire, & obsequi, & Christi obedientia non magis floruit in cruce, quàm in cunabulis; nasci enim voluit eum ex imperio Cæsaris Virgo Mater ad Davidicam proficisceretur civitatem, & qui moriendo patri obedivit, nascendo Imperatori se subdidit. Imò ut ait Chrysologus de Jacob *Ante didicit obedire, quàm vivere:* Serm. 70. etenim clausus in utero virginis iter arripuit imperatum, ut priùs parêret, quàm eum mater pareret, & priùs voluit subditum se fateri Augusto, cùm voluerit & ipse cathalogo inscribi, in quo subditi omnes Romani Imperij censebantur: nimirum occasionem in lucem prodeundi nactus est, cum natus occasioni obviaret profitendi se servum Principis Romani: quàm immodicè turgere, ac intumescere potuit tunc Roma: quæ suos inter populos vectigalem etiam censuit Deum? sub Augusto enim Cæsare universus orbis descriptus fuit; quasi regnandi libidini non satis fuisset corpora possidere subditorum, nisi & eorundem nomina sibi vendicaret, ut ne nomen ipsum immune à Romana esset cupiditate, quæ (cùm non licuisset alia ratione) si non ferreo vinculo, saltem scribente

calamo

calamo libertatem ipsis etiam nominibus eripuit, quæ nec syllebam poterant ampliùs aliò transferre, vel abjicere; & cùm non posset ambitio Cæsaris nomina ipsa in carcerem detrudere, voluit ea alligari in libris; quia ubi fastus, & ambitio imperat, etiam ipsa nomina, & titulos sibi subjicit; geudet enim ambitio titulis ampullatis, & nominibus, quæ cùm exprimuntur solum aërem verberant, & cum aëre deferuntur.

4. Ut eutem Christus hæc tumida nomina in purpura, vel sceptro damnaret, nasci voluit in præsepio, pannisque involvi; ut pudore suffunderentur homines ambientes in senatu vestiri purpurâ, cùm Deum videant pennolum, feminudum in præsepio, & erubescerent præcelsa palatia, cum luna certantia, divino sole accubante in stebulo. Filium Dei cœlorum Regem non solùm palatia excluserunt nasciturum, sed etiam urbes ejecerunt cruci affigendum. Humaniores certè hominibus se prodiderunt feræ cùm proprio in stabulo admiserint, quem nullus civium voluit recipere hospitio. Nasci voluit in imo, & obleuro loco, ut vel è cathedra cunerum nos edoceret humilitatem. Nascitur extra urbem, quia Flos Jesse non in plateis, vicisque urbium, sed foris in agro extra hominum frequentias reperitur. Non floret in civitate flos cempi, quia ibi discerpitur, dilaniatur. Vernat extra urbem, viret in fœno, irrigatur lachrymis, adolescit in spinis, glisсit in palleis. Ita est non in palatijs Principum, non in frequentijs urbium, non in cœtu hominum invenitur Christus, sed extra urbem procul ab hominibus: extra civitatem Invenitur à Magis, ut vel ipsi Reges amenr secessus, sintque subinde solitarij, ut sibi vacent, ae propriæ saluti consulent. In templo reperitur à Matre, quia inter orandum, non inter confabulandum invenitur Deus. Non reperitur à sponsa in pleteis civitatis, neque in vicis; ut discant virgines domi immoreri, cùm si vagentur extra domum pallio spolientur pudoris, & quem quærebant sponsum, minimè invenientes, eum amittant florem, qui semel perditus, nullo fit ampliùs pretio venalis.

5. Ambltio, quæ in sublime nititur ad ima deprimitur; & humilitas, quæ in imis gaudet detineri, ad sublimia elevetur; hinc est, Luc. 3. quòd apud Lucam legitur: *Omnis vallis implebitur, & omnis mons, & collis humiliabitur.* Sed quæ rerum humanarum catastrophe, si ima sursum eriguntur, & sublimia deorsum deprimuntur, si velles excrescunt in montes; & colles deprimuntur in valles? hi siquidem evacuantur, ut valles impleantur. Hæ sunt hominum vices, & præsertim in eulis principum, in quibus plerumque sordescentes in pulvere eriguntur ad sublimiora ministeria; & potentes deturbantur in lutum. Vallis impletâ fuit, cum Lazarus, cui fuit negatum implere ventrem de micis, ad sinum Abrahæ evectus fuit: Mons verò humiliatus, ac depressus, cum Epulo dejectus fuit in tormenta apud tartara. Non exhauritur mons, non penitus deletur, nec redigitur in nihilum, sed deprimitur ejus fastigium, humiliatur eelsitudo; quia honorum ambitiosa siti qui laborant, humili, abjectóque famulitio allaborant. Neque desunt in aulis præsertim principum, qui onerosæ servituti terga incurvant spe vanida illecti, fore ut tandem ad concupitum honoris gradum sint provehendi. Ad hanc sitim honoris explendam pluribus se subjiciunt heris, abjiciúntque servis, vel ipsa venerantur aulæ mancipia, colúntque abjectiores ancillas; scurras audiunt, ut aliquando ipsi exaudiantur, *utque unus ab illis numeretur honoris annus* (ait Seneca de brevitate vitæ) *Omnes conterunt annos;* omnes c. 91. impendunt anni vitæ dies; idque totum *propter unius anni volaticum gaudium,* ut loquitur Tertullianus. Laborant, torquentùrque diu, Lib. de pænit. cap. ult. noctúque, qui honores sitiunt, ut per impensos lebores ad dignitates viam sibi sternant: sed improbi laboris fructus, si colligatur, adeò est modicus ut nonnisi ad brevissimum tempus gustari possit; eum ineluctabile fatum non sinet diu prægustari; modica igitur, vel prorsus nulla tot exantlatis laboribus, præstitis obseqniis, exhibito femulitio superest remuneratio, quia ambitiosa honorum siti laborantes, nonnisi perituris allaborant.

Consultiùs Berzellaus ultro sibi oblatas amplissimas dignitates suadenti amico, ut 6. acceptaret reposuit *Octogenarius sum hodie, non indigeo hac vicissitudine*, nimirum inter vitæ, mortisque confinie constituto, subire alternantis fortunæ vices, ac promoveri ad suprema dignitetum fastigia, mox lapsuro in sepulchrum insanire est. Ambitionis pruritus si florentem titillet juventam, rugolam non decet senectam pulsare; qnie ubi ambitio floret, ibi germinant spinæ, & animi exuler tranquillitas: parúmque prodest vergenti mox ad vitæ occasum in trino benefici Jovis sol oriens. Qui igitur montis ambit celsitudinem, in ima necesse est, deprimatur; proinde minimè consultum est, ut vallis cacumen montis concupiscat; quia tametsi videatur montis fastigium cœlo propinquius, & quasi lunæ conterminum, in ima tamen totum cacumen detruditur. Felices valles, quæ lapsui minimè obnoxiæ uberiùs à cœlo rigantur; quin & imbres, quos montium cacumina recipiunt, transmittuntur in valles. Ambitione, qui intumescunt; ut ad curulea evehantur, integrum profligent patrimonium; congestas à suis majoribus gazas, vel negligunt, vel prodigunt, quasi leviores sine auri pondere ad celsitudinem promptiùs evehentur concupitâ honoris. Plerique non rarò annuos etiam proventus, quos coëmpta dignitas subministravit, impendunt, novis officiorum muneribus consequendis. An non montes hos dixeris, nihil in seroris, nihilque imbri-

imbrium servantes? totam prodignnt substantiam, ut veno turgeant vento; quinimò non semel infelices chamæleontes auram depascuntur, & corio exuuntur patrimonij, nec tamen purpuram induunt, nec chlamyde integuntur consulari, seque bonis omnibus spoliant, ut vanâ fruantur aurâ, quâ nec nuditatis contegunt opprobrium.

7. Pullulat & fluctuat in corde præsertim Aulicorum, non tam aurea famæ seges quàm germinet præcelsa aurei cedri arbor, quæ altiùs radices suas agit, ut ad eminentiora protendatur. Verùm præcelsis hisce plantis promptiùs securis adjicitur in excidium: *Jam securis ad radicem arboris posita est.* (Luc. 3.) Ad radicem jam est securis posita, ut mox lapsura arbor suam in humum deprimat celsitudinem; quid ni adhuc in sublimia nitetur, cùm jam immineat lapsus? Arborem si ambitiosum dixeris inversum, à vero nec latum unguem errabis: cùm ad sublimia deberet homo eniti natus propter cœlum, in cœnum deprimitur, humique repit terrenis tantùm inhians. Verùm radici hujus arboris securis imminet, nec ictum bipennis potis est declinare, licèt luxuriante foliorum pompâ glorietur in juventa: non enim senio aruerat arbor, ad cujus radicem securim appositam dixit Lucas, quia tametsi nondum senio aruerit, edhuc tamen imminuit eidem ferrum. Nec homines senescunt omnes, cùm plures succidantur in flore sui ævi: qui vena turgent ambitionis aurâ promptiùs suos dies dimidiant, quia acrioribus torquentur curis; testis est Absolon, aliique sexcenti, qui vana ampullantes ambitione, vel in ipso vernentis juventæ flore è vivis abrepti fuetunt flammis addicti. Quàm verò præsto sit miserentis Dei beneficientia inde conjiciamus, cùm antequam plantam secet, securim radici admovet arboris, ut saltem vicinitate supplicii suæ fœcunditatis recordetur, incipiatque fructus dare, quæ in tumido ambitionis redicee agens probro laborat sterilitatis. Quam promptiùs steriles hæ plantæ fœcundarentur, si de propria monerentur sterilitate. Verùm Principes instar cœli vix minis utuntur, sed simol cum fulgetro fulmen intorquent, cientque minarum strepitum postquam stragem edidere. Nec sterilescens vitiorum circumsepta dumetis Ninive, vepribus stipata fructum dedisset pœnitentiæ, nisi imminentem juxta se novisset securim.

8. Radices ambitionis nisi evellantur inter vepres excrescunt in arborem, mox securi prosternendam; pullulantem in corde honorum cupiditatem, splendidámque de se existimationem ambitiosus evellat, ut securim declinet. Ambitionis semina opprimamus, nisi velimus & nos opprimi. Honorum illecebra vix nata in corde, & curarum dumeta nacta discit cum iisdem sterilescere, & securim contra se trahere; ambitio siquidem, cui ultro obviamus cor torquet, & mentem lancinat, & in hominem desævit universum, cujus nobiliorem partem seu mentem corrodit, ut non abs re D. Ambrosius ambitionem tineæ contulerit; *Eruca mentis est appetentia dignitatum*, (In Luc. cap. 9.) quia supplicio est ambienti, hinc mellifluus Doctor exclemat: *O ambitio ambientium crux*, (Lib. 3. de consid.) nititur ambitio in sublime, ut lapsu ruat graviori: propinat in melle toxicum, & ambientium mentes funestat etiam in æmulorum certamine; quorum celsitudinem suam interpretatur depressionem, & eorum splendores, ferales sibi umbras. Geudet ambitio umbraticis potissimum promissis illudere, & Tantalica laborant fame qui celsitudini inhiantes, honores appetunt, & in iisdem delicias sitiunt, quibus tamen si affluant, effluunt illæ.

9. Nullus Euripus ambientis mente est turbulentior; excitat ambitio fluctus decumanis tumidiores, quibue ad naufragium ambientem impellit. Imò ut cecinit Juvenalis

*Æstuat infelix angusto limine mundi.*

Talis fuit Alexandri Macedonis ambitio, cui latitudo totius mundi angusta videbetur, & ita angustiie pressus, ut aliis conquirendis mundis inhiaret: si hoc morbo non laboràsset, si suspicionem elusisset ambitionis, certè innumeris hominum stragibos non funestâsset tot terrarum tractus; neque explendæ suæ siti homanum sanguinem fudisset, quô ebrius funestiòe debaccheri fuit ausus. In id consilii ambitionis stimulue Macedonem traxit, ut cum Æsopi cane neglecto præsenti cibo inanem majorie umbram captaret: qui ambitione turgent ardentiùs dissitis inhient, & præsentia, quæ possident perinde ac excrementa fortunæ, & ipsi projiciunt; ut honores sibi comparent, dignitatee emant, & instar canis in spem majoris panis, sed umbratilie, impatienter assurgant, ut ait Seneca *Sic evenit nobis: quidquid expectantibus fortuna projecit, id sine ulla voluptate dimittimus, statim ad rapinam alterius erecti, & intenti*, (Epist. 73.) non atticissat cothurnatus Stoicus, sed verum noe edocet, quibus ambitionis stimulo percitis nullum est temperamentum; incubamus enim famæ, ut pertinaciùs hæreamus fumo, cùmque meturare famam studemus, fatuitate laboramus, non enim quid aliud femam dixeris, quàm fumum plerumque lachrymas elicientem; & qui famam aucupantur nonnisi fumum enancifcuntur.

## §. II.

### *Honores & dignitates umbratiles sunt, fallunt quos alliciunt; picturam exhibent evanidam, ac illusoriam.*

TRia duntaxat bona cor hominis videntur posse occupare, licèt nunquam penitus explere, si extra summum bonum

num evagentur, nimirum utile, honestum, & delectabile, quæ bona seorsim de humani cordis certant possessione, & si simul conspirent, omnes statim ejus occupant affectus. Ambitio verò nullum secum advehens bonum licèt affectus ambiantis rapiat, umbram tantùm exhibet: honores siquidem quibus inhiat quamvis quemdam videantur splendorem præseferre, si tamen ijsdem detrahamus larvam, vanidæ sunt umbræ, terrori potiùs incutiendo, quàm amori ciendo aptæ: terrorem igitur incutit ambitio, ut ad ejus fugam moneamur, quinimò quò prolixiùs incumbunt ambientes labori ad honoris captandam umbram, eò inutiliùs desudant, cribróque aquam hauriunt; non enim umbram assequuntur, qui honores sequuntur, cùm umbra hos tantùm sequatur, non præcedat, ut non possint eam assequi, qui honores sequuntur; umbra fugientes sequitur, sequentes fugit, ut nunquam assequi possit ab ijs, qui eam sequuntur. Plerique hanc honoris umbram horruerunt, qui deinde ab hac illecti larvâ se illi mancipârunt. Dignitas pictura est, quæ initio rudis, vilis, ac informis, brevi à cunctis in pretio habetur. Ambitioni famulantes magnis cogitationibus mentem pingunt, quæ tutiùs, ac utiliùs humilitatis penicillo delerentur, ne mens ipsa aboleatur: quia nisi ambitionis lineas deleamus, statim suo denigramur penicillo. Eva ambiens divinitatem à serpente decepta, fore speravit, ut similis esset Numini evasura, ideóque cùm primùm permisit ambitionis lineas indeletas, se ipsam delevit ab eo felicitatis statu, in quo Deus eam condidit; quia rati sunt, qui ab honorum pictura non rapiantur, si ab initio, cum adhuc rudis est, & vilis non deleatur. Saul asinas inquirens maluit jumentis famulari, quàm hominibus præesse: quàm facilè honoris initia contemnuntur, si primam ambitionis picturam adhuc rudem penicillo humilitatis oblitteremus. Mox verò Prælatus Israëli, nec Samueli subesse voluit, nec Numini, adeo raptus à picturæ elegantia, ut ab ea divelli ampliùs noluerit. David itidem adeo fuit dignitate delectatus, ut sceptro potitus, non solùm populis imperaverit, verùm & ad pompam dominatûs singulos dinumeraverit. Reluctabatur Nero, Imperator renuntiandus; sed ubi absolutam vidit honoris statuam, adeo ea oblectatus est, ut in ruinis labentis urbis solium etaxerit. Ambitione qui turget, magnísque implet mentem cogitationibus, Babyloniorum refert statuam, quæ'lutea in pede casura erat, si vel lapillo percelleretur; adeò ut nonnisi fragilis mirè surrexerit in pectus argenteum, caputque aureum. Quid ni aureum est ambitionis caput, cujus mens cogitationibus oppleta honores, ac dignitates redolentibus, solo auri nitore videtur delectari; verùm cùm luteos habeat pedes, ac humile fundamentum saxeo impingens sepulchro in cineres dissolvitur.

11. Honor tamen plerunque ut pictura in quadam distantia delectat, quæ si cominùs inspiciatur oculos offendit, movétque stomachum; rara siquidem est imago, quæ cominùs intuenti non vilescat, tametsi eminùs aspicienti pulcherrima videatur. Etiam Salomon deliciarum illecebris delinitus omnem in ijsdem repositam crediderat suavitatem; quibus tamen potitus fastidio illi fuerunt, earundem scilicet deprehensâ inanitate, ut eas vanitates vanitatum dixerit. Quinimò etiam tartareus hostis vafer Christi oppugnator hac usus est picturâ cum JEsum in præalti montis fastigium transtulit, ut eminùs terrarum regna contuens eorum fuco illiceretur: *duxit illum Diabolus in montem excelsum, & ostendit illi omnia regna orbis terræ in momento temporis* Luc. 4. quàm liberalis est mundus in suarum dignitatum pompa exhibenda. Verùm oculis illudit fallaci spectaculo, cùm ludit; ostendit se collaturum, cùm nunquam confetat; siquidem ostendit illi omnia regna orbis terræ, quæ sponderet; cum tamen nullus tali laboret dementia, ut omnia audeat sperare mundi regna, & omnia sibi subjicere terrarum imperia, poterat vafertimus seductor ostandere, ac offerre, omnia mundi regna, quæ tamen conferre haud poterat.

Imò nonnisi in momento temporis regna mundi ostendit, omnémque ambitionis supellectilem perfunctoriè exprompsit, ut inde conjiciamus quàm brevi sit duratura regnorũ possessio, cum tam brevi spatio eorum magnitudo ostendatur; quis grandem dixerit hujus sæculi supellectilem, si tota in ictu oculi perlustratur, si tota brevissimo tempore parcurritur? tam levis, tam modica est tota mundi supellex, ut in momento temporis ostendatur, & evanescat. Vel nonnisi perfunctoriè, & in momento humana omnia tartareo ab hoste exposita fuerunt, ut ex tumultuario aspectu faciliùs Christus raperetur: quia si, ut Salomon singula attentiùs, intimiúsque perpensa penetraremus, nobis procul dubio contemptui forent, quia nonnisi vanitates vanitatũ deprehenderemus. Nemo sanæ mentis vellet tot impensis laboribus sibi dignitates emere, si earum fucum, vanósque colores seriò perpenderet: nullus facilè honoribus raperetur, nec sineret se stimulo pulsari ambitionis, si seriò cogitaret, esse ambitionem secretum virus, pestem occultam, doli artificem, animi servitutem, quódque caput est, etiam animæ discrimen: nullus ad infulas sestinatet, si pondus sentiret in pedo; nemo eminentiam in dignitate cuperet, si solicitudines experiretur in purpura, æstúmque in curis: nullus solium adspiraret, si compedes in diademate considereret. Sunt qui prolixis laboribus vacant, ut felicitatem in dignitate aucupentur, qui nonnisi torquentes anxietates deprehenduntur invenisse, cùm concupito insigniti honore jugibus angantur solicitudinibus, perpetuis premantur curarum torcularibus, noctésque ut plurimum insomnes ducant. Consule eos, qui in Principis aula ad sublimia evehuntur ministe-

nisteria; raro illis serena illucescit dies, nisi Principis aura clementior eis faveat, & mœrore tabescunt, si eâdē destitutos se noverint.

13. Quid ni ambitionis mancipia in momento temporis Lippientibus oculis, purpuras, chlamydésqne consulares percurrunt, cum tineas demolientes non videant; quinimo profligato patrimonio eruginem interdum deferunt domum consumentem, non prætextam exornantem. Etiam Epulonis Evangelici purpura, & byssus innato alliciebant nitore, tametsi vermes ex ea nascerentur, & flammæ accenderentur mox torquentes eum, qui in bysso, & purpura superbire consneverar; quia & calices argento, vel auro conflati, quique ad sitim extinguendam diviti propinabantur, nonnisi supplicia mox effuderunt, non ampliùs exsiccanda in calice, sed æternùm excitanda in torturam divitis. Quis non ambitiosiùs sibi cuperet, mendici vulnera pure, & sanguine scatentia, quàm byssum divitis nitore præfulgentem? quis non præferret Lazari nuditatem mox collocandam in sinu Abrahæ, purpuræ divitis æternis flammis consummendæ? Sunt hi fructus ambitionis, quæ si enititur, ejus nisus cicuta est miseriæ invehendæ, quàm advehendæ felicitati aptior: est siquidem ambitio, quæ byssum, purpurámqua cupit induere, anguis in herba, toxicum mella illitum, venenum dulce, mórsque blanda; quam si rosam dixeris, hæc sentibus obarmatur suis ad vulnera infligenda; neque ab insidiosis abludit sirenibus, cùm sub amicitiæ specie personata arrideat, ut ad luctum, ad mœrores perducat.

## §. III.

### *Ambitio quos ad sublimia evebit in imum detrudit, de Sisypheo saxo rotat, ac torquet.*

14. TAntùm abest, quòd ambitio, quos inflat, ad sublimia trahat, ut potiùs in ima miserè detrudat, idqne vel ipse tartareus hostis nos palam adocuit, cùm Christo spopondit mundi regna: *Tibi dabo potestatem hanc universam si procidens adoraveris coram me.* Vult Christum priùs pronum in humo, & ut descendat procumbens in adorationem, quasi non potis sit quis ad thronum ascendere, nisi priùs coram dœmone descendat prostratus: quia nimirum promptiùs sublimia ad casum impellunt; ex quo imminet ruina; non quod quotquot ad solium evehuntur dœmonem procidentes adorent, cùm plures & imperaverint, & imperent immaculati, culturæ virtutum unicè addicti; sed quia ambitionis veluti mancipia si nimium elata concupiscant, faciliùs casui fiunt obnoxii: vel quia redivivi à fabula Sisyphi per aspera, ac prærupta saxaum spei onus nituntur circumvoluera ad honorum usqua apicem, quo è manibus mox prolabente deorsum, eò lapsui fiunt propinquiores, quò erant eminentiæ Luc. 4.

viciniores, ut perpetuo torqueantur labore.

15. Idqua Turannius supremus Caligulæ Procurator senex capularis, seu nonagenarius nos apprimè edocuit, is à Cæsare tanquam emeritus ab officio, quo fungebatur procurationis solutus fuit, ut otio frueretur, ac tranquilliori aurâ respiraret. Verùm ambitio in sene beneficium vacationis in argumentum subortæ calamitatis inflectens oculis fletu corruptis petiit à circumstante familia sibi parentari, in feretro quodam defuncti instar jacenti: accedit universa familia mentienti mortem parentatura, lachrymas fundit, suspiria emittit, totámque aulam clangoribus replet: absolutis justis injustè peractis, quia fictè; suspirium ex intimiore corde emittit jacens senex in feratro, móxqua surgens crebra palmarum verberatione caput, vultùmque tundit, pectúsque mœrore ægrum manu in pugnum collecta diverberat; conqueritúrque, quòd nullius Reus flagitii suo fuerit à Cæsare spoliatus officio, privatus dignitate, destitutus procuratorio munere. O me afflictum exclamavit! ò me deploratum! qui licèt nemini injurius fuerim, nulli extiterim gravamini, omnibus profuerim, nemini obfuerim, fidelitatem Cæsari incorruptam servaverim modò sim privandus Cæsaris procurationa: *Turannius* ait Seneca de brevitate vitæ. *Exacta fuit diligentia senex, qui post annum nonagesimum, cùm vacationem procurationis à Cajo Cæsare ultro accepisset, componi se in lecto, & velut exanimem à circumstante familia plangi jussit: Lugebat domus otium Domini senis, nec finivit ante tristitiam, quàm labor suus illi restitutus est:* devenerant queruli senis lamenta ad Caligulæ aures, à quo fuit senex nonagenario major pristinæ restitutus negotiorum moli, dignitatiqua procuratoriæ; nimirum infelix Sisyphus cum saxeum onus suis delapsum è manibus videret, novum, recénsque laborum vestigium terere cœpit; quia ambitio suos famulos ad extremum usqua vitæ miserè conterit: imò pyratis vult similes, qui nonnisi onustas deprædantur naves parcentes vacuis, da fece, & vappa parum soliciti: nisi Turannius pristinâ gravaretur negotiorum mole, & redorderetur Sisypheos labores, sibi defuisse visus fuisset. Suum semper in damnum ambitio molitur; cùm ut suæ inaxplebili satisfaciat siti etiam in extrema senecta pristinam subit laborum sarcinam. Cap. 20.

16. Plures sunt, quos Christus à ministeriis aulæ, ab oneribus servitutis, ab obsequiis principum ad quietam vocat, & ad tranquilliores dies; quibus cum Paralytico Evangelico Imperat secessum intra proprios lares; dixit enim Paralytico, qui in lecto portabatur. *Surge tolle lectum tuum, & vade in domum tuam*, hue est exi ab aula, depone, quibus premeris, tot ministeriorum onera, & patrios revise penates; quasi diceret in aula; qui ambitioni famulantur lectum qui- Luc. 5.

dem dicuntur possidere, non tamen domum propriam: paralysi laborant, qui in aula lectum habent, nec illi ex omnibus fortassis bonis quid aliud superest, quàm lectulus; in quo ægri decumbentes miserè jacent, cùm sibi stare videntur. Verùm cur jubetur hac laborans paralysi secum asportare lectulum *tolle lectulum tuum*, nisi quia morbo laboraverat? & cur per tegulas ad pedes JESU demittitur? nisi quia ambitio suos supra tecta elevat famulos, ut graviori lapsui sint obnoxij: utinam ita feliciter ruerent, & ægrotarent, ut à JESU sanarentur.

17. Adeo audax est ambitio, ut non solùm aulas Principum perambulet, verùm & cœnobitarum claustra ingrediatur, religiosa pectora inani repletura tumore: quinimo etiam quos Christus suos delegerat Discipulos ambitio pulsavit. *Intravit autem cogitatio in eos, quis eorum major esset:* idque vel eo tempore, quô futurum erat, ut filius Hominis traderetur, cum avaritia JESUM venderet, crucique affigeret; ut inter feralis apparatûs instrumenta insurgeret ambitio; & inter spinas coronæ reperirentur; ac sceptra inter virgas, & arundines quærerentur; per cædes siquidem, sacrique cruoris effusionem effrons ambitio mentes occupavit discipulorum togitantium quis eorum major esset; & vitiatus imperandi ardor, desiderium præeminendi bis positum, in fastum humanæ sublimitatis, etiam pretium divinæ humilitatis, convertit. Ad id audaciæ pervenit ambitio, ut ex Christi truore præsumpserit sibi purpuram tingere; & crucis clavis thronos sibi compingere; lignum crucis in sellam adornare; arundinem in sceptrum convertere; & spinas Christi sanguineis guttis madidas in diadematis rubinos, & carbunculos: *intravit cogitatio in eos, quis eorum major esset*, quia ambitio etiam inter compedes stimulatur ad coronam, inter vincula animatur ad regnum, inter flagella erigitur ad imperium, per depressiones surgit ad fastum, per cruenta vulnera ingreditur ad purpuram. Quis tantam in ambitione audaciam crederet cum acerbissimam Christi lanienam in proprij triumphi commutaverit apparatum? Quem ambitio non percurrit locum? quæ penetralia non pervadit? quos recessus non penetrat? si etiam inter vincula, flagella, & cruces sui explicat triumphi vexilla, ut triumphet in funere, vivat in nece, & splendeat ferales inter umbras? Quid mirum si ambitio Pilatum urserit ad supplicium innocentis, ne authoritas Cæsaris quidquam pateretur detrimenti! cùm & ipsa religiosa Discipulorum pectora pulsaverit, & corda occupaverit, tùm primùm Christus in manus hominum tradendus esset? quis ab hac peste tutus? si sanctuarium etiam inficit, si Christi passione expiatis Discipulorum cordibus suum diffundit venenum? quinimo non dicitur ambitio irrupisse, sed intrâsse in Apostolos per pestiferam, inflatámque cogitationum congeriem; quia ut blandè alliciat, quos sævius inficit; non ut hostis violenter in eosdem irruit, sed sub larva amicitiæ se blandè insinuat; quia si hostiliter aditum sibi aperiret fortâssis arceretur, nec ullus ei ingressus pateret: cum verò larvata amicitiam simulat, facilior aditus ei aperitur; spondet purpuras, sceptra, diademata, chlamydes, honores, dignitates, quorum speciositate abutitur ad hominum pectora expugnanda.

Luc. 9.

18. Verùm cogitatio, quæ mentes Apostolorum invaserat, *quis eorum major esset*, non tanti fuit roboris, ut vinculum Apostolicæ dilectionis potis esset disrumpere: nitebatur quidem quisque major esse, ita tamen ut fraternæ dilectionis minimè oblivisceretur, licèt ambitio sua in præcordijs natalia posuerit, in religiosis tamen pectoribus suis præfocabatur in cunis, ut nec vagire quidem ei permitteretur: cognoscens enim JESUS cogitationes cordis illorum, apprehendit puerum, quem statuit secus se, eúmque omnibus majorem futurum prædixit in cœlo, qui minor esset inter omnes: ut nimirum detumescere edisceret ambitio, cùm per depressiones ad sublimia assurgatur. Objecit Magister inflatæ discipulorum cogitationi puerum, ad cujus primum accessum detumuit ambitio: & puer armis destitutus iterum Goliathum ambitionis prostravit.

Aden vanidus est turgentis ambitionis tumor, ut statim dilpareat, & quæ Giganteam videbatur celsitudinem præseferre, triumphum cedit humili puerulo. Præcelsa quæque conscendit ambitio, pulsátque etiam cœlites; hæc enim fuit, quæ spirituum præstantissimum in Empyreo coruscantem suo inflavit veneno; quòd enim Angelici illi spiritus ab illa desciscerent faustitate, in qua conditi fuerant, contigit culpâ unius turbatoris, quem sacræ paginæ Luciferum vocant, & quæ causa fuit, ut plures rebellarent. Fuit in uno Lucifero congestum quidquid ornamentorum spiritualium, quidquid naturæ, & gratiæ dotium cæteri novem Angelorum ordines possedissent, potiebatúrque in omnes principatu; sed illi nocuit nimia felicitas; quæ ansa fuit defectionis: non me latet, varias esse sententias hanc circam defectionem, cùm plures velint, Luciferum invidiâ stimulatum iniquissimè tulisse, hominis dignitatem in æqualem gloriæ cum Angelis possessionem venturam. Alij sentiant, Deum Angelis adhuc in viæ suæ cursu constitutis aperuisse futuram Verbi divini cum natura humana conjunctionem, & Christum constitutum iri Regem, & caput non hominum tantùm, sed ipsorum Angelorum, cui propterea detrectaverit Lucifer debita eidem obsequia exhibere. Mihi tamen ijs videtur promptiùs adhærendum, qui asserunt, solam ambitionem causam fuisse talis defectionis, nimirum Luciferum insolente mentis elatione æqualitatem ambiisse Numinis, nec suâ contentum arrogantiâ, plures Angelorum myriades in suam traxisse defectionem. 19.

Famu-

20. Famulabatur ambitioni Lucifer, cum dominatu potiretur, ac Principatu in cæteros spiritus, sed cùm primùm ambitione cœpit intumescere, à summo illo cecidit Principatu: Christus apud Lucam. *Videbam Satanam sicut fulgur de cælo cadentem*, (Lucæ 10.) est fulgur debacchantis procellæ splendidus abortus, aborsus vanidus, ac simulatæ lucis feralis artifex; vulnerat enim, cum lambit; umbras adfert libitinæ, cùm propè emicat; strages spargit, dum fragore obstrepit; illucescit è disrupto nubis sinu exiliens, sed vix natum, & sepulchrum nactum emoritur; extinguitur, cùm primùm splendet; & interitum invenit, ubi primùm in sinu nubis matris splendorem affectat: ergo Satanas, quia ambitione tumidus è summo cœlo corruit, ut timeamus ambitionem, quæ ad sublimia elevat eos, qui eidem famulantur, ut repentè in præcipitium agantur.

21. Lapsus Luciferi fulguri pariatur præsertim ob velocitatem descensus, cùm momento ruat; & ob splendoris brevitatem, qui in suo extinguitur ortu; & cum ipso lapsu ferales convertitur in umbras. Vel comparatur fulguri ambitio, quia ut fulgur plerumque nonnisi procellis inutritur, nec emittit ambitio sine cæde lucem; solem ipsum divinæ gratiæ ereptura, ut splendeat ipsa per disruptę nubis maternum sinum exiliens. Quàm misera, quàm infelix ista splendentis fulguris conditio! cujus lux fulminis prodroma nonnisi feralibus cupressuum umbris confœderatur. Qui ambitioni famulantur à fulgure haud abludunt, sursum nituntur, ut ibi splendores enancisčantur, ubi ad ferales tenebras præcipitij aditus aperitur: fides nulla est ambitioni adhibenda, quæ perinde ac fulgur in turbine oritur, & moritur. Cavendum est ab ejus splendore, qui lumen non emittit sine vulnere, nec cum fragore obstrepit, nisi strages spargat, & cædes.

## §. IV.

### *Ambitiosum excellendi desiderium Protoplastos è terrena felicitate egit extorres, totùmque humanum genus ad mortem subeundam coëgit.*

22. PRoterva ambitio non Angelorum tantùm præstantissimum de summo cœlo abegit. Verùm etiam in terris è terrena felicitate extorrem egit humani generis communem parentem. Ingressa ambitio paradisum terrestrem, adeò altiùs ibi radices egit, ut universam humanam propaginem infecerit, ac miserè corruperit. Sicut Deus in empyreo Angelos collocavit, ita in terris primum hominem recèns conditum in horto posuit, omnium scilicet amœnitatum, gratiarúmque compendio, imò condidit ibi Protoplastos ad suam imaginem Deus, quibus etiam animum impertivit immortalitate donatum, eúmque instrvxit scientia, & cognitione non rerum tantùm omnium naturalium; sed earum insuper, quæ supra naturam elevantur: addiditque gratiam, quâ ab ipso ortu Deo grati, amici, & filij, constituerentur: dedítque corpus viribus validum, spiritu vividum, succo vegetum, temperamento sanum, sensuum ministerio perspicax, membrorum compage, colorum adaptatione, partium proportione, eximiâ præditum venustate, nullíque obnoxium interitui: & hisce cumulato favoribus addidit beneficium innocentiæ primigeniæ, hoc est spiritum liberum, suíque juris, cui appetitiones singulæ, ac cupiditates obsequerentur; imò pactum etiam adjecit, ut si in Numinis perseveraret obsequio singula beneficia sibi præstita, veluti jure hæreditario in posteros transmitteret; secus imperata si rumperet, quidquid bonorum, & dotium possideret, illicò amitteret, séque neci obnoxium constitueret, suósque posteros in moriendi necessitudinem traheret è cœlo extorres, terræque paradiso deturbaret.

Erat locus iste deliciarum omnium refertissimus; cœlum semper ridens, & arridens, & quod nulli terræ halitus, grave, grassúmque redderent, proinde salubre jugiter, & verna quadam temperie prorsus paccatissimum; illic omnis honestæ voluptatis, ac deliciarum plenum vivarium inspiciebatur, illic arborum, plantarum, fructuum, florum ferax ubertas necessaria suppeditabat ad sensus æquè demulcendos, ac pascendos. Ibi mira plantarum distributio, elegans florum varietas, ferax pomorum copia: ibi ambulacra spatiosa, virides porticus, herbida apricantium solaria, viridantia meridiantium umbracula, & respirantium sub dio aura lenis, hospes Hyblæ, Hymetti filia. Distinguebantur artificiosis dispositæ spatijs amœnæ sylvæ, opacati saltus, frondosa nemora, plantaria, vireta, pomaria, ut una venustissima voluptas in mille videretur sparsa illicientes voluptates; illic tellus semper virore læta, floribus discolor, & elegans; ver perpetuum, ut arbores nunquam se frondibus spoliarent, ut novam inducerent spem fructuum, quibus jugiter ditescebant. In arborum ramis, & per aërem avicularum turmæ demulcebant aures liquidissimis cantibus, quos tenui gutture edebant, auditum mirabiliter recreantes, ut & picturatis pennis visum demulcentes. Præter hæc, ne tellus aresceret, aut siccitate squaleret, fons ingens par maximis fluvijs prorumpebat, qui in alios se quatuor dividebat amnes. 23.

Hisce delicijs geminam munificus DEUS adjecerat arborem, alteram vitæ fomitem, alteram virtutis, ac meritorum exercitamentum, quarum primam in ipso horti meditullio defixit, ut æqualis singulis ad eam pateret accessus, ac facultas: hæcque arbor vitæ erat, cujus naturæ vis medica vescentibus ejus fructu, 24.

quamvis non immortalitatem, longissimam tamen vivendi suppeditabat facultatem. Postrema diverso sita loco, stirpis tamen foliorum, fructuúmque forma elegans, arbor scientiæ boni, & mali vocabatur: ut autem suæ homo non oblivisceretur servitutis, præcépit ei Deus, ne poma hujus arboris scientiæ boni, & mali gustaret, idque sub pœna, unà cum pomo deglutiendi mortem.

24. Satan verò invidus tantæ felicitatis per fœminam hominem ab ea extorrem fecit, cum enim invidia cacodœmonem torqueret, serpentem animal astutum, & sagax ingressus suis artibus vocalem effecit, & loquens Satan in angue, Evæ suasit, ut si vellet proximiùs ad Deum accedere, & veluti naturam Numinis induere pomum ex arbore decerperet, dentibus morderet, ac deglutiret: paruit fœmina angui, qui mira sermonis illecebra ejus sibi captaverat benevolentiam, & degustato pomo statim avolat ad maritum mulier, vimque pomis illis insitam pluribus laudibus commendat, eique suadet, & persuadet, ut experimento comprobet, quod verbis infra meritum tantùm potis est explicare, ut pomum gustet, & totam simul scientiam boni, & mali cum pomo deglutiat, fiátque omniscio Numini similis, sed ò ruinosam ambitionem! hæc ut protoplastos alliceret specie quadam divinitatis cum pomo deglutiendæ ad ima detrusit ærumnarum: siquidem cœpit statim insurgere turba concupiscentiarum, & rebellare contra spiritum, capútque attollere irrequieta legis membrorum rebellione contra rectæ rationis imperium.

25. Præ cæteris fortiùs eos aggressus est furor erubescendæ libidinis, cujus ipsi turbulento sensu exagitati erubescere cœperunt, & à propria nuditate ob patratum inobedientiæ crimen, & vultuum confusione adacti in densius ambo concedunt arbustum verecundiam suam soli, ac luci subducturi, sibique frondea subligaria ex connexis consuturi ficuum folijs: ira est, qui ambitione turgentes ad sublimiora nituntur, lapsu semper graviore in ima ruunt miseriarũ. Malè siquidem à fœmina carptũ malum, morsúq; ab utroque protoplasto fractum, & deglutitum malorum omnium sibi, & posteris ilias fuit. Unicus interdicti pomi morsus in profundum omnium miseriarum totum detrusit humanum genus, ut non immeritò carptum à fœmina pomum dixeris illam Pandoræ pyxidem, à qua tot scelerum portenta, tot supplicia, calamitates, morbi, ægritudines, dolores, ærumnæ, bella, fames, pestes, ac cæterarum omnium calamitatum agmina exiliunt, nobis mortem propinatura; hinc è cœlo nubibus fœdo ruunt fulmina, minantur tonitrua, & in hominum perniciem decidunt grandines, camporum segetes uno attritu messoribus abripientes; excitantur procellæ, ac turbines ad naufragium impellentes, quæ maria trajiciunt naves; & unius vetiti pomi morsus in fluctuantis hujus vitæ procellosum mare omnes homines dejecit, ubi venti vehementiores tam concupiscentis, quàm irascentis animi, fluctúsque, decumanis tumidiores ad perniciosa nos pertrahunt naufragia.

Ex hoc larvato pomo; ex hac fomica statim pravarum cupiditatum ebullivit purulentia, quæ totum infecit humanum genus, quod luit in suo primo parente; ut quod unus deliravit, plectantur omnes: ad hanc miseriarum iliadem homines omnes una pertraxit ambitio, quæ in protoplastis voluit Deo assimilari: fidem præstitit mulier susurranti serpenti; *Eritis sicut Dij*, hac sermonis illecebrâ, virus pestiferæ ambitionis hausit, & simul cum pomo ambo protoplasti sibi, & posteris mortem deglutierunt, & una ambitio totum perdidit humanum genus. 26.

Quinimò non in protoplastis tantùm ambitio homines quatit, sed posterorum etiam pulsat pectora, ut duplici supplicio protoplasti, & proprio torqueantur quotquot ambitio ad sublimia erigit, ijsdque lapsu graviore præcipitium adaperiat, ut contigit Dathani, Abironi, & Cori. Constituerat DEUS Aaronem supremum sacrorum Pontificem, & Moysem causarum civilium Judicem, ac divinæ internuncium voluntatis. Pupugit fraterna sublimitas Corem virum Leviticæ propaginis Aaronis, & Moysis consobrinum, qui ut utrumque fratrem exauctoraret, Dathanem sibi, & Abironem adjunxit, viros ad quodvis facinus paratissimos, viribus etiam potentes, & factiosos; quorum propterea ope usus Core plurimos, & quidem spectatissimos ex populo ad suas pertraxit partes; adeò ut conjuratorum convenerint ducenti quinquaginta, omnésque patricij generis, publicique consilij Senatores; quorum omnium eò nitebatur summa conjurationis, ut Moysem, ejúsque fratrem Aaronem Magistratu propellerent, & huic Corem, qui vel maximè dignitatem supremi sacerdotij ambierat, subrogarent; & Moysi alium de cœtu Senatorum, qui conjurârunt: cæteri verò fortibus inter se jactis ad minora eveherentur sacerdotia, nimirum quotquot Leviticæ stirpis essent: & aliarum stirpium populi præturas, Præfecturas, tribunatus sibi partirentur: & munia hæc omnia Factiosi illi spe jam sibi usurpaverant; adeò ut qui sacris obeundis inhiarent, jam intra tentoria sibi quisque acerras, thuribula, & alia id genus ad divina obeunda ministeria clangulum prægpararent, ut cùm primùm tempus exegisset ad adolendum accingerentur. 27.

Rebus ita compositis glíscente tumultuantium colluvie, conveniunt Coritæ pro divini foribus tabernaculi suis singuli æneis thuribulis instructi: aderat & Aaron thuribulo aureo, quo ut Pontifex uteretur; aderat, & Moyses sua cum Judicis virga, hic verò con- 29.

contestatus coram plena populi frequentia non ambitionis suæ commentò, quæ dixisset, & fecisset, sed ex solo divini oraculi præcepto; dehiscentis telluris sepulchrum, igniúmque inferorum supplicia rebellibus interminatur: rogat tamen Moyses, ut tumultuarij à nefarijs cœptis desistant; hortatur, simúlque obsecrat Core, ut vanidum ambitionis tumorem deponat, incipiátque detumescere. Verùm quia perinde id fuit, ac crebrò aquam haurire, & surdis canere, disruptâ illicò terrâ, hiatúque latè diducto uno temporis momento eos tetra deglutivit, qui ambitione turgidi, in sublime ad principaliores nitebantur dignitates evehi: hausta itidem sunt cum hominibus hiatu discissæ telluris cum ingenti fragore, ac ruentium confuso clamore, tentoria, & tota rebellantium supellex. Exterruit hic interitus omnem populum, qui circum castra cum Moyse steterat, simúlque spectator extitit totius ruinæ, omniúmque cladium, quas unica effecit ambitio in Corem debacchata: ab hac enim scintilla tantus fuit ignis excitatus, qui prægrandem incenderet sylvam: & hæc ea est scintilla, quæ etiam nunc cœtus, domos, Urbes, Provincias, Regna, & Imperia terrarum inflammat, perditque, præsertim si ambitio invidiæ, ac livori adnectatur. Corem ad primam, supremámque sacerdotij dignitatem ambitio stimulavit, & invidia ursit: has verò veluti ex erebo prorumpentes Megeras secutæ sunt veluti pedissequæ cogitationes turbidæ, & principatûs adipiscendi nigra, ac nefaria consilia. Verùm quos ambitio ad supremum stimulavit Pontificatum, primásque in Israële dignitates, hos supplicium adeò deturbavit in imum calamitatum, ut tellus se ipsam discinderet, eos hiante ore devoratura.

## §. V.

### *Immodicus in dignitates affectus insidias etiam proprio sanguini nectit, & tortor est sui in Adonia.*

30. AMbitio, quia oculis orbata, ac fœda laborans cæcitate, quos suo inflat tumore præcipiti in imum miseriarum detrudit impetu, perdítque eos, quibus lucrum, vel dignitas unicè erat cordi, Papilionibus, nec latum unguem dixerim ambitionem abludere; hi siquidem umbratiles volucrum fœtus lucernæ capti splendore eam tamdiu circumvolitant, donec adustis alis pereant, solvantúrque in cineres. Testem produco Adoniam Davidis filiorum natu quartum, qui captus ambitione regnandi, ausus fuit sceptrum paternum sibi polliceri contra parentis institutum: caverat enim testamento David, quò Salomonem Regni hæredem constituerit. Noverat Adonias fratrem Absolonem in conatibus oppressum audacissimis, & nihilominus in discrimen non tam coronæ, quàm capitis se dedit; eu quàm pertinax est spes, quam ambitio concipit, & gloriæ cupiditas parturit? Florem attigerat tunc Adonias primæ juventæ vigesimum scilicet ætatis annum, & in vulgus, vel maximè commendatus ob speciem formæ, privilegium nascendi, & munificam in populum liberalitatem.

Hic igitur mortuis Absalone, Annone, filióque Bethsabeæ, ratus sceptrum ad se pertinere, sibi currus, equos, & equites, catervásque famulorum adscivit, Davide parente jam senio labente, sciente quidem, sed non reprehendente. Cœpit stimulis ambitionis solicitatus titulum prætendere Religionis, ut populum promptiùs in sua flecteret vota: sacrificium extra urbem Solymeam, simúlque regium convivium instituit, ad quod fratres cæteros invitavit uno omisso Salomone. Convenerunt ad epulum etiam Belli duces, nimirum ut robur, virésque sceleri accederent, assidentibus convivio Joabus accensebatur Davidici exercitûs supremus Præfectus, & Abiathar sacerdos summus: cœperunt omnes, qui aderant indulgere vino, & exiccare calices, jámque convivij hilaritas eò processerat, ut fumantia inter fercula, simúlque vino capita, Adonias inunctus à Pontifice à reliquis Rex salutaretur. Verùm non potuit hæc inauguratio ita clangulum fieri, ut ad aures non deveniret adhærentium Salomoni, præsertim Nathania Prophetæ, quem Salomon educatorem, simúlque institutorem habuit, is quæ contigerant in Adoniæ convivio, defert ad Bethsabeam, & hæc ad Davidem, qui ad moras omnes rescindendas, ne quid periculi inde oriretur, statim Sadocho sacerdoti, vatíque Nathani, & militiæ Duci Banaiæ injunxit Salomonis unctionem in Regem, & inaugurationem: convocatóque exercitu Salomon imponitur mulæ regiæ, deducitúrque in arcem Githonem, ubi cum suis Adonias epulabatur regijs in hortis. Ungitur ibi Salomon in Regem, & faustis acclamationibus revectus Hierosolymam paterno sceptro donatus regium conscendit solium adgratulantibus populis. 31.

Terruit ascensus Salomonis ad sceptrum Israëlis Adoniam, qui à reliquis desertus in fœderis se tabernaculum recepit, quod Gabaone summâ celebrabatur religione: asylúmque apud Aram quæsivit, & quæsitum invenit. Non tamen exulavit ambitio à capite Adoniæ, licèt diadema Regium ab eodem jam exulaverit: alias, & alias fluctuantes excitavit cogitationes, procellam scilicet, quæ suum postea absorbuit Authorem. Ambitionis siquidem folle juvenis animum inflârunt Joabus, & Abiathar præcipua seditionis instrumenta, dolebat Joabus supremam militiæ præfecturam sibi ereptam, Amaso æmulo substituto: ægrè ferebat Abiathar Pontificatum à se ad Sadocum trans- 32.

la-

latum: & cæteris acriùs torquebatur Adonias, quia Salomon sibi præferretur in diademate. Hinc inde ad recentem conspirationem viam stravit excessus Davidis è vivis, animósque addebat infirma valetudo Salomonis recèns electi. Abisag fœminarum formosissima jam dudum oculos rapuerat Adoniæ, crediderat enim posse fœminæ speciositatem regium diadema in dotem conferre; nuptias expetit, & nuptiarum consiliatrix accitur Bethsabea, quæ doli ignara eò lætiùs negotium suscipit, quò cupidior erat fraterna odia, ac diffidia delendi, maculásque contractas abstergendi; unde accessit Salomonem, cui desiderium aperuit Adoniæ.

33. Verùm advertens Rex gliscentem doloso sub cinere scintillam; quæ promptiùs ferales erupisset in flammas, incendium sparsuras in toto Regno, consultiùs duxit, maturè extinguere flammam, ac interfici Adoniam, quem turgida ambitio, & exitialis cupido regnandi authorem seditionis effecerat, & quidem armatâ manu Banaiæ tribuni prætoriæ cohortis. En quomodo labitur inferius, quem ambitio in sublime nitebatur evehere. Adonias fratris Absolonis exemplo sub specioso sacrificij illicio positurus conjurationis initia, regnandi libidinem, & ambitionis tumorem palliolo religionis tegit, sed in sui eluctabile exitium prodit, & quem ambitio ad solium nitebatur regium evehere, patratum in fratrem scelus in imum detrusit extremæ calamitatis; vix latere possunt, quæ in magnos patrant scelera: nubes, quæ solis nitores abripit, se ipsam dejectâ in humum umbrâ clariùs prodit, momentúrque omnes, quos umbra attingit, nubem sursum adesse solis ad nos demissos splendores prohibentem.

34. Mirum sanè, quòd ambitio adeò honores sitiat, ut proprium etiam ebibat sanguinem, nec pareat parenti, nec fratri: quis hanc ex erebo erumpentem Megeram; vel è summo cœlo cum Lucifero delapsam furiam non dicat summorum scelerum ministram? cum debacchata ruat per fas, & nefas, jura humana, & divina confundat, sanguinis necessitudinem obliviscatur, vincula amicitiæ disrumpat, legésque ipsas naturæ conculcet, ut uxor in virum, fratres in fratrem, filius in patrem ad necem usque crudelissimè grassentur? idque præstitisse Liviam Augusto Cæsari marito refert Tacitus, ut etiam Agrippinam cum Claudio. Neque ambitio, cum cæcitate laboret, finit suscepta respici beneficia, præsertim cum insatiabilis, semper infra vota, ac merita se recepisse arbitretur. Appositè Seneca de beneficijs. *Non patitur aviditas quemquam esse gratum. Non patitur ambitio quemquam in ea mensura bonorum conquiescere, qua quondam ejus fuit imprudens votum. Nemo agit de tribunatu gratias; sed queritur, quòd non est ad præturam usque perductus, neque hæc grata est, si deest consulatus; nec hic quidem satis est, si unus est: ultrà se cupiditas porrigit, & felicitatem suam non intelligit, quia non unde venerit, respicit, sed quò tendat.*

*1. annal. Lib. 12. sub fin. Lib. 2. cap. VI.*

35. Sed quò ambitio altiùs contendit, eò fit ruinæ proximior, argumento est posteris, Carolus Audax postremus Burgundiæ Dux ad Nancæium à Renato Lotharingo in acie cæsus. Iste ætate, gloriâ bellicâ, Provincijs subditis florentissimus nullum se ipso expertus fuit acerbiorem hostem; stimulante nimirum ambitione Ducis animum magnis oppletum cogitationibus: siquidem cum Galliam sæpiùs bello incendisset, velletque Helvetiorum collo jugum immittere, Lotharingiam, veluti aggerem suis interpositum ditionibus amoliri: primò gemino prælio ab Helvetijs in fugam actus Lotharingiam petijt, suis addendam ditionibus: verùm adeò magnis hisce cogitationibus intumuit, ut propè Nancæium violenta morte crepuerit. Periculosum est, si Princeps, quos pares nascendo habuit, nitatur regnando impares sibi subijcere, tametsi nulla sit tanta humilitas, quæ dulcedine gloriæ non tangatur, stimuletúrque ad altiora; pensandum tamen, quantum insit periculi ambientiexcelsitudines, & eminentias, cum fulmina promptiùs culmina feriant, sæpiúsque utilius sit despici, quàm respici. Multi non tanta fiducia, & alacritate currerent ad honores (ait D. Barnardus) *si se sentirent onere gravari, nec cum tanto periculo affectarent infulas.* *In Epist.*

36. Humilitati unicè addicti erant filij Zebedæi, non tamen tanta fuit hæc humilitas, ut & ipsa dulcedine gloriæ illecti ad sublimia non adspirarent: *tunc accessit ad eum mater filiorum Zebedæi cum filijs suis adorans, & petens aliquid ab eo.* In adorationem procumbens fœmina aliquid petijt, ut assurgeret, & humilitas erigeretur: quàm rarò se jungitur ab adoratione petitio! Petijt mulier aliquid ab eo, qui omnia munifica impertitur largitate, sed quid est hoc aliquid à fœmina adorante enixim efflagitatum? an fortássis eum filij Zebedæi piscibus studeant expiscandis, rete mulier, vel remum, aut lembum petijt? Verùm expiscatio filiorum longè à matris abludit petitione, eùm petierit non remum, sed sceptrum; non rete, sed chlamydem; non lembum, sed regnum, *Dic, ut sedeant hi duo filij mei unus ad dextram tuam, & unus ad sinistram in Regno tuo*, quàm rapax ambitio, quæ arundinem ferreo hamo armatam cum aureo sceptro mutare satagit? & naviculam quatuor tantùm remis actam cum regno nunquam perituro? rapacior sanè fuit ambitio in matre filiorum Zebedæi, quàm libido in filia Herodiadis: siquidem ambitio regnum petit ab eo, qui non habet, ubi caput reclinet; & libido in filia oblatum ab Herode dimidium Regni repudiat capite solius Joannis contenta. Nimirum ambitio nunquam satur ad

ad sublimiora semper nititur, verùm si pannosi piscatores quoties ambitio eos pulsat Regnum expetunt, sceptra, & diademata sperant, quid non appetunt in aulis ambitioni qui famulantur, & Principi? Quid, quòd non solùm pauperes fuerunt piscatores, verùm & Apostoli, qui nihil possederant, & omnis pro Christo reliquerant, ut conditione essent religiosi, & professione mendici? & tamen quos mendicitas detinebat in pulvere, petitio matris evehebat ad Regnum; Adeo verum est, ut quos ambitio pulsat, hi sublimia tantùm suspiant: quamvis paupertas sordesceret in pulvere, vel aquis innataret, cùm primùm tamen ambitio surrexit, regnorum sitis exsurrexit, & curulium; & quos horror futuri funeris in Magistro deterrere debuerat, hos honor eminentiæ in matris ambitione ad solium evehebat; ut qui rete semel dimiserant, sublimarentur ad thronum; neque objecta crux potuit exundantiam ambitionis inhibere, quin utrumque latus dextrum, & sinistrum invaderet throni ad illud occupandum. Quàm dissoni sunt ambitionis mores, quando enim aliquid modicissimi pretij, vel dimittit, vel omittit, statim inflatis buccis, apertóque ore clemat: *ecce nos reliquimus omnia* Matth. 19. rete nimirùm dimiserant, in quo totum claudebatur patrimonium; verùm cùm ambitio optat, quæ superant omne pretium; cùm ambit Regnum, insusurrat cum matre, & in adorationem prona prolabitur, ut pateat, quo ad sublimiora assurgat; hoc autem proprio non exprimit nomine, sed imminuit, *adorans, & petens aliquid:* nimirum regnum, quod insatiabili ambitioni pauxillum aliquid videbatur.

## §. VII.

### *Ambitio laborat hydrope, sitímque quâ æstuat, potis non est extinguere.*

17. Quòd si Regnum ipsum cœlorum exsaturandæ ambitioni adhuc impar; non credem? fluxa mundi bona ejus extinguendæ siti idonea; maris est sitis, quâ ambitio ardet, tametsi flumina omnia temporaliū bonorum ebibet, non inde extinguitur sitis ambientis ad sublimiora niti, quie ambitio sitit in hydrope post rivulum flumen, post flumen fluvium, post fluvium plenum delebentium aquarum Catachlysmum, insatiabilis est, & inexplebilis hydrops ambientium, quò plus bibuntur, plus sitiuntur aquæ. Verùm si hydrops, quò pluribus turgescit congestis aquis, eò proximior fit interitui, promptiúsque detumescit; solvitúrque in cineres: ab hydrope haud abludit morbosa ambitio, quæ quò tumidioribus, magnisque implatur cogitationibus, eò promptiùs in exilem delebitur pulverem. Cujus Julius Cæsar non solùm honores appetivit immodicos, recepitque; ut continuatum consulatum teste Suetonio, perpetuam dictaturam, morum præfecturem, pronomen Imperatoris, cognomen petris patriæ, statuam inter Reges, suggestum in Orchestra; verùm etiam ampliora humano fastigio sibi decerni passus est; quæ tamen omnia extemplò pulsante Libitinâ ostium dimisit, quæ nonnisi diuturno sudore admiserat. Prægrandes animæ honorum non delectantur fucato nitore, qui fulguris instar moritur, cùm oritur: hinc præclarum circumfertur effatum Maximiliani Electoris Bavariæ in monitis filio datis, quæ altiùs memoriæ imprimeret, *gloria fumum spernit magnanimitas, ambitio quærit.* Quærit tamen fumum, qui plerumque oculos adigit in imbres liquescere lachrymarum.

Quos ambitio è sublimi solio in luctum non deturbavit, ac lutum detrusit? 38.
Ter, quatérque beatum se fore existimavir Absolon, si redux ab exilio patris dignaretur aspectu, quem enixim expostulavit: *obsecro, ut videam faciem Regis.* Complacuit, annuit pater filij votis, osculóque supra spem adolescentis suam extulit humanitatem, fortémque filij plurimum provexit. *Vocatúsque est Absolon, & intravit ad Regem: osculatúsque est Rex Absolon.* Redundavit gaudio Absolon; qui 2. Reg. 14.
cùm simplicem ambiret ingressum, exceptus etiam fuit amplexu. Verùm quia siti laboravit Absolon ambitionis, mox cœpit currus, equos, tubas, turbásque accire, quibus profectus in Ebron sibi Regnum arrogavit, exiliúmque patri ante osculanti, & amplectenti indixit. *Statim ut audieritis clangorem buccinæ, dicite regnavit Absolon.* O sitim ambitionis inexplebilem! 2. Reg. 15.
Absolon, qui tantùm inhiebat aspectui patris ad summum felicitatis fastigium attingendum; quie pater non solùm aspectu, verùm & emplexu, & osculo dignatus eum fuerat, cœpit acriori sitire ardore, móxque thronum ipsum ambit, à quo deturbatum patrem extorrem in partes exteras adigit: & saturata embitio osculis, ac amplexu non quievit, sed tumidior insurrexit. Verùm assurrexit, ut corrueret; quia cùm sedens in throno lauro inhiaret, hæsit infelix quercui pendulus; dum sceptrum manu tractaret, adhæsit capillis ramo; & cùm fulgeret auro, gemmisque stipatus, fere libus obvisvit Libithinæ umbris. *Dominandi cupiditas* (ait Thucid.) *raro bonos habet eventus.* Lib. 6.

Non tantùm ipsa ambitio noxia est, verùm & ipsius somnium ferale, & umbra lethalis, idque adumbratum deprehendimus 39.
in Josepho somniente spicem felicitatis, sibiq; præstita cæterorum obsequia. *Putabam manipulum meum stare, vestrósque manipulos* Genes. 37.
cir-

*circumstantes adorare manipulum meum.* Sed vix somniarum delibavit felicitatem, cùm siti acriore ad uberiora licèt somnians se præsensit evehi honoris culmina; revulsis siquidem stipulis, & exsufflatis paleis; spicarum aristas, vel in astra ipsa suffixit, ut non solùm in campis flavescentes manipuli in sui obsequium humi se prosternerent; verùm etiam cœli flores, ac sydera vernantia in rosas in sua se flecterent obsequia: aliud quoque vidit somnium, quod narrans fratribus ait: *Vidi per somnium quasi solem, & lunam, & stellas undecim adorare me:* inchoavit ab humiliatione manipulorum in agris suum ambitio ad sydera usque ascensum, à culmis exorditur in cœno, mox progressura in cœlum; acclinatos sibi circumspexit manipulos in valle, sed excussis paleis solem ipsum, & lunam, ac reliqua sydera pro culmis defixit: sed quid ni? vel somnians ambitio vigilem experitur in imo detrusionem; causa siquidem fuit Josephi somnium, ut à fratribus in cisternam demitteretur, venúmque nundinantibus Madianitis daretur: sed hujusmodi depressio, ac humiliatio, quia non somniata, sed vera fuit, Josephum è cisterna ad culmen provexit in Ægypto honoris. Nititur ad sublimia ambitio, præsertim in Principum aulis: videmus plerumque pannosos, exilésque fortunæ viros, perinde ac sordescentes in cœnosæ telluris sinu vapores beneficio solaris radij sursum evehi, & in nubem spissari, ac aëris præcelsa discurrere spatia, terrorem, nonnunquam incutientes minis tonitruum capitibus hominum, quorum antea pedibus conculcabantur. Qui in aula favore Principis è cœno mendicitatis sursum evehitur, statim fore sperat, ut felicitatem in sublimiori gradu debeat enancisci: & illicò ne incomitatus spectetur in aula, pedissequis stipatur, móxque rhedam meditatur, vehitúrque curru, non tamen inde suum explet ambitio triumphum; quia in curro se adhuc humi reptare putat, nisi sejugo in curru catervâ sequente famulorum, cæterorum obscuret splendorem; perinde ac cœnosus halitus sursum elatus, & in nobem coactus umbras, vel in ipso sole spargit, quibus cæteri destituuntur in terris solari nitore. Verùm plerumque quos ambitio è cœno ad cœlum usque extulit, non sine lachrymis ijdem primordia repetunt; perinde ac halitus sursum in nubes addensati, & in pluvias spissati deorsum relabuntur in cœnum, unde fuerant evecti.

Genes. 37.

40. Declinanda est ambitio, penitúsque fugienda, cùm nonnisi lethales lapsus, & ferales ruinas meditetur: etiam David fertur à facie Absolonis trepidus profugisse, hoc est, qui Goliato giganti, & ad bellum armato, terrorémque incutienti truci intuitu intrepidus obviavit; mox trepidus adolescentem fugit, timétque filium, cum hostem ad pugnam paratum, non expaverit; quia scilicet ambitionis siti exardescens Absolon, vetendum erat, ne paternum biberet sanguinem: meritò igitur imberbem inermem David refugit, qui armatum spreverat, quia ambitio etiam paternum fundit sanguinem, quo purpuram sibi tingat: sed plectitur à patre, quia de Absolone tunc tantùm desperandum erat, cùm regnandi libidine cœpit æstuare: ambitionis stimuli adeò adolescentis animum urserant, ut Sion invaderet, regiam diriperet, urbes expilaret, Reginas prostitueret, & etiam patrem ipsum insequeretur; quódque Sennacherib inchoare ausus non fuit, id adolescens ambitione turgidus perfecit: adeò immanis est hæc Megera, ut nec paterno sanguini parcat, nitatúrque patris vitam extinguere, quò proptiæ satisfaciat siti, regnandique cupiditati.

41. Nil est validius ad expugnanda pectora etiam adamantina ambitionis tumore, quò usus tartareus hostis etiam filium Dei adorsus fuit, ostendit ei omnia regna mundi, & gloriam eorum. Desperaverat enim Satan cæteris machinis Dominum expugnare, quem senserat irrisisse dominatum, & licèt in reliquis congressionibus nil à Christo ausus fuerit petere; & quando lapides verti peroptat in panes, nil offerat, nilque exigat; adeò tamen fidit ambitioni, ut ejus tumido spiritu futurum speret triumphum, indeque subdit, *hæc omnia tibi dabo:* verùm cum suffossus ab hoste cuneus in irritum abijsset, & ambitionis usus ariete nil ad votum effecisset, desperans de victoria abivit. *Et consummata omni tentatione Diabolus recessit ab illo:* tria legimus tentationum jacula Diabolum in JESUM vibrâsse, cùm nimirum, gulâ, ambitu, & præsumptione fategit illum oppugnare. Sed cur in hisce tribus consummata dicitur à D. Luca, omnis tentatio, an non supererant aliæ sagittæ, quas Satan ejacularetur; nonne potuit ad iram provocare; avaritiam accire, livorem in suppetias vocare. Verùm rectè dicitur consummata in una ambitione omnis tentatio, quia quem Satan invictum noverat contra ambitionis assultus, hunc frustra censuit reliquorum machinis vitiorum oppugnandum: nisi frustra hostis tartareus ambitionis ariete usus fuisset ad pulsandum Christi pectus, non defuissent cætera instrumenta, quibus ad victoriam sibi viam sterneret; verùm quia reliqua minoris sunt roboris, spem totam perdidit frustrata ambitione. Sed cur adhuc libidinis in eum machinas non admoverit? Verùm abstinuit, quia jam noverat jejunum, ac de gula retulisse triumphos, cùm enim esuriens neglexisset lapides in panes verti, libidinem profectò promptiùs fefellisset.

Matth. 4.

Luca. 4.

De-

42. Detumescat, qui vinci tartareo ab hoste detrectat. Vicit Christus omnes hostis conatus, coërcuit assultus, infregit ictus, quia humilis; à stabulo enim Christi humilitas cursum exorsa, nonnisi in patibulo, quod meta probrorum fuit, conquievit: etenim si in præsepio jumentorum fœditatem temperavit Magorum accessus; & nuditatem palearum nobilitavit oblatio auri, thuris, & mirrhæ; in cruce tamen infamiam supplicij latronum societate duplicavit: quòd si totam Christi vitam percurramus, unicum fuit solius humilitatis studium: à præsepio siquidem profugus in exilium delatus fuit, ab officina in Jordanem, à Jordane ad piscatores: quòd si Satan in suas effunditur laudes, ad silentium statim eum adigit, quem nescias utrum luctantem in eremo, vel obsequentem in loco campestri fortiùs vicerit. Cœnat mox cum Phariseo, non tam ut ejus aleretur appositis ferculis, quàm ut latratibus ejus lacessitus corriperetur: *si esset Propheta hic, sciret, quæ & qualis est mulier, quæ tangit illum*, si à resipiscente Magdalena inungitur pede, ut inungentis caput sanaretur, obmurmurat statim Judas, sed Magister rabiem discipuli humilitate coërcet, & fragrantiam unguenti in diem rejecit suæ sepulturæ: mox in horto à Juda proditur, in atrio à Petro ejeratur, in monte cum iniquis reputatur, & tandem medius inter latrones cruci affigitur, ut vel ex ipsa cathedra crucis nos humilitatem edoceret, cui à primis cunabulis adeò studuit, ut toto vitæ cursu exemplo fortiùs, quàm verbo suos edocuerit Discipulos; crevit igitur cum proficiente Christo humilitas, quæ adeò tenaciùs eidem adhæsie, ut eo deficiente in cruce minimè ipsa defecerit, nec voluerit à corpore licèt exanime sejungi; siquidem nec post emissum spiritum ejus cadaveri parcitur, & post crucem adhuc seductoris nomenclatione donatur. Studeamus igitur humilitati, si Christi vestigia sequi volumus, si cum ipso in cœlum evehi; triumphat humilis, cùm labitur, ac surgit, cum deorsum inclinatur, quia ambitio tunc victa cadit

## §. VII.

### *Ambitionis ægritudini curandæ nullum humilitate alexipharmacum aptius.*

43. LUctaturus cum colosso ex auro, argentóque conflato rudis, ac exiguus lapis, non sursum nixus fuit, sed è montis fastigio prosilijt, deorsúmque devolutus pedes aggressus colossi nobilem inde detulit triumphum. *Percussit statuam in pedibus ejus ferreis, & fictilibus*, quis lapilli audaciam non redarguisset, cùm tantum aggredi colossum niteretur? sed auream colossi sublimitatem humili delapsu aggressus lapis giganteam evertit statuam, pedes luteos percussit, (Daniel. 2.) & aureum caput profligavit: quidni delapsus humilis non colossum tantùm evertit, sed lapidem ipsum licèt exilem grandescentem, in montem sublimavit, qui non Asiam tantùm, verùm Europam, & Africam, ipsósque Antipodas occuparet. *Lapis autem qui percusserat statuam factus est mons magnus, & implevit universam terram.* Per (Daniel. 2.) descensum è monte per gradus humilitatis de tartareo colosso triumphos reportamus, eum evertimus, si humiles descendimus; simúlque erigimur, augemúrque, ac in montes excrescimus, si ad valles descendimus humilitatis. Nil fortiùs ambitionem evertit, quàm humilitas, etiam David unico lapide obarmatum prostravit Goliathum: *egressus est Goliath de Geth altitudinis sex cubitorum, & palmi*, terrori toti erat Israëli carnea turris, cùm impavidus Gigas videretur posse ruentem in se olympum excipere: nihilominus lapis unus immanem hanc evertit molem: *elegit sibi quinque limpidissimos lapides de torrente David, & misit eos in peram pastoralem, quam habebat secum.* Steterat obarmata ambitio in Goliatho contra Dei castra, ut Israëlitas demutaret in Philistæos, vel ex lapsu, cædéque Israëlis altiùs ipse eveheretur gloriâ triumphi: Latraverat contra cœlum velutì erebi cerberus, evomuisque sulfur in arcam. Verùm unicus adolescens David pascendis pecoribus, non castris dirigendis assuetus minantem molem, terrorésque spirantem evertit, non loricato pectore, non armata ferro manu, non galeato capite, sed lapide in torrente selecto; glaream torrentis humilis, ac arescentis tumori objecit minitantis Gigantis ac superbientis, quia humilia deprimunt præcelsa, evertúntque ambitione sublimia. (1. Reg. c. 17. v. 5.) (1. Reg. c. 17. v. 40.)

44. Regnaverat superbia, intumuerat ambitio à primis mundi cunabulis, seu ab Adamo lapso usque ad Christum: verùm ubi Rex Regum voluit in præsepe declinari, & in fœno cubare, detumuit ambitio, cœpitq; humilitas fastidire sceptra, & illa non secus, ac angues fugere: Moysis regnatrri virga, cùm primùm terram deserti attigit, in anguem versa terruit, quem consueverat fulcire; quia nimirum sceptra, quæ in terris ab hominibus tranctantur, terrori sunt potiùs, quàm solatio, quod nonnisi in humilibus degustatur.

45. Ea tamen est ambitionis cæcitas, ut supera infera dicat, & hæc afferat supera. Da hominem ambitione tumidum, cui ad concupitam dignitatem via præcidatur, in bilem actus Principi primum dabit locum, secundum Deo Isaiæ 8. *Et cum esurierit, irascetur, & maledicet Regi suo, & Deo suo, & suspiciet sursum*, nimirum vesanus ambientium tumor intra suas nescius ripas coërceri; si ultra limites non effunditur, in convicia diffunditur, & maledicta contra Principem, & Deum; sed cur primum dat locum Regi suo, & postea Deo suo? forsan quia ambientibus in aola Princeps est Deus? à quo concupita sperant honorum decora,

decora, & culmina dignitatũ; quòd si ambiens Aulicus pro Deo non colit Principem; primas tamen dat Principi, & ultimas partes Numini defert, cum irascens pluris videatur Regem facere, quem primo nominat loco: *Regi* inquit *suo: & DEO suo*, hæc est ambientium cæcitas, ut terræ Principes cœlorum Regi præferant, majorémque impendant diligentiam, ut terreno famulentur Regi, quàm Deo; magisque adversentur Principis, quàm Numinis offensam. Abjiciantur hi Aulici vespertiliones, qui cæcutientes in sole ordine præpostero primum dant locum terreno Principi, & secundum cœlesti Regi, cui Principes omnes famulantur, & ex cujus nutu dependent creaturæ omnes. Incrementa sperant ambientes Aulici à Principe, qui nec ad propriam staturam potis est cubitum unum adjicere. *Quis autem vestrum potest ad staturam suam adjicere cubitum unum*, quomodo alios grandescere faciet, qui nil potest ad propriam staturam adjicere? quo aliquid inde hauriat incrementi.

Luc. 12.

46. Non igitur credas incrementum subjisse ullum, qui tibi crevisse videtur, & per fas, nefásque evectus ad dignitatem, non enim dignitas ullum cubitum malis, bonisve artibus ad eam evecto adiecit; quæ spectas ornamenta trabeæ, celsitudinem sedis, ac solium potestatis, nullum adferunt augmentum, licèt familiæ sint splendori: perinde repit humi earumdem ambitionum cœno involutus in curuli Majestatis sella, ac repserat in tenui sordidáque fortuna; & quamvis altiori sedeat loco, animus tamen ambitione turgidus adhuc sordescit in cœno terrenarum cupiditatum, & quò altiùs fucata dignitas eum evexit, eò profundiùs Deo, ac virtuti decrevit.

47. Erectus videbatur super reliquos terræ Reges Salomon, cujus tamen staturæ suppositus neutiquam fuit cubitus ullus, cum potiùs prostrata decreverit ad simulacra Moabitidum. Qui Aulæ inserviunt, ita Principi famulentur, ut præposterè debita Numini obsequia non exhibeant homini, ut cogitationes non absumant in honorum meditationibus; sed principaliùs in famulitio Numinis: non improbatur labor impensus in Principis famulatu, sed exprobratur immodicus affectus, quo ambientes honorem, eidem toto nisu adhærescunt; & plerumque animo laborantes, & corpore, nil recipiunt mercedis: hinc monet nos Christus; ut lilia agri imitemur, quæ crescunt absque solicitudine, albescunt sine cura, florent sine labore, *Considerate lilia agri, quomodo crescunt, non laborant, neque nent*. Quòd si cum liliis agri ambitiosos Aulæ conferamus, lilia candore cohonestantur, & hi calliditate devenustantur; illa erigunt se se; isti humi jugiter reptant terrenis cogitationibus, quibus adhærescunt; cœlo illa aperiuntur, cœno isti jugiter inhiant; illa sine labore absque solicitudine crescunt in agris, isti curarum æstu exagitantur in aula: illa non nent, nec stamen ullum ducunt; cum tamen isti subtiliùs semper satagent filum nere, ut astu solertiori, aliquid accipiant decoris. Crescunt lilia, nec ulli florum excelsitas major, languido quasi semper collo, haud sufficiente capitis oneri. Ejus candor eximius est, folija foris striatis, & ab angustiis in latitudinem paulatim se se laxantibus, effigie calathi resupinis per ambitum labiis, tenuique filo, & semine stantibus in medio croci, hinc odor, & color geminus calicis unus, alter staminis.

Luc. 12.

48. Vult Deus Aulicos lilij imitatores, florentes scilicet morum candore, & virtutum geminatum redolentes odorem; non verò ambitione turgidos, terrenisque jugiter honoribus inhiantes, quòd si ad dignitatum evehantur fastigia, vult eos propriæ conditionis memores; quapropter quos lilio pariaverat, nunc mutato splendore vocabuli fœnum dicit subdens: *Si autem fœnum, quod hodie est in agro, & cras in clibanum mittitur, Deus sic vestit, quantò magis vos modicæ fidei?* Luc. 12. v. 28. vult jactantes se lilia intelligant, se fœnum esse, cujus pompa vestis dicitur, quia quævis dignitas, & felicitas in aula nata minimè nobis est innata, sed adscititia. Quàm scitè dignitas vestis dicitur, quam exvimus, cùm imus dormitum; quis enim in honore quievit? quis in dignitate non laboravit? quis in throno non vigilavit solicitudinibus, curísque innumeris stipatus? hæcque fortassis causa, cur lectulo Salomonis mala punica adjecta fuerint, ut nimirum Rex Sapientissimus Aulicos edoceret ambitione turgidos, nullam inesse Regibus requiem, sed jugem laborem, & tunc non delicatum aut mollem, sed à rurali non abludentem, & rusticano nisui haud absimilem; si enim in agro mala punica ferret rusticus, blandiùs forsan laboraret, molliúsque, quàm qui dedolatis columnis, quæ thronum fulciunt, punica mala sculpsit: si humiles valles incolentes rusticè etiam in sudore vultûs panem ex iisdem repetunt, mollémque humum, multiplici sudorum imbre irrigant ad feracitatem messis; quas non fundunt sudorum pluvias, qui in aprico siccóque colle, locóque excelsiori terram colunt, cum humus ibi durior sit, ac siccior, quàm in valle? experiuntur id Principes, qui cæteris eminentiores vitam ducunt laboribus, curis, ac solicitudinibus gravissimam; quos ipsi non fundunt sudores? quot noctes non ducunt insomnes? id expertus David Rex ait: *Rigabam per singulas noctes lectum meum*, Psalm. 6. nec credas stillicidiis roris antelucani maduisse regium lectum, sed laborantis capitis fuso sudore: quos enim credimus aureâ culcitrâ molliùs quiescere, hos labor rusticano durior in pluma defatigat.

49. Sibi caveant, qui in oculis Principum ambitioni famulantur; quæ videtur ad splendores via patere, hæc plerumque ad ferales interitûs umbras perducit; & hæc ratio, cur Chri-

Luc. 12. v. 58. Christus Aulicum moneat, ut sibi caveat inquiens: *Cùm autem vadis cum adversario tuo ad Principem in via da operam liberari ab illo: ne fortè trahat te ad Judicem, & Judex tradat te exactori, & exactor mittat te in carcerem.* Quàm multiplici est obsitum laqueo, quàm frequenti discrimini obnoxium iter ambientium ad regias Principum, cum eorum intercepta cupido è via felicitatis avulsa, ad carcerem trahatur calamitatum! ut sciant famulantes ambitioni, uno, eodémque itinere ad aulam properari, & supplicium; ad regiam, & interitum; ad honores, & ignominiam. Documento est nobis Amanus ocyus in carcerem detrusus, quàm in regia dominaretur; citius è sublimi patibulo conspicuus, quàm in throno fulgens; sed utinam via ad Principem, domus esset Judicis, ut iis tantùm liceret regiam ingredi, & aulam terere, quos morum præstantia, vitæ innocentia, virtus eximia, suis munitos commendatitiis litteris ad eam transmitterent: non tot palatia Principum quisquiliis redundarent ambientium. Verùm si aula Principis domus non est Judicis, agat tamen Principes Judicem, ut honores nonnisi merentibus largiatur, dignisque dignitates impertiatur. Sed quid, quòd via ad regiam, iter sit ad carcerem? forsan quia non rarò invidorum calumniæ iter præcludunt ad dignitates, ut aperiant ad carcerem? Tales sunt jocantis in aula fortunæ vices, ut qui in fastigio dignitatis splendebat, mox in tenebricosum detrudatur carcerem, & qui inter compedes vinctus squalebat, ad summum evehatur honoris; testis hujus veritatis fuit Joseph in Ægypto, ubi è carcere advolavit ad regnum, ut non desperent carceribus intrusi, cum ex compede iter pateat ad sceptrum, & coronam. Si velint igitur Principes suas expiatas pestibus aulas, viros promoveant, non quos ambitio inflat, sed quos virtus exornat, & justitia commendat: cùm uno eodémque itinere ad regiam, & carcerem pateat accessus, virtutibus commendatos regia excipiat, & vitiis deturpatos carcer comprehendat; cùm plerumque fit aula criminum officina, in qua scelera maleantibus vitiis cuduntur, non distet carcer à regia.

50. Extorres igitur ab aula excludantur, qui ambitioni famulantes, tumidis tantùm cogitationibus mentis inanitatem implent; in quos retorquetur, quod Christus imminente Jerosolymis Romanorum obsidione, Judæorum fœminis protulit: *væ autem prægnantibus, nutrientibus in diebus illis:* sed cur minæ prægnantes feriunt; terrorémque onustis fætu incutiunt? quia nimirum onusto ventre difficulter essent ex urbe obsidione vallanda egressuræ: quàm rarò ambitio, quos inflat spe fœtûs, seu humanæ felicitatis, finit aula exire, ut montium secessus petant, ut animas suas à vitiorum assulto incolumes servent. Væh prægnantibus, seu ambitione tumidis, qui spe fœtûs, seu honoris, dignitatis, aut opum, ab aula avelli nolunt, ut imminens detrimentum animæ declinent: hi perinde hostibus cruenta clade subjiciuntur, ac prægnantes, quæ imminente urbi obsidione invitabantur ad montes.

Prægnantes fœminæ fœtum, quo tument puriori pectoris sanguine enutriunt, cui ut adoleverit, vix subinde necessarium ad vitæ sustentationem suppeditant frustulum panis, inopiâ id prohibente; nec mater ipsa à filio vices gratitudinis experitur. Percara est dignitas, dum speratur, suavis dum prægustatur, sed mox grave, & intolerabile fit pondus, postquam nostris requievit in ulnis. Frequentiùs videmus ob onus dimissas infulas, sed rarò in spei virore despectas Spes quæ in aula fœtus est ambitionis, vernam imitatur anni tempestatem, quia uberius delectamur floribus redeunte vere, quàm frugibus adultâ jam ætate; tametsi dulciores habeantur fructus, quàm flores. Id contingit, quia cum flore videtur tellus ridere, nobisque cœlum arridere; fruges verò maturiunt æstuantibus in terras demissis solis radijs, quibus flores excoquuntur, & simul humana corpora dissolutioni proxima fatiscunt. Symbolum sanè honorum, quibus in aula ambitione turgentes inhiant: in flore siquidem cupiditatis, & spei virore florescere & ipsi videntur, ac suavitate perfundi; ubi verò honores ambientibus incubuerint, ita eos ornant, ut curarum pondere, plerumque supra vires onerent, opprimántque. Væh hisce prægnantibus, & nutrientibus hostium irruentium obnoxiis assultui; licèt prælia audiant, & seditiones, adhuc ut saxei hærent, nec moventur, perstrepunt timpana bellica, clangunt tubæ, vocantur milites ad arma, nec tamen ambitio detumescit, neque resipiscit, quia quos semel ambitio inflat, nonnisi pallidâ morte deturgent; nec priùs deponunt tumorem, quàm solvantur in cineres. 51.



# DISSERTATIO V.

## Affectus ab honoribus, & dignitatibus evellendus, ne si altiùs radices egerit, noxios, lethalésque nobis fructus pariat.

### §. I.

*Imaginem DEI sibi impressam delet homo, cum immodico affectu honores cupit.*

1. D id fuit dignitatis fastigium evectus homo, licèt ex humo conditus, ut ipsius DEI vivam præseferat imaginem, veram exprimat, similitudinem. *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram.* Si DEUS quamvis instar lucis clarissimæ, & immensæ omnia æquè lustret, & illustret, sitque ei pro domicilio splendor inaccessus, pro amictu circumfusum lumen: est nihilominus ex omni parte densâ circumseptus caligine, & in obscuro delitescens, & quamvis ex benefica ejus munificentia quandam nobis inditam ejus prænotionem, instámque à natura habeamus cognitionem; adhuc tamen nil de Deo nostrarum nisu cogitationum assequi valemus, nisi quantum cœlorum mira constructio, syderum florescena splendor, elementorum concors discordia, & terræ varius ornatus ab ipso ad omnem graphicè descriptum elegantiam, ostendunt: ita homo licèt in sui nobiliori parte sit veluti lux à Deo in ipsum transmissa, quâ omnia lustrat; résque abditas investigat, investigatas comprehendit, quatenus naturam rerum omnium scientiis, & artibus veluti directis, certisque itineribus pervagatur; ac percurrit cœlorum immensa spatia, terrarum editissimos montes; imásque valles, marisque longè, latéque diffusas planities mirâ trajicit celeritate: neque in hisce aquiescens, è caligine rerum, quæ interitui sunt obnoxiæ ipsa cœlorum penetralia pervadit, mentésque ab omni concretione materiæ discretas perlustrat, usque ad primum universorum Satorem, cujus Majestatis perculsa humana mens radiis, ejus refert imaginem; quia sicut Deus omniscius ex eo, quòd omnia intelligat hac cognitione perfectissimè omnia comprehendit, producitque ad intra Verbum, quod est secunda in Trinitate persona, & Pater, & Filius se vicissim amant, ex quo amore procedit Spiritus sanctus tertia in Trinitate persona ejusdem naturæ, uniusque essentiæ cum Patre, & Filio: ita homo, cum sit mens defœcata ab omni materiæ crassitie omnia intelligit, & intelligendo rei intellectæ verbum producit, & ex verbo cùm sit quoddam objecti idolum amor procedit ejusdem; non enim voluntas potest odisse, vel non amare, quod ab intellectu mediante verbo, ut internuncio ei exhibetur, ut pulchrum, utila, honestum.

Genes. 1.

2. Quòd si Deus nostros fugit sensus, & nonnisi per ænigmata creaturarum ad ejus valemus agnitionem pervenire: ita hominis nobilior pars cum nostros minimè sub sensus cadat in abdito, & intra opacatam nostri corporis nubem delitescit. Quin ad hanc Dei conditoris similitudinem uberiori profusione exhibendam datus est humanæ menti pro Regno mundus, pro Regia corporis domicilium, non auro, gemmis, marmore; sed ossibus, nervis, carne, venis, sensibúsque longè pretiosioribus constructum; ea arte tam mirè ædificatum, ut Philosophi in ejusdem perscrutatione obstupescant; mirentúrque stupefacti Theologi in ejus contemplatione: proatce munitissima caput est ei in celsiori loco, ac tutiori situ, in quo voluntas præest; & memoria rerum omnium supellectilem veluti in ærario sanctiùs conservat; intellectus, qui ex editissima specula omnia lustrat supera, infera.

3. Quòd si Deus utpote totius bonitatis origo, ac pulchritudinis fons pellucidus omnia eminenter continet, sitque in ipso cœlorum puritas, syderum harmonia, solis nitor, imbrium fœcunditas, hortorum gratia, pratorum amœnitas, florum varietas, colorum pulchritudo, odorum suavitas, camporum ubertás, sylvarum viror, gemmarum nitor, fontium claritas, auri pretium, margaritarum candor, purpuræ decus, plantarum virtus, rerúmque omnium venustas, amabilitas, meritum, & dignitas, *Ex te, & per te, & in te sunt omnia:* ita si hominem spectemus omnia in Dei imagine, quam præsefert mirè continet, sitque propterea microcosmus, in quo perinde ac in magno mundo Actor. 17.

mundo

mundo rerum genere omnia divinitùs illigantur cœlestium, terrestrium mortalium: & imortaliũ: complectitur esse cum elementis, vivere cum arboribus, vegetare cum plantis, sentire cum animalibus, intelligere cum Angelis, & uno complexu continet simul omnia, quæ res cæteræ separatim possident. Quatuor in ipso elemente totidem dicas in homine humores, choleram, sanguinem, pituitam, atrem bilim, quorum primus ignem, alter aërem, tertius equam, postremus terram naturâ, & proprietatibus assequitur, Si in magno mundo octavæ sphæræ incitatione orbes inferiores rapiuntur: in homine suprema regio, quæ est in ejus nobiliori parte ratio principatum tenens appetitus omnes inferiores movet, & dirigit, ne à recto deflectant: si in medie eëris regione eleti, terrarum, aquarúmque halitus in nubes densantur; in homine est cerebrum, ubi evaporationes ex imis visceribus sursum elatæ frigescunt, indéque veluti in pluvias solutæ desiliunt, vel in imbres lachrymarum, vel in rivulos fluxionum: est igitur homo ed eam evectus dignitatem, ut in se omnia complectatur, referátque vivam sui Conditoris imaginem. Hinc Ambrosius ad Honontianum ait: *Novissimus operum Dei homo, quasi totius summa corporu, quasi causa mundi, propter quem facta omnia, quasi omnium habitator elementorum. Inter feras vivie; cum piscibus natat, super aves evolat; cum Angelis conversatur, terram inhabitat, cælo militat, suleat mare, pascitur aëre, cultor soli, piscator in fluctibus, auceps in aëre, in cælo hares, Christi cohares.*

Epist. 18. Tom. 5.

4 Agnoscat ex humo homo conditus dignitatem suam, & è cœno cœlo natus, discat solis cœlestibus inhiare, cùm cætera animalia prona terram spectent; soli homini Deus os dedit sublime, ut non terram, sed cœlum intueri hæc staturæ rectitudo ipsum moneat, natúmque propter cœlum, ipsúmque moveat è cœno, ebducat è terra. *Pictus es ò homo,* ait Ambrosius *Pictus es à Domino Deo tuo. Bonum habes artificem, atque Pictorem. Noli bonam delere picturam: grave est, ut dicat de te Deus non agnosco colores meos, non agnosco imaginem meam.* Hanc eutem imaginem Dei, hanc dignitatem delet homo cum eliis inhiat dignitatibus, quæ à Deo avertunt quæque in auri splendore adigunt cæcutire: non est auree hæc imago, quam Deus homini impressit: aureum numisma non Deum refert, sed Cæsarem, ut enim scitè Angelicus Doctor: *Numisma Cæsaris in auro est, in quo ejus imago depicta; Dei autem imago homo est, in quo est Dei imago figurata:* hinc Augustinus *tract. 40. in Joannem* pulchrè ed rem nostram: *Reddite Cæsari numos, qui sunt Cæsaris, & reddite vos ipsos Deo, cùm sitis Dei, eùm ad eam sitis dignitatem elati, ut Dei imaginem referatis.* Verùm pudeat sui ipsius hominem, qui hanc Dei imaginem fucatis in Principum aulis dignitatibus, ed quas cupit promoveri, devenustet; eudétque hanc Dei imaginem delere, ac dignitatem negligere, quod sanè contingit, quoties à summo bono se evertit, ut creaturæ adhærescat.

Lib. 6 Hexam. cap. 8.

In cap. 22. Matth.

Vere non est, sed larvate dignitas, quam mundus exhibet, cum dignos ab indignis non discriminet, sed utrósque edmittat, simúlque confundet. Plerumque in eulis præsertim Principum conferuntur dignitates iis, qui moribus sunt corrupti, qui vitio deturpati, vel quibus affectus Principis favet. Qui ad Dei dignitates promoventur, nonnisi virtutum studio ac operationum merito commendantur: hæcque ratio, cur Samuel inauguraturus Saulem Regem super Israël præmonitum eum voluerit, quatenus puerum à se dimitteret, *Dic puero, ut antecedat nos:* sed quid hoc præcepti? an pueri innocentiam procol vult à regio solio abesse? si candor vitæ, & probitas morum, à quibus puer non ebludebat, sceptrum tractantem Principem commendant, cur non potiùs pueri innocentiam, ec candorem cum Saule vocat ed Regiam, adnectítque solio? quòd si fortassis candor morum puerum non commendavit; nonne adhuc Saul famulis, & Ephebis escensurus ed thronum indiguit? cum nonnisi numeroso servorum comitatu consuescant, qui cæteris præsunt incedere. Verùm ratio, cur Samuel extorrem ab aula jusserit puerum, affectus fuit Saulis in puerum: sicut noluit Samuel deesse Regi Aulicos; ita voluit abesse, quos ente principetum sors, vel casus eidem comites dederat: noluit Samuel ex consuetudine veteri servos edhæsisse Principi recèns ed solium evecto: quia suspicabatur, ne Principis effectus facilè veteres famulos promoveret ad primas in aula dignitates, non merita promovendorum. 5.

1. Reg. 9. vers. 27.

Qui Principi lateri adsciscuntur deligendi sunt, non diligendi; qui enim diliguntur minimè deliguntur, & sine delectu ed dignitates promoti sibi, & Principi sunt noxii. Extuleret Deus Saulem ed solium Israël non Saulis femulos, nec quos ipse diligebat; non enim ob id tantùm, quod Sauli puer inservierat, imperare debuit cum Saule in throno. Cæterum is ab evecto minimè deseritur, quem fortuna non deseruit; si tamen probus sit, & candorem candidato quæret eugere: quia tunc non dilectus, sed delectus, quemque probitas morum commendat, promovetur: alioquin de honoris suggesto, ac dignitatis fastigio promptiùs cadunt indignè evecti, quàm ad supremos honores fuerint promoti. Documento nobis est Lucifer cum Dei throno inhiavit. *In cælum conscendam super astra Dei exaltabo solium meum, sedebo in monte testamenti, similis ero Altissimo.* Non displicuisset cupiditas in cœlum ascendendi, si Lucifer cœli instar fuisset multiplici virtutum sydere coruscus, si super astra ascendisset, & ibi suos splendores è cœlo in terras demisisset, si in bonum 6.

Isaia 14.

num terrarum, ut cætera astra immensa illa cœlorum spatia perniciissimo cursu peregisset. Verùm quia ascendere cupiit, ut sederet: *sedebo in monte testamenti*, nimirum uc à laboribus requiesceret, non ad laborem convalesceret, ideo non caruit vitio conscendendi in cœlum desiderium, quod propteraa præcipitem eum egit in terræ barathrum. Plures sunt qui cum Lucifero ad apices cupiunt dignitatum promoveri, ut in fastigio cœli fastidia exuant curarum à laboribus immunes. Hi optant quidem astris cœli fieri propiores, non tamen ut ibi splendeant instar syderum, luménque suum terris impertiant; sed ut more draconis pestiferâ suâ caudâ in obsequium sui minùs cautos trahant, hoc est astris inhiant, ut astris proprios abripiant nitores. Cupiit Lucifer in cœlum conscensum, ut se Altissimo exæquaret, *Sedebo in monte testamenti, similis ero Altissimo*. Utinam supremæ in cleris, & Monasteriis non optarentur dignitates, ut requies in monte illius celsitudinis sedendo acquiratur. Utinam non essent, qui supremas in cleris optarent dignitates, quò opulentioribus familiis coæquarent genus suum.

7. Hoc unum Luciferum impulit ad cupiditatem celsitudinis, nimirum, ut se DEO æquaret, ut cæteris omnibus præesset, ac supra creaturæ conditionem eveheretur, & hac ambitione inflatus Dei imaginem in se infecit, ac per peccatum delevit. Ad honores non promoventur, qui taliter honoribus inhiant, quia à virtute abeuntes, à vero discedunt honoris tramite, qui nonnisi in exercitio invenitur virtutis, nec est vera dignitas, quæ æquè dignos, & indignos confundit. Plures itidem invenias dignos dignitate antequam ipsâ dignarentur; qui tamen dignitatem assecuti indignos ipsa dignitas effecit, exemplo satis perspicuo sunt plures ex priscis Imperatoribus, quorum plerique flagitiosissimi fuerunt Tyranni, ex quorum imperio nil aliud possumus addiscere nisi nefanda intemperantiæ, lasciviæ, crudelitatis, ac aliorum facinorum detestabilium exempla. Si ex priscis Romanorum Imperatoribus excipiamus Augustum, Flavium, Titum, Vespasianum, Nervam, Traianum, aliósque perpaucos, cæteri monstra potiùs fuerunt ex orco in perniciem hominum evocati, quàm homines Romano imperio regendo suffecti.

8. Tiberium siquidem Imperatoria dignitas summum effecit Pseudopoliticum, egregiúmque simulandi, ac dissimulandi artificem, à quo etiamnum tyrannidem exercentes exempla trahunt imperandi. Extremi etiam vitæ anni, quos Capreis transegit, adeò fœdi, & turpes cum ipso cucurrerunt, ut graveolentiam, odorémque pestiferum toti transmiserint posteritati, abhorreátque etiam nunc animus honestus à memoria earum turpitudinum, quæ Tiberium in fastigio Imperatoriæ dignitatis fœdârunt.

Tiberij vestigia calcavit Caligula, quo nullum unquam monstrum inter homines magis abominandum vixit, cujus malignitas eò devenit, ut si potis fuisset, totum humanum genus delevisset. Caligulam secutus Nero si flagitijs eum non superavit, saltem æquavit; mònstrum potiùs Erabi, quàm hominis vestigium, cùm nonnisi cruentis cladibus, hominum strage, cadaverum cumulis, humani sanguinis effusiona delectaretur, citharam tunc lætus pulsavit cum ad lethum urbs conflagravit, quin nec propriæ pepercit genitrici; Agrippinam siquidem matrem suam interfecit, inspecturus intra disectum uterum locum, in quo conceptus fuerat. Domitianus Neroni haud suppar omni flagitiorum genere Imperatoriam purpuram maculavit. Commodus nonnisi perniciem in imperio hominibus attulit, sibi tantùm commodus, & cæteris Tyrannus. Caracalla fratrem Getam materno interfecit in gremio, & Papinianum Jurisconsultum eò quia cruentam eam cædem defendere noluerit, trucidari jussit. Heliogabalus in throno sedens nonnisi tetra, & abominabilia meditatus, ubique locorum exempla impressit crudelitatis. Ut etiam Maximinus, Tyrannus magis, quàm Imperator, quem Romanus Senatus hostem potiùs, quàm Principem habuit, & ad id nequitiæ devenit, ut exosus suis etiam militibus factus, ab ijsdem fuerit interfectus unà cum filio suo adolescente, ne ullum tantæ tyrannidis superesset vestigium. Gallienus Valeriani Imperatoris successor socordissimus fuit, & sub ejus imperio triginta tyranni omnes se Imperatores affectantes emerserunt, qui Provincias suas déque everterunt, flocci id faciens Gallienus sibi, non alijs consulens. 9.

## §. II.

### *Honores mutant mores frequentiùs in deterius, & dignitates probitatem corrumpunt.*

NUnquam magis conspicuæ fiunt maculæ, quàm in sole, qui si eclypsin patiatur, neminem ejus latet deliquium; vitium in dignitatis fastigio omnibus se prodit, impellitque tali insignitum dignitate è culmine honoris deorsum agi præcipitem: sitque ut plurimum indoles terrenorum honorum in sublime erigere, & in imum detrudere; vel honoris titulum injustè circumferre, eò quia malos, & immerentes etiam efferant, neque bonos discriminent à malis; quin & pluries malos peiores reddant, imò & malos, qui bonis ante accensebantur; cùm ut plurimum honores mutent mores, quod deflectit à virtute, quæ invariabilis est, sibique similes suos servat: mutant honores mores, rarò quidem in meliores, frequentiùs in deteriores, idque satis ad contemptum honorum, qui & contemptibilibus 10.

bilibus patent, & contemptibiliores etiam reddunt. Quid dicenda sit vera dignitas, quæ uno eodémque complexu dignos, indignósq; confundit, quique digni ante dignitatem erant, indignos constituit in dignitate institutos, eóque peiores, quò aliis meliores esse, æquitas exigit.

11. Idque etiam mali à culmina scaturit dignitatis, ut malum inde emersum incrementum subeat, eò quia ab illis fiat, qui sunt majores; cùm exempli virus in cæteros eò nocentiùs serpat, quò celsiores sunt, qui delinquunt. Quàm tutius illis esset in imo cubare, & fastigiis non inhiare dignitatum? etiam bombyx è verme, si ales fiat è serito erumpit papiliò, videatur sibi magni aliquid esse cum alis munitus spatia circumvolitat aëris, qui vermis repebat in foliis. Verùm qui vermis fovebatur in sinu, alebatur in foliis, aliger decidit in lutum, conteritur pede, quasi alas assumpserit, non ut altiùs volaret, sed ut ocyus properaret ad funus. Quamdiu bombyx vermem esse haud horruit, sericum intexnit, sericámque domum incoluit; tum verò iuhiare cœpit sublimioribus, aligerúmque turmis associari alas quidem sibi addidit, nun ut evolaret, sed evanesceret. Exuit naturam bombycis, ut alas indueret; sed qui bombyx gemma erat inter vermes, imò & gemmis charior, puellarum ministerio delicatè enutritus, factus est non ales cum alis, sed infelix papilio, jocus aurarum, ludus ventorum, volucrum ludibrium. Quot bombytes in humili statu serâtum intexuerunt, qui mox pertesi bombycem agere, volucres esse expetunt, aláſque sibi parant, quarum ope ad dignitatum eminentias enitantur; qui tamen nun aves fiunt, sed infelices papiliones, qui cæteris sunt ludibrio: qui enim ut vermes sericum texere assueverant, nunt binis instructi alis non aëris discurrunt spatia, sed humi repunt; pulvere sordescunt.

12. Scitè sponsa licèt sponsi sui præsentiam concupisceret, ejúsque ubera vino, & fragrantiam ungentis optimis præferret, quin & ipsum anxia solicitudine in lectulo quæreret, imò & per vulnera armatos inter milites; ter postea votata à sponso eam apertis ulnis excepturo venire detrectat: *Veni de Libano sponsa mea, veni de Libano, veni: coronaberis de capite Amana, de vertice Sanir, & Hermon de cubilibus Leonum, de montibus Partorum.* Cur ter à sponso mox vocata sponsa cunctatur? vocat sponsos, & sponsa non properat? quæ antea per vicos, per plateas; per gladios, per vulnera anxia, at impatiens eum quæsierat. Cur ad sponsi amplexum alis non avolat amoris, quæ tota ardebat affectu in sponsum? Accessum non properat sponsa, sed recessum potiùs meditatur, cùm non ad amplexum vocaretur sponsi, sed ad fastigium honoris, ad tulmen supremæ dignitatis, ad nitorem splendidæ coronæ *veni de Libano veni, coronaberis*, non vocabatur ad sponsum, sed à sponso evocabatur,

Cant. 4.

quia ad coronam invitabatur, ad diadema vocabatur *veni de Libano, veni, coronaberis*: trahebat quidem sponsus, sed retrahebat corona: alliciebat vox dilecti, sed terrebat nitor diadematis, ad accessum stimulos addebat affectus in sponsum, sed ad recessum fortiùs suadebat dignitas coronata: voluisset quidem sponsum, sed solùm amplectentem, non coronantem: si deposuisset sponsus oblatam coronam, alas sponsa posuisset, ocyus ad sponsum properatura. Adeo visa est sponsa exhibitam sibi odisse coronam, ut maluerit sponso carere, quàm diademate insigniri; optaverit potius exulare à dilecto, quàm inter ejus amplexus diademate prægravari; mirum tamen quòd sponsa coronam horruerit, & recusaverit non à populo, non ab Electoribus, sed à proprio sponso sibi oblatam, ab illo scilicet sponso, qui in montem fugam arripuit, cùm Rex à populo foret renuntiandus: & tur sponsus ad coronam vocavit sponsam: cum ipse sceptrum despexerit, ac diadema neglexerit? probare fortàssis sponsus voluit, at explorare sponsæ animum, an aliquo pulsaretur ambitionis stimulo: sed quæ à quovis erat sponsa tumore aliena, coronæ, non fidit, quamvis à sponso exhibitæ, cùm non latuerit sponsam, Saulem licèt à DEO ad solium evectum periisse, Davidem à Deo inunctum corruisse: Salomonem à Deo vocatum ad thronum regnandi vanitate concussum in veritate non stetisse; adeò est circumsepta periculis dignitas, quæ quò sublimior, eò graviori lapsui sit obnoxia. Licèt sponsus fuerit, qui ter sponsam vocaverit *veni de Libano sponsa mea, veni de Libano, veni*, sponsa tamen ambas obturat aures, ne vocantem sponsum audiat; parata potiùs sponsam esse desinere, quàm regnare intipere. Quàm noxium sit diadema, quàm fatalis corona, vel ex eo conjicere possumus, quia è Partorum, Leonum, & ferarum est diadema compactum non tam exuviis, quàm veneno: *Veni de Libano, veni, coronaberis de capite Amana, de vertice Sanir, & Hermon de cubilibus Leonum de montibus Partorum.*

Ita est, dignitates, quæ in mundo offeruntur larvatæ sunt, fucóque illitæ; sub larva honoris tegunt horroris ferales umbras, quibus homo obscuratur; imò & delet inditam sibi Dei imaginem: splendere videntur dignitates in gemmis, fulgere in auro, nitere in purpura, sed splendor est iste, quò papiliones, ac infelices piraustæ capiuntur ad interitum: dignitates non sunt, quæ præcipitia in celsitudine aperiunt: nuda sunt nomina, quibus dignitatibus inhiantes decipiuntur, ut scitè ait Chrysostomus inquiens: *Dignitates temperaneas haudquaquam quis dignitates dixerit, sed dignitatum nomina duntaxat.* Non est vera ea dignitas, quâ æquè digni, & indigni insigniuntur; larvati sunt illi honores, qui allitiunt, ut perdant; evehunt ut deprimant. Vapor nunquam intumescit in cœno, nunquam superbit in pulvere, nunquam obstrepit in umbra: sin verò è cœno in cœlum sub- 13.

Homil. 1. in epist. ad Roman.

subsiliat, & in nubem cogatur celsitudine donatus, mox ignescit, fulgurat, fulminat, turres evertit, arces subvertit, montes ferit, & ubique ferales spargit strages, ut inde moneamur, quantum sit celsitudo allatura damni, cùm vel in telluris vapore intumescat, bellùmque indicat arcibus, & montibus. Saul cum asinas pabulatum duceret, mansuetudine cæteris excelluit; qui evectus ad solium non Samuelem tantùm sprevit, verùm etiam vocanti Deo aures clausit. Scio, lapillum Babylonicum, antequam de aureo, argenteo, æneo, fictilique colosso triumphos legeret, absque vi ulla instar folij vento rapti, deorsum devolutum de monte vix pedum fictilia percutere ausum fuisse; verùm cùm ante se molem illam ruentem conspexisset, excrevit illicò supra celsitudinem disjecti à se simulacri, & qui sua exilitate nemini erat terrori; cum primùm cœpit grandescere, succrevit in montem, cœpitque singulis esse terrori: *Lapis autem qui percusserat statuam, factus est mons magnus, & implevit universam terram;* Sed cur tantillus lapis prægrande prostravit simulacrum? nimirum, quia Principem decet clementia, & humilitas, & quia in sublime elatus Nabucdonosor intumuit in simulacro, pronior fuit ad lapsum; quia omnis tumor inanitate repletur, promptiúsque perit: plerúmque qui honor censetur, nonnisi volatico accensetur tumori; appositè Augustinus ait: *Ex pecunia, ex argento, & auro, & prædijs, & pompa sæculi bonore volatico, & perituro volunt esse beati*, & id minus sunt, quô magis se esse putant. Volaticus est honor, quem mundus exhibet; dignitas, quam ambitio offert, & in hoc tantùm firma, quia nunquam sistit; in hoc immobilis, quia jugiter movetur; fortássis id edocere hominem Deus voluit, cùm hominem piscibus maris, & volucribus cœli præfecit; hi siquidem signatè hominis imperio subjiciuntur, ut vel à piscibus maris disceret homo; imperia suis agitari fluctibus, repleri amaritudinibus, & dignitates fluxas esse cum aquis, & volaticas cum volucribus cœli.

*Daniel, 2.*

*Concion. 2. in Psal. 32.*

## §. III.

### *Scenatiles sunt mundi dignitates, & personatæ, ac volatiles, quibus si larvam detrabis; non nisi curas, & gravamina tibi exhibent,*

14. Referunt hominum dignitates histrionum personas, quæ ab alijs feruntur ad alios: ipsa enim regia insignia, quæ ab his ad alios transeunt, hoc altè inclamant, quamvis profundè sileant; pulchrè sanctus Asterius homilia de Occonomo iniquitatis: *Sicut Histreonum PERSONAS propriè, & peculsariter eorum possidet nemo; sed pro re, & argumento promiscuè quisque sumit: ita terram, secésque terrenas quasi vestes ex alijs alij induunt. Dic quæso num aliquid Regno majus? atqui scrutare, quæ Regnum sunt: chlamydes conquire regias, quamplurimas sanè reperies quæ Regum multorum, corpora texerint, quod & de coronis, fibulis, zonis censendum; omnia nempe hæreditatem instabilem, usúmque eorum communem, & ab iis, qui abeunt, ad alios, qui remanent transeuntem.*

Nil habent stabilitatis, quas mundus dignitates exhibet: in scenam perinde producuntur, ac histriones, & mimi, qui alienam agentes personam, brevi regiam, quâ tegebantur, chlamydem exuunt. Da regio diademate insignitum, Regem in hujus vitæ scena agentem; quid ni brevi peractâ fabulâ, ornamenta, quibus cœteris antecellnit, vel invitus deponit, & æquans inæqualia ineluctabilis Libitina omnia unà commiscet, sceptra ligonibus. Id sanè innotuit Ezechiæ Regi, qui propterea non potuit lachrymas coërcere, nec fletus prohibere, perpendens fluxibilitatem regiarum dignitatum, cùm gravi correptus morbo languesceret in lecto: *In diebus illis agrotavit Ezechias usque ad mortem.* Quin tonitru etiam illud ejus percellnit aures, *morieris enim tu, & non vives:* quia moriendum est, etiam imperatoria chlamyde munitis, etiam regali diademate circumseptis, sive velint, sive nolint, sive propitio Deo, sive irato; quia umbratiles sunt mundi dignitates, quibus Parcæ minimè parcunt, sed oculis orbatæ stamina omnia sive aurea, sive argentea, sive serica, sive lanea succidunt: & qui Imperatorem, vel Regem agunt detractâ larvâ perinde ac rurales, ac infimæ plebis homines sordescunt in cinere. Scena est præsens vita, cui prologus est nasci, narratio vitæ fabula, epilogus mori, nec mors ulli parcit capiti, sed æquo pede pauperum tabernas pulsat, Regúmque turres; hinc Ezechias audito tonitru: *morieris, & non vives flevit fletu magno* 4. Reg. 20. 15.

*4. Reg. c. 20.*

Mirum tamen quòd Ezechias nequiverit se à fletu temperare, cùm plerunque infirmitas corporis sanitas sit animæ: & religiosissimus olim senex Discipulo suo lethaliter decumbenti, ut solatio esset, dixisse fertur, ne tristeris fili ob morbum corporis: si ferrum es, per hunc ignem rubiginem exues, sin verò aurum, novum indues nitorem: appositè Augustinus: *Si aurum es, quid times ignem? Si frumentum es, quid times tribulam? non apparebis qualis antea eras in spica, nisi tribula conterendo à te separaverit paleas. Si oleum es, quid times pressuram prali? non declarabitur species tua nisi etiam pondus lapidis à te secreverit amurcam.* Ægritudo, quâ corpus torquetur, lapis est Lidius, examinator virtutis, scrutator conscientiæ, excitator animi pœnitentis, Monitor æternitatis, unde Ezechias lethali morbo decumbens languidus omnes anteactæ vitæ dies vocavit ad examen, & sui accusator dixit: *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ,* Quòd Ezechias ad 16.

*Serm. 3. de tempore barbar.*

exa-

examen vocaverit dies omnes anteactæ vitæ, mirum id non videtur, quia morbus ad lethum ingravescens est perinde ac succensa In Psalm. 61. fornax, ait Augustinus *In qua ardet palea, & purgatur aurum, illa in cineres vertitur, hoc à sordibus exuitur:* & lib. 1. de civit. DEI cap. 8. ait: *Sicut ab uno igne aurum rutilat, palea fumat: ita una, eadémque vis irruens bonos probat, purificat, eliquat: malos damnat, vastat, exterminat.*

17. Sed quòd Ezechias fleverit, audito imminentis mortis tonitru, non videbatur id regiam commendare fortitudinem. An orbitas, cùm careret Rex prole, lachrymas excussit à morituro? Sed Regis pientissimi erat divinæ voluntati propriam conformare, séque flectere in DEI beneplacitum. Tametsi prolis carentia successuræ in Davidis throno, & usque ad Messiam propagaturæ potis fuerit lachrymas à Rege morituro exigere; fortius tamen lachrymas elicuit fluxa, & perbrevis humanarum dignitatum conditio; subdit enim Ezechias Isaiæ 38. *Ego dixi in dimidio dierum meorum vadam ad portas inferi*, seu ad sepulchrum; siquidem Ezechias in ætate florente cùm ad quadragesimum annum adhuc unus deesset audivit tonitru illud: *Morieris enim tu, & non vives*, proinde non potuit non illachrymari vanitati, ac brevitati humanarum dignitatum; quâ ratione etiam conquestus Job Deum alloquens cap. 10. dixit: *Et sic repentè præcipitas me?* Non imminenti morti, non ægritudini torquenti fuit Ezechias illachrymatus; sed humanarum dignitatum volatili cursui, cùm enim Ezechias trigesimum nonum vitæ annum ageret, computat hos triginta novem annos brevissimam diem subdens *De manè usque ad vesperam finies me*, quia vita hominis quasi dies hesterna, quæ præteriit: neque videtur ab illa abludere volucri de culicum genere ad Hypanim fluvium Hemerobios dicta, de qua refert Plinius *lib. 11. cap. 36.* non vivere ultra diem, & eadem luce simul vitam inchoare, & finire, or nascatur mane cum sole, & cum eodem vespere decedat, manè enim nascitur, meridie viget, vespere consenescit; oritur mane, moritur vespere.

18. Quid ni iisdem limitibus circumscribuntur amplissimæ dignitates, pro quarum assecutione tam grandia, tamque difficilia moliuntur homines iisdem inhiantes; quapropter subdit Ezechias Isaiæ 38. *Anni nostri sicut aranea meditabantur* hoc est telas teximus, quæ repentè reciduntur, quod cum Ezechiam non lateret subjunxit, *præcisa est velut à texente vita mea: dum adhuc ordirer succidit me* Isaiæ 38. Orditur telas suas araneus, tantíque operis materiam uterus suppeditat, sive sit quædam intus lanigera fertilitas, sive corrupta alvi natura, ut Democrito placet. Mirum sanè, quòd animarculum tam exile, hanc texendi artem adeo calleat, ut moderato ungue, tereti filo, séque ipso araneus usus pondere stamina ducat, & deducat, eâ æqualitate, ac proportione, ut nil possit correctioni subjici. Suum texturæ opus à meditullio inchoat, circinato orbe subtegmina adnectens, & maculas paribus semper intervallis, imò ubi necessitas exigit, etiam crescentibus, ex angusto dilatans nodo implicat indissolubili. Mira sanè ars est, quâ cælat pedicas scutulato rete grassantes; diu multúmque discurrit in opere suo perficiendo hac, illacque circuit, in idem sæpius redit, se ipsam consumit, exenterat, eviscerat, ut illam suam multiplicium filiorum rotulam absolvat. Verùm labor omnis, totùmque opus textile ad levem scoparum ductum abraditur, & perit: quin & araneus ipse in sua tela interficitur, quâ veluti laqueo trahitur ad mortem, pede obterendus. Hæc igitur ratio, cur Ezechias audito tonitru mortis *Morieris enim tu, & non vives, fleverit fletu magno*, quia plerumque labores, quos homines impendunt, ut dignitates consequantur, iisdem trahuntur ad interitum.

19. Quòd si Ezechias tunc non decesserit, id ex lege fuit vires excedente naturæ, spectatâ siquidem morbi malignitate, ac decumbentis imbecillitate conclamatus erat Ezechias, quia nulla humana arte pristinæ poterat sanitati restitui. Sin verò auxilium divinum pensetur facilè fieri potuit, quod naturæ viribus erat factu impossibile. Duplex est vitæ periodus altera à natura, cujus cursui accommodatur; altera à Deo; illa mutationi est obnoxia, potéstque augeri, vel minui, contrahi, vel extendi, quia legi paret supernaturali: quæ verò à Deo est constituta augeri non potest, nec minui, & ad hanc reflectens oculos Jobus loquens de vita hominis ait: *Constituisti terminos ejus, qui præteriri non poterunt:* Cap. 14. quidquid enim in cœlesti hac est diphthera consignatum, ratum, ac immutabile habetur; non ita semper invariabilis est illa vitæ periodus, quæ cursui accommodatur naturæ, hanc enim etiam Syracides petiit sibi protrahi Eccles. Cap. 51. *Pro morte defluente deprecatus sum*, dicitur mora defluens, quia perinde ac fluvius impetu ruens, modò hunc, nunc alium secum rapit; & vita hominis nil aliud est, quàm continuus ad mortem fluxus, adeò ut fluxæ sint dignitates, fluxi honores, quibus ut insigniantur, tot impendunt homines labores, tot fundunt sudores. Unde Ezechias. *Præcisa est veluti à texente vita mea: dum adhuc ordirer succidit me*, in medio fluxu.

20. Non fluxas tantùm, & perbreves dignitates dicas, quibus homines inhiant insigniri, sed etiam larvatas, & noxias; ut quæ auro illitæ fulgent in gemma, lethales sint umbræ: quis dicat, regnantium sceptra, non virgas aureas multiplici coruscas gemmâ, sed colubros veneno infectos? Et tamen omnem delet suspicionem Pharao, cui Exodi 4. vel ipsum sceptrum, seu virga Moysis fuit terrori, cum desiit nitere in manu, & humi

repere in colubro: *quid est, quod tenes in manu tua? respondit virgam. Dixitque Dominus projice eam in terram. Projecit, & versa est in colubrum.* Quia sceptrum, si è manibus delabatur regnantium in anguem vertitur venena evomentem; ut inde discamus, exitium metuere, unde auxilium potuit expectari. Vertitur in anguem sceptrum, si terram tetigerit; seu cœperint qui sceptra tractant, terrenis adhærescere, divitiis inhiare, & sanguinem subditorum exsugere, venanoso tunc morsu inficiuntur, qui hisce subjiciuntur Regibus. Quæ in manu Moysis virga erat patrandis prodigiis destinata, ac imperio præparata, tum Ægypti, tum Israëlis; humi abjecta fit statim anguis repens in terra, quæ imparabat in manu. Quot ad dignitates evehuntur, quorum sceptrum in monstrum vertitur?

21. Vidit hujusmodi monstra olim Roma cùm imperium occupârunt Tiberius, Caligula, Nero, Heliogabolus, Maximinus, & alia hominum monstra, quæ sceptra in angues mutârunt, venenum effusutos in perniciem hominum. Quamdiu sceptra in manu tenentur, seu dignis decorantur operibus, imperij habentur insigna, ac dignitatis decora; sin verò ijs destituantur actionibus, quæ Principem decent, veluti in terram dejecta, angues fiunt, terrori aptiores, quàm honori: non enim sunt tunc ornamenta, quæ blandiuntur; sed insignia lethalia terrores incutientia: si virtus in manu virgam in sceptrum vertit; vitium, si è manu eadem virga projiciatur, in colubrum convertit.

22. Larvatæ sunt mundi dignitates sub persona Principis, anguem contegunt, quódque sceptrum auro illitum, gemmisque coruscum apparet, plerumque anguis est sub auri ornamentis venena spargens. Non sunt felices, qui apicem attigerunt dignitatum, summùmque honoris fastigium; extimâ enim specie suos decipiunt spectatores, scenicum induunt habitum; & scenæ inserviunt ij, quibus videntur alij servira, quia ut rectè Seneca. *Nemo ex istis, quos purpuratos vides, felix est, non magis, quàm ex illis, quibus sceptrum, & chlamydem in scena fabulæ assignant, cum præsente populo elati incesserunt, & cothurnati, simul exierunt, excalceantur, & ad staturam suam redeunt: nemo istorum, quos divitiæ, honorésque in altiore fastigio ponunt, magnus est*, si igitur fucata est magnitudo, quæ in solio eminet; ille magnus, qui ad honores raptus se demittit, nec exit extra se, nec multò minus supra se. Quot in Aulis Principum nituntur ad sublimia, qui viliori adjiciuntur famulitio? quot in honoris sublimitate constituti periculis circumsepiuntur? & plerunque qui tument ob honoram, timent ob plura, quæ ipsis imminent pericula? quia ut rectè S. Augustinus: *Quantò plus honoramur, tantò plus periclitamur*, & tunc majus imminet periculum ijs, qui in honore, ac dignitate constituti, honorem tantùm vident, non pericula. Epist. 76.

23. Servator apud Marcum miseratus fuit super turbas, quia jam triduo in deserto eum sustinerent. Quid feliciùs, quàm Christum sequi, cui turba, plus æquo quasi visa est adhæsisse, ac expectâsse, eò quia jam triduo cum ipso substiterit. Nos verò Aulas ingrediamur Principum, & interrogemus, quos famulitium addictos habet Principi, an triduo tantùm, val quatriduo præstolati beneficiantiam Principis aliquid fuerint solatij experti: aruntur procul dubio, qui non quatriduo tantùm expectârunt, ut reficerentur, sed quatriduani jam fœtentes; & diuturnitate miseriarum jam putres, & exesi, desperant, quam tamdiu exoptârunt refectionem. Plures jam fames extenuat, & absumpti panes expectant, quibus nonnisi fragmenta apponuntur, vel si panes videntur esse, qui exhibentur, plerumque micæ sunt cum ori ingeruntur: utinam etiam in Aulis Ecclesiasticorum hæc non obtingerent. Renuntiatur quia infulis insignitus, salutationes statim & gratulantium officia undique coacervantur. Verùm subductis rationibus tantum exhauserunt munera, sigilla, onera, & pensiones, ut ex infulis tantùm ipsi videatur baculus superesse, & quidem adeo tenuis, ut vix sustineri possit, utpote flagellis aptior, quàm fulcro. Alij verò ax Aula jejuni dimittuntur, & nulli plenè saturo licitum est discedere. Mendicatum plures aulam ingrediuntur, quia cæcitata laborantes: si oculos aperirent, procul ab Aulis, à dignitatibus abscederent: ideo cæcus Evangelicus sedebat in via mendicans; quia nondum oculos aperuerat, cùm primùm enim cœpit videre, surrexit statim, & mendicare desijt, secutus Christum, quem etiam magnificavit: *Et confestim vidit, & sequebatur illum magnificans DEUM.* Ideo cæcus, quia mendicavit sedens in via, & ideo mendicavit, quia nondum oculos aperuerat: nil ita excæcat, ut jubar dignitatis, splendor honoris; hâc cæcitate laborat, qui aulas Principum ingreditur mendicaturus eam in honoribus felicitatem, quâ exoptat exsaturari: sed væh illis! quia ita mendicantes propriam expetunt perniciem. Marci 8. Luc. 18.

24. Non aliud est felicitas, quam mundus exhibet, nisi ludus, ut eam definivit Philosophus, vel laqueus ut placuit Augustino; hanc enim quærentes felicitatem miserè illaqueantur, & ea pasti miserè capti vitiis irretiuntur; quis Davide fidelior, quis sanctior, & tamen hâc pastus felicitate captus fuit à Bethsabea. Summum felicitatis apicem appetiit in cœlo Lucifer, sed statim captus miserè cecidit, & qui fuerat inter sydera splendor, tartareas inter umbras detrusus fit titio fumigans, & vinculis adjicitur insolubilibus. *Quomodo cecidisti de cælo Lucifer, qui manè oriebaris* exclamat propheta: Angelus erat in cœlo locatus, vix oriebatur, & simul ruit; vix splendabat, & Isaias c. 14.

extincto

extincto nitore ferales deturbatur in umbras: sed quomodo de cœlo cecidit Lucifer, cum nullam ibi audierit Evam illicientem, nullum viderit fructum adblandientem, nullus ibi adfuerit serpens, qui falleret? quinimò fuerit Lucifer tunc amictus gratiâ, vallatus lilijs, stipatus Angelis; quid quod non senuerit in paradiso, sed vix manè ortus illicò occidit in omnium delapsus occasum calamitatum? Eminentiarum appetijt felicitatem, & in imum detrusus est miseriarum.

Ezechiel. v. 17. *Et elevatum est cor tuum in decore tuo; perdidisti sapientiam tuam in decore tuo.* Gladius quô Lucifer perijt, quô ex splendore cœli versus est in feralem Erebi titionem, elatio fuit cordis; ambitio, quâ superiorem, longéque eminentiorem sitiebat honorem, *& elevatum est cor tuum in decore tuo*, qui fulgor fuerat inter Angelos, hunc honoris sitis fulgur effecit inter Erebi furias. Quantis stipatur honor periculis, si vel ipsius sitis primos cœli nitores in imum detrudit miseriarum, vertitque in quassatam Megeræ tædam?

## § IV.

### *Is verum enancíscitur honorem, qui ab omni honore díscit affectum abdicare. Premitur serviente alijs imperans.*

25. QUis non ruinosa dicat fulcra, quibus honores fulciuntur, cùm honoribus adhærentes præcipites deorsum agantur? nil firmum sperandum est ab honoribus, nil stabile, cum nonnisi ruinas spondeant, & exitium; à vera felicitate sunt alieni, qui felicitatem in honoribus, & dignitatibus enancíscuntur, à veris delicijs recedunt, qui ad fucatos mundi honores procedunt, rectè Augustinus. *Sunt quadam*

In Psal. 1. *delicia sancta, & bona in libris: neque enim in affectandis ruinosis honoribus.* Timenda est ruina in honoribus, quia ruinæ expositi ruinis exponunt positos in honore; honoribus, qui afficiuntur, tametsi videantur fucato perfundi gaudio, verè tamen nullâ sunt verâ perfusi lætitiâ, quia gaudija innutriendis apta non est honor materia. Si enim quid sit honor investigemus, nil in nobis est, quô possimus meliores fieri, vel aliqua reali felicitate donari: honor enim in sola residet opinione; in sola nascitur,& adolescit æstimatione, quæ cùm sit extra nos, nil videtur nobis impertiri, nec quidquam nobis elargiri, quô virtus incrementum subeat; non enim honor nostrum est opus, sed alienum, neque opus est honorati, sed honorantis, & proinde ab à nobis magis alienus, quò alteri, non nobis inest. Neque honor honoratum supra elios evehit, quia cum sit in solo honorenta, & honoratum non afficiat, non potest eum supra reliquos evehere.

26. Quòd si velit quispiam super alios adscititiâ, vanáque honoris aurâ inflatus evehi, plerúmque, fit infra se, ut enim appositè Primasius. *Qui super alios vult esse, infra se fiet:* fit anim infra se, si postquam super alios est, tamen, quòd ita sit; quia ut ait Propheta. *Homo, cùm in honore esset, non intellexit.* Sed cur in fastigio constitutus honoris non intelligit? si specula, quò editior; eò aptior est, ut singula circumjacentia oculis lustrentur, intellectu conspiciantur? sed rectè ait Propheta: *Homo, cùm in honore esset, non intellexit*, quia ut edisserit mellifluus Doctor: id ad causem magis, quàm ad tempus refartur, quatenus honor videtur intellectum absorbuisse, ait D. Bernardus. *Homo, cùm in honore esset, non intellexit. Quòd quidem ad causam magis, quàm ad tempus arbitror esse referendum, ut sic intelligatur dictum. Cùm in honore esset, non intellexit, ac si diceretur, honor absorbuit intellectum.* Intellectu spoliatur, qui honores induit, & omni caret gaudio, qui sitit honore affici; curæ siquidem ipsæ, quæ honores sequuntur, nullem felicitetem assequuntur, & honorum cupientes ab omni avocant solatio, omníque destituunt lætitiâ; perinde curæ, solicitudines, molestiæ, honores sequuntur, suntque dignitatum pedissequæ, sicut umbræ famulantur corporibus: multiplici laceratur morsu mens ambientis honores, ut jam sit sui tortor, sibique carnifex: tristes vultus, frontes sulcis aratæ, aspectus torvi in honores ambientibus clarè evincunt internas cures, quæ mentem intùs lacerant, & interna viscera discerpunt; nilque felicitatis honoribus inesse ostendunt.

In Epist. ad Roman.

Epist. 127.

27. Proditum est, victimes olim cùm ad sacrificia ducerentur, infulis fuisse insignitas; ut inde moneamur, infulas, & dignitates ad supplicia, solicitudines, & curas viam sternere, pulchrè ajebat ille: *Consulares fasces; pratextam, purpuram, curulémque sellam, nihil aliud quàm pompam funeris putent, claris insignibus, velut infulis velatos ad mortem destinari.* Quomodò lætus esse potest, qui ad lethum ducitur? qui mundanorum honorum amore rapitur? cùm statim, ac honores amat, aliorum torqueatur honoribus? honores enim, qui sitiunt, tot in se experiuntur cruciatus, quot alios vident majoribus affectos honoribus, sibíque in honore superiores; quomodo vera potest felicitate donari, quem felicior torquet? quem honoratior pungit? quem superior vulnerat non alio gladio, nisi quia felicior, & honoratior esse credatur? Verus honor est ab omni se abdicare honore.

28. Est honor perinde, ac umbra, quæ fugientem sequitur, sequentem fugit, & ille est veris dignus honoribus, qui ad gradum honorum non ascendit, sed honoris gradus ad illum descendunt, talis fuit Virgo Salvatoris Mater, quæ ab Angelo salutata,

Luca 1. se esse ancillam professa est. *Ecce Ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum*, se dixit ancillam, quæ mox futura erat Regina, & ideo Regina, & mater, quia ad officium se dejecit ancillæ. Verùm si admirationem non ingerit se ancillam dixisse, antequam mater fieret DEI. Id tamen prorsus inauditum, eandem jam fœtam Deo titulum non exhorruisse servitutis, si enim ancillam se dixit coram Angelo, servam se profitetur coram anu Luc. 1. vers. 43. *Et unde hoc mihi, ut veniat mater Domini mei ad me?* Quàm dignum admiratione! quàm supra humanam consuetudinem! quàm rarum, ut inter prodigia pueri exultantis, ac saltantis in utero matris, & obsequia anûs prophetantis, ab humilitatis ubere neque latum unguem divelleretur, quæ pleno ubere Deum lactabat! plures reperiuntur in ipso dignitatum vestibulo humiles famuli, qui se paratos ad obsequia fatentur cum Virgine ab Angelico caduceatore salutata: sed quàm rari, quàm pauci nobis obviant, quos postquam nacti sunt dignitatem, non pudeat famulos, imò & simplices Dominos dici, ut ijsdem videatur dedecori, nisi inflatis buccis titulis superlativo majoribus salutentur? Quot ab aratro ad gladium militia vocavit, qui furfureo pane enutriti post elapsum lustrum stomachari cœperunt, quæ ante ijsdem fuêre in delicijs; eò quia dignitatem aliquam etiam ex inferioribus assecuti, eos pudet gregarium antea militem egisse. Eò devenit fastus, ut qui lucernâ initio Tyrocinij modicè illustres erant; statim ad aliquam evecti dignitatem velint jubare æquari Soli; & nonnisi in purpura dedignantur apparere, qui antea viliori amicti penula, nonnisi pannosi sordescebant in pulvere?

29. Ea est rerum materiæ concretione compactarum dos, ut suis sub initijs, humiliq; in exordio frœno coërceantur moderationis, quæ si è nativo evehantur statu, intumescunt in perniciem cæterorum. Nil vapore abjectius, si telluris matris detineatur in gremio, sin autem sursum evehatur, spissatur in nubem, & plerumque concrescit in fulmen; quod ut primùm desilit, blanditur quidem lumine, sed mox perterret tonitru: etiam babylonicum simulacrum luteis cœpit è pedibus evehi, & incrementum subire in ære, & argento; sed mox in auro consummatum ferales umbras invenit, ubi in auri nitore gloriabatur. Lapillus etiam, qui simulacrum dejecit tacto luto, mox crevit in montem, occupavit universam terram, cui fuit terrori; ut inde doceamur, contemptui haud habere modita, quæ deijciunt magnitudinem simulacri in auri splendore erecti è luto.

30. Quàm parùm fidendum dignitatum magnitudini, quam vel minimus lapillus deijcit, solóque æquat? plerumque qui lætus in fastigio videtur dignitatis, letho cæteris est proximior; quia cæteris lapsui magis obnoxius: neque lætus verâ lætitiâ esse potest, qui humanarum rapitur dignitatum amore; si enim dignitas veræ foret lætitiæ genitrix, nunquam ferè lætarentur, qui dignitate destituerentur, perpetuóque omnis essent lætitiæ expertes, id autem quàm aberret à vero, docent, qui dignitate minimè insigniti, qui nullo affecti honore cæteris sunt fronte sereniores, vultúque lætiores. Intuere hominem dignitati inhiantem, magnísque cogitationibus implentem mentis vacuitatem; quàm tristis vultu, quàm cogitabundus mente, quàm rugosus fronte, quàm vilis corpore, nullus discurrit per aulam famulus, cui usque ad humum se non subjiciat, nullâ obviat Principis administro, cui sua non exhibeat obsequia; imò etiam præstet vilissimum famulatum dignitatis acquirendæ causâ, & miserè singulis servit, ut valeat ipse paucis dominari: quem alloquens S. Bernardus pulchrè ait: *Tu ideo non servus, quia non uni servis, sed omnibus:* Neque si dignitatem concupitam assequatur, eum putes à servili absolutum conditione, quia non eximitur à famulitio, qui in plures exercet imperium, sed eò latiori subjicitur servituti, quò in plures sibi subjectos imperium exercet. Lib. 2. cons fider.

Quòd si nondum ad apicem conscenderint dignitatis, cui inhiant, aliâ etiam premuntur servitute, quia desiderium dominandi ijsdem dominatur; proinde à vera exulant felicitate, quia fucatam cupiunt humanæ dignitatis vanitatem, hinc peritè Sydonius. *Sententia tali nunquam ego assensior, ut fortunatos putem, qui Reipublica præcipitibus, ac lubricis insistunt culminibus. Nam dici nequit, quantum per horas fert in hac vita miseriarum vita felicium illorum (si tamen sic sunt pronuntiandi, qui sibi hoc nomen ut sylla præsumunt) nimirum qui supergressi jus, fásque commune summam existimant beatitudinem, summam potestatem, hoc ipso fatis misteriores, quòd parùm intelligunt inquietissimo se subjacere famulatui: nam sicut hominibus Reges, ita Regibus dominandi desideria dominantur:* Suis igitur famulantur desiderijs, qui cæteris dominari ambiunt, & eò infeliciores, quò felices tunc putantur. 31. Lib. 2. Epist. 13.

Gloriantur, qui Principi famulantur, eò quia dignetur Princeps ijsdem uti, quod perinde est, ac famulitio gloriari; sed non inde felices, quia Principi famulentur, & cæteris dominentur; utitur Princeps hisce instrumentis, perinde ac Samson mandibulâ, quâ mille interfecit Philisthæos, de quo dicitur: *In maxilla asini, in mandibula pulli asinarum delevi eos; & percussi mille viros. Cùmque hæc verba canens compleset, projecit mandibulam de manu, & vocavit nomen loci illius Ramath-lechi, quod interpretatur elevatio maxillæ.* Ita est, eò deveniunt hæc instrumenta Principum, seu 32. Judic. 15.

eorum

ſorum adminiſtri, ut cum talibus plerumque uſi fuerint inſtrumentis, ea poſtea proijciant. Cumque Samſon fuiſſet oſus aſini maxillâ ad hoſtium cladem, ad perennes ſui triumphos, non propteree honeſtiori eam titulo condecoravit: digna procul dubio fuiſſet, ut titulo cohoneſtaretur aliquo illuſtri, vel diceretur victoriarom artifex, vel vocaretur trophæorum inſtrumentum, vel etiam ut eidem erigeretur monumentum ære perennius. Sed oppoſitum obtigit; ſibi Samſon omnia tribuit, & ut bellicam propriam virtutem commendaret, magiſque attolleret, plus mandibulam victoriarum inſtrumentum depreſſit; quam propterea vocavit mandibulam aſini, quin & pulli aſinarum fruſtulum. Digna quidem fuiſſet mandibula, quò auro tegeretur, gemmis ornaretur, thecâ includeretur aureâ, vel ſaltem auro illita, gemmis coruſca, & ſummo in tholo ſuſpenderetur; ſed Semſon nil horum præſtitit, ſed io contemptum potiùs neglectam projecit mandibulam; ut iode edoceantur adminiſtri Principum, inſtrumenta Regum, quàm futiles, quàm vanæ, quàm nullius momenti ſint ſpes illæ magnæ, quas turgidê coocipiunt mente. Samſoo locum, in quem mandibulam projecit elevatiooem appellavit mandibulæ; quie nimirum Principes ſatis ſuis Adminiſtris feviſſe putant, ſi ijsdem uſi ſint in regimine, quibus ſi non ampliùs utantur, mandibulam ut Samſon proijciunt,

33. Non mandibula tantùm cum Adminiſtris Principum: ſed & cornua cum dignitatibus quandam præſeferunt cognationem, cum etiam apud Venetos in uſu ſit, ut Dux, ſeu Princeps inſigne capite efferat cornu exhibens figuram, ut ſymbolum Ducalis dignitatis, & præeminentiæ; & quis miſerijs refectos eos non dicat, qui ad culmen elevantur humanarum dignitatum? Scimus cornua intus medullâ carere, propriámque vacuitatem prædura cute contegere, in quo abludunt ab oſſe, quod iotus medullâ diteſcit; tametſi tumidum quid, & magnum videantur præſeferre, qui in culminibus locati dignitatum præ cæteris eminent, ſi extimam cutem, pompámque exteriorem inſpiciamus; intus tamen medulla veræ lætitiæ, ſuccóque ſolidæ jucunditatis ſunt vacui; appoſitè S. Gregorius. *Cornua dignitatum inſignia ſunt, non oſſa, quia miſeriarum aëre referta ſunt culmina, non veri gaudij medullâ.* Et ſanè ſi mente ſubeamus Priocipis mentem, ſtatim eam deprehendimus, verò ſolatio vacuam, & mordentibus tantùm curis refertam, & aëre venido gravidam, ut in eos haud immeritò flectamus, quod in tumidos culminum amatores, quod in cupientes dignitatom, inhiantes præeminentijs retorſit Sanctus Gregorius, inquiens: *In cornu, quia elatio frequenter accipitur Propheta atteſtante didicimus, qui ait: Dixi iniquis nolite iniquè agere, & delinquentes nolite exaltare cornu: quid ergò in Rhinocerote, cujus nomen latinè interpretatum ſonat, IN NARE CORNU niſi potentes hujus ſæculi deſignantur? vel ipſa in eo ſumma Principatuum poteſtates, qui typo fatua jactationis elati, dum falſis exterius inflantur honoribus, veris miſerijs intus maneſcunt,* Imò eò miſeriores, quò magis à cognitione miſeriarum abſcedunt; & quò miſeri, cæteris eſſe noo videntur: quie ea gravior, pleniórque eſt miſeria, quæ miſerentes non habet, & ſub dignitatis velamine ad uberius miſeriarum augmentum deliteſcit.

Lib. 31. moral. c. 3.

Lib. 31. moral. c. 1.

Quàm infelix conditio eorum, qui in ſummis dignitatum faſtigijs ſunt evecti, nullos habent conſolatores, quia plures ad ſe trahunt adulatores: aliena ſe produnt facie, quibus ſi larvam detraxeris, madere lachrymis deprehendes, quos riſus videbatur hilaree efficere. Quot ſoperbiuot in regio miniſterio, quos Rex ipſe faſtidit, gaudent Principes rebus præclarè geſtis? oegotijs ad præfixum finem feliciter perductis, pugnis fortiter pugoatis, victoriíſque de cæſo hoſte præclarè delatis: ſed interdum non jucundantur cum inſtrumentis, cum adminiſtris, & in bello Ducibus. Symbolum horum inſtrumentorum obſigoavit David poſteritati; Pugnavit ipſe paſcendis gregibus aſſuetus, non armis tractandis aptus contra Goliathom ſtaturâ corporis cæteris omoibus celſiorem, pectoris fortitudine validiorem, bellicâ virtute commendatiorem, ut toti Iſraëli eſſet terrori: Pugnavit David inermis, viribus imbecillis, corpore exiguus, & gracilis, & proſtravit Goliethum. *Prævaluitque David adverſus Philiſtaum in funda, & lapide*, & cùm caderet, ſumptâ, nudatáque victi Gigantis mechærâ, ejus caput in teſſeram delatæ victoriæ obtruncavit. Proſtravit David Goliathum non gladio, ſed funda, & lapide, & tamen non fundam delatæ victoriæ inſtrumentum, ſed gladium duxit in triumphum; gladium enim in oſtentationem triumphi abſterſum, ac ornatum ſoſpendit, primùm io ſuo tentorio, mox in Fœderis locavit tabernaculo in delatæ victoriæ perenne monumeotum: ſed ſi tanti fecit gladium Goliathi, ot eum ſuſpenderet in tabernaculo io teſſeram proſtrati Gigantis, quid de funda victoriæ inſtrumento egit? ſi hujus beneficio vibrato lapide Gigantem proſtravit, cur fuodam potiùs, quàm gladium non appenderat tabernaculo? ſi fuodâ vicerat non gladio, cur illam huic non præfert?

34.

1. Reg. 17.

35. Verùm quid factum fuerit de funda, neſcimus, & tantùm fuiſſe gladium, oon fundam, delatum in triumphum ſcimus; quia nimirum gladius victoriam bellica virtute delatam teſtabatur: funda verò eum aliqua exprobratione Paſtoris aſſueti ducendis, paſcendíſque gregibus percuſſum projecto lapide in fronte gigantem, ac proſtratum duntaxat innuebat; vicerat quidem funda, non

gla-

dius, sed pastoritiam illa vilitatem prodebat, bellicam iste fortitudinem; non vicit gladius, sed funda, sed ille ducitur in triumphum, quia honoris suppeditat incrementum; abijcitur funda, ut memoria deleatur pastoritij famulitij. Quàm crebrò instrumenta victoriarum, strenuósque milites, quorum bellica virtute præclaras de prostrato hoste victorias Principes detulêre, iidem negligunt, ac oblivione delent, ut sibi uberioris gloriæ arrogent incrementum. Suspicitur pendulus è tabernaculo Goliathi gladius, qui tamen nec prostravit, nec vicit Gigantem, cùm David fundâ non gladio vicerit: funda tamen, quia gloriam videbatur Davidis imminuere, in Sarcophago clauditur oblivionis; gladius verò, quia honoris addebat incrementum, ducitur in triumphum, appenditur tabernaculo, ubi in gloriæ monumentum hæret pendulus.

36. Quia tamen fuerat David moribus laudatissimus, vitâ integer, Deique servus, ideo è baculo pastoritio ad sceptrum regale evectus fuit. *Inveni David servum meum oleo sancto meo unxi eum:* ut inde scirent Successores Apostolorum, quos ecclesijs deberent præficere, quos eligere ad Infulas, inungere ad supremas dignitates; servos scilicet Dei, quos ipsi quærant, & inveniant, ait enim Deus: *Inveni David servum meum:* invenit, quia quæsivit: non quærentes dignitates, sed eas potiùs fugientes, quærendi, ac promovendi sunt; nisi fugerent, non quærerentur, nec invenirentur: non quærentes dignitatem sunt ad illam provehendi, sed fugientes quærendi sunt, ut inveniantur, ac promoveantur; qui eos ungunt, quos non inveniunt, sed à quibus inveniuntur, imò & circumveniuntur, dissimiles utique fiunt Deo in eligendo. Inveniendi sunt, qui latent, qui procul ab aulis degunt, & hi evehendi ad sacras Infulas si probis moribus cæteros antecellant, si scientijs emineant, si studio pietatis sint unicè addicti. Præficiendi sunt ecclesijs, qui non quærunt ijsdem præfici; hi enim non quærentes quærendi sunt, & si latent inveniendi. Suspicione non caret, qui ut Aaron non vocatur ad sacerdotium, sed vocat ipse Infulas; & utinam pecuniâ interdum promptiùs, quàm meritis sibi ad sacerdotium viam non sterneret.

* Psalm. 81.

Psal. 81.

37. Neque ex eo, quòd Deus invenerit David servum suum, quem unxerit oleo sancto suo, inferas, servos, & famulos eorum, qui in sublimioribus, & eminentioribus sunt dignitatibus constituti, esse promovendos ad dignitates, præficiendos ecclesijs, insigniendos infulis, rarò enim inveniuntur in aula Principum, qui servi sint Dei, & hominis, ut David; qui quærantur, & inveniantur ad infulas apti; plures tamen, qui in aula dignitates quærunt, honoribus inhiant. Christus ad sedes duodecim eos delegit, qui ecclesiam suâ stabilirent pœnitentiâ, ornarent virtutibus; vestirent purpurâ proprij sanguinis, rigarent sudoribus: cum enim ambitioni minimè servirent, cum honores non cuperent, dignitates non quærerent, quæsiti fuerunt ipsi, & inventi, & ad dignitatem Apostolatûs promoti, ut inde vel ipsi Apostolorum successores discerent, etiam natos obscuris natalibus infulis insigniri, si virtutum splendore clarescant; cùm etiam Amos dum vellicaret Sycomoros Propheta creatus fuerit, ut etiam Jeremias in Judæa, & Matthæus è Telonio, Petrus è navi piscatoria vocati à Christo fuerint ad Apostolatum, & Paulus à cæde, quam spirabat contra fideles, electus fuerit in vas electionis. Contemptui non debent esse, quos avorum illustris sanguis non illustrat, si eos virtus commendet: nil glande abjectius, nilque vilius, cùm suili gregi apponatur, fœculentissimum ut alat pecus; sed siliquam pede, si non contriveris, sed manu excolueris, quæ abjecta est glans, in humum, si feratur, præcellam, virentémque excrescit in quercum, militibus coronam suppeditaturam.

Nullum acervatur in horreo frumentum, quod in agro non fuerit palea vestitum. Cepam, si in horto invenias tulipæ, promptiùs pede conteris suam ob fœditatem, quàm manu naribus admoveas: si tamen feratur in areola; pulcherrimus inde gliscit flos, cujus vel tyrocinium pompam explicans discolorem cæteros longè superat à natura depictos multiplici colore flores; nulla siquidem in planta alia æquè versicolor naturæ licentia lascivit; cùm non defuerint, qui in uno flore supra ducenta discreta colorum genera enumeraverint: & quamquam præcox tulipa brevissimo caule è terra vix emineat, tunc tamen florem sparsim communiunt folia plerúmque terna, nonnunquam etiam quaterna, vel quina, crassa, oblonga, carinata, & interdum per oras modicè reflexa, ac crispula, nunc pendula, & modo surrecta: ipse verò flos summus colore varius in sena nonnunquam etiam in septena, vel octona luxuriat folia; calicis, sive calathi, vel pilei resupini effigiem exhibens. Ex meditullio, seu sinu totidem emittit filamina, quot flos ipse lascivit folijs, apicibus luteis, vel pallidis insignita, vel etiam nigricantibus. Quid ni flos pulcherrimus è cepa nascitur fœditate contemptibili; & nihilominus ob inditam sibi à natura virtutem, ac venustatem cæteros colorum varietate superat flores, meretúrque in principum hortis excoli, & adolescere. Etiam à vermiculo flocci faciendo, si suo spectetur in corpusculo, sericum texitur, quo etiam ad pompam, vestésque elegantiores utuntur Principes, qui si vermem pede protrivissent holosericum non induerent. 38.

Non quos genus nobilitat, sed quos virtus illustrat, excipiat dignitas; si fuerint ij dignitate insigniti, erit & dignitas illustrior, 39.

cùm

cùm incrementum nitoris subeant à virtute dignitate insigniti. Quantò accuratiùs litteris studerent homines, quàm diligentiùs addiscendis scientijs præstarent operam, quanto solertiùs virtutes excolerent, si dignitates non patrocinia deferrent, sed merita referrent! etiam inermis pastor, imberbis David congredi cum Gigante non timuit, pugnare eum Goliatho non expavit; sed quænam causa tantæ audaciæ? certè non alia fuit, quàm spes præmij ex pugna strenuè pugnata, ex merito ob partam victoriam sibi comparato; siquidem Regiæ nuptiæ non stirpi, non opibus, non generi, ac nobilitati, sed fortitudini, ac Victori exhibitæ fuerunt. Si nobilitatem sanguinis spectâsset Saul in genero, Goliathus non corruisset, & Israël non stetisset; Ideo stetit Israël; quia cecidit Gigas, & ideo Golias corruit, quia nuptiæ regiæ merito victoriæ, ac virtuti fortitudinis exhibitæ fuerunt, non nobilitati generis, nec divitiarum congestis acervis.

40. Sed quot in aulis Principum absque ullo meritorum fulcro, nullâque innixi virtute stare cupiunt in primarum dignitatum fastigijs? Quot, qui statuam exhibent Nabuchodonosoris? Fulgent enim aureo capite prudentiâ larvati, argenteo pectore candore fucato, ære multiplici in officijs obeundis, sed quia non nituntur meritis, non fulciuntur virtutibus, sed ferro, & luto, promptiùs cadunt, quàm surrexerint. Quot etiam lugubri metamorphosi scenam exhibent lapilli, qui è monte delapsus in testam statuæ impingens, seu luteos percutiens pedes, solo æquant aureas statuas, seu deprimunt, qui eminentioribus erant dignitatibus insigniti, fiúntque ipsi præcelsi montes. Plerumque lapillus, seu vilis homuncio revelat lutum Principi, quod latebat in suo Administro, & quæ erat aurea statua dissolvitur in pulveres. Quid flagitij repertum fuit in homine tanti nominis? fortassis interdum nullum in eo crimen, sed quia nullâ virtute munitus, nullóque suffultus merito inter innixus basi stare nequit ad lapilli pulsum; sed & lapilli, qui plerumque habentur contemptui, seu homunciones excrescunt in montes. *Lapis autem, qui percusserat statuam, factus est mons magnus, & implevit universam terram.* Sed longè major factus est lapillus, quàm fuerat eversa statua; & qui ante reverebantur statuam Colosso Nabuchodonosoris haud absimilem, capite aureo, pectore argenteo, magnitudine, & pretiositate cæteris in aula hominibus præstantiorem; mox non ampliùs statuam colunt, nec lapillum neglectui habent, sed montem venerantur simulacro longè sublimiorem: sed mons est etiam ipse rudis, totúsque saxeus, & solùm excrevit in eam magnitudinem, quia plures occupavit officia, enactus est dignitates, ex quibus tamen nil illi in antrum vertitur, nec argentum; perseverans homuncio, inhumanus; incultus, rudis, indoctus; adeò ut ipsum adeuntes nonnisi per abrupta, exesa non sine periculo ascendant: percussit statuam lapillus, non simulacrum tantùm eversurus, sed ejus locum, sedem, & dignitatem occupaturus, quippè eò lapillus excrevit in montem, quò universam impleret terram, locúmque simulacri aurei; si enim omnes, & singulos terrarum tractus occupavit, certè etiam locum, ubi antea statua surrexerat, imò & montem, à quo fuerat emissus; quia ea est invidiæ indoles, ut in aula, nec proprio parcat fautori, non enim lapillus è monte emissus, ad montem redijt, quin eum sibi adhærere coëgit, quia invidus vult in aula solus esse, invidet enim par pari, quia ei æquatur; invidet inferior superiori, quia ei non æquatur; invidet superior inferiori, ne illi æquetur: proinde ubi semel invidia aulam ingreditur Principis, cæteros excludit, ut sola regnet: nec ullus tam minimus aulam ingreditur, qui invidiâ, si torqueatur, magnos quósque evertere non ottatur, fore sperans, ut in alienis eversionibus, ac ruinis possit ipse assurgere. Qui tamen, si meritis non nitatur, eò fit lapsui proximior, quò sublimiora petit fastigia.

Daniel. 2.

## §. IV.

*Nulla in culmine honoris floret vera felicitas, & quæ videtur dignitatibus inesse, Bractea est, ad quam plerumque immerentes evehuntur. Sibi non favet, qui affectum in dignitates fovet.*

Quàm alieni sunt à vera felicitate, qui culmina enacti dignitatum se felices putant? cùm lapsui sint proximiores; ac promptiores, ut præcipites agantur; neque si in culmine steterint, ullo ibi fruuntur gaudio, quia quò sunt eminentiores, eò quoque proximiores, ac aptiores, ut in animam tristitiæ fomitem, seu culpam inducant: faciliùs, qui honoris attingunt culmina in scelera proruunt; súntque ad lapsum proniores, qui cæteris altiùs evehuntur, putant sibi in ea culminis eminentia licere, quæ in imo vilis status dedecora credidissent: *quàm multi*, ait S. Asterius, *per honorum escas, & illecebras, unà cum illecebra transgressionis hamum devorârunt.* Si oculos conjiciamus in retroacta sæcula, plures oobis obviabunt, qui plura indigna præstiterunt in fastigio dignitatis, quàm in humili statu paupertatis; honorabiliores futuri, si minus fuissent honorati. In quæ scelera non proruit Nero, cùm primùm fuit ad culmen imperij evectus, cùm nec maternis pepercerit visceribus? Quæ non patravit scelera Tiberius, cui totum humanum genus extinguere volupe fuit? Si alios recenseamus, qui olim ad culmen Romani imperij fuerunt evecti, & 41.

Homil. adversus avaritiam.

& excipiamus Augustum Flavium, & Titum, Vespasianum, Nervam, Trajanum, aliósque perpaucos, reliqui monstra potiùs extiterunt crudelitatis in perniciem hominum nati, ac dedecus Romani Imperij.

42. Sed quid causæ cur tam multi in culmine honoris, in fastigio dignitatis, vitijs potiùs obscurentur deturpati, quàm speratæ virtutis clarescant splendore illustrati? quia jubare excæcati dignitatis, quid sensus, & appetitus concupiscentiæ suggerit, assequuntur, non verò, quæ recta ratio dictat, sequuntur; pauci sanè, qui cum sponso eminentiori insigniti dignitate fructus colligant genuinæ virtutis: alloquitur sponsa suum dilectum, inquiens: *Statura tua assimilata est palma, & ubera tua Botris: ascendam in palmam, & apprehendam fructum ejus*, (Cant. 7.) sed quàm rari ascendentes ad palmas, primásque dignitates, fructus palmæ in palmis colligunt! Quid causæ? nisi quia priusquam in palma ascenderent, in staturam non excreverunt palmarum, eò quia è pulvere plerumque homines ad cathedram evehuntur, & non rarò è theatris, & orchestris ad aras, & suggestus ascendunt. Primas interdum sedes occupant, qui antea in cathedris detinebantur pestilentiæ: neminem repentè fieri optimum dixeris, & naturam nos docere plantas, & flores è semine, & radice nonnisi gradatim pullulare, & excrescere, neque incrementa subire, & ad celsitudinem pervenire, nisi per modica initia. Nequit qui palmam ascendit dignitatis, fructus palmæ legere, nisi statura ejus consimilis fuerit palmæ, hoc est instructa virtutibus, cumulata meritis: qui omni prorsus destitutus virtute, meritóque spoliatus palmam ascendit, non fructus palmæ apprehendit, sed aconita, helleborum, & cicutam in palma colligit.

43. Florem, dignitatem dixeris purpurascentem in rosam, suis etiam vallatam spinis, circumseptam curis, cui, si insideat apis argumentola mel exugit, si volitans ingenti cum murmure; absonóque mugitu scarabeus, cicutam, & venenum ebibit; qui meritorum volatu dignitates conscendunt, hi fructus colligunt dulcedinis, qui verò inconditο mugitu, meritis destituti, nudi virtute, per assentationes viam sibi parant ad culmina honorum, ad fastigia dignitatum, hi procul dubio non vernant in flore, sed sterilescunt in spina, ex qua aconita duntaxat colligunt. Ascendunt immerentes dignitatis palmam, quam tamen promptiùs annosam vertunt in quercum, quia quos virtus antea honestabat in palma, mox ut foes vitiû ad saginam impingnat in quercu. Quòd lupus repentè vertatur in agnum, non humanæ est virtutis, sed Numinis datur omnipotentiæ; & speciale est opus Dei hominum mentes, & corda flectentis, prout ipsi magis libuerit, ac instruentis: opus fuit supremi Numinis, si anguis antea humi repens, fuerit in Moysis manu illicò in virgam, sceptrúmque versus ad regimen Israëlis: sed utinam Clerici humi repentes, quia nulla sublimitate virtutis conspicui, ad regimen non eveherentur Dominici gregis; ad dignitates non promoverentur omni destituti merito! sed istis dignitates, ut noxiæ, plus adferunt damni, quàm inde hauriant solatij; quærunt in dignitate nón opus Dei, sed opes mundi. Aurum ipsis mundus offert in culmine dignitatis, ut per aurum auferat Cœli Regnum. Thesaurizant in culmine honoris, in dignitate, quâ insigniuntur, sed thesauros in terra, ut eos pudeat natos cœlo, cœno thesaurizare, quis thesaurizet, unde abiturus est; quis ea congerat in itinere, quæ secum asportaturus non est? Thesaurizant in fastigio dignitatis, sed opes congerunt, quas eruca, & tinea corrumpunt: quàm fragiles mundi thesauri, quæ erucis exponuntur, & tineis, à quibus brevì eroduntur, simúlque divites se torqnent, cùm suis non careant solicitudinibus, suísque non destituantur curis.

44. Imperium in alios exercere pluribus fit obnoxium curis, cum etiam sub aureo diademate plura lateant ferrea acumina, quibus regium caput non modicè pungitur: nec sui est juris, qui in alios jus exercet, minúsque sibi imperat, qui cæteris imperat: plura splendorem, ac elegantiam produnt, quia auro illita; à quibus, si extima detrahatur superficies, sunt contempti, quæ antea erant pretio. Scitè Seneca. *Cum auro tecta perfundimus, quid aliud, nisi mendacio gaudemus, scimus enim sub illo auro fœda ligna latitare, omnium istorum, quos incedere altos vides bracteata felicitas est, inspice, & disces sub ista tenui membrana dignitatis, quantùm mali lateat*: (Epist. 115.) larvatæ sunt sæculi dignitates, bracteatam exhibent felicitatem in extima superficie, cùm intus uberrimam suppeditent lachrymarum materiam, & sub larva felicitatis ingens lateat miseria. Quomodo possunt terreni honores vetam impertiri felicitatem, si vacui felicitate nonnisi miserijs, spinis, & curis opplentur, & si quid præseferunt nitoris, adeò hæret in superficie, ut intus non penetret, sed tantùm exteriùs oculos feriat? Umbram potiùs honorem dixeris, quàm corpus, cùm nil habeat, in quo subsistat, & vanam duntaxat sequatur hominum opinionem; nec umbram implendæ vacuitati idoneam dixeris: si umbræ sunt honores, nullius valent animum implere, & quamvis coacerventur, vacuum semper æquè relinquunt ventrem, ac mentem. Rectè Ugo Catensis. (In cap. 30. Proverb.) *Honores hujus mundi sunt umbra, quæ non replent, nec solidant, & ideo nulli sufficit honor suus* Imò tantùm abest, quòd honor va-

vacuitatem repleat, ut ejus sinus uberiùs laxet, collatus siquidem honor sitim excitat majoris honoris, & vacuitatem in illius animum invehit, qui ad honorem evehitur.

35. Non credas, honorem ullam secum veram felicitatem trahere; fumo pariatur lachrymis eliciendis aptiori, quàm lætitiæ invehendæ; quàm scitè S. Petrus Damianus ait. *Epist. 38.* *Terreni honores, terrenæ dignitates quasi fumus, quò altiùs extolluntur, in nihilum redeunt.* Pariantur dignitates fumi voluminibus, quæ quò ad altiora nituntur, eò decrescunt, ocyùsque evanescunt; & perinde ac fumus, ut solatium adferant, nihil sunt; sed ut crucient, corquecant, lachrymásque eliciant, aliquid sunt: imò eatenus honores sunt, quia putantur esse, & eò ampliorem miseriam adfert eorundem exilitas, ac inanitas, quò in ambitiosorum mente aliquid videntur apparere.

37. Quod exile in se est, plerumque, quia nobis propinquius, grandioris apparet molis. Quòd si intimiùs in se pensetur, nonnisi exilitatem prodit: hioc qui purgato intellectu, mentéque defœcata à quovis ambitionis tumore, ac fumo, mundi honores, ac dignitates consideret, eas pedibus potiùs calcat, habétque contemptui, perinde ac mulier illa Apocalyptica, quæ sole amicta, lunam pedibus conterebat. *Apocal. 12.* *Signum magnum apparuit in cælo mulier amicta sole, & luna sub pedibus ejus, & in capite ejus corona stellarum duodecim:* signum quidem magnum fuit, cùm sole vestiretur mulier, & etiam maius, quod syderibus coronaretur, sed maximum, quòd lunam pedibus contereret, & *Luna sub pedibus ejus.* Itane Luna solis soror, noctis lampas, mondíque oculus pede conteritur mulieris? Itane stellulæ exiguæ cœli gemmulæ, minuta lucis fragmenta, solaris nitoris superstites guttulæ in supremo vertice locantur in splendidam mulieris coronam; & luna luminare noctis, tenebrarum expultrix, ac umbrarum fugatrix sub pedibus neglecta jacet? quàm rectè luna sub pedibus, eùm symbolum exhibeat humanarum dignitatum, ac honorum: tametsi grandior nobis videatur Luna reliquis firmamenti syderibus, cæterísque lucidior planetis uno excepto sole, mentitur tamen suam granditatem, cùm longè minor sit cæteris syderibus, non enim vastitate sui excrescit reliqua super sydera, sed vilitate nostra grandescit in solem, quia nimirum proximior terræ, & postrema in cœlo, nobis grandior reliquis apparet remotioribus syderibus, quæ non minora sunt, sed celsiora: quàm apprimè symbolum humanarum dignitatum nobis Luna inspiciendum exhibet; videntur nobis, quæ à mundo offeruntur dignitates plurimum præseferre magnitudinis, quam tamen mentiuntur, nec quidquam aliud in se continent, quàm vacuam inanitatem. Plures hisce insigniti dignitatibus fucata splendoris specie lucent in solem, qui tamen pleni sunt vacuitate; cæterisque, qui vix apparent splendescere, longè exiliores; non secus, ac luna, cum stellis pariatur firmamenti. Idque clariùs ut quisque inspicat, observet Dei justitiam in cœlo locum cuique suum tribuere, sed non quem decepta nostrorum acies oculorum designat, sed quem virtus, & dignitas cujusque deposcit; tunc plures infra jacebunt, qui plus cæteris inter homines videbantur splendere; & plures, qui habentur contemptui, ac veluti pede conteruntur, emicabunt in capite: & qui videntur nunc fulgere in vertice, despicientur cæteris inferiores. Quàm noxiæ mundi dignitates, quæ sursum videntur iis, dum insignitos evehere, quos tamen ad imum detrudunt miseriarum: nullam invehunt dignitates quietem, nullom adferunt solatium, quia curis stipantur, ac solicitudinibus quietem procul abigentibus.

Quis credat, plus inesse quietis, cùm adversitates urgent, tribulationes erescunt, ærumnæ incrementum subeunt; quàm cùm dignitates excrescunt uberiori circumfusæ splendore? Scimus Servatoris Discipulos in horto, cùm persecutio immineret, adeò tranquillè quievisse, ut debuerint solicitè expergefieri; cum in Taboris spectaculo nullo indiguerint expergefactore, & Magister Christus, qui suos excitaverat ad tormenta Discipulos in horto; eos non exsuscitavit ad gloriam in monte. Non enim diu quieverunt in Tabore ad gratissimum transfigurati Magistri spectaculum: quamvis enim Lucas perhibuerit, oculos eorum fuisse tunc somno gravatos, subdit tamen, *Et evigilantes viderunt Majestatem ejus, & duos viros, qui stabant cum illo.* Nimirum ipsa species divinæ Majestatis aptiori fuit stimulo Discipulis, ut oculorum superarent gravedinem. Mirum tamen! qui enim in horto ad mortis nuntium tertiò moniti somnum excutere non valuerunt: in monte solo Majestatis repercussu evigilant. Quid aliud id nos edocet, nisi quia dignitas in Majestate sita quietem omnem abrompit in montis, seu throni fastigio? & ærumnæ in horto, ubi cum floribus germinant spinæ somnium conciliant, ut commodiùs ærumnis circumsepti dormiamus, quàm dignitatibus insigniti? Petrus etiam vinctus catenis duabus adeò profundè dormivit in carcere, ut vix percusso ejus latere ab Angelo potuerit excitari; imò & nonnisi difficulter ab ipso Christo in horto, ubi vix ad strepitum appropinquantis cohortis evigilavit. Quid ergò, quòd discipuli ad primum Magistri transfigurati splendorem; imò vix Christi intuentur fulgorem; oculos adaperiunt vigilea, quavis excussâ somnolenta segnitie, & affusos eidem videot Moysen, & Eliam? fortassis quia

38. (right margin, beside "Quis credat…")

*Lib. 2.* (right margin, beside "Et evigilantes…")

quia in novitate honorum, in recenti ad dignitatem evectione, oil perspicaciùs conspicimus, quàm quos proximos sibi Princeps asciscit, ut ijsdem utamur, tanquam instrumentis aptioribus, quorum favore ad pinguiorem consceodamus, & nos fortunam.

38. Mirum tamen, quòd cum plures observent, moris non fuisse apud Hebræos effigies summorum virorum pingere in tela, nec sculpere io lapide, nec suspendere in pariete, adhuc potuerint Discipuli in Tabore Moysen, & Eliam suspicere Christi lateribus assidentes! Non me latet id factum divina illustratione, & intùs contigisse in mente, quod foris splendentem videbatur pompam explicare. Sed dixerim, id fortassis contigisse, ut segnitiea nostra redargueretur, quæ solertiores sumus, ac magis Lyncei in examinandis moribus, indole, & genio eorum, qui lateribus assident eorum, qui ad dignitatem recèns promoti sunt, ut eosdem in nostra flectamus vota; quàm in observandia moribus Principia, ad quem oobis difficilior patet accessus: nimirùm allicit dignitatis splendor, qui tamen vix ortus occidit; ut discamus, honores volatiles, milléque curis involutos repudiare, ac respuere, non secus, ac lethale venenum mortem adferens bibentibus, ut enim notat S. Laurentius Justinianus, *fides Christi exemplo docet, honores esse tanquam mortale venenum contemnendos:* contemnendi igitur sunt honores, qui onnnisi lethales horrores incutiunt, qui venenum propinant necem allaturi. Lethales, & bracteati sunt mundi honores, qui aurea superfice toxicum contegunt, quod dulcedine quadam conditum propinant, ut blandiùs interficiant. Id etiam mali continent dignitates, & honores, ut homines decipiant, mortémque ijsdem inferant, cùm mortem minimè timent; hinc exclamavit S. Thomas à Villanova, postquam perpendisset humani honoris fallaciam: *ô mundi lethalis bonos quomodo fascinas homines, quàm malè decipis mortales! quid est enim gloria hac nisi ventus; vanitas vanitatum, & omnia vanitas:* qui sapit; mentem erigit, quam à dignitatum affectu avocat; pede conterit ipse dignitates, ne indignè à dignitatibus conteratur; honoribus se spoliat, ne ab ijsdem ipse spolietur.

*Lib. de ligno vitæ cap. 5.*

*Concione de S. Jacob. Apost.*

39. Quòd si nos fugientes adhuc dignitates sequantur, nec easdem valeamus declinare, ita illis adhæreamus, ut virtutum culturâ floreamus in rosas charitatis, in lilia puritatis, violas humilitatis; simúlque fructibus bonorum operum videamur ditescere. Dignitatem præsertim ecclesiasticam nobis symbolicè exhibet Aaronis virga, quæ germinavit in florem, simúlque maturuit in fructus, quia litem sacerdotij dirimere valuit, ac propterea perpetuò virens flore, & cum cœlesti Manoa in tabernaculo deinceps asservata fuit io ambitiosæ discordiæ metum. Plura tamen ex virga Aaronis pullulârunt miracula, quàm flores; siquidem cum antea arescereţ, germinavit baccas, quæ eodem tempore odoram in flores explicuerunt pompam, & flores statim maturuerunt in fructus; quodque mirabilius, quia nunquam defloruerit, neque fructus amiserit. Fuit autem Virga hæc miraculorum fœcunda parens, amygdalæ sterilis filia; est Amygdala, quæ inter arbores prima floret, & eadem postrema inter plantas folia exuit teste Philone; quia nimirum ad dignitates, qui evehuntur ecclesiasticas præcoces debent flores virtutum, & fructus meritorum dare, ut cæteros exemplo fortiùs, quàm verbo ad culturam alliciant virtutum; exempla enim Ducis fortiùs milites trahunt. Verùm cum amygdala inter arbores floreat prima cæterarum; etiam prima frigora, pluvias, grandines, ventósque tolerat, ut inde discant in dignitatum fastigijs constituti virtutem in adversis crescere grandiorem, & asperis magis firmari.

*Lib. 1. de vita Moys.*

Quòd si amygdalini fructus duro teguntur cortice, ac nucem opus est, frangat, qui nucleum vult prægustare; Id est, etiam nobis documento, ad dulcem dignitatis nucleum oon perveniri, nisi per fractam duritiem: qui enim duri sunt in respuendis dignitatibus, si charitas urgeat, vel obedientia adigat, sinunt suam frangi duritiem à nucleo minimè abhorrentes; hi ita accedunt ad dignitates, ut minimè recedant à Dei famulatu; neq; inflantur jactantia, nec tumescent superbia; idque homines edocuit Gabriel Archangelus, cum missus ad virginem Nazaream, dixit: *Ego sum Gabriel, qui adsto ante Deum, missus sum loqui ad Te*, suam non jactavit dignitatem, sed Dei Ministrum se fatetur, & missum; quin & reticens titulos oomen duntaxat suum prodit, & adstare se dicit ante Dominum; cùm verè, & sincerè potuisset dicere, se esse Archangelum, cui plures subduntur Angeli: se voluit tantùm profiteri missum, non ut suam prædicaret dignitatem; sed ut Dei haberetur nuntius, hominúmque conservus, & ad homines legatus: discant ab Archangelo, qui infulis insigniuntur, ut se infulis dignos prodant. Meminerint etiam Prælati vitæ præsertim studere integritati, morúmque candori, quo enim nitidior est vestis, eò fœdiores apparent io ea maculæ; inter purpuræ splendores quævis festuca sordescit io nævum, & inter vestium nives pulvis qoilibet vilescit in lotum; quæ latuissent in panno maculæ se produnt in niva; hinc fortassis indumentum Christi in Tabore transfigurati niveum fuit, ut diligentiùs, qui præsunt, & imperant, à maculis caveant, & impuritatis flammas excutiant è corde, ne nives proximum sentientes ardorem solvantur; & candor dispareat innocentiæ. Niveus candor honestatem commendat, monétque Prælatos, ut procul flammas omnes libidinis ablegent, quarum solo afflatu nives pudicitiæ eliquescunt. 40.

*Lucæ 1.*

Sed

31. Sed cur transfigurati Christi in Tabore vestimenta alba dicuntur sicut nix? & non potiùs eorundem candor paritatus lacti fuerit, vel lanæ, aut muris pontici pelli? cùm æquè candor lactis, ac lanæ, pellisque muris pontici innocentiam prodant, ac puritatem agni, & muris; & tamen dicitur: *vestimenta ejus facta sunt alba sicut nix*. Maluit nivium candori vestes pariare, quàm lactis, & lanæ, aut pellis, quia ornatus Prælatorum promptiùs evanescit, si ardore non sancto affletur: liquescunt nives, si æstᵘs ferveat concupiscentiæ; imò & si aura intepescat, statim niveus evanescit candor; non ita lactis, lanæ, vel pellis color: vult Christus vestimenta eorum, qui Ecclesiis præficiuntur esse alba sicut nix, ut vel primas cujusvis impuri ignis favillas discant excutere, ne quidquam patiatur damni innocentiæ candor. Vel nivium pariantur candori, ut sciant infulis insigniti se obnoxios ærumnis, & adversitatibus, cùm nives sub dio frigido, & grandine percutiantur, ac imbre: sic discipuli cum Majestate Taboris supplicia conjunxère Calvarij; *Erant autem Moyses, & Elias visi in majestate & dicebant excessum ejus, quem completurus erat in Jerusalem*; crucem sceptro copulârunt, & noctis squalorem solis adjunxerunt jubari, quia nimirum infulæ ita splendent in nitore; ut simul solicitudinis squalore pallescant: ita eminent in fastigio, ut curarum stipentur vepretis, quia non pompæ militant, sed laboribus, & cruci: hinc Joannes Caput Prælati ecclesiastici vidit non aureâ coruscum coronâ, sed iride circumdatum in nubibus arcuatâ, *& iris in capite ejus*, quia si iris vespere futurum imbrem prænuntiat; etiam pastoralis insignia authoritatis tormenta designant, & supplicia. Ecclesiasticorum corona iridi pariatur inter turbines splendenti. Non ornator caput Præsulis thiara, ut caput tantùm elevet supra cor, sed ut cervicem submittat speculæ, invigiletque pro grege à lupis tuendo. Si Præsules spiritu inchoârunt munus, quod obierunt Pastoris, caveant, ne carne illud consumment.

Matth. 17. — Luc. 9. — Apoc. 10.

# DISSERTATIO VI.

## Affectus omnis avellendus est à fucatis mundi deliciis, ne istæ nos evellant à summo Bono, ac vera in ipso voluptate.

### §. I.

***Voluptas adridens irridenda est, ne nostras suo risu lacrymas eliciat. A sæculi illecebris ad scelus facilis est gradus.***



Adeò mundi illecebræ corpori eblandiuntur, sensúsque mulcent, ut in iisdem aucupandis, homines plenam adhibeant solicitudinem, quærentes in melle venenum, quo muneré pereant: mundus enim Circæa porrigit pocula, præstigiarum dulcedine inebriantia, quia dementant. Quid dixeris esse carnis illecebras? quàm sirenulas, blandulas quidem, sed ad exitium pertrahentes? Pentapolis poma, extimâ superficie vivido depicta colore, manúmque allicientia ad ea carpenda, sed necem adferentia, si carpta deglutiantur? sunt enim mundi illecebræ apes aculeis potiùs armatæ, quàm melle instructæ; dulcia acerbæ pœnitudinis semina in uberrimam succrescentia dolorum, ac ærumnarum messem. Sæculi illecebræ Jasonem è fabulis reducem sapiunt, redivivum siquidem sopiunt non Colchidis Draconem, sed iisdem illectos homines, aureum animarum vellus raptoræ: Pandoræ pyxidi sunt simillimæ, à qua velut à putidissimo fonte malorum omnium fœtidiores rivuli scaturiunt in perniciem humani generis; habent enim mundi illecebræ pedissequas ægritudines, dolores, pauperiem, cùm thesauros exenterent, inhiántque auro, argentóque, quibus ditescant. Decerptum imitantur ab Eva pomum, quod oculis priùs adblanditur, móxque allicit manum, ut cum fructôs dulcedine mortis deglutiat homo amaritudinem: abladiuntur mundi illecebræ, alliciunt ad suû amplexum, sed et eo tetriùs interficiant, quò blandiùs se insinuant. *Vidit mulier, quòd bonum esset lignum ad vescendum*, ait sacer textus.

2. Verùm quomodo oculi de bonitate pomi judicium ferre valuerunt? numquid oculis munus tunc obière palati? si aures munere nequeunt oculorum fungi, nec de coloribus quidquam judicare, quomodo valuerint

oculi judicium ferre de gustu? potuit quidem depicta adblandientis coloris extima pomi cutis oculos allicere, non insita sibi dulcedine iisdem suadere esum, cum nonnisi de coloribus possint oculi judicium inferre. Id autem contigit, quia falsis, ac fucatis illecebris capta, malum quod rectaratio malum imò & pessimum suasit, falsa opinio bonom persuasit, scitè Basilius Seleuciensis: *Prius quidem viderat, sed aspectum expugnaverat affectibus, propter puritatem ratio tu servitutem minimè duci poterat: anima verò passionum vinculo impedita cum oculo malum communicavit.* Sed etiam accersitum D. Ambrosium audiamus, ait enim ad rem nostram. *Erat oculus, ubi erat affectus:* ex corrupto affectu in vetitum pomum, ex lenfuum illecebris illecta fœmina manum admovit, pomum decerpsit, quod decerptum momordit, morsu tamen, quo totum dilaceravit humanum genus; omnésque infecit posteros, quibus & mortem intulit.

Orat. 3. in Adam.

Lib. 4. de bona mor. cap. 9.

3. Nulla in mundi illecebris est vera jucunditas, cùm alliciant, ut vulnerent; eblandiantur, ut interficiant, placeant mortem illaturæ. Ulceribus se scatere prodit, qui carnis illecebris scalpi cupit; ulcerosa procul dubio censenda est anima, ac lethali laborans ægritudine, si hanc pruriginem sentiens, sinat se carnis illecebris scalpi: expertus loquitur D. Augustinus inquiens: *Circumstrepebat me undique sartago flagitiosorum amorum. Nondum amabam, & amari amabam, & secretiore indigentia, oderam me minus indigentem. Quærebam quod amarem amans amari, & oderam securitatem, & viam sine muscipulis: quoniam fames mihi erat intus ab interiori cibo, te ipso Deus meus. Et ideo non benè valebat anima mea, & ulcerosa projiciebat se foras miserabiliter scalpi avida contactu sensibilium.* Ægritudinem prodit non sanitatem, si quærat anima à corporis illecebris radi, carnisque pruritu confricari. Quis insanus non esset, & helleboro indigus, si hanc pruriginem sanitati, non ægritudini daret? cùm nonnisi corruptæ carnis pus, & sanies hanc quærant confricationem: concupiscentia, quæ veluti pedissequa comitatur corporis delicias; & dolor, qui iisdem famulatur abundè internam produnt ægritudinem, eósque scabie laborâre, qui hac prurigine illecebrarum scalpi cupiunt: tumor, qui consequitur, argumento est, scalpentium ungues animam sensibilium affectu sensisse: hinc Augustinus experimento edoctus ait de se ipso: *Inde erant dolorum amores, non quibus altiùs penetrarer, sed quibus auditis; & fictis tamquam in superficie raderer, quos tamen quasi ungues scalpentium fervidus tumor, & tabes, & sanies horrida consequebatur:* non adducunt mundi illecebræ veram voluptatem, sed eam abducunt; est enim voluptas genuina, & vera una; altera noxia, & larvata; hanc accersunt mundi deliciæ, ut fallant, quos alliciunt; sed hanc abigunt virtutum cultores, quia à Deo summo bono avertunt; non enim verum gaudium, & genuina voluptas alibi potest inveniri, quàm in unico summo bono, ut scitè dixerit David: *Lætificabis eum in gaudio cum vultu tuo:* Innato naturæ pondere propendent homines io delicias, ac voluptates, cùm omnes beati esse velint, & nullus miser; verùm licèt cupiant omnes gaudium, & voluptatem, rari tamen sunt, qui verâ potiantur jucunditate; quia flos est, qui nonnisi in Dei vultu, in faciali Numinis præsentia nascitur, & adolescit, & à vera jucunditate is aberrat, qui se à Deo avertit, cùm lætitiæ flores nonnisi in feracissimo divinæ præsentiæ germinent campo: qui Deum mente possidet, qui cogitatione eidem adhæreścit, is verè lætificatur, florésque colligit genuinæ voluptatis, post cujus odorem currens veram consequitur beatitatem; scitè D. Augustinus *Ubi eum bene erit sine illo, aut quando malè esse poterit cum illo,* ídque cùm minimè Davidem lateret, *Psalm. 15* ait *Providebam Dominum in conspectu meo semper, quoniam à dextris est mihi, ut commovear.*

3. confess. cap. 1.

Lib. 3. confess. cap. 2.

Psalm. 20.

Tract. 51. in Joan.

Veram qui quærit jucunditatem, à quovis cupit discrimine removeri, Deum habet Rectorem, ac Ducem; si Deus à nobis absit non possumus non periclitari, cùm etiam dormiente Christo insurrexerint statim fluctus in quassatæ naviculæ perniciem, Ascendente naviculam Christo statim mare fluctus excitâsse suos decumanis tumidiores refertur: *Ascendente eo in naviculam secuti sunt eum Discipuli ejus, & ecce motus magnus factus est in mari, ita ut navicula operiretur fluctibus.* Sed quid causæ, quòd tempestas ausa sit tumentibus suis fluctibus naviculam arietare, concutere, & quassare, quasi foret ludibrium ventorum, fluctuúmque lusus? Quid quòd mare, cum pedibus Christi tumentia terga submittere assueverit, ac sternere in plano vortices suos, motus coërcere, fluctibus debacchantibus frœnum injicere, & per liquentem viam, saxeam deambulanti Christo subjicere soliditatem; modò ascendente eo in naviculam suos excitet fluctus decumanis concitatiores, quibus in suum desævit Authorem? Quid? quòd Christus futurorum præscius præsentium sic videbatur ignarus, ut imminentem procellam, tempus periculi, horam commotæ tempestatis non caverit? Quid causæ fuit subortæ tempestatis, navisque ad naufragium fluctuantis, ac Discipulorum in navi periclitantium? Certè non alia ratio adfertur, nisi quia navicula minimè tunc à Christo gubernaretur, ait enim Matthæus: *Et ecce motus magnus factus est in mare, ita ut navicula operiretur fluctibus, ipse autem dormiebat:* tametsi vigilarent reliqui in navicula, adhuc unico dormiente Christo, periculum statim cœpit submersionis imminere. 4.

Matth. 8.

Sed cur permisit Magister suos affligi Discipulos ad commotam tempestatem? forsan, ut eorundem experiretur nauticam artem? 5.

tem ? cum piscibus capiendis, jam diu assueverint; siquidem Gubernatoris peritiam non probat tamperies serena, sed tempestas procellosa; noo marina malacia, sed despumantes fluctus; non quies æquoris, sed undarum tumultus; oon favonii, zephirique arridentes; sed Euri, Notique furentes: si aura favens adblaodiatur, navim regit ultimus Nauta: at in confusione ventorum, ars quæritur solertioris Magistri, & hæc causa

Serm 20. fuit, cur Discipuli ait Chrysologus: *Postquam viderunt sibi industriam Nauticorum deperisse, in se maria sævire, se fluctus petere, adversum se ventorum turbines convenisse; ad ipsum Gubernatorem rerum, Rectorem mundi, elementorum Magistrum trepidi confugerunt, petentes, ut fluctus sedaret, periculum submoveret, salutem redderet desperatis*, Voluit Magister Christus suos edocere Discipulos, ubique imminere pericula, cieri procellas, patere naufragia, nisi Deus sit præsens, qui tegat, & dirigat, sicut præsente, & regente Deo detumescunt fluctus, quiescunt æquora, cessant venti, tranquillatur aër; ita eo ooo præsente tantùm abest, quòd ulla nos valeat vera jucunditas afficere, ac lætitia exhilarare, ut potiùs statim procellæ terreant, spumaotes fluctus timorem iocutiant, sonantes venti interitum minentur, hinc David: *Avertente autem te faciem turbabuntur: auferes spiritum eorum, & deficient, & in pulverem suum revertentur*.

6. Quot pericula statim imminent, quot damna nos comprehendunt, in quot discrimina statim labimur à Dei vultu eliminati: aptè ooat D. Hieronymus *lib. 2. in Matth.* Discipulos non ad nutum, sed ad imperium Domini ab eo abscessisse, quasi præscios secuturæ illicò eo absente tempestatis. *Rectè quasi inviti à Domino Discipuli recesserant, ne illo absente naufragia sustinerent.* Non alibi flos veræ jucunditatis colligitur, quàm

Psalm. 76. in areolis divinæ præsentiæ, rectè David *Renuit consolari anima mea: memor fui Dei, & delectatus sum.* Sed quid, quòd David tunc delectatus fuerit, cùm renuerit consolari? ita est, tunc veram præsensit divinæ voluptatis dulcedinem, cùm aures clausit adblandientibus sirenulis terrenarum voluptatum.

7. Duplex datur voluptas, fucata, & noxia una, quam mundus suis exhibet cultoribus, perque carnis, sensuúmque illecebras exhibet, hæcque teste Isidoro in synonimis est cum quadam lubrica suavitate ad illicita sordidæ mentis inclinatio, & hæc ooonisi ægritudines, & ærumnas invehit; falsúsque sit, qui ab hoc putido fonte dulces veri gaudij putat ebibere latices: à fucatis mundi deliciis oonnisi veneoa hauriuntor, quibus epotis anima miserè perit. Nil tetriùs muodo obtigit, quàm cùm carnis illecebris indulsit, hæ siquidem Numinis iram in perniciem hominum succenderunt, calamitatúmque congeries omnes in orbem invexêre, præsertim fœdissimæ titillantis libidinis suggestionem; cujus flammæ nonnisi aquarum è disrupto cœlo in terras delapso cataclysmo restingui potuerunt. Periit aquis humanum genus, ne cinerescerct igne, & elementa ipsa ultura injurias ab hominibus Deo illatas conspirârunt in perniciem mortalis generis, & aër, tellúsque imbribus, & fluctibus pugnaverunt contra homioum scelera: exhorruit siquidem aër putidum fœtorem, quem hominum scelera exhalabant, ac spiritum impurum, quô contaminabatur; puduit terram, tot tantísque substerni flagitiis, quæ indignata proprium noluit sinum apetire, ne suis io visceribus tot sceleratissimos, viròsque nequam reciperet; proinde cum homines scelera acervantes sceleribus per tot jam aonos (sexcenti siquidem, & ampliùs fluxerant à mundo condito) Dei conniventis clementiam spreverint: iofurrexit tandem justitia, ac vindictæ tantò severiori, quantò lentiori pœnas commisit exigendas, plenóque aquarum eluvie homines è terra delevit, & flammas turpissimarum cupiditatum extinxit. Idque ansam dedit D. Augustioo, excutiendi torporem In Psal. 134.
in impiis, qui scelera sceleribus accumulant ultionis securi, ait ipse: *Ne putes Dominum dormire, quando tu vides quæ facta sunt in impios. Cave ne fiant in te, ad hoc enim & contra illos facta sunt, ut tu transires, & eos non imitareris, & talia non patereris. Vide quoniam flagellum Domini est super omnem carnem. Omnis caro ait scriptura corruperat viam suam.* Nimirum quia in cunctis homines deliquerant, in cunctis feriebantur, ut ipsa quoque elementa aër, terra, aqua, cùm fuerint instrumenta nequitiæ, transirent in carnifices supplicii.

Sin verò causas expendamus eluvionis, 8.
seu cataclysmi aquarum, quibus unà cum turpissimarum cupiditatum impuris flammis extioctum, ac deletum fuit humanum genus, paucis exceptis ex Nohemi familia; deprehendimus, sensus, carnisque fuisse illecebras. Primum siquidem diluvii initium multiplicatio fuit hominum, & scelerum, ait enim sacer textus: *Cùm cœpissent homi-* Genes. 6.
*nes multiplicari super terram:* siquidem cùm hominibus multiplicatæ itidem fuerunt sensuum nequitiæ, ac libidinum illecebræ, quia sicut scitè ait Ambrosius, *Paucitas, & pau-* De arca cap. 9.
*pertas pedissequas habent industriam, & frugalitatem, ita multitudo, & opulentia, socordiam: & nequitiam*, hinc pergit sacer textus inquiens: *Et filias procreassent*, sed quid mirum, quod fœminæ fœminas procreaverint, cum ab ipso mundi exordio jam cœperiot fœminæ generari, & generare? sed noo abs re dicuntur fœminæ hic generatæ, quia sub primis mundi exordiis constat fuisse uxores ductas, sed multiplicatâ postea hominum oequitiâ multiplicari quoque cœperunt & fœminæ, propter hominum intemperantiam, luxúmque in esculentis, & poculentis, & alia corporis, ac animi vitia, quæ vires

vires in viris non modicè debilitant ad mares procreandos. Pergit sacer Historicus, & subdit: *videntes filij Dei filias hominum, quòd essent pulchræ acceperunt sibi uxores ex omnibus, quas elegerant:* perinde prima humani generis pernicies lethale suum ab oculis sumpsit exordium, sicut suum in diluvio interitum; siquidem per filios Dei posteri intelliguntur Sethi, & per filias hominum fœminæ è vitiata Caini stirpe oriundæ. Illi cum per septem ab Adamo generationes in Avitæ pietatis studiis perseveràssent, & Cainitarum societate, connubiisque abstinuissent; quia tamen ex insolita prava consuetudine labem contraxerunt, & societatem simul, & familiaritatem cum gente reprobata, & maledicta inierunt, & ut loquitur Theodoretus: *illecti Sethiani musicis Cainitarum instrumentis, lascivia, & luxûs cœperunt irritamentis concitari:* floruit enim tunc temporis Thubal, qui psalterium, & cytharam fertur invenisse, & quia putidæ luxuriæ flammis cœperunt homines flagrare, fumique tetra volumina in cœlum emittere, injurias supremo Numini irrogantes, ideo dixit Deus. *Non permanebit spiritus meus in homine in æternum, quia caro est,* quasi diceret: auferam à sceleratis spiritum, seu vitam, & contraham ætatis humanæ spatia, quia id merverunt hominum scelera ruentium in omne fas, & nefas, præsertim fœdissimæ libidinis, quia ut ait Chrysostomus: Carnalibus operibus se ipsos totos dederunt, & animæ substantiâ abutentes, quasi sola constantes carne, ita vixerunt, ac si animâ caruissent, mente, & ratione fuissent destituti, ut soli indulgerent carni: quapropter pergit sacer textus: *Videns Deus, quòd multa malitia hominum esset in terra, & cuncta cogitatio cordis intenta esset ad malum omni tempore, pœnituit eum, quòd hominem fecisset in terra. Ut nimirum* ait Ambrosius: *Peccatorum exprimeret acerbitatem, quia eò culpa increverat, ut etiam Deus, qui naturaliter non movetur ab irâ, aut odio, aut passione ulla, provocatus videatur ad iracundiam.* Non enim in Deum potest ulla cadere pœnitentia, quæ plerumque culpam, & non rarò ignorantiam præcedentem consequitur, quæ singula procul à Deo distant.

*Genes. 6.*

*Homil. 22. in Genes.*

*De Arca Noë cap. 4.*

9. Dixit igitur Deus ipsum pœnituisse, quòd fecisset hominem in terra, consueto se accommodans hominum loquendi modo, eò quia si capax esset pœnitentiæ, ipsum meritò pœniteret, in quo sensu dixit. *Pœnitet me, quòd constituerim Saul Regem,* ut nimirum significaret Deus Samueli, velle se Regnum, quod Sauli indulserat ab eo anferre; eodem pacto consilium de humano genere abolendo dicitur pœnitentia, & quòd Deum pœnituerit hominem fecisse in terra; ut exprimeretur effectus divini consilii, quódque sequi solet inter homines, quoties ipsos pœnitet alicujus operis, quod propterea abolent statim, deléntque; quoties hominem pœnitet facti alicujus; delere hoc idem satagit, ac abolere: hinc pergit sacer textus, *Et tactus dolore cordis intrinsecus delebo inquit hominem, quem creavi à facie terræ, ab homine usque ad animantia* ubi scitè Hugo ait: *Non est dolor nisi de amissione ejus, quod amatur, unde cùm amittimus rem, de qua non curamus, dicimus illud non tangere cor nostrum: quantò autem profundior erat amor, tantò altiùs tangebat cor.* Hinc Chrysostomus notat, Magnam habere emphasin illud, *quem creavi* quasi diceret Deus, quæ mei erant officii, omnia exhibui. Ex nihilo, ut esset, hominem produxi; naturæ ejus scientiam eorum, quæ faciendæ erant, aut non facienda indidi; liberum arbitrium donavi, ineffabili benignitate usus sum, & post longum illud tempus, & post indignationem, & minas, quas dixi, adhuc præfinivi tempus centum viginti quinque annorum, volens ut sua peccata homines lugerent, se corrigerent, & indignatio mea revocaretur. Verùm quia nihil lucri facio, nec proficio, cogit necessitas, ut minas opere compleam, & omnibus modis hominem deleam; & sicut malum quoddam fermentum, aboleam totum genus humanum, ne posterioribus sæculis peccandi authores fiant. Imò nec soli homines, sed & brutæ animantes, propter homines extinctæ sunt in humanæ malitiæ detestationem.

*Homil. 22. in Genes.*

En carnis illecebræ in quantum detrusferunt hominem miseriarum, cùm eum penitus è terra deleverint. Alliciunt sensum carnis illecebræ, sed aucupum instar, ut irretiant, æternúmque perdant: hinc ajebat David: *Iniquitatem si aspexit in corde meo non exaudiet Dominus.* Sed cur lethale fuerit Prophetæ, iniquitatem aspexisse in corde? Forsan quia iniquitates in corde blandimenta referunt sensuum, concupiscentiæ irritamenta, ac carnis voluptates? siquidem iniquitas in corde blandissima est, & solam sceleris dulcedinem gustandam exhibet suppressis discriminibus, & ærumnis peccati; mundi illecebræ quasi nundinentur in corde, sua ibi explicant holoserica, purpuras, gemmarúmque nitores, cum in usu congestas exhauriant pecunias, patrimonium dissipent, libertatem projiciant, ac servitutem invehant; proinde magis dicuntur cor exedere, quàm sensus delinire. Væ illis, qui iniquitatem in corde fovent, qui quærunt animam suam in mundi illecebris, à quibus sinunt sibi cor rapi, *quicunque enim quæsierit animam suam salvam facere, perdet illam, & quicunque perdiderit illam vivificabit eam,* deterret Christus addictos voluptatibus à desiderio deliciarum. Quærunt delicatuli non animam suam reficere, sed tantùm eniti, ut aliquid eidem indant solatij, ait Christus *quicunque quæsierit animam suam salvam facere, perdet eam,* seu qui quæsiverit eam reficere, non verò, qui eam refecerit: quia ex hominib⁹ nemo adest, qui deliciis perituris se plenè saturum sentiat, quia nimirum 10.

*Psalm. 65.*

*Luca 17.*

nimirum nonnisi in extima superficie prægustantur deliciæ, cùm voluptarios pœniteat, eas prægustâsse, à quibus plus hauriunt amaritudinis, quàm dulcoris; ut non possit quis delectari, cùm delectatur; & delicias respuat, ut delitijs quis affluat, ita dorente Davide, *Renuit consolari anima mea, memor fui Dei, & delectatus sum*, nimirum anima Davidis tunc delectata est, quando renuit consolari, quando delitias abjerit; quia tunc dulcedinem sensit divinæ voluptatis.

*Psalm. 1.*

11. Abjiciant terrenam lætitiam, qui vera lætitiâ cupiunt affici: *Exultent filij Sion in Rege suo*, quia ab hoc duntaxat fonte laticea hauriuntur veri gaudij; extra hortum cœlestis sponsi nulla germinat voluptas, quæ sincera sit, sed tantùm larvata incedit, quæ terrenis addictos deliciis fallit, decipitque. Veræ voluptatis flos in solo cœlestis sponsi exculta areola vernat, in illa sola reperitur. Non dicit Propheta: Exultent filij Sion in muneribus Regis sui, in bonis, quibus ex ejus munificentia cumulantur, *sed exultent in Rege suo*, quia extra cœlestem sponsum nulla floret vera voluptas; non enim verè, ac sincerè delectantur, qui exultant in opibus sibi à Deo concessis; vel dignitatibus sibi per Deum delatis; vel in honoribus sibi collatis; quia isti in Rege suo non exultant, in quo tantùm potest quia verè exultare: at quis hic, qui potis fit in Rege exultare? forsan ia duntaxat, qui regiâ donatur dignitate? sceptrum tractat? thronóque insidet? eum Regius Psaltes dicat: *Rex verò lætabitur in Deo*; sed quàm rari Reges hisce temporibus, qui mundi delicijs neglectis in solo Deo lætentur, tot siquidem divitiis affluentes, ac deliciis diffluentes in suis lætantur voluptatibus. Sed rectè David ait *Rex verò lætabitur in Deo*, cum nomine Regis minimè eum intelligat, qui chlamyde trabeatus, diademate coronatus, sceptróque insignitus in throno eminet hominibus reliquis imperans; sed Regis nomine justum significat, qui suis dominatur concupiscentiis; regitque ad rationis amussim tumultuantes, tum irascentis, tum concupiscentis animi affectus, eorúmque motus coërcet; hic verè dicitur Rex, qui sibimet imperans verè lætatur in Deo. Quòd si Regi nomine verum intelligamus Regem, adhuc verum est, Regem non posse alibi delectari verè, ac sincerè, quàm in Deo; quia eo ipso quòd Rex sinceram in Deo lætitiam enancisciturr, fatetur statim, non ab ipsa terrenarum deliciarum affluentia sperandam esse veram lætitiam: nisi hæc à Deo hauriatur, quasi dicat David: *Rex verò lætabitur in Deo*; eò quia in ipso solo flos veræ lætitiæ vernet, nec possit ejus suavitas alibi præsentiri: tametsi sit Rex congestis opibus dives, avito genere clarus, fausto imperio felix, delatis triumphis fortunatus, nunquam tamen inter blandientia fortunæ ridentes, ac florentes pulvillos verè lætabitur, nisi in Deo delectetur: quia voluptatis regia in solo Dei sinu extructa triumphat.

*Psalm. 62.*

## §. II.

### *Affectus in gulæ delicias perampla est vorago interitui eorum inhians, qui carnis indulgent voluptatibus.*

12. Alluuntur quotquot in cisternis dissipatis humanarum illecebrarum veros, ac sinceros eredunt deliciarum ebibere laticea; cum nonnisi putidas, vitiatásque nequitiarum hauriant aquas, arvendæ siti aptiores, quàm extinguendæ. Quòd sit vorago locus dicitur, in quo omnis immunditia, omnísque impuritas congeritur, ita hæc terrenarum deliciarum dissipata cisterna vorago est, in quam omnis diffluit immunditia, omnísque stabulatur impuritas, teste Augustino qui ait: *Indigni sunt, qui licèt ab immunditiæ voragine liberati, ad eos imitandos mittatur illibata virginitas*; donatur verò voraginis nomenclatione, eò quia terrenis diffluentes delicis, affluentes voluptatibus vorat, ac perdit: generatim quævis carnalis voluptas, quædam est veluti vorago, à qua miserè vorantur voluptarij. Quin non voragini tantùm pariatur putida, ac dissipata illecebrarum cisterna; verùm si accersitum audiamus Petrum Celensem Puteus est dœmonis, loquens siquidem de titillantibus sensuum illecebris, de superflua carnis delectatione ait: *hæc radix est peccati, totius honestatis tinea, fovea vitiorum, puteus dæmonum, vorago animarum*: frœnum injiciendum huic feræ est, recludenda hæc vorago perniciei inhians animarum, coërrenda hæc carnis illecebra, quæ in monstrum degenerans vorago simul, & fera est; vorago, quia suis obruit fluctibus; fera, quia rabido mordet dente, & quamvis ridere videatur, ac arridere, dum sensus mulcet, carni eblanditur; larvatus est risus, qui nonnisi lacrymas elicit; ferit enim tunc lethaliùs, cùm mulcet blandiùs; sævit crudeliùs, cùm suaviùs allicit; Siren est tantùs dulcedine vocans ad exitium; Herrules furens amplexu Anthæum perimens; calix Babylonicæ mulieris, qua venenum in phalerno propinat; nec perdendarum animarum tempori instdiatura ullum perdit succisivum temporia momentum. Molle sternit illecebrâ otij pulvinar, ut quibus eblanditur, eosdem sopiat, suísque indormiscentes blanditiis desidiæ rubigine obtundat.

*Lib. de sanct. Virginitate.*

*Lib. 2. epist 1.*

13. Caveis si recluduntur feræ, in spectaculum, & munimen, ne obviis damna inferant; arctiori procul dubio custodiâ claudenda est hæc voluptatis fera, ne ad mortem lædat, ne mordeat ad interitum: est autem cavea, quâ coërcetur ne sæviat, ipsa abstinentia, subtractio ab esculentis, & poculentis; non sævit, si jejunet: perinde ac in nostris Protoplastis mors per gulam in corpus humanum ingressa, ferales cupressus inseruit, ubi victrices palmæ ad triumphum frondescebant: aperue-

naufragos deglutiret: *Et tentaverunt Deum in cordibus suis, ut peterent escas animabus suis* Evaserat Israël Pharaonis compedes, sed inter illecebras, vel ipsa libertate donatus, servitutem sustinuit voluptatum: & gula, quæ jejuna non fuit fluctibus mersa; non aquis obruta, quia vacua, & mare elusit; mox cùm primùm cœpit plenis innatare calicibus, vino & gulæ illecebris indulgere, prostravit Israëlem, quem insequens Pharao suo cum exercitu vincere non valuit. Quinimò ea est gulæ petulantia, quâ vel in ipsis aris sacerdotes adoriatur, & prosternat: etenim in ipso sacrificio filij Heli gulæ immolabant adigentes ejus illecebris subservire, vel ipsum victimarum adipem, quem populus supremo Numini litaverat: *Quicumque immolasset victimam veniebat puer sacerdotis, dum coquerentur carnes. & habebat fuscinulam*: eò devenit procax gulæ illecebra, ut vel ipsi Numini non erubuerit hostias in aris eripere. Quis gulam non timeat, eum nec victimis Deo oblatis parcat?

Psal. 77.

1. Reg. 2.

## §. III.

*Procax in lascivientes mulieres affectus, nisi statim excutiatur, sapientiam expectorat, & flammas concipit, quibus virtus cinefit, & homines pereunt.*

17. NOn gulæ tantùm illecebræ, sed & cæterorum sensuum declinandæ omnino sunt; quia prosus lethales, & maximè noxiæ: fugienda præsertim sunt blandimenta mulierum, quæ perinde ac blandæ sirenulæ alliciunt, ut devorent, perdántque. Mulier procax, suis viros illecebris decipit, & quasi vorat; nimirum, quas viri possident pecunias, habéntque pretiosi; adeo ut vorago sit: si enim hoc nomen virgo audias, paululum immutatis literis vorago est; hinc mulier melle mollior, quò nitentior, eò nocentior est, quæ cùm virum fovet, sibi favet, nec virgo est pudica, nec virago, sed vorago, quæ integra virorum patrimonia vorat. Perdit mulier illecebris, & voluptate, quos dolore, & ægritudine peperit. Hinc monet S. Hieronymus ad Florentium; ne viri oblatos sibi à fœminis, & mulierculis ebibant latices, ait ipse: *Bibae de fontibus suis, & non quærat cisternas luparum dissipatas, quæ purissimas aquas pudicitiæ continere non possunt.* Per lupas meretrices intelligi, fæminásque lensui indulgentes, exploratum est singulis, lupæ enim dicuntur à rapacitate, & voracitate, & mulierculæ rapacissimæ sunt, cùm totum exsugant sanguinem, vorentque totius substantiæ thesauros, & quidquid possidetur ab homine pretiosioris, & S. Chrysostomus Lupam vocat Ægyptiam mulierem, quæ Josepho insidias struxerat, imò & etiam leænam dicit, inquiens:

Epist. 12.

Homil. 44. in Genes.

*Licebat videre rem novam, & admirabilem, agnum in lupi, imò leana ungues incidisse, ac salvari potuisse. Et sicut columba aquila damnum effugit, ita & justus ab illius manibus evasit.*

18. Noxiæ semper fuêre viris mulierculæ, quæ nonnisi aquas impuritatis edoctæ propinare, virus lethale dulcedini voluptatum miscuêre, ut blandiùs allicientes sæviora infligant vulnera; oculis enim cùm eblandiuntur, pestem communicant; si loquantur, flammas ore disseminat, vel labiis venena spargunt; cùm suaviter videntur olere, tunc malè olentibus refertam impudicitiis sentinam, ac cloacam aperiunt ad virorum submersionem; quia ut rectè D. Thomas *lib. 4. cap. 14. de regimine Princip.* ait: *Hoc facit in mundo meretrix, quod sentina in navi, quod cloaca in palatio; tolle cloacam, & replebis fœtore palatium, & similiter de sentina.*

19. Impuræ, ac putidissimæ sunt aquæ, quas mulierculæ propinant sitientibus voluptates, quia sentinam referunt, & cloacam. Per aquam è cœlo decidentem aliquid indicatur impuri, eò quia fabulæ Poëtarum imbrem aureum, & in eo stuprum Jovis finxerunt referente Terentio in Eunuco. Hinc Salomon juxta lectionem septuaginta Interpretum, vocat mulierculas venereum foventes amorem aquam alienam: *resili ne moreris in loco, neque injicias verbum tuum ad eam, ita enim transibis ad aquam alienam:* nimirum is illicitis cupit voluptatibus diffluere, qui procacem spectat mulierem. Qui per angustum pontem transeunt, ne subterlabentes aquæ caput tentent, oculos aliò vertunt, avertúntque se ab aquis: sic impuris aquis, & malè olentibus mulierculas æquiparaveris, ne cadas, necesse est, oculos & affectus avertas ab ijsdem; caput siquidem tentant, & ad lapsum viam sternunt. Alienas non bibit aquas, qui fluenta declinat voluptatum ait, Clemens Alexandrinus, idque vel maximè cavendum in illis voluptaribus, quæ pugnant contra pudicitiam, studéntque puritatem radicitùs evellere.

Proverb. 9.

3. Pædag. cap. 7.

20. Moris olim fuisse, ut à complexu meretricis in balnea prosilirent immundi, quasi beneficio stagnantis aquæ luxuriæ abstergerent fœditatem meminit S. Chrysostomus, sed luxuriæ fœditatem, ac libidinum spurcitias infert inquiens: *Ab avaritia quidem, fraude, & rapina non curavit quisquam ire in balneum, sed citra ullum discrimen redit domum. A concubitu autem cum meretrice, tanquam totus effectus immundus venit ad lavandum. Ita turpiorem quandam existimationem ex hoc peccato habet conscientia.* Major siquidem est luxuriæ fœditas, altiùsque hæret, ac profundiùs inficit, quàm ut aquis balnei abstergatur: qui fœdissimas has luxuriæ maculas contraxerunt balnei aquas non adeant, ut abstergantur; sed verè doloris lachrymas eliciant ab oculis; quia si ve-

In epist. 1. ad Corinth. cap. 6. homil. 18.

si verus dolor eas eliciat; conscientiam lacrymæ emundant, delentque maculas, extinguunt fœditatem sacrâ accedente exhomologesi. Quinimò adeò aquis addicti erant, ut ijs uterentur, tempúsque metirentur, cùm Veneri indulgerent. Metychoem siquidem meretriculam ad clepsidram nefario vacâsse operi refert Atheneus; idque factum, ut horas adulteris corpus suum prostituentes mulieres dividerent: cùm nollent hæc libidinis mancipia uni tantùm suum locare corpus, ut pecunias à pluribus emungerent, horas clepsidris metiebantur, huc pertinet illud Senecæ lib. 3. de benefic. cap. 16. ubi loquens de procaci muliere ait: *Quam invenies tam miseram, tam sordidam, ut illi non satis sit unum adulterorum par? nisi singulis divisit horas, & non sufficit dies omnibus? nisi ad alium gestata est, apud alium mansit?* ita hæ prodigiosæ luxuriæ fœminæ amasiis suis horas dividebant diei, ut plurium saluti obessent, sibique magis prodessent, quò plurium opes exhaurirent, sanguinem exsugerent. Utinam non etiam plerumque vitam. Lib. 1. cap. 8.

21. Quid enim non audet, quid non potest pellax, seu adblandiens fœmineo in corpore forma? ea est vis fœmineæ pulchritudinis, ut quos non potest in bello ferrum prosternere, hos in pace vincant illecebræ fœminarum: neque Hebræos tot victoriis in bello delatis insignes vicerunt, quàm lenocinia fœminarum. Nec alijs fuit Balaacos usus armis ad Israëliticas turmas prosternendas, quàm oblatis per fœminas illecebris, ratus, quòd si fœtidis inquinarentur sceleribus, Deo fierent exosi, quibus propterea detraheret specialia auxilia, ac bellicæ fortitudinis subsidia, sine quibus deinceps facilè caderent à sexu licèt imbelli prostrati.

22. Curavit igitur Balaacus lectissimæ formæ mulieres conquirendas, quas ad Hebræorum extrema castra sacrificandi causâ supremo Numini veluti pudibundas, cunctantésque misit. Sacrificio instituendo delecta erat Sethimæa: locus sacrificij incorrupti ligni nemoribus frondosus erat, & valle, quam Settim vocabant, amænus. Deus verò, fœminæ litabant Belphegor erat, vel ipsa nomenclatione cudendum simulacrum. Fœminæ Moabitides, & Madianitides erant consedentes in extrema Sethimeæ vallis parte, quæ lascivis vocibus, gestibus impudicis, procacibus verborum irritamentis, choreis, fractisque in mollitiem cantillenis, militibus Hebræorum fraudes struentes, eos illexerunt; & quos non potuit viros fortes in castris ferrum vincere, fœminarum libido prostravit; quæ etiam ex pectoribus bellicam fortitudinem, & avitam religionem excussit: sic milites qui in bello fortes steterunt, ceciderunt prostrati, & victi à fœminis; quarum frons, oculi, vultus, & forma, quovis gladio intimiùs vulnerârunt militum pectora, quæ non Martis gladio, sed Cupidinis telo saucia palmas concessêre fœminis, licèt nulli cesserint viro; & quod armatorum vigor non valuit, fœminarum potuit mollities; quia in castris Veneris vincuntur milites, & cadunt etiam qui victores steterunt in prælio; pugnatur ibi osculis, non spiculis; delicijs, non tormentis; non terroribus, sed blandimentis; non tumultu, sed quiete; non horrore sauciorum, sed gratiâ allicientium; non fuso cruore, sed propinato haustu voluptatis; non classicis clamoribus, sed blandis lenociniis; non clade, sed amplexu; non bellicis machinis, sed allicientibus leporibus; non vulneribus, sed illiciis; idque causæ, cur, ut ait Siracides: *propter speciem mulieris multi perierunt.* Cap. 9.

23. Pellaciæ formæ blanditiæ accessêre verborum, ac lenocinia munusculorum. Secum detulerunt fœminæ Moabitides, & Madianitides suorum sigilla idolorum, quin & idolothyta, seu cibos idolis immolatos, victimásque iisdem sacrificatas, & sacratas, ad quas comedendas Hebræos milites illexerunt, & non ad esum tantùm, verùm & ad cultum idolorum; postquam sibi, & illis nefariis satisfecêre amplexibus, neque lusus fuit Hebræorum cum fœminis institutus, sed luctus, prodromus interitûs, unde jubet Salomon. Hos mulierum lusus prorsus declinare; ait enim *Ne innitaris fallaciæ mulieris, favus enim distillans labia meretricis; & nitidius oleo guttur ejus; novissima autem illius amara, quasi absynthium, & lingua ejus acuta, quasi gladius biceps.* Prov. 5.

24. Larvata sunt fœminarum blandimenta sub melle fel porrigunt, absynthium sub oleo, sub flore aconitum, est enim muliebre blandimentum triste gaudium, mors hilaris, dulce venenum. Falluntur crassè qui fœminarum illecebras, ut lusus admittunt. Quinimmo eò impudentia devenit, ut in aliquibus etiam Principum aulis equestris Ordinis tessera fornicatio habeatur, minorisve fiat nobilitas, si hoc non detineatur lusu, adeo ut in ipsos retorqueatur illud Davidis *Corrupti sunt, & abominabiles facti sunt,* nimirum ideo abominabiles facti, quia corrupti: quòd si abominatio luctus est, non lusus; scelera sunt nefanda, non lusus, mulierum blandimenta. Non nobilis, non eques, sed equus, fœdúmque pecus est, qui se sinit fœmineis irretiri illiciis. Imò pecudibus viliores sunt impudentes, si sacrum textum audiamus accersitum: prodigus siquidem adolescens qui intemperantiùs vixerat alendis suibus præficitur, cùm enim fœdissimo depravatus vitio degenerâsset in belluam, promeruit ducem fieri putidissimi pecoris, atque cum porcis immorari, qui vixerat impudicus. Psalm. 13.

25. Non credatur lusus, carnis illecebris indulsisse, fœminarum annuisse blandimentis; si lusus esset pluvius è cœlo ignis impuras non obruisset urbes; si jocus esset lenocinari impudicè, flammæ tot Regiones non delevissent: tot millia hominû non extinxissent: cum hujusmodi blandimenta tam atrox promeverint supplicium, non lusûs levitatem, sed enormia

mis sceleris gravitatem prætulerunt; ex pœna quæ à supremo Judice infligitur, gravitas conjicitur flagitij. Quòd si luxuria lusus foret juvenilis, non tam gravi supplicio eam supremus Judex expiâret. Nullum crimen tam attrox, quàm idolis litare; nulla fortassis tam levis noxa, quàm extorrem multitudinem obviantem exteris fœminis, ijsdem abuti; & nihilominus post litatas aureo vitulo victimas impunis finitur abire populus, cui parcitur: post verò violatas Ammonitidas, imò fortassis non violatas, sed tantùm receptas, viginti quatuor millia virorum cruenta internecione delentur. Nunquid luxuria fœdior, graviórque idololatriâ? & quamvis post cultum vitulo exhibitum triginta millia ceciderint occisa, hoc tamen supplicium de idololatris jubente Moyse injunctum fuit; supplicium verò de fornicarijs Deo imperante sumitur, & infligitur. Ibi Moyses ex Numinis verbis arma ministrat Levitis: hic verò Deus ipse Moysi præcipit, ut ipsemet libidine fœdatos interimat. Ibi qui vitulum auro fuso conflaverat, vixit; hic Zambri, qui fuerat mœchatus, interfectus fuit. Ibi idoli adinventor non expungitur ab albo sacerdotum; hic verò rigidus fornicantium vindex inter Pontifices à Deo cooptatur.

26. Quid? quòd luxuria nonnunquam sinatur impunita? timendum tunc, ne ejus impunitas fons sit graviorum calamitatum: differtur plerumque supplicium, non ut pœna auferatur, sed ut gravior inferatur. Distulerat Deus olim ad plures annos inolitam inter homines lasciviendi consuetudinem punire, sed Pentapolin in perpetuum extinxit; totámque terram aquis diluvij sepelivit, ne ulla superstes esset fœditas, ignis & aquæ purgamento delenda. Etiam ex decem Decalogi præceptis nullum contemnitur citra supplicium, nisi sola fornicatio; siquidem fidei desertores exurnntur; blasphemi stigmate notantur; parricidæ culeo, seu sacco insuuntur, homicidæ gladio interficiuntur, fures suspenduntur; & nihilominus luxuria, quamvis bis in decalogo prohibita, nec semel dicitur in foro punita: sed si non puniunt homines luxuriam, huic tamen non parcit Deus, qui si pœnam differt, supplicium auget. Peccârunt Achab, & David; uterque fuit Rex, & homicida, hoc solùm discrimine, quia Achab occidit, ut vineam possideret; David verò ut libidini indulgeret; uterque homicida fuit, sed non utrique pepercit Deus? Achabo ad primam capitis inflexionem condonavit delictum: Davidi autem etiam post plures lachrymas, ac suspiria, pectorisque tonsiones, etiam postquam panem comedisset lachrymis immixtum, non pepercit Deus, sed illum in filio, & per filium punivit: licèt igitur patiantur homines impunitam luxuriam; non ita Deus, quia etiam post deletas lachrymis ejus fœditates, adhuc ignem, & aquam adhibet ad ejus vestigia penitus delenda.

Si dicas, Christum *Joan. 8.* perpercisse adulteræ; dixerim non fuisse ausum palam parcere, sed duntaxat non damnâsse dimissam, cùm non dixerit de Adultera, ut de Publicano, se mortem nolle peccatoris, se non esse Judicem, sed non esse Medicum: quin potiùs contrarium injunxerit adstantibus; nimirum, ut eam saxis obruerent, si nullius criminis se conscios noscerent, neque pœnam omnem condonavit adulteræ, sed tantùm ei dixit, ne imposterum peccaret. Neque Davidis lachrymæ, quia post victorias victus fuit ab impudicitia, ac cecidit coram fœmina, qui steterat ante Goliathum, impetrare potuerunt filio vitam. Promptiùs finuntur impunita reliqua scelera, quàm impudicitia; adeò est hæc Deo invisa! Nec mirum est; siquidem est libido mater flagitiorum nunquam effœta, & sceleris primogenita; cùm sub mundi exordio, post deglutitam cum pomo mortem illicò exilierit impudicitia, quam primi homines experti sunt irrepsisse per membra corporis rebellantis rationi: imò tam petulanter insurrexit, ut involucris indiguerint Protoparentes, nullum in se infestius sentientes crimen; cujus petulantiam erubescentes, vestire contextis folijs propriam cœperunt nuditatem. Sed quò postea humanam mentem non abduxit impudicitia? cum fortissimos quosque prostraverit, sapientésque dementaverit? Samsonem siquidem Philistæis invictum Scorto tradidit vinceodum. Davidem leonum prostratorem, Gigantis Domitorem, in sinum fœminæ abjecit, & ad idem eum detrusit sceleris, ut qui à vulnere sui insecutoris abstinuerat, mox eruenta cæde fidissimi Uriæ se fœdaret. Salomonem à supremi Numinis colloquio ad monstrosa Moabitarum lenocinia pertraxit. Infinitus forem si damna singula huc attexerem, quæ unica intulit impuritas. Ea fuit Zambris impudentia, ardórque amoris impudici in Cozbæam, ut meridiana sub luce, aspectante tota castrorum multitudine, coram Moyse, nullâ fronte, verecundiâ nullâ coërcitus prostibulum peteret. Nemo tunc erat, quem perspicua nequitia tam impudentis viri non percelleret, justáque commoveret indignatione, tacuit populus permittens Moysen sceleris vindicem, & Deum flagitij ultorem, sed tacuit, & Moyses in supplices duntaxat lachrymas colliquescens.

28. Verùm non eadem, quâ cæteri patientiâ Pontificis Eleazari filius Phinees usus est, stimulatus siquidem dolore divinæ legis violatæ, Numinísque instinctu, intimo mentia sensu priùs exarsit: mox arrepto pugione sobalari, neminique suorum indicato, quorsum eruptora esset vis consilij sui, Zambria vestigia, solicito pede, graduque concitato persequitur, animúmque prægrandem sub ocu-

oculis fulminantibus, simúlque ferrum latens sub veste omni suspicione carente gerens in Cozbææ tentorium usque audax penetrat; ibique deprehensus Zambrim, & Cozbæam rei fœdæ dantes operam ingeminatis verbis illis: *hoc habete scelesti*, nudato pugione utrúmque confodit, directâ etiam manu percussoris à supremo Numine. Horreant ista, ac paria supplicia importatibus addicti, rebus venereis indulgentes, quibus impudicitiæ vitium lusus magis esse videtur, quàm scelus; quique non alijs delectantur vitæ fructibus, quàm libidinum oblectamentis.

29. Possent statim sexcenti miserabiliores recenseri casus non modò singularium hominum, verùm & urbium, Provinciarúmque, quas impura libidinis flamma delevit: possent huc vocari Sodomeorum ignes; Sichimorum cædes, Beelphegoritarum clades, Madianitarum strages, Beniamitarum interfectiones, & innumeri alij, quos ad interitum animi, corporísque internecionem sola rapuit libido, ut hanc non immeritò dicas profundum damnatæ voluptatis barathrum, in quod æquè Principes, ac plebei, viri, ac fœminæ miserè delabuntur, & pereunt. Est libido immane monstrum, quod in omnes grassatur, ut omnia lethali funere repleat; & ideo, quia in scelera omnia prorumpit, & ad omnia flagitia viam sternit, graviùs cæteris punitur delictis; quòd si morbi acerbitatem ex medicinæ præstantia conijcimus; deprehendemus paratiori pharmaco cæteras vitiorum pestes curari, quàm impudicitiæ luem. Quid publicano flagitiosius, si paupetes torquet, viduas opprimit, divites spoliat, templa expilat? & nihilominus tot coacervata piacula festivè inter epulas expiantur. Vocatus siquidem à telonio Matthæus JESUM convivio excipit, & statim ab usuris, & rapinis ad evulgandum evangelium destinatur, & ex publicano fit repentè Apostolus.

30. Non ita parabile fuit pharmacum, quo vulnera sanarentur Magdalenæ; etenim amoris telo icta, & charitatis flammâ exæstuans domum advolat Pharisei, non tamen epulatura, sed ploratura; non ut accumberet mensæ, sed procumberet humi; non pocula hauritura, sed alabastrum unguenti exhauritura; non ut calices exsiccaret, sed ut lachrymis madetent genæ: siquidem ingressa domum unguentum ad Christi pedes fundit, & lachrymas turgidis effundit ab oculis; comam solvit de capite, capillos discerpit; & qui retia antea fuerant, quibus amasij juvenes caperentur; nunc intorti fiunt funes, quibus strictiùs, arctiúsque pedibus adhæret colligata Servatoris, quibus per repetita oscula, amoris, quô ardebat, symbola imprimit: neque curavit convivantium dicteria, adstantium convitia, eò quia prodiga opum foret: at licèt litaverit fletu, sacrificaverit affectu, procubuerit corde; non propterea statim delentur lachrymis, quas contraxerat, peccatorum sordes, sed ad has abolendas ab igne charitatis, à flammis amoris fuerunt suppetiæ petendæ; non enim potis fuit fletus maculas abstergere per pluvias lachrymarum, quas lasciviendo Magdalena contraxerat, sed ad eas penitus abolendas ignis accessione fuit opus. *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum*, id est, remittuntur ei peccata multa, non quia multum fleverit, non quia oculos planctu corruperit; non quia cerebrum in lachrymas solverit; non quia procubuerit ad pedes Christi; non quia alabastrum fuderit, odorísque suavolentia totam repleverit aulam; *sed quoniam dilexit multum*: quæ contrahuntur ex alijs vitijs maculæ, paratiori unda absterguntur, sed quæ ex luxuria, libidine, & impudicitia proveniunt, ita altiùs radices figunt, ita adhærescunt pertinaciter, ut solæ lachrymarum pluviæ non sufficiant ad eas abstergendas, ac delendas; sed requiratur ulteriùs ignis, qui intimiùs penetret, absumátque radicem omnem, deleátque omne vestigium patrati sceleris: *remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum*. Luc. 7.

31. Cæteris, quos scelera averterant à divina lege, & à summo Bono, promptiùs pepercit Christus; siquidem latro, quamvis scelera, quibus crucem promeruerat, blasphemijs cumulâsset; vix Salvatorem rogat, ut velit sui memor esse, statim fit hæres cœlestis Regni, remittit illi coacervata crimina, & janua ei aperit Paradisi: *Hodie mecum eris in paradiso*. Negat Thomas Christum surrexisse, & tamen non plectitur perduelis, sed allicitur ad fidem, invitatur ad credendum; & ad id etiam aperitur aditus in præcordia Salvatoris, ut manum admovens pectori, proterviam capitis infringat, & per tactum saucij pectoris restituatur integritati mentis. Peccârunt alij sexcenti, qui tamen suis ægritudinibus curandis paratiora fuêre pharmaca experti; sola Magdalena difficiliùs curatur, diutiúsque insistit, accessu ad domum Pharisei, prostratione ad Salvatoris pedes, solutione innodatæ comæ, emissione suspiriorum, effusione alabastri, diffusione lachrymarum, impressione osculorum, adhuc enim hæc non visa sunt sufficisse, ut ei anteactæ vitæ patrata crimina remitterentur; sed ad id ignis adhuc requirebatur charitatis, ut per accessionem puri, ac sanioris ignis impuræ recederent luxuriæ flammæ; earúmque vestigia prorsus abolerentur. Non sit Magdalena alabastrum fundat, absolvitur, sed sit ardeat, si flammas concipiat, *remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum*. Ejuraverat Petrus fidem respondens scisciratus se hominem illum non novisse: sed vix amarè plorat, & effusis lachrymis non contractam duntaxat

elu-

eluit maculam, sed & Princeps constituitur ecclesiæ, & ex transfuga fidei, claviger fit Regni cœlorum.

32. Peccant plures alij, sed nemo difficiliùs curatur, quàm Magdalena, nimirùm ob odium, quo Deus aversatur impudicitiam; & proinde scribit Apostolus. *Hoc enim scitote intelligentes, quòd omnis fornicator, aut immundus, aut avarus (quod est idolorum servitus) non habet hæreditatem in Regno Christi, & Dei*: loquitur Apostolus emphaticè, dicens: *Hoc enim scitote*, hoc est animum recolligite, attendite diligenter, incumbite tota mente in id percipiendum, quod per meam epistolam vobis exploratum facio, *quia omnis fornicator, aut immundus non habet hæreditatem in Regno Christi, & DEI*, includit omnes, quotquot fornicantur, ut omnes æquè excludat, sive pueri sint, sive ætate florentes, sive extremo senio confecti, sive in dignitate constituti, finique Duces, Principes, Reges, Imperatores, mares, fœminæ, omnes indiscriminatim supplicio involvuntur eodem: quia omnis fornicator, aut immundus non habet hæreditatem in Regno Christi, & Dei: adeo monstrum hoc impudicitiæ est Deo invisum, adeo à supremo Numine aversatur, ut nulli percat ætati, nulli condonet sexui, nullam excipiat dignitatem. Nulli consuevisse ætati parcere, testes eccerluntur senes in suburbijs Babylonis lapidibus obruti: nives canitiei hyemabent in coma, & libidinis flammæ æstuebant in corde; rigebat caput hyemali nive obrutum, flagrabat pectus exitiali flammâ exardescens; neque latices fontis, neque pellucidæ aquæ flammis extinguendis aptæ fuerunt; quin meteriam suppeditârunt, quò uberiori incremento eugerentur; ut equa ignem in senili pectore aleret, non extingueret; augeret, non minueret; non enim erubuerunt infami senes fœdissimè maculari ad pellucidos fontis latices, ausi metronam se ibi lavantem inquinare impuritate consilij. Nullum libido exhorrescit flagitium; etiam in fontium aquis suas accendit flammas, quibus impurè emantes veluti infelices pireustæ cinefiant, ruántque in sceletum ferales umbres.

33. Non parcit libido Regibus, quos si semel infecerit, ed scelera quæque pertrahit, testis est David Regum mitissimus, quem libido ita efferevit, quem impudicitie ita crudelem effecit, ut cruorem sitiret Uriæ fidissimi æquè, ac strenuissimi in bello strategi: sanguinem jussit effundi innocentis, ut laxiùs se diffunderet in scelera impudicitiæ cum ejus uxore Bethzabæe, cujus niveus candor flammas in corde regio excitaverat, ques ut hberiùs foras emitteret, Uriam misit ad Joabum sui funeris Nuntium, nimirum cum litteris, quibus præcipiebet, ut hostium exponeretur furori. *Ponite Uriam ex adverso belli, ubi fortissimum est prælium, & dereliquite eum, ut percussus intereat.* Vix cœpit libidinis flemma ardere Rex, & statim in baratrum ruit plurium scelerum, sitque statim adulter, proditor, parricida, ut enim suum scelus perficeret, in scelus totum induxit exercitum. *Et dereliquite eum, ut percussus intereat*, nimirum voluit milites omnes proditores fieri fortissimi sui commilitonis, ut proderet ipse impudicas, quas corde conceperet flammas uxori Uriæ in bello enecti. Ad quæ flagitia, ad quæ scelera non trehit libido, cùm ad tantas pertraxetit Davidem enormitetes?

Ad Ephes. 5.

2. Reg. 11.

## § .IV.

### *Unà cum affectu etiam oculi avertendi sunt à procacibus mulierculis. Quoties enim muliebri aspectu mulcetur oculus, ad turpe facinus mens invitatur.*

34. Avertendi sunt oculi è mulieribus, ne ipsæ nos avertant à summo Bono; cavendum est, oe earum blendimenta nostros mulceant sensus, ne animam inficiant, & perdant; sæviendum potiùs in illas est, ne illæ in nos sæviant, ne dum blendiuntur, torqueant; dum alliciunt, interimant; dum amplectuntur, suffocent. Hinc moris fuit apud priscos, ut meretrices, & scorta ab alijs separarentur, quódque vel ex eorum nomenclatione conijcitur. siquidem meretrix à separatione *Medessab* vocatur, ne eorum præsentia viros inficeret, & intersicerer, scitè Oleaster: *Meretrix dicitur Medessab, seu separata, quòd separaretur à civitatibus, & maneret in loco secreto*, quódque generatim asserit de Scortis idem Author, inquiens: dicitur autem Scortum masculum, & fœmina *à Chadas*, quod est separare; quoniam hujusmodi scorta solebant esse separata è civitatibus in locis secretis.

In cap. 20. Genes.

Cap. 23.

35. Imò etiam in locis sepulchrorum consuevisse meretrices degere, produnt prisca monumenta. Catullus siquidem Rufsæ meretriculæ hoc dat domicilium, inquiens, *eam solitam versari in sepulchretis, ut raperet cœnam de rogo*: hinc scitè S. Chrysostomus ait de correpto libidine, infecto luxuriâ, æstuante lasciviâ: *Non lapidibus se ipsum cadit, sed sceleribus; ut nunquam sit in se ipso, sed in sepulchris versetur. Sunt sepulchra meretricum diversoria, cum multo fætore, multa putredine sunt.*

Homil 20. ad popul.

36. Quòd si hodie sepulchra meretrices non incolant, inter cadavera non immorentur, fœdissimo tamen suo scelere sepulchrum referunt, & mortem inferunt. In monumentis olim operi nefario incubuisse impudicas mulieres refert Martialis, efferens monumenta lupas, seu meretrices abscondisse;

*Abscondunt furias, & monumenta lupas.*

Hinc *bustuaria* etiam audiebant meretriculæ, ita dictæ, quia inter busta, & cadavera prostarent, imò hunc morem viguisse etiam apud Hebræos censent plures, eò quia
Proverb. 2. Salomon loquens, de meretrice dicat: *Inclinata est ad mortem domus ejus, & ad inferos semita illius*, seu intra sepulchrorum tumulos. Non modica est libidinis, & sepulchrorum cognatio, imò magna affinitas, grandis nexus; ad mortem siquidem properat, qui libidinis castra sectatur. Quapropter Prudentius in Psychomachia calamum in libidinem acuit,

*Tu praceps ad mortis iter, tu janua lethi.*
*Corpora commaculans animas in tartara mergis.*

Veneri mortem cognatam esse indicabat etiam priscus ille Romanorum Ritus, quo in Libitinæ, fano, quæ Venus putabatur; ea venum exhiberentur, quæ ad sepulturam pertinerent, ut notat Plutarchus, inquiens: *Quid causa est, quòd in æde Libitina, qua ad sepulturam pertinent, vendere consueverunt? Libitinam nihil aliud nisi Venerem esse existimantes.* Imò præ alijs funeris instrumentis Venus venum offert suis sectatoribus, si probè spectemus, in femoribus capistrum, quo ad mortem inter blandimenta trahuntur Venerei, ad patibulum inter delicias evehuntur. Idque subindicat Job inqui-
c. 15. vers. 17. ens: *Operuit faciem ejus crassitudo, & de lateribus ejus arvina dependet*, seu ut notat D. Augustinus in Job: *Et fecit tapistrum super femora*, quam lectionem ita flectit in nostrum sensum: *Ut libidinibus suis colligaretur, quo vinculo duceretur ad mortem*, quòd si in sepulchretis meretrices latent; mors sub muliercula celatur, & absconditur,
Homil. 4. ad popul. Antioch. ut notat S. Chrysostomus, inquiens: *Meretrix amare nescit, sed insidiatur tantùm; venenum habet ipsius osculum, & toxicum os perniciosum. Sin verò non statim apparet, propterea ipsam magis fugere oportet, quoniam obtegit perniciem, & mortem occultat.*

37. Mortem igitur, qui horret, mulierculæ exhorreat familiaritatem, ejus non subeat domicilium, qui sepulchrum refugit; nil veneno lethalius, nilque noxius fœminâ adblandiente, testis accersitur Sisaræ lacteus
Judic. 4. haustus, & dulcis somnus: historiam hic recenseo. Jam per annos viginti ingemuerant Hebræi sub Jabini Asoræorum in Chananitide Regis, ac supremi ejus copiarum Ducis Sisaræ acerbissimo jugo, ac prædura servitute. Floruit tunc temporis Debbora viduili laude commendata, quæque post virum è vivis sublatum unicè se Deo mancipaverat; quam propterea Deus spiritu insignivit Prophetico: & non ad responsa tantùm, & jura; verùm & contra Tyrannum arma subministranda insurrexerat. Quia verò postquam sacris exciderant Hebræi, bellica quoque fortitudo suis collapsa fuerat è pectoribus; hortatrice Debbora Baracus Hebræorum Prætor bellicos excitavit spiritus, congestóque decem millium virorum exercitu, in hostes movit, adjunctáque sibi expeditionis comite Debbora; quæ montem Taborem cum copijs circumsedit. Ad pugnam pluries lacessitus fuit Sisara, qui auditâ famâ defectionis Baraci, & montis Taboris modica manu occupati, ea qua potuit celeritate ingentem collegit militum turmam, cum nongentis falcatis curribus, magnóque belli apparatu, montémque audax circumvallavit Taborem, non sine timore Hebræorum, quorum formidinem abigere suis nitebatur Debbora concionibus, & præsertim precibus ad Deum fusis.

Sisara verò hostium Dux curru subli- 38.
mis, auro conspicuus, gemmísque coruscus, cædes spirans vultu, ac minas, ad pugnam invitat Baracum, qui victoriæ minimè dubius suos ad pugnam excitat, novóque subeunte robore dat animos, & ad bellicam fortitudinem singulos cohortatus unà cum acie instructâ, cujus in meditullio erat Debbora militum hortatrix ad pugnam; se è monte demittit in Chananæos, quos fortiter, & ferociter aggreditur, sibíque ferro, ac bellicis instrumentis viam aperit per obstantia impedimenta. Pugnat etiam pro Hebræis contra Chananæos cœlum ipsum nimbo, grandine, fulgetris, ac fulminibus præeunte præsertim Angelo districti gladij fulguratione terribili. Chananæorum cuneos primò impetu disrupit Baracus, agminum, ac turmarum dissolvit Ordines, ut fluctuare hostium acies inciperet, ac paventium Chananæorum legiones terga vertere, mutuóque se confundere, contremiscente simul terrâ, nutante solo, & fremente Cisone; cœlo quoque tonante: Sisara verò cùm frustra turbatam aciem restituere niteretur, aureo desilijt curru, fugam desperatis omnibus fuasit, quam & ipse pedestrem arripuit.

In ea verò fugæ festinatione ad tento- 39.
rium defertur Haberi natione Cinæi, qui sub pellibus habitare consueverat, & huic uxor erat Jahel, quæ, cùm maritus unà cum servis domo abesset, Sisaram excepit hospitio: suspicata tamen eum à malè pugnato prælio illuc fugisse, metum omnem deponit, eúmque blandissimis verbis invitat, ut se reficiat, utque lateret tutiùs in abstrusiori locostragulo operit. Priùs tamen quàm somno indulgeret sitim, quam anteacti labores succenderant, petijt extinguere, séque parum reficere haustu frigidæ. Jahel verò non petitam aquam exhibet, sed ex utre coriaceo lac recens expressum in Phiala porrigit, quâ exsiccatâ, alto sopore captus indormit, sed mulier, cui Sisara fidebat sumptis animis ultura Hebrææ gentis hostem prælongum

acci-

accipiens clavum ferreum, quo tabernaculorum densi funes solo depungebantur, arreptóque altera manu fabrili malleo, incessu molli, & quasi suspenso se ad sopitum Sisaræ caput defert, clavúmque ei infigens, & paxillo ferreo validissimè percutiens dormiantis tempora trajecit, viríque caput terræ affixit; & Sisara, cùm à fœmina tutam speraret vitam, feralem invenit mortem, fœmineis illectus blanditijs, lacteáque captus dulcedine: frigidam petierat, & lacteum propinavit haustum, *aquam petenti lac dedit, & in Phiala Principum obtulit butyrum:* scilicet

Iudic. 5. vers. 24.

lactis florem, & butyri pinguedinem obtulit.

39. Quàm insanè fidit homo improbæ fœminæ! quàm stolidè securitas vitæ blandienti concreditur mulierculæ! tùm hæc tunc venenum infundat, quando lac propinat; aconitum exhibeat, quando butyrum offert: quàm noxia fœminarum blandimenta, quæ cùm ore oscula figunt, lethalia infligunt vulnera; lac, & mollitiem butyri videntur porrigere, & arma, gladios, ac tela vibrant, quibus eò sæviùs interficiunt, quò blandiùs viros illaxerunt. *Molliti sunt sermones ejus sicut oleum, & ipsi sunt jacula.*

Psalm. 54.

Non dicas blandimenta esse, quibus mulier virum allicit; sed lethalia nocumenta, quibus blandè enecat. Mellea si verba profert, fellea sunt jacula, qualia vibravit, blandum quidem, sed exitiale Fenellæ pomum, de qua Cardanus ait; quot gemmis coruscum, tot fuisse insidijs refertum, ut tetigisse, fuerit perijsse; quia erumpentibus statim jaculis curiosus inspector Rennethus Rex Scotorum multipliciter vulneratus, & sauciùs perijt.

Lib. 12. cap. 5. de rerum variet.

40. Hæc est indoles venereæ voluptatis: allicit, ut interficiat; blanditur, ut vulneret; amplectitur, ut suffocet; mellea loquitur, ut fel exhibeat; dulcia offert, ut venenum fundat; philtro lactat, consopit, ut perimat. Quot monstra, quot mala latent sub larva ementitæ voluptatis! cui calamo larvam detrahens S. Petrus Damianus, alloquens mulieres viros blandimentis allicientes ait:

Epist. 55.

*Interea vos alloquor pulpamenta diaboli, projectio paradisi, virus mentium, gladius animarum, aconita bibentium, toxica convivarum, materia plorandi, occasio pereundi: Vos inquam alloquor Gynacea hostis antiqui, upupa, ulula, noctua, lupa, sanguisuga: affer, affer sine cessatione dicentes, venite, itáque audite scorta, prostibula, senotina, volutabra porcorum pinguium, cubilia spirituum immundorum, nympha, Sirena, lamia:* hisce nomenclationibus mores pingit mulierculárum eblandientium, quas lamiarum informi formâ claudit. In fabulis siquidem lamiæ sunt monstra, umbilico tenus muliebrem præseferentia speciem, deorsum ferina, mammis lactantium more protuberantibus; sed eos, qui lamberent illecti, devorantia: symbolum sanè malæ adblandientis fœminæ, allicientis mollib⁹ verbis, lacteis sermonibus, unde Sapiens monet. *Fili mi, si te lactaverint peccatores, ne acquiescas eis.*

Proverb. 1.

Oh quot monstra in una latent muliercula! quot feræ stabulantur in unico allicientis fœminæ sinu! quot bruta in una sæviunt adblandientis fœminæ gremio! sub larva blanditiarum feritatem contegit, & ferarum omnium occludit antrum, continet spelæum. Sitiunt hujusmodi mulierculæ amasiorum sanguinem, quem ebibunt, simúlque perdunt, ut scitè scripsit S. Chrysostomus, inquiens: *Quemadmodum Venatores retibus extensis sylvestria animalia immittere aggrediuntur, ut ipsa jugulent: ita & meretrices postquam lascivia pennas undique extenderint per oculos, & habitus, & verba, postea in suos injiciunt amatores, & ligant, non priùs abstinentes, quàm ipsorum cruorem ebiberint, insultantes postmodum, & ipsorum stultitiam carpentes, & multum de ipsis risum fundentes.*

Homil. 14. ad popul. Antioch.

41. Quis adeò delirus, & à mente alienus velit mulierculæ fidere, cujus illecebra fœcunda est malorum omnium parens, plùsque mœroris, ac tristitiæ habet, quò plus censetur lætitiæ præseferre; ridere videtur, sed risus luctum adfert; si enim ictu trajecta in prælio pugnantis militis præcordia, risum quandóque attulisse asserit Aristoteles; neque latum unguem à vero discedimus, si risum mulierculæ è vulnere prodire dicamus: ab ictu lethali risus iste oritur, quia à fucata exoritur, ac mentita voluptate; risus est, sed quo anima sauciatur, ac æternùm tristatur, & risus inflicti vulneris est argumentum; & quò latiùs quis cum adblandiente ridet muliercula, eò lethaliùs sibi inflictum prodit vulnus; quò lætiùs exhilaratur, eò latiùs sauciatur. Olim meretrices consuevisse urbem circuire allecturas cantu, ac lyræ pulsatione incautos juvenes infert Oleaster ex verbis Isaiæ. *Sume citharam circui civitatem, meretrix oblivioni tradita, benè cane, frequenta canticum, ut memoria tui sit:*

Cap. 23. vers. 16.

quæ verba expendens Oleaster subdit: *Putarem quondam meretrices oblivioni traditas hac fecisse, cum ad hominum memoriam redire vellent, circuisse videlicet Urbem, cantando, & pulsando lyram, ut amatores ad se provocarent:* sed Abilynos extorres è civitatibus, & oppidis exclusissa meretrices, & de communi ærario fuisse ijsdem necessaria ad victum ministrata; illius gentis produnt monumenta. Athenienses itidem malè olentibus mulierculis interdixisse templum ingredi, refert Lactantius. Imò etiam filijs meretricum fuisse ingressum prohibitum sacra in loca, habemus, & causam explicat Clemens Alexandrinus *adhort. ad Gentes* inquiens: *Significat eum, qui pro uno solo, qui est Deus multos sibi falso nomine adscribit Deos: sicut is, qui natus est ex meretrice, multos adscribit sibi Patres propter veri patris ignorantiam.* Qui enim verum patrem non agnoscunt, subsidia petunt ab eo, qui minimè est pater.

Lib. 1. cap. 20.
Deuter. 23.

42. En ad quale inducit venerea voluptas scelus, quàm grande infert ipsa damnum, cum etiam arceat è sacris templis, prohibeat ingressum ad verum Numen, lumen extinguat rectæ rationis, & ad turpia trahat idola; & ne mentiar, pergamus pede solicito, festinatóq; gressu in Setim, ut clariùs hunc intueamùr delapsum à vero Numine ad fœda idola, viam sternente libidine. *Morabatur autem eo tempore Israël in Setim, & fornicatus est populus cum filiabus Moab:* non tamen putes, solius libidinis luem grassatam: siquidem non quievit Israël post fœda patrata scorta, sed filiæ Moab, quæ blandimentis jam fuerant aucupatæ filios Israël, eos secum traxerunt ad sacrificia: pergit sacer textus. *Vocaverunt eos ad sacrificia sua.* Quòd Israël cum filiabus Moab fœdè fuerit coinquinatus infirmitati forsan poterat dari carnis, urgente præsertim concupiscentiâ, cui Moabitarum blandimenta plurimum suppeditaverant virium: at quòd vocentur ad sua sacrificia, debuit id Israëli horrori esse, cum blandimenta puellarum irritamenta fuerint tanti flagitij; & tamen non tremuit populus Dei, non expavit, tametsi ob erectum olim aureum vitulum Dei vindicis senserint pœnas trignta millia, quæ jubente Moyse interfecta ceciderunt: mirum tamen, quòd cùm cruenta clades memoriam refricaret superstitum, adhuc hi non exhorruerunt ipsa nomina idolorum, neque minùs oblata ijsdem sacrificia! Verùm & illi unà cum lascivientibus filiabus Moab, comederunt, & adoraverunt Deos alienos: & ne putares, paucos duntaxat lapsos in tam atrox flagitium, vel semel tantùm, & ad breve tempus, pergit sacer textus, & ait, *initiatúsque est Israël Beelphegor:* en ad quanta scelera, & flagitia una libido pertraxit Israëlitas, post mœchiam, non solùm sacrificijs interfuerunt Moabitidum, verùm etiam comederunt cum eis; & quod deteriùs procubuere ante idola, & defecerunt à Deo post tot suscepta beneficia: & abdicatâ veri Numinis religione, falsæ Moabitarum sectæ turpissimè se mancipàrunt; hinc David ingemiscens, ac repetito singultu præcidens verba, ait, *initiatúsque est Israël Beelphegor*, seu ut vertit hebraica translatio, *& adhæserunt ipsi Beelphegor*, non solùm flexo poplite, falsa coluerunt Moabitarum idola, sed affectu adeò arctè ijsdem adhæsere, ut divelli ab illis non possent, magistri facti novorum errorum, ac superstitionum; qui ante fuerant discipuli veritaris, seu veri Numinis, *& initiati sunt Beelphegor, & comederunt sacrificia mortuorum, & irritaverunt eum in adinventionibus suis, & multiplicata est in eis ruina.*

Numer. 25.

Numer. 25.

Psal. 105.

Psal. 105.

43. En ad quæ nefanda scelera, ad quam malorum congeriem blandimenta fœminarum traxerunt populum Dei, Gentem sanctam, genus electum? O fornicationis voraginem nunquam explendam! est siquidem vorago scelerum omnium putidissima sentina, in quam minùs canti lubrico pede delabuntur. Verùm quid mirum, si Israël procubuit in adorationem Beelphegor, cùm ad tantùm scelus filiæ Moabitidæ per lenocinia libidinis, ac blandimenta luxuriæ eum incitârunt? Quid non valent mulierum versutiæ, cùm vel earundem inaures in manibus sacerdotum eos dementent, ut à cultu veri Numinis deficiant; etenim vel ipsi sacerdotes mulierum suasu ex earundem inauribus idolum sibi conflârunt, cui cultum proni exhiberent. Quid non tentat, quid non valet mulierum petulantia? cùm etiam à summis sacerdotibus vitulus adoretur, si ex mundo muliebri, annulis, inauribus, reliquísque aureis ornamentis fusis construatur.

## §. V.

### *Æstus libidinis non solùm marinos æmulantur, in Scyllæ scopulos, & Charybdis vortices minùs cautos ad naufragium trahentes; sed & gehennales æternùm torquentes. Proinde omnis ab ijsdem avocandus est affectus.*

44. QUàm rapax, quàm fœtidum, turbidúmq; fornicationis flumen, cùm Euro ocyus in vitiorum omnium effluat fretum! Excurrit flumen hocce per plura scelera: siquidem post fornicationem diffluit in hortos nefandæ voluptatis, ingreditur lucos flagitiorũ, lambit templa idolorum, excurrit ad sacrificia detestanda, defluit in cultum profanum, donec in amarissimum mortis fretum suos insepeliat asseclas; & Venus, quæ in fabulis ex tumescentis marini fluctûs spuma fertur nata, exitium parat, ubi sumpserat ipsa initium: caveant ab hisce venereis litoribus, qui proculis fluctibus obstrepentibus, & naufragio velunt abesse. Infausta semper fuêre hujusmodi littora, cùm teste Justino ex Drogo moris fuerit Cyprijs, ut Virgines ante nuptias statutis diebus dotalem pecuniam quæsituræ in quæstum ad maris litus mitterentur pro reliqua pudicitia libamenta Veneri soluturæ. Hocce qui venereum enavigant æquor, naufragium non declinant in Syrtes impingentes; vel Scyllæ scopulos, aut Charybdis vortices subeuntes; non enim aliò traijcientes hoc æquor naves solent libidinis aquæ perducere; cùm influant ipsæ in abyssum, utitur D. Augustinus de tempore hujus mersionis metaphora inquiens: *Illi miseri sunt, quorum corda carnali concupiscentia sunt polluta, quia æternas merguntur in pœnas: castitas enim angelica est vita; castitas cum humilitate Spiritus Sancti merebitur habitationem, quam expellet immunditia libidinum.* Quotquot pelagum impuritatum traijciunt, fretúmque enavigant fœdarum voluptatum, efflante Euro concupiscentiæ ad imminens ducuntur naufragium, pœnas subituri nunquam finiendas, nisi meliorem ebibant mentem; in sartagine ferrea ebullient, qui veluti pisces in aquas enatârunt libidinis; neque abs re huc videtur pertinere sartago illa, cujus

Lib. 8.

Serm. 243.

Cap. 4 cujus apud Ezechielem fit mentio, *Sume tibi sartaginem ferream*, qoæ verba expendens S. Bernardinus Senensis ait: *Cur non* Tom. 1. s. 13. *timeant ab extremo, & sempiterno supplicio, quod post hanc vitam manet libidmosos? ludunt quidem, & lasciviunt in pelago suarum voluptatum veluti pisces, vel in maris salo, vel in fluentorsvuli euatantes: at signum inquit Ezechiel cap. 4. est domui Israël, propè oram rivuli, aut litem maris, qua pisces lusitant, signum erexit divina justitia, ut minaci spectro lascivientium compesceret intemperantiam; sed quod tandem istud est supplicium? Sume tibi dicitur Propheta sartaginem ferream; ea ad conspectum vestrorum lusuum, ac deliciarum ò miseri pisces ferrea sartago gehennalibus flammis inardescens ebullit; in hanc è mari, rivulóque hujus saculi transmigrabitis: flamma post aquas, sempiterni cruciatùs, post fugaces delicias, momentaneásque voluptates excipient amatores mundi.*

45. Terrori ingerendo, justóque incutiendo timori eptus est nexus, quo impudicæ mulierculæ interno adcopulentur, & nectuntur gehennæ: rei firmendæ accersita exempla suppeditant argumentum; ut omnes, quotquot ad treijciendum hoc libidinis fretum à blandis invitentur sirenulis, ab scopolis, qui ad naufregium in hoc pelago voluptatum obviant navigentibus, avocentur. Mente volvant, altiúsque imprimant hus fereles scopulos, in quos impingunt ad infame naufregium, qoi libidinum fluctus enavigant: etenim gehennæ lares, meretricis domibue æquiparantur, eò quie neminem excludant, forésque eorum peteant omnibus, neminem repellentes, nullum reijcientes, sed omnes in exitium invitantes ad ingressum, ut observat D. Augustinus, inquiens. *Pro in-* Serm. 107. de tempore. *feris ponitur domus meretricis, quia neminem repellit, & omnem intrantem ad se trahit*, & adserens argumentum ad id evincendum, subdit: *quia ignem inferni habet domus meretricis.* Est siquidem gehennalis ignis, quem libido fovet; erumpit è gehenna, ut ad orcum trahat, quos inflammet; eò enim revertitur, unde eruperet; cúmque domus meretricis gehennelibus hisce fœtiderum libidinum ardeat flammis, quibus miserè cinerescunt, quotquot infelices imitantes pyreustas, hunc circumvolitant ignem, & hos ingrediuntur leres; quis domum meretricis gehennam non dixerit? sed quis edeo fatuus, ut lubens, ac volens se in gehennem præcipitem agat, inferorum pœnas æternùm subiturus? & tamen adeo insaniunt hanc frequentantes meretricis domum, ut vel viventes gehennalibus pœnis se adijciant: traijciunt libidinum equas, quas innatant, sed ut ijsdem mergentur, detrudánturq; ad infetos.

46. Non me letet, commenta Poëtarum, Venerem finxisse ex spuma fluctuantis æquoris natem, ut quam procelle enixa est, timerent quotquot naufregis declinaturi, fretum enavigant hujus fluctuentis vitæ: siquidem assueta, vel ab incunabulis Venus procellis, nonnisi infamia spondet naufregia, quibue ad ioferos detrudet, quos ipse dilexit, & illexit: imò ita ex aqois fingitur orta Venus, ut verè Orco, & Acheronti comparetur: qoie sicut quidquid Acherontis cymbam, & Orci jenuam ingreditur, nunquam egreditur; ita ubi quis meretricis leres ingressus Veneri edhæserit; difficulter à sinu divellitur ejusdem, huc spectat illud Salomonis. *Et ad* Proverb. 2. vers. 18. *inferos semita illius; omnes, qui ingrediuntur ad eam, non revertentur, nec apprehendent semitas vita*, nimirum ut proclivior ad Venerem peteet editus, difficilior fit exitus; quie propriæ selutis obliviscuntur, qui meretricis edeunt gehennelem domum, serviúntque libidini, & nonnisi difficulter resipiscunt, onde Osea, *Non dabunt*, inquit, Cap. 5 *cogitationes suas, ut revertantur ad Deum suum.* Quid? quòd tem facilè propriæ fiant immemores salutis? *quia spiritus fornicationum in medio eorum.* Conclemata videtur eorum salus, qoi Veneri adhærentes se libidinibos prostituerunt.

Acheronti etiam pariantur impudicæ mulieres, quæ opes omnium dementium, amantium devorant, deglutiúntque, nihilq; ijsdem restitoitur, nisi tormentum, & cruciatus: quàm rectè igitur domus meretricis gehenne dicitur, cùm ibi immundi non desint spiritus, seu impuræ cogitationes, vocétque S. Chrysostomus, *domum meretricis* Homil. 2. Matth. *immundam Diaboli officinam*: siquidem habet ibi tartareus spiritus sua instrumenae; quibus gladios cudit ed vulnera infligende; retia nectit, ut juvenes eucupetur; suos ibi prodit centus, ut homines alliciet ad retia, & decipiat, deceptósque trahat ad tartara. Quinimò cubilie sunt dœmonum meretricis leres, si accersitum eudiemus S. Petrum Da- in Epist. 55. mianum, nos elloquentem: *Audite me, scorta, prostibula, cubilia sunt spirituum immundorum*, liberiùs igitur ed hæc evolant immundi spiritus cubilie, cœnum quippe ut sues emant, quia ut rectè S. Chrysostomus, Psalm. 48. *quemadmodum ubi est cœnum, eò porci concurrunt: ita ubi sunt meretrices, & meretricia carmina, ibi congregantur dæmones.* Certè ante Satanicos hos porcos pretiosissimas proijciunt margaritas, qui suas ipsorum animas pro vilissime, ac impurissima delectione dœmonibus proculcendas exhibent, ec spurcitiæ luto immergendas prostituunt in lupanaribus. Frequentant turmatim lupenaria immundi spiritus, quia meretrix, ut scitè etiigit S. Ephræmus Syrus. *Causa Diaboli est*; Tract. adversus improbas mulieres. quia nimirum in fevorem meretrix perorat Dieboli, ejúsque causæ petrocinatur, quie per meretricem ecquirit nequissimus spiritus ius ad animas eorum, qui siverunt se meretricis blandementis irretiri. Hæcque retio, cur meretrices fulcire, ec sustentare infernum dicantur, eò quia stipatas hominum multitudines ad gehennam pertrahunt: hinc Salomon Proverb 1. vers. 9. de

47.

meretrice, ait, *pedes ejus descendunt in mortem, & ad inferos gressus illius penetrant*, ubi hebraicè legimus, & *infernum gressus ejus fustentabunt*, ideo meretrices dicuntur infernum sustentare, seu implere; quia homines illicijs, ac blandimentis trahunt ad orcum, qui fortassis nutaret vacuus, nisi impuræ mulieres ingentes hominum multitudines illuc deferrent. Hæcque ratio, cur S. Ephræmus Syrus improbam mulierem sceptrū dicat inferoi in tractatu adversus improbas mulieres, ubi ait, *quid est mulier? juvenum perditio, sceptrum inferni.*

48. Quòd si Persarum olim mos fuit, ut sceptrum in pietatis tesseram, & clementiæ argumentum exhiberetur, ut Estheri: oppositum hîc contingit, quia Satanicus Assuerus sceptrum extendit, non in clementiæ tesseram, sed in argumentum sævitiæ; non ut erigat correptum timore animum, ut præstitit Rex Assuerus Sceptri extensione in Estherem; sed ut animas ad sua Regna detrudat, æternísque adjiciat cruciatibus; inferni igitur sceptrum est meretrix, quæ tot hominum millia illuc immittit, & quia in miseros illos incolas suum exercuerat imperium: meritò dicitur meretrix, quendam habere gehennæ principatum ob ingentem multitudinem hominum, quos sibi suis subjecerat illecebris, transmisitque cruciandos ad tartara, pœnis torquendos æternis: & revera, si obvitium aliquod triumphat Dœmon, suúmque sceptrum extendit, ac imperium propagat; procul dubio est ipsa luxuria, quæ cæteris potior vitijs majorem hominum partem famulatui subjicit Dœmonis.

49. Hanc luxuriæ Tyrannidem, hoc libidinis sceptrum præ cæteris noverat Augustinus, inquiens: *Cùm accepit in me luxuria sceptrum & totas manus ei dedi.* Tametsi hæc humiliter de se fateretur, ab ejus tamen se servitute subduxit, castúsq; de luxuria triumphavit. Utinam quotquot libidini allicienti dedêre manus resipiscerent, ne in profundum mergerentur! Pulsant enim Orci januas, ut sibi pateant, qui meretricio osculo mentem polluunt: nisi pedem statim retrahant lubrico lapsu præcipites ruunt. O impudentiam plusquam palmarem! sinere se mulierculæ blandimentis vinci, ac vinciri, trahi, q; ad Orcum. Veneri assuetæ procellis adhærere, & naufragia non timere, insania est. Ea est libidinis temulentia, ut nullum præ oculis habeat, quò valeat coërceri: etenim etiam filiæ Loth adhuc oppletâ cadaveribus tellure, adhuc flagrante mundo, tametsi solæ essent cum patre, post funus matris, post bustum patriæ, post colloquia Angelorum, ausæ sunt fieri fratrum suorum matres; & monstroso incestu, matres, & sorores unà copularunt.

*Lib. 2, con. fess. cap. 2.*

50. Iratus Deus ob fornicationem filiorum Israël cum filiabus Moab, præceperat Moysi, ut sanguine viginti quatuor millium virorum fœdissimam impuritatis maculam abstergeret, móxque evaginatis gladijs, nudato ferro, omnique populo proludente lachrymis funeri suo, pallor imminentis mortis, pavórque singula funestârunt, dixitque Moyses ad Judices Israël: *Occidat unusquisque proximos suos, qui initiati sunt Beelphegor.* Numer. 5. Sed prolatâ, simúlque auditâ hac mortis sententiâ non tamen riguit libido, non palluit, non ingemuit, non ejulavit, nec inducias petijt, quibus suum posset scelus expiare; nil cogitârunt Israëlitæ de sepulchro fodiendo, nil de Deo, quem lachrymis emollirent, precibúsque flecterent ad veniam, sed adhuc eò devenit libidinis petulantia, luxuriæ insania, ut sacer textus dicat: *Et ecce unus de filijs Israël intravit coram fratribus suis ad scortum Madianitidum, vidente Moyse, & omni turba filiorum Israël, qui flebant ante fores tabernaculi.* Numer. 25. O flagitium nunquam satis supplicijs plectendum! ô impuritatis pelagus nullo coërcitum littore, nullo clausum limite! ô insatiabilem libidinem, ne tunc quidem finiendam, cùm finis imminet vitæ! ô libidinum sitim, nec tunc extinguendam, cùm vita extinguitur! nimirum pudoris transfuga desinit ante vivere, quàm libidinibus mori, voluitque priùs mori, quàm in cœno luxuriarum non immorari, non fœtidè volutari: spectante siquidem omni populo præsente, & vidente ipso Moyse, prolatâ jam sententiâ cruentæ cladis, imminente toti multitudini supplicio, flente universâ turbâ, adhuc unus fuit de filiorum Israël, qui lupanar subijt, ut pudicitiam tunc, vel maximè fœdaret, cùm esset ipse miserrimè interimendus. Quid non ageret inter palmas libidinis temulentia, si adhuc lascivit in cupressu? quid non auderet in flore, cùm tripudiet in funere? quid non tentaret pratorum inter vireta, si ferales inter umbras hiantis sepulchri adhuc triumphat; Eh quis furor insanior illo lascivientis animi, si debacchatur in luctu? quò non prorumperet nullo spectante? si præsente, & vidente Moyse, & jamjam imminente morte, cujus pallor omnia jam funestaverat, adhuc impuras accendit flammas, ut clariùs mœchetur?

## §. VI.

*Venerea voluptas, si non fumo, certè suâ flammâ excæcat, quos incendit; & venenum in melleo latice ijsdem propinat.*

51. Venereæ datur voluptati, ut quos demulcet suis illicijs; ijsdem admitatur oculos eruere rationis; eósque obcæcare, quos suo inflammat igne, ubi enim semel libido arserit, ejus flamma, nec mortis gelu extinguitur, neque imminentis sepulchri sopitur cinere: hæcque ratio, cur Cain fratricida extorris etiam in ipsa sua damnatione voluptati sub-

subservierit; tremebat, sed simul ludebat; pavebat, sed simul ridebat; impallescebat, sed simul jucundabatur, *Egressúsque* Genes. 4. *Cain à facie Domini, habitavit profugus in terra ad Orientalem plagam Eden, cognovit autem Cain uxorem suam, quæ concepit, & peperit*, fugerat quidem Cain à facie Domini, sed non fugerat libido à facie Caini; quia nimirum libido cæcitatem inducit, ut ejus flammâ correpti, quæ imminent pericula non videant; hinc de Sodomitis, qui ostium Loth nitebantur ingredi, ut hospitibus abuterentur, Genes. 19. legitur, fuisse cæcitate percussos, *Eos qui foris erant percusserunt cæcitate à minimo usque ad maximum, ita ut ostium invenire non possent*: nimirum flagitio respondet mulcta, & sceleri pœna; corporis damnantur cæcitate, quia cùm libidinis æstuarent impuro igne, ac luxuriâ diffluerent, mentis oculo jam erant vidui; habet siquidem quævis flamma suum fumum oculis noxium: sed qui è libidinis prodit flamma non corporis, Lib. 1. de Abraham cap. 6. sed mentis, ac rationis eruit oculum, scitè S. Ambrosius ait: *Percusserunt illos (nimirum Sodomitas) Angeli cæcitate, ut etiam ostium domûs, quod aperire cupiebant, non reperirent: simul etiam illud ostenditur, quia cæca est omnis libido, & quod est ante se non videt*; hoc exploratum est, deprehendimus enim eos usu oculorum in corpore destitui, quos diutiùs libido inflammavit, ut externa cæcitate clariùs conjiciamus etiam interni oculi amisisse usum.

52. Plura possent hujus pœnæ exempla congeri, sed illud singulare, quod de Algaro Regulo refert Polydorus. Lib. 4. histor. Anglic. Meditatus Algarus Fridesnidam cujusdam Ducis filiam Virginem Oxoniensem constuprare, fugientem persequitur: illa verò cùm in obvium se recepisset oppidum, janua statim Algaro Regulo clauditur, simúlque utriusque oculi usu prorsus destituitur, & eadem Sodomitarum pœnâ plectitur, qui eidem cum illis famulabatur libidini. Fertur tamen, puellam virginem fusis precibus Deum Algaro placâsse, qui iterum usui restitutus oculorum videre denuò cœpit. Cæcitate laborant, qui flammâ exardent libidinis, & non mente tantùm, sed Lib. 6. cap. 5. etiam corpore cæcutiunt, si Valerium Maximum audiamus; refert is, Seleucum legem tulisse, quâ adulteris oculi è vultu eruerentur; cùmque ejus filius natu maior exigente patris iure, & lege sancita utroque oculo deberet miserè ob patrata adulteria carere, totúsque populus enixim rogaret, ut pœnam adolescenti ultro condonaret, noluit civium voto annuere Seleucus; iustitiæ enim, ut filius promeritas lueret pœnas, sed rogantibus iterum, eniximque supplicantibus populis, hanc efflagitantibus gratiam victus tandem Seleucus concessit, quatenus suo priùs, postea filii eruto oculo salva lege supplicii, legis temperavit rigorem, simúlque incorruptæ iustitiæ exemplum transmisit in posteros. Hac lege erudiebantur populi, libidinem laborare cæcitate, eámque ingerere sibi addictis, quos duplici cæcitate sibi arctiùs deviuciebat. Quam bellè Cupido velatis pingitur oculis; quia impudicus quivis amor cæcitatem amat, quam invehit, communicátque iis, qui telo cupidinis sinunt improvidè se vulnerari. Vocari ad id evincendum, posset huc Samson captus amore Dalilæ, cuius nomen luxuriam sonat, interpretatúrque situla, seu vas hauriendæ aquæ accommodatum, eò quia luxuria semper sitiat, ac iugiter ardeat impuris flammis accendæ, non extinguendæ siti idoneis: blanditiis igitur Samson illectus, simúlque deceptus Dalilæ, pœnas & ipse subivit cæcitatis, excæcatus a Philistæis; quia oculis orbatur, qui mulieris captus illiciis, victus blanditiis, sinit se deliniri; scitè rem hanc edisserit B. Albertùs Magnus, *Dalila* Serm. de S. Nicolao. *quæ interpretatur situla luxuriam signat, quæ semper sitit libidinem: suum invitat ad sinum, ibique eum tamdiu dormire facit, donec usus fuerit, seu quamdiu vires corporis habuerit; quibus destitutus per inopinam mortem abjicit eum à se, quem tunc Philistæi, seu dæmones excæcant.*

Ideo libido oculis destituit, quos suos 53 instituit asseclas, ut cæcitate laborantes minimè terreantur fœditatibus, millenísque sordibus, quas secum trahit luxuria; & hæc ratio, cur libidinis lue infectus rationis oculo iam deperdito, nec criminis fœditatem videt, neque quæ adsunt mala, neque futuras inspicit imminentes pœnas: cæcus procul dubio censetur, qui licet cœlo natus, cœno impudicitiæ oculos obliniuit, quos cœlo clauderet, ocyúsque per prærupta vitiorum, per lapsus criminum, pede ubique lubrico præceps rueret ad orcum; nec sinit me latum unguem fallere accersitus S. Chrysostomus inquiens: *Quando ab impudica libidine capta fuerit anima, sicut nubes, & caligo* Homil. 21. in 1. ad Corinth. *corporis oculos, ita cùm illa eripuerit mentem, ac perspiciendi facultatem, nihil sinit videre ulteriùs, non præcipitium, non gehennam, non timorem.*

Vix in tam pœnitenda, támque fœda sineret se pertrahi à larvatis fœminarum blanditiis, qui oculis incederet apertis; pedissequas videret luxuriæ ancillas, súntque evacuatio thesaurorum, dissipatio patrimonii, dilapidatio bonorum, ægritudines corporis, imbecillitates capitis, lues consumens, calor exsiccans, peccati fœditas, amissio divinæ gratiæ, conscientia torquens, pœna imminens, horror gehennæ, & alia id genus sexcenta mala ex una libidinis radice pullulantia. Quis ita insanus, & à mente alienus, perennaturas flammas mentis oculo intuens velit ob momentaneam larvatæ voluptatis dulcedinem iisdem addici? Nonnisi fœda laborantes cæcitate in cœno volutantur libidinum, & eò luridiùs cæcutiunt, quò hisce se fœditatibus diutiùs obliniunt. Quòd si adultero sancitâ Seleuci lege oculi eruebantur: hanc sponte mulctam subeunt, qui lascivi-

enti adhærescunt Veneri, suique tortores pœnam sibi inferunt, quâ acriùs torqueantur; qui enim luxuriæ famulatur, fœdóque carnia vitio inservit, ipse sibi rationis oculum eruit, ut visu destitutus promptiùs in cæterorum præcipitia proruat vitiorum: id innuit Cyrillus Alexandrinus qui loquens de ambitione, opum cupidine, venereisque voluptatibus ait: *si quis honoris ambitione laborat, aut gravi exæstuat opum cupidine, Æthnais voluptatum ignibus effervet: nimirum sibi ipsi oculos eruit, & destitutus lumine mentis, in foveam iniquitatis praceps agitur.* Vafritiem aquilæ diceres libidinem æmulari: hæc siquidem hujus volucris indoles, ac innata astutia est; ut cervum in præcipitium ducat, sed alarum flabellis pulverem priùs excutit in ejus oculos, & excæcat, postea urget, ac ducit ad montis præcipitium, ut ibi præceps ruat, ubi cæcitate laborat.

Lib. 6 in cap. 21. Joannis.

55. Quia adeò cæcus, ut non videat eodem astu luxuriam uti? oititur priùs oculos adoriri, ut dempto mentis oculo, extincto rationis lumine stolidè cæcutientes præcipites agat ad tartara. Quid oi an oculis insidiatur amor impudicus, quia cæcus ipse, alieois indiget, ut videat, oculis? Pudeat hominem suæ cæcitatis, quâ cœli orbatus aspectu, non nisi in cœno fœdarum voluptatum volutatur. Quis tantam cæcitatem non stupeat? quis tantam impudentiam non improbet? tantámque amentiam non lugeat? posthabito cœlo, cœno inhiare; ferales umbras clarioribus præferre splendoribus; beatorum consortium cum damnatorum commutare tormentis? cæcutientis est præposterè ac inversum ferre judicium; non videt, qui supera inferis subjicit. Hanc cæcitatem luxuria indncit, quæ mentis oculum priùs aggreditur, ut lumen extinguat rationis, totúmque hominem sibi dein subjiciat.

56. Feruntur corvi à natura ita edocti, ut in cadavera prorueutes oculos primùm effodiant, & huc respexit Salomon cùm dixit: *Oculum qui subsannat Patri, & qui despicit partum matris sua effodient eum corvi de torrentibus.* Idque non aba re flectitur io cadaverosos homines, quibus libido vitam divinæ gratiæ abripuit; corvus siquidem tartareus nititur in iisdem oculum effodere rationis, tum præcipites io carnis scelera, omniúmque fœditatum cloacam agere; scitè Hugo Victorinus: *Corvus est Diabolus, qui in cadaveribus primùm oculum petit, quia hominibus carnalibus intellectum extinguit discretionis, sicque per oculum cerebrum extrahit, quia discretionis privatio sensum mentis evertit.* Quàm noxius, quàm feralis hic corvus, qui nostris insidiatur oculis! abigatur à nostri cordis arca, ut longiùs abeat, nec revertatur; quòd si Noë corvum ab arca dimisit, ut conjiceret, oum aquæ diluvii cessassent: Satanicus corvus non luxuriæ fœtidissimas aquas natantibus refertas cadaveribus, siccatas esse denuntiat, sed eas augere jugiter studet;

Proverb 30.

Lib. 1. de bestiis cap. 31.

sciens, tunc in homine oculum obrui rationis, cum ipse impuris hisce libidinum obruitur humoribus.

57. Ex hisce pluviis suum repleverat calicem mulier Apocalyptica, venenum propinatura hominibus, describitur hæc mulier in Apocalipsi à Joanne: ubi præ cæteris dicitur: *Et habens poculum aureum in manu sua plenum abominatione, & immunditia fornicationis ejus:* fuit enim mulier isthæc meretrix, crudelis, blasphema, fœtida, omnisque referta abominatione: poculum, quod manu gerebat aureum, amatorium erat, quo auri nitore alliciebat ad haustum veneni, & ideo describitur à Joanne blasphema, & crudelis, cum sub larvato auri nitore aconita propinaret; fuit poculum illud abominatione plenum, seu officiis, quæ amatoriis poculia tribui consueverant, cum fierent ex impurissimis, ac fœdissimis rebus. Venenum igitur continet, quod impudica mulier homini libidinem sitienti propinat, & cui sub ementita dulcedine, ac impura volnptate interitum parat, necémque bibendam offert, ut rectè S. Petrus Damianus: *Istud poculum votavit virus mentium, gladium animarum, aconita bibentium.*

Apocal. cap. 17.

Epist. ...

58. Venenum igitur ad interitum bibunt, qui mollioris sexûs sitientes voluptates poculum sibi exporrectum hauriunt, quia blandum venenum, dulce aconitum, melleum toxicum deglutiunt noo siti, sed vitæ extinguendæ aptius; aconitum siquidem suis amatoribus ad necem inferendam aureis in poculia fucatarum blanditiarum porriguot allicientea mulierculæ sua sitientibus blandimenta: ne mellitum hocce volnptatis poculum ebibamus, à quavis cum mulieribus abstinendum est familiaritate: est enim ipsis perquam familiare eblandiri ad damna inferenda, súntque fœminarum aspectus illo basilisci tetriores, venenum siquidem advehunt, quo inficiunt; oscula, lethalia sunt vulnera, quibus interficiunt: mellita verba dulce sunt fel, quia solo halitu per aures mentem corrumpunt, animámque occiduot divinæ gratiæ. Generatim quævia voluptas amatorium est poculum ad mortem inferendam sitientibua adaptatum. Declinemus hocce voluptatis poculum, ne laqueos mortis incurramus, ne aconita hauriamus; venenum io hoc poculo latet sub auri nitore, sub mellea voluptatis dulcedine aconitum exhibetur, ut observatum voluit sanctus Paulinus scribens ad Severum, cui fugam suadet mundi illecebrarum: ait ipse: *Excipit nos mundus varijs voluptatibus florens, & fallentibus venenatus illecebris.* Venenum siquidem libido propinat sitientibus carnis voluptates, quos voluptatum dulcedine, & blanditiarum illecebrâ decipit, ut interimat.

Epist. 2. ad Severum.

59. Infecta veneno est potio, qoam mulier impudica voluptatea sitientibus offert, ac propinat, solétque propterea viperæ pariari, ut notat sanctus Ephræmus Syrus in *tractatu adver-*

*adversus improbas mulieres*, ubi describens mulierem ed turpia allicientem eam vocat expeditem rabiem, viperam vestitam, & S.
Ad Neophyt. Serm. 9.
Gaudentius fœminarum gestus repentibus æquiparat colubri gressibus inquiens: *turpiâ feminarum colubrini gestus ad concupiscentiam movent illicitam*, nimirum quia vel à nudo fœminarum gestu lethale emenat vitus, quô viri lethaliter inficiuntur. Ferunt, qui naturas, et proprietetes recensent animalium, viperas femellas se masculo commiscentes, ei caput præcidere, sitque emplexus laqueus ad interitum, & blandimentum conjunctionis lethale interfectionis nocumentum, cum nexus ipse mortem adferat. Quid si dixerim, meretrices viperarum induentes naturem, Christum, qui hominis caput est, eb hominibus, quibus commiscentur, præcidere? mei afferti propugnatorem accerso S. Petrum
Epist. 55.
Damianom: qui in hujus furfuris mulierculas invehens ait: *Vos vipera virosa, qua pra impatientia ardore libidinis Christum, qui caput est clericorum, vestris amatoribus detruncatis:* nil certè exitialius, nocentius nihil, quàm hisce adhærere viperis, quæ caput nostrum Christum Servatorem à nobis seiungunr, separántque: hinc ait Apostolue:
1. Corinth. 16.
*qui adhæret meretrici, unum corpus efficitur; qui autem adhæret Domino unus spiritus est*, quia nimirum nequit Christo adhærere, ut capiti, qui meretrici commiscetur, ut membrum.

60. Immo deteriores, nocentiorésque viperis, si asseras meretrices, à vero te non errare, assertorem nanciseris D. Ambrosium: vipera siquidem ante commixtionem cum mare venenum evomit, quod opere mox consummato rursus ebibit, ait enim Antistes
Lib. 5. Exam. 47.
Mediolanensis loquens de vipera: *Peracto conjunctionis munere venenum quod evomuerat, rursus haurire fertur.* Hinc conjice, si viperis sæviores sunt, & nocentiores meretriculæ, quæ minimè venenum deponunt sed ponunt, cum commiscentur, augentque, ut sibi adhærentes perimant, ut S. Petrus Da-
Epist. 51.
mianus hes muliercules alloquens, ait: *Vos miseris, & incautis hominibus sic sanguinem sugitis, ut lethale virus eorum visceribus insinuatis.*

Circeum est poculum, quod hæ viperie deteriores fœminæ suis propinant amatoribue, & lethalis est potio, quæ ex meretricio poculo hauritur: quamvis ementitæ voluptatis aliquid videatur dulcedinis continere; larva tamen hæc est, quâ venenum obtegitur: aconitum enim bibit, qui meretricio poculo os admovet, quis cum pestifera potione peccatum illabitur, & mors deglutitur. Quisquis propriæ consulit saluti meretricia hæc pocula prorsus despiciat, lethales impuræ voluptatis potiones devitet: nemo sit à mente ita alienus, ut in lactea dulcedine illicientis voluptatis velit aconita ebibere. Morie olim fuisse, quô protaces impuræ fœminæ suis alapas infligerent amasiis, eósque pluribus læderent convitiis, fœdarent opprobriis meminit S. Chrysostomus, qui infamem amasiorum patientiam redarguit inquiens:
Homil. 17. in epist. ad Roman.
*Non vides turpes illos amatores alapas, opprobria, sputa, innumeráque alia incommoda, qua fornicaria illa mulieres infligunt, patienter ferre?* Verum flores, rosæque forent hæc incommoda, nisi alia longè nocentiora adferrent: siquidem non elapas tantùm infligunt, sed lethalia infligentes vulnera, eò crudeliùs occidunt, quò blandiùs alliciunt. Non credas dulcedinem esse, quæ ad amaritudinem ducit æternùm duraturam.

Pellucidi videntur latices, qui è fonte scaturiunt venereæ voluptatis, sed rivuli sunt, qui perpetuum vertuntur in amarorem: perinde ec flumina omnia mare ingrediuntur, ac sepeliuntur perpetuo immixta amarori; omnes voluptates, quæ extra Deum homines aucupentur ocyssimè fluunt; ac in fretum delabuntur amaritudinis. Deliciæ omnes quas mundus exhibet fluminie instar dilabuntur; quòd si flumina ripas sui alvei corrodunt, exedunt; voluptates etiam virer infringunt corporis, & valetudinem ablu- 61.
Homil. 55. ad popul. Antioch.
munt, ut notet S. Chrysostomus inquiens: *Non tam vehementer fluvialium aquarum cursus ripas corrodere, & submittere solet, sicut delicia, & luxus omnia valetudinis nostra firmamenta facilè subruere.* An non larvatæ sunt mundi deliciæ, carnis voluptates cum sub persona gaudij hostes obtegant? qui corporis oppugnent vires, valetudinem prosternunt, & quod omni hoste nocentius est, animem etiem vulnerant, miseréque interficiunt? Quis veras dixerit carnis voluptates, mundi delicias, quæ statim in corpus ipsum armantur, ejùsque robur dejiciunt, fortitudinem infringunt, vires surripiunt; quodque deterius in animam etiam debacchantur, quam inflictis culparum vulneribus, lethaliter sauciant, & crudeliter interficiunt? Nullum adferunt homini solatium, nullum commodum voluptates, quas ipse enixim aucupatur in mundi illecebris, cùm non solùm corpori noceant, cui vires surripiunt; verùm etiam mentem crucient, verámque animæ jucunditatem corrumpant, inficiántque; imò & animam ipsam interficiant. Quid aliud carnalis voluptas est, quàm mel felleum; & luxuriæ delectatio, quàm melleum fel, dulce venenum, risus lethalis, qui si arridet, irridet; si vultum exhibet lætum ad lethum perducit; scitè Idiote loquens de turpi amore Venereo
Lib. 1. de amore divino.
ait: *Talis amor laqueus est anima, discrimen vita, mors suavis, blanda percussio. interfectio leniens, mel felleum, pernicies delicata, dulce venenum, malum spontaneum, sapida jugulatio, & omnium rerum calamitas:* quis ita desipiat, ut dulce venenum deglutiat æterna morte plectendus? quis tam emotæ mentis, ut mel felleum trajiciat in stomachum, ut fucata dulcedine totum inficiat corpus absinthio, mentémque letheli corrumpat veneno? siquidem venenatem esse luxuriæ dulcedinem probè innuit Arnoldus Carnotensis inquiens:

*Hora*

*Tract. de operib. sex die.* *Hora illius angustia satis indicat, quæ sit illa causa, quæ in tales erumpit effectus, & quia omnino dulcedo illa venenata est, quæ tanta amaritudinis torrentem effundit, allicitur caro ad libidinosos complexus, prurientium irritata vaporibus, & cum ejus sensum quadam mendacia blandimenta demulceant, capti vum sequitur appetitum:* venenum porrigit blanda voluptas, quando dulcedinem exhibet, corpus allicit, ut mentem inficiat: est enim venata ejus dulcedo, quæ sapit, simúlque interimit, quia ut ait Augustinus etiam *Lib. 2 de civit. Dei c. 7.* Poëtæ Ethnici usus authoritate: *Mox ut eos libido pepulerit, ferventi, ut loquitur Persius, tincta veneno.* Risu, vultu, oculis lenocinantur mulieres, sed venenum de postico corporis jaculantur, scorpio persimiles, qui tactu blanditur, simúlque vulnerat. *Fera est voluptas & fera gravis: neque scorpio, neque serpens in visceribus nostris sedens ita undequaque grassatur, sicut deliciarum concupiscentia omnia subvertit, & perdit. Et fera illa tantum corpori insidiantur: hæc autem cum insederit cum corpore, simul, & animam perdit.* *S. Chrysost. serm. contra luxum.*

62. Quid non invehit voluptas mali, homini si dominetur? nullam dixerim posse ab homine actionem proficisci, quam voluptates non corrumpant: hæ siquidem sana mentis consilia præpediunt, prudentiam eliminant, fortitudinem labefactant, justitiam abigunt, totámque corrumpunt humanitatem. Hæ corpus lancinant, membra obtruncant, vires debilitant, nervos infringunt. Da voluptatibus diffluentem, & huic cerebrum æstuat, aures tremitant, oculi caligant, frons tabet, vultus macet, manus tremunt, cutis rigescit, venter distenditur, crura titubant, pedes labuntur. Si voluptas blanditur ut mater, statim ferocit ut noverca: si cantu allicit, in belluas sono transformat homines: si ut Regina imperat omnem evertit sensum, extinguit rationis lumen, quia voluptatibus omnes sensus stupent, & hebetantur, ratio brutescit, nilque magnificum, ac divinum valet suspicere è cœlo dejecta, in cœnum delapsa, ac in sordido volutabro abjecta: siquidem voluptatibus mens à sua sede dejicitur, à suo statu dimovetur, & animus in furorem, rabiémque convertitur. Si voluptas stet, necessum est, omnes virtutes cadere, ac jacere, consilia impediri, prudentiam eradicari, fortitudinem languescere, justitiam corrumpi, & reliqua virtutum honestamenta interire: hæcque causa, cur Cicero voluptatem malorum dixerit matrem; est enim illa Circes, quæ venenata propinat pocula; illa Syren, quæ cantu planctum excitat; illa Phrynes, cujus pulchritudo homines dementat, fuilémque inter gregem dejicit. Lothum consule in miseriarum detrusum barathrum; Samsonem recole, nec armis victum, nec vinculis vinciendum, imò Leonum, ursorúmque collusorem; Davidem specta virtutum illum cultorem eximium, Goliathi domitorem, Israëlis propugnatorem; Salomonem contemplare Sapientiæ Sacrarium, prudentiæ exemplar, justitiæ normam, felicitatis auspicium, hos, & sexcentos alios, quos ferrum non vicit in castris, una prostravit in gynæceis voluptas.

Holophernem huc accerso; cujus caput spirans cædes, pedes protriverunt mulieris: 63.
Sandalia enim Judithæ oculos rapuerunt Holophernis. *Sandalia ejus rapuerunt oculos ejus*, tantúmne potuerunt involucra pedum ex animalium pellibus consuta, & bombycum tela? tantúmne valuerunt calces, quibus terra terimus, sordes calcamus, cœnum quatimus, partémque corporis ignobilissimam, seu pedes contegimus, ut oculos rapuerint illius capitis, quod toti Israëli erat terrori, fastúque superbo non homines tantùm, sed & Numina ipsa despiciebat? ita est, cui supplex ad pedes potior pars gentium procumbebat, is suos affectus pedibus substravit mulieris, sandaliis subjecit Judithæ & populorum domitor, Israëlis terror, captivus cedit & cadit ad crepidas fœminæ: fuerunt Judithæ Sandalia instar prærupti Caucasi, ad cuius radices suis libidinibus illigatus tenebatur superbiens hic Prometheus: nimirum ea est impuri amoris indoles, ut rebus se vilissimis mancipet: quid capillo tenuius, quid levius? & tamen uno amans trahitur colli crine: quid involucro pedum abjectius? & tamen uno capitur calceolo: quid vapore ignobilius? & tamen textili quadam irretitur nebula. O pudendam voluptatum servitutem! O pœnitendum Veneris famulitium! cum vel ipsa belli fulmina in lacrymarum flumina lugenda metamorphosi commutet. O probrum! ò dedecus! ò in sues degeneres; quibus nectar est illuvies; pincerna fœda cupiditas, calix calceorum sentina, fercula surdidissimum cœnum voluptatum, in quibus volutantur. Quòd si involucra pedum tam ferox caput valuerunt irretire, ac prosternere; quid non erit illicii in fœminei vultûs præstanti formâ? in linguæ mellitis verbis? in oculorum arridente intuitu? in frontis blanda hilaritate, in genarum ridentibus rosis, in labiorum purpurascentibus coralliis? certè hæc omnia eò armantur acriùs ad prosternendam pudicitiam, quò blandiùs ridere videntur, ac arridere: sunt hæc omnia protensa retia, quibus homines irretiti capiuntur: unde rectè monet Salomon: *Non concupiscat pulchritudinem ejus* (loquitur de muliere) *cor tuum, ne capiaris nutibus illius*; ubi Syrus legit: *Ne sis præda venationis oculorum ejus, & palpebris suis captivum te faciat.* Quia fœmineo in vultu oculorum nutus, palpebrarum ictus retia sunt, quibus minùs cauti capiuntur irretiti, imò fulgur, & sagitta, quibus ad internecionem vulnerant, quia ut rectè dixerat Carneades, muliebris forma regnum est sine satellitio; vim adhibet sine vi, prosternit sine impetu, vulnerat sine gladio; quia est hostis arridens,

*Judith. c. 16.*

*Proverb. 6.*

ridens, blandus Tyrannus, suave tormentum, quapropter Siracides rectè virum monet: *Virginem ne conspicias, ne fortè scandalizeris in decore illius:* [Cap. 9.] siquidem in adolescentula, flos ætatis, nitor formæ, mollities sexûs, linguæ blandimenta, vestium cultus, comitas gestuum, oris risus, in ruinam impellunt: hæcque ratio cur Alexander Macedo abstinere prorsus voluit à captivis victi Darij filiabus inspiciendis, inquiens: *non captivas adspiciam puellas, ne cum viros vicerim, à mulieribus vincar.*

64. Persæpe quos Mars non prostravit in castris, hos Venus profligavit in gynæceis, & Aulis; quis Herculem monstrorum domitorem Omphalæ devinxit? quis Antonium Cleopatræ subjecit? quis Hannibalem Scipioni tradidit, quàm una adblandiens Venus? quis Pentapolim amœnissimum terrarum hortum protrivit? quis Babylonem mundi totius miraculum solo æquavit? Quis Trojam *florentem*, tam amplam, támque opulentam urbem solo æquavit nisi Venus? hæc thesauros Heliogabali consumpsit; Commodi gazas perdidit; Neronis facultates exhausit; Caligulæ divitias dissipavit. Hæc est illa blanda bellatrix, quæ arte proditoria mentem priùs adoritur, cujus oculum eruere nititur, ipsámque rationis arcem expognat, & in animæ arcem per cuniculos irrepit, ut nobiliorem hominis partem, eò crudeliùs prosternat, quò blandiùs illicit.

65. Qui voluptatum æstu sinunt se abripi, extra rectum tramitem rationis rapiuntur, & per fluctuantes concupiscentias trahuntur ad naufragium: habet siquidem luxuriæ fretum sua brevia, suis armatur scopulis, suas aperit voragines; suas quoque fovet scyllas, & complectitur charybdes: imò venerea ipsa voloptas charybdis est, quæ suos absorbet Sectatores. *Quem luxuria charybdis non absorbuit?* ait B. Ælredos: [In speculo. Lib. 1. cap. 16.] caveatur hæc charybdis, quæ non solùm corporis rati insidiatur; verùm & mentis, animæque absorbet navem: quò blandius arridet, eò truculentiùs sævit hæc charybdis, à qua scylla nunquam abjungitur, pulchrè S. Hieronymus scribens ad Heliodorum: [Epist. 1.] *In illo æstu charybdis luxuria, salutem vorat scylla, seu renidens libido blanditur:* quis tot inter imminentia discrimina tutus? Quis suæ consulens saluti infames has non declinet voragines? Quis sibi bene apprecans hos fluctuum vortices scyllam inter, & charybdim æstuantes non vitet? fugiendus est scyllæ scopulus, declinanda charybdis vorago: implacabilis, & insidiosa charybdis mulier est impudica: siquidem scortis, & meretricibus ob ingentem voracitatem charybdis nomen videtur adhæsisse; & hæc ratio, cur Anaxiles apud Athenæum fœminam impudicam honestati insidiantem viri, monstris conferat; charybdi, scyllæque comparet, censens, neque draconem, neque chimæram flammivomam, neque charybdim, neque tricipitem scyllam, ponticum canem, neque sphingem, hydram, leænam, viperam, neque volucres harpiarum genus, neque ullam demum bestiam diritate sua conferri posse cum fœmina.

Idque de impuris fœminis verum esse 66.
calculum adjicit S. Petrus Damianus, qui impudentes has fœminas alloquens ait: *Vos Harpiis similes estis, quæ sacrificium Domini circumvolantes arripitis, eósque, qui Deo oblati fuerant, crudeliter devoratis: nam & leænas vos non incongruè dixerim, quæ belluarum more jubas attollitis, & incautos homines ad sua perditionis interitum cruentis amplexibus harpaxatis, vos syrenes, atque charybdides, quæ dum suavem deceptionis editis cantum, inevitabile struitis salo vorante naufragium.* [Opusc. 10. dissert. 1. cap. 7.] Vix potuit pulchriùs de fœdis mulieribus, impurisque fœminis loqui purus puritatis cultor. Vocat id genus mulierculas marinas syrenulas, quia nimirum fretum, à quo Venus suam traxit originem, & in quo uti in popria patria æstuat, fluctus excitat decumanis tumidiores, inis non destituitur syrenulis, quarum adblandientes cantus viros alliciunt ad interitum: sunt hujusmodi syrenæ voluptates carnis, quæ suis illecebris homines fallunt, suisque fraudibus in imum demergunt amaroris: scitè Synesius ad Herculianum: *Audivi doctum virum, qui fabulam allegoricè exponeret, Syrenas enim denotare voluptates, quæ delinitos, & suavitate ea captos paulò post interimunt:* [In Epist. ad Herculian.] quod vel maximè venereis congruit voluptatibus, & suffragatur Ælianus Sophista inquiens: *Poësis namque syrenas, ut puto, comminiscitur esse fœdas voluptates.* Si sapis, Ulysem imitare, fretum trajicis fluctuantis hujus vitæ, ubi syrenulæ nobis passim obviant, ore rident, specie arrident, cantu alliciunt; ne decipiaris, ne te retibus aucupentur voloptatum; surdis fretum hoc trajice auribus, crucis arbori jugiter adhære: ambas Ulysses occlusit aures, permisitque malo navis se illigari; evasitque fallacia syrenarum blandimenta. Syrenulas verò esse meretriculas illicientes exteros cantûs suavitate, verborum lenocinio, simúlque conciliantes patriæ, rerúmque suarum oblivionem non diffitetur Damasus Syrus, inquiens loquens de mulierculis: *Instillant illorum animis verborum vim, & pellacissimam verborum Syrenem.*

## §. VII.

*Carnis illecebræ, mundíque voluptates blandæ sunt Syrenulæ, quæ dum cantu alliciunt, planctum eliciunt: nisi affectus ab iisdem avertatur; difficulter abiguntur, ac superantur.*

Caveantur impudicarum illecebrarum Sirenæ, quæ dum oblectant decipiunt, decipientes sauciant, & sauciantes inter- 67.

terimunt; adeò ut quæ fœminea face blandiebatur, draconis naturam vestiat, suósque discerpat, occidátque cultores: huc spectat illud Isaiæ: *Et respondebunt ibi ululæ in ædibus, & syrenes in delubris voluptatis*, ubi legit Caldæus, *Et dracones in domo habitationis deliciarum eorum*, & septuaginta Interpretes scribunt: *Et nidificabunt Ericij in domibus eorum:* nimirum quæ blandè videntur syrenes, larvæ sunt dulcedine blandimenti venenum obtegentes draconis: apparent in cute extima adblandientes syrenes ob formæ speciem, sed si larvam iisdem detraxeris, ericij sunt, utrinque pungentes, & animam expungentes à cœlo, & figentes in cœno. Væh iis qui se hisce fallacibus credunt voluptatum syrenulis! væh mollibus, & voluptariis hominibus, qui sitientes mundi delicias, carnis voluptates, Circeum ebibunt poculum, venenum hauriunt, mortem deglutiunt! væh effæminatis hominibus, qui vias rosis, violisque stratas ingrediuntur, ut vepribus ac dumetis miserè dilacerentur! flores calcant, ut in fœdissimo eodémque tenacissimo cupiditatum cœno hærentes, & quasi clavis quibusdam, ut Plato loquitur, terræ affixi, nunquam ad cœlestia aspirent, nunquam cœlo assurgant, cœnóque immersi, & ganeâ demersi, ab omni recedant honestate, rerúmque fluentium desiderio, ac voluptatum illecebris, veluti æstu quodam abrepti totam navent operam, ut voluptates hauriant, & veluti equi excusso sessore sine rectore effrœnes, effractis temperantiæ repagulis; detectâ rationis habenâ in Ægyptum currentes, voluptatibus inhiantes ferociunt in deliciis: hi sunt molles, ac delicatuli mundi clientes, hi Epicuri redivivi, qui voluptatis idolum dies, noctésque solicitant oculis, contrectant manibus, amplexantur brachiis, sinu fovent, corde circumferunt.

Cap. 13. vers. 22.

68. Hi sunt è sepulchrali cinere reduces Sardanapali; hi è feralibus Manium umbris reviviscentes Heliogabali, seu homines in venerem, & libidinem projecti, ut non tam de hominum cœtu, quàm suilli de grege censeantur: Ganeones perditi, helluones profligati, Smyndirides molles, quibus compti sunt capilli, madentes cincinnorum fimbriæ, fluentes cerusatæ buccæ capulâ illâ vetere, ac ansata dignæ, cum se se in tot flagitia ingurgitent, cùm vino madidi tot scelerum subeant turpitudinem: quia perinde ac qui morbo aliquo, & sensus stupore capti suavitatem cibi non sentiunt, ita qui se se in libidinum ingurgitârunt mare, vitæ ac doctrinæ melioris gustum non habent: imitantur propterea in hortis Epicuros; Metrodoros, Græcósque voluptarios; in esculentis, & poculentis ganeones garrientes. Hi sunt Volupiæ cultores, Veneris alumni, ad nullum vitæ usum, ad nulla hominum officia idonei. Quòd verò deterius semel voluptatibus venereis adhærentes nunquam, vel saltem difficulter ab iisdem evelluntur, Hæcque causa, cur Deus per Isaiam cùm populum hortaretur, ut à vitiis se coërceret, ab oppressione, ab avaritia, à crudelitate, monuit, ut converterentur ad humanitatem, eleemosynam, justitiam, non tamen eos ab incontinentia dehortatur, *Dissolve colligationes impietatis, solve fasciculos deprimentes, dimitte eos, qui confracti sunt, liberos, & omne onus disrumpe, frange esurienti panem tuum.* Isaia 58.

69. Sed cur si avertit ab impietate non compescit luxuriam? si deterret ab usuris, non revocat à libidine? an scelestius est, pecunias malis artibus coacervare, quàm impudico amore dissipare pudorem? Non dubium, quin tam impuritas, quàm fœnus avertant à summo Bono; sed quia conversio quæ speratur à cæteris vitiis, ut plurimùm desperatur à fœditatibus libidinum; qui enim semel in hoc cœno ut sues volutantur, difficulter ab ipso evelluntur, veluti visco capti, ita implicantur, ut inde evadere vix possint, quia ut dicitur apud Oseam Prophetam, *Fornicati sunt, & non cessaverunt.* Osea 4.

70. Flamma est libido, quæ si semel accendatur vix extinguitur, concupiscentiam enacta pabulum, quamdiu hæc viget, illa ardet; lascivire propterea, qui incipiunt, non desinunt hoc igne comburi, quia ignis placet, quamvis non splendorem emittat, sed in ferales cæcitatis demittat umbras: ignis est, qui ardet non splendet; urit, & non comburit, ut eò diutiùs postea torqueat, quò blandiùs allexerat. Sibi caveant, qui hujus flammæ incipiunt calorem experiri; extinguant suis in initiis hunc ignem non alia aquarum effusione, quàm lachrymarum; suffocent hanc flammam priusquam è pectore erumpat verâ cordis contritione; qui enim hanc flammam semel fovet, diutiùs eâdem ardet; perinde ac è calice mulieris Babylonicæ difficulter labia removent, qui semel ejus felleam dulcedinem degustârunt: lactea videtur hæc potio, quamvis noxia, quamvis sub mentito candore infamem obtegat fœditatem; & quò plus bibuntur hujusmodi larvatæ dulcedines, ferventiùs sitiuntur; accendæ siti, non extinguendæ paratæ; ideóque difficiliùs evelluntur à venereis voluptatibus, qui semel earumdem gustârunt fucatam dulcedinem.

71. Hæcque ratio, cur Christus mulierem in adulterio deprehensam minimè supplicio addixit, sed tantùm ei dixit, *vade, & jam amplius noli peccare*, monuit tantùm mulierem, ut sibi caveret, abstineretque imposterum à violatione thori: sed cur eam monuit, ut sibi caveret? quia nimirum timuit, ne in eandem laberetur fœditatem: monentur, ut sibi caveant, quibus aliquod imminet discrimen, quia causa adest timendi, ne illud incurrant: monuit igitur Christus mulierem deprehensam in adulterio, ut nollet amplius peccare, quia timuit, mulierem relapsuram; qui enim semel mœchatus est, iterum & pluries iterat, quod semel inchoaverat: est siqui-

qui-

quidem hoc vitium adeo blandum, ut viam sibi emolliat, sternátque proclivem, ut eam semel ingredientes alliciantur ad incessum: & ideo nonnisi difficulter retrahuntur, qui ab hisce venereis voluptatibus trahuntur; argumento fuit prolixus Christi sermo cum Samaritana. Sitivit JESUS fœminæ luxuriosæ salutem, puteum adivit, è quo mulier aquam consueverat haurire, accessit & ipsa cum situla: pluribus verborum deliciis adnixus est fœminam delinire; multiplici allegoriarum lenocinio eam demulcere; imò & rationum efficacia ei suadere, ut sanctiori aquâ sordes, quas indulgendo sensui contraxerat, feliciùs elueret, & depulsis mentis cymmeriis defineret cæcutire, ac rationis oculo inciperet videre, quas ipsa congesserat fœditates, ut eas detestaretur, lacrymisque purgaret: plurimum impendit JESUS laboris, ut mulier libidini assueta resipisceret; sed per multum temporis oleum perdidit, dum aquam quæreret, quâ fœmina, quas contraxerat, lavaret, simulque levaret sordes: præstitit tandem, & resipuit, sed post prolixa verborum lenocinia, post multas suasionum allicientias, post plures argumentorum exhibitas rationes: scio unicum Servatoris verbum sufficisse aliis hominibus reversuris ad meliorem frugem: hominibus piscatoribus laxantibus retia in capturam piscium dixit *Venite post me*, & statim relictis retibus, & navi secuti sunt vocantem.

72. Publicanus vix invitatus, ut Christum sequeretur, vix audito *sequere me*, resipuit, & Christum secutus in studiis virtutis profecit. Audivit Dœmoniacus Ephephatha, & statim fuit locutus. Scio quatriduanum Lazarum auditâ voce Christi imperantis *Surge*, statim è Manium umbris reassumpto spiritu prodiisse in lucem. Non me latet claudos, surdos, cæcos ad unicam Salvatoris vocem statim oblecutos ambulasse, audiisse, vidisse, & aliis laborantes ægritudinibus pristinæ fuisse sanitati restitutos. Sola mulier assueta impuro libidinum igne ardere post prolixas suasiones, post validissimas rationes, post tot convincentia argumenta, vix scivit se flectere ad resipiscentiam; exprobravit Christus religionem, objecit ignorantiam, sed mulier Samaritana Christum ridet, mentitur coram veritate, & ex hausta è puteo aqua potum denegat ei, qui fons erat totius refrigerii, & solatii: si se defatigatum dicit, ut infringat inflexilem fœminæ pertinaciam, hæc durior, viribus ex itinere destitutum redarguit; si præ siti videtur Christus languescere, mulier, nec aquæ guttulam offert in solatium; plurimum debuit Christus laboris impendere, ut ferream mulieris cor emolliret; quia nimirum libidinis morbi semel connutriti, quique non statim corriguntur, curam semper difficulter sustinent. Oh quàm difficilis est impuritatis curatio, cùm vel ipse cœlestis Medicus non nisi post plures impensos labores valuerit mulierem sanare!

cum à cæteris ægritudinibus, vel unicâ voculâ, aut nutu alios curaverit.

Sed quod admirationem movet, non Samaritana tantùm, sed etiam vir aliàs prudens, ac regiâ insignitus dignitate eandem prodidit cæcitatem, & duritiem. Prætexerat Natham Propheta David Regi totam sui flagitii fœdam historiam: verùm David ratus fabulam cani de extero quopiam, Prophetam redarguentem audivit, non ut reus pœnam subiturus, sed ut Judex sententiam laturus; respondit siquidem David: *Vivit Dominus, quoniam filius mortis est vir, qui fecit hoc.* Et cùm alia proferret incitamenta ad punitionem Rei, indignatus tunc Natham Regis sermonem disrupit, eúmque arguens dixit: *Tu es ille vir*, Oh cæcitatem nocte ipsâ obscuriorem! cùm David post enarratum à Propheta illustri allegoria suum patratum scelus, adhuc illud non viderit: imò ita obduruit post patratum adulterium, ut à Propheta vulneratus ictum non sentiret, explicatum sibi turpe facinus non agnosceret, & Judicem se crederet, quem scelus Reum convinceret: & cum capitale supplicium tulisset in raptorem ovis; non intellexit, se uxorem rapuisse alienam: rubere noluit, qui voluit fœdari; quia nimirum libidinis ægritudo adeo altiùs suas figit radices, ut vix divelli ampliùs possit. 73. 2. Reg. cap. 12.

Hinc qui semel hoc libidinis inficitur vitio, nonnisi fœdissimè olent, nonnisi scurrilia, & verba proferunt venerem redolentia; quia pus ulceris intus corrupti, foras fœtorem emittit, *cogitaverunt, & locuti sunt nequitiam*, nimirum cogitaverunt turpia, putidum ulcus intus admiserunt, & locuti sunt fœditates; quia non ibi quiescit scelus, ubi nascitur, sed instar fluminis fontem deserit, ut montium disrupta petat, vel camporum planities perfluat: *cogitaverunt, & locuti sunt nequitiam.* Cavendum est, ne turpes admittamus, minúsque foveamus cogitationes, quia libido si semel mentem occupet, foris per oculos, per labia prosilit; si in corde floruerit, in ore germinat. Da impuris intùs æstuantem flammis, da mentem venereis fœdatam cogitationibus; & is nonnisi turpia loquitur; nonnisi verba Venerem redolentia profert, *cogitaverunt, & locuti sunt nequitiam*, non asserit præconceptam mente nequitiam emicuisse in oculis, rubuisse in vultu, palluisse in genis, sed prodiisse è lingua: quia nimirum hæc humani cordis exploratrix, & interpres, quæ intus cor fovet, vel mens cogitat, foris lingua prodit. Vel fortassis adeò tenuis, levisque est venerea voluptas, ut vix mente præconcepta transeat per os; est siquidem omnis terrena voluptas perinde ac umbra transiens, & in hoc tantùm firma, quia nunquam stat, sed semper fluit, & ocyssimè currit. Umbra est omnis voluptas, & umbratilis, quia nil habet, quo subsistat. 74. Psalmo 13.

Expertus hanc umbram fuit Jonas: *Et egressus* 75. Cap. 4.

*egressus est Jonas è civitate, & flevit contra Orientem civitatis, & fecit sibimet umbraculum ibi*, nimirum non quieverat voluntas Jonæ in urbe, quam deserverat, ut commodiùs ejus spectaret excidium: verùm frustra expectavit quia exarescente hedera, quæ caput inumbraverat, sol acriùs feriens eum vulneravit, adussitque. *Fecit sibi umbraculum; & sedebat subter illud in umbra, & lætatus est Jonas super hedera lætitiâ magnâ*, quæ tamen cùm statim exaruerit, versa est lætitia in luctum: *petivit animæ suæ ut moreretur, & dixit: Melius est mihi mori, quàm vivere.* Oh lætitiam verè umbratilem! ô gaudium inane! ô solatium breve! hederacea hæc voluptas duplicem hostem habuit solem, & vermem; & brevi totus apparatus hujus umbrosæ voluptatis evanuit: talis est cujusvis terrenæ voluptatis conditio; floret hæc subinde per aliquid temporis, sed huic hederæ proximum semper imminet exitium. Sunt plures in mundo, qui deliciis diffluentes, quia divitiis affluentes, Lucullianis mensis, Apicii dapibus ventrem saginant; sunt plures redivivi Sardanapali; multi è Manium umbris reduces Heliogabali, seu homines in venerem, & libidinem projecti; sunt plures Sminditides, qui nonnisi rosas quærunt voluptatum, floresque colligunt deliciarum; sed quamdiu in hisce persistent deliciis? quantum ipsi temporis impendent in hisce voluptatibus? cum Deus subitò aufe-
Jonæ 4. rat quicquid erat umbraculi: *Et paravit Deus vermem ascensu diluculi in crastinum, & percussit hederam, & exaruit.*

76. Paratæ si sint umbratiles voluptates, parati sunt quoque vermes, sive hodie, sive cras habituri voluptarios hospites, imò & escam in sepulchro; cujus umbrâ extinguitur statim quilibet mundi splendor; cujus lapide clauditur omnis humana felicitas; cujus fine desinit omnis hic incœpta voluptas. Quàm umbratiles sunt, quàm fluxæ mundi voluptates, quæ statim ad Manes, umbrásque delabuntur? & pœnæ quæ sequuntur, æterni sunt cruciatus, qui imminent in gehenna: quis adeò delirus & à sana alienus mente, ut velit unam, vel alteram voluptatis horulam ita mercari, ut pretium exhibeat supplicij æternùm duraturi? Mentem aliam ebibat, qui cœlo natus, cœlestibus inhiat voluptatibus; & sapiat ea mente, quâ sanctus Anselmus, qui in suis alloquiis cœlestibus Deum totius bonitatis, & solatij fontem alloquens ait: *Pota me torrente voluptatis tuæ, ut nihil jam mundanorum degustare libeat venenatæ dulcedinis:* extra hunc fontem totius bonitatis, extra hunc redundantem veræ voluptatis torrentem cæteræ in mundo voluptates feces sunt voluptatis, excrementa solatiorum, gaudiorum inanes umbræ.

Hinc fame perit, qui terrenis studet voluptatibus satiari: inanis est, & vacua, quævis extra Deum voluptas, quæ propterea satiare non valet, nec appetitum explere: non enim corporis famem cibi umbratiles, ac picti, seu ficti sedant: neque depicti fontes per pratorum florulentas ripas decurrentes sitim extinguunt, rectè de non rectis voluptatibus ait Joannes Tollenarius: *Cui rei aptiùs profanas voluptates comparavero quàm mensæ Heliogabali, quam ad ludibrium amicis instraverat, in qua cibi omnes è vitro ad imitationem veritatis effecti, irritandæ potiùs, quàm sedandæ orexi inserviebant:* & tamen placent id genus mensæ, inhiant voluptarii earum ferculis, licèt nunquam repleantur, nunquam satientur, sed semper fame torqueantur: non enim potest voluptas famem sedare, stomachum replere, cum ipsa semper famem patiatur alienæ indigentiæ; quia ut scitè S. Laurentius Justinianus de continentia, *voluptas semper famem patitur*: qui alienæ fami expellendæ apta erit, quæ suam nusquam valet auferre? qui voluptatis fame laborat, necesse est fame jugiter torqueatur: & nihilominus adeò cæci sunt voluptarij, ut hæc ludibria non videant, has fallacias non agnoscant? quia nimirum voluptas mentem adorsa oculum eruit rationis, ne mala, quæ imminent, videat: hinc voluptas non umbra tantùm fallax, sed & fumus mentis dicitur; non solùm quia lachrymas eliciat, quod fumus præstat; sed quia mentis oculum turbat, & confundit, ne quæ imminent discrimina videat; scitè S. Antonius Patavinus: *Voluptas tanquam fumus mentis oculos turbat*, quia scilicet mentem confundit, & à suo deturbat suggesto; & nihilominus aucupantur voluptarij hunc fumum, quo cæcutiant, ac præcipites in imum detrudantur ærumnarum, seque à cœlesti excludant beatitate, appositè S. Petrus Damianus: *Quicunque se carnalibus lenocinijs petulanter immergunt, gaudium à se æternæ felicitatis excludunt*, scilicet æternùm futuri infelices, qui momentaneæ adhæserunt umbratili voluptati, quia momentanei gaudij specie decepti à summo bono se averterunt. Veram voluptatem non enancifcimur, nisi in Deo, qui est fons, & origo totius veræ voluptatis: solus Deus potis est nostram explere vacuitatem; auferre famem, verè D. Augustinus: *Tibi ò anima non sufficit, nisi qui te creavit: quidquid aliud apprehendis, miserum est, is tibi solus potest sufficere, qui ad similitudinem suam te fecit.*

[Margin notes: 77. — In cap. 1. Eccles. — Cap. 5. — Serm. 3. dominic. post Pasch. — Lib. 5. epist. 13. — Serm. 15. vel 40 ex novissimè editis.]



DIS-

# DISSERTATIO VII.

## Immodicus affectus in vestium luxum nisi coërceatur, dum corporis studet ornatui, mentem devenustat, animámque deturpat.

### §. I.

*Carpitur varius vestium abusus, ne ab earum decente, ac modesto usu affectus abscedat.*

1. 

Estium usus post Protoparentum nostrorum lapsum eam excitavit in hominibus contentionem, ut difficulter valeat mentis consilium immodicum coërcere affectum in abusum ornatûs: si enim varios ubique gentium velimus ubusus vestium recensere, ac tempora anteacta lustrare, non hominem exhibebim⁹, sed Protheum millenis formis semper varium. Scimus anteacto sæculo moris fuisse, quò auro pilei coronarentur ad regiæ frontis imaginem; & collaria strijs, seu à sinuosis canaliculis protuberantia, vel reticulato, & denticulato opere, minutis maculis elegantissimè depicta collum obambirent; ex quo vermiculatus adamante multiplici, alióque gemmarum genere coruscus torques etiam in symbolum penderet servitutis exhibendæ vanitati: scimus corpus vestibus Attalicis circumamictum, quas accuratissimo Meandro, & flexuosis in morem Labyrinthorum ambagibus, labor improbus implicavit: scimus manus revolutis ad brachium linis carbasinis intumuisse; digitos adscito gemmarum splendore coruscâsse; crura Herculeo fasciarum nodo constricta tumidos prorexisse umbilicos; & calceos lunatos in auream rosam terminâsse, quò etiam in pedum pulvere vanitas floreret. Imò scimus tam varium fuisse in usu vestium ornatum, ut nullæ fuerint gentium nationes, quæ in vestitu consentirent: siquidem Sabini pallium, Casiacam Græci, Togam Romani, Braccas Galli, Rhenones Germani, Strigium Hispani, Dalmaticam Dalmatæ, Peplum Troades, Caunacem Babylonij, Candym Persæ, Myotam Armenij habuerunt in usu.

2. Quòd si vestium ornatum velimus recensere, quo remotissimè ab Europa utuntur populi: mos est apud Synas, quò divitijs affluentes, ac in castris militiam exercentes serico versicolore vestiti incedant, & plebei quibus fortuna minùs arridet, lino, seu gossipio corpora tegant; lana siquidem apud Synas cum maximè suppetat, minimè texitur. Sagis itidem ad veterem Hispaniæ consuetudinem utuntur media sui parte crispatis, rugosisque, fusâ tamen, & explicatâ laciniâ, laxisque manicis: sagum tamen in levo confibulant latere. Talari itidem utuntur tunicâ, quam, qui è regia sunt stirpe, Principúmque sanguine oriundi, aut superiore aliquo Magistratu funguntur, vel maximè circa balteum; alioquin limbo tenus acu industriosa elegantes pinguot serico auro intertexto. Caput præcelso, ac rotundo operiunt pileo ex tenuissimis virgulis atro filo subtilissimè, & eleganter prætextis. Caligis itidem utuntur affabrè factis, cothurnisque elegantioribus, calceisque bombycinis obstragulo perpolitis. Hyemante verò tempestate, ac rigente aëre pelles induunt pretiosas muriumScyticorum, suaviter calorem foventes, quibus etiam fœminæ æquè, ac mares colla circumfovent.

3. Sin verò Eois è regionibus ad occiduas transeamus; populi in Americano tractu nobis obviabunt operis plumarij scientissimi, ea siquidem arte discolores ex volucribus decerptis plumispinulas texunt, ut omnia prout alteri magis placuerit, exprimant; nimirùm rerum cunctarum imagines, hominum effigies, brutorum varia genera, plantarum, ac florum, ac vivum depictas species: idque præstant tam pertinaci laboris incubitu, tam rigidâ suæ manûs censurâ, ut uni plerumque plumulæ ritè concinnandæ, versandæ, ac reversandæ, nunc in dextrum, nunc in lævum, mox recto, vel obliquo situ integram impendant diem, & subinde potiorem noctis partem, ut omnia ritè congruant; & ea dicuntur subtilitate, & elegantia discolores contexere plumas ad corporis ornatum, ut omnes superent Phrygiones gloriâ Babylonicæ acûs, ubique terrarum commendatissimos: adeò exercevit ubique locorum, & gentium vestium luxus, ut singulæ nationes videantur de primatu certare, spoliéntque de-

delicatioribus pellibus animalia, elegantioribus plumis volucres, molliori bombycom opificio vermes, morbidiori lanâ oves, ut humanum corpus ex alienis vestiant spolijs. Imò ot aliquid adijciant oitoris vestibus, quas sibi contexunt, terram ipsam excoterant aurum erepturi, & quidquid pretiosi suis claudit terra visceribus. Eritreum etiam depauperant, suisque spoliant margaritis. Quin eò visæ sunt io cultu vestium gentes insanire, ut Fannesi autes ipsas adhibuerint, quibus ouda corpota contegerent; ne unum tantùm referrent fabulæ Midam auribus asininis insignem, sed multos possent veriùs populi affette, ac referre suæ vanitatis testes: imò qualis olim non fuit in una urbe Roma hujus luxûs triumphus? ibi enim Mecœnas statim occurrit molli veste discinctus; Sextus Pompejus pallio contectus ceruleo; Cato Seoior cum præcurta, sed candida toga; Cæsar cum lato clavo imbricato; Caligula depictâ penulâ frequenti vermiculata adamante contectus. Scimus ex monumentis priscæ Romæ, Neronem nullam vestem bis induisse; Augustum quatuor tunicas, nec restrictas, nec fusas assumpsisse; Marcum Antonium pretiosa vestimenta induisse; Vespasianum neglecto quovis in vestibus luxu, & ornatu vix à gregatio milite se distinxisse; Antonium Caracallam, & Lentulum dibapham induisse, seu purpuram Tyriam bis tinctam; fuit enim dibapha Tyiria, quæ in libras denarijs mille non poterat emi, quâ Lentulus Spinter ædilis curulis primus in prætexta usus imprnbatur anno urbis conditæ 700. Demetrium vestes adhibuisse astrorum varietate spectabiles, quibus nimirum sydera transferret in terras, cœlúmque sicut pellem terrestris Jupiter extenderet; vel ut solem cæteros inter homines se ptoderet syderibus cotonatum, sed undique stipatum vanitate.

4. Utinam oon Jovem tantùm è fabulis revocarent, quem imitarentur homines vestium luxu, sed quod deterius ex luxu ad idola devenitur, quibus & cultum exhibent vero Numini duotaxat debitum. Nonne Vitulus io etemo ex vestium luxu, ex muliebri ornatu, ex inauribus conflatus fuit in perniciem, ac subversionem populi? *Tollite inaures vestras*, & nonnullis interjectis! additur: *Et fecit ex eis vitulum: hi sunt Dij tui.* Utinam oostris etiam temporibus vestium ornamenta in simulacra non transirent Idolorum, & cultui divino præfetretur ornatus corporis: quot puellæ, ac mulieres specula consulunt, & corporij ornando, eam matutini temporis potiorem partem insumunt, ut vix sacris ioterfint, vix ipsis superfit tempus debitum supremo Numini exhibeodi cultum, quem vanitati impendunt? si Israëlitæ consuetis contenti vestibus, secum in eremum inaurium non detulissent ornameotaç se fœdissimè noo coinquinâssent probro idololattiæ, verúmque Deum coluissent. Scimus ex mulierum inautibus non aliquem ex plebe, oon unum ex fabrili arte prævaricatorem, sed sacerdotem ipsum assuetum in altari victimas Deo offerre, vitulum conflavisse, colendúmque populo exhibuisse. Utinam noo essent sacerdotes, qui nostris adhuc temporibus gloriam incorruptibilis Dei commutareot in similitudinem Vituli comedentis fœnum! utinam cum vana, ac larvata muliercularum pulchritudioe, & pompa idolum non colerent vanitatis pro Deo veritatis! utioam non suppeditarent, & ipsi inaores, & reliqua mundi muliebris ornamenta, ut & ipsi sua in fœminis idola colerent: ideo plerique ad hæc convertuntur idola, quia infulæ nimio luxu splendent, nimio ornatu superbiunt.

Exod. 32.

5. Sub primis ecclesiæ initijs cùm piscatores ecclesias administrarent, sanctè pluries ruboerunt infulæ repulsam passæ; sed ubi pinguius esse cœpit sacerdotium, mensa ditior, ornatus spleodidior, non desunt, qui dignitates colant, quamvis officia oon excolant; quia quæ ornant, facilè cultum extorquent; abijciuntur verò, quæ onerant. Abijciant, qui dignitatibus ecclesiasticis insigniuntur opera tenebrarum, & induant arma lucis, ut monet Apostolus. *Abijciamus opera tenebrarum, & induamur arma lucis*, ooo vult Apostolus, sacerdotes armari lucis armaturâ, sed indui, quia nimirùm militantibus sub Christi vexillo vestes sunt arma, quibus tartareum hostem expugnent, carnem prosternant, & de mundo gloriosè triumphent.

Ad Rom. 13.

6. Sunt antem hæc lucis arma, quibus nos indutos vult Apostolus studia virtutum, exercitia Christianæ pietatis, incrementa sanctitatis; ipsa enim justorum opera arma suoc lucis, quibus ad terrorem fulgurant inferorum, & blandè splendent Superis: suot arma lucis, qoibus castitatis niveus candor, & aurotæ purpureæ charitatis splendor inhalatur, nóxqoe libidinis dispellitur. Non enim arma lucis pectora illa dixeris muliebria, quæ ad mammas usque nudata intuentium corda feriunt, sanciántque inflicto plerumque lethali vulnere: est quidem fucata ibi albedo, oon tamen, quæ diem auspicetur in aurora; sed quæ noctem quávis cymmeriâ tetriorem secum trahat in gehenna. Quis enim huoc mulieris aspexit candorem, quio suo priùs in cotde ooctem transtulerit impuræ eogitationis, quâ oculus ipse rationis eruitur? Vult Apostolus, Christianum indutum armis lucis, seu ornamentis, nitotibúsque virtutum omnium; & non in corde tantùm, sed & in vultu, totóque habitu candescete castitate, rubere charitate, splendere cæterartum virtutum radijs.

7. Rursus vult Apostolus, non ot armemur, sed ut induamur arma lucis, ut inde discamus obtegere hoc indumento, quæ vanæ gloriolæ possent esse incitamenta, & ad ostentationem omnem, & jactantiam decli-

na-

blandam. Plures hæc arma lucis non in virtutum culturâ, sed in fœminei corporis cultu perversè quærunt, non pugnaturi, sed expugnandi: aspectus immittunt in mulieres, quarum ornatus, at fucus arma sunt, non tamen lucis, sed tenebrarum; cùm rationis oculum nitantur statim eruere, & mentem cœca obducere caligine. Transmissæ siquidem per sensuum externorum vehicula fœmineæ pulchritudinis species, ita hominem rapiunt, mentis aciem obtundunt, animúmque suo perstringunt splendore, ut tametsi solutus sit homo, ac liber; suavi tamen captivitate laqueis irretitur amoris, quibus larvatis adhærescit voluptatibus; ut ex mille vix unus recenseatur Ulysses, qui Circea veneficia deluserit, cùm socij dolosas ingressi ædes, epotóque voluptatis poculo in belluas degenerârint: & licèt plures sint, qui nullis lenocinantis illecebræ frangantur conatibus; pauci tamen, qui corporis indulgentes oblectamento, vitiorum non capiantur præstigijs.

8. Fœmineis tamen se prodit vestibus leviorem, qui ex vestium ornatu, luxúque immodico aliquid censet posse veri gaudij haurire: illud notatu videtur dignum, quòd *Begbed* apud Hebræos æquè de dolo dicitur, ac de veste, quia nimirum fœmineæ præsertim vestes translucidæ homines lallunt, quos irretiunt, ut perdant: ornant quidem corpus vestes, sed animam devenustant, ac onerant; & sub veste fraus latet, si ex vestium extimâ pompâ velles ferentium pretio metiamur; consuta est dolis, referta fraudibus vestis, quæ intuentium oculos allicit, mentémque illicit, quam dementat.

## §. II.

*Mulierum translucidæ vestes consutæ sunt fraudibus, intextæ dolis: ideóque sunt oculi ab ijsdem avertendi, & ad mortem convertendi, non arridentem in gemma, sed terrentem in cinere.*

9. SUnt, qui delicijs sibi videntur diffluere, si vestibus utantur ad omnem consutis & pictísque elegantiam: hinc videas vestes plerumque adeò subtiles, ac translucidas, ut nunquam tam eleganter Arachne Lydijs telam delicijs illuserit; nec ita graphicè delibatæ furtum pudicitiæ Philomella distinxerit: sunt enim Belgicæ, Gallicæ, Anglicæ manus hodie Attalicis eruditiores opere Phrygio eleganter pingentes vestes, quibus vel nubiles puellæ, vel delicatuli Ganymedes utuntur: non tot videtur gemmare floribus pavo, cum floridum ver illud pennarum in orbem explicat, quasi cœlum micantibus stellis inoculatum objiciat intuentibus, quantum in vestibus luxum, ac elegantiæ coragium ostentant venustuli Parides toti ex tarantillis nitidi, in quos retorqueas illud pavœmiale: *Unde hic nobis pavo?* sed utinam, ut pavoni posset uni ex ijsdem lemma inscribi *vanum posthabet orbem*, seu caudâ, floccíque faceret hujus muliebris mundi vanitatem.

Vestes, quæ corpus ornant, persæpe animum onerant, & eò graviòs, quò vanitas est levior; vinciunt pectus, amiciúntque latera ad modicissimam sphæricitatem, ut eò fœminarum pompa grandior appareat, quo exilitas est minor: consutæ fraudibus sunt hujusmodi vestes, quæ intuentium mentem illaqueant, vinciúntque ad infamem impudici amoris famulatum. Videmus aurum varijs discruciatum supplicijs, elaboratum arte, ductum in subtilissima fila, & contextum ad eximiam pulchritudinem, eâ duntaxat ratione, ut muliebri cogatur ornatui inservire, cujus & flavæ comæ adscititiæ, tum apparentes, tum sublucentes; & crinium nodi, ac impositura; cum circumfluentia, & pellucida velamina, mentis produnt levitatem, & capitis instabilitarem; quòd enim lapidum splendores, gemmarum gratiæ, unionum candores caput circumsepiant, hoc adscititio nitore, hoc splendido ornatu clariùs umbras propriæ cæcitatis objiciunt suspiciendas; si hujusmodi pompa ad eum dirigatur finem, ut procacibus oculis idolum exhibeant, alliciántque meretricio fastu ad turpia; quia tunc naturalem Dei imaginem adulterinâ hâc fœdatur pulchritudine, devenustatur ornatu, obscuratur nitore; & tunc frons, verba, vultus, capillatura, manus, corpúsque totum blanditias videntur spirare, sed ut virile pectus emedulleht: teneritudinem manuum, pectora mollia, & vultus nitidos produnt, sed ut validiùs hominis expugnent fortitudinem. 10.

Fugiendum propterea omnino est harum improbarum mulierscularum consortium, quia ut monet Sapiens: *Magis placebit commorari Leoni, & Draconi, quàm habitare cum muliere nequam.* Idque experti clariores præ cæteris Principes pietate, sapientiâ, fortitudine David, Salomon, Samson evidentissimum reliquerunt posteris documentum passi infame, funestúmque mulierum jugum; ut qui steterint in castris, pugnaverintque contra catafractos exercitus, ceciderint postea expugnati in gynæceis ab imbelli muliercula. Quot viros eruditione claros, ingenio commendatos, prudentiâ insignes, dignitate conspicuos non vicerunt, prostrârunt, ac miserè fœdârunt mulierculæ? proinde monemur longè ab ijsdem abesse, *longè fac ab ea viam tuam, & ne appropinques foribus domus ejus:* quòd si prohibemur procul à foribus domûs abire; quantò magis à contubernio, colloquio, familiaritate? quidquid enim id generis muliercolæ loquuntur, quidquid ostentant, eò tendunt, ut virile cor feriant; lasciviore præsertim acu per crispatam comam luxuriante, curiosa oculorum jactatione, incessu molliore, voce blandâ, & effractâ, gestu ad mo- 11.

modestiam minus composito; quòd si obtutibus ubera prostituant, velo non integente pudorem; sed decorem mentiente, etiam virorum glaciem, ac frigora solvunt, vertúntque in æstuantes fornaces: sunt enim omnes non solùm ornatus muliebres, sed & pectoris nuditates invitatoria libidinum, folléque impuris excitandis ignibus accommodati. Quid cum calliblepharon, seu succus herbarum, florúmque tincturæ palpebris venustandis, genisque fucandis admoventur? quid cum corporis membra laciniosis pomparum, ac deliciarum ineptijs vestiuntur, prætenditur? quàm luxuriæ negotium, ac pudicitiæ insidiari? tunc eò validiora ejaculantur ignita tela, quo è niveo prodeunt vultu: innumera sunt adminicula, quæ ex fucis herbarum, ex nitore gemmarum, ex candore unionum, ex auri splendore, ac serici teneritudine accersuntur, ut fucatæ famulentur pulchritudini, & nævi, ac vitia deleantur faciei; quasi naufraga sine hoc adscititio ornatu forma esset, ac frustra luderet: & revera valentiori lenocinio fortiùs virili robori illudunt mulierculæ, cum hisce ludunt vanitatis quisquilijs.

12. Secedendum est à noxio fœminarum contuberino, ab hoc ornatu, quo retia laxantur, ut viri miserè capiantur. Huc flectitur, quod

Psalm. 12. David enixim à Deo petijt. *Illumina oculos meos, ne unquam obdormiam in morte: ne quando dicat inimicus meus prævalui adversus eum*, sed quid? ergo obdormire in morte, perire est? si mortis meditatio stimulus est ad vitam, ad resipiscendum, surgendúmque ab umbra mortis, cur detrectat David obdormire in morte? forsan ad ornatum allusit muliebrem; cùm moris sit non solùm ex corallio mortis simulacra è collo gestare, verùm ex pellucidissimo adamante integram Calvariam; ut in ornamenta mulierum etiam transeant funerum terrores; & mors ipsa discat jam ampliùs non esse horrori, sed luxui; & dediscat pallere, quæ incipit rubere in corallio, vel splendescere in adamante. Eò devenit fœminea ambitio, ut quæ mortem fugit ut noxiam, mortem emat, ut adblandientem.

13. Id certum, inter Principum gemmas mortem sculpi splendentem; & ipsemet inter gemmas Serenissimæ Mariæ Antoniæ nuptæ Maximiliano Emanueli Bavariæ Duci adamantem vidi crassitiem nucis avellanæ æquantem, qui mortis simulacrum, seu Calvariam affabrè sculptam exhibuit; ut mors nonnisi pretiosa imposterum diceretur etiam in conspectu hominum, cum apud ipsos etiam triumphet in gemmis; effingitur mors ex gemmis, sculpitur in adamante, ut si in conspectu Domini pretiosa est mors Sanctorum; sit etiam mors Principum putanda pretiosa à cæteris hominibus, cujus imago tanti est pretij, ac ponderis. Imò non tantùm mors pretium acquirit in gemmis, sed, & in ipsis sepulchris, cum plerumque in templis videamus squalere altaria, superbire sepulchra; vilescere lateritias aras, & nitere splendentes in sepulchris structuras. Ubi fœditum cadaver vermium est esca, plerumque Achates, Amethystus, Chrysolitus, aliísque depicti lapides ex exteris, dissitísque Provincijs non modico sumptu delati, & excisi laxam compingunt sepulchri mollem. O tempora! ò mores! splendidiùs jacet cinis in tumulo, quàm colatur Deus in ara; vilius in Syon Dei suspicitur tabernaculum, quàm in sepulchro claudatur cadaver.

Vix imposterum erit, qui mortem exhorreat, cùm humana corpora exanima splendidiùs jaceant in sepulchris, quàm sedeant in Cathedra; quin nitidiùs alicubi sepulchra rutilant, quàm solia; & Manium umbræ pretiosiùs triumphant, & clarescunt in lapide, quàm splendeant interdum Principes in cubili. Quis non obdormiat in morte, si splendidiùs jam homo jacet in sepulchro, quàm sederet in trono? si pretiosiùs ejus cinis triumphat inter Manes, quàm ejus corpus splenderet inter homines, cùm viveret? ad id devenit hominum ambitio, ut sepulchrales umbras ipsa luce splendidiores habeat adscititio ornatu, rarioribus è lapillis mutuato; quid aliud id videtur, quàm exultare in supplicijs, splendere in umbra, superbire in pulvere, splendere in sordido cinere, & superstitem vivere in ipsa morte? Vana hæc ornamenta hominum adjecta cineribus quasi respexisset David, & à tanto fulgore aliquid contraxisset cæcitatis, Deum enixim rogavit, quatenus dignaretur, has caligines suis propulsare ex oculis, & non sinere, ut in morte indormiret. *Illumina oculos meos, ne unquam obdormiam in morte*: concupivit in Domino obdormire; ideóque recusavit, timuítque, ne obdormisceret in morte. Pudeat virum equestrem, aliúmque deterioris notæ, sed divitijs affluentem sepulchra ad fastum erigere ambitionis, exiguum cinerem, putidúmque pulverem complexura, cùm Reges ipsi, & Imperatores hæc suis è sepulchris adscititia ornamenta prorsus excludant. Injustè agunt, surripiúntque jus Libithinæ proprium, qui sepulchra splendidè exornant sculptis, vel fusis statuis, stipant lapillorum pretiositate, ac cæsis marmoribus muniunt, quia cùm terrere saltem liceat morti in propria domo, jus istud illi surripiunt; adigúntque sepulchra, domúsque mortis ridere in statuis, & arridere in splendore pretiosioris structuræ. 14. Psalm. 12.

Liceat morti saltem in sepulchris, quæ incolit, terrorem aspicientibus incutere, ut vitam saltem meliorem inde hauriant: liceat Manibus suis umbris terrere pertransseuntes, ut mentis oculos adaperiant, videántque, quàm vana, quàm futila sint humana quæque: liceat cineri, ac pulveri sordescere in sepulchris, ut memoriam juvet hominum viventium, & recordentur 15.

se

se ex luto effictos, & in lutum mox solutum iri. Non rideat, nec arrideat mors in tumulo, non eniteat in gemmis, non pendeat è collo; sed altiùs inhæreat mente: eatenus mors hominem juvet, quia eidem est formidini; cavet enim, qui timet; sed quis ampliùs mortem reformidet? si hæc rubet in corallio, splendet in adamanta, nitet in gemmis, ridet, & arridet in sepulchris? cui mors timorem incutiat, si eam facimus coronis Regum ditiorem? Imperatorum diademate pretiosiorem? extrahuntur enim gemmæ è specuum sepulchris, ut nostram sepeliant mortem, quæ non ampliùs sordescat in pulvere, sed splendeat in smaragdo, micet in pyropo, rideat in marmore, arrideat in amethystis, & Chrysolitis.

16. Mirum dictu! coërcentur irascentis pelagi fluctus decumanis tumidiores exiguo littoris pulvere; compescitur tumidum, furénsque elementum, minutis arenulis: & conditum in sepulchro cineram ad refricandam memoriam humanæ conditionis splendore gemmarum contegimus, ne ad ejus appulsum nostra contringatur superbia; ideóque mortem, quæ flagitij est pœne, malumus in pompam convertere opulentiæ: & quasi modicè superbiret mortalitas in divitum ædibus exundante fastu, adhuc hanc volumus superbire in cinera, splendere in umbra, gloriari in pulvere, cùm ejus luxui subservire cogamur achates, amethystos, chrysólitos, aliósque lapides, qui nativa duritie corrodentem Saturni dentem non timeant. Utinam quò mortis effigies fit pretiosior in gemma, non fierat nobis invisior, & gravior, cum ipsa nos accesserit: eam siquidem lacescimus in nostra damna, eam irritamus, cùm ejus terrores ridemus; ne timeamus sævituram in falca, eam volumus blandientem in gemma; ne suo terreat aspectu, pretij nitore eam volumus phaleratam: sed etiam Samson nusquam attrociùs in Philisteos sævijt, quàm cùm evertit Dagonis simulacrum: tunc enim revulsis complexu delubri columnis sepelivit idoli ludiones labentibus ruinis: mox mortem illudimus, cùm ejus aspectus est nobis in corallio risui, in adamante luxui, in sepulchris splendori; sed timendum, ne in nos sæviùs ferocescat, & quæ nobis fuit risui, tetriori non sit luctui.

17. Non sit nobis mors illicium voluptatis, sed argumentum timoris, eò vel maximè, quia nonnisi semel nobis obviat, & quidem plerumque præmatura, & extempore, ut paratissimos semper nos habeat. Terrori, horroríque esse nobis debet, unico mortis jactu de alea totius æternitatis agi, ut semel victis, nulla ampliùs affulgeat spes, fore, ut jactura reparetur? non ma[?]etet S. Ephræmum devictos in arene pugiles, animâsse ad deperditos resumendos spiritus, eò quia dedecus jacturæ confiderent, in alio reparatum iri certamine.

Ultrò fateor in quovis certamine, in quavis inita pugna posse jacturam restaurari, victoriam reparari: id autem omnes inficias eunt in Libitinæ congressu, & mortis aggressu; quippe nec virginitas semel deperdita ampliùs reparatur; neque æternitas semel amisse instauratur; talis est naturæ virginitatis flos, ut semel deperditus nullo fiat ampliùs pretio venalis, nulla arte reparabilis; & æternitatem, qui ingreditur clauso ostio, ibi hæret absque spe ulla inda evadendi.

Verum nihilominus est, quòd tametsi virginitas semel lapsa ampliùs in integrum resurgere non valeat, ac integrè stare, adhuc tamen claudicare potest, abrepere valet: sed ubi semel mors prævaluit, conclamatum est, & spes ex integro arescit. 18.
Hæcque ratio, cur David nocturnis lachrymis contractas ex patrato adulterio, & homicidio laverit maculas, purgaverit sordes, absterserit fœditates, & quidem in nocte, mortis umbrâ refricante memoriam. Idque Thecuitis animo voluebat, cùm Regem alloquens ait: *Omnes morimur, & quasi aquæ dilabimur in terram, quæ non revertuntur.*: didici ex agriculturam callentibus arborum vulnera facilè posse in melius resarciri, sed una adest æquè præcelsa, ac lugubris cupressus, cujus rami, si semel putentur, pro semper amputantur; quia nullus ex ijsdem germen pullulat, nulla virescit soboles, & ideo mortis est symbolum; siquidem vita semel recisa, ampliùs non revirescit: ideo Job non siccis oculis, non absque fletu, non sine suspirijs, Deum in luctu, in squalore enixim rogavit, ut sineret suum paululum dolorem lugere; eò quia semel lapsus in sepulchrum ampliùs non esset inde reversurus. *Dimitte ergo me, ut plangam paululum dolorem meum, antequam vadam, & non revertar ad terram tenebrosam, & opertam mortis caligine*, quia ut subjungit David. *Et sepulchra eorum illorum domus in æternùm*: unde Salomon. *Si ceciderit lignum ad austrum, aut ad Aquilonem in quocunque loco ceciderit, ibi erit.*

2. Reg. 14. Job. 10. Psal. 48. Eccles. 11.

Verùm non solùm debet mors nobis esse timori, æquè, & terrori, eò quia, si semel ab illa vincamur, omnis aruerit spes jacturam reparandi; verùm etiam quia inopina, præmatura, & extempore nos aggreditur, sive ambulamus in foro, sive spatiemur in agro, sive moveamur in platea, sedeamus in mensa, quiescamus in lecto, epulemur cùm amicis, pocula exsiccemus cum socijs, sive floreamus in juventa, sive frigeamus in senecta; quia nullam reverita ætatem, nullum locum, aut sedem, omnes indiscriminetim pauperes, & divites, nobiles, rurales, Principes, subditos sua demetit falce, unde Jeremias præmaturo illachrymaturus populi sui faro ait. *Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fon-* 19.

Jer. 9.

*fontem lachrymarum? & plorabo die, ac nocte interfectos populi mei:* & ex qua causa Propheta interfectos populi luget? cur morti illachrymatur? cur invitat ad planctum fœminas, & puellas? *Docete filias vestras lamentum, & unaquaque proximam suam planctum:* cur tam acerbus luctus, tam laxus planctus, quo oculi corrumpuntur, & mulierum, & puellarum? *quia* nimirum ait Jeremias, *ascendit mors per fenestras nostras,* ob hoc æquum est, stollatas matres, inclytas puellas in squalore jacere; amato luctu corruptas, lachrymarum rivulis madidas, jugi mœstitudine deploratas; quia mors non per ostium, sed per fenestras nostros ingreditur lares, nósque imparatos extempore aggreditur, vincit, ac rapit: cùm non parcat impuberibus, nec puberibus, nec adolescentibus in primo vernantis ætati virore; nec juvenibus in flore annorum lætantibus; nec viris provectiore ætate adultioribus; quis de clade animorum non reformidet? præsertim cum Angelo Vastatori præcipiat Deus, ut immissa falce æquè succidat lacteas herbuscnlas, ac succrescentia gramina, & adultos flores: *Mitte falcem tuam, & mete,* scimus segete flavescente immissam rurali brachio falcem æquè acervatim adolescentes herbas, ac adultas spicas, æquè erumpentes flores, ac juvenescentes plantas acervatim demetere, simúlque in unum congerere cumulum: quæ singula succisa exarescunt, & sejuncto frumento electorum fœnum marcescit reproborum. Quin timor incrementum subit, quia imparatis advenit, quos tamen vellet paratissimos invenire. *Media nocte clamor factus est, ecce sponsus venit exite obviam ei,* quia nisi nos paratos inveniat, æternùm excludit ab amore cœlestis sponsi. Deo qui famulantur eidem accedenti, ac pulsanti statim aperiunt; injunctum sibi servi officium obit, qui vigilans Herum suum expectat, donec accesserit, ut succinctus facem præferat.

Jer. 26.

Apocal. 14.

Matth. 25.

## §. III.

### *Varius, & inconstans exhibetur corporis cultus, ne noster in eo constans detineatur affectus; sed mortis memoriâ negligatur.*

21. Vt suum sponsa munus expleat non satis est, si vigilet, sed ulteriùs, ut venienti occurrat sponso; nisi monilibus fulgeat, nisi nitentibus coruscet gemmis; nisi omnigenæ virtutis sit flore ornata fordet; & non jam ut sponsa, sed ut ancilla habetur. Iste laudandus est ornatus, quem studia invehunt virtutum, quíque animum ornat, non onerat. Abjiciendus est corporis ornatus, quo mens devenustatur. Plures sunt, quos vestium pompa inflat, qui tamen detrectant, ut pavones sordere in pedibus. Augustus siquidem vestium ornatui addictus calceo delectabatur altiusculo, ut procerior assurgeret; Caligula, cujus studium magis in cultura corporis fuit, quàm ornatu animi, aphracta utebatur, seu calceo muliebri, ut supra cæteros, non tam dignitate, quàm corporis staturâ emineret. Carinus fibulis in calceo fuit usus nitidissimo conclusis margarito; Empedocles caliga ferrea; gemmata Heliogabalus, aureâ Demetrius, qui suis indignè pedibus tribuit, quod suo capiti non debebatur, vel ut ostenderet, Regem in quavis sua libertate aureis obligari compedibus.

Verùm è pede revertamur ad caput, ubi luxuriantes nativo veluti in solo capilli, mirum est, quàm varias in formas anteactis temporibus ingeniosè sobolescerent; quàm vanis plicationibus in omnes flecterentur aspectus; ut non tantùm Ægyptus suos jactaret Proteos, sed singulæ mundi partes, prout in varias formas suos voluerunt homines transire; faciémque unà cum capillorum situ variare. Alij siquidem capillos circumduxerunt in galeam, reflexerunt alij in cristas: isti reciprocârunt in annulos; illi obliquarunt in corymbos; alij adstrinxerunt in suggestum; fregerunt alij in undas, vel obduxerunt in cochleas, vel laxârunt in fimbrias. Alij fuerunt, qui crines è fronte rejecerunt, ut æquali fluxu in humeros defluerent; alij discriminali acu æquas dissociârunt in partes, ut in aures, pectúsque molliter defluerent. Sunt etiam nunc, qui cum Turcis, aliisque populis globum capillorum, velut cometem crinitum in occipitium projiciunt; & alij etiam in pectore retorquent; alij per totam cervicem depluentes nutriunt, etiam ad oculos inumbrandos, præsertim jocantibus zephyris, & adulantibus Favonijs. Sunt etiam qui Scytharum ingenio, utrinque enutritam spargunt comam, vel effundunt more Partorum; vel torquent in orbem cum Sicambris, vel perfundunt amomo cum Indis, vel obvolvunt serica, vel linea falcia cum Arimaspis, vel implicant nexibus cum Maurisijs. Imò fuerunt, qui & ipsum à natura capillis colorem inditum fastidientes adscititios accersivêre colores; scimus enim Pyrrum incessisse comâ varijs fucata pigmentis; Sybaritis comam nigricantem fuisse in delicijs; Agathyrsis ceruleam; Meranijs flavam; Atheniensibus aureis interpunctam cicadis; nonnullis ex Romanorum Imperatoribus aureis illuminatam ramentis, ut aureo cinere jam caput inspergerent, non in doloris argumentum, sed luxûs figmentum. 22.

Sed quid nostra hæc ætas dicendum suggerit de vano æquè mulierum, ac hominum capitis ornatu? quid si dicam, fœminas vanitatis ancillas sublatam pavonis caudam fronti suparponere, inanémq; pompam, 23.

quam

quam volucres retrò projiciunt, fœminas aucupari; capitie levitati indicandæ, quàm frontis ornatui aptiorem: hancque mox explicant in orbem, nunc acuminant in cornu, nunc lexant in alas, & quasi capite cœlum tangerent, tot illuminant laxatam capitis pompam stellulis, quot ornant fulgentibus gemmulis, ac si de fabula triumphantes Athlanthis cœlo ipsi essent fulcimento. Quid dicam de adscititio capillamento, seu Caliendro, quo viri muliebri sexu molliores utuntur: quibus enim natura minùs venustum capillitium concessit; hi à fœminis prolixius emendicant, quod in varias texunt formas, reflectentes capillos in cristas, vel reciprocantes in annulos, vel frangentes in undas, vel obducentes in cochleas, vel laxantes in fimbrias, eâ arte ut è summo vertice per aureè molliter defluant in pectus, cujus potiorem partem etiam obtegunt, indicaturi non solùm capitis, sed & pectoris vacuitatem, cùm utrumque adscititio indigeat, exteróque ornatu, proprio destitutum.

24. Sunt etiam viri, qui fœminis vaniores emendicata nigredine à corvis albentes pilos, qui extremitatem ambiunt genarum, seu palpebras pingunt, ne canities senectam prodat, quam adscititium capillitium ad flavam concinnatum venustatem obtegit; adeò ut haud insipidè Philippi Magni major filius Alexander senem quendam irriserit, qui cum albis Cygnus esset capillis, in corvum adscititiâ nigredine cupijt transmigrare: hortatus siquidem fuit, ut abstineret à canis tingendis, cui opus erat genua fulcire præ senio labantia: id sanè vacuitatem prodit capitis à nativa deflectentis conditione. Hæc etiam ratio, cur Antipeter è Judicum fuerit albo abrasus, quòd capilline pariter, & barbam tingeret, ac se fingeret in juventa ætate, qui plenus gravitate debuisset ex officio senio gloriari; ratus propterea Princeps, eum in rebus gerendis fidum non posse Judicem esse, qui infidus erat in crinibus. Lepidè quoque Phæbum Apollinis Antistrophon præstrinxit Martialis: cum probrosam vellet calvitiem contegere, & unguento comam in capite calvo pingeret, ac effingeret, Saleiò respondis sciscitatus, quid de tali coma sentiret; *capiti jam non opus esse tonsore, sed spongiâ*, quâ ementitum capillitium limpha deleatur, non forfice tondeatur.

25. Nemo sanè virilis animi putaverit operæ pretium de capillis singulis ire in consilium, & si alter alterum excedat, plures impendere horas, ut singuli ad æquales deducantur distantias, ac cincinnos: & tamen sunt etiam hac nostra ætate Reipublicæ Moderatores, qui promptiùs irascuntur caliendro si in collum, pectúque æquabili gyro non diffundatur, quàm si cives publicam turbent quietem. Quie optimum Administrum eum putet, qui mavult Rempublicam turbare, quàm adscititium capillamentum devenustare? putátque æquè religiosum esse pilum seccare, quàm Dianæ lucos exscindere? Supra cæteros saltem in hoc sapiebat Commodus, qui cùm nulli se crederet tonsori, nullique sideret barbitonsori candenti carbone piloe, & capillos urebat. Nostris verò temporibus senes perinde, ac juvenes fœminea capti mollitie, genas, mentúmque singulis resitent diebus, non tam cutis asperitatem novaculâ lævigaturi; quàm prodituri, ne pilum quidem boni viri in se detinere, cùm omnes abijciant, ne ullius appareat vestigium, Pulvere etiam cyprio pluribus imbuto odoribus callendrum adspergunt, ut videantur integram exhalare Arabiem. Utinam pulvis hic memoriam refricaret mortis, eóque mortalee agnoscentes, ab hac abstinerent fœminea mollitie, quæ viris est probro; qui quamvis divitijs affluant, auro, gemmísque fulgeant, vestium cultu splendeant, non tamen inde detinentur, quin rapiantur ad sepulchrum, cùm etiam sol suos in singulae mundi partes delegans nitores proprium cognoscat occasum. *Sol cognovit occasum suum.* Psalm. 103.

26. Quòd si sol tot stipatus radijs, tanto ornatus splendore noctis recordatur, séque occasui destinari intelligit; certè homo ærumnis obrutus, corruptionem, & mortem secum in carne advehens sui non debet occasùs oblivisci. Si sol ipse nocturnas timet cymmerias, quis sibi diuturniorem meridiem audeat polliceri? si fons lucie, si Pater luminum, si mundi lampas, si origo diei suum sibi prædicit occasum, suas sibi funeris umbras designat in luce; an non deberent homines sepulchri meminisse, qui in mortis corpore versantur? qui perinde, ac fœnum, quod hodie est, & cras in clibanum mittitur, exarescunt, & deficiunt? Saniùs, & sanctiùs sepulchrali cinere properantis mortis memoriam refricarent, quàm cyprio pulvere caliendrum aspergerent: an cedrorum sibi pollicentur incorruptionem, cùm sint gramina humi repentia, & mox putredini damnate? tunc homo verè fulget, cùm se umbris circumsepit sepulchralibus; tunc vivit, cùm mortem mente enutritit; & tunc moritur, cùm à morte recedit.

27. Nil validiùs sensum excutit vanitatie, quàm seria mortis recordetio; nil fortiùs effrœnem ad voluptates animum coërcet, quàm ineluctabilis fati accessus incertus; in absinthium enim mella vertit, in lachrymas risum, in amarorem omnem dulcedinem, quam potis est mundus exhibere; nil magis revocat à scelerum acervatione, à culpis patrandis, quàm seria mortis meditatio; quis enim in illa mente crimen spectet, quæ præmaturam mortem expectat, & cum morte pœnam nunquam finiendam? Quis ita à mente alienus, qui procellosi freti tumentes flu-

fluctus in tabula Iudat; in assere rideat, & proximus submersioni jocetur? Quis è præaltæ rupis præcipiti fastigio pendulus scelera meditetur? quis irruente ermato hoste in propriam perniciem, ac internecionem ludat, rideat? Stolidioris est in perpetuo mortis metu non expavescere, non coërcere sensum vanitatis, non excutere illicia voluptatis? Ille felix, cujus in menta omnis dies postremus; & ille beatior, cui omnis hora, imò & ille beatissimus, cui omne momentum est mortalis vitæ ultimum: abstinet procul dubio se ab omni scelere, qui momentum omne decisorium potat; qui non caliendrum pulvere odorato comit, sed sepulchrali cinere mentem aspergit: servat hic cinis incolumem sanctiorem ignem, quo sensus quilibet vanitatis cinefit.

28. Sin verò è summo vertice, è compto adscititio capillamento paulò inferiùs descendamus ad genarum, mentique lanuginem, mirum sane dictu, quanta anteacto sæculo barbæ conformandæ varietas emerserit: erant qui mentum tenui pilorum filo delinearent; qui in cunei speciem barbam exacuerent; qui in arcum curvarent: quidam gaudebant per malas illam serpere, ac fruticare per totum, alij paribus angulis dilatabant in quadrum: alij eum Epicrate Atheniensi ad pectus usque eam promittebant; quasi flagellum ad muscas abigendas. Antequam virorum in vestibus luxum claudamus, ne à memoria excidat Artemonis mollitudo; proderit recensere virum hunc uxorium omnium in se elegantias transtulisse, arculásque gratiarum solum exhausisse: hic siquidem, & cùm indumenta suaviores Sabeorum odores inhalantia muliebriter induisset; calamistri vestigio capillos in annulos rotâsset; faciem cerussa, purpurissóque pinxisset, digitos irradiantibus gemmulis, aureo insertis annulo ornâsset, totúmque corpus mascula virtute destitutum in amasij mutâsset illecebras; ne pedes laxa pellis follicaret calceos insigni labore subduxit, & ne plantas humidior tellus spargeret, vix summa impresserat vestigia. Prosilijt per urbis plateas morosa corporis jactatione hac, illácque saltitans, ne quisquillias offenderat, na in ejus vestes quisquam impingeret. Quidni Artemone molliores plerumque nostra hæc ætas exhibet ridendos potiùs, quàm spectandos; plures enim sunt, quorum pedes, na incessu terantur, per urbem essedo vehuntur, mollibus hinc inde pulvinaribus obvallati, & ne quid noxium in caput incidat testudine euro illita, pluribus depictam figuris essedum obtegunt, quo vehuntur, forsan Æschyli vatis lapsam adhuc ex unguibus prætervolantis Aquilæ vereantur testudinem, quæ Poëtæ caput infregit.



## §. VI.

*Muliebris luxus in corporis ornatu, animi est venustati noxius; nisi immodicus in eundem compescatur affectus.*

Quòd si è virorum in vestibus ornatu ad muliebrem luxum calamum flectamus, statim deprehendimus, non plures tantùm Provincias, non singula duntaxat elementa, sed mundum universum uni ornandæ fœminæ ancillari. Quis recenseat commotrias pectendis capillis accersitas, cinisiones calamistro calefaciendo, pelves aureas ad corpus abluendum, gutturnia argentea fundendis odoratis aquis adaptata, specula ad formæ consilium accita; pixidum turbas ad picturæ custodiam, ferramentorum supellectilem ad cirros implicandos; pelliculas Mosci ad suffitus exhalandos: quasi ipsæ non satis olerent vanitatem, adscititios accersunt odores, quibus plerumq; proprium obtegunt fœtorem juxta illud Martialis. *Non bene semper olet, qui benè semper olet.* Uni ornandæ fœminæ singulæ defatigantur mundi Provinciæ: India auro mittendo: Persia, & Arabia odoribus afflandis; Phœnicia coloribus ministrandis; Heritrea Insula unionibus suggerendis; Indorum rupes adamantibus suppeditandis, Sicilia sericis nendis, ac texendis? Quis recenseat vasa singula, pixides, ornamenta, odores, specula, colores, & alia innumera vanitati ancillantia unios fœminæ, quæ ne suam tantùm cœlum Pandoram jactaret, se terræ exhibet uberioribus cumulatam donis. 29.

Quòd si Poëtarum commenta Pandoram finxêre multiplici Deorum beneficio locupletatam: plures veriùs Pandoras habet tellus, in quas omnia sua transfundat ornamenta. Sin verò una ex hisce terræ Pandoris in publicum prodeat translucidâ, subtilique veste vix tegit, quæ non sine rubore casti oculi videre possunt: neque vestis dicenda est, quâ nec corporis membra, nec pudor animi defendi possit: pendent ex auribus uniones, vel adamantes tantæ crassitiei, ut plura patrimonia dicas è tenui filio suspensa pendere ab auribus. Frontem, & caput coronant coruscantes gemmulæ, veluti totidem stellulæ pulchritudinis Soli famulantes: utinam accensæ potiùs non dicerentur faculæ, extincto pudicitiæ splendori parentantes. Pectus st.udiosa quadam negligentia, collúmque, hæ fœminæ aperiunt, blandimento niveum, flammas excitaturæ impudicitiæ; accedunt auro, argentóve contecta sandalia, ne solam quatiant tellurem, verùm etiam oculos fœdent intuentium: corporis totius vestes adeò sunt tenues, ut totum vestium apparatum sericam nebulam dicas cum Petronio; vel textum pellucidum cum Tertulliano; vel syrma nebulosum cum 30.

Ful-

Fulgentio; vel carbaseum ventum cum Tibullo; vel vitream vestem cum Claudiano; siquidem vestes assumptæ ad corporis membra contegenda ea subinde subtilitate ac raritate texuntur, ut partes corporis facilè sub aspectum cadant etiam obtectæ.

31. Varius itidem, & multiplex est mulieбris ornatus, cùm difficulter fœminæ in amictu sibi æquales patiantur: scimus enim priscis temporibus Matronas stolâ, meretrices togâ, virgines cyclade, nuptas rectâ tunica, ancillas mitrâ, & myrrhite usas fuisse: imò capillitio, ut distinguerentur nobiles fœminæ à plebeis, illæ ad nigredinem capillos pinxerunt; hæ ad flavedinem finxerunt. Quòd si vel unicus de toto comarum orbe capillus peccaverit acerbè statim commotria plectitur, pulsatúrque subinde etiam virgis; pluribus itidem vapulat plagis, si alter cincinnus, altero fuerit eminentior; nisi distractæ otrinque comæ ad breve interstitium distinguantur, pluribus statim impetitur diris: quin meretrices oe aspectibus tantùm feriant, verùm & dente mordeant, si eo destituantur, armantur dentibus non suis, ne appareant edentulæ: ut flammas excitent à lacte asinino niveum derivant nitorem; & legimus unam Poppæam Neronis uxorem sexcentas secum duxisse asinas, digna quidem Imperatrix, ut tanto stiparetur agmine, tam nobili fulciretur famulatu, tamque insigni muniretur satellitio. Caveant castitatis cultores, ne aspectus in hunc muliebrem ornatum injiciant, placere hocce volunt viris, quos alliciant, trahántque præcipites in cisternam impudicitiæ: est siquidem mulier cisterna, in quam plerumque viri incautè delabuntur adscititio meretricio ornatu illecti, & decepti; fœmina siquidem, quæ ut cisterna aquas ad extinguendam concupiscentiam exhibere deberet, flammas excitat, quibus miserè hominum pyraustæ pereunt. Cisterna, quæ assolet aquas continere in refrigerium sitientis, occasio est ruinæ minùs cautis, & impuro igne æstuantibus: est mulier cisterna putidas continens aquas, quas tunc bibendas exhibet, quando meretricio cultu exornatur: contra quem ornatum calamum egregiè acuit, ac intorquet S. Ambrosius inquiens: *At in nobis rejecta decoris cura plus placet, & hoc ipsum, quod vos non ornatis, ornatus est. Cerèt lacera vulneribus aures; depresse onera misera servicis non sunt allevamenta pœnarum, sed discrimina metallorum: hinc collum catena constringit, inde compes includit. Nihil refert, auro collum oneretur, an ferro.* Irretiuntur viri superfluis mulierum fucis, adscititiis ornamentis, quia tunc mulier omni ferro virum vulnerat sæviùs; cùm ditior auro splendet elegantior; tunc globulos ejaculatur omni plumbo perniciosiores in hominis interitum, cùm margaritis oivea colla præcingit, tunc fortiùs vinciunt incautos viros, cùm tenuiùs, molliúsque se vestibus ornant, ut rectè dixerit D. Chrysostomus fœmi-

lib. 1. de virginib.

narum delictum esse cultius, studiosiùsque se ornare, & si ab aliis abstineaot hoc uoum sufficit, ut graviter censeantur delinquere, scitè ait ipse, *Nullum verbum obscœnum fœmina citò emiserit, cur tu ergo, dic mihi, turpia, & obscœna loqueris? ne mihi enim dixeris fœminas deploratas, est enim genus mulierum nescio quomodo sui ornandi studiosum, & hoc est ejus delictum.*

Homil. 13. in epist. ad Ephes.

Non solùm fœminæ delinquunt, cùm se ornant, sed etiam viri, hi siquidem poculum veneno illitum obviis fœminis porrigunt ad necem, cùm se cultiùs exornant, quàm puritas exigat; ægrè viri nomen sustinet, qui fœminea levitate se exornat: lachrymas potiùs elicit muliebris levitas in ornatu viri, quàm ullum mereatur plausum, huc pertinet illud, *Filij Israël super Saul flete, qui vestiebat vos coccino in deliciis,* seu ut expendit S. Ambrosius, *Filiæ Syon plorate super Saul, qui vestiebat vos vestimento coccineo cum ornamento vestro, qui imponebat aurum super vestimenta vestra,* etiam Isaias nomine utitur filiarum inter recensenda varia corporis ornamenta inquiens: *Decalvabit Dominus verticem filiarum Syon, & Dominus crinem earum nudabit: in die illa auferet Dominus ornamentum calceamentorum, & lunulas, & torques, & monilia, & armillas, & mitras, & discriminalia, & periscelidas, & murenulas & inaures, & annulos, & gemmas in fronte pendentes.* Videtur Propheta mulieres alloqui oon viros, quia homines tunc non merentur viri vocari, quando corporis ornatu, vestium cultu fœminas potiùs, quàm viros agunt, & revera contra ævi nostri mores exclamare licet; eh quo fato ad id ineptiæ deductus est homo, ut vestis ei data ad tegendam peccati veritatem, jam abjerit in luxûs venitatem! & quod velamentum turpitudinis est, theatrum fiat gloriationis! præbeátque fastûs, ac superbiæ argumentum, quod abjectionis est indicium? Quodque fusius deplorandum, est ipsa in vestium luxu gloriatio! quid insanius, quàm in extima veste gloriari? Quis equum laudaverit à prædivite sella? quis asinum à frenis auro illitis? quis suem à serico discolore, quo tegitur? quis vitem à purpureis vinculis? Hominis laudes non à corporie adscititio ornatu, sed ab animi exculta virtute hauriuntur. 32.

2. Reg. 1.

Lib. 3. offic. cap. 9.

Cap. 3.

## §. V.

### *Extimus corporis ornatus nihil animo addit venustatis; quia nec virtutes fovet, nec earum culturæ favet, sed nocet; non prodest, sed obest.*

COgitandum est in homine non quid corpori, sed quid animo vestes largiantur: commendationem utique mereantur, si corpori vires, decorem, ac va- 33.

 letu-

lætudinem suppeditarent; si in animo ingenium acuerent, judicium maturarent, memoriam firmiorem, ac tenaciorem constituerent, si virtutes insererent, eruditionem suppeditarent, prudentiam subministrarent, vel saltem ad studia virtutum, ad culturam bonarum artium allicerent: sed nilhorum præstant, nilque animo donant, cùm plerumque sub pannosa, paupere, & lacera veste, quàm sub divite multo auro illita sanctitas illucescat: non enim virtus nitidior est in gemma, auro, & purpura, quàm in sago, & tenui lacerna. Quòd si nitor, & cultus vestium nnn dat sapientiam, non constituit mentem castam, nec piam in Deum, Patrem, & parentes, nec moderatam in prosperis, nec infractam in adversis, neque patientem in injuriis, nec remissam in vindicta, non est, cur debeat se homo gloriari in veste, seu extimo, & adscititio ornatu, quo animus non immutatur. Si enim vestes nec corpori, nec animo quidquam elargiuntur, fatuum est in illis gloriari, quibus plures vitiorum fœditate deturpati, ac in scelerum cœno immersi, quàm virtutum cultores, pietate addicti cooperiuntur. Fatuum est, gloriam aucupari ex ijs, quæ nostra non sunt: ornatus vestium sunt extra hominem, cujus mentem nnn tangunt, cujus animum non ornant: & tamen plures sunt, quos si purpura non vestiat, quos si aurum non ornet, arbitrantur inglorios vivere. Quæ fatuitas vestes assumere argumentum gloriæ, quæ sunt corporis operimentum: datur vestibus frigori pellendo, non gloriæ acquirendæ.

34. Protoparentes nostri quamdiu innocentiæ candorem servârunt; nudi, ac investes vixerunt, quos posteà peccatum vestivit; quid ergo gloriamur de pœna peccati? ad quid gloriam aucupamur in nostris opprobriis? ad quid laudem in vituperio, luxum in luctu, & ambitionis tumorem in humiliationis depressione. Viri fortes, & quos virtus exornat, neglectum in veste cultui corporis prætulerunt: ingenia dispária sunt, mollia mollibus delectantur, tenuia tenuibus, magna verò magnis occupantur: nimius vestium cultus fœmineam rednlet mollitudinem; hocce qui luxu delectantur, fœmineum produnt genium, neque dissimile ingenium: virorum enim, ac magnorum hominũ viriles, ac magnæ sunt cogitationes; exiguæ verò parvorum: qui immodico delectantur vestium cultu nil de viro, & mascula virtute possident; plurimum tamen de fœminea levitate, cujus ferè totum ingenium in veste est, ut plateas circumeat, ut incessu, gestu, ac voce incautos illiciat, ac irretiat, & hæ sunt de quibus Isaias ait: *Sume citharam circumi civitatem meretrix oblivioni data, bene cane: frequenta canticum, ut memoria tui sit:* sed cur potiùs mulier nnn domi recluditur? cur circumire jubetur civitatem? an forsan, quia meretrix, quæ publicè peccavit, emendari publicè debet? etiam Magdalena, (Cap. 23.)

quia publicè risit in plateis, publicè etiam flevit in convivio. Sed si rescipitura jubetur circuire civitatem, cur meretricis nomen induit? eur citharam assumit? quia nimirum tunc fœmina incipit lascivire, quando vaga, & libera vult civitatem circumire; tunc enim desinit esse virgo, cùm incipit viros frequentare, & urbis plateas lustrare.

35. Experta id fuit Dina Jacobi filia. Urbs erat in Chananitide, cui nomen Sichen, aut Sichar, vel ut placet aliis postea Salem, aut Salemum, in cujus vicinia agrum emerat Jacobus Dinæ pater, ubi constitutis tabernaculis, & constructâ arâ, cum tota immorabatur familia. Urbi totique Provinciæ præerat imperin Hemor, cujus filius Sichen delicijs diffluens, & in voluptates, quibus vel maximè delectabatur, effusior; laxinrem hanc vivendi licentiam potentia dominandi ei suggerebat. Impulerat fortassis Dinam Jacobi filiam puellam florente ætate nubilem, formæ præstantiâ cæteris venustiorem curiositas, ad Sichimorum urbem lustrandam, morésque urbicos fœminarum observ idos; præsertim cùm virgines plures ei...em coævæ sive profecturæ ad nundinas, sive festum quodpiam solemne celebraturæ illuc se conferrent; quas, ut Dina videret, videri etiam ab aliis cupiit.

36. Sed rarò sine periculo in publicum prodit virginitas cultu vestium, & formæ venustate eam prodentibus: vix Sichemus Dinam inspexit, cum flammam in pectus attraxit, quâ cœpit æstuare, puellam amare, ardere, & efflictim deperire, móxque abreptus virginis potiundæ ardentiori cupiditate, quia lenociniis ac blandimentis ad flagitium eam pertrahere, erat operam, & oleum perdere; vitium tandem intulit reluctanti. Accessit ad nundinas Dina non fructum ullum emptura, sed florem venditura castitatis, accessit virgo, recessit stuprata; virgo perseveratura, si domi mansisset; exiit è domo Penelope, sed rediit Helena, scitè S. Hieronymus *Tenera res est in fœminis fama pudicitiæ, & quasi flos pulcherrimus, citò ad levem marcescit auram, afflatu corrumpitur.* Flos est pudicitia, quæ candore lilium, rubore rosas vincit; florescit, gratúmque exhalat odorem, si sua manserit in areola, si suo floruerit in hortulo concluso: sin verò manus aliqua florem hunc tangat, decerpat, & foras adferat, languescit statim, deflorescit ejus venustas, totámque deperdit elegantiam, hinc scitè S. Hieronymus scribens ad Eustochium ait: *Hortus conclusus soror mea sponsa; hortus conclusus fons signatus. Cave ne domum exeas, velisque filias alienæ regionis videre; quamvis fratres habeas Patriarchas, ex Israële parente Dina egressa corrumpitur.* (Epist. 9. / Epist. 22. ad Eustoch.)

37. Nulli fluctus ocyus in extremum pudicitiæ discrimen ac naufragium puellas pertrahunt, quàm oculi, quàm videre, & videri; sunt siquidem oculi patulæ fenestræ, per quas hostis

hostis ingreditur pudicitiam expugnaturus; Lib. 3. pedag. cap. 11. quia ut apposite nos monet Clemens Alexandrinus; *Cum lasciviunt oculi, calescit concupiscentia*, dicuntur oculi frontis lumina, sed flammis excitandis magis, quàm splendoribus emittendis apta in puellis, cum etiam 3. Georg. Virgilius cecinerit; *uritque videndo fœmina:* niveum candorem exhibet vultu, non tamen pectoribus refrigerandis, sed ferventiùs accendendis; idque monstrosi deerat concupiscentiæ in nive flammas excitare; vires defuissent, nisi fucato nivium candore ignem eccendisset; si mulier menn est viscus, visu Basiliscus; hæcque ejus est ars fellendi, fugere, ut quod velit, assequatur; & in fuga citiùs arripiatur: ita terga mulieres procaces vertunt, ut videantur; & ita pugnant, nt vincantur: sed infelix fuit Sichemus, qui ut vidit, periit in æstuante amoris freto, ubi mens fluctuet, visûs hamo miserè capitur homo; quia libidinis amans compedes gerit in oculis; & puella flammas, quibus adurit, tela quibus confodit, huc accersendus S. Chrysostomus qui aurea sua eloquentia id explicat, ignémque concupiscentiæ igni pariat elementari inquiens: Serm. in Ozia. *Sicut ignis ubi calamum apprehenderit, mox attractam materiam sua flamma accendit: ita ignis concupiscentia ubi primum formositatem, & venustatem visu attigerit animum statim inflammat.*

38. Non oculis tantùm, sed & pedibus vinciuntur quasi compede homines; an non Juditha pedes caput vincire, ac vincere visi sunt Holophernis? Judith. cap. 9. *Sandalia ejus rapuerunt oculos ejus* scilicet Holophernis: ideò fortia sunt pedum involucra in fœminis, ut capita conterant fortissimorum in castris virorum; quia nimirum calcei, quibus fœmina humum terit, sordes calcat, infirmam, ac ignobilissimam corporis partem contegit, oculos rapuerunt Holophernis superbo fastu æquè Numine, ac homines habentes contemptui: qui enim magnis cogitationibus mentem suam impleverat, qui moliebatur Israëlis sanguine campos, agrósque irrigare ad uberiorem palmarum segetem; qui orbem totum cædibus, & cladibus funestare intenderat, is affectus suos mulieris pedibus substravit, & sandaliis subjecit: & plurium populorum dominator ad pedem fœminæ compede vinctus cadit captivus. Sed quâ virtute Juditha caput amputavit Holophernis, quem pede jam sibi devinxerat? non aliter expugnavit Juditha caput Holophernis, Judith. cap. 12. quàm virtute castitatis, *Non vereatur bona puella introire ad Dominum meum, ut honorificetur ante faciem ejus, ut manducet cum eo, & bibat vinum in jucunditate:* verba sunt hæc Vagaonis turpissimi lenonis invitantis Juditham ad flagitium. Quàm callidè turpis leno aggreditur Juditham, pudicitiæ arcem in ea expugnaturus. Vocat Juditham fœminam viduam, ætate provectam, insignitam virtute mascula, puellam, quasi dignam, aptámq; amoribus excitandis ob florentē ætatem, vernantem formam, allicientem venustatem; addit, vocátque puellam bonam: *non vereatur bona puella*, quasi ob inditam à natura bonitatem paratior, proniórque esset ad obsequia, & non difficulter exorabilis: subdit: *non vereatur introire*, nimirum adimit timorem periculi, ac jacturæ pudoris, ut expeditiorem, peratiorémque efficiat ed manducandum, & bibendum cum Holopherne: sed cur ad fercula, calirésque exsiccandos priùs Juditham allicit? quia distentus epulis venter promptiùs despumat in libidinum fœditates, hinc notat S. Hieronymus plurimum hebere affinitatis vinum, & Venus; imò ea necessitudine vincitur, illigatúrque venus vino; ut illa sine Cerere, & Baccho frigere dicatur. Addit turpissimus leno: *ut manducet cum eo, & bibat vinum in jucunditate;* insidiosa est ea jucunditas, quæ ex calicibus oritur exsiccatis; fluxa, sed lethalis est hilaritas, quæ cum vino funditur; tristis illa lætitia, quæ non è corde jejuno, sed ex stomacho, multo madente vino emergit; ejus initium risum exhibet, & blandimentum; sed desinit statim in flagitium, & luctum voluptas, quæ vinum propinat, sed ut venenum deglutiatur.

Caveant puellæ, caveant juvenes ab hisce lenonibus, qui per calices vino natantes ad naufragium pertrahunt innocentiam: 39. fluctuat prius mens in vino, incalescit postea in libidine, & cinerescit in flagitio; fuge si sapis; cave, si times; fuge non tantùm in sympotiis, & gynæceis, sed vel in publicis plateis, vel in foro hos turpissimos lenones. Hæreant domi puellæ, virorum declinent frequentias; quia tunc mulier meretricis nomen induit, cum citharam assumit, cum urbis plateas pervagatur, cum canit, & lascivit in sono: tunc planè desinit esse virgo, cùm domo excedit, urbis plateas lustratura, hominúmque frequentiis obviatura. Non sibi puella quamvis casta, & verecunda de virginitate blandiatur, non de propria glorietur virtute, si in publicum prodeat, viros adeat, venustatem, & ornatum non affectet; est enim muliebris ornatus, qui alios devenustat, incitátque ad turpia; cùm enim in vultu, & pectore niveum exhibet candorem, cor accendit intuentium; dum sui refricat memoriam, ut sui meminerint alii, vulnera infligit, quibus & ipsa ruit in impuritatis cœnum.

40. Quòd si ornatui vestium addat sonum cantûs, quô delectetur, & alios alliciet; vel in ipso cantu ex virgine fit meretrix, quia tametsi nondum in suum corpus peccet, incipit tamen in corde mœchari; *Sume citharam, circumi civitatem meretrix oblivioni data, bene cane.* Isaiæ cap. 23. Et meritò ex virgine fit meretrix, quæ tot virorum enititur ruines.

Neque audieris, si asseras, laxandi animi causâ licitum quandóque puellis esse, indulgere cantui, & musices pulsare instrumenta ad suavem, & canoram vocem, cùm constet,

stet, Davidem consuevisse citharam pulsare ad spiritum mœroris abigendum; quia non datur solatio, quod in ruinam cedit plurium; non datur laxationi animi, quod compedes injicit, & vincula ministrat, quibus libertas trahitur in servitutem; nullus enim gravior luctus, quàm ipsa captivitas, tunc fit puella impuritatis captiva, cum Lyræ sono, vocisque blandimento lenire studet. Pulsatur cithara in uno duntaxat loco, & ejus sonus ubique propagatur, vóxque puellæ cantantis resonat ubique, imò lues ista laxior diffunditur, quàm per urbem, licèt in sola urbe effundatur hoc dulce venenum, hoc melleum fel. Quid ni, quæ habebatur puella, virgo, pudore verecunda, virtute insignis, mox incipit publicè peccare, quia publicè lascivos cantus non reformidat; nec verecundiam ampliùs servat in scelere, quæ impudenter à sui publicatione, & prostitutione haud abstinuit. Quàm feliciùs manerent puellæ domi! quàm sanctiùs domesticos laterent inter lares! si invisæ essent hominibus, non paterentur ipsæ vel in ipsa amoris malacia, ac tranquillitate naufragium: revehunt quidem merces domum, sed pudorem naufragum relinquunt in foro; aurum acquirunt, sed honorem perdunt; munera, fructúsque divitiarum accipiunt, sed florem corrumpunt honestatis: etiam Danaë in fabulis auro defloratur: oculos metallum hocce præstringit suo splendore, ut puellæ, quod iisdem periculum imminet pudoris mox naufragaturi, non videant.

## §. VI.

### *Adeo corruptus est humanus affectus in luxum vestium, ut gloriæ fovendæ brutorum adaptet spolia, & excrementa.*

41. INhonorus est honor, qui è luxu vestium captatur; ingloria est illa gloria, quam non boni mores, sed adscititia indumenta invehunt, acuto calamo eos S. Bernardus pungit, qui in sola vestium pretiositate, ornatúque indumentorum gloriantur, inquiens *Serm. 2. de verb. Isaiæ: Quid eis invidet, qui de operibus vermium, & murium pellibus ingloriam planè gloriam mendicare non erubescunt, vultu indigno viru, interdicto, & mulieribus; semetipsos de honestantes potiùs, quàm ornantes.* Nil vestes addunt animo, quin potiùs detrahunt, nudántque virtute, dum corpus ad lasciviæ vestiunt illicia: non valent vestes hujusmodi virtute ullâ, nec honore vestire, quos ipsæ vestiunt, quia nullam secum adferunt virtutem, nullam largiuntur fortitudinem; & nihilominus eò in vestibus plerumque insanimus, ut vestem, quam vermis evomuit, vel mus exuit, vel pecus deposuit jactemus ad gloriam; gloriemúrque excrementis vermium obvoluti, múrium spoliis contecti, & mendicemus à fœdiorum animalculorum ejectamentis, unde possimus gloriari in mure, in verme; vestes, quas alius homo semel induit non facilè admittimus, ut ipsæ nos vestiant; & tamen spolia, quæ mures deposuerunt solicitè quærimus, enixim petimus, ut in iisdem gloriemur: inglorium censemus, ac indecorum habitum circumferre ab alio homine positum; & honori damus, ac gloriæ indumenta gestare, quæ mures deposuêre.

Certè rationem videtur deposuisse, qui à carentibus ratione deposita quærit indumenta gloriæ fovendæ, cum ignominiæ promovendæ sint magis idonea. Fatui sanè, qui inter vestium splendidos ornatus gloriam quærunt, cùm sint insaniæ notâ digni. Justè in eos irascitur Seneca, qui homines non ex illo, quod sunt; sed ex illo, quod habent, si tamen habent, cùm extimè tantùm ea tangant, existimant, ait ipse: *Quemadmodum stultus est qui equum empturus eum non inspicit, sed stratum ejus, ac frænos: sic stultissimus est, qui hominem ex veste æstimat*; scitè stulto pariantur, qui ex veste hominem æstimant, quia alieni fiunt à mente, cùm homines intus nequeant introspicere in mente, sed tantùm in extima cute; non est is æstimandus, qui ex sola veste hominem æstimat. 41. Epist. 47.

Nullam potis est vestis gloriam dare, quæ animum afficiat, quia nequit gloria, quæ ex vestium oritur ornatu, arctiùs quempiam afficere, quàm vestis ipsa afficiat, quæ cum extima sit, & fictitia, ad cutis tactum, non ad animi ornatum assumitur; proinde gloria, quæ hauritur ex vestibus adscititia est, prorsúsque fictitia, extima tantùm, quæ tam facilè potest deponi, quàm vestis poni: neque vera esse potest gloria illa, nec vera lætitia, quæ ex vestium ornatu elicitur: rectè S. Chrysostomus, *Animi tranquillitatem, & lætitiam, non potentia tumor, non vestium ornatus adferre consuevit*: si vestes veram gloriam afferrent, utique semper adferrent, & quidem omnibus afferrent, qui vestes ferrent pretiosiores: non semper tamen afferunt gloriam, nec qui elegantiores induunt vestes pleniùs gaudent: argumento sanè non posse verum gaudium à luxu elici vestium: imò si aliquid inde hauriretur gaudii, verum non esset gaudium, sed adscititium, quod unà cum vestibus induerent, & exuerent homines. A vera igitur gloria alienam esse vestium pompam, à vero gaudio toto cœlo aberrare indumentorum luxum ex eo nervosius evincitur, quia Deus infinitâ vestitur lætitiâ, cùm sit in se summum gaudium, summa gloria, & tamen à quavis corporea concretione discretus, nullis otitur vestibus; nullus in ipso indumentorum luxus; sunt vestes non lætitiæ fomenta, sed indigentiæ argumenta, ad calorem fovendum, ad frigus arcendum, & Deus cùm sibi plenè sufficiat, nullius rei est indigus. 43. Homil. 3. epist. ad Rom.

gus. Angeli quoque in cœlo degentes supero jugiter beantur gaudio, fruuntur lætitiâ, æternâ etiam donati gloriâ; quamvis omni destituti extima veste, utpote puri spiritus: nulla igitur ex vestium luxu, ex indumentorum pompa, vera potest lætitia oriri, nulla vera gloria. Imò non Angeli tantùm, sed & homines in cœlo plena erunt lætitia perfusi, plena gloria, tametsi omnem vestium luxum, omnem indumentorum pompam rejiciant, excludántque: idque argumento, minimè à vestium luxu veram gloriam pendere; cùm sine veste stet vera lætitia, sine indumentis floreat vera gloria: vestire hominem vera gloria potest, etiam sine superfluo vestium cultu, absque emendicatâ indumentorum pompâ.

44. Eidem rei firmandæ aliud mihi suggeritur argumentum; quia veræ gloriæ verus fons Christus est, cùm eò suo ferretur amore, ut se amantibus communicaret, quò eorum mentibus lætitiam adferret: & nihilominus scimus, Christum usum vestibus fuisse ab omni luxu, & pompa prorsus alienis; è quibus vix ullæ aliæ fuêre pauperiores; & tamen vera in ipso fuit gloria, verum gaudium, cùm ejus anima beneficio hypostasis fuerit ab initio suæ creationis beatitate donata; plena lætitiâ, & gloria, gaudióque perfusa: quin post suum ad cœlos ascensum, si ex amore vult se hominibus exhibere, ac communicare, eas induit vestes, quibus nullæ aliæ sint pauperiores, cum nudo accidentium velamine contegatur in Augustissimæ Eucharistiæ Sacramento: vestes cæteræ tametsi pleno usu detritæ, frequenti scissurâ laceræ, vilique lanugine pannosæ; adhuc tamen aliquid continent substantiæ: Christi verò indumenta, nuda sunt accidentia: ne crederemus, veram gloriam posse nos à vestium pretiositate, luxu, & pompa haurire; cum ipse fons veræ gloriæ in throno sedens Eucharistiæ, adeo pauperes sibi vestes texuerit, quibus indueretur, ut nullæ sint, nec esse possint pauperiores, nisi solius DEi Omnipotenti manu fierent.

Sin verò à DEO, Angelis, & Christo ad puros descendimus homines; id certum, gloriosiores fuisse primos homines omni adscititia destitutos veste, quàm cùm cœperint vestibus uti, & ejus posteri gloriari, ac superbire in luxu vestium: nudus Adam omnibus fuerat virtutibus ornatus, innocentiæ nitore circumfusus, verâ lætitiâ affectus, & plena gloria repletus; sed cum vestibus cæpit indigere, veram exuit lætitiam; verâ nudatus gloriâ.

45. Sicut Deus in cœlo empyreo Angelos collocaverat, ita & primos homines statuerat in horto, seu compendio omnium gratiarum, ac deliciarum, seu in paradiso recèns condito, cui in alimenta mensam proposuit, terrarum omnium latum, & frugiferum orbem; gloriam itidem, & felicitatem contulit nullo exprimendam calamo, cùm eos condiderit ad suam imaginem, impertierit animum immortalem, eúmque instruxerit non rerum tantùm naturalium, sed earum itidem, quæ vires totius excedunt naturæ, scientiâ, & cognitione, addiditque gratiam, quâ ab ipso ortu DEO grati, familiares, imò filii, justi, sancti constituerentur: concessitque corpus vividum, viribus robustum, temperamento sanum, vitali succo vegetum, membrorum compage ad elegantiam compactum, sensuum perfectione absolutum, singulari venustate præditum; nulli dolori; nulli ægritudini, nullique interitui obnoxium: cui etiam addidit beneficium primigeniæ innocentiæ, spiritum liberum, suique juris, ac arbitrii; imperium rationis, cui appetitiones omnes tum concupiscentis, tum irascentis animi obtemperarent: sed hisce omnibus tamdiu beati fuêre, quamdiu ab usu vestium abstinuêre, nudíque extiterunt; & tunc quamvis nudi; ita felices, ut non æstuarent, non algerent, non sudarent, non defatigarentur. Quàm gloriosiores fuissent si in propria perstitissent nuditate? quàm feliciores si nunquam vestes quæsiissent, quibus nuditatem contegerent? tunc enim ob malè carptum malum malorum omnium ilias in primos homines, eorúmque posteros dimanavit: gustârunt quidem Protoparentes interdictum sibi pomum, sed cum ipso miserias omnes, & mortem ipsam deglutierunt; fuit pomum illa Pandoræ pyxis, à qua proruperunt omnium scelerum portenta, omnium miseriarum colluvies, omnium suppliciorum tormenta, omnium calamitatum, ærumnarum, cædium, ac morborum agmina. Morsus siquidem pomi mortem accivit, & Protoparentes unà cum tota posteritate dejecit è fastigio felicitatum, & detrusit in vallem lachrymarum, in exilium, in mare procellosum, ubi venti utriusque appetitus irascentis, & concupiscentis perversè efflant, fluctus excitant decumanis tumidiores, & ad quotidiana impellunt naufragia: ex hac vomica demorsi pomi pravarum omnium cupiditatum purulentia illicò ebulliit, & tunc cæperunt Protoplasti esse inglorii, miseriis obnoxii, ægritudinibus subjecti, cum primùm vestes quærerent, quibus propriam contegerent nuditatem: nulla igitur gloria quærenda in vestibus, cùm tunc homo omnem exuerit gloriam, omnem perdiderit felicitatem, amiserit gaudium, cùm primùm cœpit vestibus uti; quas si nunquam adhibuisset, gloriosior, & felicior in propria extitisset nuditate.

Exuti igitur vera gloria cum fuerint primi parentes, eos peccatum vestivit; adeò, ut data fuerit hominibus vestis ad tegendam peccati fœditatem. Pudor tamen est hodie, ab hominibus hoc turpitudinis velamentum assumi, ut theatrum gloriationis; ut quod indicium est abjectionis, fiat super- 46.

biæ argumentum; fastûs, & arrogantiæ incitamentum? Nulla igitur ex vestium pompa, indumenti luxu potest vera elici gloria; id enim perinde foret, ac in sterquilinio suavolentiam quærere, lucem in umbris, splendorem in tenebris: nexum habent vestes cum peccati fœditate, non possunt ergo veram gloriam efficere, nec verâ nos afficere lætitiâ, cum nos inficiant ob connexionem, quàm cum peccato contraxêre: hinc scitè succinit S. Chrysostomus, qui vestium luxum redarguit & in earum immodicum cultum aureâ æquè, ac adamantina invehic eloquentia inquiens: *quare, dic obsecro, corpus ita ornas, & gaudes ejuscemodi amictu? non cogitas, quod pro magno supplicio, propter transgressionem signum hoc fuit excogitatum?* in lapsu videntur elevari, ac intumescere, qui in vano vestium cultu gloriantur; cum vestes peccato nectantur: gloriantur procul dubio de culpa, qui in luxu vestium superbiunt: à mentis sanitate videtur excidisse, qui lapsum erectionem putat, & ex turpitudine gloriam nititur enancisci: vestibus, qui inflatur, insaniam suam prodit, fatuum tumorem, mentisque vacuitatem; facit enim materiam gaudij, quæ doloris, & fletus est argumentum: quoties vestes induimus memoriam lapsûs Protoplastorum refricamus, & inde occasio lugendi, non gloriandi nobis suggetitur.

Homil. 1. in epist. ad Roman.

47. Quid gloriamur in vestium cultu, cùm plerumque qui vestibus sunt nitidiores, sint corde, & mente cæteris fœtidiores? qui vestium jactant integritatem, mentem integram non circumferant, imò & multiplici scissu fractam? è converso, qui veste sordescunt, animo ornatu virtutum splendeant, nitescant candore pudicitiæ: perinde ac vestes nitidæ nullum tribuunt menti nitorem, nec vestes integræ integritati suffragantur animi; ita neque fractæ integritati officiunt animi; cùm plerumque sub vestibus fractis diuturno usu detritis, frequenti scissu laceris, integritas triumphet animi; & sub nitidis, integris, frequentique ornatu auri, & argenti splendentibus fracta mens lateat, sub vestium nitore sordescens, sub auri ornatu vitiis denigrata. Dracones, serpentes, aliaque id genus animalia, quæ nobis sunt horrori, moris olim fuisse, ut in vestibus acu pingerentur, ex eo liquet, quòd Sinarum nobiles, ac illustres Draconibus auro, & serico intextis in veste, seu chlamyde, vel maximè delectarentur; Abissini Leones, Æthyopes ursos, aliásque feras pictas, vel intextas deferrent in indumentis. Verùm quod in vestibus extimis pictum videbatur, fictum non erat in intimis pectoribus: quippe & ipsi has feras deferentes, animi indicârunt feritatem, quâ terrori essent populo. Sed ferarum morsibus miserè discerptos eos novimus, quia iidem superbiæ, fastûs, invidentiæ, ac luxuriæ feris intùs mordentur in corde: etiamnum quos nimia vestium cura solicitat, eosdem hæ feræ discerpunt: idque causæ fuit, cur Petrarcha de remediis utriusque fortunæ vocaverit vestium ornatum, *superbiæ vexillum, nidúmque luxuriæ:* siquidem superbiæ morsibus, ac luxuriæ insultibus fit obnoxius, qui nimio superfluarum vestium studio tangitur, fastu intumescit, pompâ superbit.

Lib. 1. Dia 20.

48. Quid sunt vestes pretiosiores, quæ plurisà nobis fiunt, quàm cibus tinearum? quàm pastus vermium? Quid ergo gloriatur homo in verme? quid superbit homo in putredine? *tu circumfers* ait Chrysostomus, *pastum vermium, & cibum tinearum:* malum id omen homini, qui vestibus tineas pascit, & pascitur ipse, ut tinea; dum curas eas nutrit, quibus laceratur, torquetúrque intimiùs. Sordescit animus nimio vestium nitore, sylvescit incultus ex nimio cultu indumentorum, quia plerumque vestium elegantia animum devenustat, & ornatûs pretiositas mentis arguit deformitatem; quia ut scitè D. Bernardus, *Forma hæc vestium, deformitatis mentium, ac turpitudinis morum est indicium*, deformis est enim affectus, qui totus in forma vestium occupatur, in cultu laborat indumentorum; corpus vestit, & animam exuit, caput ornat, & mentem devenustat; pectus adscitio ornatu pingit, & intus cor tingit vitiorum fœditate; non animum, non mentem, non cor ornatus vestium exornat, non indumentorum cultus perpollit, sed virtutum cultura. Certè non peristromata belluata, non Babylonica, non auro, aut opere phrygio intertexta quidquam adjiciunt animo ornamenti, sed hoc à solo mutuatur virtutis studio: abstineant à nimio vestium luxu fœminæ, ne luxuriæ sint incitamento, cervices non auro, non gemmis inclinentur, sed Christo, ut pulchrè monet S. Ambrosius inquiens: *vidimus fœminas margaritis onerare aures, curvare cervices, quas bene Christo, non auro inclinarent: quæ se ipsas flere debebant, quòd margaritam, quæ de cœlo est, perdiderunt.* Verum ornatum non à gemmis mutuent, sed à virtutibus hauriant, quia ut loquitur Isidorus, *Neque purpura, neque splendentes gemmæ auro admixtæ verè efficiunt mundum muliebrem. Multa enim inepta Matrona hunc investigantes ornatum invisa, atque odiosa conjugibus reddita fuerunt. At animi ornatus is est, qui è virtute nascitur, convictus desiderium excitat, & mentis est philtrum.*

Homil. 4. in Matth.

Lib. 3. de consideratione.

Lib. 1. de virginitate.

Lib. 5. epist. 25.

49. Non cultus vestium, sed nitor conscientiæ mulieres ornat, non superfluus corporis ornatus, sed virtutum cultura est mulieribus ornamento; quamvis cervix niteat gemmarum fulgore, caput irradiet multiplici illuminatum adamante, colla coronentur crassioribus æquè, & candidioribus margaritis, aures onerentur pendulis gemmarum nitoribus, corporis membra obtegantur translucidis sericis; non tamen quidquam inde accedit animo splendoris

doris, nec ornamenti, quin plerumque eò turpiùs devenostatur, quò elegantius corpus exornatur: student venustati mulieres addictæ vanitati; sensui in vitium procliviori vestium luxu lenocinantur; concupiscentiam provocant in præceps ruentem; si molliter incessum componunt, viam ad vitium emolliunt; caput si vertunt ad incutiendum desiderium nutus fingunt, vultúmque defingunt ad voluptates; & ex cultu, ornatúque corporis nonnisi fœditates lascivientis animi spargunt, & contrahunt; quibus & ipsæ, & amasii devenustentur. Quid ipsis prodest calamistrate comam, discriminare ornatu vestes, corpúsque molli severitudine enervatum laciniatis, peregrinóque opere pallis quasi phaleris insternere, genas succo oblitas pingere, & exterminare? Quid prodest nitere facie, splendescere oculis, irradiare capite, elegantias sericas, & aureas toto corpore prodere, si inde nil animo accedit ornatûs? sed plerumque devenustatur turpiùs? Desinant hac in gymnade desudare mulieres, meliorem induant mentem, pulchriores quærant vestes, virtutes induant, vitia, & vanitatem exuant, studeant non cultui corporis, sed culturæ animæ; non à gemmis nitores mutuent, sed à virtutibus splendores hauriant; non margaritarum candore delectentur, sed lilio castitatis oblectentur. Virtutum culturæ qui non studet, animum non excolit, sed sinit sylvescere sterilescentia in arbusta, vepretis, ac dumetis rigere, in quibus feræ deguot vitiorum.

50. Tunc animus ornatur, cùm virtutes excoluntur, sunt enim hæ, flores, qui aliâ non delectantur, nec adolescunt culturâ, quàm charitatis, & castitatis. Nihil prodest, si purpura corporis membra contegat, & rosâ charitatis sit mens destituta; nil prodest, si auri, gemmarúmque acervata congeries niteat in veste, quando nullus virtutum splendor intus illucet in mente. Imò non me latet, purpuræ, quandam cum flamma cognationem inesse, ut facilè ad flammas feratur, qui iodutus purpurâ iotumescit: argumentum in Epulone evangelium nobis suppeditat: is quia divitiis affluens, ita de præsentibus cogitavit, ut meotem ad futura non flecteret; supprimi non debent verba, quibus Epulonem premit D. Ambrosius inquiens: *Cogita divitis illius opiparas cœnas, copiosarum dapum uberem affluentiam, purpurâ, murici pinguioris, & textilibus inclusi, serico nitore splendentis, totum de spe præsentis temporis, nihil tamen de futuro tractantis. Quid illi post ista omnia reponatur, ausculta: post purpuram flamma, post epulas egestas.*

Lib. de Pœnit. cap. 4.

51. A cultu corporis, à pompa vestium, à luxu in epolis abstineat, qui æternis non vult flammis addici, & igne torqueri, verum ornatum in studiis virtutum quærat, non in auri pallore, gemmarum nitore; auro qui se ornat, non se exornat, sed onerat, & devenustat, auróque se deteriorem facit, quia auro miserè famulatur, virtus ornamento est auro, non aurum virtuti; splendore anima potiùs, quàm corpus, polienda est; corpus, qui exornare studet, excolere quidem potest, sed meliorare non potest; fit enim caro nostra, si cultura accesserit, deterior; insurgitque petulantior contra spiritum, contra quem eò sæviùs pugnat, quò ipsa ornatur molliùs; sitque propterea plerumque carnis cultura, corporis ornatus, animæ interitus; nec caro à sua assurgit conditione, quia ut rectè Hugo Victorinus: *Quantùmque corpus excolatur, & ornetur quid est aliud caro, quàm caro?* nimirum spuma fragili decore vestita, vermium esca, lutea sarcina, sepulchrum dealbatum, venustum sterquilinium, & omnium fœditatum cloaca? nil enim fœdius, si velis singulas ejus miserias enumerare, quot vitiosis scateat humoribus, quot ægritudinibus torqueatur, quot molestiis angatur, quot corruptionibus sit obnoxia; quòd si hominem in carne pensemus, is ab initio de hac vili materia conditus fuit, inque panno vilissimo involutus, menstruali sanguine materno in utero nutritus, cujus tunica fuit pellis secundina; & sic indutus, & ornatus prodiit in hanc lucis usuram, ut recordetur qualis sit, nimirum sperma fœtidum, saccus stercorum, cibus vermium; quia post hominem vermis, post vermem fœtor, post fœtorem horror, & ut tandem in non hominem vertatur omnis homo, fiatque iterum humus ex humo conditus homo: & quamdiu hac tunica vestitur carnea, pluribus oneratur peccatis; irretitur vitiis, pulsatur concupiscentiis, occupatur passionibus, polluitur illusionibus, proclivior semper ad vitium.

Instit. novit. cap. 11.

Quamdiu enim adhæresit spiritus carni, nunquam cessat lucta, nec in homine luctus: ex omni siquidem parte excitatur conflictus; in animi appetitu spes metum, metus spem occupat, & fluctus fluctum impellit; revocátque stabilita nunc homo coosilio nutans, aversatur præterita, futura reformidat, præsentia non sustinet. Nullum potest bellum excogitari atrocius, quàm quod in se experitur homo duplicem sustiens hostem, & quidem fortissimum. Nisi priscorum more luctatorum in hac lucta pugnemus, cadimus, & prostramur; abjiciendæ igitur sunt vestes; earúmque ornatum, luxum, & pompam necessè est exuamus, qui luctatorum more nudi pugnare volumus; imò & oleo ungi, ne capiamur ab adversariis, ut appositè nos monet S. Nilus in Asceticis inquiens: *Nudum imò verò, & unctum oportet certare; nuditas enim facit, ut ab adversario luctator apprehendi non possit; unctio autem, ut si quando fuerit apprehensus, elabatur. Pro-* 52.

S. Nilus in Ascet.

*pterea luctatores pulveres adversarijs conantur aspergere, ut olei levitatem injectu pulveris exasperent: atque ita faciliùs eos apprehendere valeant: jam quod illic est pulvis, id in nostro certamine est in rebus terrenis occupatio: & quod illic est oleum, hic est quietis studium ob omni solicitudine vacuum.*



# DISSERTATIO VIII.

## Ædificia casura gloriæ inædificandæ inepta ostenduntur: ut ab eorundem immodico affectu animus clari, ac superstitis nominis appetens avertatur.

### §. I.

*Non stat ea hominis, & nominis gloria, quæ ædificiorum innititur molitionibus; fluxa sunt, quæ in mundo stare videntur; ne in iisdem noster stet affectus.*

1. Unt, qui labili innitentes opinione, putant stabile sibi nomen posse comparare si ædificiorum molitiones erigant, exstruántque eâ munitas cæsi marmoris firmitate, ut rodentes Saturni dentes rideant potiùs, quàm timeant: hinc toti sunt in erigendis domibus, construendis palatiis, ornandis parietibus; ut quibus virtus non conciliat ornamentum; lapides, & metalla suppeditent splendorem: quorum propterea palatia insanæ molis fuut substructiones, in quibus atria polito marmore nitent, laxæ porticus innumeris suffulciuntur columnis; thalami fornicati multo auro splendent; parietes, vel aulæis aeu pictis vestiuntur, vel majorum imagines ad nobilitatis ostentationem posteris exhibent inspiciendas; turres in iisdem eriguntur, quæ elata fronte videantur lunam ferire, & in iisdem rediuivam superbientium gigantum progeniem accersiri, non tam ædificiorum laxitate, quàm linguarum varietate. Quinimò pauper, & inglorius sibi videtur vir nobilis, imò & sordescere in pulvere, pallescere in umbra, omni destitui splendore, nisi parietes tenui, ac discolore marmore vestiantur, vel pretioso etiam peristromate fulserint; nisi Ægyptio saxo in varia picturæ genera diminuto pavimentum texuerint, nisi tecta defœcatissimo auro illita fulserint, nisi laxi scalarum gradus, ac parietes Numidicis crustis nituerint. Saxa uni domui construendæ ex omnibus propemodum mundi partibus advehuntur; evisceratur terra, flagellatur mare, complanantur montes, exscinduntur sylvæ, accersuntur exercitus operariorum, fabrorum, Architectorum, uni construendæ domui inservientium, ut ad cœlum assurgat, & in immensum propagetur; quasi homo non sibi victuro palatium erigeret, vel morituro mausoleum; sed sibi nunquam morituro, suisque posteris semper victuris amplam construeret urbem: sed corruptam produnt mentem, quotquot corruptæ huic adhærent opinioni; innixi enim caducis, & labentibus putant, firmiùs posse, ac jugiter stare: ædificia erigentes syderibus proximiora censent altiùs erectam sibi gloriam collocare; quid id aliud, quàm velle innixos aëri, inconcussa stare firmitate? certè hujus mentis homines non videntur mentis suæ domum inhabitare, dum arbitrantur hisce domorum substructionibus posse sibi perennem gloriam ædificare. Vera gloria non casuro nititur fundamento, quia nulli est ruinæ obnoxia; si vera est, perennitate gaudet, proinde terrarum ima fugit, lapidum nitores, auri splendorem respuit, quia hæc omnia deficiunt, ac labuntur.

2. Non posse veram gloriam inniti ædificiorum laxis, præcelsisque molitionibus, tametsi integris fulciantur columnarum sylvis; ex eo facilè conjiei potest, quia ingloriùs ipse ædificiorum author vixerit, objecítque, qui primus in terris domos fertur ædificâsse, urbes construxisse; is Cain fuit, qui à vera gloria penitus exulavit; quin ignominiâ notatus omnibus erat, & contemptui post Numinis sententiam, quâ ob fratris cædem punitus fuerat; neque à sua potuit depressione surgere; neque à proprio liberari opprobrio, neque à sua se subducere dejectione; quamvis ædificia erigeret, parietes, & saxa sursum elevaret, domósque in altum attolleret; quia si erexit ædificia, non erexit mentem; si in sublime evexit lapides, & parie-

tes

tes non furrexit ipse ab ignominia;fi cæmento dispositos ad regulam ædificatoriæ artis lapides illinivit, non propriam delevit ignobilitatem; si calce parietes dealbavit, non tamen clarior ipse evasit; pavidus enim semper excurrebat, ut vel foliorum strepitus timens carnificem conscientiam circumferret; & licèt tacitè, altè tamen inclamaret, domorum structutam timoris murum non evertere, nec gloriæ molem posse erigere. Quàm labili, ac ruinoso innititur fundamento, qui gloriam in ædificijs aucupatur? cùm vel ipse author ædificiorum, ac primus, qui in terris cœlum versus ædificia erexit, inglorius fuerit: quia nimirum nullam domorum constructione potuit sibi gloriam ædificare.

3. Quin in hoc ædium erigendarum authore illud notatu dignum, quòd cùm Cain primus cœperit domus ædificare malum inde omen ædificia sumpsêre, cùm eum habuerint primum authorem, qui primæ cædis Author fuit; qui priùs humanum sanguinem fudit in fratris internecione, quàm aquam in calcem, gypsúmque injiceret ad parietes erigendos; priùs fraterna nece manus fœdaverit, quam viva calce parietes dealbaverit;priùs ex saucio fratris corpore didicerit cruorem spargere, quàm gypsum ex albicante lapide mediocriter usto paratum, ac pulveratum per cribum effundere: caveant, qui ædificiorum amore corripiuntur, qui ædibus erigendis operam dare moliuntur, caveant inquam, ne alienum sanguinem calci immisceant, & sumptus ædificijs erigendis necessarios, non tam à suis ærarijs, quàm ab operariorum visceribus extorqueant: plerumque siquidem pauperum sanguis magnatum ædificijs immiscetur, quod detestatur Deus, dum ait: *Væ qui ædificat civitatem in sanguinibus*; væ pauperum oppressionibus, Mercenariorum sudoribus, quique sanguinem suum exhauriunt divitum palatijs erigendis: væ qui proprijs parcentes facultatibus aliorum sanguine domos construunt, seu alienis utuntur pecunijs, ut ædificia erigant, quæ plerumque, nonnisi plurimorum ruinis videntur stare: væ qui alios destruunt, ut sibi ædificent; alios opprimunt, ut proprias domos erigant: væ qui aliorum ruinis, veluti ruderibus proprias domus construunt; tantùm sunt hi alieni à vero, si gloriam putent ædificiorum fundamentis stabilire, ut potiùs eam destruant. Hi calculum in ipsum veritatis sinum adijciunt, qui seriùs asserunt, gloriam ædificiorum erectione non surgere, sed minui, & sepeliri.

4. Cavendum itidem ne in nobilium ædificijs lateat pauperum sanguis, ut loquitur S. Bernardinus Senensis, inquiens: *Ingredere Magnatum aulas triumphales, & utinam non de pauperum cruore constructas*, ab omni procul dubio pietatis, & charitatis domo se excludunt, qui suas ita ædes erigunt, domos construunt, ut muri, ac parietes, quodammodo indigentium, seu pauperum sanguine madeant. Domus, si exstruantur, ita erigendæ sunt, ut non destruant alienas opes, non exsugent alienum sanguinem, non extorqueant miserorum sudores, non frustrent pauperum labores. Suos etiam sibi nidos construunt aves, sed citra damna aliorum: etenim volucres omnes opportunissimis sedibus nidulorum sibi mansiones construunt, eò prospectu, situque accommodato, ut ventorum impetus, delapsi grandines, diffusæ pluviæ, nequeant enixis pullis perniciem adferre: hinc videmus ex avibus, alias saxis, & rupibus nidos suos obtegere, & communire suspensis; alias in perforatis montium cautibus patentibus orienti Soli, vel meridiano inædificare; alias telluris excavare sinum, ac in foveis tutamina sibimet quærere, ac cubilia edendæ proli præparare; alias arborum comas quærere, & sub foliotum involucris, tutam construere stationem; alias inter vepreta obarmatam petere custodiam, ad rapacem manum spinis arcendam. Quòd si natura parens ministras manus illis dedisset, haud dubium, quin & ipsæ construerent mœnium alta fastigia, & periculum quodlibet artificiosa excuterent firmitate; cùm in ijs, quæ rostris, & ungue valent plurimùm conspiciamus inesse vigoris, ac industriæ, imò, & artis sibi à natura inditæ, quam homines imitantur. Nidificant Aquilæ excelsis plerumque in rupium cautibus, petrísque montium, pariúntque ova terna, pullósque excludunt binos, licèt interdum ternos, alterum tædio nutriendi expellentes, quia eo tempore cibum ipsis natura deneget, adeò ut albescant inedia pennæ, ut meritò partus suos oderint. Verùm ejectos ab ipsis cognatum genus ossifragæ excipiunt, educántque cum suis.

5. Præ cæteris volitantiũ turmis plurimum produnt sagacitatis, & industriæ in domunculis sibi construendis apes: Mella enim servaturæ domusculas, vel arborum cauli, ramísque subnixas, vel in alvearijs præconditas miro construunt artificio, in quibus hyeme conduntur tutæ à nivium, pruinarúmque rigente flatu, neque ante fabas florentes exeunt ad opera. Non tamen in cereis suis domunculis putes totam dormire hyemem, nullus siquidem fluit, fulgétque dies, qui otio ijsdem pereat, suo quæque fungitur munere, obeunt singulæ sua officia; favos construunt, ceram fingunt, domos, cellásque exstruunt, & sobolem enixæ curæ incumbunt, ne quidqoam noxij patiatur; & quamvis suas apes extruant cellulas, acervent ceras, distinguant favos; ita tamen sibi, ac enixæ à se proli prosunt, ut nemini obsint: laude certè merentur erigi,quæ domos suas ita erigunt, ut nulli officiant: non pudeat homines insecta sectari, & à ratione destitutis normam edisscete sine cæteto tum damno ædificandi.

Serm. 44. de vanitat. mundi. art. 3. cap. 2.

## §. II.

*Humanus Affectus tunc probè ædificijs innititur, si in eorum structurâ non hominis, nec proprij nominis; sed divini Numinis gloria, ut in Solymæo templo, splendeat.*

6. Vtinam in ædificiorum molitionibus non propriam, sed Dei gloriam quærerent homines; non hortos pensiles Semiramidis; non villas amœnissimas Neronis; non amplissimas Augusti porticus suis includerent ædificijs, sed cum Samuele altare construerent supremo Numini: *Et*
1. Reg. 7. *ædificavit ibi altare Domino*, hoc est in domo sua, in qua non solùm exstruxit altare, sed Altissimo Domino construxit; hoc est non famæ suæ propagandæ, non familiæ decorandæ gratiâ, sed ut supremo Numini litaretur: *ædificavit ibi altare Domino:* sed quónam in loco, quánam in domûs aula, an fortâssis in ostij vestibulo? ut omnibus pateret aditus? non ibi, sed ubi judicabat Israëlem, ubi sedebat pro tribunali: quia Princeps forsan rarò Judicem agit, quin purgatione indigeat; ut sordes, quas facilè in tribunali contrahere poterat, inter hostias expiaret, victimarum sanguine deleret, ædificavit altare. Imò præmiserat Samuel sacrificia judicijs, cùm legamus priùs sacrificâsse, & postea judicâsse, priùsque idola exterminâsse à populo, quàm hostes. Utinam Numinis cultus, Dei gloria, non vana hominis gloriatio quæreretur in ædificiorum molitionibus construendis; non casuris, nec labentibus parietibus inniteretur gloria construentium, sed firmiùs perennaret cum Salomone, cui nil magis cordi, quàm Deo templum construere, quod laxitate, magnificentiâ, architecturâ, splendore, sacrâ supellectili, cætera superaret.

7. Quanta enim fuerit à Salomone constructi templi magnificentia Cornelius à Lapide, & alij Interpretes, sacríque historici referunt, & ex fine facilè conijcitur; erat siquidem divinæ Majestati sedes præparanda; & decuit, ut omni majori splendore, magnificentia, & ornatu construeretur ad Dei Majestatem ibi humilibus colendam obsequijs: si structuræ spectêmus ideam, fuit hæc à Deo Davidi dictata, & per Davidem Salomoni: si sumptus pensemus, hi opulentissima duo evacuârunt æraria, eos siquidem suppeditârunt duo Reges David, & Salomon summis affluentes divitijs: si architectum, & conditorem spectemus, fuit is Salomon cæterorum omnium hominum Sapientissimus: si templi consideremus structuram, membrorum symetriam, partium proportionatas distantias, & convenientias, opus erat ab omnibus singulari miraculo habitum, simúlque summæ venerationi: si numerum operariorum spectemus multa hominum millia in ejus structura per septennium insudârunt; si artificium recenseamus architectonicum; erant prægrandes lapides ita secti, dolati, politi, & quadrati, ita simul connexi, ut aspectui intuentium nullum appareret mallei, vel alterius fabrilis instrumenti vestigium, adeò ut fusa potiùs omnia, & conflata, quàm arte coagmentata inspicerentur. *Malleus, & securis, &* 3. Reg. 6. *omne ferramentum non sunt audita in domo, cùm ædificaretur;* saxis nimirum jam antea ubi à latomis excidebantur singulari perpolitione, miráque connexione aptatis.

8. Si constructi jam templi magnitudinem, amplitudinem, firmitatem, ornatum, & supellectilem expendamus, par opus nullibi unquam mundus vidit. Locus structuræ amplissimus mons *Moria* fuit, clarus religione Abrahami filium immolaturi; hunc à contermino Syonis jugo ingens vorago, cui nomen *Mello* discriminabat, fueritque propterea necesse ad laxandam ædificij aream, valles implendas, tellurem æquandam, plurimas, & ingentes excitare substructiones; ut alicubi murus cubitos trecentos, plures alibi altitudine, quinquaginta latitudine æquaverit; laxitas, & magnitudo templi speciem præseferebat amplæ civitatis; ut teste Josepho procul aspicientibus montem nivium blandimento albentem, mixtísque auri radijs non absque intuentium pavore, oculorúmque grato simul, & terrifico quodam horrore referret. Altitudo ad centum viginti cubitos assurgebat pluribus distincta contignationibus; vestibulum sexaginta cubitos excesserat in longitudine, & viginti in latitudine, gemino cinctum atrio multis porticibus distincto. Tripartitum erat ædificium. Primò vestibulum prætendebatur templo longitudine viginti cubitorum, latitudine decem; quæ eidem adnexa erat pars excurrebat in longitudinem quadraginta cubitorum, in latitudinem viginti, & templum propriè vocabatur, à quo muro cedrino multis gemmis corusco separabatur pars tertia, quæ penetrale, seu intimum sacrarium, vel sanctum Sanctorum dicebatur, ad quod soli summo Pontifici, & semel duntaxat in anno patebat accessus. Muri utrinque ex marmore educti erant candidissimo, intus tabulis cedrinis contecti; erant tamen tabulæ auro illitæ, ac mira sculptæ celatura. Pavimentum itidem nitidissimo constratum auro, trabes, & tigna potiori parte cedrina erant aureis vestita laminis, quibus subnexa laquearia eleganti sculptura plurimo splendebant auro.

9. Fuit huius templi structura prorsus singularis: hinc David eam unicorni pariavit:
*Et ædificavit sicut unicornium Sanctuarium* Psalm. 7[illegible]
*suum in terra*, nimirum *cornu* robur prodit; & *unicum* operis indicat raritatem. Et quidem magnificentiæ singularis fuit Solymei structura templi, cui excitando per tot annos, quadraginta, & unum millia hominum, & nongenti operam impenderunt, & cujus

unus

unus aliquis murus ad mille propemodum passus in longitudinem protenderetur; & latitudine alicubi ducentos excederet pedes, cujus lapides ex albente marmore ad eam adducerentur molem, ut excavati pro ædibus mediocri familiæ sufficere viderentur, cùm essent quinquaginta pedum longitudinis, viginti quinque latitudinis, sexdecim altitudinis.

10. Quòd si intima recenseamus ornamenta, sacrámque supellectilem, certum est, stetisse ibi juxta Arcam Fœderis duo Cherubinorum simulacra alis in utrumque Sacrarij latus exporrectis, proceritate decem cubitorum ex ligno oleagino laminis circumvestita aureis; & Arcam ipsam Cherubinicis simulacris licèt exiguis juxta præscriptum Moysis obumbratam utrinque fuisse. Scimus fuisse ibi altare Thymiamatis, in quo aromata manè, & vesperè cremarentur ex ligno confectum cedrino. Scimus fuisse ibi mensas denas propositionis, in quibus panes sacri singulis diebus sabbathinis proponerentur; & totidem candelabra auro fusa. Scimus in ipso templi limine prostitisse duas columnas, quarum alteri nomen fuisse *Sachin*, alteri *Booz*, scapo in octodecim cubitos, & epystilio in quinque assurgente, & quidem ambitu duodenûm cubitorum, auro ad digiti crassitiem obductas, & earum postes ære fuso riguisse. Scimus in extimo templi ambitu plurima fuisse excavata subterranea loca, firmissimo opere constructa, cryptas, porticus, culinas, gazophilacia, horrea, cellas cum vinarias, tum olearias, tantæ capacitatis, ut in ijsdem inferri possent, ac servari primitias omnes, ac decimas totius Israëlitici populi, quæque statis temporibus pluribus sacerdotum, ac Levitarum millibus distribuerentur. Scimus per gyrum plerá que fuisse habitacula constructa, & exedras erectas in usum ministrantium templo. In atrio sacerdotum peramplum fuisse æneum altare erectum ad incendenda holocaustomata latitudine viginti cubitorum. Fuisse ibi longè, latéque effusum aquarum receptaculum ære conflatum, ac duodecim boum dorsis ex eadem materia fultum: & fuisse hoc receptaculum, cujus meminit sacer codex, ubi etiam mare æneum nuncupatur, abluendis manibus, & pedibus sacerdotum accommodatum. Scimus fuisse ibi varia labra, & conchas intestinis, pedibus victimarum purgandis, ut etiam laxissimam subterraneorum conceptaculorum amplitudinem ad quinque usque stadia per templi ambitum penetrâsse; pluribus fistulis plumbeis, aquas per muros, solúmque templi ducentibus, quibus omnia eluerentur, ac purgarentur.

11. Mirum etiam dictu erit, si vasa argentea, & ænea recenseamus. Si enim Josepho Hebræo velimus fidem præstare, ex puro auro decem fuerunt millia mensarum minorum; totidémque minora candelabra, mensuræ, thuribula, tubæ, phialæ, & libatoria viginti millia. Instrumenta ex electro frabrefacta quadraginta millia. Crateræ aureæ ad similam recipiendam, & subigendam sexaginta millia: Canthari vinarij, lancésque aureæ octoginta millia, phialarum aurearum centum millia, ascenditque summa vasorum duntaxat aureorum ad quadringenta, & viginti millia. Ex argento conflatorum ad mille millia, & quinquaginta millia: ex quibus conijcitur, qualis, & quantus fuerit Pontificiæ sacerdotalis supellectilis apparatus: & revera sacerdotes templo ministrantes, propemodum infiniti fuêre, ut etiam Levitarum viginti quatuor millia; Præpositorum, Judicum sex millia; Janitorum quatuor millia, totidémque Organis canentium. Sumptus templi structuræ necessarij, quique collati fuerunt, excreverunt in ingentem summam: David enim reliquit Salomoni auri talenta centum millia, & argenti mille talentorum millia juxta computationem interpretum, præsertim Cornelij à Lapide, & omnia insumpta fuerunt in molis hujus structura, in templo hoc ad omnem munificentiam, ac splendorem in Dei gloriam extruendo: quia adhuc præcipuum ipsi deerat ornamentum, oraculum scilicet divinum; fuit hoc eò majori splendore, & pompâ, quâ possent Solymei, illatum in Basilicam, adytúmque penitiorem, ubi nebulosa caligo Dei præsentiam illustriùs populo testata est: & sacerdotes ad lucidam caliginem, sacrúmque horrorem, quadam fuêre perfusi voluptate, & præsertim Salomon, qui tenerrimo delibutus gaudio populum ad gratiarum actiones, solemnes precationes, & ad perseverantiam in timore, cultúque Numinis hortatus est; jussitque postea admoveri ad sacram aram paratas victimas, adductas hostias, & tunc nebula igne admixta, flammáque multiplici corusca è summo cœlo delapsa toti adstanti populo religiosum incussit terrorem, igne victimas depascente, simúlque litationem approbante. Septiduo hæc dedicationis solemnitas celebrata fuit, & eo tempore mactata in sacrificium fuerunt boum viginti duo millia, arietum centum viginti millia: effluxo septiduo populus ingenti cum lætitia dimissus fuit actis priùs Deo, & Regi gratijs pro sacris bene peractis.

Lib. 1 Paralip. cap. 22

Verùm admonetur Salomon nocte intempesta per somnium, quietémque à Deo grata sibi fuisse sacrificia, & populi vota exaudita; servaturum se scilicet templum, sempérque ibi propitiè mansurum; quandiu Salomon, & ejus posteri cum subjecto sibi populo à paternis præceptis non deflecterent, Deum timerent, justitiam administrarent, & virtutum cæterarum studia non negligerent. Quòd si oblivioni tradito veri Numinis cultu ad exterarum Religionum ritus se transferret, radicitùs ejus stirpem esse 12.

ex-

excidendam; templúmque recens exstructum solo æquandum, & urbem à Barbaris diripiendam, incendendam, ac diruendam. Verùm templum quod pietas ad summam exstruxerat magnificentiam; hoc scelus ad ultimum detrusit excidium; quod cultura virtutis ad singularem erexerat magnitudinem, hoc indulgentia vitij solo æquavit; quod cultus veri Numinis ingenti sumptu, miróque splendore construxerat; hoc Salomonis, & populi scelera, in cineres, pulverésque redigerunt: quod virtus in universæ terræ splendorem excitaverat templum; vitium extemplo evertit, solóque æquavit, ut De-
3. Reg. 9. us expressè interminatus fuerat. *Si ambulaveris coram me, sicut ambulavit pater tuus in simplicitate cordis, & in æquitate; & feceris omnia, quæ præcepi tibi: ponam thronum tuum super Israël in sempiternum. Sin autem aversione aversi fueritis vos, & filij vestri non sequentes me, nec custodientes mandata mea, & cæremonias meas, quas proposui vobis, sed abjeritis, & colueritis Deos alienos, & adoraveritis eos: auferam Israël de superficie terræ, quam dedi eis, & templum, quod sanctificavi nomine meo, projiciam à conspectu meo, eritque Israël in proverbium, & fabulam cunctis populis.*

13. Injerat Deus pactum de throno, templóque servando adjectâ conditione, si cultus veri Numinis, si studia virtutum, si justitiæ, & pietatis exercitia perseverâssent: & quia nec Rex, nec populus adjectam à Deo purificavit conditionem, cùm se vitijs fœdaverint, & Numinibus exterarum gentium adhæserint, neglecto veri Numinis cultu, dejicitur Israël è throno in sempiternum, & templum post quadringentos viginti quatuor annos tempore Sedeciæ Regis à Chaldæis flammis vorandum traditum in cineres abivit, porticu unica superstite, quæ à posteris ab ejus Authore Salomonis nuncupabatur: sed ex illis cineribus Cyrus Rex Persarum post captivitatem Babylonicam duce Zorababele aliud ædificavit.

## §. III.

### *Commendatur Cyri Regis pius in Deum, ejúsque cultum affectus, ac munificentia in templo Numini ædificando.*

14. CYrus regni sui anno primo statim cogitavit de domo Dei construenda, & ex cineribus calorem, ignémque excitare, quò populus ad cultum Numinis inflammaretur. Pudeat ecclesiæ Præsules, Capita infulata, à quibus non solùm ab initio, cùm promoventur ad dignitates ulla excitatur cogitatio de templo reparando, de collabentibus parietinis instaurandis, de domo Dei exornanda; sed ne quidem de reparandis ruinis ultimis vitæ diebus cogitant: pudeat ecclesiæ Præsules, qui congestas pecunias, acervatós thesauros ex suarum ecclesiarum proventibus, vel prodigunt in luxu epularum, vel in pompa vestium, ac famulorum; vel in alendis equis, & canibus; vel construendis hortis ad voluptatem, vel in vana supellectili. Vidi ab ecclesiasticis erecta ampla, & ad singularem pompam equorum stabula, sectis etiam lapidibus constructa: vidi hortos ad omne amœnitatis genus consitos, quibus excolendis non majorem Princeps sæcularis operam impenderet; neque Semiramis in hortis suis pensilibus, nec fortâssis Cyrus ipse in nobilissimis suis quondam plantarijs. Vidi siquidem in hisce hortis omnia tam concinnè in pergulas opere topiario vestitas, in areolas, pulvillósque disposita, ut pavimentum pictum, ac vivis coloribus tessalatum, pulcherrimum artis eum natura videretur certamen exhibere. Vidi ibi flores plurimos exotico cultu, & colore elegantissimos, quorum semina, vel cæpulæ plurimo sumptu ab exteris, dissitisque Regionibus coëmptæ; & adductæ fuerunt. Vidi peregrini orbis germina, arborésque sub alio climate educatas, & quidquid natura in floribus, & plantis habet illustrius, rarius, & elegantius videbantur horti isti complecti: alij ex floribus è calyce, alij è vagina; alij è gemma protuberabant, ut languentium, vel etiam morientium defectus, ac ruinas alij subnascentes instaurarent tanta varietate, ut in una areola mille modis luderent ad intuentium oblectamentum discolores; præsertim cùm locus irriguus esset fontium ubertate, in cujus meditullio aderat testudo perampla, perplexo, ac concamerato topiario convestita, quæ sedem oppacaret, & æstuantes arceret solis radios: distinguebat areolas Tarentina myrtus variè tonsa: neque fontes deerant, qui salientibus aquis æstuarent intra mormoreum craterem, è cujus labro caducus latex veli instar tenuissimi demittebatur in subjectam amplam piscinam; circum quam scyphunculi plures expressi micacabant è solo, & in cratere reciproci gratissimum miscebant murmur. Ecclesiam verò ingressus, nullum ibi lustranti mihi altaria obviavit ornamentum, nullus splendor in aris erectis, nulla pretiositas in sacra supellectile, nullus nitor in ijs, quæ ad divinum cultum spectarent. Utinam hi Præsules erubescerent, cùm sinant se à laicis superare, simúlque propriam delerent socordiam. Cyrus vix gradus conscenderat Regalis throni, & statim de erigendo, ac instaurando Dei templo cogitavit; tyrocinium suæ potentiæ posuit, non in fulciendo aureis statuis solio, sed profusis aureis excitando templo, ut in eadem sede simul adolescerent Pietas, & Majestas.

Verùm quæ Cyro Regi gemellæ natæ sunt virtutes, simúlque thronum nactæ, vix 15.
plerisque in Præsulibus infulatis ulla consociantur inter se affinitate, sicque propterea

rea pietas abavia, vel proavia dignitati, ad quam Præsul recèns promovetur; proinde pietas quasi jam edentula, rugosa, elumbis, viribus defectissima excluditur ab infulis, in quarum sinu rarò adolescit; oon in meridie tantùm, sed nec in occasu obstetricante Libithina potiùs, quàm Lucina; quia nimirum designatas Deo aras à senibus mors ostium pulsans intercipit. Consultiùs sanè Cyrus vix Regnum nactus prima mentis consilia, primásque cogitationes in amplas direxit ædes, quas Deo erigeret, simúlque sui Regni primitias, ut par erat, supremo Numini consecraret, ratus firmiùs staturum Regnum, si libis, & victimis, quàm si catapultis, & balistis fulcitetur: sæpire agnis balantibus malnit statim thronum, quàm Leonibus rugientibus; quia innocentiæ candore, & victimarum religione tutiùs custoditur Principis solium, quam advigilantium Leonum custodia, multiplicisque armati satellitij terrore. Satis tutè Rex in solio sedet, si blandimento clementiæ, illicióque religionis subditos sibi obstrinxerit; tunc stat tranquillitas Regni, si frequens victima cadat; cujúsque divini causâ multiplex victima Deo immoletur; imò tunc surgit Princeps vegetior, cùm plures jubet ad promovendam religionem immolatas Numini hostias cadere.

16. Ad propugnandum Regnum, à quovis hostili incursu nullum aptius armamentarium, quàm templum, ubi tunc triumphales lauri decerpuntur, cum florente olea victimarum sanguis effunditur; nec alio Principis purpura nitet illustriori colore, quàm eo, quem enectæ victimæ sanguis suppeditat; faustiorem suæ chlamydi auspicatur Rex muricem ad felicius regimen, ex hostiarum fuso cruore, quàm ex piscis sanie. Æneum in templo mare pro ditissimo est ipsi Erythræo omni margaritarum locupletiore supellectile referto; ita censuit Cyrus, cum primum sui Regni cœpit aurora fulgere; fuitque propterea haud Abeli suppar, hic enim primitias sui gregis Deo consecravit; sed Cyrus prima Regni sui consilia, primósque thesauros Deo obtulit; dicavit ille supremo Numini pinguiores oves; hic dedicavit opes luculentiores. Abel baculo suo pastoritio gregem duxit Deo immolandum, sed Cyrus sceptrum suum in aureum convertit Angeli calamum, quo templi frontem, ac partes metiretur; ut viderat Joannes, inquiens de suo Angelo: *Habebat mensuram arundineam auream, ut metiretur civitatem, & portas ejus, & murum*; Cyrus siquidem arundine instructus sanctiori, non urbem; sed Deo templum designavit, quo tota structura Numinis cultui impenderetur. Apoc. 21.

17. Scio Abelem sanctioris Opilionis functum officio primogenitas oves Deo obtulisse. *Abel quoque obtulit de primogenitis gregis sui, & de adipibus eorum.* Verùm Abelis religionem pecude circumscriptam pietas Cyri statim superavit auri, argentíque profusione; siquidem ripas transgressa Euphratis torrentem Jerosolymis Cedronem penè exsiccatum, adeò opplevit; quò auro, gemmisve intumesceret, oon verò turbulentioribus ex proximis montium fastigijs delapsis aquis, tumultuario flueret strepitu; misitque Cyrus vasa aurea supra mille, statim post subactam Babylonem. Quis non aquilæ Cyrum pariaverit? eum statim primos Regni sui intuitus in solem direxerit justitiæ: sed satiùs dixerim naturam induisse Oloris, cùm non tam coronatus Cyrus, quàm infulatus Cygnus Deo harmonicè cecinerit: & veriùs, quàm fabulosus Amphion Thebe dirutâ, mœnia construxerit Deo sacra, ea quam harmonicè cœpit in melos erumpere: *In anno primo Cyri Regis Persarum, ut compleretur verbum Domini ex ore Jeremiæ: Suscitavit Dominus spiritum Cyri Regis Persarum, & traduxit vocem in omni Regno suo etiam per scripturam dicens; hæc dicit Cyrus Rex Persarum. Omnia Regna terræ dedit mihi Dominus Deus cæli, & ipse præcepit mihi, ut ædificarem ei domum in Jerusalem.* Hoc tamen discrimine ab olore fuit Cyrus dissimilis, quia Cygnus nonnisi ultimo vitæ suæ die imminente mox morte fertur harmonicus esse: eum Cyrus harmonicos hos concentus anno primo Regni sui lætus protulerit. Moriturus suaviter canit cygnus; sed regnaturus suaviùs accinuit Cyrus: cygnus sibi morienti parentans suum demulcet cantu funus, quò mitiùs pereat, minùs horreat advenientem Libithinam: sed primordia Regni sui sanctiùs auspicatur Cyrus harmonico suo concentu Numini concorde. Canit cygnus, sed funus vocat, cum statim mors avem abripiat: suaviores Cyrus voces emittit, quibus Numinis cultum excitat, ac religionis exercitia instaurat. 1. Esdræ.

Quis Cyri pietatem supremos non ferat in cœlos, cum cœperit priùs cogitare de domo Deo construenda, quàm de palatijs suo commodo inædificandis. Sunt, qui à Dei cultu alieni, in id deflectunt consilij, ut censeant, Regi magis proprium esse elephantos in lucta, pugnáque, utrinque cruenta ducere, quàm oves ad aram perducere; volunt Regem loricatum in bello, non liteatum in templo; putant, nil laudis Regem promereri nisi sit catafractus, & nisi Victor humanum sanguinem fuderit, cruentas clades ubique sparserit, hostes everterit: putant, Reges decere, propugnacula erigere, non templa construere; urbes munire, non aras ornare; classes instruere, non Levitas aceire; Legiones scribere, non populum ad sacra vocare; sed quàm cæci, quàm alieni à vero! eum à cultu Numinis ita aberrent; siquidem omnis Principis fortuna, sua à solo Deo auspicatur initia, & ideo Cyrus oon arcem Babylone condidit, sed Jerosolymis 18.

lymis templum, quo propitio Numine satiùs sibi, Regnóque suo consuleret: & revera non religioni tantùm, sed & securitati suæ optimè Cyrus designato templo prospexit. Non igitur Deum sibi lenire victimis, arísque demereri plebeum est, sed Regium, ot etiam cum donarijs adire templa, arásque struere, cum in una solius Dei manu cor Principum conquiescat, aut fluctuet, prout Numini magis libuerit.

19. Verùm quot in tertiis nunc Christiani Principes, qui proprijs duntaxat inhiantes commodis non victimarum sanguinem fundunt in templis, non hostias, & donaria Deo offerunt, sed subditos opprimunt, vectigalium impositionibus, sanguinémque panperum extorquent: palatia, theatra, stabula, hortos, propriæ ut indulgeant voluptati, erigunt, construúntque neglectis aris, templísque Deo dicandis. Sed ruinosa est eorum voluptas, quæ nonnisi à ruinosis petitur ædificijs, non potest non cadere, quæ nonnisi parietibus innititur cadentibus, lapsuíque obnoxijs. Nullam possunt Principes veram felicitatem aucupàri in hortis, quos ad omnem conserunt amœnitatem: umbratiles sunt deliciæ, quæ in hortorum ombris quæruntur; diurnæ sunt, non diuturnæ; nascuntut cum sole, occidúntque cum eodem; squalent hodie areolæ in stipula, quæ heri luxuriàrunt in flore. Fingamus in hisce hortis Lib. 12. platanum illam auream, quam referente Athenæo Pythius Bythinius Dario Persarum Regi dono dedit: vel vitem illam nobilissimam opus Amynthæ, cujus racemi ex pretiosissimis gemmis coagmentati integrum in uvis thesaurum referebant, vel etiam quid aliud simile ex vicinorum Regum donarijs constructum; non propterea desinet esse umbratilis quæsita in hisce hortis voluptas, quamvis ijsdem accederet amœnitas illa hortorum, quibus excolendis Reges ipsi opulentiores totam impenderunt operam: inamœna est ea voluptas, & amœnitas, quæ unà cum floribus florescit, & perit; cum vix nata suum vergat ad occasum, langueat cum flore, & in fœno marcescat.

20. Vana sunt itidem ea studia, quæ ad sibi comparandam gloriam impenduntur in construendis palatijs, urbes potiùs, quàm domos referentibus. Sunt, qui felices, beatósque se censeant, si palatia, seu substructiones insanæ molis inhabiteut, videant atria plurimo radiantia auro; laxas porticus pluribus marmoreis suffultas columnis, thalamos fornicatos, plenósque majorom imaginibus, turres elata fronte cœlum ferientes, putemúsque Nembroti progeniem revixisse, non tam laxitate ædificiorum, quàm varietate linguarum. Scimus *ex Genes. 11.* antequam homines in diversas spargerentur terrarum partes, civitatem posuisse in suæ potentiæ firmius argumentum ad ripam Euphratis in amplissima planitie. Opus fuit ab hominibus singulis inchoatum, & duos post viginti annos nondum absolutum; & quamvis imperfectum, Regni tamen sedes fuit, ex cujus fundamentis primum humanæ artis prodijt miraculum Babylon civitas illa laxitate murotum, ac frequentiâ civium toto orbe clarissima. In ea turrim quoque erexêre, quæ altitudine sydera ipsa videretur attigisse. Verùm corruit priùs, quàm erigeretur superba illa ædificantium vanitas linguarum divisione, ac idiomatum confusione: non enim Deus depressurus audaciam ædificantium fulmen disjecit, non igneas pluvias è summo cœlo demisit in terras, sed acerbiori supplicio punitnrus superbos, idioma unum in septuaginta duo divisum invexit, animorúmque discordiam.

Quàm insana est mens hominum quærentium gloriam in ædificijs! cœlum ipsum ædificiorum fastigijs impetunt; saxis, & cæmentis conantur sydera adoriri, pugnare, & expugnare, & hi fuerunt, quos sacra scriptura terræ filios vocat, de quibus etiam Ovidius 21.

*Metam. lib. 1.*

*Affectâsse ferunt Regnum cœleste Gigantes,*
*Altáque congestos struxisse ad sydera montes.*

Quorum tamen stolidam providentiam Deus prostravit non fulmine, sed flatu diversi soni, ut aptiùs deprimeretur fastus; qui cum inchoâsset vanissimum ædificium á lingua ostentatrice; congruum erat, ut etiam à lingua peccati flueret supplicium: consilium siquidem inter se se ineuntes, dixerunt. *Celebremus nomen nostrum aeternitati, consecremus memoriam, educamus substructiones nostras supra nubes, profundissima demittamus fundamenta, ut altiùs nostram erigamus gloriam*; sed ò vanitatem, ludibriúmque humanarom machinationum! O mentes hominum heleboro potiùs indigas, qoàm sanis consiliis apta: putant veram gloriam, terrenas, casurásqoe substructiones, molésque ingentes, qoas struunt posse construere; & erecta ædificia veram ædificare felicitatem, cujus sitis eos stimulat ad palatiorum amplissimas structuras, domorúmqne elegantissimas erectiones, quæ statim corrunt. *Genes. 4.*

## §. IV.

### *Improbi hominum labores in ædificiorum molitionibus punguntur, quò immodicus in easdem affectus expungatur.*

22. QUot hominum turbæ non desudant in unius structura palatij? vocantur Lapidarij, qui ligone lapides eruant, vel effringant vectibus, aut disrumpant nitrato pul-

pulvere in lapidicinis, seu latomijs; quos latomi cælo, & tutide poliunt, ut structuræ rectè quadrent, & ubi copia non est saxorum, coquuntur à laterarijs lateres, & laterculi è limo, vel luto educti, unáque congesti exsiccantur priùs lapides coctiles in lateraria, quibus onerantur plaustra, & vehuntur ad locum ædificij. Alij defatigantur in cumulanda arena, vel fossitia, quæ in arenario foditur; vel fluviatica, quæ ex fluvijs eruitur; vel marina, quæ ex maris littore eripitur: vel ex veteri rudere per crates, gerrásque trajecta, & secreta. Alij alba colligunt saxa, vel silices, & in fornacem calcariam injiciunt, ut per calcarios coquantur lapides, & calcinentur. Alij erutam ex fornacibus calcem vivam, seu nondum aquis restinctam, devehunt ad excavatas foveas, aquâ diluunt, præparántque ad opus cœmentitium. Alij gypsum ex albicante lapide mediocriter usto jugi labore extrahunt, terúntque in pulveres, quos per cribum secernunt, humectántque in usum ædificij. Plures accersuntur fabricæ Cæmentarij, seu Murarij, qui jacto fundamento in solo firmo, vel si in humido in palis al neis, fistucâ adactis muros substruunt, ædificant, erigunt, lapidésque, vel lateritios, vel silicios firmiter collocant cum calce, & gypso, ut hæc in unum coalescant, ac durescant parietem æquali crassitudine assurgentem: in id enim, vel maximé incumbunt studij Cæmentarij, ut omnes coriorum ordines æquales sint, & æqua proportione construantur: éstque opus isodomum, seu disodomum, è quibus Fruutani dicuntur, qui utrínque lævigati crassitudinem exæquant parietis. Alij erecta jam conclavia concamerant testudine, seu fornice, quæ crustarij trullissant, incrustántque, seu trullâ corium, seu obductionem inducunt ex arenato, seu subacta calce, quæ in alveo præsto est; hac enim sine incrustatione rudes sunt muri, qui quandóque etiam sectis marmorum crustis vestiuntur. Alij non solùm conclaviorum testudinea trullissant; verùm etiam varijs exornant figuris, coronis, corymbis, leniscis, aliísque adscititijs ornamentis, quæ peniculo tectorio dealbant. Alij pavimenta dilatant, perpoliúntque ad miram varietatem; quædam siquidem sunt tessellata, segmentata, scalpturata, alia etiam vermiculata, seu musiva pluribus asarota figuris.

23. Quòd si singulas unius domûs velimus partes percurrere, vix dies integra nobis sufficere videtur, præsertim si lustremus Regionem, solum, seu aream, areæque partitionem, ædium frontem, faciémque extimam erythmiam, seu convenientiam singularum partium, commodúmque aspectum; symmentriam, seu venustam totius ædificij congruentiam, & proportionem; decorem, seu aptam, & pulchram distributionem; amussiatas, seu ad amussim directas latitudines, & longitudines, pavimenta secto marmore strata, varias semper exhibentia figuras, laquearia, & lacunaria, cameras, aulas majores, & minorea, contignationes, tecta, scalas, regionea, ostia, vestibula, areas; atria, fenestras, conclavia tum anteriora, tum interiora, cubicula, conclavia secreta, musæa, armaria tum repositoria, tum pretiosæ supellectilis, zetas, vestiaria, porticus, specula voluptaria, podia, turres, horrea, cellaria, cellas vinarias, olearias, penuarias, panarias, lignarias, carnarias, pistrinas, cœnacula, coquinas; stabula, equina, canaria, pecuaria, aviaria, columbaria, gallinaria, cohortes, septa, foricas; certè in hisce omnibus lustrandis, examinandísque plures vix horæ sufficerent.

24. Quòd si singulas horum omnium partes ad examen revocemus, ut ostij lumen, seu hiatum, limen tum inferum, tum superum, postes, antes ostij, supercilia, fastigia, Pseudothyria, postica, postulas, fores, valvas, fores plicatiles, cardines, epistathmos, seras rum simplices, tum catenarias, pessulos, seras incitati pessuli, vel jacentis, claves, posticum, seu januæ repaculum; certè vel in lustrandis unius duntaxat ostij partes singulas non modicum desideratur temporis; ut etiam in lustrandis partibus columnarum, quibus extima fulcitur ædificij faciea, vel atrium. Visuntur in uno duntaxat ædificio omnia columnarum genera, quibus diversæ fulciuntur ejusdem structuræ: hic enim assurgunt columnæ Tuscanæ crassitudine cæteras excedentes, quarum crassities septimam in altitudine obtinet partem, & basis decimam quartam: alibi surgunt columnæ Doricæ, quarum crassities sextam complectitur partem altitudinis, & basis decimam sextam, & harum capitula sunt porrectiora, & elatiora. Alibi Jonicæ, quæ novies sunt longiores, quàm crassiores; quarum basis decimam octavam longitudinis partem comprehendit: súntque jonicæ, capitello simpliciore, extantibus utrinque arietinis cornibus in anfractum devolutis. Alibi elevantur Corinthiæ omnium gracillimæ, quarum propterea altitudo novies excedit ambitum latitudinis, & basis vigesimam complectitur altitudinis partem. Corinthiarum columnarum epistylia crispata acanthi, aut helicis in se redeuntis folia imitantur.

Plurimum itidem impendimus temporis in partibus columnarum vocandis examini: siquidem in partes principes columnæ distinguntur in fastigium, columnam, & stylobatam; quarum singulæ in alias plures subdividuntur partes; nimirum fastigium in coronam, zophorum, epistylium. Columna in ternas itidem partes, capitellum scilicet, scapum, & basim. Stylobata etiam in tria membra, supercilium, stellam, & pedem: in hac autem tripartita columnæ divisione epistylia, & capitula singularibus constant ornamentis, prominéntque proinde in ijsdem coronæ, 25.

projecturæ, præcinctiones, teniæ, echini, cingula, supercilia, eminentiæ, prominentiæ teretes, quadratæ, coronices: lapidum, vel tigillorum obnitentia capita, quæ à Vitruvio mutuli nuncupantur: promicant etiam abacus, sima, regula, cimatium. In zophoro, seu latiore balteo ad uberiorem ornatum inseruntur triglyphæ, seu sculpturæ triplici sulco canaliculatæ; denticuli, seu segmenta, speciem exhibentia dentium: guttæ quæ inversi turbinis formam præseferunt: metopæ sunt zophori intervalla, in quibus variæ etiam figuræ solent, vel penicillo pingi, vel calce, & gypso repræsentari, ut fasciæ, lemnisci, vittata taurorum capita, corymbi, seu complexus florum, frondiúmque; astragali in rotundas, aut oblungas baccas distincti, folia, volutæ, quarum labia flexuræ sunt foliorum supinatæ. In scapo, seu medio, vel corpore columnæ pars superior hypotrachelium, seu collum dicitur: hæcque pars, quà incipit gracilescere, seu decrescere crassitie, ac attenuari, apaphigis nuncupatur. Cæterum scopus, vel teres est, vel quadrangulus: si teres, vel est lævigatus, vel striis, ac strigibus, seu canaliculis rectis, vel etiam obliquis striatus, seu sulcatus, stria prominentiuncula est canaliculorum, & strix cava spatia sulcorum: vel scapus est intortus, ae vite circumscansilis, vel alijs folijs, ac frondibus flexuosus. Hisque columnæ scapus suæ nititur basi, quæ spira nuncupatur, cingitúrque torulis, seu annulis, quos inter, cavitates interjectæ Scotiæ dicuntur, quibus subijcitur plinthus quadrati laterculi præseferens formam. Stylobata, seu fulcimenti pars superior supercilium, media pila dicitur, oblongè quadrata, & plerumque lævigata, vel etiam elegantis celaturæ varijs scalpta figuris. Pars postrema dicitur pes cum subjecto pintho. Materia, ex qua columnæ construuntur, interdum est lateritia, vel cæmentum, aut marmor, sijntque propterea opere cæmentitio, lateritio, vel lapideo, quæ ex marmore construuntur solidæ dicuntur, A columna diminutivum columella derivatur, quæ aliquando pro fundamento pulvinum habet cæmentis, vel etiam arena fartum.

26. Hactenus recensitas domûs partes, columnarum fulcra, & ornatus, plures exhibent non solùm Principum, verùm etiam equitum, & nobilium domus, & præsertim aurea illa olim Neronis domus, quam non satis splendere censuit Cæsarum crudelissimus, nisi ex urbis incendio infames eidem adjecisset flammas. Quot in una domo non sepelivit domus, solóque æquavit? ut Titanium genus Roma accersens in cœlum aggestis montibus videretur irrumpere in unius domûs celsissima structura? plures enim hæc includebat aulas in longam aream productas, innumeras propemodum porticus ad tria usque milliaria protensas; plura stagna maris instar expansa, plurimas inambulationes umbrosis pergulis opacatas, plures villas omni arborum genere consitas, plures hortos ad singularem amænitatem floribus, fructibúsq; refertos non alio vigilis draconis custodiâ tutos, quàm præsentia ipsius Neronis, qui feritate animi omnium ferarum superavit sævitiem: & in illis excolendis non minorem impendit operam, quàm Semiramis hortis suis pensilibus, aut Cyrus nobilissimus suis quondam in plantarijs: in ijs siquidem Neronianis hortis, adeò concinnè omnia in pergulas opere topiario vestitas, in areolas, pulvillósque disposita erant, ut pavimentum vivis tessellatum coloribus, pulcherrimum artis cum natura exhiberet certamen. Luxuriabant ibi flores exotico cultu, & colore nobiles: adolescere videbantur peregrini Orbis germina, rarissimos fructus exhibere arbores extero sub climate educatæ.

Neque stetit in hac florida amœnitate 27. nauseabundus Neronis animus; vile enim ei videbatur hoc veris cum autumno connubium, nisi in subsidium ornamenti fabulas accersivisset, ut hic populeis truncis vario illusis colore Heliades ramosa brachia protenderent: alibi formosæ Daphnidis sparsa coma in frondes se se diffunderet; & alia id genus fabulosa in luxum vertisset amœnitatis. Præter hæc, cœnationem habuit inter cæteras, figuræ rotunditate versatilem, quæ diebus, ac noctibus instar orbis jugi circumacta vertigine nova semper fercula exhibebat convivis, & pro nivibus flores, pro imbre odoræ guttulatim aquæ per subtiles aureas, argenteásque fistulas fundebantur: & ipse Nero, veluti in orbe illo Jupiter assidebat, cui propinabat in aurea patera non raptus è Phrygia puer; sed Sporus, seu Spado à Nerone in delicijs habitus; quem etiam in mulierem conatus est transformare, palámque uxorem ducere dore inter auspices consignatâ. Verùm post Neronis necem jussus Sporus à Vitellio, ut in habitu constupratæ puellæ se in theatro sisteret; nec ferens Sporus eam ignominiam, violentas sibi manus intulit, maluítque rubere sanguine, quàm tali verecundia.

Quid dicam de Magni Imperatoris 28. Chami palatio quatuor præcincto muris, quorum quilibet ad octo millia passuum porrigebatur; cujus laxitatis in meditullio ædes surrexêre regales nitidissimo confectæ auro. Quid de Javæ Insulæ Balearis Majoris Regis magnificentia, & munificentia! is enim atrium exstruxit, ad cujus aulam pluribus ascenderetur gradibus, quorum alij ex puro auro, alij ex argento conflati pretiositatem nitoris per ædes illas ascendentibus, & descendentibus terendam exhiberent; & parietes è dextro latere aureis, è sinistro argenteis laminis regerentur; Solis regiam imitatus fuerat Java ab Ovidio fabulosè descriptam: auro fuso fulgidam, flam-

flammas imitante pyropo. Quid? quòd hortos pensiles referam in summo domûs fastigio, mira plantarum varietate verantes, in quibus verna temperies nunquam moreretur; eò quia jugi successione lascivirent flores in calice, vagina, gemmáque protuberantes, ea exculti artis industria; ut aliis morientibus, alii succederent subnascentes, suos explicantes nitores, pompámque foliorum, tot variis depicti coloribus, quos artifex nullus penicillo exprimere ad nativam elegantiam posset. Quid memorem saturatam frequenti conchylio purpuram auro intextam, pluribúsque distinctam coloribus, Phrygionum opera, picta Damascena holoserica, aulæa innumeris interpuncta filorum meandris? quid si recenseam thermas, ubi frequenter cum amictu vestis, honor corporis, & pudor animi exuitur? ubi lavatio potiùs sordescit, quàm abluat, maculátque promptiùs, quàm emundet, teste apud Martialem Levinia inter Sabinas Virgines, quæ Baianis se aquis purgatura, sic ut Penelope venerat, nonnisi ut Helena abivit. Quot puellæ venientes ad aquas thermales nivea castitate insignes, discedunt ignea fœditate constupratæ? quot Matronæ, quæ has dum accedunt aquas, in flammas incidunt, Veneremque experiuntur adultam? Descenditur in balnea non ut sudores cum Scipione, & militiæ sordes abstergantur, sed ut maculæ contrahantur. Alii Heliogabalum imitantes nonnisi imbutis unguento nobili, aut croco piscinis innatant, non ut fœtidam corporis luxuriem suavi odore compescant, sed ut fœtidiùs libidinem oleant. Tantùm abest palatiorum erectiones, thermarum substructiones veram gloriam erigere, & ædificare, ut eam potiùs abigant, destruántque.

29. Hinc in terrestri paradiso nullæ fuerunt constructæ domus, tametsi ibi homines verâ fruerentur lætitiâ, veráque terrestri donarentur gloria, cujus capax erat status ille innocentiæ, antequam justitia ab illis exularet amœnitatibus: ergo ineptit, qui gloriam in domorum, thermarum, hortorúmque structuris sperat, cùm veram gloriam possederint homines antequam in terris essent domus erectæ, thermæ constructæ, & horti hominum labore consiti, irrigatique sudore; non igitur à palatiorum, domorúmque erectione vera gloria speranda, nec vera lætitia haurienda. Mentem, non palatia, sursùm erigamus, cœlúmque spectemus; & inane, vacuúmque, procul dubio putabimus quidquid hîc in ædificiis magnum videtur esse, scitè S. Chrysostomus: *Quid tanto studio, quod nihil est, quæris? quid labores pro nihilo sustines? at splendida ædificia conspicis, eorúmque te fallit aspectus; in cœlum protinus attole oculos, aversúmque à lapidibus, & columnis obtutum ad illam pulchritudinem dirige, animadvertes formicarum ista esse, & culicum opera. Sapienter intuitum ad digniora converte, ascende cælestia animo, inde præclaras istas intuere structuras, videbis nihil aliud esse, quàm parvulorum ludicra.*

Homil. 15. in pri. ad Timoth.

Animo humi repit, qui mentem elevat ad ædificiorum præcelsa fastigia erigenda; terrena ligatur cupiditate, qui cœli oblitus gloriam aucupatur in ædificiorum construendis molitionibus: lapideus esse videtur, qui sola lapidum pulchritudine tenetur: angustum procul dubio produnt animum, quem terreni ædificii tenet erectio, nec meretur in cœlum avolare, qui in terris carcerem sibi effingit, neque quid aliud est domus corpori, quàm carcer; perinde ac corpus animo carcer est, si illius teneatur amore, quod corpus tegit. Nobis eò majorem cœli partem eripiunt domus, quò earum structuræ laxiores sunt, pulchrè Seneca ait: *Quò longiores porticus expedierint, quò latiùs eas porrexerint, quò depressiùs æstivos specus foderint, quò majore mole fastigia cœnationum substruxerint, hoc plus erit, quod illis cælum abscondat.*

Lib. de consol. ad Helviam cap. 9.

Non se cœlum hominibus abscondit, sed homines cœlum sibi ædificiorum, domorúmque structuris abscondunt, sibiqne cœli aspectum surripiunt, séque cœlo indignos produnt; dum superbientes terrenorum ædificiorum molitionibus eximunt sibi cœli aspectum, quò in cœli amorem rapi facilè possent, si nocte præsertim intempesta, aëre nullis fœdo nubibus, cœlum intuerentur tot rosis floridum, quot micantibus stellis coruscum; si admirabiles motus observarent earum sub firmamento stellarum, quæ vulgò falsò errantes nuncupantur, cùm nihil erret, quod in omni æternitate conservat eosdem jugiter progressus, & regressus, reliquósque constantes, ratósque motos; ipsi siquidem planetæ alternis vicibus abeunt, & recedunt, occultantur, & rursus oriuntur, & ex disparibus motionibus spatia distinguunt delabentis anni; qui tunc completur, cum solis, & Lunæ, & quinque aliorum planetarum ad eandem inter se comparationem confectis omnium spatiis est facta conversio; & præ cæteris admirationem vincit Luna terris familiarissima nocte intempesta splendida mundi lampas, umbrarum expultrix, ac tenebrarum debellatrix; jugiter enim oritur, & moritur; adolescit, & senescit; crescit, & evanescit, semper eadem, licèt diversam semper exhibeat faciei speciem; cum nunc curvata in cornua appareat; nunc æqua portione divisa, modò sinuata in orbem, mox pleno orbe immensa; & repentè nulla; nunc pernox, aliàs sera, partémque diei adjuvans suo lumine. Quis non miretur etiam in firmamento stellas æternùm lucentes faces, majores, minores, junctæ, dissitæ, sine numero, & tamen ad numerum suas ducentes choreas; hæ siquidem luce sua calores fovent, colores pingunt suis influentiis, & quidquid in mundo pulchri latet obvolutum tenebris hominum oculis objiciunt, reddúntque spectabile; sempérque fulserunt, cum à primi- 30.

geniis aquis formosissimi stellarum ignes degeneri partu extiterint. Sunt micantes noctu stellæ cœli vernantes jugiter flores per oculos, non per aures, homines in cœli desiderium rapientes; sunt micantes orbes, qui admirabili celeritate suas cursuum, recursuúmque periodos conficiunt, sine sensu laboris, sine tædio lassitudinis, sine cursus defatigatione, cum in perpetuo motu nunquam quiescant, sempérque micantibus ignibus amœnissimè niteant, brumalémque austeritatem mitigent, & genitali rore telluris conceptus omnes impleant. Ordiuntur itidem dierum, noctiúmque curriculis menses, texunt annos, quibus feriem conficiunt sæculorum. Has cœli delicias, hos syderum aspectus sibi sorripit, qui ædificiorum erectione superbiens eximit sibi cœli aspectum, quo in cœli amorem rapi mens facilè posset; talparum potiùs, quàm hominum sortiti naturam, cum domos terreas, quibus prohibeantur à cœli intuitu, quærant, sibique erigant, cœno propterea, quàm cœlo digniores: qui enim cœlo non cœno se natos norunt, non sinunt terreis parietibus animum coërceri, mentem coangustari. Ædificiorum amore qui flagrant, & eversas domos erigunt, se deprimunt, evertúntque, cum cœlo nati se in ima demittant, stationem quærentes cœnosis in parietibus.

## §. V.

### *Quos immodicus affectus in ædificia erigenda ad summum evehit granditatis, ad imum deprimit vanitatis.*

32. O Ludibrium humanarum machinationum! O dementiam non siccis oculis spectandam gloriæ inhiantium in ædificiorum molitionibus? destruunt plerumque, quæ sunt in se, ut ædificent, quod est extra se: erigunt pleraque ædificia, qui mente corruunt; parietes, & saxa in sublime attollunt, & animo labuntur ipsi ad imas elevantur superbiâ, & intumescunt ambitione, simúlque deprimuntur vitiis; nec operariorum sudores debita plerumque exsiccant mercede: nulla potest ædificiorum structura tantæ esse nobilitatis, tantíque pretii, quò celsitudine has mentis valeat ruinas compensare: majus semper est quod cecidit amore supersluorum ædificiorum, quàm quod possit ædificiis erigi: nec possunt hæc veram inædificare gloriam, cùm virtutes deprimant, quibus vera gloria nititur; & vitia promoveant, quæ gloriæ adversantur.

33. Nequeunt se ipsa erigere, neque se ullo modo juvare, quæ sursum eriguntur palatia, sed aliena ad id manu indigent: cùm sibi minimè sufficiant, sed ab aliis, & quidem ex infima plebe, ex Operariis conductis emendicent, hauriántque quidquid magnifici, & præcelsi jactant; nullam in alios possunt gloriam transfundere: hæc igitur non erigitur ædificiorum erectione, non stat cum ipsis ædificiis, quæ nihil in se continent, nisi cœnosa è terræ gremio erepta.

Quòd si unà cum ædificiis gloriam aliquam sibi inædificarent, qui ædificiorum substructiones ædificant, adhuc vera non esset, sed supervacua hæc gloria; quia innixa labentibus: vera non est ea gloria, quæ vel ruit, vel ruere potest, ac perire: hoc ipso gloria non est, quia perire potest. Ad quid ergo tanta auri, argentíque profusione, tanto impendio, hominúmque allaborantium sudoribus domus in speciem urbium sursum erigere? Ad quid tot marmora inducere, secare, polire? intimiora telluris viscera dilacerare, ut nec apud ipsos Manes sint lapides à manibus fossorum securi? Ad quid tot labores in lustrandis lapidibus? ut in delicias hominum videantur etiam rigidissima saxa mollescere; & extima domûs facies veluti fuco, ac cerussa oblinita, vultum videatur imitari fucatæ fœminæ? Ad quid tot aulas, tot sibi succedentes cameras uno congerere intuitu? an forsan ut Inculinus, Herúsque è remotissimis appareat, veluti lumen in sactario? an ut magnificum, nonnisi à longinquo perspici possit? Ad quid altissimas rectorum moles protendere, ac si non tam in ædes, quàm in cœlum ituri homines ædificarent? Quid juvat tot contignationes dividere, tot cubicula congerere, tot aulas ampliare cum humano corpori spatium sex, vel octo cubitorum abundè sufficiat? An ad ostentationem divitiarum hæ molitiones ædificiorum construuntur? Verùm quæ fuerunt divitiæ profusæ in ædificiis erigendis, ampliùs non possidentur, cùm alienas in manus transferint. Imò tametsi aliæ possideantur, non tamen veræ gloriæ ingerendæ aptæ sunt. 33.

Quis Salomone ditior, cui singulæ mundi partes quidquid pretiosi habuerunt in auro, quidquid pretij in argento, nitidi in gemmis abundè suppeditârunt; & tamen nullam ex hisce congestis divitiis hausisse gloriam, quin potiùs animi afflictionem testatus ipse fuit: *Coacervavi mibi argentum, & aurum, & substantias Regum, & Provinciarum: feci mibi cantores, & cantatrices, & delicias filiorum hominum, scyphos & urceos in ministerio ad vina fundenda; & vidi in omnibus vanitatem, & afflictionem animi.* Quis Cyro locupletior, qui devictâ Asiâ auri pondo triginta quatuor millia, argenti quingenta millia talentorum, seu quingentos nonaginta quatuor milliones, præter vasa aurea, & argentea infiniti pretij reportavit? & tamen nullam exinde gloriam detulit, cum hanc sola virtus pariat, non metalla cudant, nec lapides construant, nec ulla alia terræ ejectamenta promoveant. Quis ad calculos vocet Alexandri Macedonis congestas divitias? qui superato Dario ducentos tredecim milliones retulit, & octingenta quadraginta millia 34.

Eccles. cap. 2. vers. 8.

millia ducatorum; & ex una Asia vectigali sexcentos septuaginta septem milliones, centum sexaginta millia ducatorum quot annis acciperet in tributum; & tamen adhuc inglorium se novisse exinde conjicitur, quòd minimè potuerit se temperare à planctu, nec lachrymas coërcere; cùm novisset alios extare mundos, quos nondum debellaverat, nec sui juris fecerat. Quis auro, gemmisque onustior Sardanapalo? & nihilominus cum sexdecim millibus septingentis, quinquaginta millionibus coronatorum in rogum se conjecit fuso innataturus auro, vel potiùs naufragus meriturus.

35. Non igitur congestæ divitiæ, non auri argentique affluentia, quam ingentia produnt palatia, potis est veram gloriam ingenerare. Scio divitiis affluentes totam voluptatis pompam suis explicare in erectis palatiis; in quibus omnia venationum genera, & aucupij species mensas construunt; ubi non solùm generosiora falerna, verùm etiam pretiosiores gemmæ, ut luxus in poto sit illustrior, accersuntur. Fuitque Senecæ, causa ut conquereretur de ijs; *quibus gemma ministratur: quibus exoletus suspensam auro nivem diluit*; & Plinius eos redargueret, qui gemmarum potarent pretiositatem, & smaragdis calices texerent, & temulentiæ causâ, auro, gemmisve Indorum littora spoliarent; moris siquidem fuisse Regibus in Syria, ut aurea pocula gemmis pretiosissimis distinguerent, quo majori pretio sitim extinguerent, referunt prisca monumenta; imò scimus non solùm luxum in ferculis; aurum, gemmásque in poculis; verùm & psaltrias, ac fidicines, illices formâ virgines, ac calamistratos, comptulósque, symphoniacos pueros musicis artibus instructos accitos voluisse ex exteris etiam Provinciis, ut deliciis filiorum hominum simul principes perfunderentur, cùm isti vina funderent; vocat Agelius *lib. 1. cap. 11.* Fistulatores, Tibicines, Fidicines lascivientium, delicias conviviorum. Verùm neque in conviviis, quæ in palatiis struuntur, veram possunt convivæ gloriam enancisci, cum virtus temperantiæ plerumque allisa poculis spumantibus naufraga pereat.

*De providentia cap. 3.*

36. Imò non divitiæ tantùm, sed & ipsa palatia pereunt, & evanescunt. Quot nostris dietim obviant oculis antiquæ domus, in quibus tectum rimosa jam vetustate fatiscit; parietes defluunt fusca jam albedine dicolores; & domus tota dehiscentibus asseribus; confractis coctilibus imbricibus, stillicidia admittentibus, luxatis subscudibus; putrescentibus contignationibus, vitiúmque contrahentibus singulis jam parietibus extremam videtur ruinam minitari. Quòd si Cæsarum, ac priscorum Principum ab Historicis nobis descripta palatia lustraremus, nil aliud ibi deprehenderemus, quàm sterilescentes arenas, excisa rudera, inanem pulverem; hæc sunt nostris temporibus ingentia illa palatia, quæ non marmore tantùm vestita superbiebant, sed & columnis suffulta ad cœlum usque erigebantur: hæ illæ ad sydera usque substructiones, in quibus tecta ipsa solem æmulabantur splendore, cùm laquearia illucerent auro illusa.

Hæ sunt peramplæ illæ domus ædificatæ non humanis manibus, sed quasi divinis artibus; in quibus summa laquearia, vel nitorem referrent auri, vel curiosè excavati eboris, summam artis elegantiam; in quibus aureæ, vel marmoreæ columnæ ad omnem splendorem magnificentiam, parietes argenteo cælamine tegerentur; pavimenta lapide pretioso cæsim diminuto in varia picturæ genera discriminarentur. Hæ sunt illæ ædificiorum molitiones, in quibus munificientia cum regia Majestate certaret, & in quibus omnis ornatus ab auro, gemmisve suum mutuaret nitorem. Eò devenit ædificiorum luxus, quò non solùm interni ornarentur parietes, verùm & suprema tecta nitidiore vestirentur auro; sed cùm aurum eveherent, ab auro deprimebantur, séque infra aurum jacere, ea viri capti vanitate, testabantur; cùm enim aurum tegeret suprema tecta, nil splendoris adjiciebat sub tectis illis habitanti, ac immoranti; quin ejus dementia illustriùs se prodebat ad auri illius splendorem; non splendet, cui domus nitet, sed cujus virtus intus exculta foras se prodit: quisquis ædium suarum ornatum amat, non domus parietes auro illiniat, nec serico vestiat; sed se ipsum virtutum honestamentis exornet. Verus ornatus domûs, inquilinus est ejusdem: ædes suas abundè ornat, qui virtutibus se exornat; est tunc qui domum habitat, domui ornamento, quia virtutum ipse est domicilium; qui temperantiam domi excolit, suis abundè ædibus adjicit ornamentum; verè dixit ille apud Stobæum, *Ne tabulis, & picturis domum tuam circumda, sed temperantiâ ipsam depinge. Illud enim alienum est, & oculorum modò jucunda præstigatio. Hæc verò indelebilis, æternúsque domûs ornatus exstitit*: quàm elegans ornatus, qui à temperantia petitur? quàm plenus? si cæterarum virtutum cohortem secum trahat; non aulæis, non marmoreis crustis vestiantur parietes; sed virtutes excolantur, quibus domum inhabitantes probè oleant; turpe est, parietes domûs splendere auro; & ejus Inquilinum sordescere vitiis; insaniam prodit, lapides, & muros sericis obtegere aulæis etiam acu phrygia pictis, & propriam detegere, ac prodere turpitudinem in vitiis, quibus indulgetur: obtegere nuditatem parietum pictissimis telis, & propriam ignominiam palam facere neglectu virtutum, vitiorum fœditate; vel sub alieno tegmine propriæ infelicitatis propriam occultare turpitudinem: nituntur siquidem haberi pro felicibus, si amplam possideant domum, omni ornamentorum genere lascivientem, quovis metallorum splendore nitidam, cùm sordescant ipsi

*Serm. 2...* 37.

ipsi in vitiorum cœno; & in hoc suam produnt stultitiam, quis domos erigunt, erectas ornant, totúmque studium, ac laborem in domo mox cessura impendunt: & quod semper stat, seu anima squalet; domûs parietes omni curâ ornantur, & animæ domicilium prorsus negligitur.

38. Novi virum quendam divitiis affluentem, qui cum peramplam domum sibi in urbe ædificâsset, omnique pretiosiori supellectile ornâsset, picturis excellentioribus, aulæis, scriniis, speculis ad nobiliorem, elegantiorémque splendorem locupletasset; móxque lethali ægritudine decumbens, desperatâque à Medicis salute; sellâ se gestatoriâ deferri curavit per singulas domûs contignationes, singuláque cubicula, & reversus ad proprium, in quo decubuerat, heu crudele fatum! exclamavit, quod à tanta me eleganti domo divellit! tot ego impendi pecunias in construenda hac domo; tot insomnes traduxi noctes, ut eidem construendæ invigilarem; tot subivi labores, fudi sudores, sustinui molestias, ut domum meo conformem genio ædificarem, eámque ea pretiosiore supellectile ornarem, quæ mihi, meisque amicis magis esset oblectamento, & heu crudele fatum, quod me mox separat à mea domo! O Deus! nunquam à te Regnum tuum petii, & cur Tu mihi hanc domum invides! sed frustra voces has blasphemas jactavit, frustra execranda hæc verba evomuit, quia nec domum obtinuit, quam ita perfidè concupierat; an verò cœlum, quod minimè desideraverat, impetraverit, citra injuriam potest quis dubitare. Hæc est gloria, quam è domorum substructionibus exigunt, qui divitiis affluentes toti sunt in domibus erigendis, & exornandis, plerumque propria perditio.

## §. VI.

*Templa referunt Ægyptiorum, & à sana mente cadunt, qui immodico affectu ædificiis erigendis, poliendis, ac ornandis incumbentes, se ipsos vitijs devenustant.*

39. Quos studium erigendæ, & exornandæ domus occupat, & vitia quibus indulgent intus fœdant, similes dixerim Ægyptiis templis, in quibus exstruendis tota cura impendebatur, ut in structura, totum esset pretium, ad quam propterea totum artis ingenium desluebat: erant ibi coronarum projecturæ, quæ marmoreis, aut æneis terminarentur cancellis, surgebant columnæ, quæ parietes ornarent potiùs, quàm fulcirent, quadratæ, teretes à summo ad imum scapum striatæ, turbinatæ, in spiram in cariatidum speciem effectæ; epistylia columnis imponebantur guttis, tænijsque per oram & marginem flexis; pavimenta secto, ac perpolito marmore non secus ac tersum nitebat speculum; parietes, & laquearia auro illita splendores utrinque emittebant. Verùm templa hæc ab Ægyptiis ad summam exstructa magnificentiam intus nonnisi deformem, ac vilissimam continebant belluam: qui enim in spectantium admirationem palatia erigunt, & erecta incolunt, si ipsi vitiis indulgeant, morúmque fœditate sordescant feris haud dissimiles fiunt: quos enim virtus homines efficit, hos vitium fœda metamorphosi in belluas transmutat; ut non homo, sed vilissimum brutum speciosissimam inhabitet domum, ubi perinde ac brutum in Ægyptiorum templis flexo à populis poplite colitur. Quàm utiliùs, honestiúsque sibi ædificant, ac propriæ gloriæ domum construunt, qui solis incumbentes virtutibus earum studia excolunt: divitem, regiámque domum inhabitat, qui virtutum ornatur honestamentis, & in studiis virtutum jugiter occupatur, ut scitè de S. Basilio edixit S. Gregorius Nissenus inquiens: *sobrietas illi pro domicilio erat, justitia autem, & veritas, & castimonia pro splendidis, & magnificis, atque visendis, & conspicuis ædificiorum ornamentis, in quibus habitator magis delectatur, & placebat sibi, quàm qui in marmoreis, & auratis ædibus gloriantur.* Orat. de S. Basilio. Ab homine deficiunt, cadúntque, qui in domibus erigendis exteriùs occupantur, neglectâ interiùs virtutum culturâ.

40. Lapidei potiùs, quàm humani sunt, quibus nulla est cura internæ spiritualis domûs, & totus labor, totáque solicitudo impenditur in exstruendis exteriùs lapideis domibus, ut aliquid sibi gloriæ construant, ut ait David: *hi sunt, qui vocaverunt nomina sua in terris suis.* Psalm. 48. Inanis est ea gloria, quæ cadentibus innititur parietibus; quid enim sunt ampla palatia nisi laxiora curarum, fraudiúmque receptacula? quid prodest ornatus domorum, si animus intus devenustatur? quid auri nitor, gemmarum fulgor? si mens inhabitantis curis exagitata, cogitationum fluctuat tumultu? nil conducunt ad gloriam ingentia palatia, immensa divitiarum profusione erecta, si interdum excludunt quietem, & ab iisdem animi jugiter exulat tranquillitas. Neque quidquam adferunt solaminis congestæ intus divitiæ, cum hæ ex gravissimo Christi testimonio non flores sint, sed spinæ, quæ curis animum lancinant, & pertrahentes ad peccatum quasi inflicto vulnere cruentant. Neque ullum adferunt solatium, quæ in palatiis construuntur convivia, quid enim prosunt tot fercula plurium patrimoniorum impendiis, vel etiam provinciarum vectigalibus parata? etenim cùm primùm stomachum subierint, singula eadem fœditas corrumpit; & luxus, qui videbatur arridere in epulis, luctum plerumque excitat, lachrymásque elicit ex oculis. Quid prosunt pocula illa auro cælata, gemmáque multiplici inoculata, si æquè ex conita propinant, ac vitrea, vel fictilia? Non me latet

latet in sylvis, quas Africa nutrit æquè summo labore, ac periculo ab incolis capi feras, quæ nonnisi magnâ curâ,& solicitudine possidentur, cicurantùrque; quæ sæpe possessores suos discerpunt, interficiunt: ita dixerim; voluptates,quas Magnates suis aucupantur in palatiis, vel in ducendis choreis, vel in deglutiendis ferculis, aut exsiccandis calicibus, aut aliis sensuum illecebris, feræ sunt, quæ tametsi videantur cicures arridere, discerpunt tamen, enecántque frequenter, cùm nulla ferè sit in terris felicitas, cujus extrema luctus non occupet, ac citò evanescat. Fluxilis procul dubio fuit Servij Tullij felicitas teste Floro, quem ex infima plebe, pinguiot, & arridens fortuna ad summum evexerat honoris culmen. Documento est itidem nobis Nero, qui rebus ad extremum perductis, ac desperatis, ut se supplicio subduceret, & inter amicos percussorem quæreret, & cunctis fugâ dilapsis nemini obviaverit, cujus manu periret, se ipsum miserè interfecit. Lib.1.cap.7.

41. Fortuna, quæ Magnatum videtur palatia inhabitare, ibique pinguescere inter fercula, arridere inter illecebras sensuum; plerumque noverca est, quæ blanditur, ut enecet; ridet, ut lachrymas eliciat; epulas apparat, quibus gravedo deglutitur stomachi, & pernicies totius corporis; solet siquidem luxus in epulis totam morborum cohortem post se trahere, & plerumque,aurea inter pocula, gemmeósque calices sanguine, & veneno luditur. Spectandum nobis exhibent sacræ paginæ Amnonem jam temulentum Absolonis jussu confossum, mensásque ipsas suo sanguine fœdantem. Holophernis vino madidi mutilum cadaver in suo sanguine volutatum: & monumenta ecclesiastica referente Baronio ad annum Christi 571. præ oculis ponunt Rosimundam Helmigi scelerum suorum participi venenum auro propinantem, & ipsam gladio adactam, ut residuum exsorberet, postquam in parentis granio, quod Alboinus maritus in ludibrium auro incluserat, se haustu vini polluisset; nullam igitur gloriam suis Magnates emancipuntur in palatiis, in quibus construendis unà cum ærariis interdum etiam mentem evacuant tranquillitate expulsâ; cùm sint iisdem potiùs occasio vitiis indulgendi, quibus inglorii mortalitatem exuunt: hæcque ratio evincens,ædificia terrena gloriam potiùs destruere, quàm erigere; extinguere potiùs, quàm ædificare: eriguntur domus, & plerumque deprimitur homo; ornantur ædes, & devenustatur anima; luxus invehitur, & luctus evehitur; vestiuntur nuditates parietum, & honestamentis virtutum denudatur anima. Quid prosunt domorum erectiones si suos deprimunt erectores? quid ædium ornatus, si herum devenustant? certè, cùm hinc abeundum erit, depriment ædificia magnificè erecta mentem ædificantis; & quò ædificia largitioribus sumptibus extructa fuerunt; eò acriùs torquebunt; majorésque iogerent molestias; tunc enim spinas sentiet mordeotis conscieotiæ, simúlque inclamantis,satiùs, utiliúsque impensas fuisse pecunias, factósque sumptus in solatium pauperum, io levamen miserorum, quàm in domos construendas, lapides secandos, parietes erigendos, ædes ornandas. Præstat ait Musonius apud Stobæum,Pœnitentiam antevertere, & seriò perpendere quanto clarius sit, miseros beneficiis afficere, quàm domum splendidè inhabitare: convenientiùs viro cordato sumptus in homines facere, quàm in ligna, & lapides; utiliùs multos possidere amicos, quàm amplam domum occupare. Serm. 1.

2.Reg.cap.13. Iudith.14.

Certè ille verè ædificat, qui sumptus à superfluis subducit ædificiis, à lapidibus eximit, quos spargit in pauperes; hi siquidem utiliùs inserviunt cœlesti fabricæ perficiendæ, ut ad cœlestem habitationem precibus eos erigant, à quibus beneficæ largitatis muneribus eriguntur, ac sublevantur. Quæ in terris construuntur ædificiorum molitiones, nullam possunt veram hominibus spondere gloriam, cùm & ipsa ædificia lapsui obnoxia surgant, ut ruant; stent, ut cadant; ornentur, ut devenustentur; in sublime conscendant, ut tandem solo æquentur, ut scitè Syracides: *Cùmque me convertissem ad universa opera, quæ fecerant manus meæ; & ad labores, in quibus frustra sudaveram, vidi in omnibus vanitatem, & afflictionem animi, & nihil permanere sub sole*, quódque vel maximè in senio jam confectis lugendum, quos licèt gravitas ætatis, annorúmque pondus incurvet, deprimátque in sepulchrum, adhuc cogitant de domibus construendis, de lapidibus secandis, palatiis erigendis, non sepulchris excavandis; ac si redivivi phœnices suo essent è cinerario iterum mundo nasdituri; miseram certè senum sortem! quibus quò minus superest vitæ, amplior de viatico, & mansione est cura; quò breviores sunt dies, eò laxiores sibi construunt ædes, quasi æternùm essent cum iisdem duraturi: pulchrè Horatius alloquens senem capularium, cui totum studium erat in perampla construenda domo. 42. Eccles.2. Lib.2.Ode18.

*Truditur dies die,*
*Noveque pergunt interire Lunæ,*
*Tu secanda marmora*
*Locas, sub ipsum funus, & sepulchri*
*Immemor, struis domos?*

Cogitanti non de domo erigenda, sed de sepulchro sibi construendo mors portus est malorum, perfugium ærumnosæ vitæ; est siquidem mors requies ærumnarum in lucta, & cuncta mortalium mala dissolvit. An extrema laborantes senecta ædificiorum substructionibus, marmoribúsque congestis, censent nomina sua io terris perenna-

rennare? ac memoria superstite vivere inter mortales post obitum? falluntur; quia etiam insculpta lapidibus nomina unà cum ipsis saxis delentur, & corruunt: testis Ausonius, qui Romæ rudera collapsæ vetustatis lustraturus, cum dehiscens cujusdam Cæsaris Sarcophagum inspexisset pluribus ornatum statuis, sed jam semiexesis, corrosisque delapsi temporis voracitate, nec sculptos ibi, quasi ex integro deletos characteres posset legere; nec quid indicarent conjicere; pulchrè cecinit;

*Miramur periisse homines monumenta fatiscunt.*
*Mors etiam saxis nominibusque venit.*

41. Nihil in terris stabile, nil diuturnum, nihil stat, quod non corruat, nil assurgit in ædificiis, quod non cadat; nil eminet in fastigio, quod solo non æquetur; dic ubi nunc superbiæ illud monumentum turris Babylonica? cujus apex adeò in sublime fuit, ut nubes pertingeret. Fuit opus istud erectum futurum monumentum adversus aquarum eluviones, si iterum terras inundâssent, & ejus altitudo ad commendandam gloriam conditorum toti orbi, totique posteritati eorundem memoriam; & hæc causa, cur omnes non aures magis, quàm manus paratissimas exhibuerint ad opus, quod ferventissimis omnium studiis illicò inchoatur, urbisque dimensis spatiis, pomeriisque; limóque egesto è collecto certatim bitumine, compinguntur, excoquuntúrque diu, coctúque lapides: statimque disruptâ quavis morâ murorum, propugnaculorum, turrium, ac domorum firmissima demittuntur fundamenta, & præsertim turris in urbis erigendæ meditullio, cujus structuræ hominum quingenta millia dicuntur desudâsse; si enim Herodoto cre-dimus murorum crassitudo integri fuit stadij ex lateritia materia, adeò ut æquaverit spissitudo parietum italici milliarij octavam partem; fundamentorum autem latitudo longè laxior, templum ibi aderat quadriformi figura, cujus ambitus stadia duo æquabat.

Sed ubi nunc hujus præcelsæ molitionis structura? si olim ejus fastigium nubes ipsas penetravit, nunc solo æquatur; & immane illud ædificium sordescit mox in pulvere, quamvis antea superbierit in nube. Ubi nunc famosa mundi miracula? pensiles Semiramidis horti? Ephesinum Dianæ templum? Fastigiatæ Piramidum in Ægypto moles? Herculis in mare Gaditano columnæ? ubi nunc Rhodius solis Colossus? ubi Cyri Regia? Mausoli sepulchrum? Aureum Neronis palatium? Diocletiani thermæ? Antonini balnea? Caligulæ pontes? Pompei amphitheatra? corruerunt hæc omnia, solóque nunc æquata jacent, nec ullum singularis magnificentiæ vestigium superstes extat, quia nil permanet sub sole. 42.

Quot olim floruerunt civitates, quæ lapsu temporis, & ipsæ ceciderunt? quæque nobiliora assurgebant ædificia, humi nunc jacent, alio pulvere consepulta, aliisque commixta lapidibus, ut ubi olim peroràverint homines, nunc ululent noctuæ; serpant humi insecta, ubi homines spatiabantur; rigescant saxa, ac rudera, ubi fœminæ ad mollitiem comptæ ambulabant; crescant vepreta, ubi disciplinæ, & artes floruerunt; nec ullum sit ampliùs superstes vestigium, ex hisce urbibus, quæ olim floruerunt; quia nihil in terris est diuturnum, nil durabile: non opes, non Imperium, non potentia, non ædificia, sed omnia corruunt, labuntur cum tempore, fluunt cum annis, & evanescunt. *Omnia vana præter amare Deum, & illi soli servire.* *Tho. à Kem. lib. 1. c. 1.*



DIS-

# DISSERTATIO IX.

## Superbus præeminendi affectus per vanæ gloriæ præstigia, quos inflat dementat, evacuat, ac transfigurat.

### §. I.

*Vana gloriæ affectus suos appetitores corrumpit depravat, ac vitiat.*

1. Est superbia vana jactantia, mentisque tumidus fastus, & vitiosa elatio, quæ inferiores despicit paribus satagit dominari, seque superioribus, vel æquare, vel iisdem præesse, & ideo subesse cogitur, quia præesse nititur. Ea enim videtur esse rerum humanarum conditio, & non solùm hominum; verùm & animantium, ac plantarum, ut res illæ, quæ cæteras antecedunt, ut plurimum iisdem virtute cedant, vel in deterius delabantur. Præcessit nativitate Esau, sed primogenituram Jacobo cessit; Magdalena tardius, quàm Pharisæus Christum agnovit; sed gratior accessit ad convivium lachrymis, quàm Pharisæus ferculis; lautiùs excepit illa Christum fusis lachrymis, quàm iste effuso falerno: quia accubuit illa pedibus, surrexit generosior;quia sedit iste temulentus cecidit inglorior. Ex plantis omnium ultima divitias explicat suorum fructuum olea, sed pretiositate eorundem cæteras antecellit plantas,maturiunt in agro postremæ cæterorum fructuum olivæ, sed earum liqoor ignem nutrit,quem servat in terris,conservat in aris. In humano corpore post cætera membra oculus efformatur, sed dignitate,& pulchritudine tarditatem compensat, & cæteris membris est præstantior. Præit horis antelucanis aurora solem, sed illa obscurior est, &ad hujus accessum prorsus extinguitur. Citiùs splendet vitrum, etiam in cunis vix in lucem editum; suúmque ab obstetricantibus flammis, mutuatur nitorem: è converso gemmarum nobilissimus adamas, nonnisi post diuturnum laborem eruditur ad nitorem; sed vitrum præcedens claritate adamantem, huic cedit præstantiâ naturæ, nobilitate nitoris, & firmitate materiæ: quia si vitrum statim splendet, citò etiam frangitur, & vix ullum sustinet lapsum; adamas verò licèt nonnisi tardè suos delegetnitores, diutiùs tamen eos retinet,malleóque resistit, & incudi. Florent citiùs cedri, quarum fructus longè tardiùs adolescunt, maturiúntque; sed odore destituuntur flores, cùm fructus suavissimè oleant.

Cedrum imitatus D. Paulus nollam in flore adolescentiæ odorem emisit excultæ virtutis: at ætate maturior Christi bonus odor factus, adeò benè olevit, ut potiorem gentium partem traxerit in odorem evangelij. Lasciviunt citiùs virore prata, luxuriántque flore, quam frugiferæ arbores; sed istæ homines nutriunt, illa pecudes alunt. Vix ranæ è cœno natæ, veluti adultæ statim coaxant; cùm luscinìæ in nido editæ priùs audiantur pipientes, quàm canentes; sed illæ citiùs edoctæ coaxare, vel in ipso senio obstrepunt ad aures flagellandas, non titillandas & demulcendas; lusciniæ verò modulos, quos ab initio non depromunt, elegantiùs instituunt; & quò cunctatiores sunt, eò suaviores aures alliciunt. Viliora nimirum sunt quæ præcedere nituntur: citiùs fructu; in quavis arbore flos erumpit, sed iste rudis est fructûs embrio. Homo etiam ipse inter animantes fuit à DEO ordine postremus conditus; sed dignitate cæteris præest, in hominis generatione, corporis productio animæ præcedit creationem; sed hæc est nobilior, sine qua corpus languet inanime, & putrescit in vermes. Præcox fuit Saulis Regnum ex Agasone Princeps salutatus; sceptrum enactus inter jumenta natus, quæ enim quæreret regium invenit diadema, ex stabulo statim conscendens thronum. Cunctatrix, & tarda fortuna Davidis; prolusit siquidem adolescens cum Leone, lusit cum ursis, dimicavit cum Philisteo, profligavit gigantem, luctatus fuit cum Rege; quantum laboris impendit? quantum periculi subivit? quantum sanguinis profudit? quantum sudoris effudit, ut pastoritium baculum in sceptrum mutaret? rudémque penulam in nobilem purpuram? sed Saulem, cui fortuna citiùs arrisit, for/ocyus irrisit; deturbatus enim fuit illicò è folio, dejectus è Principatu, exclusus à Regno unà cum sua posteritate:secusDavidis thronum adeo firmum fundatumfuit, ut regni ejus non sit finis. 2.

4. Sera fuit Saræ fœcunditas, sed Isaacum peperit. Diuturna Annæ sterilitas, sed ejus partus sanctior. Prolem desperaverat Zacharias, sed in frigida senectutis hyeme Joannem genuit. Jacobi felicitas quàm tarda fuerit, quàm cunctabunda, ex eo conjicitur, quia delusa fuit in uxore, periclitata in filio, nutabunda in parente, profligata in filia, eluctata in nepotibus, fraudata in hospitio, oppugnata in itinere; etenim Jacob adhuc infans pugnat, adolescens laborat, senex peregrinatur; cum lacte infantiæ amaritudinem sugit; in flore adolescentiæ spinas experitur; in hyeme senectutis ærumnarum sentit procellas, ad quarum cumulum superstitem luxit filium. Verùm licèt fuerit ejus fortuna tot præpedita vinculis, defatigata itineribus, vexata molestiis, obruta calamitatibus; cùm primùm tamen eidem cœpit arridere, ad eum prosperitatis cumulum accessit, ut stellarum numerum excesserit. Fœnum veris primogenitum cæteris virore antecellit plantis, sed citiùs arescit: & rarò initiis suis affines sunt fines; Salomonis initia summam visa sunt attigisse felicitatem, sed Principatûs extremum miseriæ cumulârunt; siquidem templi exstructionem, sapientiæ infusa lumina, visionum immissa mysteria, sacrificiorum indictas victimas, doctrinarum scriptos libros, divitiarum opulentias, pacis felicitatem, Principatus gloriam fœdissimè clausit idolorum cultus; *quia si humilitas homines sanctis Angelis*, ait Augustinus, *similes facit; superbia, & luxuria ex Angelis Dæmones facit:* est enim superbia omnium peccatorum initium, finis, & causa, & ut loquitur D. Gregorius, *Radix est omnium malorum, mater cunctorum vitiorum:* adeo ut septem principalia vitia de superbiæ virulenta radice proferantur; scilicet inanis gloria, invidia, ira, tristitia, avaritia, ventris ingluvies, & luxuria; simulque, quos in sublime elevat, in ima detrudat: superbiæ siquidem nullus est terminus nisi præcipitium, & ruina; contingátque propterea spiritu superbiæ inflato, quod in fabulis testudini, quæ cum volatum affectâsset, ab Aquila in sublime evecta, & mox ab eadem dimissa ipso lapsu miserè collisa interiit; vel quod cuidam sub Nerone Icaro (quem Simonem Magum fuisse Philastrius cum aliis adstruit,) hic siquidem referente Baronio anno Christi 44. cum volatum in sublime tentâsset, vix binas adscititias explicuerat alas, cùm juxta Principis cubiculum decidens totum respersit cruore pavimentum.

*Epist. ad Dioscorid.*

*In Moral.*

4. Sed uberiora nobis argumenta suppeditant sacræ paginæ, in quibus passim nobis obviant superbientium lapsus. Plexit siquidem Deus statim in primo mundi conditi exordio æterna infamiâ superbum Luciferum. Condiderat mundum Sapientissimus Opifex Deus, bonitatem suam diffusurus in creaturas, omnémque ejus ornatum, ac creaturas singulas sive vegetantes cum plantis, sive sentientes cum animantibus, sive discurrentes, simúlque sentientes cum hominibus; & quia amplissimas, ac propemodum immensas cœlorum sphœras nulli obnoxias corruptioni fornicis instar dilataverat; & in iisdem ad cœlum empyreum deliciarum omnium patriam creatis destitueretur colonis spiritus Angelicos condidit, mentes scilicet purissimas ab omni corporea concretione defœcatas, multitudine propemodum innumeras, quas in tres divisit Hierarchias, in quarum suprema collocavit *Seraphinos* ferventissimo divinitatis amore flagrantes; *Cherubinos* scientiâ Dei profundissimâ splendentes; & *Thronos*, qui Deo sedenti in sua Majestate assisterent, rèsque pacatè servarent. In media *Dominationes*, quæ cæteros cœlestes spiritus adjuvarent, ad Dei gloriam extrinsecùs promovendam, *Virtutes* quæ expeditæ essent ad opem Angelis inferioribus largiendam, qui circa divina occupantur obsequia, & ad corpora tuenda destinantur: *Potestates* ad Diabolicas irruptiones retundendas. In ultima *Principatus*, qui universam naturam humanam adjuvarent, hominibúsque tuendis præsto essent, ac veluti primi Duces qui opus inchoarent, & executioni mandarent: *Archangelos* qui celsioribus nuntiandis, Provinciisque administrandis præficerentur; & demum *Angelos*, qui ut Nuntii ad homines mitterentur particulares, & ad eosdem privatim dirigendos destinarentur. Hujusmodi defœcatissimæ mentes, vel scintillæ de sempiterni luminis facibus accensæ, ac in plures partitæ ordines, aliæ aliis ita præstant, ut superiores, mentes illuminent inferiorum, quibus suas cogitationes, & affectiones communicant: omnes siquidem Angeli instructi sunt vi acerrimâ intelligendi, ac inflammatâ in Dei amorem voluntate, & summa agendi celeritate præditi, ornati ea potestate, & dignitate, quæ vix animo comprehendi possit, súntque integerrimi, castissimi, pulcherrimi æternóque lumine circumfusi.

Quamvis Angelus nil aliud sit, quàm pura mens, purus putus animus, non tamen ex eo igne delibatus, quo sydera splendent, vel cœli torquentur axes; sed vigor est excitatissimæ mentis, tantò expressiùs ad æternæ pulchritudinis conformatus exemplar; quantò de ejus fonte propiùs, uberiúsque respergitur: huic accesserunt egregiæ naturæ tam præsidia, quàm ornamenta; gratiæ, ac virtutum dona amplissima; adeò ut unicum duntaxat ad perfectam felicitatis consummationem in pluribus ex iisdem defuerit, scilicet *perseverantia*, à qua defecerunt ob superbiam unius turbatoris Luciferi. Tametsi mirè in ipso splenduerit quidquid ornamentorum spiritualium, quidquid gratiæ, & naturæ dotium cæteri novem Ordinum Angeli possiderent, quibus in Principatu præerat; attamen spiritu superbiæ inflatus, quia æqualitatem DEI Conditoris concupivit à summo suæ felicitatis fastigio 5.

gio

gio deturbatus in imum protruditur miseriarum: *Sedebo in monte Testamenti in lateribus Aquilonis*, aiebat, superbiâ elatus apud Isaiam. *Ascendam super altitudinem nubium similis ero Altissimo in cœlum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum, sedebo in monte Testamenti.* O superbientis animi cæcitatem! ipsum etiam Dei solium impetit, & nisi Altissimo exæquaretur, putat se humi repere; tametsi omnibus cumularetur gratiæ, & naturæ donis, adhuc superbienti menti hæc viluerunt, maluitque hisce destitui, quàm spe privari, quæ illi videbatur affulgere, ascendendi ad Dei Solium. Furit superbia, cui si spes aliqua dominandi suboriatur, cætera, quæ accepit beneficia, nihili facit. Cap. 14.

6. Quæ non detulit David Absoloni, ne imperandi æstu insaniret? nonne eum ab exilio revocavit? in Regiam admisit? amplexu, & osculo eum dignatus fuit? nonne Hierosolymam ei reliquerat? & nihilominus tot cumulatus beneficijs coërceri non potuit, quin ejus superbia in parentis cædem conjuraret, & tunc tantùm desijt insanire, cùm desijt superbire, & vivere: ita Lucifer tametsi omnibus naturæ, & gratiæ ditesceret muneribus, adhuc superbiâ elatus, quasi ipsi Deo supremum invideret Principatum, ejus thronum ambivit, sciditque in factiones reliquos spiritus, quorum partem in suam pertraxit societatem, perseverantibus alijs in sua felicitate, in qua à Deo conditi fuerant, quique contra Luciferianos acriter insurrexerunt: primùsque atrocis prælij Dux Michaël fuit unus ex Seraphinis, qui Angelici sermonis vocibus desertores attonans dixit: *Quis sicut Deus?* simúlque cum cæteris socijs Deo fidelibus contra Luciferum, ejúsque asseclas pugnavit, non districtis gladijs, sed præconceptis odijs; tenuítque pugna arbitrio Dei, quoad ei visum fuit, & perseverantes in pravo, prometritis punivit cladibus, ac adversariorum emeritam virtutem præmijs affecit, & tunc statim Dei fulminante decreto instar fulguris è summo cœlo præceps deorsum cecidit ad tartara Lucifer; quique in cœlo nitidissimus fuerat donorum omnium naturæ, & gratiæ splendor, fit repentè fœtidissimus apud inferos Titio; ut qui fumo superbiæ supra suam nitebatur conditionem evehi, fumo Titionis apud tartareum ignem torqueretur: qui veluti fulgentissimum sydus claruit cœlo conditus, tanquam nigerrimus carbo omni decore caruit, & veluti in nutrimentum gehennalis flammæ detruditur in tartarum. & ex miraculo venustatis, ex epilogo elegantiæ repentè omni destitutus honore, omníque spoliatus venustate in teterrimum, fœdissimúmque vertitur cacodæmonem. *Quomodo cecidisti de cælo Lucifer, qui manè oriebaris plenus sapientiâ, & perfectus decore?* quomodo arridentem splendorem in tetram caliginem; lucis claritatê in tenebrarum horrorem; elegantiæ venustatem, in spectrum deformitatis; delicias Angelorum, in hominum, ac inferorum commutâsti horrores? Quæ hujus deplorandæ metamorphosis causa fuit? certè non alia, quàm unica superba cogitatio; hæc non solùm Luciferum à summo cœlorum ad ima detrusit tartari, sed plures Angelorum milliones è cœlesti Aula illicò præcipites egit in æstuantes jugibus flammis voragines; quódque pejus, quia nullus pœnitentiæ, nullus misericordiæ, nullus recuperandæ venustatis ampliùs relictus est locus, nulla resurgeodi ampliùs spes affulget, *Non enim Deus Angelis peccantibus pepercit; sed rudentibus inferni detractu in tartarum tradidit cruciandos*, scribit S. Petrus. Quòd si rebellantes Angeli nullum in cœlo asylum invenêre, non sperent in terra perfugium, qui Numinis abutuntur bonitate. Ezech. 14. Epist. 2. cap. 2.

7. Quòd si unica duntaxat superbia, unicum capitalis criminis delictum tam severum promeruit judicium, tamque horrendum supplicium, qualis illucebit spes ijs, qui in cœno mille flagitiorum jugiter sordescunt? qui ad vindictam innumeris delictis Dei iram provocant? qui in cœno diu, noctúque volutantur venerearum voluptatum? sapiant isti saltem alieno periculo, si desipiunt proprio; sítque ruina majorum potior cautela minorum, ut monet D. Gregorius. *Ecce Lucifer decor Angelorum, splendor cælorum, delicium cælestium spirituum praceps in tartara ruit*, quia ut legitur apud Lucam. *Videbam Satanam de cælo sicut fulgur cadentem.* Timeat superbia, quæ cùm nititur ascendere, præceps deorsum ruit, & quidem derepentè quavis disruptâ morâ: lapsus siquidem Luciferi è summo cœlo in imum tartari fulguri pariatur ob descensûs velocitatem, eò quia statim ruerit, & ob splendoris brevitatem, quæ suo extinguitur in orcu. Lib. 4. in 2. Reg. cap. 2. Luc. 22.

8. Hæc est superbiæ indoles ab Altissimo recedere, cùm altiùs erigitur; in imum detrudi, cùm ad sublimiora evehitur; delabi cùm in sublimius nititur, imò sibi ipsi factus carnifex, se torquet, dilaniátque, vel ob minima, quæ aliàs nullius censentur momenti: quid enim exilius, quid invalidius salutatione unius, vel alterius famuli, aut rustici, & tamen quod flocci faciendum est, efficax fit instrumentum acriùs pectus torquendi superbientis; cui enim Deus maximus subducitur, vel ipsa minima apparent maxima, quibus acriùs dilanietur: quòd si superbia adeò minimis cruciatur, quid si in maxima impegerit: si omissa salotatio unius mancipij pectus trajecit Amani? quid damni non attolisset impacta alapa?

9. Tametsi superbientis pectus nullo inflicto vulnere saucietur, nec sanguinem fundat, pungitur tamen acriùs ejus cor ex sibi denegato obsequio, adeò ut vel ipsæ omissæ salutationes, quovis districto gladio le-

Psal. 83. thaliùs feriant, eò quia superbientis pungant tumorem, hinc David: *Sagittæ parvulorum facta sunt plagæ eorum:* non dicit Propheta, elatum superbientis cor jaculis parvulorum confodi, sed vel ipsas sagittas quamvis non vibratas, ipsa tela licèt non ejaculata, quamvis adhuc reposita in theca, nec missilia, nec in jugulum directa, esse validissima ad infligenda vulnera superbientibus; quia superbiæ pervium, & apertum fit vulneri pectus; non enim ut pectus superbiâ tumidum sancietur, necessè est, ut nudentur gladij, vibrentur sagittæ, sed sufficit, si tela ostendantur, si gladij indicentur, *quia sagittæ parvulorum factæ sunt plagæ eorum*, scilicet superbientibus infligunt vulnera non sagittæ jactæ, sed ostensæ, ac ventilatæ manibus infantium; quinimò vulnerant, quamvis sine cuspide, quamvis retusæ, & umbratili duntaxat puerorum destinatæ certamini *sagittæ parvulorum factæ sunt plagæ eorum*, id est, non pugnantium sed vulnera infligenda, ad cruorem effundendum, ad necem inferendam; sed parvulorum simul ludentium, & ad ostentationem manibus contrectatæ,

10. Ad superbiæ tumorem feriendum sola sufficit vulneris indicatio, si superbiens putet ex contemptu non fuisse sibi obsequium præstitum, famulum pileum ad genu usque detecto capite non demisisse: suúmque dedecus arbitratur, quod alij persæpe ex sola omittunt inadvertentia. Hinc Isaias pulchrè superbum flori comparat, adeo delicatulo, cui vel solaris radius plurimum afferat nocumenti, occeátque lux ipsa, quæ plantis summæ est utilitati, & hominibus, brutísque oblectamento: nil superbiâ delicatius, fragilius nihil; sed nihil etiam vilius. Tulipam intueamur, in qua naturæ licentia videtur laxiùs lascivire. Flos est versicolor, in sublime foliorum pompam dilatans; sed si ejus radicem penetremus, cæpa est, ex qua bina diluto virore pallida folia erumpunt; dein nondum coloratâ venostate adhuc viridis, flos herbeus pubescit; móxque impellitur succrescente scapo, qui medullâ duriore robustior, ac rotundus in palmarem, pedalem, vel etiam cubitalem protenditur altitudinem; modò rectus, modò in anguineam tortilis spiram: & quamvis præcox tulipa interdum brevissimo è caule vix è terræ sinu elata emineat, hæc tamen sua explicat folia virescentia, terna, vel quaterna, aut quina crassa, oblonga, carinata, & nonnunquam per oras modicè reflexa, & crispula, vel pendula, aut surrecta, quæ veluti floris satellitium minuta infecta arcent, ne in esulem tepentia pictis à natura in supremo flore coloribus inferant nocumentum: superbit siquidem flos discolor senis, vel septenis, & nonnunquam etiam octonis venustus folijs, quæ solaribus aperit radijs in calathi, ciathique, vel resupini pilei effigiem: complicat verò tecedente sole; quasi nonnisi solum velit solem discoloris suæ pompæ spectatorem; cùm nonnisi soli suum adsperiat sinum: sed si cæteris videtur floribus magis superbire, adhuc cæteris est tulipa inconstantior, & veluti florum Protheus alternis annis alios induit colores, quibus plerumque à primigenia deficit venustate, desinítque nonnunquam etiam in solam herbaceam viriditatem omni destitutam venustate, omníque carentem elegantia: quia quos superbia extulit, eosdem deprimit natura ipsa.

## §. II.

*Tumidus excellendi affectus superbientes protoparentes exclusit extorres à paradiso felicitatis, & detrusit miseros in ærumnarum abyssum.*

Non Angelos tantùm superbia è summo cœli fastigio in imum detrusit inferorum, è meridiano cœli jubare in tenebricosas dejecit tartari caligines: verùm etiam primos homines è terrestri coëgit paradiso exulare. Condiderat summus Opifex Deus ex humo primum hominem, & ex ejus costa Evam, vitæ, thorique consortem, quibus etiam regimen commisit cæterorum viventium. In lautiorem mensam terrarum omnium longè, fatéque frugiferum orbem exhibuit; & mansionem constituit paradisum terrestrem, seu hortum ad omnem consitum amœnitatem, qui sedes esset honestæ voluptatis, feráxque vivarium omnium deliciarum, in quo cœli serenitas semper rideret, syderúmque clementia arrideret, cœlestis auræ placidissima temperies faveret, tellus jugi virore vestiretur, omniúmque florum ornaretur genere; licèt nec suis æstivis temporibus messium felicitate frustraretur, nec suis autumnis fructuum ubertate: fuit hortus ille, præ quovis alio terrarum tractu semper ridens; & deliciarum, quà corporis, quà animi refertissimus; aër ibi salubris, & verna quadam temperie pacatissimus. Quamvis per quatuor tempestates sibi motuis vicissitudinibus succedentes tempus annuum sui cursûs periodum compleret; non tamen hæc tempestatum successio quidquam elementiæ cœli, temperiei sëris, viriditati florescentis telluris abstulit, nec imminuit, quia non illic ignei æstus, torpidúmque gelu, non horridus rigor, non amnes, & torrentes rigido frigore concreti in glaciem obriguerunt; sed blandissimus tepor unà cum aëre aquam, & tellurem exhilaravit, ibi enim nullæ nebulæ, nec nubes, quibus sër fœdaretur, nullæ procellæ, quibus turbaretur, nulli imbres, fulmina nulla, cum ibi ver perpetuum floreret, & arbores, vel in spem fructûs se induerent floribus, vel in complementum spei, se fructibus onerarent. Et ne arbusta, & plantæ sitirent, spésque hominum arelcerent, fons in-

11.

ingens ex horti meditullio saliens pellucidos latices abundè suppeditabat, cum pares maximis fluvijs protrumperent; in quatuor enim se omnes exonerebat fons ille. Geminam Dei munificentia ad complementum deliciarum adjecerat arborem, alteram in vitæ fomentum, alteram in virtutis exercitium; prior in medio paredisi suas fixerat radices, ut ad ipsam ex quavis parte singulis æqualis pateret accessus; hæcque arbor eret vitæ, cujus fructus talis erant qualitatis, tantæque virtutis, ut vitam mirebilitet protraherent. Altera diverso defixa loco, foliorum virore, frondiúmque pompa ita luxuriabat, ut etiam pomorum forma, ec ubertate ditesceret, & hujus nomenclatura fuit scientiæ boni, & mali; prohibuítque Deus hominibus, ne de fructu illius comederent, *Præcepitque ei dicens: Ex omni ligno paradisi comede, de ligno autem scientiæ ne comedas. In quocunque enim die comederis, morte morieris.*

Genes. 2.

12. Verùm cùm invidia dirè cacodœmonem torqueret tantæ Protoplastorum felicitatis in terra; serpentem, seu animal præ cæteris estutum, & sagax ingressus, suis eum artibus vocalem effecit, locuturus tamen magis ipse ex ejus gutture, quàm eloquentem faceret anguem: cùm igitur solitaria per paredisum incessu sedato embularet Eva, oculósque defigeret in arborem scientiæ boni, & mali, curiositas, & animi libido eam ibi detinuit, & callidus serpens trunco circumvolutus, vel fortassis etiam ramis ejusdem; vel ut placet alijs subter arborem in caudam, pedésque erectus mira illicientis eloquentiæ illecebrâ benevolentiam cœpit sibi caprare fœminæ, cui virus inspirat pestiferæ cupiditatis participandi Numinis divinitatem, excellendíque supra humanam conditionem, loquitur ut soror sorori, alloquitur ut Rhetor, suadet ut Orator, invidus tantæ felicitatis tam mulieri, quàm viro. Horruit tamen mulier umbram simul arborie, & transgressionem præcepti, respondit- que: *de fructu lignorum vescimur, de fructu verò ligni præcepit nobis Deus, ne comederemus, & ne tangeremus illud*, sed utinam, quod non fuit ausa manu contrectare pomum, horruisset etiam lingue eum contrectare. Pomum tamen, quod impunè, & tangere, & decerpere manu potuisset, non solùm dexterâ attigit, sed etiam ita ori admovit, dente contrivit; ut cùm permisisset se à Dœmone persuaderi, spe illecta, simúlque superbiæ elata tumore, cupida deglutiendi in pomo vetito divinitatem, eminendíque supra humanam conditionem, non solùm prohibitæ stirpis pomum momordit; verùm etiam gustatam ejus dulcedinem deglutivit; & quavis disruptâ morâ ad ejus virum avolat, cui mirè poma ille laudat, vimque ijsdem insitam commendat: pomúmque ab ipsa degustatum eidem offert; & ut vir uxori placeret, quamvis Deo displiceret, oblatum sibi à muliere pomum accipit, eique dentes infigit, gustátque, & simul cum pomo mortem deglutit, spe, & ipse captus Dei enanciscendi similitudinem, *Eritis sicut Dij*, proh dolor! quantum malè hoc carptum, ac degustatum malum invexit mali! in imum omnium miseriarum humanum genus una detrusit Protoplastorum superbia: ut enim unà cum pomo divinitatem gustarent, mortem deglutierunt, quæ non ipsos tantùm, sed etiam Posteros omnes interimeret. Fuit hæc superbia ea Pandoræ pixis, ex qua in perniciem hominum omnie scelerum portenta, suppliciorum genera, tormentorum species, agmina omnium calamitatum, ærumnarum, ægritudinem proruperunt: vix enim degustato pomo irrequieta legis membrorum rebellio cœpit portionem inferiorem, sensuum impetus urgere contra spiritum, adeò ut nonnisi difficulter valeret hic, seditiosa corporis membra coërcere; ne quid agerent dictaminibus rectæ rationis dissonum. Præ cæteris furor insurrexit erubescendæ libidinis, cujus turbulento sensu cœperunt Protoplasti exagitari; & erubescentes exortæ libidinis inconcinnos motus, in densius ambo concessere arbustum soli, & cœlo suam subducturi verecundiam; ibique ex ficuum connexis, simúlque consutis folijs, frondea construxerunt subligeria.

Gen. 3.

Ab hac virulenta superbiæ radice, quam primi homines paradiso implantârunt terrestri, non solùm omnia progerminârunt mala, verùm, & homines ipsos, quos consutis foliis vestivit, donis spoliavit supernaturalibus, omníque venustate, quâ Deo placerent: ab hac enim radice prodijt nuditas gratiæ cœlestis, privatio donorum supernaturalium, cæcitas rationis, obscuritas in intellectu, malitia in voluntate, imbecillitas in spiritu, petulantia in corpore, rebellio in sensibus, tumultus in parte inferiori: ex hac virulenta radice etiamnum pullulant morbi hominem affligentes, dolores membra torquentes; ægritudines corpue affligentes, & absumentes; tristitiæ animum lancinantes; odia spiritum detorquentia; invidiæ mentem lacerantes, & tandem quod miseriarum omnium est caput, omniúmque terribilium terribilissimum more ipsa tremenda, ac originaria labes horum causa: adeò ut omnia malorum genera, calamitatum turbæ, miseriarum coacervati exercitus, dolorúmque omnium, ac ægritudinum accitæ Myriades ab hac una in Protoplastis radice superbiæ germinaverint in perniciem, & internecionem totius humani generis. Quis superbiam non dixerit gravioribus omnibus obnoxiam pœnis, è cujus radice velnti è Pondoræ pixide omnie tum scelerum portenta, tum suppliciorum genera proruperunt? 13.

Fuit hæc superbie Lerneæ hydræ haud dissimilis; plura enim ex hoc monstro emerserunt veluti venenate, capita portentosa scelete; 14.

lera; involvunturque in uno crimine, quamplura delicta. Hæc Hydra Adami fuit superbia, quâ ut similis fieret Altissimo injunctum sibi à Deo præceptum transgressus est; ut enim placeret mulieri suadenti pomi esum, non timuit Deo displicere, maluitque fidem dare serpenti instanti spiritu superbiæ verbis illis: *Eritis sicut Dij*, quàm Deo excidium minitanti *morte morieris*. Quanta pravitas animi inobsequentis, ac oolentis parère Deo vetanti? Quàm scelerata gula, quæ inter tot palati delicias, illud quæsivit malum, ex quo malorum omnium ilias prorumpetet? Quàm perniciosa viro mulieris societas, à qua malum omne hausit? eblanditor fœmina, ut illaqueet; allicit, ut excæcet; malum videtur detestari, ut in malum pertrahat: suadenti siquidem serpenti pomi vetiti esum, ut Dei enacta similitudinem supra homines eveheretur, non solùm aversata fuit pomi esum, verùm & tactum ipsum. *De fructu lignorum vescimur, de fructu verò ligni præcepit nobis Deus, ne comederemus, & ne tangeremus illud*; non prohibuerat Deus tactum pomi, sed esum, nec Eva videtur rectè dixisse, *illud ne tangeremus*, satiùs dixisset ad suasorem illudendum; præcepit nobis Deus, ne comederemus, & ne de illo loqueremur: si abstinuisset à sermone, à verbis, ad os non admovisset pomum; sed quæ horruit tactum, morsum non exhorruit, & in pomo non divinitatem, sed cineres mortis demisit in stomachum, postquam viro gustandum dedit. Præesse omnibus animantibus jussi fuerant Protoplasti, quibus plantæ omnes, arborésque cunctæ frugiferæ dapes cujusvis delicatioris saporis suppeditabant, & effusi in paradisum fluvij potûs haustum delicatiorem, salubriorémque, quàm post prævaricationem artis industria præparet inter gemmas, ac illecebras.

Genes. 3.

15. Pullulavit ex corrupta illa superbiæ radice etiam hoc aliud scelus, quia criminis culpam in detestandam purgationem refundere niteretur Adam in Deum inquiens: *Mulier, quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno, & comedi.* Proh dolor! quot ab uno sceleree nata crimina! initium siquidem omnis peccati superbia, quæ in sublime Protoplastos, cùm eveheret supra homines, in imum detrusit miseriarum, quia ut scitè S. Gregorius. *Omnis superbia eo ipso in imo latet, quo in alto se erigit:* neque fuit Deus terrum hoc vitium impunitum abire, cùm in sacris litteris Deo specialiter prodatur invisum, ejúsque seriùs, vel ocyùs ultrice expiandum dexterâ, ut enim rectè notat Philo. *Ille, qui fastu turgidi, nolunt respiscere, lex non ad humanum tribunal mittit, sed divino tradit judicio: ait enim, quicunque aggreditur aliquid agere, cum superbia Deum irritat, cur ita? primùm quia arrogantia vitium est animæ: anima autem Deo soli est visibilis. Quisquis autem*

In Moral.

Lib. de charitat.

*punit, si cæcus est, ut ignorans arguitur: cùm verò videt, laudatur, ut scientiam adhibens in consilium: deinde quoniam quilibet arrogans insana opinione inflatus, non tam virum, quàm heroem, aut genium quendam se existimat, ut Pindarus ait transcendens naturæ humanæ terminos. Est autem nec animi satis compos, nec corporis, toto habitu, gestúque morbum præseferens. Incedit summis pedum digitis, cervicem in morem erigens, attollénsque se supra naturæ modulum, nec aliter quàm obliquè intuetur, nec aliter audit, quàm quasi non audiens, arbitratur se omnium ditissimum nobilitate, ac virtute cæteros antecellere.*

Imò adeò superbia in sublime erigitur, ut nullo coërceatur supra cæteros eminendi modo: edocuit id Cajus Cæsar, cujus fastus unum supra se ferre non potuit, cùm Respublica duos supra se ferret, neque hic detumuit superbiæ tumor, sed sublato æmulo adhuc nullum sibi oblatum honorem nimium putavit, continuum propterea gessit consulatum, perpetuam dictaturam, praenomen admisit Imperatoris, statuam inter Reges, suggestum in orchestra: imò & ampliora etiam humano fastigio, sibi passus est decerni, ut teste Suetonio sedem auream in curia, & pro tribunali, templa etiam & aras, simulacra juxta Deos, pulvinar, flaminem, lupercos, adeò ut nullum eminendi desiderio modum imponeret, nullúmque turgido fastui finem. Verùm quem superbia ita erexit, eadem præcipitem egit; in ipsa siquidem aurea sede, quâ supra cæteros eminebat, eundem miserè oppressit. 16.

In Jul. Cæsar. cap. 26.

## §. III.

*Quem superbiæ fastus Nabuchodonosorem corrupto in Divinitatem affectu inter Numina, Deósque exsulerat, ultrix Nemesis infra homines detrusit, brutisque adscivit.*

Quid de Nabuchodonosore dicam? cui extremum penè exitium attulit superbiæ fastus, affectatio divinitatis: etenim Merodachus (is fuit, qui Regem Jerosolymorum Manassem Babylone tractum in vincula conjecit, & ad pœnitentiæ adegit necessitatem) necato Deoce Arphaxado Medorum Rege rebus elatus secundis, assumpto Nabuchodonosoris cognomento, se totius Orientis salutari Monarcham meditari cœpit, cúmque totum vellet sceptro suo terrarum orbem subijcere, inito cum Dynastis, & Ducibus consilio viros delegit bellicosissimos, ac feroces sui exercitûs Præfectos, & præ cæteris Holophernem natione Persam, cui demandavit, ut quidquid in Occiduis terris adhuc Deorum Judæorum, ac hominum juris esset externi, suo substerneret imperio, nec alius ei titulus bellandi fuit, quàm libido dominandi; suóque 17.

quæ sceptro subjiciendi tumido fastu, superbiâ Deo, & hominibus exosâ terrarum gentes omnes: sed defunctis periculo Hebræis Judithæ fortissimæ fœminæ virtute; somniavit Nabuchodonosor nocte intempestâ, cùm quieti corporis indulgeret, sibi ob oculos arborem obversari tantæ celsitudinis, ac proceritatis, ut fastigij virentes rami nubes penetrarent, tantæ laxitatis, ut foliorum explicatu latè per terras universas suas proijceret umbras, & fructuum ubertate turgentes rami in humum pomorum onere pressi propenderent; afferque volucribus nidum, bestijs receptaculum, & hominibus ubique terrarum degentibus sufficiens mensa; cum omnibus escas suppeditaret: imò videbatur voluptas ipsa frondoso, ac ubertoso sub illo tecto sedem suam posuisse, arridente etiam tellure per totum tractum illum ridentibus vestitum floribus. Sed nonnisi umbratilis fuit ipsi hæc voluptas in arboris umbra *luxurians*: siquidem adfuit illicò genius è cœlo excubitor in terras delapsus, qui minaci voce præcepit Nabuchodonosori succidi in caule arborem, amputari umbriferos ramos, dissipari luxuriantia folia, dispergi maturos fructus, relictâ duntaxat arboris radice pullulatura iterum in ramos, frondes, flores, & fructus.

18. Accedit Daniel somnij Interpres, aperitque arborem illam præcelsam Nabuchodonosorem indicare vinciendum ferro, obnoxium cunctis cœli injurijs, sylvas inter, & feras pabulandum, & integro septennio nonnisi herbis pascendum: arborem succidendam diversas Regiæ fortunæ ostendere vicissitudines, & summam Nabuchodonosoris felicitatem in extremam mutandam esse calamitatem: quia verò superstes radix esset iterum in frondes, & fructus pullulatura, fatorum vim non esse ita ineluctabilem, ut prece flecti, ac deliniri non possent, munificâ præsertim stipe agenis suppeditatâ: sed tantùm abfuit somnium, ejusque enucleationem terrorem incussisse Nabuchodonosori, ut tametsi per aliquid temporis cœlis minis objecisset clypeum liberalitatis in egenos, & Deus fatalem ictum suspendisset (tanta est vis auri in egenos sparsi, ut vel ipsius irati Numinis percutiens brachium detineat suspensum.) attamen redeunte iterum insiti fastûs arrogantiâ, tumidi capitis superbiâ, pœnas incurrit, quas beneficio eleemosynæ ante declinaverat.

19. Forsan è præcelsa turri Urbis Babyloniæ ornatum amplitudinem, splendorem, platearum multitudinem, ædium decorem, domorum magnificentiam, columnas, statuas, obeliscos in foro mirabundos contemplabatur; & elatus unà cum celsarum substructionum multitudine videbatur sibi supra hominum fastigium culmen attigisse felicitatis, & potentiæ: Superbóque fastu tumidus dixit: *Nonne hæc est Babylon magna, quam ego ædificavi in domum Regni, in robore fortitudinis meæ, & in gloria decoris mei.* Daniel. 14. Verùm vix prætumida verba ex arrogante, superbóque illo ore fluxerunt, illicò cælesti quasi fulmine divinæ vindictæ syderatus, insúsque de mentis deijcitur potestate; & eum quem superbia inter Numina, Deósque extulerat, ultrix Nemesis infra homines detrusit, dejecitque inter bruta.

20. Repit statim per tellurem quadrupes, qui bipedes omnes meditabatur sibi subjicere; vinculis obstringitur ferrais, qui aureo sceptro gentes omnes posse coërcere existimabat; cumque esset Nabuchodonosor hominibus cunctis præcelsior; brutorum more pronus herbaceum abjicitur in pastum: & cui hominum palatia videbantur angusta, & depressa tecta; sylvestribus adsciscitur feris, totóque septennio avia, lucos, saltúsque manibus, pedibúsque perreptat, capillis, unguibúsque instar aquilarum excrescentibus in neglectam fuliginem horrificantem omnia corporis membra; licèt non ita figuram hominis exuerit, ut formam induerit bestiæ, sed tantùm corruptâ phantasiâ ursum sibi finxit, vel leonem, & in brutum degenerâsse inconditos propterea emittens clamores, rugitus, ac ululatus.

21. Sed quis Regem è solio præcipitem egit in præsepe? Quis ab aula in caulam detrusit? Quis aureum torquem rude mutavit in capistrum? Quis Attagenas in fœnum virere jussit imperanti? Quis totam Chaldæam imperio exuit, & Principem homine majorem ex hominibus detrusit ad pecudes? *Ejiciam te ab hominibus, & cum bestijs, ferisque erit habitatio tua.* Daniel. 4. Daniel. 4. Non alia vis Nabuchodonosorem è throno deturbavit, protrusitque in cœnum, stabulúmque belluarum, quàm superbiæ fastus. Id Nabuchodonosor passus est, quod somniatæ ab eo statuæ obtigit; lapillô illa concidit, & unus intumescentis superbiæ flatus Regem è summo throni fastigio dejecit infra homines, locavítque inter brutorum agmina. Faustis, secundísque rebus avertendis, & ad illuviem ærumnarum, vaticinium suffecit Danielis. Nudabatur suo Rex paludamento nullo impellente hoste; diadema, sceptrum projecit; capistrum nactus, quo caput stabulo alligaratur; quod fastus, & tumor syderibus instar Enceladi evehebant.

22. Timeat quisqua astrorum inhiat æqualitati, qui super homines elatus astra sibi inambulare videtur; nil odiosius Numini, superbo, tumidóque homuncione. Quamvis Deus, cujus natura est bonitas, mitissimus sit; & ad veniam indulgendam semper pronior, quàm ad pœnam infligendam, severissimè tamen *superbis resistit*. Hinc Syracides monet, ut deponamus omnem fastum, exuamus omnem superbiam: *Non te extollas in cogitatione animæ tuæ, velut taurus.* (est taurus cornupeta cæteras pecudes fugans, sternens, & exagitans, ut præstitit Nabuchodonosor, qui animo moliebatur, ubique terra- Jacob. 4. Cap. 6.

rum gentes omnes coërcere, vexare, exagitare armorum vi, militum impetu, suóque sceptro totum subjicere orbem) *ne fortè elidatur virtus tua per stultitiam* (scilicet ne stulta superbia, ne inanis tumor turgidi fastus impetium, robúrque tuum evertat, vires enervet, ut contigit Nabuchodonosori) *& relinquaris velut lignum aridum in eremo*, hoc est, ne destituaris amicis, familiaribus, famulis, omníque humano solatio, ut Nabuchodonosor, qui fœnum, ut bos comedit, & ut bos rore cœlesti permaduit: mira sanè, & prorsus lugenda metamorphosis, oculis, mentíque sceleratorum altiùs ingerenda: ex Rege fit Nabochodonosor brutum, ex homine pecus, ex imperante miserè serviens, ex sedente in throno perrepens inter sylvas: hanc luctuosam metamorphosin superbia procreat, hanc mutationem ex homine in brutum inanis invehit fastus, ut enim ait Regius Vates. *Homo, cùm in bonore esset, non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus, & similis factus est illis.* Psalm. 48.

23. Hinc Tobias filium suom erudiens, unicè edocuit, omnem declinare superbiam, & tumorem fastûs, non secus, ac animi pestem aversari: *superbiam in tuo sensu, aut in tuo verbo dominari ne permittas, in ipsa enim initium sumpsit omnis perditio:* nullum obringit homini malum, quod superbia illud non induxerit; nulla pernicies, quam ipsa non fuerit architectata; nullum præcipitium, quod non aperuerit; nullum venenum, quod non apparaverit; si Regum sapientissimum audiamus, *contritionem* (scilicet confractionem, & comminutionem) *præcedit superbia, & ante ruinam exaltatur spiritus.* Sunt enim fastus, & tumor superbientis animi, prodromi calamitatum, præsagia ærumnarum, prænuntij infortuniorum, & radices, è quibus mala omnia pullulant. Proverb. 16.

24. A mente alienat superbia, si mentem occupet, adeò enim turget, excrescítque ejus tumor, ut totum occupet hominem, nec sinat locum usui superesse rationis; & hominem superbia elatum usu destitutum rationis, pecudum gregibus adscíscit, unde David. *Nolite fieri sicut equus, & mulus, quibus non est intellectus*, tumore enim superbiæ inflatus, veluti in equum, mulúmq; degener iracundiæ calcib⁹ cæteros impetit, & per effrœnem lasciviam in cœno volutatur luxuriæ. Nabuchodonosor quantò in sua aurea statua assurrexerat, tantò ex alto in imum ad bestiarum usq; consortium dejectus fuit, sunt enim lapsus, & ruina individui animi superbientis comites. Verùm si superbia Nabuchodonosorem ejecit è throni fastigio; humilitas è præsepio, gregéque pecudum iterum erexit ad solium. Ab hominum consortio exterminatus præsentissimum animæ pabulum in pascuis brutorum, in sylvis, nemoribúsque opacatis enanciscitur, & inter lucorum opaca, ac ferarum lustra humanitatis sensum reperit, cum naturam hominis supra homines elatus perdiderit: Dei, suíque notitiam invenit clariorem inter nemorum umbras, quàm fuerit expertus inter aulæ nitores, ac splendores gemmarum, & auri. Qui divinos honores exposcens, nec se, nec Deum noverat; inter pecudes pascua quæritans Deum invenit, quem supra homines perdiderat; sibique restitutus se ipsum cognoscit, cujus memoriam ante deleverat, quia sicut nil est, quod tetriores animo nostro tenebras offundat, quàm superbia: nil è converso, quod dilucidius mentem serenet, & hominem sui compotem reddat, quàm animi submissio: hinc Regius Vates. *Bonum mihi, quia humiliâsti me, ut discam justificationes tuas.* Psalm. 31. Psalm. 118.

Non solùm in homines sævit immanis superbia, quos extollit, ut lapso perniciosiore, in imum detrudat ærumnarum; verùm etiam cœlum ipsum impetit contra Deum insurgens: Da animum superbientem petentem fusis precibus à Deo evehi ad dignitatem aliquam, votíque compotem minimè fieri; qualis tunc furor inflatum non exagitat animum? quis ignorat, Regem Persarum Xerxem, cum ex Abydeno littore Hellespontum juxta Sestum jungere meditaretur, hetúmque se maris prodere disjectis furente procellâ navibus, irâ percitum trecenta Hellesponto verbera infligi, & in ejus fluctus par compedum jussisse immergi? ac si fœno injecto valeret imposterum ejus decumanos fluctus coërcere, simúlque Numini legem injungere, ne sineret Hellespontum ampliùs irasci; indignúmque declarâsset, cui ullus hominum imposterum sacrificaret: quis non videat à superbiæ fastu denudatum mente Xerxem? cùm legem vellet Numini dare, exlex fit ipse à mente alienus. 25.

Sed quid operis est prisca, & antiquiora revolvere monumenta, cùm non desint recentiora, nobísque magis familiaria. Cum Sinenses Bontij à Pagodibus, seu idolis suis quædam adigerentur concupita beneficia impetrare, & ut fierent voti compotes singulari se cibi abstinentia, victûs asperitate, voluntariísque supplicijs afflixissent, effectu tamen minimè secuto, pœnas scimus à suis Pagodibus exegisse, ac in eos sæviisse flagellis, ac fustibus, ac si sensu essent præditi, vigeréntque ratione, & id quia noluerint ad solas preces in eorumdem se vota flectere. Utinam plures nostri etiam in Regionibus non essent, qui suis frustrati votis petulantis linguæ flagello, Deum ipsum non proscinderent, eò quia in sua vota Deum precibus non inflexerint: detestandas in Deum non effutirent blasphemias, quia suas Deus preces non exaudierit. Utinam non essent, qui ad quemlibet infelicis aleæ jactum injurijs Dei nomen lacerarent; séque diris cacodœmoni devoverent? utinam non reperirentur, qui se satis emolumenti, honoris, aut 26.

com-

compendij precibus suis à Deo non impetraverint; statim à divino desciscerent obsequio? adeò turget homo superbiens, ut præsumat Deum habere sibi ad nutum obsequentem, flexilémque ad votum. O insolentiam pœnis abigendam attrocioribus! ita ne superbit homuncio, temporis spolium, ludus fortunæ, mutationis imago, cœnosæ telluris filius, ut cœlum conscendat, Deúmque velit suis improbis annuentem votis? quid superbit homo, cujus corpus, ut ait Seneca de consolatione ad Marciam, est imbecille, fragile,
Cap. 11. nudum suapte natura inerme, alienæ opis indigens, ad omnem fortunæ contumeliam projectum. Quid infirmius homine ait Petrus Chrysologus, *quem sensus fallit, ignorantia decipit, pompa lædit, judicium circumvenit, tempus deserit, ætas mutat, infantia hebetat, juventus præcipitat, senectus frangit?*

## §. IV.

### *Tumidum regnandi desiderium, pravúsque affectus Absolonis superbiam dum fovet, ipsum miserè enecat.*

26. A Centro superbiæ ad peripheriam extremi exitij omnes ducuntur lineæ iniquitatum; argumento fuit posteritati Absolon, qui cùm pulchro corpore atram, tumidam, superbámque mentem tegeret in omnia prorupit scelera, irrupit flagitia; dicerésque in hac juvenili pectore vitia omnia fuisse stabulata, odium intestinum, & capitale in fratrem; inextinguibilem cruentæ vindictæ cupidinem foventem sub doloso cinere iracundiæ lethales flammas; simulationem larvatæ amicitiæ; perniciosa consilia fraterni sanguinis effundendi; perfidiam plusquàm punicam pallio contectam convivalis lætitiæ; crudelitatem in poculis propinatam, ut simul cum exsiccatis calicibus fraternus sanguis siccaretur in venis, & vita extingueretur generosioris vini largiori effusione; immane desiderium trucidandi fratrem natu maximum Regni hæredem, ac in sceptro successorem: hæ autem iniquitatis lineæ ab uno trahebantur superbiæ centro, ne ejus frater natu major ei præesset, & ambitiosa imperandi cupiditas causa fuit fraternæ cædis.
27.

Amnon natu maximus filiorum David, primâ juventâ floridus annum vigesimum agens ætatis, oculos conjecerat in Thamarem sororem, non ut pudicè amaret, sed improbè deperiret; captus singulari formâ puellæ cæterarum venustissimæ, ausus fuit non solùm eam aspicere, verùm & loqui, eique suadere turpia; & quamvis verecundia puellæ fratris effrœnem compesceret audaciam, vicit tamen pudorem libido; audacia timorem; & sanguinis necessitudinem improbitas, ac stimulus recalcitrantis sensûs: etenim simulat Amnon ægritudinem, quâ non laborabat; & dissimulat, quâ urgebatur; sororem accersivit, jusculum sibi parari rogavit, flagitium tandem obtulit reluctanti, sed consummavit cum consentienta; eóque patrato, uti assolet, in odium mutatur amor, in feritatem blanditiæ, & eijcitur ex fraternis ædibus puella regia, quæ fortassis in fratrem incidit Absolonem; quî subodoratus alienam libidinem, scelus patratum in Amnonem fratrem natu majorem conjecit, nec constuprata puella negavit. Siluit Absolon, donec opportunior ei daretur ultionis occasio, sororémque interea in suam recepit domum. Res tota ad Davidem delata, quamvis magnos tristitiæ fluctus excitaret, non tamen severitatem judicij invenit, quin filio parceret in Regno successuro, quod ægerrimè tulit Absolon, quî vindictæ desiderium biennio protraxit, donec natâ opportunitate Amnonem è conspectu surriperet patris, ducerétque extra civitatem Solymæam in locum, lucúmque tanto parandis insidijs aptiorem, quanto sagacitas longiùs removerat à quavis hominum frequentiâ. Tempus fluebat ovium tondendarum, ac dies inciderant, qui ab Hebræis id temporis genialibus insumebantur convivijs; utque specie humanitatis larvam tegeret crudelitatis; Amnonem invitavit ad convivium regali munificentiâ paratum: itaque inter epulas id Absolon dat hospitibus negotij, ut Amnonem tanquam digniorem largioribus calicibus provocarent ad haustum, vináque generosiora eidem propinarent; sed aliquibus ex suis familiaribus præcepit, ut cùm primùm novissent Amnonem multo vino madidum, temulentum, ac gravatum, signo à se dato interficerent. Quid ni spumantes propinantur, siccantúrque calices, madet Amnon vino, simúlque cum stomacho pleno gravatur caput, fumi densa nube adeò obsessum, ut ampliùs non videat, quid agat, quidve cavere debeat, & famuli jussi stupratorem sororium temulentum trucidare, violentas in ipsum ad datum ab Absolone signum injecerunt manus; quique vino indulserat, sanguinem fudit; animámque evomuit, qui ad temulentiam vinum biberat. Metus omnes quotquot aderant pallore suffultos occupat, replentúrque clamoribus, tumultu, & ejulatu ædes fraterno sanguine calentes.

Absolon verò timore commeriti supplicij ad avum maternum Tholomaium Gessuris Regem simulacrorum cultorem fugâ se recepit, apud quem triennio fuit commoratus, necem fortássis expectans patris, ut conscenderet ipse thronum: cúmque David vitam protraheret incolumem Absolon degener filius, & ingenij insolentis, superbi, elati, ac indomiti post enecatum Amnonem fratrem natu majorem specie quidem ulciscendi flagitij; sed revera, ut ipse post fraternam cædem thronum conscenderet, sceptrum tractaret, Regnóque po- 28.

potiretur. Jerosolymam reversus post elapsum biennium tandem in Davidis admittitur conspectum ope Joabi supremi exercitûs Præfecti. Sed reconciliatus patri fit deterior, cùm enim manus fraterno sanguine fœdâsset, cœpit tumultuantibus cogitationibus meditari, quomodo paternum itidem cruorem funderet, omnémque movit in aula lapidem, ut patri diadema eriperet, pelleretque è throno; imò etiam è vivis eum abraderet.

29. Nefarium executurus consilium, domum curribus, equísque instruit, virósque advocat, sibique adjungit manu promptos, & ad omnia scelera paratissimos. Mox blandis affatibus totus est in captivandâ sibi subditorum benevolentiâ, oris, & vocis blandimentis, manúsque muneribus; eique nil magis cordi fuit, quàm corda populorum sibi devincire, apud quos cœpit Patris arguere negligentiam in peragendis negotijs publicis, in inquirendo quomodo justitia in tribunalibus administraretur; sibique captivata potiore populi parte pertexturus eam, quam inceperat ordiri, telam, prætextu religionis Hebronem urbem natalem, & Patriarcharum Lypsanis religiosam, sed suis magis idoneam machinationibus consentiente patre petijt, veluti vota Deo nuncupata sacrificijs exsoluturus. Quidni Hebrone non sacrificia instituit, sed rem bellicam apparat, milites colligit, & audacissimos quosque ad suas pertrahit partes, quos inter Achitophelem virum versutum, fraudulentum, & à consilijs Patri, ætate, & experimento omnium sagacissimum; is enim cum aversum à Davide animum foveret ob Betsebæam Neptem suam adulterio corruptam, ejúsque maritum Uriam litteris interemptum proditorijs, libentiùs, promptiúsque Absoloni se adjunxit ad Patrem è solio, imò etiam è vita deturbandum; proclamatúrque propterea una omnium voce Rex. En ad quem evexit eminentiæ gradum Absolonem superbia? En per quas malas artes tumidus superbiæ fastus Absoloni viam stravit ad sceptrum? nimirum per fraternam cædem, per paternam deturbationem è throno: fratrem trucidavit Amnonem, eo vel tempore, quo oves tonderentur: heu! quantum à vellere Gedeonis distant Amnonis vellera! deciduis de cœlo roscidis imbribus maduit illud ad palmas, cùm vellera Amnonis sanguine imbuantur ad fraternam cædem. Illud cœlum apluit, ut victori suppeditaret purpuram; hæc debacchante Megerâ fraterno sanguine fœdantur, ut Amnoni spem adimant regnandi. Illud cœlesti rore maduit ad vitam; hæc sanguine inficiuntur ad necem. Maduit rore Gedeonis Vellus, ne Israël maderet sanguine. Vino saturantur Amnonis vellera in Davidis latifundijs, ut sanguine inebrientur.

30. Quis inter opiliones carnificem latere credidisset, & cùm oves tonderentur, putâsset arietem aurei velleris fore jugulandum? incidit Amnon invitatus ad epulas in forcipes opilionis, & sepulchrum in convivio nactus, lupum in ove invenit: larvam crudelitatis pallio maluit humanitatis tegere, quàm aperto marte in fratrem irruere, ut per clandestinas fraudes, eò tutiorem sibi construeret ad regale solium gradus, quò occultiùs procederet. Fuit Absolonis vafrities in parandis insidijs, in fraudibus struendis prorsus singularis, juvenis erat aspectu venustus, ætate florescens, nec erat in omni Israël, qui venustate ei æquaretur. *Porro sicut Absolon, vir non erat pulcher in omni Israël*, sed animo eo tetrior, fœdiórque, quò corpore venustior, & speciosior; pulcherrimam habuit navem, sed intus pessimum gubernatorem; si pulchrum tibi corpus est, ait Isocrates, & anima mala, bonam habes navem, sed malum gubernatorem; ut inde discamus ex extima corporis specie non conijcere, nec judicare, qualis sit intus homo, hinc monet Syracides. *Non laudes virum in specie, nec spernas hominem in visu suo*, seu non judices de viro ex cute extima: hæcque ratio ait S. Ambrosius, cur cum Deus omnia opera sua laudaverit, cœlum, terram, maria, noctem, & diem, species ferarum, genera animantium, à laudibus tamen abstinuit hominis, licèt prò pter ipsum cæteras alias condiderit creaturas. *Quia scilicet* (ait S. Ambrosius) *alia in specie sunt, homo in occulto. Nihil in bestijs plus reperias, quàm quod videtur: in homine plus est interiùs, quàm quòd videtur exteriùs: qui cum ex animo constet, & corpore; hoc utique in eo servit, quod videtur: illud autem in eo regit, quod non videtur. Meritò ergò alia in exordio mundi laudantur: istius verò laudatio non promitur, sed reservatur; quia aliorum gratia foris, hujus intus est: aliorum in nativitate, hujus in corde.*

2. Reg. 14.

Cap. 11.

Lib. 6. in Exa. cap. 1. Genes. 1.

Si judicium de Absolone conijciendum fuisset ex extima specie nullus eo innocentior, cùm nullus eo fuerit venustior, & tamen nullus fortassis ipso tetrior, cum internam sævitiem, fœdámque truculentiam externa contegeret specie; eum dixisses potiùs gladium fuso sanguine fœdum, sed aureâ inclusum vaginâ, quinimò adeò teter, fœdiúsque intus extitit, ut nescias impurior, an crudelior fuerit, cùm enim interficere patrem non valuerit, parricidio, incestu se fœdavit, pulchrè Chrysostomus. *Quis te*, inquit, *in hoc facinus prosilire parricida teterrime docuit? quis te furor audere tam immane facinus provocavit? si offendit, pater est; si læsit genitor. Quinimò neque offendit, neque læsit. Vincat timorem pietas, affectus insaniam superet, crudelitatem natura debellet. Bestiæ, & mutæ pecudes pietatis jura conservant, innocentem perimere nefas est, patrem occidere execrabile scelus. Cessa jam ab isto scelere cessa, inquam, ne te boni omnes semper exhorreant; ut audaces ex te, quod non noverunt, discant.* 31.

Tom. 1. hom. ad Absolon.

Cessa

*Cessa jam ab isto scelere, ne qui post te tantum facinus perpetraverit, te utatur authore. Cur mundo novum facinus tradis? cur doces, quod natura non novit, cur audes perficere, quod novo supplicio cogatur Deus vindicare.* At si tumor superbiæ per malas artes Absolonem niteretur ad supremum evehere solium, eadem superbia ad imum detrusit extremæ calamitatis.

32. David auditâ audacissimi, perditissimique Absolonis nefariâ conspiratione in patrem, & patriam suos congregat milites exercitum parat, Duces militiæ vocat, aliáque ad bellum, & pugnam necessaria instituit: cúmque bellicus apparatus Davidis Absoloni innotuisset; & parentem cum suis copiis jam trajecisse Jordanem, sciens spem victoriæ in celeritate sitam, trajecit & ipse cum suis seditiosis fluvium, fuitque castra metatus in regione Galaaditide non procul ab urbe Mahanaime ubi David intra munimenta se incluserat. Absolonici exercitus Ductor erat Amasa Davidis ex sorore Abigæa Nepos. David verò licèt milite, & viribus esset longè inferior, bonitate tamen causæ superior, non expectatâ obsidione exiguum suum exercitum ex quatuor duntaxat hominum millibus compositũ ex relatu Josephi Historici trifariam partitus est, quibus præfecit Joabum, & ejus fratrem Abisai & Ethai Principem, Gethæo è sanguine natum, intimum Davidi familiarem, simúlque fidelem. Cupiit Rex per se ipsum aleam prælii inter primos subire, sed ab Amicis ad id impeditus fuit, eò quia ex ejus vita, & conservatione salus omnium dependeret. Injunxit tamen suis, ut abstinerent à cæde Absolonis, sed vivum, illæsúmque servarent sibi, quò pœnitentiæ locus ei daretur: *Et præcepit Rex Joab, & Abisai, & Ethai dicens servate mihi puerum Absolon. Et omnis populus audiebat præcipientem Regem cunctis Principibus pro Absolon.* Non potuit clariùs in favorem perduellis Absolonis præcipere, ne in eum violentæ manus injicerentur; nec mitiùs procedere cum filio seditioso: præcepit *Rex, & omnis populus audiebat*; nimirum ut omnes scirent præceptum regium, & nullus ausus fuisset damnum ullum personæ inferre Absolonis. Cúmque Joabus ex adverso hostium aciem explicuisset in planitie, quæ à tergo aviâ claudebatur sylvâ; Absolon itidem suas copias eduxit contra Joabum, jam ad teli jactum pervenerant, cùm Absolonis milites ferociter in parentis copias irruunt, jam utrinque in pugnam fervent animi; hinc dimicabant Davidici Regi suo sceptrum tueri contendentes; inde Absolonici promoturi perduellem filium armorum violentiâ ad patris thronum: utrinque clangunt buccinæ, obstrepunt tympana, milites militibus implicantur, feritur cæsim, punctim, multúsque funditur inflictis vulneribus cruor: sed statim apparuit, quantò valentiùs, fortiúsque pugnent, quibus in bello bona causa favet; & pro justitia res est: post enim consertum certamen turbari cœpit Absolonis acies, timórque ejus milites occupare, qui non valentes ferre impetum Joabi rei militaris longè peritioris, cœpit Martis alea, licèt sub initiis anceps, stare à Davidicis copiis: Absolonis siquidem milites dissolutis ordinibus vertuntur in fugam; sed quos gladius non peremit in prælio, fuga absumpsit in saltu; siquidem à tergo insequente, simúlque validè premente Joabo cum suis potiorem fugientium numerum inflictis vulneribus interemit, quorum alij etiam super alios, ut contingit in pannico pavore, corrueotes, se seque opprimentes, alij alios priùs sepelierunt, quàm mortui fuerint. Neque præcipiti in hac fuga ultimus fuit, qui primus extitit hujus belli incentor, superbiens scilicet Absolon, sceptro inhians paterno, mulo insidens jumenti celeritate in aviam sese sylvam recepit, ubi in tuto jam videbantur res esse Absolonis, cum neque Exploratoribus pateret nemore inumbrante, cúmque subducente præcepto regio, quo inhibitum cuique erat, ne auderet quisquam hostiles manus in Absolonem injicere, neque ullum eidem damnum inferre.

33. Verùm quem tela militum refugerunt, ultor fatidicus insecutus fuit. Penetraverat siquidem effuso cursu subter condensam quercum, cùm ventilante sparsam cæsariem aurâ efflante, hæret capillis exporrecto quercûs ramo implicitus, longiùs protento tralabente mulo, cui insederat: quòd cum vidisset gregarius quidam miles, ne regium transgrederetur præceptum, manum continuit, nec ullum inflixit vulnus Absoloni, sed tantùm, quid hnic contigerit Joabo nunciavit, qui tres lanceas breviores, seu jacula in pectore Absolonis è ramo quercûs penduli defixit. Quid ni fugientem effusissimè perditissimum Absolonem, quercus detinuit, cuî infelix hæsit, non compede illigatus, sed crine capitis illaqueatus, & coma, quæ propemodum innumeras Jerosolymis fœminas illigaverat, vinctum in quercu irretivit juvenem parricidam; & fuit coma illa, quâ præcipuè superbiebat Absolon, & quidem mirum, quod fertur. *Et quando tondebat capillum (semel autem in anno tondebatur, quia gravabat eum cæsaries) ponderabat capillos capitis sui ducentis siclis pondere publico:* & licèt hoc pondus nonnulli referant ad capillorum gravitatem, alii tamen censent referendum ad pretium, quo tonsi Absolonis crines fœminis vendebantur, eos expetentibus ad fictitia capillamenta. Sin verò sermo fit de pondere, putant aliqui, comam Absolonis pondus æquâsse octo librarum communium; sin verò ad pretium, ut refertur, ducentis siclis capilli Absolonis emebantur: sed licèt in crioito pondere clarius se proderet Absolonis levitas; & in volatica capitis umbra lucnlentius ejus clarescceret vanitas; non tamen fuêre Absoloni capilli leves, cùm ingens

Reg. 18. 2. Reg. 14.

totius corporis pondus è quercu pendens detinere valuerint. Libentius confiterer hos Absolonis crines cum Samsonis cirris; nisi Samson virtute cæsariei Israëlem propugnâsset, & Absolon superbiens in crine contra Patrem pugnâsset: cæterum si Samson fœdè decubuit supinatus in sinu Dalilæ: Absolon in ramo quercûs pendulus occubuit, seu victima cecidit, cùm non sacerdos tantùm, sed Rex etiam voluerit salutari; hujus victimæ ara arbor fuit, infulæ crines, manus immolatrix Joabus pectus confodiens.

34. Scio suas Salomonem ex Abietibus naves compegisse, quæ in Judæam ex Ophir aurum adveherent: sed non ignoro, hanc quercum, è cujus ramo Absolon pependit opportunè impedivisse, ne ferrum in Judæam deferretur: scio Abietes aurum transtulisse, ut pretiosiori nitore templum Jerosolymis splenderet; sed scio, hanc quercum ferrum inhibuisse, ne civitas sancta fuso fœdaretur cruore: scio abietes per fluxas æquoris planities auri bainlas, pluviès euris, nothisque efflantibus, ac furentibus marinis fluctibus in pericula incidisse naufragii; sed scio etiam, hanc quercum egregiè restitisse, ne populus Hebræorum proprio naufragaretur in sanguine. Non me latet, virgam in manu Moysis Erythræum diduxisse, ut per discissi maris sicca vestigia ex Ægypto Judaicus populus effugeret: sed scio, quercû hanc mare rubrum sanguine fluctuans, quo in Ægyptum converti facilè potuisset Palestina, non aperuisse, sed plenè obstruxisse; & id præstitisse, ut modicus saucii perduellis cruor immensum exsiccaret fundendi sanguinis mare.

35. Fatalis certè fuit hæc quercus; sed Dodonea longè felicior, cùm furentem aprum, nec pavetit, nec expaverit, sed saginatum extinxerit. Dicerem, hanc quercum redivivam accivisse post debacchatum ferri sæculum auream ætatem, cùm in aureo Absolonis crine frondesceret in luxum, & pro fructu, pro glande aprum exhiberet Palestinis, suis è ramis pendulum: nulla certè alia quercus aureo sæculo revocando aptior esse poterat, quàm quæ pretioso empta metallo, auream cæsariem suis pro frondibus ramis adjecit; & confossum, pendulùmque Absolonem publicæ quietis turbatorem pro fructu, eóque maturo pendente curvescentibus suis è ramis dedit: cedant huic querceni excisæ præcelsæ in Libano cedri, tametsi templo destinatæ; quia si cedrus excisa, & dolata cherubinum sculptum exhibuit in templo; rudis hæc quercus parricidam non finxit, sed suffixit in luco: exhibuerunt sculptæ cædri ligneos Angelos, quos plurimum ars extulit: sed è ramo pendulum spirantem sustulit hæc quercus nequissimum Absolonem: fingere potuêre cedri Angelica simulacra, nunquam tamen ea animare, quæ propterea sine spiritu jacuêre exangnia: quercus verò vivum nequitiæ simulacrum exhibuit, quod etiam exanimavit. Scio in terrestri paradiso à Deo conditore locatos protoplastos, ac victuros immortales beneficio arboris vitæ; sed in hac quercu revixerunt mortales Jerosolymis Hebræi: pependit è quercu Absolon, ut surgeret populus, ac erigeretur in spem futuræ mox tranquillitatis.

36. En qualem sortita est exitum Absolonis superbia, miserè pependit è quercu, qui elato fastu throno inhiabat, ut præ cæteris emineret. Capillorum superbiâ, quâ multorum oculos cœpit, captus tandem ipse interiit, ejúsque cadaver è quercu solutum in excavatam abjicitur fossam ingenti lapidum acervo super illud ingesto. Infelix Absolon, qui cum paternum affectâret solium, licèt natus in regia, patibulum est pro throno nactus in quercu; ambivit diademate regio cingi, & pro corona, coma capitis quercui implectitur, scilicet pependit, cœli, terræque medius, dignus neutrubi recipi, nisi quod cùm Amnonem fratrem ferro trucidatum, suique impotem dimisisset ad inferos; eadem ipse viâ à consobrino Joabo fuisset eòdem deturbandus. Exarserat cor parricidæ triplici crimine ambitionis, libidinis, & inauditæ sævitiei; & totidem jaculis terebratum unà sanguinis effusione ternam feralem facem extinxit. Fecunt patentis decem conjuges violâsse, & à totidem juvenibus è quercu pendulum fuisse confossum. Obedientiam patri debitam, obsequium genitori præstandum abjecerat, dejecturus patrem è solio, ut superbus ipse sederet in throno; sed paratam sibi à patre misericordiam non invenit; & qui tot viros fortes in suas partes abstraxerat, neminem habuit, qui implicitum comæ nodum in ramo quercûs solveret; quia nimirum, quem pater incolumem concupivic, Deus acriùs punivit, ut ejus turgidus fastus deprimeretur: siquidem *DEUS superbis resistit Jacobi 4.* nimirum fortissimus si infirmissimo resistit, quomodo stabit? si fortitudo imbecillitati, quomodo hæc non ruet? si scientia ignorantiæ, quomodo hæc intelliget? si justitia impio, quomodo hic non plectetur? si cœlum cœno, quomodo non dissolvetur? quomodo subsistet homuncio superbiens, si Deus ipsi resistit? Deo, ac parenti restitit Absolon, cùm contra fas omne sceptro inhiaret paterno, & Davidem niteretur è supremo solio deturbare: sed & Deus superbienti, ac seditioso juveni fortiori restitit brachio, quo in extremum dejecit malorum; siquidem qui omnem populum civili turbaverat bello, omnibus detestabilis, singulísque exosus saxorum acervo tumulatur: qui sibi marmoream columnam erexit, in cujus fastigio ejus emineret statua; ejus impii Manes etiam hodie maledictis exprobrantur, lapidésque in aggestum cumulum cum dictis, ac imprecationibus jaciuntur; quæsivit superbiens nomen in terris, & nonnisi execrationes secum detulit ad tartara. Pulchrè de Absolone concludit Chrysostomus inquiens: *In cor excordis juvenis tres* *In Psal. 7.*

*Joab* d

*Joab sagittas infixit, nimirum triplici vulnere receptaculum aperuit iniquitatis, ac superbia, ut tandem inanis tumor evanesceret: & cùm in arbore sublimis penderet, pulchrum ei epitaphium David pater occinuit: Vidi impium superexaltatum tanquam cedros Libani, & transivi, & ecce non erat.*

37. Cum superbia centrum sit, à quo exeunt lineæ omnium iniquitatum; inflari superbiâ, ejúsque tumescere fasto non modica est pœna: animus superbiens sibimet Rex est, & Tyrannus; regia donatur nomenclatione, quia vitiis omnibus improbè imperat: est verò tyrannus, quia se ipsum torqoet, afficiens se omnibus suppliciis, hinc rectè David è regii throni supremo fastigio humilis DEO
Psalm. 35. supplicat: *Non veniat mihi pes superbia*, ubi Ambrosius expendit, *ut non sim superbus, ne peccem; non peccem, ne movear; non movear, ne cadam; non cadam, ne expellar, sicut Adam de paradiso expulsus est: quia in ipso pes superbia stare non potuit.* Sed cur David enixim Numini supplicat, ne veniat ipsi pes superbiæ? si superbiâ mens turgescit, non verò pes tumet, cur potiùs Deum non rogavit, ne mens fastuosa, ne caput superbum ei adveniret? cur potiùs à pede superbiæ, quàm à capite, mentéque turgida petiit præcaveri? quia nimirum ubi superbia intumescit in capite, ibi pes stare nequit; superbus enim, quò altiùs se evehit, eò in imum detruditur, quia nescit stare superbia, & si semel ceciderit, non novit ampliùs resurgere. Turri solet superbus pariari, & quidem turris est superbia, sed multiplici vitio dehiscens, ruinam minitans, proinde solo æquanda; hanc turrim suis cultoribus ruinam parere, argumento nobis est turris illa, quæ cecidisse legitur apud Lucam super decem, & octo viros: scitè Petrus Blesensis loquens de super-
26. bia ait: *hæc est turris in Siloa, qua cecidit super decem, & octo viros, qui eam ædificabant, nimirum superbia mundi.* Dejicienda est hæc turris, ne nos præcipiti lapsu opprimat; diruenda, ne nos diruat; evellenda, ne nos evellat.

38. Est superbia, ait Isidorus, Babylonica turris, cuius structores terræ filii vocantur, quia nimirum ex cœno nati, cùm cœlum impetere ausi fuissent, prosternuntur non fulmine è sinu disruptæ nubis dilapso, sed confusione linguarum: evertenda est hæc Babylonica turris, ne nos confundat; deiicienda,
Gen. 11. ne nos deiiciat: *celebremus* aiebant *nomen nostrum, & æternitati consecremus, supra nubes nostras educamus substructiones.* O ludibrium humanarum machinationum! cùm putarent gloriam nunquam perituram sibi construere; in turri propriam sibi exstruxêre confusionem, ac infamiam; turrim siquidem Babylonicam qui erigere ausi sunt, divisionis filii dicti sunt, quia eorum temeritate, hoc consecuti sunt, ut linguæ eorum dividerentur. Solent præcelsæ turres, vel ruente fulmine ictæ, vel vitium contrahente pariete, vel quassante telluris motu ædificia delabi. Verùm ex turrium lapsu hanc utilem cautionem exsculpsit Hugo Carensis inquiens: *Ruit turris non in solam sui perniciem, sed* In cap. 4. Cant.
*totius civitatis: turre enim capta, vel diruta de facili tota civitas expugnatur; ita casu Doctorum ruente in peccatu, tota civitas Ecclesia patet hostibus indefensa:* adeò laxè se porrigunt damna, quæ invêhunt delabentium turrium ruinæ, seu eorum, qui aliis præsunt, ut illos in interitum pertrahant. Plures sunt Doctorum turres, qui plus æquo alta sapientes in errores impegerunt, suóque lapsu plures oppresserunt.

Sunt qui plura scripsêre, & vano elati 39.
fastu, superbientésque in calamo cæteros contemnunt: sed inanis est tumor iste, mentémque arguit vacuam: plerumque horrea plena à vacuis superantur: etiam in Sarepta Sydoniæ semel redundârunt divitum dolia, cum viduæ lecythus oleo vacuus aresceret; & nihilominus exhausta fuerunt, quæ erant plena; & exundavit lecythus, qui fuerat vacuus. Non est, cur superbiat, qui plenus est, nec contemptui vacuum habeat; rerum siquidem humanarum vices alternant, opplentur, quod erat vacuum; & evacuatur, quod plenum: id præter frequens experimentum produnt illa vitrea horologia, in quibus horæ minutissimum solutæ in pulverem delabuntur. Perstat vas multo pulvere plenum, è quo in aliud subjectum vacuum in pulveres quasi oculos fugientes delabitur hora: sed quid ni? post non multum temporis vasis supereminentis, plenique exhaustus est pulvis; & quod eidem subjiciebatur vacuum, mox erigitur plenum, & cum vertitur horologium, mutantur vices; subiicitur quod antea plenum erat mox vacuum; & quod antea vacuum, perstat plenum.

Súntque alia horologia Christallina, in 40.
quibus perstat vas ingens confertum pulvere; & è regione aliud christallinum vas, longè tamen brevius, nec multo refertum pulvere: tametsi ex utroque tempus incipiat in minutissimum pulverem solutũ diffluere, vix tamen uno expleto quadrante amplioris vasis exhauritur pulvis; cùm qui è breviori delabitur, non absolvatur nisi cum ipsa hora: idque quia ubi in maiori christallo plus continetur pulveris, hic per laxius foramen effluit, citiúsque evacuat vas grandius: angustior verò Cristallus, tametsi parum includat pulveris per angustissimum tamen foramen, perinde ac indivisibiles, insectiles pulveris atomos emittit, quò fit, ut lapsus eò fit diuturnior, quò foramen angustius, & eò brevior, quò laxius: non enim quantum insit cribrati pulveris attenditur; sed quàm pateat foramen, per quod depluit pulvis. Volvuntur rerum vices, divitiis, qui hodie affluunt, non superbiant, neque irrisui habeant pannosos.

❀ (o) ❀

§. V.

## §. V.

### *Deus dies ipsas veluti milites conscribit, expugnaturus, quos affectus superbiens supra alios evebit.*

40. SOlet Deus non solùm superbiam coërcere, verùm etiam deprimere; testes accerso Core, Datham, & Abiron, qui contra Moysem, & Aaronem superbientes insurrexerunt, Deo enim vindice humiliati illicò fuerunt usque ad infernum; tellus siquidem ipsa aperto hiatu eorum deglutivit superbiam, quia Deus superbis, vel maximè resistit, & dies ipsos tanquam milites accersit, pugnaturos, & expugnaturos superbientes:
Malach. 4. *Ecce enim dies venit succensa quasi caminus: & erunt omnes superbi, & omnes facientes iniquitatem stipula: & inflammabit eos dies veniens, dicit Dominus exercituum, qua non derelinquet eis radicem, & germen.*

41. Sed cur Deus dies veluti milites conscribit expugnaturus superbientes? an quia cùm sit Deus sol justitiæ alias sibi non comparat copias, non conscribit milites nisi dies, qui soli famulantur, obsequuntur? est siquidem sol, qui delegatis suis nitoribus, veluti numeratis stipendiis totum lustrat, recensétque dierum exercitum, & eorum singulos suo lumine veluti stipendio ornatos habet milites, ut nec unus hoc ære dirutus, & expunctus sit dies: & revera nil fortius Dei retundit hostes, quàm dies iugi accessione germen vitæ corrodens. Quid validiùs filiis adversatur tenebrarum, quàm dies? qui solis est filius, lucis præclarus fœtus. Certè nulla in castris phalanx fortior, nullus gladius potentior, nulla pugna lævior ad cædes, cladésque, ac ruinas ubique spargendas, voracitate, & pernicitate, ac diuturnitate dierum. Quid non cedit tempori, quæ munita civitas est, quæ succedentium vi dierum non corruat? quæ urbs propugnaculis cincta, quæ accessione dierum non solvatur? cum vel ipsa marmora, & saxa, quæ ferro nonnisi difficulter cedunt, sola dierum violentiâ exedantur. Vult igitur Deus, militem suum diem esse extremam; quâ accedente decedet superbus; quâ incipiente desinet tumidus; quâ illucescente evanescet tumor elationis. Hócque mirum videri potest, quod Deus expugnaturus superbos non multiplicatam conscribat dierum militiam, sed unum tantùm vocet diem: *Ecce enim dies veniet*, cur non plures accersuntur dies? an quia si multi contra nos belligerarent dies, disceremus, qua ratione pugnandum foret cum ultimo? cùm enim unus tantùm sit hostis noster non præludimus, sed pugnamus. Id vel maximè dolendum putavit Stoicus, quia ne semel quidem liceat nobis umbratilem cum Libitina luctam experiri; sed cum primum pugnamus, expugnamur; cadimus cumprimùm cum illa congredimur. Cavendum igitur vel maximè ab hac die Domini exercituum, præsertim cum una duntaxat sit, & quidem in tanta mensium turba latens, non sentitur, nec præsentitur, quia ejus ante experimur victoriam, vulnúsque nobis inflictum, quàm præsentiam.

Verùm cur hæc dies dicitur accedere flammis coruscа, igne conspicua, si ejus accessus nobis non sit conspicuus? nec certò scimus, quamvis fortassis præsens hæc sit, quæ nos occupat? *Ecce enim dies veniet succensa* ait Malachias, quia nimirum fumus superbiæ prodromus semper est hujus succensæ diei: si quis superbiat, non procul ab hoste erigitur expugnandus; quoties fumus adest, ignis non longè abest; vix superbum spiritum induit Lucifer, & statim è summo cœlo in imum cœni cecidit, vestitus ignominiâ, qui ornatus erat nitore omnis lapidis pretiosi. Vix Adam voluit Deo æquari: *Eritis sicut Dij*, & illicò deprimitur tum ipse, tum ejus uxor, tunicisque indutus pelliceis audire coactus est illa amarissimi risus verba: *Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est sciens bonum, & malum.* Vix exstructores Babylonicæ turris superbis mentem impleverant cogitationibus: *Venite faciamus nobis civitatem, & turrim, cujus culmen pertingat ad cælum: & celebremus nomen nostrum*, & opere interrupto destiterunt, in ruborem verecundiæ lapsi, unde nominis quæsiverunt splendorem. Vix David populum recensuit, & statim lues triduo grassata enectis opplevit urbem cadaveribus; & exiguus fumus elationis prægrande excitavit incendium, quo plurimorum vitæ extinguerentur. Nabuchdonosori unà cum mente turgida, intumuit etiam cor, quod propterea elevatum est; sed statim è solio deturbatus bestiis consociatur. Saul cum vellet magis sapere, quàm Samuel detrectarétque Deo obedire, statim audivit 1. Reg. 15. *Pro eo quod abjecisti sermonem Domini, abjecit te Dominus, ne sis Rex.* Sennachetib Rex Asyriorum superbus fuit, & contumeliosus in Judæos, Deúmque Judæorum; sed illicò subversus fuit cum toto suo exercitu. Holophernes alter gradivus Mars totam sibi Judæam subjicere meditabatur; sed fœminea manus in Juditha eum statim expugnavit, ejúsque tumorem depressit, cùm ejus caput amputavit: *Una mulier Hebræa fecit confusionem in domo Regis Nabuchdonosor, ecce enim Holophernes jacet in terra, & caput ejus non est in illo.*

42. (right margin) — Malach. 4. — Genes. 3. — Genes. 11. — 1. Reg. 15. — Judith. 14.

43. Sed cur superbus stipulæ potiùs pariatur, quàm fœno, cùm hoc sit longè ignobilius, arescat statim, promptiúsque putrescat? ut nimirum doceamur, stipulam eatenus superbum referre, eò quia in sublime erigitur, & gramen, seu fœnum humi potiùs serpit, nec multum erigitur: tametsi fœnum sit vile, quia tamen insedit agro, & è sinu genetricis telluris vix abscedit; humilem potiùs exhibet: secus stipula nobile gramen sursum erigitur,

gitur, virore superbit, & spicâ coronatur: granum siquidem triticeum excipit putris gleba, illúdque cohibet ocata tellus, ac veluti materno terra gremio fovet, ut observat S. Ambrosius. Inde cùm granum illud se resolverit, herbam germinat, quæ statim genus satum similitudine sui prodit, ut vel in ipso suæ stirpis exordio; cujus sit herba generis cognoscas, & in herbescente viriditate rudimenta appareant fructuum. Mox glisceus sensim sine sensu adolescit in fœnum, culmóque pubescens erigitur, & assurgit. Ubi verò geniculata se jam spica sustulerit, vaginæ quasi eunabula quædam parantur frugi, in quibus granum interiùs formatur, ne scilicet tenella ejus primordia ambiens exterius frigus lædat, aut solis æstus exurat; aut ventorum inclementia, vel decidentium imbrium impetus discutiant. Succedunt ordines spicæ mira formati arte, non solùm ad speciem venustam grati fructûs, verùm etiam ad frugis tutamen, nexu quodam inter se naturalis colligationis adstricti; & ne frugis numerosioris pondere prematur, rumpiturque quasi veluti fulturâ culmorum, vaginis quibusdam ipse culmus includitur, ut geminatis viribus frugem possit multiplicem sustinere, ne oneri impar in sublime evecta plantula non sine dispendio curvetur in humum. Quin spica ipsa supereminens vallo coronatur aristarum, quasi tot vallata propugnaculis, quot cincta aristis, quibus munita sua maturescit in arce minoribus objiciens aviculis cuspides aristarum, ne earum morsibus suis ipsa destituatur fructibus. Refert igitur stipula mentem fastu superbiæ in sublime elatam, sed dies Domini succensa eam absumet, perinde ac ignis stipulam: *Ecce enim dies veniet succensa quasi caminus, & erunt omnes superbi, & omnes facientes impietatem stipula: & inflammabit eos:* sed si stipula viruit aliquandò in herbescentem plantulam, & maturuit in flavescentem spicam, cur superbo confertur? quia nimirum etiam quos virtutum cultura, studia pietatis videntur commendare; hos nonnunquam superbia corrumpit. Stipula est homo, qui frumentum intra corticem concoxerat, seu virtutes excoluerat, & iisdem superbiens postea fructu destituitur; & hic perinde ac stipula flammis absumendus tradetur. Stipulæ sunt, qui Eucharistico se pane reficientes, mox vano inflati fastu dedignantur sacras accedere ad aras turbis populorum admixti; destituti frumento electorum, panéque Eucharistico, arescentes deficiunt in stipulas igne cremandas; *dies veniet succensa quasi caminus, & erunt omnes superbi, & omnes facientes iniquitatem, stipula,* spica est juvenis, quamdiu frumentum electorum suo recipit pectore, fovet in sinu, arescentem verò deficit in stipulam, si divinæ segetis sanctitatem pertæsus hoc destituitur frumento; & hunc expectat dies domini exercituum succensa, cujus immodicis ignibus, flammisque voracibus hæc palea, hæc stipula ex superbiæ fumo arescens, uretur: quia Deus superbis resistit, & ad vanidum eorum fumum vult ignem sequi, quatenus Deus, ut supremus Judex non sinit impunitum fastum abire superbiæ.

44. Aman supra nubes gradiens, séque ipsum præ magnitudine non capiens, non secus, ac frumenti granum ex cœno surrexit, crevítque in aula Artaxerxis, seu Asueri, perinde ac spica divitiis affluens, multique auri nitore flavescens; verùm tumore superbiæ in stipulam deficiens pœnas dedit, & lachrymas, quas ejus fumus elicuerat. Versabatur in aula Asueri Amanus, qui uni duntaxat Regi secundus erat, cæteros omnes præcedens, superbiâ tamen validiùs, quàm merito. Vir siquidem fuit omnium superbissimus, simúlque ferocissimus in singulos, qui ejus viderentur arrogantiæ adversari, fuerítque propterea veluti Tyrannus Persicæ Curiæ. Fuit is gente Macedo, natalibus Agaites, stirpis Amalecíticæ Hebræis jugiter infestæ: quia verò maternum genus à Persis traxerat, Persatúmque fuerat moribus imbutus, gradatim è consuetudine, & familiaritate Procerum in aulam, & ipse irrepsit, in qua ad eum conscendit arridentis fortunæ gradum, ut apud Asuerum omnia posset, Patris etiam nomenclatione à Rege dignaretur.

45. Verùm tam vecors superbia hominem inflaverat, ut à quocunque mortalium non adoraretur utroque flexo genu, seu cultu, qui soli Deo debetur, eum hostem sibi, ac perduellem Regi, totíque Regno infaustum, seu centum viginti septem Provinciis, quas Regnum complectabatur existimatum voluerit; proinde duris verbis, dirísque suppliciis ab omnibus persequendum; quodque exequi ausus etiam fuit in Mardocheo viro æquè forti, ac pio, próque Religione tuenda, patriáque propugnanda imperterrito. Hunc Amanus ob denegatum sibi cultum soli Numini debitum eradicare ferro, cum universa Judaica stirpe per omnes, ac singulas Persici juris Provincias animo moliebatur: & revera unius tumidi viri fumus ad lachrymas coëgisset totum judaicum populum, quem perdidisset, succedentibus mox tanto superbiæ fumo flammis sævissimæ persecutionis; nisi unius mulieris, seu Estheris Reginæ effusæ lachrymæ ignem suo extinxissent in exordio: his siquidem emollitus Artaxerxes cruentum, sævúmque Amani edictum de stirpe judaica prorsus eradicanda dilaceravit, furorémque in Amanum authorem impij decreti convertit. Non solùm Susis affixum plateis magis conspicuis edictum legebatur, simúlque lugebatur gens Judæorum, cui extremè erat fatale; verùm etiam per totam Persiam, urbes, vicósque, ac oppida, per quæ cum litteris Regiis discurrebant justitiæ Administri decreto riam judaicæ stirpis internecionem nbivis locorum denuntiantes Magistratibus.

46. In hac rerum desperatarum luctuosissima constitutione unicum Judæis supererat in Esthere præsidium; quæ post triduanas corporis afflictationes, fusas ad DEUM preces, servata à toto populo jejunia; sicuti non minus animo, quàm corpore venustissima erat fœminarum, pretiosioribus se vestibus induit, gemmarúmque multiplici nitore corusca, fronte hilari, vultu sereno, ore placidissimo Regem accessit, qui statim eam admisit protensâ in benevolentiæ signum virgâ aureâ, cúmque observâsset Regem ad omnia vota paratissimum serico verborum lenocinio, blandáque sermonis suada eò Regem deduxit comitatis, ut ad epulum ab ea apparandum invitaverit, ut etiam Amanum cruenti decreti sævissimum authorem. Plurimum ex hac invitatione hauserat lætitiæ Aman, sed majorem etiam conceperat indignationem contra Mardocheum ad Regiæ fores excubantem, siquidem ingressuro Aulam Regiam Amano in genua se non dimisit, hic enim denegatus Amano cultus in amatorem convertit totam dulcedinem, quam ex convivio Estheris Aman prægustaverat; quia nimirum superbia se ipsam torquet, sibique ipsi est carnifex.

47. Putabat Amanus aulæ fortunam sibi novercam, nisi Mardocheum præaltæ cruci affixum videndum exhibuisset omnium oculis, hinc convocantur in consilium Zare ejus uxor, & amici, cum quibus deliberat de mortis genere, quo plectenda sit Mardochei contumacia, & initis iniquissimis consiliis omnium sententia ea fuit, ut patibulum erigeretur ad perduellis gulam frangendam, eóque ad terrorem attrocius, quò ad ignominiam in publico foro erectum, in quo statim surrexit crux sublimis in altitudine quinquaginta cubitorum. Verùm aliter statuente Numinis providentiâ, eadem fortassis nocte, quæ inter suspendium intercesserat, Rex insomnis jussit sibi legi historiam suorum gestorum, ex qua didicit capiti suo per eunucos insidias esse structas, & à Mardocheo detectas, nulla telata in benemerentem, vel gratia, vel præmio.

48. Aderat solito matutior horis antelucanis in aula Amanus, ubi Rex de modo gratificandi hominem sibi fidum cogitaverat, cúmque beneficiis cumulandi; è converso præconceptum in Mardocheum, totámque Judaicam gentem odium non sinebat Amani caput conquiescere, donec è vivis Mardocheum præsertim eraderet; in animo Rex habebat Mardocheum honoribus afficiendi, & ad splendidiores suæ aulæ dignitates evehendi: Amanus verò nil aliud mente volvebat, quàm Mardocheum deprimere ac perdere: ille ad honores: hic in crucem meditabatur Mardocheum evehere: accivit Asuerus Amanum, eúmque interrogavit, quo genere honoris afficiendus esset homo, quem Rex percuperet præ cæteris speciali, honore insignitum, ac condecoratum; ratus Amanus velle Regem sibi hoc honoris incrementum adjicere ad uberiorem dignitatis, qua pollebat splendorem (siquidem fastus superbiæ semper magis tumet, & ad sublimiora niti nunquam desinit; fumúmque in hoc imitatur, qui jugiter ascendit, donec evanescat) consilium suggerit statim Regi, ut quem sic insignitum vellet honore, regio vestiret ornatu, juberétque vehi equo regio, & circumduci per plateas urbicas frœnos tenente Satraparum Principe, & proclamante Præcone: *sic honorabitur, quemcunque voluerit Rex honorare.*

49. Arrisit Regi consilium, jussitque Mardocheum ornatu regio indutum, seu diademste, aureáque torque, ac splendida chlamyde equo regio cæteris generosiore insidere, circumducique per urbem Amano præeunte, ac præconem agente; cum nemo fuerit in aula in majore dignitate constitutus, nec inter proceres eo potentior: & tunc cœpit tumidus Amani fastus impingere animo fluctuante in scopulum; ac non modicè detumescere, quasi imminentis præscius naufragii: hæsitque anceps inter malleum, & incudem, torquebatur cultrum inter & saxum; moram quamlibet, omnémque tergiversationem rumpebat mandatum regium; sed servile obsequium præstandum Mardocheo, quem lethali fuerat odio prosecutus, invidiosam remorabat pompam: quot enim fuissent spectantium oculi, totidem censuit sui fastus ludibria, totidémque tela, quibus superbia confoderetur, & ipse confunderetur.

50. Vicit tandem mandatum Regium superbientis verecundiam, & timor fastum: uterque alternantis fortunæ expertus vices, Mardocheus risit cum arridente, flevit verò Amanus cum novercante; ille prosperam, hic adversam; ille promoventem, hic deprimentem; ille honoribus cumulantem, hic dedecore afficientem excepit, vel invitus: hinc splendebat regali ornatu Mardocheus; rubebat Amanus pudore magis, quàm purpurâ; insidebat ille equo regio, vultu sereno, oréque tranquillo; comitabatur iste, fronte nubila, oculisque imbre madidis lachrymarum: ita fortuna homines ridet, irridétque, cum tunc eos ad imum detrudat, quando ad sublimiora evehit: nempe vitrea est, licèt splendeat, facilè frangitur; & tunc vel maximè concutitur, cum supremum videtur felicitatis attigisse fastigium; honore hoc jam affecto Mardocheo, suisque functo Amano officiis; meditabatur hic, qua aptiori spongia contractam tanti dedecoris labem abstergeret, sed supervenientes Eunuchi Regii etiam Amanum vocârunt ad epulas à Regina Esthere paratas, adactúsque, vel invitus comparuit.

51. Cúmque utrinque plenis spumantibúsque calicibus fuisset usque ad fluctuantis capitis æstuantes cogitationes propinatû, Rexque ipse mero incaluisset; Regina Esther composito ad singularem modestiam vultu, blanda, sed efficaci suadâ supplicavit Regi pro capite tam suo, quàm totius suæ gentis, Mo-

tos supplicatio non solùm regio excitavit in animo, sed lachrymas etiam ex oculis: sentiebat regium pectus moveri commiseratione Reginæ lectissimæ, ac dilectissimæ, & maximè ob ejus vitæ integritatem, animíque innocentiam; sed etiam excandescere cœpit in tantæ crudelitatis molitionem, ejúsque authorem investigare: ubi verò intellexit, Amanum præconcepti facinoris molitorem, ac inauditæ sævitiei totam fuisse telam orditum, indignabundus surrexit illicò, concessítque irâ commotus in hortum triclinio adnexum, non tam furoris æstum aurâ temperaturus liberiore, quàm ut tempus daret suis cogitationibus; statueretque maturiùs, quo supplicio esset Amanus afficiendus, qui instantibus premebatur fatis: & licèt Estheris clementia rogaret Regem pro vita Amani nulla potù fuit prece eum flectere, idque vel maximè, quia reversus ad Triclinium Amanum repererat Reginæ lectulo affusum; licèt enim supplex Amanus tunc Reginam rogâsset, petetérque, ut conceptam Regis temperaret indignationem, adhuc Rex suspicione meditati flagitii correptus imperat statim, nefandi sceleris artificem obvelato capite fuccidaneam victimam in eandem, quam Mardochio erexerat crucem figi.

52. En rerum humanarum fluxam, labilémque catastrophen! en alternantis fortunæ infidas vices! superbia Amanum ad cultum soli Deo debitum à populis sibi exhibendum induxerat: sed tumidus fastus, è culmine honorum in aula Asueri eum depressit quidem, ut iterum erigeret, sed præcelsæ cruci affixum, seu eveheret ad culmen ignominiæ, cum antea superbiret in summo honorum fastigio. Quis non censeat Amanum in aula Asueri pilam lusui simul, luctuíque aptam, dextrâ, lævâque jactatam: nullus in aula Asueri eo felicior; cum cæteros honoribus, divitiísque antecelleret: sed & nullus infelicior, ejus siquidem superbienti capiti non humiliatus pes tormentum est, quovis crucia u truculentius. Cum unus è prætoriana cohorte miles eidem ingredienti, & egredienti ex aula genua non flecteret; flectere cœpit ipse varias in capite cogitationes in contumacem prætorianum, sed ejus tumor allisus in durius genu disrupta cute detumuit: quique proximus erat folio regio; quique lateri regio assidebat, fit ftrator equi, præcóque ignobilis: qui à Rege pater vocabatur, mox perduellis proclamatur. qui primis eminebat honoribus Regi percharus, mox læsæ Majestatis reus in imom detruditur ignominiæ: qui ferrum jam acuerat in gentis Judaicæ jugulum, cogitur ipse collum præbere laqueo: qui crucem erexerat Mardocheo, pendet ipse ex præeminenti patibulo, auræ, populique ludibrium: nimirum superbiâ qui intumescunt, iisdem malis artibus, quibus alios nituntur deprimere, se ipsos perdunt.

53. Lusorium follem putârim superbiam, cum ventum, quem attrahit, iterum reddat: intumescit superbus, sed lodente fortunâ utrinque percutiente dextrâ, & sinistra manu detumescit. Si turgidus fastus splendere videtur, lampas est, quæ tunc extinguitur, cùm adblandiens fortuna nimium affundit olei. Si lucet, fax est, quæ vento paulò vehementiori agitata perit, simúlque fœtet. Si aura pascitur populari, bulla est, quæ vix inflata disrumpitur, vix splendido orbe aërem permeat, evanescit: si sursum nititur, ignis est, sed fatuus in aëre circumactus prælucet in avia, suámque locem in luco sepelit: si in sublime ascendit, fumus est, qui evaporans obscuro è camino inter avolantia sursum volumina consumitur: si ad dignitates aspirat, ventus est spirans, simúlque periens, quia uc rectè Salomon: *Ubi superbia, ibi & contumelia.* Timeant qui adblandientis fortunæ secundis flatibus intumescunt; fluxa est aura, quæ unà cum vento fluit, stare nequit, quia nihil continet stabilis; est siquidem superbia ideo vacua, quia plena inanitatis. Aulas Principum qui frequentant non immeritò arbustis parraveris, crescunt hæc in excultis agris, & sensim sine sensu adolescunt, luxuriántque virore comarum, fiúntque temporis diuturnitate præcelsæ arbores; sed quæ nonnisi post diuturnam annorum seriem creverunt, unâ horâ extirpantur. *Prov. 11.*

Aman in aula Asueri creverat per plures annos ad sublimiorem post regium honorem, sed una hora ad imum eum detrusit ignominiæ. Quàm fallax gratia adblandientis fortunæ! tunc vela contrahenda sunt, cum nimium ventorum flatu implentur: nil navibus æquora trajicientibus perniciosius nimio etiam secundi venti flatu; hic enim facilè in scopulos navim perducit, inducítque naufragium. Non abutantur favore Principum, qui eorum utuntur authoritate, quia persæpe, quos Princeps amico excipit complexu, eosdem vel gladius jugulat, vel laqueus suffocat, vel præcipitium exsorbet, vel flamma absumit, vel fera dilacerat: scimus enim ex amico fœdere Alexandro Macedoni adglutinatis, Lysimachum Leoni objectum, Clitum hastâ trajectum; Callisthenem mori iussum, & Libitinæ traditum, Philotam pluribus inflictis voloeribus quasi membratim cæsum; Parmœnioοem sub larva amicitiæ occisum. 54.

Scimus ex amicis Tiberii Seiaoum per scalas Gemonias unco ignominiosissimè tractum: ex familiaribus Constantii Ablavium in frusta concisum: ex Theodosii percharis Eutropium securi percussum, Ruffioum gladio cæsum: ex iis, quibus Justinianus favebat, Bellizarium post delatas è bello victorias, plurésque lectas palmas hostili cruore ad uberiorem rigatas triumphum orbatum oculis, mendicum in ponte stetisse, & qui antea fuerat populorum domitor, urbium expugnator, hostium terror, belli fulmen, mox stipem petit, cuius bellicæ fortitudini Principes precariam debeent vitam. O fluxas rerum 55.

rerum humanarum vices: qui Regum fortunas, divitias superbo pede calcaverat, nunc pannosus obulum petit, quô deficienti præ fame stomacho consulat: iacet vestibus usu detritis, lacerísque; inculto crine, emaciato vultu, pallido ore, viribus destitutus Bellizarius infelix, cuius virtute bellicâ steterat imperii felicitas; languet nudus, & inops, quem innumera propemodum militum multitudo cingebat, undique affusa lateribus. Est contemptui hominibus infelix Bellizarius, licèt fuerit imperii gloria, Principum deliciæ, milirum amor, civium voluptas, hostium terror. Hæret mendicus ad fores squalore obsitus, fame exhaustus, dedecore pressus, neglectu turpis, sine re, absque lare, destitutus fortunis, exturris ab aula. O fortunæ tameritatem! cùm ita ludat in Principum capita: quæ enim blandiebatur, mox sævit; invidet, quæ arridebat, deprimit, quæ erexerat, & ex triumphis ad ignominiosa pertrahit funera.

## §. VI.

*Ludit fortuna cum superbis, quos vento inflatos veluti folles lusorios evehit, & deprimit.*

56. LUdit fortuna, cùm superbum fastu inflatum, perinde ac follem lusorium flatu turgidum in sublime evehit; sed simul eidem illudit, cum lapsu deprimit graviore, ac in imum detrudit extremæ calamitatis. Videtur lusisse cum Balthasare, eúmque illusisse, cùm superbiâ tumidus contemptui habuit Cyrum Medorum, Persarúmque Regem, eò quia biennali obsidione Babylonem in cassum vallaverit. Maior Balthasari erat in urbe cura conviviorum, quàm extra mœnia præliorum; redderétque diuturnitas obsidionis securum Balthasarem, & improvidus cives; augerétque hostium contemptum, quem ut Rex proderet populo convivium instituit, ut cives læti vinum funderent in symposiu, non sanguinem in pugna. Sed dum festivas Babylonii agunt ferias, dum urbs tota ludit, choreis, conviviis aula tripudiat. Persæ noctis beneficio, tenebrisque obtecti, ac in observabiles viam sibi ad invadendum aperiunt, cùm bacchanalia viverent Babylonii, nilque esset sobrium, nilque providum. Regi ipsi capacioribus calicibus optimates quosque provocate, aliisque pleniora porrigere pocula volupe fuit: certabat Rex poculis cum suis familiaribus, perinde ac si hostes super mensam essent debellandi.

57. Videbantur curæ omnes militares vino immersæ, excubiæ sopitæ; & ipse Balthasar vino iam gravis, & temulentus sacra iubet afferri vasa ex templo Solymæo expilata, in honorem Deorum Chaldæorum infuso meru coronanda, simúlque uberiori haustu exsiccanda; ac si bellum ineundum esset, non inter Cyrum, & Balthasarem; sed Venerem, & Bacchum: adferuntur ab Ephæbis vasa sacra aurea, argentea divino cultui antea dicata Jerosolymis, natant vino, circumeunt profanas inter manus; & cymbiæ, quæ antea aræ servierant, mox haræ ad temulentiam subserviunt.

58. Sed quid ni? cùm ferventiùs æstuat convivalis luxuria, dum convivæ laxiori, lætiorique haustu sacra exsiccant cymbia, laudibúsque in cœlum evehunt falsa numina, aurea, argentea, ærea, ferrea; apparent in pariete ex adverso lucernæ digiti manus scribentis; portentum spectant convivæ, qui licèt mero jam plenè madidi, ac rubentes vino, statim terrore correpti cœperunt impsllescere, & madere lachrymis, qui vino ad temulentiam madebant; & præ cæteris Rex, ad quem feralis alludebat scriptura; qui non solùm cœpit albescere metu, sed etiam impallescere horrore, compavescere corde, totísque artubus contremiscere. Accersuntur statim Arioli, vocantur Augures, & Haruspices; exhibentur præmia legenti, & axplicanti arcanas litteras, quas cùm nemo sciret interpretari; accersitur & Daniel, rogatúrque, ut velit exaratos in pariete characteres legere, & explicare: spondet Rex ei honores, & divitias, si sensum componat characterum, se tamen excusat Daniel respondens, sapientiam minimè sibi muneribus venalem esse: religiosè tamen obsecuturum desiderio, & ænigma aperiturum: sed priùs memoriam tefricat parentis, insulentes spiritus contra Deum inter feras expiantis: suggerit eò temeritatis devenisse, quò templum Solymæum ausu sacrilegu expilaverit, & vasa Deo consecrata, cultuique veri Numinis dicata, quæ triginta dilapsis jam annis absque contumelia latuerant, nunc ab ipso Balthasare polluta fuerint, temulentiæ, & sacrilegii flagitio: proinde sciret exoticos characteres manu è nube exporrecta in pariete exaratos, minimè oculorum esse ludibrium, sed latam à supremo Judice sententiam, decretúmque supplicii, quo ejus superbiæ detumesceret fastus, nihili faciens sacram supellectilem Deo consecratam, quam ebrietatis etiam & sacrilegii crimine contaminaret, & hostem, qui erat ipsi contemptui evasurum præcipuum suæ punitionis instrumentum: interpretatur Daniel pictam in pariete scripturam *Mane Thecel Phares*: nimirum annos Regis à Deo numeratos esse, ac discussa, quæ ipse egerat, & veluti in statera librata, ac deprehensa fuisse ponderis injusti, longè superante flagitiorum, scelerúmque lance, proinde Regem vita, & regno exuendum, hócque Persis, & Medis dividendum.

59. Timore perculsus Balthasar, quò se verteret, non habuit, jussit tamen Danielem indui purpurâ, & aureâ torque, tertióque post regiam dignitatem loco haberi; sed vel quia crederet post dilapsum aliquod tempus; hæc eventura, vel quia forsan speraret vatem suam

tem-

temperaturum interpretationem; vel ipsummet ob collatos Danieli honores declinaturum tristia fata: tantùm absfuit, quòd sacrilegi convivæ resipuerint, ut impijs lascivisque cantibus, sacrorúmque profanatione vasorum Deum acriùs irritarent. Sed cùm jam à sana essent avulsi mente, mero temulenti, vino consopiti, crapulâ oppleti, ac marcidi, nocte intempesta, cum somno sopiti procumberent omnes, effractis abexterno hoste portis urbicis, quà Euphratis præterfluebat exigua aqua vix genua attingens, irruit Cyrus cum suo exercitu in urbem vino, somnóque sepultam; in qua miscentur statim omnia cædibus, rapinis, & incendijs; debacchatur per mediam urbem bellicus furor, strages spargit, priusquam temulenti incolæ audirent, hostem districtis gladijs intra viscera sævire; ex civibus alij somno sopiti quieti indulgebant, alij tripudijs, potationibus, & ludis malè vigilatam noctem ducebant in symposijs. Urbis plateas singulas pervagatus hostilis furor, ubique strages, cladésque spargens, ad regiam domum pervenit, ubi disruptis foribus, evulsis obicibus, sævit in primos custodes, qui, referente Herodoto, luculentum ad ignem pocula exsiccabant; quique vinum in calices fundebant, adiguntur, è faucijs membris, è corpore trucidato sanguinem in humum effundere: non tamen inde mitescit debacchatus furor, sed intimiora regij palatij penetrans, Regem epulis distentum, cæterósque timore perculsos inflictis vulneribus sauciat, trucidat, interimit, nec imbelli parcens sexui, uxores etiam, & concubinas, totámque aulicam familiam ferro enecat, pérque totam urbem oppletam luctu, funestatam ejulatu, fœdam cruentis cædibus, armati æquè, & inermes enectæ cadunt victimæ sub gladio Victoris: & mensæ, quæ madebant vino, natant sanguine; puellæ, quæ lascivos cantus edebant, promiscuas lamentationes depromunt; quæ ridebant, & madebant fœminæ vino, illachrymantur proprio funeri sanguine conspersæ, & eorum parvuli ad saxa allisi prius mortem incurrunt, quàm vitam ordiantur; & urbs plena delicijs cruenta oppletur clade; quæ lætitijs indulserat, ploratu, & ullulatu corrupta jacet squalida, deflorata ferro, deplorata cruore; quæ generosiori madueras vino, lethali mergitur sanguine, quo vanus Balthasaris fastus mergitur, & urbs tota sepelitur.

60. Sua habent tragœdiæ plerumque jucunda initia, sed semper exitus tristes, & quidem Balthasaris tragœdia splendidissimum æquè, & jucundissimum initium protulit, cum præter ingentem fœminarum turbam accubuerint proceres propemodum mille sine famulis, Ministrísque Triclinij, ait enim Scholiastes apud Cornelium à Lapide singulis suum fuisse craterem, suúmque pincernam, & à minoribus gradatim ad majores transijsse calices, ut omnia ebriosorum vocibus perstreperent. Videbatur in hoc jucundo tragœdiæ exordio chorus tripudiantium in voces illas irrupisse, *Venite fruamur bonis, quæ sunt, & utamur creatura; vino pretioso, & unguentis nos impleamus; rosis nos coronemus*, sed hilaritas citharæ in tristitiam vertitur luctûs, turbârunt enim hilaritatem digiti manus scribentis contra candelabrum, tunc enim, quæ rubebat vino Regis facies, impalluit timore; indulgebat ventri, ac voluptati Rex; sed cùm primùm aspexit articulos manûs scribentis toto corpore contremuit, *& compages renum ejus solvebantur, & genua ejus ad se invicem collidebantur*, & eadem nocte interfectus est Balthasar Rex Chaldæus. Et Darius Medus successit in Regnum annos natus sexaginta duos. Quid tristius? quid lethalius ab haustu vini ad sanguinem effundendum; à choreis, ad strages; à cantibus ad luctus; à risu convivarum, ad ejulatus morientium transire? ubi suaviores recreabant odores viventium choros, post aliquot dies putrescentium cadaverum fœtores pestem exhalant; ubi convivæ epulabantur, crudelitas omnia destruit, excidium omnia vastat, trucidatio omnia sanguine maculat; ubi spectabantur tripudiantes, choreásque ducentes, nunc jacent Persicis gladijs confossi Babylonij: ubi inter tripudia ad incentivum amoris blando Cupidinis telo feriebantur convivæ, nunc Libitinæ sagittis trajecti humi jacent exanimes; spirantes horrorem, qui paulò antè jucundabantur; quæ assurgebant palatia igne succensa cinerescunt in pulvere; quæ eminebant præcelsæ turres, mox solo æquatæ humi jacent ruderibus obrutæ; & tota civitas, superba ædificiorum structura, columnarum sylvis, statuarum exercitu, plateatum magnificentia, populorum frequentia jacet misera, infelix horrore plena, sanguine fœda, cadaveribus fœtens, suísque oppressa, accumulata ruinis. *Visitabo super Regem Babylonis*, ait Jeremias *Et super gentem illam dicit Dominus, & super terram Chaldæorum, & ponam illam in solitudines sempiternas*, cui consonat Isaias. *Descende, sed in pulvere virgo filia Babylon; non est solium filiæ Chaldæorum, quia ultra non vocaberis mollis, & tenera*, & cap. 51. repetit Isaias. *Cecidit, cecidit Babylon, & omnia sculptilia Deorum contrita sunt in terram*: & quare ceciderit Babylon, causam innuit Isaias, *quia ab Aquilone fumus venit*, sed quis unquam prostratam, ac protritam fumo vidit urbem? evaporat è caminis urbium fumus, sursúmque caliginosa nititur in volumina; & tamdiu ascendit, donec evanescat. Quomodo fumus potis est urbem evertere? si solâ aurâ subvertitur? quomodo solo æquare parietes? si quasi timidus eos fugit sursum aufugiens per patulos eorundem hiatus? & tamen fumus veniens ab aquilone, seu fastus, quo superbiâ tumidus

Sapient. 2. | Daniels. | Cap. 51. | Cap. 47. | Cap. 14. vers. 31.

Balthasar contemptui habuit Numinis cultum, polluitque vasa sacra, ejus cultui dicata; flocciquc fecit hostes obsidentes, urbem prostravit, domos protrivit, cives interemit.

61. Tumorem superbiæ fumus æmulatur, ac indolem ejus fastûs imitatur, non solùm, quia jugiter sursum nititur, verùm quia oculos lædit, & cæcitate inficit: hinc si fumus superbiam indicat excæcantem, non mirum si fumo Babylonem prostratam novimus; hæc superbiæ est natura, quos inflat, fursúmque evehit, deprimere, deorsúmque detrudere. *Detracta est ad inferos superbia tua*, & Balthasari ascendenti supra nubium celsitudinem, pluvium minatur casum lachrymarum: hinc difficile non fuit, victores Philistæos fumo interiisse cum arrogantia turgidi, fastúque superbiæ tumidi cæteros nonnisi contemptui haberent. Quid ni alligatis succensis facibus per Samsonem vulpium caudis; ignis longè, latéque flavescentes, maturásque segetes succendit, & totam propemodum devastavit Philistæam reginnem: sed fumo non segetes corripiuntur, sed urbes corruunt; ignis depopulatus est agros maturis segetibus ditescentes; sed fumus homines extinxit, urbésque solo æquavit: contemptus ignis videtur perrepere campos, aristis pascitur, & paleis: sed sursum conscendens in urbibus fumus etiam regium thronum denigrat, clarioresque aulæ splendores obscurat, Proceres, populúmque prosternit: lethaliùs siquidem serpit fumus superbiæ, quàm ignis libidinis; hoc pereunt agrestres, illo conteruntur nobiles, deprimuntur Reges, prosternuntur populi: rusticatur ignis in agris Philistinorum matura segete fluctuantibus; sed fumo urbes evertuntur Palestinæ. *Ab Aquilone enim fumus venit*, quia superbiæ primogenitus Lucifer supremo inhiavit Aquilonis fastigio *Sedebo in monte testamenti in lateribus Aquilonis*. An quia superbus desés sedet, otióque marcescit? Quàm paucæ urbes ab hoc fumo reperiuntur immunes, quia ex igne fumus, & ex fumo ignis; præit enim, sequitúrque fumus ignem, quia cui incunabula prodromus apparat, eíque emortuo parentat, elicítque etiam à circumstantibus lachrymas. Imò non ignem tantùm, verùm, & aquam fumus invadit: videmus rigente hyeme brumâ fumantes aquas, quia nimirum non solùm, qui igne exæstuant libidinis, hoc fumo excæcantur: verùm & qui pellucidis irrigantur castitatis laticibus inficiuntur, ut rectè dixerit Isaias, *Et non est, qui effugiat agmen ejus*.

Isaia 14.

Isaia 14.

Isaia 14.

Isaia 14.

62. Candori nil fumo magis noxium, difficulter superbo obviabis, simúlque casto: cùm primum fumus hic Davidem infecit elatum, populúmque recensentem, ignis etiam libidinis eundem adussit adulterio fœdatum. Quòd si igne corruunt præcelsa quæque; etiam superbia deprimit, quos celsitudo tenet, *incurvabit habitantes in excelso*, quinimò non dixerim superbos incurvandos, sed incurvatos jam esse, cùm videam ipsos sua præstantes obsequia ijs, à quibus sperant posse ad fastigium alicujus dignitatis evehi: singulis subijcitur, qui præcelsa ambit: ubique demittit se in humum, qui summo inhiat; & ad pedes præsertim Principis inflectitur, ut caput superbo fastu tumidum sursum evehatur: nullus superbiente abjectior, infra omnes jacet, ut paucos antecellat: rectè prosequitur Isaias; *Civitatem sublimem humiliabit, humiliabit eam usque ad terram, detrahet eam usque ad pulverem;* quia superbia sublimia tenens, corruens ex alto proprijs sepelitur ruinis; cùm humilitas humi jacens triumphet, altiùs radices agens, quibus incrementum subcat, adolescat in spei virore, fructúsque proferat excultæ virtutis: non solùm civitatem sublimem humiliabit, *sed conculcabit eam pes, pedes pauperis, gressus egenorum*, quia nimirum humilitas pauperis superbiam debellatam prosternit, non manu bellum edocta, sed pede ad gressum instructo, victrix humilitas pauperum de prostrata triumphat Babylone: sed cur pede triumphat, & non capite diademate cincto, gemmísque illuminato? quia nimirum pes in corporis postrema parte humilitatem indicat, caput verò cætera supra membra elatum magnis, vanisque cogitationibus repletum superbiam prodit; & quia triumphus humilitati debetur, rectè pes Babylonem calcat prostratam, non tamen quicunque pes: sed pedes humilium, pedes pauperum Babylonem quatiunt, conculcántque: siquidem solo æquatam urbem pulsare pedibus non præpotentis est Principis, sed abjecti est pauperis: siquidem sordidi est animi è gremio lautioris fortunæ excussum hominem insectari. Cœli fulmina non protritas domus, non solo æquata palatia; sed præcelsas feriunt turres: hinc rectè Isaias, *Væ coronæ superbiæ, ebrijs Ephraim, & flori decidenti, gloriæ exultationis ejus, qui erant in vertice vallis pinguissimæ errantes à vino*, quem textum, ut expenderet D. Hieronymus, scribit ad Eustochium, *cum Moyse ingrediamur nubem, & caliginem, ut clarificetur vultus noster*. Clarificatur vultus in nube, quando fumus superbiæ nos edocet, quàm iniqui sint, quàm lapsui proximi, qui superbientes summis inhiant dignitatibus, ambiunt diademata, *væ coronæ superbiæ*, seu ut legunt septuaginta Interpretes, *væ coronæ injuriæ Mercenarij Ephraim*, quia nimirum perinde est corona superbiæ, ac corona injuriæ, corona cujusvis iniquitatis: quia regnare superbientem non vides, quin alios pede premat, habeátque contemptui.

Isaia cap. 11.

Isaia 16. vers. 6.

Isaia cap. 28.

Isaia kap. 28

§. VII.

## §. VII.

*Superbiæ fastus, tumidúsque affectus florem æmulatur arescentem, qui dum discolorem prodit venustatem, ab eadem mox languescens cadit.*

63. SI florere in folio videtur fastus superbiæ, flos est, sed cadens; quia superbus, ut ab omnibus colatur, venustatem affectat, quâ cadente, flore fragilior deprimitur, dum tumidior exaltatur; humi repit, dum thronum somniat; vix baculo nititur, cùm sibi videtur sceptra tractare, *Et erit flos decidens gloria exultationis ejus, qui est super verticem vallis pinguium ante maturitatem autumni:* quia fastus immaturus est fructus, qui ante maturitatem autumni decerpitur ægritudini invehendæ, quàm nutritioni inducendæ aptior. Blanditur quidem oculis, cùm incipit in rosas rubescere, sed est flos decidens, qui oculis eblanditur, non stomacho suppetias elargitur; manibus cum palpatur, flos est, sed spinis obarmatus; allicit quidem extimo colore, sed cruentat, si tangatur.

Isaia 28.

64. Hunc pariaverim florem, cum adultera Josephi Hera, quæ castissimi adolescentis irretita aspectu fugientem castitatis cultorem tenere conata, quamvis delusa, se ipsam tantùm corde fœdavit: fugit statim Josephus, nec permisit se ab Hera detineri, ut inde doceamur in castris Veneris non esse victoriam sperandam, si manibus libidine æstuantibus quia teneatur: capitur enim, qui detineri incipit; & cadit, qui stare præsumit ad turpia alliciente fœminâ: legunt in textu præcitato Isaiæ septuaginta Interpretes. *Et erit flos, qui decidit in spe gloria, in summitate montis excelsi; sicut præmatura ficus, quam qui viderit, antequam sumat manum, cupiet eam devorare.* Sed cur flos luxurians in supremo excelsi montis fastigio decidit de spe gloriæ? in fastigio siquidem montis omnia potiùs gloriam personant, fastúmque produnt. Sed rectè dicitur flos in fastigio montis cadere de spe gloriæ, quia hi somniant, quos superbia ad sublimia evehit, & in dignitatibus expetunt gloriam, cujus spes illicò arescit; & ut spes omnis evanescat, satis est, si una detumescat, conteráturque superbia. *Dies Domini exercituum super omnem excelsum superbum,* nec mirum si solius superbiæ Propheta meminerit, si solam superbiam conterendam affirmârit, quamvis certum sit, nullum abiturum scelus impunitum: rectè solùm producit superbiæ fastum prosternendum, quia initium omnis peccati superbia: ab hoc uno putido fonte scaturiunt fœtidissimi omnium iniquitatum rivuli: hoc fonte semel exsiccato arescunt, & reliqui rivuli: arbor est superbia non in imo radicea figens, sed in sublime eas evehens: ab hac unica illa producuntur mala, seu poma, quæ malè carpta, mala omnia invehunt; quare hac una excisa arbore necesse est, cadant rami omnes, arescant folia. Fastui, qui student facilè scelera omnia addiscunt, ausúque sacrilego contemptui etiam habentes, quæ Deo sunt sacra.

Isaiæ cap. 2. v. 11.

Eccl. 10.

65. Testem accersitum hic volo Heliodorum equestri caterva stipatum, pedestríque milite cinctum. Hic superbo fastu tumidus Jerosolymam proficiscitur, ubi hospitali excipitur charitate: sciscitatur ab Onia tunc summo sacerdote Jerosolymitani templi reconditis opibus: docetur à Pontifice, haud modicam esse sacrarum copiam divitiarum, cùm essent congesta, ac servata donaria Regum, Principum, ac Orientis populorum, qui jam ex antiquo eo in loco cœli, terræque conditorem religionis causâ venerarentur, imò partem potiorem depositas esse varij generis opes præsertim viduarum dotales reliquias, pupillorúmque patrimonia: & totam thesauri summam magnam quidem esse, non tamen tantam, quanta fuerat ad Regem delata. Sperebat Onias blando hoc verborum lenocinio Heliodorum à rapinis retrahere: sed hic superbo fastu tumidior, flocciquе faciens Principum, Regúmque donaria oblata Numini, usus stipantibus eum armatorum militum cohortibus, & eorundem violentiâ effractis foribus in templum irruit flente Onia Pontifice, lugentibus sacerdotibus, ejulante populo, solutum crinem dissipante fœmineo sexu, ærarium templi fabrilibus instrumentis aperire, & expilare molitur. Verùm vel unico ictu sacrilegus deprimitur fastus; occulta siquidem Dei vis subito tremore membrorum, mentiúmque formidine, animorum titubatione, ac manifesta nervorum omnium dissolutione milites omnes equestres, & pedestres prostravit humi jacentes exanimes, extinctis similiores, quàm animam agentibus pares: & Heliodorum, qui cæteris graviùs ausus fuerat delinquere, pœna quoque graviori punivit. Immisit enim vindex Deus ad prosternendum tumidum Helidori fastum equitem splendentibus quidem armis aureis coruscum, sed fulgurantium oculorum aspectu terribilem, qui in Heliodori frontem, ac pectus plenum dedit impetum; eique ferocis, quo insidebat, equi ferratas anteriorum pedum ungulas illisit: & eodem tempore cœlestes alij duo juvenes vultu decori, habitúsque majestate spectabiles, utrinque Heliodorum adstantes lateribus, flagris attrocioribus, verberúmque ingeminatione diverberârunt gementem, & ejulatus miscentem lamentis, & lachrymis; cum nec plagas cædentes remitterent, neque Heliodorus, qui vapularet, quidquam sentiret remissi doloris: & ubi flagris satis sævitum fuit: oculis se verberantes subduxerunt Heliodori, quem quodam veluti afflatu fulminis prostratum, atque humi jacentem adstantes solabantur sacerdotes, cæterique spectatores,

&

& paulò post sedili gestatorio per tumultum, ac trepidationem impositum extra templi septa deportârunt in profanam domum.

66. Documentum sanè dederunt tumidus Heliodorus, ejúsque fastus, ac elata arrogantia vindictæ divinæ ijs incumbentis, qui in res sacras temerario ausu manue injiciunt sacrilegas, sacra templa superbo pede ingrediuntur expilaturi supellectilem Deo dicatam, ejúsque cultui destinatam. Estque scelus adeo enorme, ut vel ipsis Ethnicis fuerit summè detestabile ob insitum omnibus, & singulis hominibus Numinis colendi, timendíque sensum; & Marcus Tullius totis lateribus, vocéque tonitru terribiliore invehit, eò quia ob avaritiam templum Apollinis in Delo insula spoliaverit, ejúsque supellectilem, auro inhiane expilaverit Verres, ait: *Potestne tibi ulla spes salutis commodè ostendi, cùm recordaris in Deos immortales, quàm impius, quàm sceleratus, quàm nefarius fueris? Apollinémne tu Delium spoliare ausus es, illine tu templo tam antiquo, tam sancto, tam religioso manus impias, ac sacrilegas afferre conatus es? fuit illa cupiditas tanta, quæ tantam extingueret religionem? ne nunc quidem recordaris, nullum esse tantum malum, quod non tibi pro sceleribus tuis jam diu debeatur?* hactenus Cicero, solo spiculo naturæ lumine videns reverentiam ab hominibus Numini debitam, & injuriam ab ijs Deo illatam, qui rapacee, ac sacrilegas in sacram supellectilem manus injiciunt, sunt enim divini juris, quæ ejus cultui dicantur, nec possunt invito Domino fieri alterius juris: neque Deus vindex impunitum dimittit tam sacrilegum scelus.

Lib. 1. in Verrem.

67. Memoriam subit parœmia, seu adagium, quo etiamnum utitur vulgus *aurum Tolosanum*: cùm Q. Cepius Consul Tolosam in Gallijs diripuisset, sacrámque supellectilem ex templo, delubróque loco extulisset; quisquis ex illa aurea supellectili direpta attigit misero perijt exitu. Similee pœnas dederunt, qui templum Delphicum toto orbe celeberrimum divitijs inhiantes expilârunt. Author sacrilegi ausus Philomenus fuit, sed hic victus à Thebanis, cùm se fugæ dedisset ex præcelsa rupe in subjecta saxa se præcipitem dedit, illicóque in prædurum lapidem capite miserè interijt. Neque mitiora fata sortiti sunt delicti complices, ac sacrilegæ rapinæ consortes: scimus enim Onomarchum membratim in Thessalia concisum, crucique affixum; Phaillum diuturno morbo contabuisse; Phalæcum lymphatico haud fupparem patrati sceleris exagitatum conscientiâ, per varios, dissitósque terrarum tractus animi cruciatus ubique secum tulisse; Breunum violentas sibi intulisse manus. Quotquot enim in sacram templorum supellectilem rapaces admoverunt manue, moverunt contra se Numinis iram; constat enim ex sacra historia Joam ob surreptos templi Solymæi thesauros à proprijs famulis trucidatum miserè interijsse; Balthasarem Babyloniæ Regem ob profanata vasa sacra è vivis abrasum; Lysimachum Pseudo-Pontificem ante ipsum sacrum ærarium interfectum; quia ut minatur Isaias. *Dies Domini exercituum super omnem excelsum superbum, & super omnes cedros Libani sublimes, & erectas super omnes quercus Basam.* Sed cur dies Domini, divina ultio super omnee cedros Libani sublimes? quia cedri Libani etiam in ornamentum, ac fulcimentum templi leguntur destinatæ, *Cedri Libani, quas tu plantâsti.* Cedri autem sublimes in templo Principes præsertim indicant sacræ supellectilis surreptores, quia ex eodem hominum genere, ex Principibus alij templa non spoliant, sed vestiunt; sacram supellectilem non surripiunt, sed advehunt; altaria non destruunt, sed aras construunt; & hi sublimes sunt cedri; quibus templum fulcitur. Alij verò sunt Principes, qui divitijs inhiantes, neque sacris parcunt altaribus, diripientes quidquid ornatui inservit in templis; & hi sunt præcelsæ cedri, super quas instar fulminis divina irruit ultio: ut ex ijsdem cedris aliæ sublimentur in ornatum templorum, & aliæ detrahantur ad ornatum.

Cap. 2. vers. 12. & seq. Psalm. 103.

68. Verùm non cedros tantùm, sed & quercûs Basam divina conterit ultio, quia non soli Principes, sed etiam alij vilissimæ notæ homines, si tumido pede, superbóque fastu templum ingrediuntur, vasa sacra aurea, argentea expilaturi, divinâ Nemesi puniuntur, hæc siquidem æquè quercum suilli grege pascendo natam, quàm cedrum venustandis templis aptam insequitur; si ambæ sublimes superbiant, non enim parcit cedro ob venustatem, nec quercui indulget, eò quia sues pascat, sed in quovis capite tumidum fastum contundit, & æquè quercum, ac cedrum divellit, quia sublimes sint; & quia homines superbiâ elati, vano fastu tumidi cedrum imitantur, si sint nobiles; quercum verò si obscuræ notæ: quia Deus neque in sublimi dignitate, neque in vili rusticitate patitur superbiæ elationem, cùm se ipsum humiliaverit usque ad patibulum crucis. Humiliantur igitur unà cum cedris Libani etiam quercus Basam. Rex fuit hic, qui ignominia interpretatur: scimus querneae coronas symbolum olim fuisse victoriæ, & honoris; & has ex ramis, è quercu decerptis, qui sues pascunt, fuisse contextas, Ducésque coronâsse; adeò mendica, & fordida est superbia, ut ejus se coronet arboris fronde, ramísque, cujus porci fructu saginantur.

69. Sed si superbus sordescit in cœno, etiam prosternitur, humiliatúrque in pure. Quis Antiocho insolentior, & elatior, sed vix alius illo dejectior, ac miserior, quia quo altiùs se se extulit, eò gravios à divinâ percutitur vindictâ. Audierat Antiochus prosperos Judæ Machabei successus, & re-

relictis Ecbatanis Medorum urbe, cui imminebat, per Syriam, in Judæam festinavit, juravitque se prostraturum, solóque æquaturum Jerosolymam; superbóque saltu tumidus jussit currum, quo vehebatur pernicîori agitari cursu, ut vix pedites insequi possent. Verùm cum concitatiori veheretur cursu ex Elephantis unus, cæteris iracundior cœpit in agmine ferocissimo barrire stridore, ad cujus inconditam vocem perterrefactus, ac timore perculsus Antiochus animo cadit; exturbantur equi regij essedum trahentes, recalcitrántque impatientes, donec Antiochum jugi succussione sede motum excusserint, qui sicut obeso erat corpore, impetu graviore lapsus, corporis membra graviùs contundit, læditque in humum, séque totum intus commovet, cúmque membris ferè omnibus contusus, exanimi, quàm exspiranti similior, humi jaceret; milites accurrentes Regem erigunt, qui sellâ gerulorum manibus vectâ Babylonem versus defertur, viscerum tormentis excruciatus, dirissimísque doloribus tortus; quin corporis cruciatibus acriora accesêre animi supplicia; mortis acceleratæ imminens periculum; vitæque anteactæ amarissima recordatio acriùs quovis corporis dolore regium torquebant animum: objiciebantur funesta recordatione tot Judæorum millia absque justa causa ferro cæsa, vel igne deleta; memoriam refricabant dirissimo dolore Judæa militum insolentijs devastata; Jerosolyma incendijs absumpta; Arx Sionis per vim illatam suis erepta Dominis: Urbis, orbisque religiosissimum templum omni scelere profanatum, abominationibus deturpatum, omníque criminum genere violatum, ac contaminationis labe fœdatum; occurrebant menti amarissimis afflictæ cogitationibus direpti thesauri, spoliatum sacra supellectili altare, polluta victimarum Ara, sacra librorum monumenta suili sanguine fœdata; ac cruentato gladio conscissa, & sacrilegis ignibus deleta, splendidissima templi lampas extincta; lychnus immortalis ablatus, & omnia sus déque sacrilega vi confusa, & eversa; & supra cætera eum excruciabat amarissima recordatio, quia contemptui habuerit Judæorum Deum; quòdque ejus superbia, fastúsque ægerrimè tulerit prosperos Judæ Machabei successus; omniúmque siquidem malorum, quibus premebatur, unicam originem esse opinabatur Dei contemptum, è quo promerita omnia malorum genera effluerent.

69. Ipsum propterea pœnituit per fas, nefásque Judæam invasisse, sibíque ad leniendam Dei indignationem proposuit, votísque etiam se obstrinxit tam sacra, quàm profana jura in integrum restituere Judæis, expilata templo vasa reddere, & ex fisco regio reliqua compensare damna injustè à se illata, & Hebræos privilegio libertatis, quo Athenæ fruerentur donare, imò & se ipsum religioni adijcere Judæorum, eámque etiam propagare, si pristinæ restitueretur sanitati. Nullum adversitatibus opportunius alexipharmacum sanæ mentis restituendo viro superbo. *Nunc reminiscor malorum* (ait Antiochus,) *quæ feci in Jerusalem*, hoc est, nunc ad mentis sanitatem redit superbus fastus, cùm contusa sunt membra corporis, cùm dolores torquent, ægritudines absumunt, cruciatus dilacerant, afflictiones premunt, artus dissolvuntur; periculum imminet mortis, vermis rodentis conscientiæ lethaliter mordet, corpus putredine scatet. Nunc ajebat, *reminiscor malorum, quæ feci in Jerusalem.* Cùm objicerentur menti minæ, terrores, formidines, cruciatus, ac infernorum Furiæ scelerum ultrices; ea est vis interni accusatoris, ut etiam absque apparitore reos adigat ad domesticum tribunal, in quo ultro se patrata sacrilegia, commissa scelera, peracta delicta se sistunt, excipiúntque Dei vindicis ineluctabilem sententiam; documento est nobis Antiochus: *Qui sibi videbatur etiam fluctibus maris imperare supra humanum modum superbia repletus; & montium altitudines in statera appendere, nunc humiliatus ad terram in gestatorio portabatur manifestam Dei virtutem in semetipso contestans: & qui paulò ante sydera cæli se contingere arbitrabatur, eum nemo poterat propter intolerantiam fætoris portare; quia de corpore impij vermes scaturirent, ac viventes in doloribus carnes ejus effluerent, & odore illius, ac fætore exercitus gravaretur.*

1. Machab. cap. 6.

Lib. 2. Machab. cap. 9.

En qualem sortitur fastus superbientis mentis exitum, in quas impingit tumor viri superbi ærumnas; perinde, ac ex aqua educta bulla, cùm tumet, disrumpitur; perinde ac fulgur, cum splendet, evanescit. Qui verò arridente fortuna desipuit; eadem novercante, plagísque puniente sapere incipit, & sapientiùs loqui vermibus scatens, quàm antea multiplici gemma coruscus; ex fœtore se se mortalem, ut ex vulnere Alexander Macedo ex Jovis filio hominem se dixit fato obnoxium. 70.

Cœpit Antiochus priùs putrescere, quàm in sepulchro condi, quia superbia sibimet sepulchrum construit, & priùs sepelitur, quàm moriatur; ut acerbiùs se mori sentiat, quia non moritur: sic Deus vindex fastum ulciscitur, sic superbientem deprimit Antiochum, cùm hic ausus fuerit sacra impetere sacrilego exercitu, tot Deus immisit ad ejus fastum deprimendum sordescentes milites, quot è corruptis visceribus vermes irrepserunt, quia ut rectè 71.

cœlo cum Lucifero, in imum dejecta miriùs didicit cum homine pugnare, vincique patitur, ut vincat. E throno descendit, ut altiùs imperet, imò purpuram etiam exuit, ut in sacco irrutilet.

## §. VIII.

### *Tumidus superbiæ affectus etiam titulos evehit, ut iisdem insignitos miserè deprimat.*

74. NOn rebus tantùm, sed & ipsis titulis suum tumorem fastus communicat, quasi viderentur superbi humi repere, nisi etiam titulis eminentias collium, serenitatem supremæ aëris regionis, celsitudines montium æmularentur: & nisi illustrissimi, & clarissimi cum solari radio; serenissimi cum aëre; celsissimi, & eminentissimi cum montibus salutentur, neglecti sibi videntur humi deprimi, densáque circumfundi caligine: hi laudandi, qui non turgidis titulis, sed excultis nituntur virtutibus eminere. Video Esdræ *lib.* 2. *cap.* 1. Nehemiam virum ornatu virtutum æquè aliis illustrem, ac sibi religiosum, cum duo in ipso splenderent præclara lumina, sacerdotium scilicet, & in regia Assueri primi Pocillatoris; seu supremi Pincernæ dignitas, quâ apud Barbaros emineret, perinde ac sacerdotio apud Hebræos; & tamen utrumque fulgorem ita suppressit, ut neutrum appareret, séque tantùm dicit nudè, & simpliciter filium Helciæ: in ipso enim vestibulo amputato quovis tumore tituli, ita fari incipit: *verba Nehemiæ filij Helciæ*, quis non miretur summam in sacerdote modestiam, insignem in Pocillatore regio animi moderationem à quovis alienam fastu; non potuisset sullo, vel pistor, aut sutor simpliciùs suum nomen insculpere; adeò fastidivit Nehemias inanissimum in titulis fastum. Non suam jactat tribum sacerdotalem, tametsi ex Levi suam traheret originem; non ostentat sacerdotij venerandam dignitatem, quamvis præ cæteris sacerdotibus fulgeret virtutibus; sua non enarrat præclara gesta, quibus tum Susis, tum Jerosolymis gloriam sibi comparaverat nunquam perituram: reticuit nobilitatem sanguinis, claritatem generis, studia virtutum, promeritas laudes, supremos sacerdotij, & Pocillatoris gradus, & uno duntaxat gaudet nomine, quò se satis ornatum putat, vocans se filium *Helciæ*, quia cum tanti parentis meritis, & virtutibus cumulati se filium faceret, sat decoris, sat laudis, & gloriæ putavit se enactum, si natum se diceret è tanto parente, si filium se vocaret *Helciæ*: ut enim fulgeret illustriùs, non ab Assueri Pocillatore splendorem mutuavit, sed à simplici nomine Helciæ parentis omnem hausit nitorem.

75. Sed Nehemiam haudquaquam imitatus Salomon fuit, cum suorum parabolas proverbiorum exorsus *Proverb.* 1. inflatis buccis se filium quidem dicit David, sed Regis Israël: *Parabolæ Salomonis filij David Regis Israël*, sed videtur fastus Salomonis, vel in ipso limine impegisse, cum se filium Regis proclamat, & in ipso sapientiæ exordio videtur ipse desipere; coronæ cum meminerit sibi hæreditario jure dandæ: & ut suum præferret, jactarétque diadema, maluit se filium dicere David Regis Israël, quàm Prophetæ in Israël: si David æquè regij diadematis splendore, ac sibi infusæ prophetiæ dono eminebat, cur eum Regem vocare maluit, quàm Prophetam? si Reges rarò sunt Prophetæ, cùm illos sibi populi eligant, ubique terrarum; & hos solus Deus seligat, ut suos administros; cur Salomon nomen Prophetæ titulo non prætulit Regis? plures enim, quos Regium diadema coronavit, vitia turpi compede detinuerunt in luto: plures purpura ornavit, quos vitæ turpitudo fœdavit: plures coruscantes gemmæ illuminârunt in solio, quos abjectissimæ actiones denigrârunt in vitiorum cœno: Etiam Jezabel resplenduit in purpura, quam superbia præcipitem egit è fenestra palatij vorandam in subjecta plateà canibus. Etiam Herodi succlamavit populus palludato, & tamen infelicissimum sortitus exitum vorandus pediculis traditur: cur Salomon gloriatur de parente Rege, & non de Davide triumphante in funda, & baculo? si agnomen patri præfigere maluit, satiùs pastorem eum dixisset, quàm Regem, cùm ut pastor Goliathum prostraverit, & gloriosam de occiso Gigante victoriam detulerit; & ut Rex Betsabæam corruperit, & Uriæ sanguine propriam fœdaverit gloriam.

76. Ita est pastoritiæ simplicitati honestamenta adnectuntur virtutum: & inflatis superbo fastu, flatúque tumido titulis irritamenta copulantur vitiorum: descripturus Mathæus Christi Genealogiam exorditur à Davide, quem tantùm vocat filium Abrahæ. *Liber generationis JESU Christi filij David, filij Abraham*: *Matth.* 1. vocat Servatorem filium David simpliciter absque ulla titulorum pompâ, sine regio nomine; non enim adscititio indiget nitore, qui virtutum ornatur decore: enituit in Davide, si à Rege præscindamus, quidquid virtutis, & decoris in cæteris splenduit: tunc indiguisset à tituli fulgore nitorem emendicare, si proprio non claruisset splendore: & tunc tantùm Matthæus titulum regium accersitum, additúmque voluit Davidi, cùm ejus probrum, scelúsque debuit prodere: pergens siquidem in Christi Genea-

nealogia, ait; *David autem Rex genuit Salomonem ex ea, quæ fuit Uriæ:* cum cruentam cladem, fœdúmque adulterium debuerit refricare, adjicit statum regium; etenim cùm propriam geminato delicto denigrâsset gloriam, fucorum suppetijs, titulóque regio instruitur: quia ratò à tumidis, superbísque titulis vitia dissociantur. David, cum Christi pater dicitur, nullo insignitur titulo: salutatur verò Rex, cùm Bethsabeæ refricantur amplexus, Uriæ suscitantur homicidia: Suspecta est nomini adscita pompa, latet plerumque scelus in tumore tituli.

77. Scio Jacobum uni tantùm Rubenio ex suis filiis pompam adjecisse nominis. *Ruben primogenitus meus*, quia nimirum squaleret in ombra, sordesceret in cœno, profanatione patrij thori. Secus Joseph, quamvis à Jacobo plus Rubenio amaretur, ac præesset toti Ægypto, nullique excepto Rege esset secundus, nullis à patre decoratur titulis: nimirum quia Joseph, eum proprio splendebat pudore, exceltâ elareret castitate, non indiguit adscititium emendicare à titulis nitorem, ut Ruben, quem sua deveonstaverat libido. Quinimò, & ipse Jacob ab omni titulorum fastu alienus allocuturus accersitos filios simplici, rudóque utitur nomine. *Audite filij Jacob, audite Israël Patrem vestrum*, non cœlestibus decoratum visionibus se dicit, non luctatorem cum Angelo, fortissimúmque se pugilem nominat, non Abrahami triumphos numerat, non Isaci opum meminit, non suas oves, divitiásque recenset, non titulo utitur Patriarchæ, non pugilis Angelici nomen producit, sed simpliciter Jacob, & Israëlem se dicit. Huc accedant noctuæ, seu qui ut extremas Minervæ fimbrias attigerint, se se in pavones exuunt, superbiúntque explicata titulorum profusa caudâ? huc accedant infelices pyraustæ, quibus squalet, quidquid non splendet in lumine, quidquid non fulget in titulo? suam distumpant hydropem ampullarum, & in sordibus inde scatentibus suas legant ignominias, discántque detumescere; desinántque asellum, quo insident, Pegasum vocitare; araneos, quos insequuntur, murósque deturpant, griphos appellare; cessent pavimenta, quæ verrunt, cœli galaxiam facere; aprúmque pro sue exhibere; corniculam attagenam dicere; séque cœnâsse in Apolline etiam tùm sola frigida sitim extinxerint, panísque hordeaceus famem expulerit: hæc indoles est viri superbientis omnia sua déque vertere, ut alius appareat, quàm revere sit.

78. Qui propriâ nitet virtute, alieno non indiget ornatu, modestiæ unicè studet, humilitati adhæresçit, quò altiùs evehitur, sic D. Petrus non alio gloriatur nomine, quàm Petri, & Apostoli JESU Christi. *Petrus Apostolus JESU Christi electis advenis dispersionis*, non se nominat Principem Apostolorum, sed simplicem Apostolum, ac discipulum Christi, non memorat omnia pro Christo dimisisse, & à Christo tumulatum fuisse pluribus supernaturalibus donis, insignitum gratijs, dignatum favoribus; non recenset se constitutum ejus divinitatis Nuntium; institutum supremum Mystem; claudum erexisse; magum dejecisse; cæcos umbrâ illuminâsse; è custodito carcere prosiliisse; linteum è summo cœlo explicatum in terras vidisse, sed omnia reticet solo contentus nomine Petri, nomine *Apostoli JESU Christi.* Cùm in vite onusta botris maturiuot racemi, decutiuntur pampini, & luxuriante foliorum pompa destituitur; quia frondes non desiderantur, ubi fructus ramos exonerant plantæ; da virtutum miriade insignitum, & hunc titulorum contemptorem, & ab omni fastu habebis alienum: secus qui ampullatur, virtute destitutus, quo is sublime plus erigitur, eò magis intumescit. 1. Petr. 1.

Gene. 49.

79. Scio, Saulem Agasonem agentem, ėstásque aberrantes explorantem Samuelem vocâsse non proprio nomine Samuelem, sed virum Dei: sed cùm primùm cœpit in solio intumescere, nominis oblivíscitur Poëtæ, nec ampliùs *Samuelem virum DEI* vocat, nec titulo videntis Deum eum condecorat, sed simpliciter, eum vocat Samuelem. *Et iratus iracundiâ Saul interrogavit, & dixit, in quo loco sunt Samuel, & David*, non ampliùs virum Dei quærit, ut Agaso, sed Samuelem, quia regio titulo jam intumuerat; & vel ipsi Prophetæ erant eidem contemptui: ex quo fuerat in Regem salutatus, puduit Saulem meminisse viri Dei, quia nimirum memoriam refricabat Agasonis: ubi caput cœpit diademate ornari, lingua phaleras omnes titulorum amputavit; ubi chlamis regia efflorvit in rosam porpuream, deflorvernt in ore verba; ubi manus aureum tractat sceptrum, nullus in labijs vernat flos alienæ laudis; ne scilicet aliena decora in superbientis cedant dedecora, umbrásque in ipsum effundant aliena lumina. 4. Reg. 19.

80. Refert Lucianus quendam Simonem nomine post aditam amici sutoris hæreditatem proprio renuntiâsse nomini, quasi delaturus esset cum nomine obscurissimam suam conditionem. Cave dixit obvianti, ne me imposterum Simonem voces, quia ad pinguiorem evectus fortunam, non ampliùs Simon, sed Simonides vocor: intumuit cum pleniori Cista etiam nomen, & quia accessione pecuniæ incrementum subierunt pauci, qui in arca includebantur oboli, & asses, voluit etiam

etiam pari passu crescere ominis; & quamvis augmento pecuniæ non potis fuerit staturæ suæ cubitum unum adjicere, nomini tamen suo unam voluit syllabam adjectam, ut non Simon, sed Simonides diceretur: adeò tumor superbiæ homines invadit, ut etiam eorum nomina inflet. Imò non tantùm inflat, verùm etiam potida metamorphosi in aliud mutat; qui in castris bellica fortitudine cæteris antecellit, redivivus è fabulis dicitur Hercules; qui pugnando hosti est terrori, Jupiter vocatur è summo cœlo tonans, & fulmina jaciens; qui mare trajiciens decumanos deludit fluctus navis regimini adscitus, non Nauclerus, sed Neptunus fluctibus imperans nominatur: quódque detestabilius etiam in palæstris vertuntur in tripodes aræ; in falsa Numina viri virtutum cultores; in profana idolorum fana, Christianorum gymnasia; in quibus indulgentes Musis nomine donantur Apollinis; canentes ad numeros metricos Orpheo patiantur, & si aliquid produnt acuminis, ac ingenii oracula dicuntur proferre in Musæo, perinde ac Apollo Delphicus in suo templo: & ita vel ipsæ cucurbitæ vacuæ, solóque fastu oppletæ intonant aquis, ut appareant, prodántque, & ipsæ propriam inanitatem.

81. Sed unde in vespertilione cæcutiente volatus aquilæ intuitus in solem intorquentis meridianum? unde in vermiculo humi repente sibilus, & crista draconis minitantis? ubi in papilione discolore tam varius superbúsque volatus? est Papilio naturæ industriâ ad singularem pictus elegantiam, corpus illi plenum, molle, tenerum, flexile, in exiguam longitudinem gracilescens, teneráque lanugine vestitum, foras è summo capite emittit minutissima fila, veluti cornua è fronte exporrecta, irradiántque internicantium oculorum jucundo fulgore; corpusculi membra singula in floris lanuginem videntur vernari; quod verò omnem superat elegantiam, depicta in alis est varietas, quas cum explicat videntur cum rosis rubere, cum liliis florescere, cum auro micare, cum gemmis illucescere, cum pavone oculos aperire, licèt cæcutientes, cùm stellis irradiare: hac alarum discolore pompa libratus papilio in aëre, plenúsque fastu tidente tellure, eique arridente aëris tepore, per gemmeos florum calices ludibundus volitat; sitibundus ingreditur, bibiturus quidquid dulcoris, liquidíque in sinu claudunt, moxque explicato iterum picto alarum remigio, alios lustrat luxuriantes flores, quos amico veluti osculo salutat, iisdémque perfunctoriè adhærescit: si tamen siti exarescat, delicatissima proposide foliorum pabulatur succos, donec satur aliò avolet; vel auras spatietur liberiores; vel inter odorum delicias quiescat dulciùs: sin verò vicinam præsentiat rapacem pueri manum, redintegrato volatu superbior emicat, & illusurus insidiantium puerorum digitos, sexcentos in aëre flexus describit. Meandros fingit quasi simul ludat cum iis, quos illudit: sed quæ est superbia tanta? quis fastus in discolore papilione, à quo volatus tantus per universam florum luxuriem, gemmeúmque stirpium virorem, aërísque tractus varios? quid superbia tanta in papilone? quia nimirum vermiculus est de genere muscarum oriundus, assuetus humi repere, cùm primùm alas nancisciturin sublime erigitur, & qui ignavus est terræ filius, inertis insecti rudimentum, sordidos putrescentis stercoris fœtus, homíque semper inglorius repens, superbit cum alis, quibus expansis velificatur per aëra volucribus associatur, avésque imitatur. Verùm superbia tanta in tantillo vermiculo in fumum exiguum desinit; luminis siquidem adblandientis captus illecebrâ, deducitur propiùs alarum remigio ad lampadis ardorem, salutat priùs circumvolitans amicum lumen. Mox post festivum circulationis tripudium, lumen deosculaturus miser alis combustis crepitat, & pauxillo fumo vitam claudit, quam ingens superbia inflaverat, & alitibus associaverat.

82. Quòd si superbia in verme extinguitur igne, in homine punitur verme. Quis Antiocho elatior, superbior, & insolentior? sed nullus eo miserior: quò altiùs se extulit, eò graviùs à divinâ fuit percussus Nemesi: *Ita ut de corpore impii vermes scaturirent, ac viventes in doloribus carnes ejus effluerent, odore etiam illius, & fœtore exercitus gravaretur, & qui paulò antè sydera cæli contingere se arbitrabatur, eum nemo poterat propter intolerantiam fœtoris portare.* 2. Machab. 9. Scio utrumque Herodem superbiam adeo inflasse, ut Numinis mandata habuerint contemptui: sed neutri manus Dei vindicis pepercit; uterque enim infami morte periit: unum pediculi, ejúsque nepotem repentina similis percussio è vivis abstulerunt; alter itidem Herodes vestitus chlamyde regia, sedénsque pro tribunali, cùm audivisset populum acclamantem, *Dei voces, & non hominis*, de sede, Actor. 12. gradúque dejicitur, & insanientis superbiæ promeritas dat pœnas: *confestim percussit eum Angelus, eò quòd non dedisset honorem Deo, & consumptus à vermibus expiravit.* Immittit vindex Deus ad deprimendum tumorem superbiæ, minutissima animalia, ut tandem discant vano fastu turgidi supercilium deponere, cristásque demittere, si à vilissimis bestiolis interimi exhorrescunt. Sceleribus semper hæserunt cognata supplicia; & quamvis illa per gradus visa sint ad sublimia conscendisse; in exitium tamen semper impegerunt, séque ipsa impulêre.

Seras superbientis sui fastus Herodes pœnas dedit, quas tamen experitur serias; 83. lentiùs obiit, ut atrociùs periret; distulit Atropos iniquissimum ejus vitæ stamen scindere, ut experiretur se mori, cùm non moreretur. Sicut flagitia fuêre propemodum innumera, & sævities ex fastu nata diuturna; æquum erat, cum diuturniùs torqueri,

queri, qui in plures sævierat. Herodem enim si spectas redivivos in ipso fateris Cyclopas, Busirides, Scirones, Diomedes, & Phalarides monstra scilicet crudelitatis, Megerásque ex Erebo eruptas. Herodes siquidem in una, quam fovebat ambitione vitia omnia enutrivit, impietatem in Deum, sævitiem in homines. Ne subjiceretur Deo nostra induto humanitate, ut eum ad internecionem quæreret, pueros omnes in Judæa à bimatu, & infra natos perdidit, extincturus puerorum sanguine Dei filium, quem horribili carnificina fuit insecutus. Ut cultum, & obsequia populi ad se traheret, aras exstruxit, & profana templa, Romanis Principibus duos Pontifices regio natos sanguine impiè sustulit, calumniis unum; alterum insidiis circumventum. Quatuor alios à summo dejecit Pontificatu, plurimósque sacerdotes interfecit, inter quos Zachariam Patrem Joannis Baptistæ. Veneri turpissimè addictus novem sibi uxores copulavit eodem tempore, quo tertiam cum matre, & duobus ex ea susceptis filiis, inflictis vulneribus sanguine extinxit: eadémque pœnâ patruum, & primogenitum filium, ac potiorem domesticorum turbam impiè mulctavit; nimirum ut turgido suo litaret fastui, vafrâ simulatione aras erexit, templa struxit, in quibus tamen Sacerdotem crudelitas egit, & victimæ fuerunt quotquot intercipiendæ honorum lucis suspectos sibi imaginabatur. Huic inauditæ crudelitati in sociam se adjunxit fœda libido: geminam dixisses ex Erebo egressam furiam debacchari in uno Herode, & utramque furialibus suis tædis eum inflammare: siquidem cùm æstuaret libidine, incendebatur crudelitate, ut amans fureret, & furens amaret; thalamos amans struebat, sed furens aras destruebat, & tumulum aperiebat enectis opplendum cadaveribus: pugnabant in eodem vecordi pectore ferales diversi affectus, odium, & amor, hic ut deliciis difflueret, illud ut sanguinem funderet. Serviebat hisce tumultuantibus affectibus, qui in alios sæviebat, & hominibus imperabat.

84. Hujus servitutis compede infelices detinentur quotquot ab insolentibus animi perturbationibus, ac tumultuantibus affectibus sinunt se se abripi, ut Romæ olim Tiberius, Caligula, Nero, & alii ejusdem furfuris Cæsares cædendis hominibus nati: visi siquidem sunt dimidium Imperii cum Venere lenocinante, & dimidium eum Jove fulminante divisisse. Non tamen credas, Herodem deliciarum ita quievisse in rosis, ut spinas non præsenserit, siquidem mala conscientia diu, noctúque eum torsit, circumegitque per singulas timoris larvas, umbrásque suspicionum, jugiter enim infestis furiarum stimulis fodicatus vitam duxit acerbissimam; occisorum funera, Manium umbræ, menti semper objiciebantur, ut acriùs in pectore cor palpitans torqueretur. De Herode ait Josephus: *Vir fuit Herodes in omnes ex æquo sævus, ira servus, juris Dominus, fortunâ autem propitiâ usus, si quis alius. Ex privatis enim natus regnum assecutus est, & innumeris circumdatus periculis semper evasit, vixitque longissimo tempore. Quantum autem ad domesticos, & filios attinet, hic quoque felix fuit sua sententia, oppressis inimicis, & adversarijs*; sed infelicissimus meo judicio. Ex tenui ad pinguissimam evectus Herodes fortunam, hujus bona possedit ad plenum cumulum cum è privatis parentibus natus, nactus fuerit licèt alienigena Judaicum Regnum: altiùs tamen eum fortuna evexit, ut lapsu graviore in imum detruderet calamitatum: luie siquidem adhuc vivens, quæ peccaverat; & quia à puero intumuit insano superbiæ fastu, flagravitque juvenis fœdo libidinis æstu: moriturus superbiam luit, fumo eliciente lachrymas, & venereum æstum, plectente arcano igne sæviente per intima viscera: eum enim suppliciorum atrocitate in quósque sævierit; cruciatus ferè omnes mox fœdissimam acturus animam in se persentiscit, & ut narrat Josephus, agnito calamitatis nuntio repentè conflictatus dolore acerrimo, ac plurimorum morborum suppliciis excruciatus, victúsque; cùm sibi etiam manus violentas inferre conatus esset sub paschales ferias infelicem spiritum in orcum evomuit.

Antiq. Judaic. lib. 17. cap. 10.

Antiq. Ju dai. lib. 17 cap.

85. Neque dispari pœna mulctatus fuit Diocletiani insanus, tumidúsque fastus. *Is ait Sigonius, Post triumphum de Persis actum, hanc tantam felicitatem, támque prosperum fortunæ obsequium capere animo non potuit; siquidem moderatione prorsus in superbiam versâ, eò usque insolentia prodiit, ut se postbac, mortalitatis oblitus, tamquam Deum adorari voluerit. Nam projicere coram se homines venerabundos, atque osculum pedibus figere pati cœpit, & gemmas vestibus, calceisque inseruit, cùm ante ipsum omnes Imperatores consulari tantùm salutatione contenti fuissent, solùm chlamydem purpuream privato habitui adjecissent: Is autem, ut ait Nicephorus, divinis expetitus plagis, toto primùm corpore tumorem ingentem concepit, quo deinde variè disrupto, lentè ita emarcuit, ut blasphema ejus, & impia lingua, quæ iniquitatem in altum evomuerat, intra fauces ipsas vermium vomicam proferret, qui ex ore illius prorepentes fætore pessimo locum habitationis omnem replebant. Postremò autem, more canis, quàm maximè latrans, scleratam, & nefariam cum violentia quadam exhalavit animam.*

Lib. 1. de Occid. Imp.

86. Non purpura tantùm chlamydatos, sceptróque præpotentes inficit tumor superbiæ, sed & eorumdem famulitium, quod quasi pudeat servitutis, cæteris præesse administri student, ut vix quidquam intersit discriminis Reges inter, & Prætores; fedent eodem fastu, incedunt, recedúntque eodem numerosiore comitatu, & nisi coram quæstoris mappa genu omne flectatur, adeò indignatur superbus famulus, ut minas spargat, cædésque minetur,

netur; timeántque jam capite minui, qui genu non flectunt; cervices sub gladio flectere, qui pede in adorationem non procumbunt. Sed maluerunt tres pueri licèt captivi potiùs toto corpore demitti in ardentis ignis furnacem, quàm Regis aureo simulacro se inclinare: detrectantes suæ aureæ statuæ præstare obsequia; maluerunt fornacem ingredi, quàm cultum insensato exhibere metallo: noluerunt pueri coram statua Regis, eáque aurea genu flectere, & maluerunt pectus, corpúsque totum in flammas demittere fornacis. Sed plures sunt, qui non solùm Principum venerantur simulacra, verum & eorum famulis sordidè obsequuntur, ut inde gradus sibi construant superbiâ tumidi ad altiora surgendi: nullus jam Principis administer solus videtur incedere, nisi post se trahat stipatam cohortem: & si olim Romanis consulibus rerum, gentiúmque Dominis duodecim dicuntur lictores suffecisse, pompaticâ hâc nostrâ ætate centenos superbus fastus vult accersitos. Incomitatus per urbem olim simplici vehebatur equo Cato, vir non solùm consularis, sed & triumphis clarus.

87. Intumuit adeò corrupto hoc nostro ævo fastus, ut fastigium videatur attigisse insolentiæ, ac retroacta omnia sæcula longiùs superâsse. Scimus Isaacum non dedignâsse famulitium; quamvis quò supra cæteros emineret, ei non defuerit; quia nimirum animi demissio omnem abegerat tumorem: eâdem Jacob lentem excoquit; Rebecca pulmentum apparat; Esau solus venatum egreditur, & Jacobum fratrem sine comite ad Labanum in Syriam ablegat. Fulgebat aurum in domo Judith, micabant gemmæ, exundabat familia, & tamen unicam tantùm secum ducens pedissequam ancillam Assyriorum castra impavida penetrat, tentorium ingreditur Holophernis, ejúsque capite amputato nobilem de prostratis hostibus in uno Holopherne triumphum reportat *tradidit caput Holophernis ancilla sua, & Exierunt dua secundùm consuetudinem suam quasi ad* lib 14.
*orationem*

88. Non solùm qui divitiis affluunt hoc superbiæ vitio inflantur; verùm etiam paupe-
res, & pannosi, hinc eos alloquens Christus .11
ait: *Et vos nolite quærere quid manducetis, aut quid bibatis, & nolite in sublime tolli:* quia nimirum etiam ipsa paupertas evangelica, si fastu inflettur à sua dejicitur felicitate, sicut terrenorum exonerata pondere sursum feliciùs avolat beatitate donanda, si tamen superbiæ ærugo ejus detritas corrodat vestes, facilè corrumpitur: locupletissima est paupertas, quamdiu sua sorte contenta nil concupiscit, quia tunc nil ipsi deest: incipit tamen paupertatis laborare ægritudine, si dignitatibus inhiat, si divitias appetit, quia tunc vacuam se novit, cùm plura ipsi desint. Solo superbiæ tumore videntur homines pauperes fieri; quia appetentes aliena, plurima sibi videntur deesse: sic Mercator quamvis divitiis onustus, nobilitatem appetit, ratus inesse palludamento splendorem, quem ipse non experitur in auro. Vir nobilis suæ illachrymatur conditioni pecuniis vacuæ, opibus destitutæ, auro inhiat putans hujus metalli nitore posse propriæ suffragari calamitati. Opulentus ex ordine equestri purpuram optat, quâ destitutus mensam fastidit, quamvis delicatioribus instructam ferculis. Superbia quos inflat, in sublime semper evehit; non tamen ut beet, sed ut acriùs torqueat: hinc D. Chrysostomus, mavult Barbarorum potiùs subire servitutem, quàm jugum superbiæ, eò quia ex hac purulenta radice absurdæ quæque pullulant cupiditates, & plerosque, quos neque decora facies, neque libidinandi cupiditas cœpit, jactantiæ libido intercœpit, ac interfecit, ait ipse, *Quid* Homil. 53 ·. in
*tandem inanis gloria cupiditate sumptuosiùs?* Matth.
*quid turpiùs, vel toleratu difficilius fieri potest? siquidem morbi hujus dispendia ex his solent patère, qui frustra, & inaniter, tùm in theatris edendis spectaculis, tum rebus cæteris istiusmodi intempestivis ad gloriam duntaxat, & ostentationem paratis, tum denique in ædificandis splendidis domibus, & excolendis, & reliquis inutilibus, quæ impræsentiarum silentio prætereamus, pecuniarum plurimum insumunt. Nec sanè quempiam fugit, hominem hoc morbo laborantem, prodigum, & jactabundum, rapacem insuper & cupidum esse oportere: nam ut habeat, unde belluas alat, alienis fortunis infert manus. Et quid fortunas dixerim? siquidem non eas solùm, sed animos ipsos, ignis iste depascitur, neque morte corporea hìc modò, & præsenti, sed futura etiam afficit, & æterna. Nam est gehennæ procreatrix inanis hæc gloria, & ignem excitat vehementiùs, & vermes pestiferos.* Quæ damna à mundo condito non intulit superbia? hæc è summo cœlo Luciferum in imum deturbavit tartari; Protoplastos è terrestri paradiso expulit extorres; turrim, urbémque Babylonem evertit, linguas confudit; Goliam prostravit; Amanum suspendit; Nicanorem interfecit; Antiochum peremit; Pharaonem submersit; Sennacheribum trucidavit; utrumque Herodem perdidit, Cosrhoëm putrefecit, & quotquot superbiâ intumuerint; eosdem fastus præcipites egit in imum extremæ calamitatis. Quantum tu times, ne pereas; tantum cave, ne superbias.



DIS-

# DISSERTATIO X.

## Nemo veræ tranquillitatis malaciâ fruitur, nisi fluctuantis animi pravis sedatis Affectibus.

### §. I.

*Mentitur frontis serenitas, si pravi affectus intus dominentur in mente.*

1. Unt qui corruptâ opinione capti culmen putent beatitatis attigisse; si cum Creso divitiis affluant; si duo illa Numina, quibus homines obsequuntur, seu potiùs vilia nomina *argentum* scilicet, & *aurum* proprii juris fecerint; sibi videntur abegisse ferreum sæcnlnm, & auream ad se se ætatem accersivisse, ac argenteam sibi pedissequam conduxisse, cùm vitam ipsam, quam ducunt, auream putent, eoi argentum famulatur: etenim nonnisi in argento sacra omnia, & profana peragunt; somno non nisi argenteo indulgent in toro; prandia instruunt argenteis in mensis: in argento propinant, perpotant; ut cùm auro, & argento regnorum capita cingantur; generosiora in epulis coronentur, & falerna. Felices se putant, si cum Epicuro in palmari stomacho longinqui littoris pisces, & peregrina congerant aucupia: si conchiliis superi, inferique maris pigritiam nauseantis ventris stimulent: si feris multa cæde venatorum captis stomachom impleant, cum potius corpus fœtidum vertant in cæmeterium, qnod enectis opplent cadaveribus. Id videbatur rerum defuisse elementis, ut tributaria etiam ipsa fierent voluptatis; non enim ut fatiscentis naturæ consulatur necessitati, vectigal solvitur, quod terrarum, aquarum, ac aëris defatigatione coacervatur tanto quærentium impendio, tanto piscantium discrimine, venantiúmque labore, ut videantur jam homines pericula prandere venatorum, & discrimina cœnare periclitantium. Beatos se credunt, si cum Sardanapalo videant veluti in triumphum deferri fercnla in mensam, & perinde ac in orchestram prodire dapinm delicatiora condimenta; licèt non detur tantùm fabnla palato, sed etiam gustni irritamentum, cùm non scenæ tantùm, sed & cœnæ assideant, in qua sæpe mutata ferculorum scena cœnatur ad omnem lautitiem, donec veniatur ad catastrophen, & bellariis, & cœna simul, & scena clandatur. Si cum Traiano, Domitiano, Diocletiano honores assequantur, chlamydem induant, purpurâ splendeant, sceptro imperent, imperio cæteris præsint. Vel si cum Fabritio Aulæ se abdicent muniis, recessus adeant solitudinis Rus sunm excolant, & ad focnm edant illas ipsas radices, & herbas, quas in agro excoluerunt, iisdem vescantur leguminibus, quæ laborantes manns occatæ concrediderunt telluri. Sed ex hactenus recensitis, nec unus sciscitatus fatebitur, se veram nactum tranquillitatem, nec ad verum appulisse qnietis portum, ad quem bona externa non conducunt: quia neque coacervatæ divitiæ, neque instrnctæ ad omnem lautitiem dapes, neque honores, & dignitates, quibus jugiter humana ambitio inhiat, hominem valent in sinum veræ tranquillitatis trahere. Nil prodest extima corporis serenitas, si sævit intus in animo procella.

Nisi homo interior, & exterior con- 2.
cordi veluti harmonia inter se se modulentur, nunquam veram experitur homo malaciam. Nil confert ad felicitatem, si serenitas arrideat in fronte, & tempestas fluctuet in mente; si spirent exteriùs adblandientes Favonii, & Zephyri, & intùs Euri, Nothíque furentes omnia sus déque confundant, evertant; si foris pacis inito fœdere omnia quiescant, & intus bellorum tumultus obstrepent; si experiatur homo silentium extra se, & sentiat in se turbnlentum clamorem; si manu olivam teneat, & corde romphæam stringat; si exteriùs mare trajiciat lacteum, & intus fluctibus agitetur decumano turgidioribus; si vultu vernam temperiem spiret, & in corde rigentem gelu odii foveat hyemem; si floreant in extima vultus cute rosæ liliis nnptæ, & intus spinæ, & vepreta adversantium affectuum viscera dilanient; præcordia excrucient: Perinde ac varius est in variis terrarum tractibus telluris genius; ita & in hominibus terrena sapientibus diversi pullulant, adolescúntque affectus, qui nisi coërceantur, flectantúrque ad rectæ ratio-

nis

nis amussim, hominem à vera deturbant tranquillitate; & perinde ac variæ terrarum regiones, diversas præsentit commotiones, quibus non modicè turbatur. Scimus Rhodum, Joniam, Apuliam, Trinacriámque terræ motui obnoxias, & frequenti quassatas succutione; & Campeniam licèt nomine felicem omine tamen infelicem, eructatas Vesuvij flammas pavere, solíque horrere trepidationem,

6. Insurgunt in homine affectus varii, quibus obnoxius intus commovetur, perinde ac variis varij terræ tractus subjiciuntur discriminibus: aluvione siquidem Thessalia crebrò mergitur, flammis jugiter ardet Ætna, rigente nive candet Thracia, perpetuis tenebris Cymerij cæcutiunt, Delos in Ægeo fluitet, Ægyptus Nili redundantiis margitur. Imò hæc varietas, val in ipso cœlo, & aëre suspicitur: siquidem inter planetas Saturnus habetur maleficus, Juppiter benignus, ac beneficus, Mars turbulentus, & iracundus, siccitatem invehens; Sol cane mordens, Luna humiditatem promovens. Infra Lunam Aër in terram usque agilis, tenuisque diffunditur, altior tarris, & aquis. Ejus superior regio quie defœcerta à quevis halituum concretione salubris est, ac innocens, libera semper à turbis tarrestrium halituum, ac ventorum turbinibus, ridétque semper serena cum sole: pars verò inferior mutationibus obnoxia modò est nubibus fœda, nunc imbre humida, vel fulgetris corusca, vel tonitu clamorosa, vel fulminibus armata, vel procellis rigida, vel grandine flagellans; vel ventorum vi discussis nubibus serena, ventis sicca, calore fervida, solari radio illustris. Sic in hominibus hanc varietatem tumultuariam, qui in iisdem excitentur affectus, invehunt. Alij siquidem bile fervent; alij invidiâ tabescunt, hi amore æstuant, illi odio rigent; hos libido corrumpit, alios metus abjicit; quosdam audacia extollit, & alios tristitie deprimit; spes plures alit, quos postea desperatio enecat; gaudium nonullos afficit, qui mòx præ mœstitudine liquescunt in lachrymas: quot homines, tot in ipso repugnantes animi perturbationas, quibus mens perinde, ac in procelloso frato agitatur, cor fluctuat, & homo non rarò naufragium patitur.

8. Adeò altiùs fues in homine affectus radices egerunt, ut nonnisi cum ipso homine divalli possint; nobiscum enim adolescunt, & ut phrasi utar Tertulliana non Tulliana *contemporant fætu, coëtaneant natu.* Crescunt in nobis, & cum nobis consenescunt; nec priùs è cordis abscedunt sede, quàm nos à vitæ statione; nec extinguuntur nisi simul hominis vita extinguatur; cùm homine siquidem tantùm moriuntur, tumulantur, & cinefiunt. Dixerim cor humanum campum Martium, ubi sibi repugnantes affectus, pugnantésque inter se se variæ passiones digladiantur: gladij, quibus feritur punctim cæsim, turbidi, ac furiosi sunt motus omni virium contentione dimicantes, ut reginæ rationis expugneut arcem, dominstúmque in homine enancifcantur; quo ubi potiuntur, non tamen licèt inducias videantur exhibere, pacis ineunt fœdera; tunc enim iterum arma movent, quibus vel in ipsa quiete homo laborat, in tranquillitate turbatur, in securitate pavet, in solitudine timet. Si in suo se recipit in cubiculo statim furiosa mentis agitatione avolent, qui excitantur affectus aliò extra cubiculum, extra civitatem, vagantúrque per vicos, arva, planities, montes; maria trajiciunt, & ad loca se conferunt remotissima; ubi propria, quibus pascantur, inveniunt objecta, sive aurum in Pervenis tractibus, sive margaritas in sinu Eritræi; sive adamantes in Indorum elatioribus montibus.

Pugnant semper humani affectus, & licèt umbratili certamine; expugnant tamen persæpe hominem: construunt enim sibi quasi arenam, seu theatrum gladiatorium in turbulento hominis pectore, ubi insaniunt, ferociunt, debacchantur. Ira enim quasi emersa ex Orco Megera fereles quassat tædas, flammásque agitat lethales, quibus cædes, & clades spargit. Timor Manium umbris accersitis omnia replet horrore, circumsepit periculis, præcipitia aperit, ruinas portendit. 7.
Audacia cæteris petulantior insurgit, pericula contemnit, discrimina nihili facit, ardua quæque aggreditur, cum hoste quovis congreditur, ut sanguinem fundat, clades spargat, strages disseminet. Spes viresceit læta quæcunque sibi promittens, prospera spondens; sed aurâ plerumque pascitur, cum qua statim evanescit, fluitque, vel unico ventâ flatu: & insurgit Desperatio absque ulla terum meliorum expectatione: hæcque ferales concipit tristitiæ æstus, quibus mentam excruciat, & cogitationum angustiis premit, spei omni renuntiat, nilque eppetit nisi laqueos, gladios, præcipitia, & mortem. Amor suos accendit impuros ignes, quibus extra se avolans, rupes transilit, fluvios tranat, maria trajicit, & plerumque gladios acuit, laqueos nectit, & ejus furoribus tragœdiæ consonant, & personant: est enim iracundus, exlex, intempestivus, ignivomus; quas flammes, quæ incendia, quas ætneas conflagretiones, quæ busta non excitavit, quas pectori dilacerando Prometei aves, quas cordi premendo aggestas malorum catervas, quas menti torquendæ, & absumendæ curarum turbas non accivit? Quæ silentia, quæ deliquia, quæ tormenta suis ipse flammis non accersivit? contra amorem insurgit odium cane, & angue peius; urget enim contra elios, quos quiescere non patitur, quorum sanguinem sitit, quorum stregibus delectatur, & immitâ quodam atque efferato animo, veluti aper ictus in alios irruit, quos vivos exsorbere concupiscit, quia nonnisi neces cudit, venena spargit, quibus interimit, gladios acuit, quibus vulnerat, aconita evomit, ut interficiat.

6. Hisce perniciosissimis affectibus adsci-tur desideriorum turba, quæ multiplici armata jaculo hominis pectus confodit, quod abreptæ mentis desideriis perculsum præmitur ad necem. Hisce desideriis veluti mox alis instructus homo Pegaso velocior varios, eósque dissitos percurrit terrarum tractus; accipitre pernicior in sublime avolat, inhiátque prædæ, ac bonis alienis ditescere; Dedaleis munitus remigiis aëra enavigat, perinde ac navis æquora: sed contra Desiderium Fuga stat, tergoribus suis internecinam nitens cladem evadere, vel totis viribus propulsare, quamvis intentissimus sit miles, qui gradivi in castris Mavortis à pedibus, non à manibus auxilium deposcit; quia sicut securitas in robore ex audacia; ita periculum in fuga: arma armis propulsantur, nec quisquam in bello tutior, quàm qui ferrum ferro propellit: ab armis siquidem pensatur miles eò minùs periclitaturus, quò fortiùs presserit hostem; & quamvis non semper in ferro sit militis salus,in fuga tamen semper est dedecus,& plerumque pedissequa mors.

7. Cæterum malum qui non fugit, is periculum amare dicitur, ac stultè in prærupta se conjicere: insanus est, qui nullo perculsus timore, quæ imminent rerum discrimina fugere non studet; & ipse se quasi periculis offert, quod perinde est ac agere ex temeritate: Sapientis est prudenti industria rimas quærere, & cauta secessione se à periculis subtrahere: qui enim non se subducit, ut malos vincat incursus, vincitur ipse; Jacobum recolamus, Moysem cogitemus, Lothum consideremus, Eliam spectemus, Mathathiam perpendamus, Athanasium intueamur, Policarpum contemplemur, & hisce adsciscamus Ambrosium: omnes enim cum ingentia imminerent mala ad eadem declinanda prudenti consilio feliciter fugerunt sine ulla famæ læsione, absque ullo honoris detrimento, sine damno vitæ; ut præteream Paulum; missum faciam Josephum; Chrysostomum taceam, & ipsum Christum non adducam, tametsi omnis ejus actio vera nostra sit instructio; Servator noster potuisset facilè quotquot contra ipsum surrexêre profligare, ac prosternere; nihilominus ut nobis documento foret à Judæorum lapidibus, à Pharisæorum consiliis, à protervorum manibus, à perditissimorum hominum machinationibus fugit; & licèt præsens non potuisset tangi, si noluisset, nec teneri manibus, nec percuti virgis, nec coronari spinis, nec cruci clavis affigi, adhuc tamen hæc mala subivit, ut nobis ad salutem viam sterneret.

8. Affectuum hactenus recensitorum turbulentiis, se admiscet gaudium, quod universum hominem perfundit exultatione: séque hic animi affectus foras prodit, secúmque accersit populorum acclamationes, apparatuum hilaria, gratulabundos hominum occursus; animos insueta alacritate propè gestientes, vultu, fronte, oculis internam cordis depromentes lætitiam. Sunt verò qui præconceptam in animo lætitiam nulla externæ pompæ specie depromunt, neque apparatu indicant, nullóque alio gratulationis argumento præconcepti gaudij speciem produnt; sed illud imis inclusum pectoribus continent, & in animorum recessibus soli perfruuntur quadam effusa laxatæ voluptatis specie. Sunt etiam qui ingenti perfusi lætitia exultant gaudio, gestiunt voluptate; ac hilaritate verba ipsa condiunt: exiliunt enim loquentes, triumphant vocibus, tripudiant ingeminato plausu, & plerumque adeo insueta, ac insolenti lætitia elatus est animus, ut in summa voluptate pascatur, & in se ipsum vel ut impar tantæ jucunditati concidat. Plerique tamen exteriùs videntur in gaudium profundi, quorum pectora intimósque animorum recessus, si introspiceremus, nonnisi larva fucatæ lætitiæ nobis objiceretur; rident plerumque in genis rosæ, cùm intus in corde spinæ pungant & torqueant. Insurgit contra gaudium umbris stipata funereis, tetris comitata cogitationibus tristitia, quæ mentem ægritudine corrumpit, ingenium mœrore hebetat, cor angustiis premit, oculos lachrymis implet, frontem profundis sulcis arat, totúmque vultum impallescente inficit macie; incedit hic affectus mœtore oppressus, angustiis pressus, tristique mœstitudine, & anxietate exanimatus, inceditque propterea capite dejecto, fronte demissa, oculis in humum versis, cujus vocem dolor debilitat, animum indignatio opprimit, & verba lachrymæ intercludunt; sparsis siquidem in humeros capillis, turbato, apertóque pectore, fluentibus in vultum lachrymis, voce crebris singultibus effracta incedit, qui mœrore animi impletur, penitúsque occupatur.

Hos ludos insolentes ludunt, qui excitati in nobis non coërcentur affectus ad rectæ amussim rationis, & tragœdias plusquam Thyesteas agunt, præsertim amor in libidinem effervescens; rerum alienarum immodica cupiditas; in proximum præconceptum odium cædes spirans, & clades spargens: contabescens animi mœror, & deploratæ fortis exitialis desperatio. Voluit nihilominus Deus hanc in hominibus insurgentium contrariarum affectionum luctam, ut non conniveamus vitio, non ludamus in mediis periculis, nec nobis illudamus; sed perpetuò pavidi die, noctúque soliciti, semper simus anxii, vigiles, & in omnem partem circumspecti, jugitérque intenti, ut insurgentium hostium eruptiones, inquietósque motus propulsemus, coërceamus; nobisque victrices comparemus adoreas, erigamus trophæa, legamus palmas, colligamus manubias, aureísque lemniscis coronam insigniamus nostram. Qui enim inquietis hisce motibus, insolescentibus animi commotionibus, & effrænibus non obsistunt affectibus, in multa se dejiciunt pericula, incidunt discrimina, pluribúsque se pedicis illaqueant, multiplici compede irretiunt, 9.

ac tur-

ac turpia devictæ mentis patiuntur dedecora: si enim non coërceantur, sed effrœnes grassentur, classicum inflatur, bellicum canitur, furor, & Bellona circumeunt, & eruptæ ex Orco Eumenides ferales tædas, flammásque agitant, fitque conjuratio, quâ interna tranquillitas, quies mentis, pax animi non solùm turbatur, verùm & homo ipse perturbatus internis affectibus miserè cadit infelix vitiorum præda: quamvis trajiciat navis æquora multo auro illita, plurimo cælata emblemate, munita milite, instructa velis, si tamen ventis procellarum in locum omnem rapiatur, facilè in scopulos impingit, & disruptâ carinâ dehiscens mergitur ad ineluctabile naufragium.

10. Obsistendum omnino, est & quidem suis sub initiis, antequam adolescant, virésque acquirant, immodicis hisce animi affectibus. Stabulantur hydrâ peiores Lerneâ in animo feræ, si in ipso impunè insolescant immodici affectus, debacchentur protervæ passiones: malè sibi consulit, qui igne, ferróque huic non obsistit monstro protervi affectûs; hanc non prosternit hydram; qui omnia ejus capita ferro non amputat, igne non extinguit; repullulant semper hujus hydræ capita, quamvis amputata, nisi altiùs eorum radices igne, ferro validiore quis adoriatur, profligétque: & unà cum affectibus insurgunt & cognata vitia; ambitio siquidem incipit repere, avaritia cunctanter serpere; ira lento passu erumpere; invidia livido ore glicere; imo & luxuria insolenter statim debacchari. Unde cùm primùm insolescunt veluti angues in cunis Herculeis abolendi omnino sunt immodici hi affectus, vel coërcendi juxta præscriptum rectæ rationis: quia si semel insurrexerint, & illicò quâvis disruptâ cunctatione non compescantur, vires acquirunt, fortiúsque nos impetunt, vincúntque.

## §. II.

### *Pravi Affectus nisi suis suffocentur in cunabulis, in nostram adolescunt perniciem.*

11. Video Petrum timori suo indulsisse, non quidem ut Christum Magistrum suum desereret, sed ut à longè sequeretur; sed quia hunc timoris affectum suis ab initiis haud abegit, adeo succrescendo validiores nactus est vires, ut Petrum vicerit, prostraveritque, cùm enim à longè sequeretur Magistrum, à quo flammas hauriebat charitatis, & ardorem spiritûs, adeò intepuit, friguitque, ut flammas quærens, quibus calefieret, ad ignem factus frigidior Christum negaverit, deserueritque, sicque non coërcitus suis sub initiis timor, utrumque patravit delictùm, quo fuit Petrus Magistrum suum secutus à longè, & eum deseruit. Scio Evam in terrestri paradiso tantùm desiderâsse pomum scientiæ boni, & mali oculis lustrare, non linguâ delibare; sed quia hunc desiderii affectum non statim compescuit, radices egit, adolevit in fœmina, virésque exactus Evam prostravit victam; quæ enim pomum comedere noluit, & aspicere non expavit, oculis simul, & palato satisfecit; vidit pomum oculis, decerpsit manu, admovit ori, contrivit dente, & in stomachum demisit, & unà cum fructu scientiæ ignorantiam deglutivit, mortémque sibi, & posteris. Scio, Judam amâsse pecunias, inhiâsse divitiis, sed quia immodicum hunc affectum in suis non coërcuit cunabulis, adultior adeò invaluit, ut tandem prævaluerit, sitímque suam auri expleturus Judas Magistrum vendiderit. Prosiliunt ut vulpeculæ immodici affectus, sed nisi statim abigantur vineas nostras demoliuntur.

Hinc monemur, has vulpeculas adhuc in adolescentia, cunisque procul abigere; *Capite nobis vulpes parvulas, quæ demoliuntur vineas*, quamvis parvæ sint, vires tamen acquirunt validiores, & vineas demoliuntur. Securi sumus ab apro, quem timemus; tuti à lupo, quem abigimus; sed non à vulpibus, quas negligimus; & quamvis singularis fetus non exterminet visibiliter vineam, versipellis tamen calliditas invisibiliter vites demolitur, plantas eradicat, arbores exscindit, & vineam totam destruit: nihil enim vinea prodest, si vites racemos non ferant, si arbores pomis non incurventur, si plantæ in ipsa arescant: nil prodest maceries intacta, si spes omnis frugum arescit. Imò sponsa non solùm vult, has vulpeculas insurgentium passionum, ac tumultuantium affectuum abigi; sed etiam capi jubet, quia fortâssis redirent, si tantùm abigerentur; captæ verò non ulteriùs nocent. 12. *In cant. 2. 15.*

Repulit affectum insurgentis iræ Esau à fratre in itinere delinitus, sed quia non penitus hanc vulpeculam cepit, incepit iterum excandescere; nec diuturna inter ipsos pacis olea efflorùit. Pluries Saul fuit Davidi reconciliatus, sed quia affectum iræ, & furoris tantùm abegit, non interfecit, in nova sæpiùs insurrexit bella. Præsenserat Absolon immodico desiderio imperandi superbientem suum animum pulsari, sed quia pravum hunc affectum non extinxit, cùm primùm flammam accendit, adeò invaluit; ut non potis ampliùs fuerit eum coërcere; non pependisset è quercu Absolon vanitatis suæ captivus, & victus ab immodico imperandi desiderio, si Imperii cupiditatem Davidi invisam suo extinxisset in exordio, vicisset in cunis. 13.

Obstandum est initiis insurgentium contra leges rationis affectuum; qui tametsi suis videantur ludere in cunis, adigunt, cùm adoleverint, ad luctum; & qui videbantur in radice serpere sine noxa; cùm creverint neces inferunt, & Absolonem ramo suspendunt. Gratus suo fuerat parenti Joseph; at affectus Doloris, & invidiæ, amor patris in si- 14.

in filium excitavit in fratribus: sed licèt hi ab initio jocari potiùs cùm fratre viderentur, cùm gregem simul cum fratribus Joseph paverit, nec ullam expaverit invidiam; hæc tamen altiùs cepit radices agere, simúlque adolescere in arborem, cùm polymitam vestem Josepho Pater retexit, quâ à cæteris distingueretur: *Fecitque ei tunicam polymitam. Videntes autem fratres ejus, quòd plus cunctis filijs à Patre amaretur, oderant illum:* nimirum invidia accersivit statim vires, auctura livorem, & odium; imò & furorem ferales suas flammas in aggestu stipularum foventem. *Accidit ut visum somnium referret fratribus suis, quæ causa majoris odij seminarium fuit*, cùm jam ob chlamydem polymitam eum fratres adversarentur, nunc furor ignis accessione, & manipulorum nactus pabulum, quò suas enutriret flammas, incendium auxit in perniciem Josephi, quem furor fratrum obscurare in flamma, & extinguere igne moliebatur. Ceperant fratres in Josepho odisse polymitam, quia plus cæteris à Patre amaretur; at cùm primùm visum à se somnium manipulorum suis retulit fratribus; in erecto Josephi manipulo ceperunt ipsi animo cadere; dejectos se fatebantur, cùm manipulus somniantis erigeretur, & reliqui prosternerentur; sed cur ad tam levem sarcinam succumbere? unus fratris manipulus erigitur, & cæteri Palestinæ Athlantes prosternuntur? Nunquid stipula præferenda purpuræ? & somnium prætextæ? si Principes erant Palestinæ, cur ex erecta in campo stipula dejecti animo prosternuntur? Nimirum enata rabies in tunica polymita adeò excrevit, ut in somniatis manipulis flammarum incremento grassaretur, Josephum extinctura: si pravum in fratrem affectum suis præfocâssent in cunis, non crevisset in flammam feralem.

Genes. 37.

15. Quercum, quæ de glande incipit succrescere, quia nondum radices egit, etiam manus pueri trimuli facilè divellit; sin verò radices agat, incrementum subeat, erigatur in caule, dilatetur in ramos, non ampliùs puerilis manus potis est eam excutere, sed nec virilis. Furor cùm primùm ignem concipit, extingui haud difficulter potest, sin verò adolescat, vix recepui canit; nisi priùs debacchetur, ac cruentas spargat cædes. Semina sunt pravi affectus, ex quibus nascitur, pullulat, crescit quidquid cruciat, torquétque homines; non statim cùm incipit germinare, ejus sentitur venenum, sed cùm paulatim incrementum subit, tunc prava affectio puerpera fit suæ pœnæ. Hæc mortem intulit mundo cùm protoplastos extorres ejecit è terrestri paradiso; una enim prava affectio, unus inordinatus appetitus comedendi pomum sibi vetitum mala omnia in mundum pertraxit, & gehennam succendit torquentem & quia etiamnum rebellant in nobis turbulenti affectus spem nobis adimunt tranquillitatis; nisi affectus omnis quamvis minimus statim cùm primùm sua pravitate insurgit, evellatur etiam in sua radice; quia quamvis pravi affectus rescindantur in ramis, adhuc si radices servaverint, iterum emergent, novíque ex illis succrescent iniquitatis ramusculi.

16. Plures sunt, qui pravas, & parvas, quas sentiunt affectiunculas, oderunt simul, & amant; eas detestantur, & illis adhærent; & quia securim ad radicem non admovent, sed ramis duntaxat foliorum viriditate luxuriantibus cultrum adjiciunt, nunquam eas vincunt; quin potiùs ab iisdem vincuntur; quia si bis, vel ter pravas has affectiunculas tespuerint; mox sinunt liberiùs succrescere, & id assumunt virium, ut vix possint iisdem obluctari. Nullæ cum pravis affectionibus sunt induciæ admittendæ, sed statim contra ipsas egregiè pugnandum, donec expugnentur; & infatigabili, invictóque animo debet quisque eas persequi: & præsertim turbulentos iræ, ac furoris motus, acrésque indignationis stimulos, statim cùm insurgunt reprimere, imò & ptorsus extinguere, & licèt modicè nonnunquam irasci humanitati detur, iram tamen servare, odium fovere, satanicum est.

## §. III.

*Pravis, qui se sinit ab initio affectibus abripi, facilè præceps in scelera ruit, idque experimento nos edocent Absolonis desiderium regnandi; & Caini invidia, ac odium in fratrem Abelem.*

17. Extinguendis iræ, furorisque ignibus nulla aptior unda sanguine Salvatoris, patientiáque Christi, cùm voluerit, ut nos hanc lectionem ab ipso addisceremus: *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde*, nimirum ut puderet discipulum animo intumescere, cùm suum noverit Magistrum corde humilem, ore mitem; ut puderet hominem ferocire, & excandescere, ubi videt Deum ipsum adeò humanum, ut ipsam voluerit humanitatem induere; adeò mansuetum, ut nulli voluerit obesse, sed omnibus prodesse; adeò misericordem, ut omnes sibi illatas injurias ultrò condonaverit. Pravus qui se sinit ab initio affectibus abripi, facilè præceps in scelera ruit. Inhiavit Absolon patris sceptro, regníque diademati. Fovit hunc anguem, qui tandem venena evomuit, & plures interemit; quia natu minor, ad thronum ipsi præcludebatur via, Amnoni fratri natu majori incepit necem moliri, nactúsque occasionem, quia Thamarem fororem constupraverat, eam interrogavit. *Nunquid Amnon frater tuus concubuit tecum*, siluit puella, ut debuit, quia virgini nulla superest in naufragio tabula, nisi solus pudor, quo abacto conclamatum est; & in quæque proruit nefanda scelera; conjicere tamen ex

Matth. 11.

2. Reg. 13

ex sororis silentio, quid actum fuerit, Absolon potuit, cœpitque Amnonem fratrem piratam vocare pudicitiæ; hinc virium subjit incrementum in fratrem odium, augetúrque desiderium imperandi fratris præconcepta internecione, vindicandæ injuriæ sorori illatæ fucato prætextu; vetiùs enim, ut per ferrum ad aureum sceptrum sibi iter sterneret, instituit enim Absolon convivium fratrem Amnonem invitaturus: *Fecerátque Absolon quasi convivium Regis*, ut in vino ira acrior accenderetur, & odium uberiùs foveretur, armaretúrque non laniſtis, sed pincernis; ut primùm non Sariſſas, sed patinas promeret; non leones emitteret ad lanienam, sed attagenes, perdices, coturnices, phasianos inferret ad illecebram; neque statim designat arenam, & martium campum; sed mensam conſtruit. Interim silere sororem jussit, ne Amnon sinistrè de Absolone suspicaretur, qui effusurus sanguinem, vinum priùs propinavit; vulnus inflicturus, cultrum melle imbuit, & ita omnia apparavit, ut tot stipata voluptatibus ab ipso Amnone mors optaretur; ita sævijt in fratrem Absolon, ut cultrum in viola, venenum in melle, necémque in vino et exhiberet, & luxu epularum luctus fratricidij obtegeret; hæc nimirum Absolon præstitit, ubi pravum regnandi affectum, imperandi desiderium libavit, fovitque, ubi odium in fratrem natu majorem concepit, quia ad solium ei esset obstaculo; fraternum siquidem sanguinem simul cum vino in epulis fudit, necémque intulit, cui prandium apparaverat. Quid ni epoto inter epulas Amnonis sanguine; expeditiùs thronum conscensurus in patrem ipsum contumax, perinde ac leo rugiens insiluit. En quò devenit neglectus suis sub initijs, & non præfocatus pravus affectus, enormes sparsit strages, cruentas impressit clades, fraternum sanguinem effudit, & Patrem ipsum armorum strepitu ausus est Absolon insequi.

2. Reg. cap. 13.

18. Si obstitisset Absolon pravis insurgentibus affectibus, imperandíque desiderijs Palæstinam non funestâsset tot occibus. Fovit Cainus suis in præcordijs odium, invidiámque in fratrem suum Abelem; hunc pravum affectum non statim præfocavit in cunis, sed in corde excordis Caini adeò adolevit, sævijtque, ut veneno viscera omnia inficeret, ossa ipsa uno medullis, sed sulfure repleret, ut jam venæ non sanguine madereot, sed tabo corrumperentur. Irascitur Cain, eò quia suis hostijs Abelis præferatur holocaustum; immodicum hunc iræ, & invidiæ affectum non statim compescuit Cain; sed hunc serpentem fovit in sinu, & in ejus corde altiùs radices egit in perniciem innocentis Abelis, cui concepta in Caino ira excidium minabatur; & ita contigit; foveri siquidem à Caino affectum iræ, perinde fuit ac Abeli parentare. Erat Abeli, vel ab incunabulis, in quibus cum lacte candorem suxit innocentiæ, indoles comis, placida, mansueta, placabilis, observantia in fratrem singularis; reverentia in patrem, & matrem insignis, religio in Deum observantissima, cui quoties per victimas supplicaret, quidquid optimi, & pinguioris in gregibus, & frugibus possideret, sincero corde in sacrificium offerebat.

Cùm è converso Cainus perfunctorius in cultu Numinis tantùm esset, cui nonnisi deteriora ex frugibus, & macilentiora ex pecoribus avara manu offerebat servatis in suas delicias melioribus; hæcque causa, cur supremo Numini gratissimum esset Abelis holocaustum, cui priusquam humana manu ignis subderetur, ignis de summo cœlo delpsus oblatas victimas depasceretur: cúmque cœlestis flamma in victimas non illaberetur Caini, in faternæ felicitatis invidiam, & clandestinam delabitur detestationem; & quia pravo huic animi affectui, materiam potiùs suppeditavit, vindictam scilicet contra fratris innocentiam sumendam; in eam excrevit insolentiam, ut posthac victimas ejuraret, lethalíque odio, & invidia in fratrem contabesceret; adeò ut ipsa extima frontis tristitia, capitísque dejectio internum satis proderent mœrorem; tutiúsque fraternam cædem peracturus, sceleri amicitiam prætexens Abelem nil mali de fratre suspicantem in agrum perducit spatiatum, cúmque simul varios miscerent sermones; & Cainus multa in authorem osturæ criminaretur, legésque divini regiminis insectaretur; & è contra Abel sancto fervore Numinis propugnaret decreta; Cainus ratus invenisse ansam sceleris aggrediendi elatum altiùs manu fustem in fratris caput toto impetu injecir, móxque in pectus valentiori brachio profundè demittit, donec geminatis vulneribus, pluribúsque inflictis plagis Abelem propugnantem Numinis leges expugnâsset, adegissétque animam parvulnerum spiramenta efflare anno 129. ætatis; cujus sanguinem licèt tellus exciperet, tacito tamen clamore cœlum ultrici manu vindicavit. 19.

Censent plures, Abelem cæsum fuisse in agro Damasceno non longè ab Hebrone, ubi Adam creditur creatus, & hebraicè vocatur *Adama* à terra rubra, eò quia sanguinem hauserit Abelis, ut præ cæteris notat Cornelius à Lapide. En ad quale flagitium pravus innutritus affectus; præconceptum in Abelem odium perduxit Cainum. Invidiam suo insolescentem in exordio, neglexit Cainus coërcere, & inde adeò validiores enacta vires fuit, ut obstetricante livore odium pepererit, & fraterna cæde primus omnium terram sonestaverit; fuit siquidem invidia Caini causa primi funeris. Quid virulento hoc ægrotantis animi affectu terrius? Quid superbia, odio, & invidia in mundo feralius? fuerunt enim perniciosissimi hi affectus venenum omnium 20.

In cap. 2. Genes.

sæculorum; hi siquidem Angelorum Principem ejecerunt è summo cœlo; Protoplastos exculerunt è terrestri paradiso; prima cæde mundum funestârunt, & effuso sanguine tellurem cruentârunt.

21. Flamma cœlitùs delapsa, & Abelis Deo pergratas depascens victimas invidiam simul, & odium in Caini pectore excitavit, neque acquievit, donec hominem occideret; ut Numen irritaret. Invidiam, qui in sinu fovet, anguem nutrit, cujus veneno viscera contabescunt. Lacerat invidia, corrodit, & ubi stabulatur, nonnisi gladios cudit, ut feriat, læviâtque in eum, à quo fovetur. Est invidus duplici vulnere infelix, suis nimirum proprijs malis, & alienis bonis; quibus cùm invidet, se ipsum torquet, ac dilaniat: id enim est invidia invido, quod ligno vermis, rubigo ferro, tinea vestimento: pravo huic, qui affectui favet, infernum fovet; neque quid aliud in pectore invidentis sentitur, quàm dolor torquens, mœror exsiccans, ignis crucians, labor sine quie e, pœna sine commiseratione: nec ullis hæc Orci Megera delinitur precibus; quinimò blandimentis exasperatur, obsequijs inflammatur; muneribus irritatur. *Iratúsque est Cain vehementer, & concidit vultus ejus*, quia nonnisi incendia, ruinas, excidia, cruentásque clades tetrissimis moliebatur cogitationibus. Genes. 4.

22. Non fulguravit statim commotus livor, sed impalluit; modestiam affectavit in primo suo accessu invidia, sed postea insolescens detractâ modestiæ larvâ in cædes, & clades, ac funesta funera irrupit: fraternam cædem patravit, sanguinem fudit, sed flagitium ita obvolvit, ut pronubus potiùs videretur, quàm lanio, non enim excesas inter rupes, non opacatos inter lucos fratrem egit, sed in apertum campum, in lætam planitiem duxit, ut loci amœnitas acerbitatem funeris morituro temperaret: quòd si inflicto vulnere Abel cecidit, in primam tamen surrexit purpurati Martyris rosam; si post triumphum indormiisset, jacere honestiùs non potuisset rosis proprij sanguinis stipatus. Diceres, Cainum innocentem victimam litâsse, non fratrem occidisse, eùmque non ut hostem, sed ut hostiam in agrum veloci ad aram egisse. Verùm livor, cùm primùm adolevit, in facinus præcipitavit; & quia cum primùm emerserat in mundum, sanguinem sitivit innocentis, quem etiam effudit, quò sitim tamen non extingueret, sed augeret, ideo in Herode infantium cæde debacchator; excidium puerorum larva occulit religionis. *Ut & ego veniens adorem eum*, audierat Herodes Regem Regum in terris natum, à Magis, & Regibus adoratum, muneribus donatum; momordit Herodis pectus insurgens invidia, cui cùm non obstiterit, cùm primùm insolescere cepit, Herodem adeò exagitavit, ut nonnisi cruentas cædes molitetur, ratus posse in plu- Matth. 2.

ribus extinguere, quem solum occidere non valuit: Cervicem perdere illius moliebatur, cui in obsequia se totum devovere simulavit; cui genu flexerat in adorationem, flectere ejus caput ad internecionem quærebat. *Ut & ego veniens adorem eum*, nihil audiri mitiùs, nihil spectari sanctiùs potuit; videbatur Herodes intentis in cœlum oculis sydera recensere, ac lustrare orientem ex Jacob contemplaturus stellam; sed cum hanc in terris audiret delapsam, anxiùs ejus quæsivit splendorem, ut funereis umbris obscuraret, & sanguine extingueret. *Mittens occidit omnes pueros, qui erant in Bethlehem à bimatu, & infra:* adorare puerum petit, non cultum ei exhibiturus, sed ejus sanguinem effusurus, *ut & ego veniens adorem eum.* O ferale obsequium! flectit genu, ut sæviat in caput; procumbit in terram, ut cœli conditorem prosternat, mactétque sui furoris victimam: & ubi non est mors timenda, si etiam religio trucidat? si obsequium jugulat? si thus enecat? astra cruentant? è cultu religionis secures erumpunt, & cruentæ clades? Nil mitiùs audiebatur blanda livoris voce, cùm suo adhuc pubesceret in exordio, suísque vagiret in incunabulis, *ut & ego veniens adorem eum*, sed vires enactus, adultior factus, nil ejus fremitu audiri potuit truculentius, nil ejus rugitu terribilius. *Mittens occidit omnes pueros, qui erant in Bethlehem à bimatu, & infra:* quantum modestiæ in exordio exhibuit, tantum in suo recessu evomuit immanitatis, & furoris. Etiam viperæ torpent in hyeme, cùm accedente æstate virus spargant, viros interempturæ, terneciant more gladiatorum, perimántque, si tantùm pupugerint. Matth. 2. Matth. 2.

## §. IV.

### *Quis suis sub initijs lacteus eblanditur pravus affectus; cum incipit adolescere aconita præparat, & venena propinat.*

23. QUamvis in primo vestibulo sint affectus verecundiâ persusi, puellásque imitentur, quibus pudor genas tingit, & modestia caput, oculósque in terram demittit; ingrediantúrque blandè salutem dicturi, & obsequia præstituri Esthérem imitati. *Et timui valdè, ac nimis, & dixi Regi: Rex in æternum vive*, quàm blandus, quàm pronus in obsequia affectus timoris cùm primùm insurgit, quàm innocens è pavoris rubo erumpit assentationis flos; non enim blanditiæ in herbas crevêre timoris, sed in flores germinârunt obsequij; nihilominus, si timor radices fixerit, non rubet in rosis, sed subpallet in vepreto, non obsequia exhibet, sed aconita præparat; non spumantes vino propinat calices, sed venena miscet, neces allatura: ubi timoris premitur Esther lib. 2. Cap. 2.

tur pectus angustijs; laxatur cor in enormia quæque flagitia. Timuit Herodes natum Bethlehemij Messiam, doceri de puero optavit, exhibiturus priùs adorationem: sed postea nonnisi supplicia, & cruentas cædes meditatus, puerum in pueris perdere moliebatur, eò quia altiùs radices timor egerit.

24. Radicitùs evellendi sunt pravi affectus, cùm primùm in herbusculis germinant, ut non sinamus eos gliscere in arbusta, lascivire in ramis, luxuriare in frondibus; neque satis, si tantùm amputentur, seu semel ijsdem obsistamus, vel Saulem imitemur, qui Agagum Regem nonnisi carcere damnavit, quem jussu Dei debuisset capite plectere; si affectus pravos tantùm carcere mulctemus, & non radicitùs extirpemus, iterum pullulant, foràsque fœdè prorumpunt, & intus in nos sæviunt: quoties ijsdem latentibus parcimus, hostes in nos ipsos armamus, & quamvis initio imbecilles se prodant; enacti mox vires, nos ipsos prosternunt, & quod initio fuit lapsus, & error, paulatim adolescit in morem, & fit consuetudo, ex qua turpissima, ac vitiosa emergit necessitas; sensimque ab hostibus hisce domesticis pressi, æquè & oppressi turpissimè ijsdem cedimus, cum assuetis carere nonnisi difficulter possimus; sicque primi errores in mores excrescunt, & cum pravos affectus minimè in herba opprimimus, radicitùs non divellimus, sed excrescere permittimus; tale sensim sine sensu incrementum subeunt, ut experiamur eos excrevisse in sylvam, cum antea nonnisi in herbusculis luderent; fiúntque ingens dumetum, quod nullis penè viribus convelli ampliùs possit.

25. Non amputandi, sed radicitùs convellendi sunt pravi affectus, cùm primùm pullulant, incipiúntque radices agere: sunt Brucho haud absimiles, de quibus David

Ps. 104. *Et comedit omne fœnum in terra eorum, & comedit omnem fructum terræ eorum:* id præstitit Bruchus in excultis Ægypti campis; exiguum sanè animal Bruchus, qui tamen ab olere depopulationem exorsus, fructus omnes corrumpit: cavendum ab hisce Bruchis à pravis affectibus; quamvis initio nonnisi fœnum nobis videantur comedere, postquam tamen fuerint fœno saginati, postquam radices altiùs egerint, virésque enacti fuerint uberiores depopulabuntur omnem fructum; corrumpent virtutes omnes, quotquot in exculto cordis nostri efflorueruunt campo. Experimur ebullire in nobis iracundiam; Bruchus est hic affectus initio contentus fœno; satis ipsi, si non blandiatur hosti, si beneficia singularia ei non conferat, si societate eidem non adhæreat: verùm Bruchus iste, qui hactenus fœnum comedit, mox comedet, & fructus: incipit siquidem, de ipso perperam loqui, de quo antea tantùm siluit; hostiliter eum insequitur, quem tantùm non singulariter amavit; damna infert graviora, cui singularia tantùm renuit beneficia conferre. Bruchus est pravus quisque affectus; & plerumque vorandi etiam rabiem melioribus initio frugibus explet, elurus fœnum, ubi fruges defierint.

Pravi affectus sunt animorum Bruchi, qui suam à deterioribus ingluviem ordiuntur, ne penitùs excludantur, si jà melioribus suam inchoent stragem. Nemo ita perversi censetur genij, ut fratrem ingenij ferventioris, meliorísque statim jugulet; nemo est naturæ adeò corruptæ, ut cum oculis tantisper dejectis non adsit properanti velociùs ad bravium: & tamen à livore oculorum progressi sunt Cain in Abelis cædem, & Saul ad hastam intortam in Davidem victoriâ celebrem: Cain siquidem Abelem sibi præferri pati noluit. Erat Abeli jam à teneris indoles comis, placida, & mansueta, observantia in fratrem, reverentia in parentes, Religio in Deum, cui quoties per victimas supplicavit in sacrificium pingue, obtulit quidquid melioris in gregibus possideret, & frugibus: cùm è converso Cainus nonnisi perfunctorius esset in cultu Numinis, cui deteriora offerre consueverat melioribus sibi reservatis: & quia discretus fuit utriusque in Deum cultus, dispariа quoque fuerunt, & præmia; Abelis enim victimas divinus favor commendavit igne de cœlo in terram delapso: succendit tamen flamma hæc in Caino pravum invidiæ affectum, quem eum statim non extinxerit, tale subijt incrementum, ut non destiterit intus ardere, donec extinctus in campum caderet Abel, fierétque victima fraternæ invidiæ, eò quia pinguiores ipse victimas Numini obtulerit. Quàm pravus, quàm perniciosus, quàm detestabilis est invidiæ affectus? si intus lethale suum incipiat virus evomere. Flamma cœlitus delapsa, ac depascens Abelis victimam livorem excitavit in pectore Caini fratricidæ, & exarsit furor in innocentem Abelem, occiditque fratrem, ut Deum irritaret: hinc Nissenus in vita Moysis vocat invidiam malorum Principem, matrem mortis, primam januam peccati, vitiorum radicem, doloris initium, calamitatis parentem, inobedientiæ causam, ignominiæ initium, mortiferum stimulum, mucronem reconditum, telum amarum, ferelem pectoris flammam, sæculorum venenum, causam primi funeris, antiquum virus, malum vetustum, perniciem hominum, & Angelorum; quorum Principem ejecit è cœlo, & humani generis protoplastos exclusit è paradiso; & prima cæde fraternam manum cruentavit, ac Saulis hastam intorsit in Davidem, quem pati non potuit superiorem in triumpho.

27. Tametsi pravi affectus suis videantur in cunabulis ludere potiùs, quàm cædes moliri, si tamen adoleverint, si incrementum subjerint virium, nonnisi in nostram has exe-

exerunt perniciem; & nisi has vulpeculas statim capiamus: in nostram crescunt internecionem, hæcque ratio, cur sponsa in sacris epithalamijs hujusmodi pravorum affectuum vulpeculas capi voluerit. *Capite nobis vulpes parvulas, quæ demoliuntur vineas: nam vinea nostra floruit.* Vult sponsa vulpes etiam parvulas, non expelli, non fugari, sed capi: verebatur enim, ne redirent, si tantùm abigerentur: captæ autem non ulteriùs nocent. Pluries scimus, Saulem reconciliatum fuisse Davidi; sed scimus etiam non irretitum, non prorsus extinctum, sed tantùm abactum ejus furorem, reparatum sæpius bellum instruxisse: non sufficit pravos affectus semel abigere, sed cultrô opus est, quò radicitùs evellantur, & non solùm amputentur in ramis. Non pependisset è quercu vanitatis suæ captivus Absolon, si pravum regnandi desiderium, si perversam imperandi cupiditatem patri invisam intus non fovisset; sed statim suo extinxisset initio. Sed cur sponsa eum vulpium exterminium præcepisset, in otiosos statim eruperit affectuum sonos subdens, *dilectus meus mihi, & ego illi*, an quia suum cuique præfinitum est tempus? tempus enim amore languendi, & tempus venandis vulpibus erat impeudendum. Verùm non blanditias amoris otiosas, sed vitiorum, pravorúmque affectuum præcipitur exterminium. Nimirum una hæc ratio capiendarum, & exterminandarum vulpium est, si verè sponsus diligatur, si Deus eximiè ametur, dissipantur illicò vulpes, penitùsque interimuntur. Si nil nisi Deum diligamus, ejus amoris flammâ cinerescunt statim vulpeculæ omnes pravorum affectuum. Una si regnet in corde nostro charitas, profligantur statim, pereúntque universæ rerum terrenarum cupiditates.

Cant. cap. 2.

28. Satagendum omni nixu, totísque viribus, ut quotquot in nos insurgunt pravi affectus, hos radicitùs convellamus, & licèt vires acquisiterint, non tamen inde desperandum; potest enim consuetudo meliori expugnari consuetudine: & volenti eum Numinis ope vincere, tuta est victoria. Sufficit, si Moyses æstuantes irati maris fluctus virgâ minetur. Quæ supersunt ad plenam victoriam, suppeditat Deus, cujus ope tutus transivit Israël. Cum nil superesset, quod Hebræos moraretur, Ægyptijs impellentibus versus rubrum tandem mare iter arripiunt: prima agmina pueri, & mulieres, senióque confecti construxêre. Millia dein plusquàm sexcenta robustorum virorum sequebantur, qui quini seriatim, ac per ordinem incessere militarem. Medium egmen bellica receperat impedimenta, in quibus & greges erant, & armenta pecorum, ac jumentorum; clauserátque tandem totum exercitum agmen promiscuæ multitudinis, & exterorũ, qui fugienti Israëli se adjunxerant. Exierunt omnes hilares ex Ægypto, eò quia à tergo relinquerent durissimam nonaginta trium annorum servitutem: & à fronte pristinæ libertatis sibi jannam aperirent. Hocce in incessu oculos præsertim, mentésque exhilaravit nubes pellucido candore densa, quæ in columnæ altissimæ splendens simulacrum suspiciebatur erecta, iter signans præambula; cui Angelus itinerum moderator insederat. Sin verò interdiu spissitudinis temperamento prodroma suspiciebatur præire, noctu flammante fulgore conspicuam se exhibuit, nec rectâ viâ Palæstinam petijt; sed eos per ambages varias, longéque deserta retrorsum flexa circumduxit expeditione.

29. Cúmque Hebræorum fuga Pharaoni innotuisset, quódque beneficio fugæ ab ejus se dominio subducerent, indignatus, contraxit statim quidquid virium per summam celeritatem colligere potuit, coactúmque exercitum contra fugientes duxit, imò referente Josepho exercitum Ægyptiorem pedites ducenta millia, & equites quinquaginta millia implevêre, additis sexcentis falcatis curribus. Sexto autem die à suscepta profectione Hebræorum columna præambula ad mare rubrum iter signavit: Angelus verò medius inter terga Hebræorum, frontémque insequentis Pharaonis stetit, illósque longè, latéque suso lumine antrorsum illuminans, ne à via deflecterent, sed certo, tutóque procederent vestigio: in istos verò tenebras spargens densiores, ut spissæ caliginis interpositu, & fulgurum terroribus arceret Ægyptios. Móxque Moyses deposito quovis concepto pavore, fuósque adhortatus ad ponendam plenam in Deum fiduciam; manum, quâ concreditam sibi virgam tenebat super Erythræi maris æstuantes fluctus extendit, & statim in geminum discissum latus, utrinque in formam gemini prælati muri iter fugientibus Israëlitis adaperuit, qui per sicca vestigia totum illum maris rubri tractum trajecerunt præeunte Moyse totam multitudinem. Increpavit marinos fluctus Moyses, & præconceptum à toto Israële timorem priùs extinxit, quàm fluctus marini dividerentur: præstitit nimirum, quantum ex se fuit, & Deus statim mare divisit, viámque siccam in Erythræo stravit, tutúmque adaperuit iter pendulas inter aquas in murorum altitudinem erectas, suáque præstituras transeunti Israëli obsequia.

30. In prosternendis, qui contra nos insurgunt, pravis affectibus, nobis fidere haud debemus, sed fiducia nostra tota in Deum erigenda est, & virulentos pravorum affectuum angues illicò, cum primùm exiliunt, discerpendi sunt, & in cuuis præfocandi, saxóque fortitudinis conterendi. Qui ita assuescunt pravis affectibus extinguendis in ortu victoriam enancifcuntur: hinc David felicem vocat, & victorem ita se gerentem: *Beatus, qui tenebit, & allidet parvulos suos ad petram:* Scimus alexi-

Psalm. 136.

alexipharmacum ex vipera confici, quæ si vivat, necem infert; si moriatur, vitam parit; vivit enim, ut cum veneno neces spargat; moritur verò, ut cum pharmaco vitam tueatur. Quis nesciat, pravos affectus viperis quamsimillimos? perimunt enim, nisi pereant; mortem inferunt, si vivant; prosternunt, si stent: sin verò profligentur, sublevant; erigunt, dum cadunt; vires standi suppeditant, cum viribus destituuntur; & vitam promovent, cùm moriuntur pravi affectus: quàm felix, quàm beatus, qui parvulos suos, seu pravos affectus in incunabulis allidit ad petram, seu duritiem mortificationis.

31. Neque hoc mortis genus mysterio vacat; vult David, hos parvulos ad petram allidi; quia si gladio enecarentur, si flammâ extinguerentur, si veneno interficerentur; minimè in suo supplicio calamitatem exprimerent, quam nobis inferunt: sed allisa ad petram prava affectio suo se pondere opprimit, & ideo perit, vitámque parit, quia propius cohæret saxo: idque nobis contingere usu solet, cùm pravis affectibus terrenis inhiamus, vel carnis abripimur illecebris, nostram enim necem ipsi nobis inferimus. Fugienda sunt terrena, resiliendum est à carnis voluptatibus, extinguendi penitus sunt suis in initijs pravi affectus: nec debet quisque sibi fidere, cum periculosiorem insidiatorem, hostémque deteriorem se ipso nemo habeat; neque cum se ipso satis tutus, quis habet inducias: quia ad bellum nascitur homo, cujus vita teste Jobo: *militia est super terram*, necesse est, semper in armis excubet, cui cordi est victoria de prostratis pravis affectibus reportanda. Quòd si hac in bello quis corruat, non propterea desperandum est, sed statim resurgendum, imò si iterum corruat, iterum Dei ope resurgendum: nunquam enim Deus resipiscentem despicit, nec rejicit ad se confugientem; si non desinat ex lapsu surgere, non desinit Deus volentem surgere, statim erigere.

7.1.

## §. V.

### *Humani affectus tunc gratam exhibent harmoniam, si fides citharæ æmulantes, ita gradatim attemperentur, donec rectæ rationi plenè consonent.*

32. Si dissonos rectæ rationi experiatur quis affectus, citharœdum imitetur, qui discordes inter se fides ad musicalem legem attemperat, donec in symphoniam consentiant: vir probus turbatos inter se affectus conciliat; ut internæ tranquillitati, ac religiosæ paci non contradicant; ut enim recitè Plato; animus noster citharœdus est, & corpus cithara, ad hunc citharœdum pertinet fides tentare, legem oculis, normam linguæ, modum auribus, manibúsque imponere; pravósque affectus luxuriæ, invidiæ, amoris, odij, ambitionis ad regulam revocare rectæ rationis, cum qua consonam efficiant harmoniam. Peritus Citharœdus fuit Apostolus, cum dixerit. *Castigo corpus meum, & in servitutem redigo.* 1. Corinth. 9. Viri probi est, quotidie citharam suorum affectuum examinare, iracundiam coërcere, invidiam reprehendere, effrœnem libidinem compescere, & jngiter somnolentiam stimulare, segnitiem pungere, & incitare; lætitiæ frœnum injicere, & tristitiam mitigare, ut tandem omnes affectus in harmoniam consentiant rectæ rationi consonam.

Internorum moderationem affectuum, quâ animi pax, & tranquillitas promovetur, symbolicè cithara exprimit, cujus fides ad consonam sint harmoniam eductæ; nulla in homine harmonia Deo gratior, quàm si motus omnes animi, tum concupiscentis, tum irascentis ad regulam, normámque rectæ rationis componantur, si à recto tramite deflectentes ad consonantiam trahantur, & & rebellantes omnino vincantur, prosternantúrque, ad quod nos invitat exemplo fortiùs, quàm verbo Magister Christus, inquiens, *qui vult venire post me, abneget semetipsum*, quasi dicat, ait S. Bernardus, *qui me desiderat, se despiciat, qui vult facere voluntatem meam, discat suam frangere*, non me latet, plurimum id laboris exigere, præsertim si pravi affectus diu in corde adoleverint; sed quod pugnantem fatigat, vincentem etiam coronat: quòd si non statim pravi affectus prosternantur, gradatim niti ad victoriam debemus: non statim pugnantes in castris, cum primùm gladios nudant, irruúntque in hostem, victoriam sibi comparant, sed diu ipsis pugnandum est, ut per plura inflicta vulnera, plurésque sparsas cædes, viam sibi ad triumphum sternant, paulatim augmenta proveniunt, & quamvis exiguus è suo fonte exiliat rivulus, per nova tamen incrementa, novásque rivulorum adjectiones excrescit in flumen, & hoc novis augmentis nomen plerumque obtinet maris. 33. Serm. de S. Andrea.

Tutiùs per gradus ad altiora conscendimus, quàm si unico statim volatu velimus suprema attingere fastigia, idque cum non lateret Abimelechum, cum se Regem totius populi salutari ambiret; non cœgit Concilium; sed cognatorum duntaxat conventum: *Abijt Abimelech filius Jerobaal in Sychem ad fratres matris suæ:* quærit Abulensis, cur unius duntaxat pagi Principes voluerit meminisse, & consalutari; cum reliquas urbes, regnum totum enancisci eodem modo posset? respondétque, quòd tametsi intenderit toti dominari populo, non tamen totum statim voluit regnum sibi comparare, sed tantùm per partes, ne si simul totum ambiat, totum etiam perdat, ait ipse: *Abimelech toti intendebat populo dominari: volebat tamen priùs dominari* 34. Judic. cap. 9. q. 2. In cap. 9. Judic.

*minari Sichimitis, ut posset tunc accipere reliquum Israël:* faciliùs erat à paucis adorari, quàm à cuncto populo coli; ut super omnes faciliùs regnum acciperet, maluit per partes Principatum adipisci, quàm statim totum enancisci regnum; moderari maluit ambitionem, quàm pleno impetu finere se ab ipsa abripi: Sichimitarum urbe possessâ arduum non fuit alias suo dominatui subjicere civitates, suúmque Imperium ad universum extendere populum. Pluribus, qui sentit, se pravie turbari intus affectibus, minimè ei desperandum, si omnes statim, non speret, forè, ut prosternat; satie, si unum, vel alterum vincat, singolósque successivè impetat, ut omnes dominio subjiciat rectæ rationis.

35. Scio Zachæum ardore magis devotionis, quàm curiositatis stimulo Sychomori conscendisse fastigium; sed scio etiam Christum monuisse descensum, ot tutiùs

Luc. 19. per gradus ascenderet. *Præcurrens ascendit in arborem Sychomorum, ut videret eum*, nimirum rapido cursu, pernicissimóque volatu, ac compendioso ascensu culmen præsumpsit perfectionie attingere, sed Christus jussit, eum ab eo descendere culmine; ne fortè lapsum pateretur gravio-

Luc. 19. rem: *Zachæe festinans descende:* non prohibuit eum tenere emineotiæ fastigium, sed rationabilem edocuit ordinem; subita siquidem probantur incauta, & hæc crebris inveniuntur obnoxia discriminibus, pulchrè

Serm. 54. Chrysologus. *Descende, ut deponas tanta fraudis onera, pondera cupiditatis, molem usurarum, magisterium Publicani, exactionis crudelissima Principatum; ut expeditus postea iustres paupertatis gymnasium, discipulatum misericordia, pietatis usum, patientia disciplinam, ut ad studia virtutum, scientiam divinitatis, tolerantiam passionum, philosophiam mortis, atque inter vitalis ligni ardua jam perfectus ascendas:* in sublime niti, fastigiúmque ascendere perfectionis, cuilibet datur laudi; si tamen ita conscendat, ut permaneat; utque ascensus lapsui obnoxius non sit, per partes fastigium adeamus perfectionis: rapidus enim cursus, & celerrimus lapsui faciliùs fit obnoxius, quàm virtuti inserviat: non carent periculo, quæ statim adeuntur

Cap. 14. culmioa, idque nos edocet Isaias: exemplo Luciferi celerrimum procurantis ascensum: *cecidisti de cœlo Lucifer:* & addit: *Abjetes, & Cedros lapsus plausisse*, subdene: *Abjetes quoque lætata sunt super te, & Cedri Lybani*; nimirum quia Cedrus cacuminis celsitudine quamvie alias superemineat arbores, non tamen statim summam illam enancisitur celsitudinem; sed plurium decurrentium annorum effluxu, prolixóque temporum decursu; & quia Cedri Libani observârunt Luciferum vano inflatum tumore summam statim attigisse eminentiam, ejue plausere lapsui inconsulti ascensûs pedissequo, pulchrè Tertullianus. *Siquidem, & illis nec-*

Lib. de an. ma cap. 19. *dum arbustulis, sed stipitibus adhuc, & surculis etiam nunc simul de scrobibus oriuntur, inest propria vis anima; verùm pro temporis ratione remoratur coalescens, & coadolescens robori suo, donte ætas adimpleat habitum, quo natura fungatur, aut unde mox illis, & frutices inoculantur, & folia formantur, & germina insiantur, & flosculi pinguntur, & suces condiuntur.*

Cùm ad proceram pervenerint arbores celsitudinem obnoxiæ fiunt ventorum 36. violentijs, æstuum ardoribus, gelidæque hyemis gelidis rigoribus, quibue sustinendie cum minimè pares sint, dant pœnas præproperi ascensus; & Abjetes lætatæ sunt super Luciferi lapsum, seu super pœnam, quam subire fuit coactus: id est, ait Hugo Cardinalis: *Principes sæculi, qui per Cedros Libani, & Abjetes sylvarum exprimuntur, lætantur de Principis ruina, quasi semoto obstaculo ambitus fiat expeditior.* Lætatæ sunt Cedri, seu Principes sæculi, quia arbitrantur in eorundem verti injuriam, si quispiam absque temporis suffragio culmen inscenderit Principatue, ad quem nonnisi per gradue conscenderunt, quotquot ejus tenent fastigium. Idque ut Samuel postulantibus Regnum indicaret; Regis ingenium declaravit, inquiens, *constituet sibi Tribunos, & Centuriones*, non dixit Centuriones, & Tribunoe, ut discerent non per saltum, sed per gradum ascendendum esse; nimirum ex dignitate tribunitia ad ampliorem Centurionis; quia ut rectè D. Gregorius Magnus. *Tribuni sunt,* In 1. Reg. 8. *qui incipiunt; Centuriones, cum in spirituali Magisterio perficiuntur*, & subdit paucie interjectis: *Electos quidem per virtutum gradus proficiscentes ostendimus*, nimirum cum Regis inaugurandi populo declaratur ingenium, Rex edocetur per gradus conscendere, suósque promovere per gradus, & non priùs Centuriones, quàm Tribunos eligere. Ab imperfectioribus ad perfectiora evehi ratio ipsa edocet, imò & ipsa æmulatio patienter suffert, & invidia minùs acerbè tolerat; sed statim ad gradum supremum pervenire volucribus pennis alicujus favoris, vel etiam auri præstigijs, ad invidiam excitat; ad suum evomendum virus æmulationem instigat, ac indignationem inflammat in reliquis, qui merito, & virtute majores ægrè ferunt in pumilione celsitudinem dignitatis.

Non speret quispiam plenoe de prostratis pravis affectibus referre triumphos, nisi 37. singulos gradatim per studia virtutum prostraverit; lucrari vitam non speret, qui quotidiè sibi, suísque non immoritur pravis affectibus; quia ubi affectus vivunt, ibi virtus, vel cæcutit, vel moritur: hinc David enixim Deum rogavit, ut lumen ei impertiret, quo mentis fuę turbatores videret, eósq; prosterneret. *Revela oculos meos, & considerabo mirabilia* Psalm. 12 *de*

*in lege tua*, quasi diceret, non me latet pijssime Deus, in lege tua sublimia, & inaccessa continieri secreta; sed ego homo sum ex humo compactus, carne pressus, variisque obnoxius insurgentibus in me affectibus; neque scio, quanta sit vis eorum, qui mentem meam turbant, excaecántque: enixim igitur pietatis tuae rogo viscera, ut digneris meos aperire oculos, offusámque à tumultuantibus affectibus dispellere caliginem. Nimirum rogavit, ut cognosceret, quos statim abigeret, vel radicitùs convelleret noxios affectus, quia ut scitè Seneca loquens de affectibus humanis. *Faciliùs est initia eorum prohibere quàm impetum regere*, si enim adoleverint, si virium subjecint incrementa, si toto impetu insolescere ceperint, nonnisi difficulter coërcentur, fraenáque ijsdem injiciuntur, quia sicut in praeceps data corpori nullum sui est arbitrium, sed irrevocabilis praecipitatio; & omne, quod ratio suggerere posset, consilium abscindit; perinde animus noster, si in pravos quosdam affectus se projecerit, haud facilè impetum reprimit, & natura ad vitium prona sinit, se ad ipsum trahi. Hinc nullum sanius, opportuniúsque consilium, quàm statim in ipso limine ijsdem insurgentibus obsistere; in cunis eos praefocare antequam vires enanciscantur: hac pugna paci consolitur, & tranquillitati animi, qui non fruitur tumultuantium affectuum fluctibus exagitari.

*Epist. 15.*

38. Haec est illa tanquillitas, quâ nil optabilius; haec illa pax, quâ virtutum florent studia: coërcitâ enim irâ, diremptis aemulationibus, deletis perpetua oblivione irrogatis injurijs, ac sedatâ caeterarum affectuum tumultuantium turbâ pax firma, & diuturna intus in animo instituitur, ubi nec tubae, nec litui audiuntur; & pietas erga Deum, quae turbulentissimorum affectuum procellâ penitùs obruta esse videbatur, è fluctibus vegetior emergit, & reliquarum virtutum laudata caterva ad omnes efflorescit delicias. Nemo non videt, quanta sit animi nostri tranquillitas, si tumultuantium affectuum sedatis fluctibus, sibimet vacet. Duae eidem insunt facultates caeteris praestantiores, intellectus, & voluntas, illo rerum omnium apprehendit species, per singula discurrit spatia, cujus ope, ipso tempore est homo rapidior, syderibus velocior; nec ullo indiget Empedoclis sanguine; nullo Zenonis igne; nullis Pythagorae numeris. Voluntate fertur in amorem, & odium; intellectu autem vera discernit à falsis, investigat remota, abstrusa cognoscit, & quò in eo praestando acutior est, & solertior; eò praestantiori pollet ingenio, quô singula quamvis abdita penetrat, terrarum partes quamvis disjunctissimas peragrat; Oceani tractus quamvis inter se longè, latéque diffuso divortio dissitos trajicit; imò & in coelum avolat, & ex-tempore intimiora pervadit terrae viscera: eáque est animi dignitas, ut velutì in arce positus singulis dominetur montibus, quibus si fraenos injecerit; & ad regulam composuerit rectae rationis, tranquillitate potitur, quâ coelesti quadam in terris donatur beatitate, rectè Augustinus. *Beati Pacifici (ait) in se ipsis, quia omnes animi motus componunt, subjiciuntque rationi: Beati, qui carnis concupiscentijs edomitis Regnum sunt Dei, in quo nihil non ordine agitur, in quo mens imperat, non reluctantibus famulis, seu corporis sensibus*, haec siquidem est illa pax nascente in terris Redemptore, ab Angelis proclamata hominibus bonae voluntatis.

*Lib. 1. de serm. Domini cap. 2.*

Verùm haec animi pax nonnisi per pugnas obtinetur; idque ut nos Deus edoceret; nonnisi inter bellicos tubarum clangores Moysi suam tradidit legem, quia nimirum ad castra vocamur, ad conflictus invitamur ab eo, qui suam nobis legem dedit: non speret fore, ut potis sit legem servare, qui contra hostes legis pugnare detrectar: carnis illicia, mundi illecebras, daemonis versutias nemo vincit sine pugna; saeviunt blandimenta carnis, cum alliciunt; enecant affectus concupiscentiae quando insurgunt, & eblandiuntur; imò ne insurgant ad internecinnem, non rescindendi sunt, sed radicitùs evellendi: qui malae arboris ramos amputat, & non radices convellit, nil efficit, quia repullulant ramusculi; qui, si iterum amputentur salva radice, iterum progerminant: animi insolescentes affectus septena illa imitantur hydrae capita, quae solo ferro amputata in alia repullularunt, donec ferro adderetur ignis, quo radix ipsa penitus extingueretur, ac cineficeret. 39.

Iracundia, & amor duo sunt in homine violentissimi affectus, qui leges non admittunt, nisi ferias, & severas, neque delentur nisi ferro, & igne, nisi radicibus evulsis. Ira siquidem non ut plerique alij affectus, animum solicitat; verùm, & abducit, imò & praecipitat: & licèt nemo velit adeò graviter hostem ferire, ut impactam in vulnere manum relinquat, & quam ab ictu inflicto non valeat retrahere; nihilominus hujus indolis est ira, quae vix retrotrahitur, eum longiùs excandescere coepit; & putârim errâsse priscos Poëtas, qui gehennales inter furias iram non retulerint, cùm haec à nollo abhorreat scelere, ut si quem ira suo fulmine feriendum destinavit, leniri haud aliter possit, nec ejus flamma sopiri, quàm multi sanguinis profusione. Naturam ira imitatur pyritis lapidis, qui quacunque ex parte cum silice collidatur, ignem evibrat, quia Proverb. cap. 29. *Vir iracundus provocat rixas*: & qui proni sunt ad iram, hi procliviores sunt ad omnia scelera; & vix est ulla pestis, quae lethaliùs hominem inficiat, corrumpátque, quàm affectus irae, & invidiae. *Nam virum stultum interficit iracundia, & parvulum* 40.

Lib. 4. de civit. *vulum occidit invidia. Itaque fratres amantissimi,* (ait Augustinus) *ne obsecro, tantum malum nobis inducamus; animæ morbum, rationis tenebras, à Deo alienationem, oblivionem familiaritatis, principium bellorum, plenitudinem calamitatum, Dæmonem pessimum, qui quidem tantò magis cavendus est, quò plures quotidie invadit.*

## §. VI.

### *Pravi omnes affectus, nisi statim coërceantur, hominem ab interna deijciunt animi tranquillitate.*

41. NOn solùm affectus iræ, & invidiæ hominem ab interna deijciunt tranquillitate; verùm & alij pravi affectus, qui nisi coerceantur; internum hominem turbulentioribus exagitant motibus, quibus miserè fluctuat, & plerunq; in scopulos impingit delictorum: hos inter affectus turbulentiores, agmen videtur ducere immodicum honoris, dignitatisque desiderium, ambitionis parens; & licèt ambitio sursum nitatur, adeò tamen intumescit, totúmque hominem inflat, ut plerumq; eum disrumpat, perdátque: ignorat naturæ leges ambitionis vernula, & eos duntaxat cognatos agnoscit, quos incrementis putat profuturos: sin verò arbitretur ipsos, vel parentes sibi obicem injecturos ad assecutionem concupiti honoris, naturam exuit hominis, & transit in truculentissimam feram. Nullus Eurus, Notúsque laxatis habenis tot excitat in mare procellas, quot ambitio fluctus commovet in animo decumanis turbulentiores: tametsi excelsia præsertim sit ingenijs innutrita, & non dicterijs fugilletur, sed adulationibus extollatur; omnium tamen paci deprehenditur adversa; omnium tranquillitati inimica: ubi enim ambitio intumescit, ibi cordis tranquillitas, mentísque malacia exulat; non inflatur ambitio, quin procellas cieat, fluctuantes cogitationes excitet, congestísque tetrorum consiliorum nubibus sus déque animum vertat.

42. Testis Abimelech ancillæ filius: Is demortuo patre eos ambitionis fovit spiritus, ut sibi Regnum nefarijs, detestandísque artibus procuraverit, fueritque enactus. *Abijt Abimelech filius Jerobaal in Sichem ad fratres matris suæ, & locutus est ad eos, & ad omnem cognationem domus matris suæ dicens: loquimini ad omnes viros Sichem: quid vobis est meliùs, ut dominetur vestri septuaginta viri omnes filij Jerobaal, an ut dominetur unus vir?* (Judic. cap. 9.) en qua versutia ambitio animos pervertit cognatorum? en quibus præstigijs consanguinitatis cæteros excludit à Regno, quo ipse solus potiatur? profani Numinis fana expilantur, pecuniæ divinitati sacratæ distrahuntur, aræ destruuntur, templa solo æquantur; exundat tellus ipsa fraterno sanguine immersa Sichem in campum contra alios prodit armatus: *dederunt illi septuaginta pondo argenti de fano Baalberith, qui conduxit sibi ex eo viros inopes, & vagos, secutíque sunt eum, & venit in domum patris sui in Ephra, & occidit fratres suos filios Jerobaal septuaginta viros super lapidem unum.* (Judic. cap.) Quot strages, quot clades ab uno depravati desiderij affectu, ab uno ambitionis tumore erruperunt; non satis fuit Abimelecho Numinis Fanum expilâsse; nisi in fratres debacchatus, eorúmque fuso cruore ebrius gehennalibus se furijs adsciviffet, & quamvis nulla pestiferæ ambitionis præcessissent exempla ab Abimelecho patrata, supersunt tamen semper execranda æquè, ac detestanda facinora.

Ita est, si semel turbulentus ambitionis tumor, pravíque desiderij affectus animo insederit, mentémque hominis possederit, pacem cordis corrumpit, animi tranquillitatem pervertit, mentis malaciam turbat, omnia evertit, quassátque ad feralem internecionem; *quia ambitio*, ut notat Arias Montanus *in cap. 9. Judic. Ad tumultus, atque turbas præcipiti impetu arripit, & composita Republica ruinam, in qua sese etiam involvat, molitur:* (In cap. 9. Judic.) id præstitit in Abimelecho, qui cùm primùm cepit pravo hoc affectu in corde turbari, mentéque fluctuare, statim maturavit strages, & fratribus necem intulit, totámque Rempublicam periculosissimâ turbavit procellâ, commovit tempestate: quia quos corruptus hic affectus inficit, cæcitas ad extrema pertrahit flagitia: de hisce enim loquens David ajebat: *Nescierunt, neque intellexerunt, in tenebris ambulant, movebuntur omnia fundamenta terræ.* (Psal. 81.) Nimirum prævideret Regius Psaltes feralem sacerdotum, Pontificúmq; ambitionem; quià truculenti livoris tenebris obcæcati, mundi Redemptorem in crucem erant acturi; & prædicit, solem tenebris tunc deturpandum, elocandos montes, saxa horrendis concussionibus conterenda, tellurem multiplici motu, scissúque dilacerandam, & omnia horrissona turbanda confusione. Illud enim Davidis, *movebuntur omnia fundamenta terra*, (Psalm. 81) tunc impletum fuit in nece Christi Domini, quando terra mota fuit, & petræ scissæ, & Pontifices Hebræorum sacrilega ambitione tumidi, ac cæci, adnixi fuerunt cœli Conditorem in terris perdere, & cruci affigere, quem neque protensa cœli spatia capiunt; & tunc creaturis omnibus bellum intulit eorum ambitio.

44. Hinc Magister Christus suos erudiens ad studia misericordiæ exercendæ, ait. *Cùm facie eleemosynam noli tuba canere ante te, sicut Hipocritæ faciunt in Synagogis, & in vicis, ut honorificentur ab hominibus* (Matth. 6) Vult Magister Christus suos Discipulos absque am-

ambitionis timore exercitiis vacare virtutum: qui enim ambitione inflantur, honorem evanidum, aurámque popularem, & laudis gloriolam ambientes tubâ canunt: sed cur sonitum tubæ cum profusis nectit Christus eleemosynis; *eum facis eleemosynam noli tubâ canere*, quæ affinitas tubæ cum eleemosyna? clangore siquidem tubæ invitantur in castris milites ad humani sanguinis effusionem; & eleemosynis ad nummorum profusionem: sonitu tubæ excitantur, qui castra sequuntur ad urbium direptiones, domorum expilationes; & eleemosynis ad exercitia misericordiæ, ad egenorum levandas miserias: sonitu tubæ bellum indicitur, oculi, manus, ardor animi, ad arma convertuntur, ut stantes cadant; eleemosynis verò eriguntur, qui ciciderant; sublevantur, qui lapsi in miserias fuerant: tubâ bellicâ nudantur gladii, spoliantur victi, & cæsi homines; eleemosynis vestiuntur, qui nudi erant: quæ igitur cohærentia tubæ cum eleemosyna? quæ affinitas clangoris bellici instrumenti cum exercitio misericordiæ? *cùm* Luc. *nulla sit fides, pietásque viris, qui castra sequuntur*? nil enim magis videtur ab eleemosyna distare, quàm bellica tuba, quæ classicum resonans ad pugnam vocat, ad vulnera infligenda, ad sanguinem effundendum; & eleemosyna ad miserias depellendas, vestium scissuras, & vulnera resarcienda, ac pecuniam refundendam.

45. Tametsi non bene videantur tuba, & misericordia simul cohærere, nihilominus aic Chrysologus, si cum eleemosyna tumor nectatur ambitionis, rectè cum bellica tuba copulatur, quia tunc misericordia transit in bellum, & periculo servit ipsum subsidium, ipsúmque levamen opprimit, auxilium damnum infert, suppetiæ gravamen adferunt; quia ambitio benefaciendo destruit; oppitulando ad castra vocat; & profusis eleemosynia bellum instruit, quo omnia turbantur, & à vitio fœdè deturpantur; nimirum ubi pravus animi affectus virtutia associatur exercitio cordis tranquillitati bellum indicit, pacémque adigit abire extorrem: quamobrem bene tubâ dicitur canere, qui ambitionia tumore eam inflat, ut eleemosyna, quam elargitur, omnibus ionotescat, ut inde evanidum aucupetur honorem; laudísque hauriat gloriolam: hinc Chrysologus: *bene* Serm 3. *tuba, quia talis eleemosyna hostilis est, non civilis; non misericordia dedita, sed clamori, seditionis vernula, non alumna pietatis; ostentationis nundinatio, non commercium charitatis*: vocat pravum hunc ambitionia affectum, seu desiderium honoris, *seditionis vernulam*, quia nimirum seditio semper est ambitionis pedissequa, & ubi pravus hic affectus tumet, ibi nulla tranquillitas, sed æstus fluctuans, procella sæviens, tempestas furens, unde scitè Isaias promissurus quietem terræ jugibus attritæ concussionibus, molestísque lassatæ perturbationibus, vult omnem ambitionis inflationem detumescere, & ipsam ambitionem extermiosndam, & ad inferos detrudendam: *Et erit in die illa cum* Isaia 14. *requiem dederit tibi Deus à labore tuo, & à concussione tua, & à servitute dura, quam ante servisti, sumes parabolam istam contra Regem Babylonis*, nimirum contra ambitiosum, cootta tumorem inflati desiderii, pravísque affectus.

Fuit enim Rex Babylonis, qui obsequia divino Numini præstanda sibi eupiit arrogare, séque temerario ausu in Numinum referre numerum: cùm verò detumuit à fastu, corruit percussus, cecidit exterminatus, omnia quieverunt, cum eo stante pacem ignoraverint; quia scilicet non poterant ob virium imbecillitatem ambitioso resistere, qui cum vellet perinde ac Numen coli, alieno prorsus à divinitate ingenio singula superbo pede conculcabat, & omnia sus déque subvertebat: hic corrupta mentis opinione sibi videbatur inter homines Numen: cum lumen rationis ambitionis turbo io ipso extinxerit, teoebris circumfusus cæcitatis, credebat se Deum, oon ad stellas accendendas in cœlis; sed ad sydera extrahenda è cœlo, ad bella inferenda Olympo, ad cœlos dispoliandos, & omnia in terris unguibus exacutis laceranda: ut igitur Isaias tranquillitatem spondeat, ambitiosum prorsus exterminandum asservit; quia pacis olea ibi frondescere oequit ac virere, ubi depravati affectus inflatus Aquilo rigidam advehit brumam, nec ibi potest tranquillitas florere, ubi mens pravis exagitata affectibus jugiter fluctuat. 46.

Placidæ in pacis gremio quiescebant Hebræi quamdiu Absolon delirio oon exarsit ambitionis; at cum primùm cepit pestiferâ ambitûs flammâ inardescere, pravóque desiderio sceptro regali inhiare, statim dissidentia fraterna capita lethalia coocipiunt odia, parantur arma, accersuntur milites, desudant bella, exuodant pericula, turbatur tranquillitas, cietur tempestas infami naufragio plures absorbitura: *Itaque egressus* 2. Reg 18. *est populus in campum contra Israël, & factum est prælium in saltu Ephraim, & cæsus est ibi populus Israël ab exercitu David, factáque est plaga magna in die illa viginti millium*, quia pravus affectus Absolonis non solùm cordis malaciam turbavit, mentisque pacem abegit; verùm & totius populi tranquillitatem armorum tumultu corrupit, cruoris effusione fœdavit, enectísque hominibus funestavit, campos arboribus, & fructibus spoliavit, lucos, sylvásque succendit, campos lacteásque herbas sanguine irrigavit: unus in Absolone depravatus affectus innumeras disseminavit in campis strages, cædésque cruentas, ac ferales clades, quibus luxerunt privatæ maritis viduæ, planxerunt orbati pareotibus filii, ullulârunt fœdatæ sanguine Matronæ; suorum cruentæ neci sponsorum fuerunt illachrymatæ puellæ, & omnia oppleta horrore, fœdata cruore, fune- 47.

 stata

*Homil. de Absalon.* stata cadaveribus, quia ut ait Chrysostomus: *Disponitur properè bellum, acies dirigitur, pugna paratur, cognata classes in semet ardescunt, unde parricida exercitum contra patrem inflammat:* neque sanguinis necessitudo, nec jura cognationis militum valuere furori fræna injicere, neque ardorem coërcere, neque insultus compescere; quinimò una cum pravo affectu, cum perverso regnandi desiderio, cum fraudulenta imperandi libidine, virium subit incrementum furor, qui ferro debacchatus, & igne luctuosissimâ clade omnia funestavit, & cum primùm pravus affectus Absolonem possedit, non solùm omnem ipse à se quietem abegit; verùm & extra se bellum indixit, ut pax exularet, tranquillitas perturbaretur, & omnia fus déque lachrymis, & sanguine madida subverterentur. Verùm dum transfosso è pectore penduli è quercu Absolonis pravus exhalavit affectus, ac regnandi desiderium, simúlque tumor ambitionis detumuit; pax rediit, & tranquillitas refloruit.

48. Malus affectus nihil non machinatur ad perniciem, nihil non molitur ad invehendam calamitatem, nihil non meditatur ad turbandam tranquillitatem, pacémque cordis abigendam: hinc evangelicus ille pater filii prodigi tamdiu patienter tulit errores filii indulgentis libidini, quamdiu pravus nullus affectus fraternæ paci adversaretur: at cum reduce prodigo novisset fratrem natu majorem odio inflammari, statim cucurrit fraternam charitatem anxio corde suasurus: *Luc. 15.* *Indignatus est, & nolebat introire: pater ergo illius egressus cepit rogare illum:* sed cur non statim egressus est salacem filium revocaturus? & non distulerit flammam sopire indignationis? respondet S. Chrysologus: *Serm.* *quia cor patris anxium variis arctatur motibus filiorum, & inter diversos pignorum casus, genitoris pietas stupefacta discurrit: quia videt fratrem fratris reditu mox fugari:* quamvis ad clementiam pronior pater viderit prodigum pluribus sordidatum libidinibus, adhuc tamen duris non arctabatur angoribus; cum speraret fame retrahendum, & ad saniorem reducendum frugem: verùm cum primùm novit fratrem natu majorem pravis turbari affectibus, odiúmque in redeuntem fratrem minorem natu concipere, timeos utriúsque luctuosam stragem, cruentam cladem; statim exivit eum rogaturus, ut pravum omnem deponeret affectum, à quo nil nisi funesti, ac cruenti sperari potest.

49. Est pravus affectus spiritus ille pessimus, qui oil molitur, nisi pacis oleam excindere ferro belli; & malaciam tranquillitatis æstuantibus perturbare fluctibus per versarum cogitationum: *Judic. 9.* *Misit Dominus spiritum pessimum inter Abimelech, & habitatores Sichem,* seu ut plures explicant interpretes, permisit affectum malum mutuum inter Abimelechum, & Sichimitas: nimirum ad vindictam flagitiorum non fuit ejaculatus è summo cœlo ferales flammas, non evocavit è gehennali specu debacchantes Megeras; non armavit ad pugnam elementa; non excitavit montes, qui suis lapidibus delinquentes obruerent, non terræ sinum discidit, ut unico hiatu sceleratos deglutiret Orcus; sed mutuum malum affectum prodire permisit in campum, quò utriusque partis ferale, cruentúmque non dubitaretur excidium.

50. Bellum statim indixerunt pravi affectus; & pacem, quam intus è corde abegerant, etiam exteriùs exulem, & extorrem voluerunt ab hominibus inter quos tubarū clangoribus classicum cepit statim obstrepere, & dissidium pravorum affectuum incepit manus armare districto ferro, gladios nudare, acuere, vibrare, in acie jaculorum nimbos jacere, telorum procellas excitare, pulvereas nubes, clamores inconditos, pugnantium strepitus militum, clypeorum collisiones, gladiorum ictus, noctem, diem, luctum, occes, horrorem vasta commiscere confusione, quâ conciduntur agmina, disrumpuntur legiones, vulnerantur milites, funditur sanguis, obtegitur tellus sauciis, enectisque cadaveribus, & civitas ipsa Sichimitarum tota evertitur, domus expilantur, sale sparguntur plateæ, fœcunditas omnis impeditur; Abimelechus occumbit, Sichimitæ flammis intereunt, & ipsum Baalberith cinerescit adustum. Has omnes strages, cladésque cruentas nonnisi pravi excitârunt affectus, qui plerumque audaciâ plus quàm Scythicâ, sævitiâ plus quàm barbarâ, immanitate plus quàm belluina sæviunt, grassantúrque, & ubique debacchantur pacem exterminantes, tranquillitatem deturbantes, & omnia horrore, & ferali opplentes confusione.

## §. VII.

### *Pravus affect⁹ est intùs nocentior, quàm exteriùs quivis armatus hostis: plúsque David Saulis timuit invidiam, quàm Goliathi vires, & Leonis rugitus, & ungues.*

David cum pravi affectus iniquissimas novisset technas, fraudulentásque tendiculas, quamvis ausus fuerit cum Dœmone congredi, non tamen sustinuit malè affecto appropinquare, Occupaverat Saulis pectus nequissimus spiritus, cúmque pharmacum abesset, adesse jussus est David, qui harmonico cantu spiritum nequam abigeret: *Quandocumque spiritus Domini malus arripiebat Saul, David tollebat citharam, & percutiebat manu sua, & refocillabatur Saul, & levius habebat: recedebat enim ab eo spiritus malus,* cúmque citharæ pulsu pugnâsset David, ac vicisset Dœmonem, quem ad fugam adegit; Goliathum non citharâ, sed fundâ, non pulsu fidarum, sed lapidis jactu prostravit; nimirum Gigantem vicit, qui Dœmonem abegerat; fortassis, non prævaliturus fundâ, nisi chelí hostem fugâsset 51. 1. Rg. 16.

tartâ-

tartareum, Dœmonem vicisset. Repetitis tamen geminati triumphi acclamationibus exasperatus Saul pravum incipit affectū fovere in perniciem victoris Davidis; invidiâ laborat, livore corrumpitur, pacem, animique tranquillitatem abigit, fluctuare perniciosis incipit motibus; jamque malè affectus in Davidem insurgit Saul: *Non rectis ergo oculis Saul aspiebat David à die illa.*

Verùm cùmque non post multum temporis effluxum, iterum Saul à Dœmone vexaretur, adhuc Davidem accersitum voluit; quamvis populorum repetito plausu sibi minimè gratum; jussitque consuetum adhibere alexipharmacum, quo Dœmon fugæ se daret, obsecuturus Davidi; *Psallebat manu sua sicut per singulas dies, tenebâtque Saul lanceam, & misit eam putans, quòd configere posset David cum pariete. Et declinavit David à facie ejus secundò*: & cum constiterit tartareum hostem Davidis psalmodiâ fuisse depulsum, & ipsum Davidem cecinisse, non videtur telum à Dœmone fuisse contortum, sed ab invido Saule jactum. Sed cur David, à quo tartareus fugiebat hostis, statim aufugit à Saule? si non timuit congredi cum Goliatho, cur præliari cum Saule expavit? si vel solo lapidis jactu gigantem prostravit, an non districto gladio pugnare potuit cum Saule? Verùm non timuit David Saulem, sed in Saule pravum affectum, efferatum extimuit spiritum, quem fugâ maluit declinare, quàm cum ipso congredi: approximavit David Sauli à spiritu nequam exagitato; sed fugit Saulem à Dœmone liberatum, non quòd Saulem expavesceret; sed quia in Saule pravum timeret affectum.

52. Erat Saul malè affectus in Davidem; invidiâ ob geminatas acclamationes populi, ob choros puellarum plaudentium Davidi, torquebatur; livore corrumpebatur, ideóque in homine timuit depravatum affectum, malvítque cum dœmone congredi, cum Goliatho pugnare, cum leonibus dimicare; quàm cum malè affecto Saule conversari; nec vanam fuisse suspicionem depravati affectûs, edocuit effectus: etenim qui à Dœmone exagitatus telum non fuerat ejaculatus, pravo mox armatus affectu sagittam in Davidem contorsit, & ut ait Basilius Seleuciensis: *Paulum à Dæmonis exitu levatus Saul, & adversorum detersâ caligine in Davidem, quem præsentem cognoverat bastam ejaculatus medicina pretium eadem obtulit.* Quem Dœmon non impulit ad Davidis internecionem, hunc pravus affectus coëgit ad pretium medicinæ cruenta cæde compensandum.

53. Quid perniciosius, quid feralius pravo affectu, cùm beneficia vulneribus compenset? plus nocumenti intulit pravus affectus in Saule, quàm hostis tartareus. Hæcque ratio, cur D. Paulus Galatas præservaturus à ferali excidio omnes jussit pravorum radices affectuum divelli, omnique studio à dissidiis, mutuisque odiis abstinere: *Per charitatem spiritus servite invicem: omnis enim lex in uno sermone impletur: Diliges proximum tuum sicut te ipsum, quòd si invicem mordetis, & comeditis, videte ne ab invicem consummemini*, quasi diceret, si dissidia inter vos exoriantur, si canum instar vos ipsos mordetis, procul dubio consummemini: vices siquidem Dœmonis gerit pravus affectus, quem fovetis, multámque vobis ipsis, ac Inctuolam adferet stragem, rectè S. Ambrosius: *Manifestum est quia dissensio fratrum inimica est dilectioni, ideo monet, ut pacifici sint proficientes in bono: contentiones enim generant jurgium, cujus fructus est vita consumptio*: & quidem utriusque altercantis, quia dum quisque livido dente æmulum impetit, remunerationem patitur, ac consumitur.

Nil hominibus magis noxium, nil tetrius pravo affectu, cujus impetu quasi extinguitur lumen rationis, vel eas offundit cæcitatis caligines, ut quò sit eundum non videat, turbatúrque animi tranquillitas, & totus homo intus confunditur, & nisi primo ejus obsistamus assultui, nisi arcem mentis custodiamus, facilè evercimur, sive ex uno, vel altero nos latere aggrediatur: cùm pravus affectus in omnes, ferales suas spargat flammas; debemus frœnum eidem statim injicere, ne conceptus ignis in incendium excrescat. *In omnes personas* ait Seneca: *exardescit hic affectus tam ex amore nascitur, quàm ex odio: non minus inter seria, quàm inter lusus, & jocos: nec interest, ex qua magna causa nascatur; sed in qualem perveniat animum, sic ignis non refert, quàm magnus sit, sed quò incidit, nam arida se intellam quaque fovent usque in incendium*: loquitur Seneca de ira, quæ etiam ex lusu, & joco suas haurit flammas, quibus exardescit: & sicut ignis cumprimùm accenditur in palea, vel arido ligno faciliùs extinguitur, quàm si uberiores enactus vires incrementum subeat flammarum; ita cùm primùm insurgunt, nósque impetunt pravi affectus facilius sternuntur; quàm si toto impetu irruant: eisdem tamen semper obstandum, quia ut ait Seneca: *Nil est tam difficile, & arduum, quod non humana mens vincat, nullique sunt tam feri, & sui juris affectus, ut non disciplinâ perdomentur.* 54.

## §. VIII.

### *Ne pravi intus affectus mentis arcem evertant, in id studii incumbendum est; ne per externorum sensuum januas ullus iisdem pateat accessus.*

Necesse est invigilemus, & inconcussâ pectoris firmitate primos præsertim impetus coërceamus, ne tranquillitatem ab animo abripiant, quia ut *Luc. 11.* 55.

*Cum*

Marginalia: 1. Reg. 18. — Orat. 16. — Ad Galat. 5. — In epistol. ad Galat. 5. — Epist. 12. — Lib. 2. de ira.

*Cùm fortis armatus custodit atrium suum in pace sunt ea, quæ possidet;* non sufficit, si fortitudine sit loricatus, quia nisi excubet, in pace non erit; imò nec sufficit, solas excubias agere, nisi etiam in atrio vigilet, illúdque districto gladio custodiat: nimirum non sufficit muniisse cordis arcem firmo proposito, rectâque intentione, nisi ulteriùs custodiantur atrii portæ, seu corporis sensus, per quos, quasi per quasdam patulas januas pravorum affectuum in animâ est ingressus: per incuriam enim in custodiendis sensibus simus & nos incurii, prorsúsque insensati; sunt corporis sensus patentes illæ januæ, per quas ingreditur pravus affectus editurus enormes in animo strages, in pectore clades, totámque eversurus interiorem Rempublicam. Non imitemur Celtas, qui januas ædium nunquam claudunt, & quotum propterea ædes frequentiùs expilantur.

56. An non reperiuntur Celtis persimiles, qui summâ imprudentiâ, & incuriâ sic patentes latè sensus, & apertos habent, & ad omnia excipienda paratos, ut insidiantem pravum affectum, & ad portas volitantem, cùm Dœmone videantur velle invitare? Lugenda sanè est eorum insania, qui cum utantur summâ licentiâ, sensuúmque effrœnata libertate, oculos semper adaperiunt huc, illúcque vagantes, gestientes, lenocinantes; aures prurientes, & quibuscúnque excipiendis inhiantes; tactus ad lasciviam proniores, aliósque sensus ita solutos, ut iisdem solas aucupentur voluptates: falluntur quotquot indulgent sensuum libertati, si tutos se credunt, si periculo vacuos se autument, si præsidio fidant propriæ constantiæ: quinimò vicini sunt exitio, proximi præcipitio, qui sensuum obsequentes lenociniis, & haurientes utrinque voluptatem, adapertis sensuum januis, omne genus licitæ, & illicitæ delectationis apertis ut aiunt ulnis excipiunt; perinde ac lucri causâ campo exteros quosque hospites: non mirum si pravi plerumque ingrediantur affectus, qui mentis nostræ expugnent arcem, pacem ex corde abigant, tranquillitatem è mente dejiciant, sibique subjiciant animi potiores etiam facultates, quas flectant, quò magis iisdem libuerit. Nisi sensus exteriores frœno coërceantur rationis, nisi jugi, vigilique custodiantur excubiâ, patet aditus ad pravos quosque affectus, ob sensus siquidem absque cautela custoditos cupimus, irascimur, gestimus, invidemus, æmulamur, amamus, lætamur, dolemus, odio habemus, desideramus, soliciti simus, & id exequimur, quod fecisse nos postea pœnitet.

57. Ubi igitur per sensuum externorum januas in mentis arcê ingressi fuerint insolescentes, pravique affectus, actum est de interna animi quiete, de pacata cordis tranquillitate: *respexit oculus,* ait S. Ambrosius: *& sensum mentis invertit: audivit auris, & intentionem inflexit, inhalavit odor, & cogitationem impedivit, os libavit, & crimen retulit; tactus contigit, & ignem adolevit;* nisi custodiantur sensus exteriores, nisi frœnum oculis præsertim injiciatur, mentem effæminant, ceteráque reddunt ad quasque libidinis suscipiendas titillationes: oritur enim hujusmodi effæminatio, seu in vitium pronamollities ab ea corrupta voluptate, quæ nobis congenita, intimisque indita visceribus, contagione sua totum inficit hominem: per has externorum januas sensuum patet pravis affectibus aditus in intima mentis adyta, ubi fugatâ tranquillitate, proscriptâ pace, turbulentissimi in nostram perniciem insurgunt motus, quibus difficiliùs obsistimus.

De fuga sæculi cap. 1.

Custodiendum est atrium, omnísque intercludendus aditus, ut ne rimulam quidem inveniat pravus concupiscentiæ affectus, per quam intus possit irrepere blanditiis, ac lenociniis eò nocentioribus, quo latiùs nobis videntur arridere: obsistendum toto nisu, totísque viribus est pravis hisce affectibus, ne januas exteriorum sensuum occupent, quia si semel iisdem adhæserint facilè ipsa potiuntur arce: possessio siquidem, ut loquuntur Jurisconsulti acquiritur, tametsi per angulum quis ingrediatur: quod vel maximè verum in ipsis pravis affectibus, qui mediante sensuum voluptate tutam ad expugnationem arcis, seu mentis, viam sibi sternunt. Ne igitur nobis bellum indicant, nostram evertant tranquillitatem, mentémque expugnent, omni studio, omnique solicitudine custodiendum est exernorum sensuum atrium, hoc vestibulum valladum est arctiori custodiâ, ne ab animi dejiciamur tranquillitate: non sufficit fortitudine pectus armâsse, nisi instar centoculi Argi custodiæ invigilemus nostri atrii: etiam Samson fortitudine loricatus terrori fuit Philistæis, & nihilominus quia sui atrii incuriosus, quia ejus custodiam neglexit, & in fœminæ gremio recubuit, quem Philistæi armato agmine in campo non vicerunt, pravus affectus in sinu fœminæ prostravit; pravúsque amor, quem in Dalilam fovebat, suo telo confodit. Nihil profuit Salomoni Sapientia cumprimùm neglexit fœminas alienigenas à suo abigere conspectu: pravus enim in easdem affectus ex specula eum dejecit rationis, detrusitque in cœnum pudendarum turpitudinum. 58.

Quinimò nec atrium custodisse sufficit viro forti, si fortior supervenerit, quia *si fortior eo superveniens vicerit eum, universa arma ejus auferet, in quibus confidebat, & spolia distribuet*, ubi enim validiores sue perveniunt vires, cedunt, quæ præcesserant, tametsi fortitudine glorientur; quia à fortiori fortis vincitur. Non satis est, pravum semel vicisse affectum; non sufficit eum prostrâsse, nisi omni armorum genere spolietur, nisi viribus destituatur; alioquin si fortior insurrexerit, etiam victorem prostrabit, & de eo, à quo fuerat ipse victus, triumphos hauriet; occasiones ad turpia, ad indecora 59. Luc. 11. 22.

ad

ad scelera arma sunt, quibus pravi muniuntur affectus: declinandæ occasiones ad scelera sunt, ut hostes exarmentur: nec sufficit, partem abstulisse armorum, si adhuc hosti relinquamus, unde validè possit nos impetere. Etiam David licèt bellica munitus fortitudine, eò quia solos oculos curiositati permiserit, sauciatus in corde à pravo affectu in Bethsabéam fœdè cecidit: cùm post epulas horas pomeridianas diutno somno dedisset, in domus regiæ solarium refrigerantis auræ captandæ causâ adivit: ubi incustoditis oculis, quia subjectam hortulorum amœnitatem lustravit, ubi ager irriguus, comæ arborum, susurri avium, fontium specula, rivulorum pellucidi latices, aquarum decurrentium murmura plurimum non solùm oculis attulêre oblectamenti, verùm etiam auribus lenocinii; contigit, ut tunc Bethsabea contra solis ardorem se ad salientem fontem incautiùs aliquantum renudato corpore se ablueret, lascivientes inter herbarum virores, cum floreret ipsa ætate; in quam cùm Rex oculos injecisset, aditum per eosdem pravo concessit affectui, quo cepit statim turbari, ac pravo amore inflammari, misitque exquirendum de genere, nomine, vitæ conditione, cúmque omnia sigillatim didicisset; cùm sibi tunc Rex debuisset imperare, pravo affectui maluit inservire, ac præconcepto famulari amori: accersivit mulierem ad regiam, quam de sui corporis etiam interpellavit usura, & illa nil obluctata, desiderio satisfactura Regis, in scelus proruit; Cecidit David cùm primum è somno surrexit: [Reg. 18.] *accidit ut surgeret David de strato suo post meridiem.* Oh quàm proclivis transitus ab otio ad vitium! à cibo, & potu ad venerem! rectè Diogenes pravum amoris affectum negotium dixit otiosorum: non tot sciutillas exardescens fornax ejaculatur, quot pravos affectus suscitat mens otio marcescens: somnus ille diurnus, & pomeridianus, dœmon fuit ille meridianus, à quo postea enixim petiit liberari: sagitta pravi amoris volavit in die, & lethale inflixit vulnus; unde cautior factus petiit, ut caveret [Psalm. 90.] *à sagitta volante in die, à negotio perambulante in tenebris, ab incursu & dæmonio meridiano.* Quàm insidiosum speculnm fœminea formositas! cùm etiam procul aspicientes urat: quàm dolosus arcus! cum simul telum jaciat, & vulnus infligat lethale; rectè [In Psal. 50.] Augustinus, *De longè vidit illam, in qua captus est: mulier longè; libido propè. Alibi erat, quod videret: in ipso unde caderet.* Quàm subdolus, quàm nequam pravus affectus! blanditur à longè, ut proximiùs feriat; eminùs allicit, ut cominùs enecet; arridet, cum distat, & lachrymas movet, cùm adest, pulchrè S. Gregorius: *lascivus Davidis affectus scintilla fuit, quæ cum in paleam, seu fœmineam formam incideret, momento rapuit flammam, & fœdi amoris excitavit incendium.* Intueri non licet, quod non licet concupiscere. David quamvis de longè mulierem viderit lavantem se in fonte, adhuc ex frigidis illis laticibus æstus, flammásque hausit concupiscentiæ; mulier longè visa propè concupiscentiam movit. S. Augustinus. [In Psalm. 50.] *De longe vidit David illam, in qua captus est: mulier longè, libido propè.*

60. Quamvis David bellicâ fortitudine armatus fuerit, quia tamen atrium suum minimè custodivit, quia pravo affectui per oculos aditum aperuit, quo mentis arcem ingrederetur, fœdè statim cecidit à pravo, quem introduxerat prostratus affectu. Neque tranquillitati, cordisque quieti, à qua fuerat dejectus, quamdiu titillanti indulgeret concupiscentiæ, propriæque satisfaceret libidini, restituitur: id enim habet pravus affectus, prudentiam simul eliminare, & tenebras offundere cæcitatis: ad id lapsus etiam fuit imprudentiæ David, ut patratum à se crimen suis etiam aperuerit famulis ignorantibus quid animo designâsset Rex, cum jusserit ad se Bethsabæam evocari. Quàm potens, quàm validus pravus affectus! cum Davidem; quem nec leo in sylva terruit, nec ursus in campo læsit, nec Goliathus in castris perterruit, nec millena tela fregerunt, hunc vel unicus pravus affectus edomuit, vicit, prostravit. Quàm fœdè labitur homo cum brutæ voluptatis æstro exagitatur? Quàm vecors David? cum primùm cepit à pravo occupari affectu in baratrum præceps ruit scelerum, ceciditque ab omni mentis tranquillitate, cordísque pace: ibi nulla quies, ubi pravus affectus prævalet; quia ut scitè Chrysostomus: [Homil. 3. de verbis Isaiæ.] *quæ potest esse voluptas, ubi metus, ubi discrimen, ubi tantorum malorum expectatio, ubi tribunalia, ubi accusationes, ubi Judicis ira, ubi ruina, ubi gladius, & Carnifex, ubi baratrum, ac deploracio? & ponamus hæc omnia tolli, quomodo feret conscientiam redarguentem, quomodo sustinebit cœlestis Curiæ sententiam, tribunal illud, quod neque pecuniâ corrumpitur, nec adulationibus acquiescit, nec potentiâ reprimitur, nec mendacio eluditur.*

## §. IX.

### *Pax cordis non paratur, nisi pravis omnibus affectibus bellum indicatur.*

61. NOn solùm pravus lascivientis amoris affectus internam corrumpit pacem, evertitque animi tranquillitatem, & procellam excitat, quâ mens fluctuat, impellitúrque ad naufragium; verùm, & alii corrupti affectus in id unum conspirant, ut hominem à tranquilla pacatæ mentis malacia dejiciant, turbéntque, ac inter offusas cæcutientis appetitus caligines pertrahant in exitium: unde beatus sanè ille, qui sibi invigilans hunc vitiosorum affectuum à se procul abigit exercitum; hi verè sunt beati pacifici, qui

qui in se ipsis deptavatis affectoum motibus fræna injiciunt, pravásque omnes passiones animi componunt, subjiciúntque rationi: hi verè beati,& pacifici, qui carnis concupiscentiis edomitis pacis oleâ semper virent, eò quia mentis ratio non sinat reluctantes insurgere depravati appetitûs affectus. Hæc est; illa pax, quæ nascente Christo fuit hominibus bonæ voluntatis ab Angelis proclamata: *Et subitò facta est cum Angelo multitudo militia cœlestis laudantium Deum, & dicentium gloria in altissimis Deo, & in terra pax hominibus bona voluntatis:* hæc est multitudo militiæ cœlestis hanc pacem annuntiavit, quia nonnisi per arma, & pugnas pax cordis, animique tranquillitas obtinetur, quia nonnisi post relatû triumphum de prostratis rebellantibus affectibus pax ista invenitur; non est pax, quam conflictus non præcessit, non floret hujus pacis olea, nisi cùm arescunt, viribúsque destituuntur pravi in animo affectus; non crescit, nec viret hæc olea, nisi radicitùs evellantur luxuriantes abjetes pravorum affectuum. Luc. 2.

62. Nascente in terris Christo, descendit de cœlo multitudo militiæ, non tamen ut cœli milites bellum indicerent hominibus, sed ut pacem inducerent; ut inde sciremus eum cœlesti tandem recreari pace, qui militem egit, qui pugnavit cum suis concupiscentiis, qui irascentem subegit appetitum, qui cum mundo conflixit. In terris inermium est pax; cum bellum armatus congerat, gladios apparet, & reliqua bellica instrumenta coacervet, quibus furori ministretur, odio debacchanti inserviatur: sed inverso ordine in castris Dei otio indulgentes, & arma detrectantes sævo exagitantur turbine passionum, contra quas nisi pugnent, expugnantur; nisi acriùs insurgant, fœdè cadunt: bellum decet Christi milites, ut interna recreentur pace; ut vera fruantur animi tranquillitate, ineundum est hoc bellum contra rebellantes utriúsque appetitûs concupiscentis, & irascentis deptavatos affectus; discinctum voluptatis mancipium tot patitur irruentes in se hostes, quot insurgunt vitia. Quod enim fertur Moysi contigisse, id Christiano militi obtingit; ibi enim cantus exauditur, & exultatio, ubi armorum fremitus perstrepit; ibi triumphat vera tranquillitas, ubi internâ pugnâ rebellantes prosternuntur appetitus; ibi pax surgit, ubi priùs cadunt, quàm insurgant contra imperium rationis obstrepentes motus concupiscentiæ: vix in interno certamine à tympano tuba distinguitur, quia pacis tripudia, armorum miscentur fragoribus: est enim pax cordis bellum pravo non solùm indictum cuique affectui, verùm, & peractum: hinc Christus suis pacem relicturus Discipulis, gladium iisdem imperavit: quique pacem dedit, bellum se intulisse fatetur; quia non paratur pax vera, nisi bellum præcesserit, in quo si sanguis non effunditur, lachrymæ plerumque funduntur, quibus concupiscentiæ flamma extinguitur; si humano cruore, non rubet tellus, madet tamen frons pugnantis generoso sudore; si non cadunt multo confossi vulnere homines, prosternuntur tamen quotquot insurgunt concupiscentiæ pravi affectus.

63. Sed quæ affinitas terrenæ pacis cum cœli gloria? *Gloria in altissimis Deo, & in terra pax*, an quia re nulla Dei gloria amplificatur uberior, quàm in terris pastorum concordiâ? inducitur enim in terra pax hominibus non quibuscunque, sed bonæ voluntatis, uti fuerunt pastores Christo nascente, & Christo nunc mortuo sunt in Ecclesia Præsules, seu pastores dominicum pascentes gregem, quorum pace, & concordiâ vel maximè in terris divina gloria dilatatur, ac incrementum subit; tametsi sint pastores omnes bonæ voluntatis, hos tamen plerumque zelus in diversa, imò & inter se se contraria abripit, & unius sententia adversatur placito alterius; & quia quisque proprio movetur zelo, nonnisi difficulter conveniunt, cohærentque simul; ut faciliùs plerumque concordent homines malæ voluntatis, quàm pastores, quos zelus, & bona voluntas in diversa distrahunt. Optanda in terris est pax pastoribus bonæ voluntatis, ut gloria Altissimi dilatetur inter homines, & canâ undique possit gloria in altissimis Deo. Plerumque qui inter pastores zelus dicitur, affectus est animi vel invidentis, vel æmulantis; & hic coërcendus est, ut suum exerceat imperium, sceptrúmque stabiliat. Luc. 2.

64. A vera cordis pace aberrant, qui hos exerrantes animi motus non compescunt, & iis, qui inserviunt, jugiter fluctuant. Vidi ad triremes damnatos quasdam habuisse remorum inducias, nonnullas laborum ferias, ut defatigata membra indulgentiâ quietis restaurentur: sed qui fluctuantibus famulantur affectibus, quieto nunquam vivunt animo, quia unus ex alio cogitationum nascitur tumultus: hinc monet nos Ecclesiastes, ne pedissequi simus concupiscentiarum *post concupiscentias tuas non eas.* Naturam equi videtur appetitus rationi reluctans induere, plerumque refractarius est, & tunc fræno coërcendus; nonnunquam deses, & calcaribus tunc urgendus; & nunquam reluctanti indulgendum, quia ut scribit Apostolus: *Si secundùm carnem vixeritis moriemini, si spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis*, nimirum nisi pravi in nos affectus prosternantur, ipsi nos fœdè prosternunt, enecántque, sin verò carnis concupiscentias coërceamus, surgimus ad victoriam. Cap. 18. Ad Roman. 8.

Servus est, qui proprio obtemperat appetitui; famulatur concupiscentiæ, cui ad nutum paret: herus autem, si pravos

vos quosque affectus coërceat, flectátque prout ratio consultiùs dictaverit; nemo majus obtinet Imperium, quàm qui sibimet imperat; quàm qui ipse sui est Dominus: nulla est servitus deterior, nullum durius famulitium, quàm suis servire affectibus; neque ulla gloriosior victoria, nec illustrior triumphus, quàm se ipsum vicisse, quàm proprias profligâsse passiones. Affectus verò suos is vincit, qui eisdem non vult servire: *servit autem* (ait Ambrosius: *quicunque metu frangitur, vel delectatione irretitur, vel cupiditatibus ducitur, vel indignatione exasperatur, vel mœrore dejicitur*: hæc est turpissima illa servitus, quâ quis post suas abit concupiscentias, quâ proprio obsequitur appetitui, quâ finit à quovis impetu reluctantis affectus trahi: *neque ulla est servitus turpior* ait Seneca: *quàm hæc voluntaria, cùm alius libidini, alius avaritiæ, alius ambitioni servit*, est eò turpior, quia voluntaria; & eò servitus durior, quò libera: vir enim malus quamvis regnet, non imperat, sed servit, & quidem non uni tantùm Domino, sed pluribus, quot sunt vitia, quibus indulget; appetitus, quibus obsequitur; concupiscentiæ, quibus famulatur.

Lib. de Jacob, & vita. | Epist. 47.

66. Tot sunt cupiditatum genera, quot humanorum vultuum formæ, quæ tametsi ex æquo sint omnes formæ hominis, maximam tamen invehunt varietatem: perinde hominum concupiscentiæ, & affectus rationi reluctantes; plures enim fœdâ exæstuant libidine, alii exardescunt irâ, illi eortumpuntur livore, alii torquentur invidiâ, multos odium exagitat; hos amor, quò vult trahit; nonnullos tristitia affligit; quosdam gaudium exhilarat, plerosque spes erigit; & desperatio alios deprimit, prosternit, agitque præcipites in exitium: ille auri amore capitur, hic desiderio honoris ardescit; iste camæleonte vanior aurâ pascitur populari; alius gloriolam aucupatur, is ambitione inflatur, & quia omnes pravis suis inserviunt affectibus à vera exulant tranquillitate; cum nemo ex iisdem sit, cujus animus fluctuantibus non exagitetur cogitationibus; & quamvis nemo sit, qui putet, hos inter fluctus naufragiis obviare; singuli tamen vel nolentes exitium quærunt, quia ut rectè D. Gregorius: *Reprobæ menti valde placet, quod concupiscit, sed in æterna pœna quod ei modò est dulce, amarescit.*

Lib. 4. in I. Reg. 14.

67. Putant ventri, & abdomini addicti in esculentis, & poculentis felicitatem enascisci, sed potantes exitium ebibunt, haustúque necem demittunt in stomachum. Credunt alii se beatos fore, si auro inhiantes suam possint sitim explere coacervatis divitiis; vitiis tamen divitiis affinibus simul indulgentes pretiosa virtutum supellectili animum spoliant, & pannosam, vilémque paupertatem, ad se trahunt, licèt putent divitiis affluere: sperant plures fore, ut verâ potiantur beatitate, si veneri addicti fœdis libidinibus suas expleant concupiscentias; sed morbo laborant, & pravis infecti concupiscentiis æstu febrili flagrant; teste enim Ambrosio: *febre libido flagrantior est, gravius que inflammat, & præcipitat: sed ubi quis resipuerit à furore, tunc conscientia visus aperitur, & sui unusquisque facinoris pudendam turpitudinem erubescit*: nemo eâ, quam sibi fingit, putat perire felicitate; & nemo revera est, quem ficta hæc beatitudo non pertrahat in exitium. Auri fames ad omne scelus accommodatum est calcar, non sedatur desiderio lucro, sed incitatur; non extinguitur congestis divitiis auri sitis, sed uberiùs exardescit; non quiescit concupiscentia, si fœdo volutetur in cœno libidinum, sed inde uberiores nacta vires acrioribus motibus sensum stimulat: odium, & invidia pertinacissimi animi morbi, nisi in incunabulis pereant, cum homine senescunt, quem jugiter torquent, dilacerántque. Gula eò plus castitati nocet, quò uberioribus nutritur illecebris: nisi hi omnes pravi affectus à recta deflectentes ratione coërceantur, neutiquam reor sperandum fore, ut iisdem inserviens interna donetur cordis pace, ac veta potiatur tranquillitate.

Lot. cit.

Exæstuantis concupiscentiæ motus refrigerandi omnino sunt, & extinguendi cœlesti nive, seu culturâ pudicitiæ, studio victutis, custodiâ castitatis: ad id autem necesse est abigatur torpescentis naturæ frigiditas; exeutiatur humanæ segnitiei glacies; quia ebullientem animi pestem fovet potiùs, quàm extinguat: pellucidi putitatis rivuli carbones obruunt desolatorios, quos æstuans concupiscentia accendit. Cum primùm æstus suos emittit ardores extinguendus est, ne laxiùs ferveat: si enim tunc cohibeatur, faciliùs languescit: neque sufficit ad animi invehendam tranquillitatem, unum prostrâsse reluctantem affectum, si insurgant alii deteriores, quibus vix obsistitur. 68.

Sunt qui esculentorum prostraturi appetitum gulam cepis torquent; sed poculentis indulgentes repetito haustu sibi quærunt exitium. Alius diu tacet, licèt plura contra se convicia audiat, sed dum linguam coërcet silentii frœno, atræ bilis bitumine cor inficit. Alius ad normam virtutis compositus dimissis in humum oculis, desiderium coërcet curiositatis; sed ambiens dignitatem aliquam utilitati studet, non modestiæ litat. Nunquam prostratus affectus veram invehit tranquillitatem, si huic alter succedat, qui rationi reluctetur: rescindendi sunt omnes, radicitúsque convellendi; non sufficit unum, vel alterum amputâsse ex annosa quercu ramum; nisi tota corruat, insurgunt, pullulántque alii. Vernans Amygdala sacerdotium Aaroni spopondit; sed totaliter recisa; tunc præconio fuit illustri, cum à caule præcisa florere ampliùs non potuit.

Molam jogi aquatum impecto actam dies, noctésque volvi, nemo est qui miretur: miraremur tamen, si fluminis cursui obsistens interquiesceret; perinde, ac si lapis è summo cœlo deorsum delapsus quiesceret pendulus in aëre medio: nunquam quiescit, qui pravis suis affectibus sinit se abripi, jugiter torquetur, nec inde mirandum, cum ea sit concupiscentis, & irascentis appetitus indoles, ut perpetuos commoveat in corde fluctus, in animo cogitationum tumultus.

69. Nemo est, qui stupeat, per tot sæculorum series perniciosissima cœli vertigine in occasum ab ortu circumactum jugiter solem; tametsi ex perpetua illa rotatione, nullam videatur vitium contraxisse, nulla defecisse lassitudine: omnes tamen eum deprædicant, quòd ad imperium Josuë paucculas horas substiterit, quieveritque; occasuro soli ioclamavit invictissimus Josuë *Sol contra Gabaon ne movearu*, & statim stetit sol, ne staret ulteriùs Amorrhæus: sol ipse stationarium se militem exhibuit, quo starivam in castris Amorrhæorum fortunam prosterneret; metam distulit diei attingere, quò Dux fidelis palmas ad postremum usque demereret; quievit sol, ut Josuë Amorrhæos vinceret, ut pugna utrinque instituta acriùs effervesceret; quia nimirum quies animi non invehitur, nisi interiori certamine pravi prosternantur affectus; nisi de iisdem expugnatis gloriosior decantatur triumphus. Neque hujus victoriæ triumphalis palma colligitur, nisi radicitùs evellantur quotquot in nos pravi progerminant affectus, & in deserto cordis, seu in intimo mentis recessu Deo per studia virtutum via sternatur, & rectæ aperiantur semitæ perfectionis.

Josuë 10.

70. Idque causa fuit, cur Joannes Baptista totis lateribus inculcaverit populis in deserto pœnitentiam, & procul ab Urbicis tumultibus viam edocuerit salutis: *Vox clamantis in deserto parate viam Domini, rectas facite in solitudine semitas Dei nostri.* Verùm si sponsa hortus est ad omnem florum elegantiam consitus, cur sponsi Præcursor, cur Joannes Baptista in deserto clamat? cur potiùs non exclamat in Jerusalem? cur in solitudine, & non potiùs in peramplo Urbis foro; ubi hominum frequentia est major? quia in horto dispositæ ad oculorum delicias lascivientes florum areolæ, & excultæ ad amœnitatem arbores; ut etiam erecta in urbe palatia, ædificatæ amplæ domus, non permiserunt, ut Præcursor Christi viam Domino exæquaret.

Isaia 40.

71. Non tœdet agricolam itineris in desertum, sed ruinæ in exculto campo; non tœdet hortulanum viæ extra urbem, sed devastationis consiti à se horti; nec libenter amputat in caule pinum; neque è radice Cedrum convellit, quam novit esse obstaculo parandæ Domino viæ. In solitudine verò ubi neque Cedri luxuriant ad voluptatem, neque platani coronantur ad pompam, promptiùs via sternitur, & rectæ semitæ aperiuntur. Si internæ tranquillitati, si cordis paci, si Christo optamus viam sternere; opus est, plantas omnes pravorum affectuum non solùm in caule amputare, sed & radicitùs convellere: eradicanda est Ficos, cujus foliis persæpe contecta fuit turpitudo: convellenda est Cedrus, cujus fructibus aureo depictis colore, quis divitiis inhiavit, vitiisque indulsit: excidenda est Platanus, cujus frondescentibus coronis, tumido ambitu concupivit quis honores, & dignitates: eradicandæ sunt omnium pravorum affectuum arbores, ut animus noster convertatur in desertum, possitque Christo, ac internæ tranquillitati via parari: non dicit Joannes parate viam Domino; sed *viam Domini*, nimirum parate viam, quæ non solùm Christo pateat, sed etiam virtutibus omnibus: sternitur autem hæc via virtutibus, cum pravorum affectuum obices removentur. Aperiebatur olim Romæ ovanti Cæsari triumphalis via, per quam tamen non solus victor incedebat, sed & reliqui, qui triumphi aderant spectatores: aperire viam Domini perinde est, ac virtutibus omnibus iter sternere, ac viria omnia penitus eradicare: alioquin si non convellantur radicitùs, sed tantùm amputentur rami, qui sternuntur in via, ornatur quidem iter transeunti Christo, sed non aperitur via in corde: *Matth. 21. Alij autem cædebant ramos de arboribus, & sternebant in via*, quia è radice non eradicârunt pravorum affectuum præcelsas arbores, non revulsæ hæ fuerunt, sed earum rami in via duntaxat strati; licèt ex pravis affectibus partem aliquam quis Deo liret; nunquam tamen nisi radices avulserit, affectum totum litabit.

Repullulant qui ex annosa quercu amputantur rami; & pravus plerumque recisus affectus incrementum subit virium, & insurgit valentior, ferocit truculentior. Etiam cæsi in Christi triumpho rami de arboribus, quamvis in via strati, ad supplicia paulò post iter aperuêre; fuit enim triumphus ille tormentorum seminarium, & qui ramos duntaxat de arboribus præciderunt, quia totam plantam non eradicârunt, nec revulsas arbores straverunt in via, sed tantùm ramos, ideo crucem non pluribus dilapsis diebus adornârunt. Neque plurimi fecit Christus pompam illam, in qua nec claudos erexit, nec surdis aures aperuit, nec cæcis visum restituit, nec mortuos ad vitam reduces revocavit, sed compacto flagello nundinantes in templo ejecit, quia tametsi ramos Christo obtulerint, plantas tamen adhuc in corde nutriebant. 71.

❋(o)❋
❋

S. X.

## §. X.

*Pravis, qui suis inseruit affectibus, dolorem sibi maturat, & cruciatus accersit.*

73. NOn fruimur interna pace, nisi affectus omnes tumultuantes contra rationem procul abigantur, nec sufficit, si unus tantùm, vel alter prosternatur, sed excludendi sunt omnes, ac prorsus extinguendi, quia si unus supersit, sufficit, ad procellas in corde ciendas, mentémque fluctuantibus cogitationibus turbandam: hine David enixim Deum rogavit, ut ab omnibus liberaretur pravis affectibus. *Eripe me Domine de manu inimicorum meorum. Psal. 30.* Erui optat non à pressura, quæ scelus subsequitur, non à verme cor exedente, culpam concomitante; non à promeritis ex patrato delicto pœnis; sed à manu inimicorum petit liberari; non timet gladium, non exhorret compedes, non expavet ignem, sed ipsam pravi affectus, ac sceleris dextram, quia quamvis scelus jugulet, ac interficiat; adhuc in pravo ejus affectu placet.

74. Non Ægyptum fastidientes Israëlitæ clamaverunt ad Deum; sed virgas, & compedes exhorruerunt Ægyptiorum; & nisi eos Pharao pluribus cæcidisset flagellis, libentiùs servitutem toleràssent sub Pharaone, quàm libertatem sub Moyse quæsivissent; quia rarò scelus displicet, nisi cùm torquet. Plures sunt, qui pravi affectûs gladium vulnerantem duntaxat execrantur, non manum eblandientem: vocibus delectantur harum sirenularum, quarum duntaxat ungues expavent; pauci, qui cum Ulysse cerâ aures obstruant, ne cantûs blanditijs alliciantur: sed quia fuerunt voce delectati, experti etiam sunt unguium laniatus. Pravum ex eo odio habemus affectum, quia prolixam secum trahit ærumnarum iliadem; sin autem blandiatur, perpauci sunt, qui eidem non eblandiantur. Filius Jacob tunc tantùm parricidij pœnituit, cùm ob patratum scelus noverunt se in angustias conjectos: & David tunc tantùm adulterium lugere cepit, cum à Nathano imminentia intellexit flagella; nimirum doluit, cùm primùm pœnas sceleris pedissequas agnovit; quando ob scelus moriturum audivit natum filium, tunc lachrymis madidus dixit, *peccavi*, & 2. Reg. 12. deposuit coronam, abjecit chlamydem, rejecit epulas, saccum induit, & cinere se conspersit.

75. Si displicet effectus, debet & pravus affectus displicere. Non horreamus pedissequos tantùm famulos, sed & ipsos heros, non pravi affectus tantùm vincula, & compedes, sed & manus; neque expectemus, ut nos scelus vincat, nósque teneat. Non expedies te ab affectu libidinis, si fœminam alloquaris; quia mistus cum muliere sermo cum pravus urget affectus, non solùm fovet pravum ignem, sed etiam auget, trahítque in scelus. Nemo sit adeò audax, ut propriæ fidat fortitudini: succumbit, qui non pugnat; & perdit, qui ludit cum pravis affectibus.

Quævis animi commota affectio contra nos insurgit, si ei eblandiamur, nos mordet; offendimus non solùm ad silices, verùm etiam ad stipulas, paleásque, si concupiscentia urgeat, quia statim flammas concipimus, quibus interna tranquillitas cinescit: ebullit statim in pectore, fervétque illecebra, & eò sævit lethaliùs, quò blandiùs videtur allicere. Nonnisi strages, cladésque spargit, si insurgit prava affectio: nonne compescuit in jecore Esau furorem, & livorem caligantis patris reverentia? sed non penitus extinxit: pravum odij affectum in fratrem Jacobum nutriebat Esau, cujus in præcordijs tumebat insania vindictæ; non tamen exundavit parentis lectulo, quo veluti aggere compressa detinebatur. *Venient dies luctus Patris mei, & occidam Jacobum fratrem meum:* erat occisurus fratrem, sed non patre superstite; odium semisopitum intus enutrivit in corde, sed scintilla fuit, quæ excrevit in incendium furoris, quia in pectore perduellis scintilla quamvis pertenuis ardet usque ad inferni novissima. *Vadam, & videbo visionem hanc magnam*, rubum scilicet furentis Esau ardere, nec absumi, eò quia irascatur intus, neque occidat exteriùs; arsit Esau, neque ustus est suspirijs, quia nivea canitie frigefactus Isaaci. Erat hic decrepita jam ætate senex, ferinæ tenebatur desiderio carnis, vocavítque ad se Esau, cui præcepit, ut statim exiret venatum, sibique ex sylvestri præda cœnam appararet. Præcipienti patri obsecutus filius exivit in campum: sed Mater pro Jacobo solicita Jacobum natu minorem ad ovillum gregem emandat; jubétque duos afferri hædulos, quos pelle spoliavit, & alterum cocturâ adeo exquisita parat, ut Isaacus crederet ferinam ad se allatam: illatori ferculorum Jacobo manus, collúmque pelliculis contexit, ut faciliùs fratrem mentiretur hirsutum: interim decumbens senex oculis caligantibus tactu explorat, quod visu non valet, & hirsuta hædorum tegmina, hispidam Esau cutem referentia, cùm tetigisset primogenitum, credidit, quem præsentem sibi persuasit, cum sola Jacobi vox aliquam relinqueret in anima senis dubitationem; sed comedit de ferina non in sylvis, sed in stabulo capta, recreatúsque venatoris obsequio, Jacobo benedixit, impertivítque primogenitorum privilegia, apprecatúsque est abundantiam frugum terræ, honorem, ac reverentiam apud externos, jurisdictionem in domesticos, & Nepotes, authoritatem in populos: sed his vix peractis adest Esau è sylvis redux, qui re auditâ insolenti cœpit irrugire clamore, & plenus indignationis in fratrem, lethalia in ipsum odij semina concepit;

76. (margin, right column) Genes. 27. Exod. 3.

iterúmque patrem urget, vellet etiam se fausta precatione felicem reddere.

77. Verùm cum translatæ in Jacobum gratiæ revocari non possent, inferioris notæ quædam munera ei impertivit, quibus tamen primogeniti jura, & dona perdidit; hinc pravus in exclulo à primogenitura cœpit affectus tumultuare, nonnisi cæde exsaturandus, obi primùm è vivis excessisset genitor. *Venient dies luctûs patris mei, & occidam Jacob fratrem meum.* Quàm invidus, quam ferus, & truculentus est pravus affectus? cum sit vitæ inimicus, calamitatum parens, fraternæ charitatis corruptor, tranquillitatis turbator, pacis venenum, procellarum suscitator, cædium aurhor, & totius interni hominis feralis eversor. Durus est Carnifex inordinatus affectus, jugiter torquet. Quid ni Dœmon ipse durâ perempturus homines tyrannide pravis eos tradit desiderijs, insanisque affectibus: torquet enim ambitio, discerpit voluptas, adurit aviditas; inflammat concupiscentia, vulnerat dolor, comprimit odium, consummit tristitia, interimit desperatio, accendit ira, corrumpit invidia, inficit livor, rectè Seneca. *Dic mortale tibi, & fragile corpusculum esse, cui non ex injuria tantùm, aut ex potentioribus viribus denuntiabitur dolor; sed ipsa voluptates in tormenta vertuntur, epula cruditatem afferunt, ebrietates nervorum torporem, tremorémque; libidines pedum, manuum, articulorum omnes depravationes.* Ita est, qui inordinatis suis inservit affectibus sibi dolorem maturat, & luxuriæ evaporata momenta prolixa adferunt martyria.

Genes. 27. vers. 41.

Epist. 24.

78. Evocemus è Poëtarum commentis Ixionem volumine rotæ se ipsum inlectantem; Sisiphum saxo illigatum; Tantalum aquis ore tenus immersum, ardentem siti; pomisque e ramo pendulis ad labia usque perpetua fame corrosum; Prometheum splendoris olim ambitiosum excsis, renatisque visceribus semper discruciatum: sed nulla pœna acerbior obtingit famulanti pravis suis affectibus, quàm anxia ambitio, quàm insatiabilis cupiditas, quàm infida rabies; qui pravis suis indulget affectibus ingentem sibi perturbationis, & doloris accersit materiam; siquidem aliena felicitas invidum lacerat; honor non acquisitus ambitiosum disrumpit, cupidinis flamma addictum voluptatibus adurit: in præcipiti jugiter est pravus affectus ad dolorem semper vergit, trahítque sibi addictos, neque ullum nescit modum tenere, neque tormentum devitare; cumque pravi affectus varij sint, trahántque in diversa, ijsdem indulgentes in circuitu ambulant quiescere nescij continuis defatigati volutationibus, teste Davide. *In circuitu impij ambulant*, cum enim continua laborent capitis vertigine molestissimâ rotatione circumaguntur per vepreta dolorum à quiete semper alieni, quin & ipsa domorum tecta sibi nutare videntur; quia pravorum affectuum temulentiâ ebrij pedem figere nesciunt, jugitérque non sine dedecore vacillantes, la plus iterant inconcinnos; quia non ipsi incedunt, sed à pravis suis se sinunt affectibus duci per fluctuantium cogitationum æstuantes procellas; rectè Seneca. *Pauci sunt, qui consilio se, suáque disponant: cæteri eorum more, quæ fluminibus innatant, non eunt, sed feruntur. Ex quibus alia lenior unda detinuit, ac mollius venit, alia vehementior rapuit, alia proximè ripam cursu languescente deposuit, alia torrens impetus ejecit in mare*: quia pravi affectus, quos sibi dedititios suscipiunt, ubivis exagitant, neque ijsdem otiandi facultatem impertiuntur, sed ad continuum, molestúmque urgent laborem.

In Psal. 11.

Epist. 23.

Ad quas non adigit ambitio ignobilitates? quæ rerum discrimina non suadet odium hostis sitiens sanguinem? quas vigilias non præmittit concupiscentia? ad quæ pericula non compellit libido? ad quos subeundos labores non adducit spes? ad quæ flagitia non deducit desperatio? ad quos gemitus non compellit? testis Cain, cui pravi affectus invidiæ, & odij fraternam suaserunt cædem; effuso Abelis sanguine vagus, & profugus gemit absque spe ulla perveniendi ad quietem, solandique otio labores: siquidem à facie Numinis projectus ad terrena desideria mentem deijcit, & pravis affectibus, fluctuantibúsque desiderijs distorquetur circumactus, acríque semper timore correptus divagatur solicitus, ut notat Hugo de S. Victore: *vagus per inordinatam concupiscentiam, profugus per peccatricem conscientiam, cujus etiam voce illud aptè subjungitur, quisquis invenerit me, occidet me, quia mentem divino desertam auxilio, quæcunque tentatio impetieris, subvertet.* Quàm turpe, quàm indecorum pravis suis famulari affectibus! serpens, quia prior cæteris animantibus perspicaci calliditate vitio inseruivit, pravíque desiderij excitavit in Eva affectum, cæteris habetur turpior, ac execratior, *Maledictus es inter omnia animantia, & bestias terra: super pectus tuum gradieris, & terram comedes cunctis diebus vita tua:* sed si serpens antequam suaderet Evæ esum vetiti pomi, super pectus suum gradiebatur, cur mox officium naturæ in pœnam transit temeritatis? an quia adempta spes ad superiora ascendendi acrius sit tormentum, quô Aulici, quos ambitio inflat, distorquentur? si vel ipsa pravi affectus carentia, si spei exclusio tam dirè cruciat, ut desperationem invehat, quid si totis viribus urgeat, si pleno impetu aggrediatur? Non solùm serpens, qui pravum in Eva excitavit affectum, super pectus graditur, sed & terram comedit. Scio talpas terram comedere, non tamen maledictione mulctari; cur ergo serpens ex eo quòd super pectus graditur, & terrâ vescatur, à cunctis execratur?

79.

In Allegor. Dimom.

Genes. 3.

tur? quia cæteris callidior ad ima famulatûs detruditur à previs affectibus; scitè Philo: *super pectus, & ventrem gradieris: quia circa pectus ira est, & in ventre concupiscentia*, decuit per prevos affectus torqueri, qui pravum affectum induxit in perniciem humani generis. Jactabatur serpens sapientis nomine, sed cum primùm pravo famulatur affectui infamiam euget, sibíque dedecus adsciscit; est siquidem indecorum virum sapientem pravis inservire affectibus.

De migratione Abraham.

10 Lethali æstuebat Neas odio in Jebesenos, fœdúsque inivit ea lege, ut dextro prorsus oculo eruto finister servaretur illæsus: ídque non ut severitatem clementiâ temperaret, non ut odium humanitate coerceret, sed ut infamia, ac dedecus, tetrius inde subiret incrementum. *Eruam omnium vestrûm oculos dexteros, ponámque vos opprobrium in universo Israël:* sed cur ambos potiùs non effodit oculos, ut utróque extincto lumine perpetuis Jabeseni circumfusi tenebris, noctis caligarent jugi opprobio? utrumque noluit oculum erutum, ait Hugo, ut proprium & ipsi edhuc viderent opprobrium, acriúsque excruciarentur: si prorsus cæci inserviissent, nun adeo indecorum id eis obtigisset; sin verò visu fruentes infami jugo cervicem subdant, ex ipso intuitu crescit ignominia: tametsi majus intulisset damnum utróque confosso oculo, majus tamen induxit opprobrium dextro tantùm eruto, & illæso servato sinistro, ut notat Hugo: *Sic faciebat Naas omnibus, quos capiebat in bello. Sed quare omnino non excæcabat eos? fortè propter majus opprobrium: licet enim ibi majus damnum esset; hic tamen majus opprobrium:* sinistrum oculum, quo humana denotatur sapientia, reliquit, ut dedecus eugeret; quia si cæcos cæcè vivere id miserum, sapientes cæcè vivere utique inglorium.

Lib. 1. Reg. cap. 11.

1. Reg.

## §. XI.

### *Pravi omnes affectus tunc vel maximè coërcendi, cum videntur eblandiri in cunis, ne decipiant adulti.*

11 Contemnendi non sunt pravi affectus, quamvis eblandiri videantur in cunis, nobísque ludere; prudentis est etiam parvulos necare hostes, ne gliscente ętate viribus velentiores prævaleant; parentibus bellum indicunt, certamina instituunt. Cum noxius affectus insurgit, antequam adolescat enecandus est ab eo, qui non vult in dies convalescentem exitialem hostem experiri, hostium vires contemnere, perinde semper est, ac sibi stragem maturare; tunc præliorum momentum benè disponitur, quoties hostis superbo tumore non despicitur, sed timetur. Goliathus quamvis statura gigantesceret, terrorémque incuteret toti Israëli, quia adolescentem Davidem armis tractandis minus aptum habuit contemptui, prosternitur: etenim viribus prævalens, *dixit Philistæus ad David: nunquid ego canis sum, quòd tu venis ad me cum baculo.* Goliathus indubiam sibi spondens victoriam Davidem non invasit, sed moroso vestigio incessit, remoratóque gressu adolescentem adivit; cùm ergo surrexisset Philistæus, & veniret, quidni adulescens David armis haud essuetus pugnam ineundam minimè edoctus, vires enimedvertens adventantis Goliethi, se ipsum ursit, nullúmque permisit momentum abire otiosum: festinavit David, & cucurrit, & imbellis pestor in castris Philistinorum gradivum Martem prostravit,

1. Reg. 17.

Commendabat adolescentem præ cæteris formæ dignitas, peritia pulsandæ citharæ, vocis suavitas, vultus decor, frontis serenitas, rosæ genarum, oculurum elegantie, & licèt pescendis gregibus non ducendis militibus assuevisset, vocísque cantu delectaretur, quo inter sylvas, & pascua verios à se Psalmos compositos diversis carminum modularetur mensuris, ad barbiti pulsatas fides; non tubarum clangore didicisset in pugnam prosilire; nihilominus ea ejus pectus erat inconcussa loricatum fortitudine, ut teste Siracide. *Cum leonibus quasi cum agnis, & cum ursis, quasi cum ovculis victor luderet*, quinimò ferocissimas quasque bellies, aut caulis imminentes, eut inde cum præde revertentes; ultro prior ipse pernicissimo persequebatur cursu, nudísque manibus comprehensas arrepto jugulo discerpebat: cumque venisset in campum cum Goliatho inermis dimicaturus, contemptui fuit Giganti, qui indignabundus jussit è conspectu facessere imbellem canem, nisi protinus mallet proteri pedibus, corvísque in pabulum tradi: sed cum Goliathus hac verborum velitatione adolescentem accederet catafractus, David silicem è pers rapit, fundæ imponit, librátque ictu tam directè destinato, ut excussus è circumacta funda mediam Philistæi fregerit frontem, ac hæserit cerebro fixus, pulchrè Besilius Seleuciensis. *Goliath videns puerum pugna incensum amore; oculorum eleganciam, genarum florem, & alienum à belli studijs schema in risum effusus est:* nimirum derisit adolescentem adversarium, qui tamen celebrem attulit triumphum: quamvis, qui in nobis oriuntur pravi affectus, viribus nobis videantur destituti, non tamen sunt flocci faciendi, sed totis viribus statim præfocandi, ne cùm edoleverint, virésque acquisierint uberiores nos prosternant: plerúmque nobis etiam videtur ludere, qui toto nisu nos aggreditur, expugnátque. Quis formosam, & adblandientem puellam putet perniciem inferre; & tamen, cùm eblanditur, lethaliter ferit; cum loquitur, gladios ecuit; cum aspicit, tela ejaculatur: innocens nobis apparet, quæ quovis hoste est nocentior; quia cum degeneri affectu exagitatur animus, depravatur

12

Orat. 15.

etiam

etiam oculus: si enim pravo excusso affectu, quæ nobis obviant objecta, inspiciamus; longè alia nobis apparent, quàm deneger affectus, ea nobis effingat, exhibeátque.

83. Memini, imagines vidisse rectis lineis canaliculatas, directisque striis alveolatas, ac biformes, in quas cum ex altera parte oculos defixissem Deiparam in cœlos assumptam, una cum Apostolorum cœtu circum sepulchrum conspexi, & quidem singula, perito, elegantique penicillo expressa: cúmque ex parte alterâ striarum me vertissem; trigeminas furias, megerásque ex Erebo erumpentes, tædásque flammeas exagitantes crine soluto, sparsóque in angues inspexi: eadem fuerat tabella, quæ cùm diversimodè inspiceretur, diversas quoque exhiberet imagines: ita dixerim de pravo affectu, quo aliter judicamus de objecto, quàm recta ratio dictet: imò & ipse homo, si pravis inserviat affectibus, à se ipso deficit, séque alium exhibet, ac revera in se sit: hac ratione scitè Gregorius Nissenus hominem cum hac imagine canaliculata, & biformi composuit, eò quia sit homo simul Dei simulacrum; & brutarum affectionum belluina feritate portentosus, ait: *Liceat mihi hoc loco de sculptorum præstantium more, hominis imaginem vi orationis exprimere. Quemadmodum enim videre est quasdam effigies, in quibus duplex est expressa forma, fingentibus hac artificibus magno studio, atque uni capiti geminas vultuû formas insculpentibus, ut eas spectatores quodam cum stupore intueantur: sic mihi, & in homine duplex esse similitudo videtur, quarum altera longè ab alterâ dissideat. Divinum enim mentis donum quod attinet, pulchritudinem hac eam, quæ in Deo est, refert; cæterum quâ cupiditates ei quaedam insunt, orta ex animi morbis, etiam natura bruta cognatione tenetur.* Lib. de opific. hominis cap. 18.

84. Qui à recta ratione degenerant, ac à pravis se sinunt affectibus occupari, ijs affectus oculorum sunt præstigiæ; aliter illis res exhibent, ac in se sint, eósque illusorijs, magicisque artibus fallunt, & quæ rectæ sunt virgæ magorum, veluti illusionibus tortuosi apparent Dracones, serpentésque venena evomentes: studia æmuli tametsi honesta invidenti sunt venenata; opera adversarij quamvis recta, livore corrupto apparent tortuosa, quia pravo intus affectu mentem exagitante visus etiam exterius corrumpitur, perspicacia depravatur oculorum, pupillæ transversim aguntur, jámque adulteratis oculis diversum inducunt objecta colorem, & diversa de ijsdem effinguntur judicia. *Quidam* ait Seneca: *hoc genere valetudinis laborant, ut ipsi sibi videantur occurrere, ut ubique imaginem suam cernant. Quare quia infirma vis oculorum non potest, ne proximum quidem sibi aërem prærumpere, sed resistit.* Quod vero corpori, id animo obtingit, cui superbiæ, & invidiæ spissus, Lib. 1. natur. quæst. cap. 3.

fœdúsque halitu aër, ita obsistit, ut homo nil nisi se ipsum aspiciat, & nonnisi proprio commodo inhiet.

Saul priusquam degeneri depravaretur affectu, eximiam intuebatur Davidis prudentiam; & delatam de prostrato Goliatho victoriam admirabatur in adolescente, cujus virtutem, bellicámque fortitudinem ea, qua par erat, aspiciebat laude. Verùm cum primum Hebræarum puellarum plausus, & laudes, quibus David commendabatur, pravum invidiæ affectum ciere in Saule cœperunt, is non ampliùs rectè, sed transversum victorem aspexit adolescentem. *Non rectis oculis Saul aspiciebat David à die illa, & deinceps*, & en degener affectus mentem, oculósque Saulis corruperat; ut prudentia Davidis mox astutia ipsi apparuerit; jámq; erat vafer, qui fuerat fortis; erat hostis, qui antea fidelis miles; temerarius, qui antea providus: quia nimirum invidentiæ præstigiæ totam everterunt scenam, mutârunt colores; ut oculi in Saule non ampliùs viderent, sed caligarent; quia invidentiæ humore corrupti, & odij caliginibus obscurati; est enim invidia, ait Nazianzenus. *Tabes possessorum, virus, ac rubigo eorum, qui eâ exagitantur*; imò ad id perfidiæ excrevit invidia, ut Saul furijs instigatus in Davidem omnes machinationes adhibuerit, ut adolescentem de se, Regnóque suo optimè meritum è vivis abraderet. Epinicium, quod Davidi è certamine reduci cecinere puellarum chori, ulcus fuit in pectore livido; neque stare sibi videbatur Saul, nisi David extinctus caderet; cùmque à tartareo Saul exagitaretur spiritu, & David accersitus cithara pulsu, cantúsque suavitate sedaret insanientem Saulem, hic pravo acriùs commotus affectu, quàm malo genio, quàm Orcino spiritu vexatus, lanceâ nititur Psallentem transverberare adolescentem: & peregisset crudele facinus, nisi David capitis inclinatione ictum declinâsset: ita est, qui invidia torquentur, livore corrumpuntur, nonnisi venena evomunt, & cruentas meditantur clades, etiam in insontes, quósque virtus commendat, quia nimirum invidi, ait Zeno Veronensis: *Magnanimum quemq; virum protervum vocant; constantem verò, & patientem sine sensu doloris appellant, sobrium acerbum dicunt; justum crudelem, & prudentem callidum vocant. Prorsus virtutum species decolorare contrarijs, & à malitia sumptis appellationibus gestiunt.* 85. 1. Reg. cap. 18. Orat. 26. Serm. de livore.

Degener affectus insurgens mentis confundit species, totúmque internum hominem sus déque evertit, & ut suæ malitiæ cæteri plaudant, pro vitijs sugillat ipsas virtutes: si excusso pravo affectu, adhibitóque oculis collyrio res aspicerentur, longè diversæ nobis apparerent, ac eas pravus affectus nobis exhibeat. Sauli, cùm adhuc sereno esset animo David strenuus videbatur, omniúmque virtutum commendatus chorago 86.

gio, sed cum primùm pravo invidentiæ cœpit exagitari affectu, incœpit & mens delirare, judiciúmque io Davidem corrumpi; & eò feralis æstus excrevir; ut degener affectus uberiores enanciſceretur vires, quia nisi pravi, qui in nobis oriuntur affectus, statim prosternantur in cunis, cùm adoleverint, nonnisi strages, cladésque cruentas moliuntur in homines: rectè Cassiodorus. *Difficultatem vobis querela submovemus, dum in ipsis cunabulis scelera commissa resecantur.* (3. Variar. cap. 18)

87. Si pravo affectui tempus concedatur, adulescit nequior, & perniciosissimis crementis gliscit petulantior, quia cum ipso pari passu crescit improbitas simul, & calamitas. Dementiæ daretur oneribus presso, si ad levandum humerorum onus, farcisam sarcinæ adderet; helleboro indigeret, qui aliquod quæsiturus tristitiæ pharmacum, novia curarum iocrementis studeret totquentem corroborate affectum: æstuantes, qui trajiciunt commoti, procellosique Oceani fluctus, ventos non cupiunt; sed eorum impetus declinaturi vela complicant, claudúntque: si ignis debacchatur in sylva, nemo sanæ mentis est, qui ligna, arborésque quantum potest, ei non subtrahat, ne flamma laxiùs spargatur: sic pravi affectus in nobis oriantur, perinde ac depascentes stipulas flammæ, coërcendi sunt, oe serpánt ad ligna, & depascantur etiam arbores.

88. Plures tamen ut proprio medeantur dolori, ut inopiæ consulant, suppetias petunt etiam ab alijs pravis affectibus; & hi majora sibi elaborant tormenta, quia sicut inseparabilis est ardor ab igne, ita & angor ab affectu degeneri. Dives Evangelicus gehennalibus tortus flammis cruciatum sopiturus ad Lazari recurrit invidiam. (Luc. 16) *Pater Abraham miserere mei; mitte Lazarum, ut intingat extremum digiti sui in aquam, & refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma:* nimirum flamma, quæ linguam adurebat, ex ardore prodibat invidentiæ, sicque errabat dives, cum niteretur flammam sopire pravo illo invidentiæ affectu; pulchrè Chrysologus. (Serm. 122) *Quid agis dives, non est novelli doloris, sed livoris antiqui, & cælo magis incenditur, quàm gehenna.* Cæcus adeò desipuit, ut non viderit, de reatús cumulo majori linguam fore incendio ustulandam, quæsivit refrigerium, & pravum accivit invidentiæ affectum, quo reatum augeret, & tormentum cresceret; & ideo quos elevavit oculos, Judicem non placârunt, sed acriùs inflammârunt; veniam non obtinuerunt, sed reatum auxêre. Quia dives cum Lazaro beatitatem invideret, à sinu Abrahę eum separari ex invidia cupijt, petiítque.

89. Quàm desipiunt, qui pravis suis indulgent affectibus, quibus vel inviti discruciantur, eóque acriùs torquentur, quò impensiori studio eos fovent, hi sunt manus, hi pedes scandala inijcientes, proinde illicò abscindendi, ut nos docet Magister Christus. *Si manus tua, vel pes tuus scandalizat te, abscinde eum, & projice abs te,* (Matth. 18.) sed cur dextra præcidenda, cùm sinistra vulneri recipiendo sit aptior, quàm infligendo? cum nulla sit in sinistra ad feriendum dexteritas, cum destituatur læva manus roboris pondere, sitque ad agendum imbellis, ad pugnandum inepta? Verum satis ipsi virium, satis ad feriendum apta, si pravo ducatur affectu, & tunc non dextera tantùm, sed & sinistra amputanda, ne degeneri affectu vulnera infligat, necémque inducat. Non est manus, quæ vulnus infligit, sed pravus affectus, qui brachium movet, manum ducit; & ideo non manus, sed pravus affectus amputandus, ne feriat.

Fabulati sunt Græci vulnerato ab Achillis hasta oullum superfuisse pharmacum, nisi eadem, quæ vulnus inflixit, vulnus aboleret, & medela à vulneris authore hauriretur: quid ni ferit nos degener affectus; vulnerique inflicto non alia patet medela, quàm quæ ab ejus authore peti potest: & tunc hauritur, si prosternatur, oe ulteriùs feriat. Scimus Cedros Libani ab ijs excisas, qui montem illum incoluêre. *Præcipe igitur, ut præcidant mihi servi tui Cedros de Libano. Scio enim, quomodo non est in populo meo vir, qui novit ligna cædere sicut Sidonij,* (3. Reg. cap. 5.) hæc cum Salomon præscripsisset ad Hiram, nobis quoque præscripsit rationem degenerum excindendorum affectuum, ac cupiditatum: ij Cedros cæcidêre, qui Cedris agnati, & adnati diu Cedros excoluêre; ut nimirum per eos cadant arbores, per quorum operam succrevêre: impulit degener affectus ad scelus, suasit flagitium, duxitque ad opus: amputandus est author facinoris, imò & radicitùs evellendus degener affectus ab eo, qui eidem indulsit, quique eum fovit, permisitque se ab eodem seduci. 90.

Quòd si degeneri parcatur affectui, hic Lerneam imitatus hydram in plures alios repullulat; non enim sterilitate laborat: esset quidem solatium aliquod, si probro laboraret infœcunditatis; si unus alium non gigneret, si noxia passio prole careret: verùm perinde, ac alter nexus alteri conjungitur, ex quibus longa pendet catena; sic pravus affectus alium adducit, nec uoquam assuescit solus quiescere, sed pluribus semper dilatatur processibus, pulchrè Seneca: *Adhuc in processu vitia sunt, inveniet luxuria aliquid novi, in quod insaniat; inveniet impudicitia novam contumeliam sibi; inveniet deliciarum dissolutio, & tabes aliquid teneriùs, molliúsque, quo pereat:* (Lib. 7. natur. quæst. cap. 31.) semel quòd pravus affectus animum possidet, procellas excitat per fluctuantes cogitationes, tranquillitatis malaciam corrumpit, & in alios præcipitat deteriores. 91.

92. Hinc Saul faustis victoris Davidis acclamationibus læsus; initio rectis non aspexit victorem oculis, móxque invidia cacodœmonem vocavit, & à spiritu nequam invalus inextinguibile odium concepit. *Tenebátque Saul lanceam, & misit eam, putans, quòd configere posset David cum pariete*: nimirum quæ Sauli displicuêre acclamationes Davidis, invidiam peperêre, invidia autem odium genuit, & odium telum vibravit; nunquam novit degener affectus uno stare loco, nec solus stabulari in corde, sed alios sibi comites adsciscit, ut junctis viribus insurgant singuli, feriántque securiùs: odium statim insurrexit, ne in Saule vitio sterilitatis redargueretur invidia; quæ filium peperit se dignum, odium scilicet, quod fovit, & enutrivit, cui, cum adolesceret, Cacodœmonem etiam addidit Pædagogum.

Lib. 1. Reg. Cap. 18.

93. Quidni etiam Herodias pravis affectibus, ac concupiscentijs indulgens in Joannem Baptistam truculentissimum conceperat odium, quò moliretur insidias, quibus caput praecideret Præcursoris, qui lasciviențis puellæ pedes ad choræas instructos redarguerat: nimirum libido odium peperit, & odium caput amputavit, homicidium perpetravit, ait Augustinus: *Mulier detestabilis odium concipiebat, quod aliquando dato tempore pareret*; connexa sunt inter se carnis concupiscentia, voluptatum illecebræ, odia insana, ac truculenta homicidia, hinc rectè Isaias *cap. 14. de radice colubri egredietur Regulus, & semen ejus absorbens volucrem*, hoc est, de colubro nascitur regulus, & de regulo oritur volucer: qui enim uni indulget pravo affectui, plures contra se vocat; uni, qui favet degeneri, plures jam fovet sibi noxios.

Serm. 10. in novis.

## §. XII.

### *Degeneres omnes affectus obsunt, quamdiu foventur: prosunt, si proteruntur, & conculcentur, præsertim à Judice.*

94. Damna inferunt degeneres affectus, si foveantur; obsunt, si ijsdem faveamus; prosunt verò, cùm eos proterimus; exemplo tritici, quod terræ concreditum, si obruatur humo, inficiatur humore, dissolvatur imbre, corrumpatur putredine, uberiori multiplicatum fœnore auctam nobis messem spondet; quia nimirum sævitum in illud fuit; non in se triticum sævijt: at cum fovetur in horreo, eíque indulgetur in arca, ubi se granulum corruperit præservari è carie nullis flabris, flatibúsque potest: hæc indoles est degeneris affectus, qui foventi est vitrum vile, & ferienti pretiosus adamas; indulgenti est aconitum, & sævienti pharmacum; terendus propterea est pede, ne caput impetat; violentia est ipsi inferenda, ne violenter nos quatiat; foras abigendus, ne intus sæviat: aërem imitatur, qui si montem circumvallet, nec tantillum eum commovet, quamvis concitetur in austrum, vel furat in aquilonem conversus, eò quia exteriùs tantùm montis extimam osculatur superficiem; sin verò aër quamvis tenuis intimis fuerit montis visceribus inclusus, montem quatit, & persæpe radicitùs convulsum dejicit in planitiem; nimirum agebat ductu naturæ, cum montem exteriùs ablambiret; detrusus verò intra ejus viscera contra naturæ jura, mentem quassat, terrámque tremore exagitatam commovet. Nulla pestis lethalior pravo affectu, si intus foveatur, hic enim lumen extinguit rationis, justitiam corrumpit, virtutem prosternit, & vitia omnia fovet, quibus in hominem ad internecionem sævit; hinc necesse est à judice omnem deponi affectum, ut juxta æquitatem sententiam ferat, ut aliquid largiatur, indulgeátque reo, cujus semper partes potiores esse debent illis accusatoris, cum hunc in sævitiam, plerúmque pravus affectus trahat, & reum sola Judicis tueatur clementia.

Solent plerúmque præ cæteris pravis affectibus Judicem pervertere amor ingeniosus, & lucri cupiditas, hæc magnis sponsionibus, donisque justitiam labefactat; ille verò affinitate, vel sanguinis necessitudine, vel etiam veteri, aut recenti amicitia Judicem excæcat, ne regulam videat æquitatis; & tunc non desunt Judici rationes, cùm non desint pravorum affectuum suggestiones: si enim affectus, proniórque animus pondere suo unam potiùs, quàm alteram premat partem, nunquam tunc desunt in favorem dilecti rationes: amor tunc quia ingeniosus singula subtiliter discutit, & aurum è luto eruit, adamantem è cœno. Vix quidquam oppones, quod à suo non propulsetur propugnatore: hinc si Judex pravo sinat se pertrahi affectu, conclamatum est de causæ æquitate: eienturverò hi corruptores justitiæ, vel sanguinis necessitudine, vel amicitiæ vinculo, vel affinitatis conjunctione, vel accedentis fœminæ fusis precibus: si enim mulieres accesserint non solùm formæ, verùm, & preces, & edoctæ mentiri lachrymæ, vel doctæ fallere blanditiæ, & præsertim conjugis amantem maritum Judicem emolliunt, flectúntque, non quò æquitas vocat, sed quò amor trahit: potentiores sunt fœmineæ preces, præsertim si lachrymis madeant, quocunque Euro, Notóque, impelluntque obliquè; quia non ratio, sed passio ducit. 95.

Neque tunc Judici argumenta desunt, quibus etiam iniquitatem tueatur, præsertim cum prodeant dietim Jurisconsulti, qui sententias suas quamvis intutas, minúsque 96.

pro-

probabiles fulciant tot authoribus, ut numero terreant lectorem. Merita debent Judices causarum pensare, non munera Personarum; jura spectare, non promissa considerare; amovenda sunt singula, quæ animos valent hominum perturbare; absit prorsus ira, excludatur invidia, rejiciatur odium, pellatur timor, amandetur amor, coërceatur auri cupiditas, exterminetur avaritia; hi enim sunt degeneres affectus, quibus in Judice veritas plerúmque opprimitur, expugnatur integritas, violatur justitia, conculcatur æquitas, proditur innocentia, corrumpitur fides. Facilè si Judex cupiditate abripiatur, permissâ sibi potestate, secùs quàm deceat, utitur, & abutitur, non absque graviori justitiæ detrimento, & Reipublicæ damno.

97. Amor præsertim, & odium consuevêre in Judice integritatem expugnare, æquitatem evertere, innocentem prodere; ut etiam à nprobum illud divitiarum coacervandarum inexplebile desiderium, & pestis illa avaritiæ, quæ est totius justitiæ exitium: idque ut satis expressè indicarent Thebani argutè Judicum statuas scalpere, & effingere ita consueverunt, ut sine manibus essent, & oculis aversis, nimirum ut ne aurum acciperent, imò nec cuperent; nec possent *ejus ingentes oculo irretorto cernere acervos*: sed utinam plures etiamnum ex Judicibus Jasones, & Argonautas potiùs non imitarentur, non ad Aitream confugientes, sed ad Medeam trajicientes aurea pecude potituri. Vix juxta leges æquitatis sententiam profert, qui auri splendore permisit se excæcari: justitiam non videt, & ab æquitate se avertit, qui oculos ad aurum convertit; aureis præpeditus compedibus difficulter se in libertatem vendicat, cum aurea vincula ferreis sint fortiora. Fortissimum est metallorum aurum, vix ignibus tentatur, cum ferrum flammæ impatiens diffluat; quinimò ne Judex ingratus tunc audiat, ire adigitur in sententiam donatoris, & inverecundus, & imprudens damnare non audet, quod absolvere non valet. Pulsat tunc animum justitia, monet conscientiam æquitas; sed fortiùs auri cupiditas, utpote degener affectus, ad se trahit animum; utrinque premit sitis justitiæ, sed prævalet auri sacra fames; allicit æquitatis decor, sed auri fulgor vincit: quisquis officio fungitur Judicis mellea diffugiat munerum stillicidia, quæ de poculo venenato prodeuntia, ita in sinum diffluunt Judicis, ut ejus animum penetrent, justitiam corrumpant, æquitatem evertant; suis non carent ponderibus munera, quibus animum accipientis ad se trahunt, neque nisi in munerum partem flecti potest, qui muneribus finit se premi: pretium, qui accipit, pronum se prodit ad rem ipsam exhibendam; & tunc calcatâ religionis æquitate conscientiam suam fallens perperam sententiam pronuntiat.

Talem decet Judicem esse, quem nec amicorum preces emolliant, nec potentiorum minæ terreant; nec munerum largitiones corrumpant, nec auri splendor obcæcet, nec odium indurct, nec ira inflammet, nec spes alliciat, nec dolor torqueat, nec amor inflectat, nec ullum sit in ipso personarum discrimen, singulisque, sive divitijs affluentibus, sive dignitate præeminentibus, sive honore præfulgentibus, sive inopiâ laborantibus, sive miserijs oppressis æquè jus suum dicat, at communem utilitatem privatis semper præferat commodis; non improborum insolentiam, temeritatem, & petulantiam tueatur: *Sapientis enim Judicis est*, ait Cicero: *Meminisse se hominem; cogitare sibi tantùm à populo esse permissum, quantum commissum, & creditum sit, & non solùm sibi potestatem datam, verùm etiam fidem habitam esse; meminisse, posse quem oderit absolvere, quem non oderit, condemnare, & semper non quid ipse velit, sed quid lex, & religio cogat cogitare: animadvertere quâ lege Reus citetur, de quo reo cognoscat, quæ res in quæstione versetur. Tum hæc sunt videnda; tum verò illud est hominis magni, & sapientis, cum illam judicandi causam tabellam sumpserit, non se putare esse solum, neque sibi quodcunque cupierit, licere: sed habere in consilio legem, religionem, æquitatem; libidinem autem, odium, invidiam, metum, cupiditatésque omnes amovere, maximéque æstimare conscientiam mentis suæ, quam à Deo accepimus, quæ à nobis divelli non potest; quæ si ob timorem consiliorum, atque factorum testis in omni vita nobis erit, sine ullo metu, summa etiam cum honestate vivemus.* 98. Tullius

Omnibus vult Tullius Judicem spoliatum esse pravis affectibus, & ad mansuetudinem pronum, æquitati unicè addictum; ut verò in mansuetudinem propendeat, meminisse juvabit, se hominem esse, erroribus obnoxium, ac lapsui; proinde pronior semper erit in clementiam, quàm sævitiam, non ita tamen ut justitiam negligat, sed ut ejus rigorem benignitate contemperet; & ita clementia armatam justitiæ dextram teneat, ut brachij impetum coërceat, vulnus tamen non impediat: hinc monet Sapiens, *In judicando esto pupillis misericors ut pater, & pro viro matri illorum, & eris tu velut filius Altissimi obediens, & miserebitur tui magis, quàm mater.* Caveat præ cæteris, ne sinat se ullo pravo affectu præoccupari, nec muneribus illaqueari, Deuter. 16. *Non accipies personam, nec munera, quia munera excæcant oculos sapientum, & mutant verba justorum*, nil certè cæcitate tetrius, nil miserius? Quis credat à muneribus, ab auri splendoribus cæcitatem natam, & tamen cum munera oculos excæcent sapientum, prodit fœda, turpísque filia cæcitas ab auri nitore; quòd si fa- 99. Eccles. 4.

sapientum oculos excæcant munera!, quid non aget in rudioribus? non exoculabunt tantùm, sed interficient: ea siquidem est vis munerum, ut omnia expugnet, nilque iisdem obsistat, hæc æquatas nubibus arces solo æquavit, propugnacula expugnatu difficiliora evertit, urbes subvertit, regna subjecit, & quidquid infra cœlum est etiam in solida rupe excisum, vincit, dummodo pervium sit auro.

100. Recta igitur ratio, non obliqua passio, non degener affectus hominem regat, perinde ac unico clavo regitur, ac dirigitur tota navis, quæ inter fluctus tota torquetur ab unico ligni frustulo, seu temone, navisque clavo, cui vis tanta inest, ut licèt navis pars nulla sit, sed quid ab ea divulsum, & externum, quia tamen hæret in puppi, ipsam flectit, torquétque contra turbulentiores ventorum impetitus. Verùm si marinos transjicientes fluctus ingruente procellâ impetiti non tantùm temone, seu gubernaculo utuntur, verùm ad Helicem oculos dirigentes beneficio micantis cinosuræ, naufragia eludunt, declinántque scopulos, in quos faciliùs impingerent: pari pacto cum pravorum affectuum impetus mentem turbant, ciéntque procellas fluctuantium cogitationum, dirigendi sunt intuitus in cœlum, invocandus est Deus, & rectæ rationis gubernaculo aurigandum navigium, ne in scopulos impingamus, ne infami naufragio pereamus; scitè Basilius Seleuciensis. Orat. 8. *Longa maria trajicientibus ad cursum regendum pro tessera sunt astrorum undequaque splendentium motiones, & gubernator incumbens gubernaculo tollit in cælum oculos, astrorum motibus aurigans navim, sursúmque per mare, cælesti lumine contorqutus fertur in portum.*

101. Quod autem nautis contingit in mare; hoc idem non solùm internæ hominis Reipublicæ in coërcendis affectibus accidit; verùm etiam externæ reipublicæ moderatoribus: hanc persæpe furens calamitatum procella perturbat, & concutit, & tunc contra impetus perturbationis opus est gubernaculo, seu cordato consilio, quo insolescentes pravi affectus tumultuantium civium coërceantur, ne commota tempestas effervescat. Sin verò alius insurgeret degener affectus dictans, quod alicui privato est utile, non quod toti Reipublicæ commodum, utique incrementum subirent fluctus decumanis etiam turbulentiores, majori impetu urgerent Euri, Notíque, & ad ineluctabile naufragium traherentur omnia.

102. Judic. *cap.* 11. Hebræorum respublica pluries contrita bellorum calamitatibus, exagitata hostium insultantium copijs, impetita externis armis, naufragio proxima anceps hærebat timorem inter, & spem. Reconciliato autem per supplicia Numine natu majores cœperunt de humanis consultare auxilijs, & recti consilij gubernaculo usi, habitis comitijs Jephte elegerunt robore fortissimum, militarique peritiâ clarum ob frequentes de Ammonitis, & Philistæis relatas victorias. Is cum crebris jam ante velitationibus incursantes Ammonitarum latrunculos coërcuisset, majoribus copijs, valentiorique authoritate videbatur muniendus, totique propterea præficitur exercitui. Cùm verò nollet, nisi vim vi pulsurus pugnam instituere Legatos, misit ad hostes sperans fore, ut quæ Ammonitas inter, & Galaaditas lis ob confinia intercederet, posset sine sanguinis fusione componi; sed detrectantibus Ammonitis litem dirimere sine ferro; Jephte pro bono publico, & patria libertate justas exardescens in iras, conceptóque, priùs voto se, si victor è pugna evasisset, hostiam Deo mactaturum, quod ex animalibus domesticos repetenti lares primū occurrisset; irrumpit mox in hostem, acerrimè pugnat, fundit, fugátque Ammonitarum exercitum, Manubijs hostilibus, urbibúsque quamplurimis captis.

Quid ni si recta ratio non elegisset industrium, sed obliqua affectio prætulisset, vel sanguine conjunctum, vel affinitate illigatum, vel amicitiâ adhærentem; hostis triumphâsset, & tempestas minimè sedata fuisset, sed ad naufragium compulisset: peraptè Arias Montanus expendens Jephte electionem, quâ toti præficitur exercitui, ait: *Bona consilia, atque constanti ratione inita, & curata, bono demum eventu firmari, probarique solere historia docet illustri exemplo fortissimi viri, ejusdémque non Tyrannidem adorti, sed propter spectatam virtutem exoptati, & adsciti:* nimirum virtutis, meritorúmque suffragio renunciatus Jephte exercitûs Præfectus inimicis fuit formidini, quia prosperavit Deus omni pravo affectu nuda consilia. Et eò Jepthe triumpho celebrior, quò non hostes tantùm exterius, sed & proprium intus affectum evicit. Reduci mox è castris in patriam Jephte personuerunt gratulantium voces, totáque patria se se libertatis suæ vindici effudit in occursum; in plausum victoriæ lexus omnis, & ætas erupit. Jephtes autem jactata per ora populi vota gratus Deo tanti gaudij datori remittit: cúmque triumphali pompa in urbem Masipham veheretur, venienti patri omnium prima obviam cucurrit filia, in qua virtus animi cum forma corporis decertare videbatur, festóque timpanorum sonitu patri libertatis Hebrææ assertori victoriam adgratulatur. Ad occursum tamen insperatum hæret anceps afflictissimus Genitor, num magis victoriæ ipsum pœniteret, an voti; gaudium statim in luctum degeneravit, in dolorem triumphus transivit, & in næniam epinicium: voti crudelitatem à se emissi damnavit, sed quid Deo spopondisset mente revolvens, maluit exemplo Abrahæ filium immolantis

103. [margin, right column at "Quid ni si recta ratio"]

In cap. 11. Judic. [margin note at "ait: Bona consilia"]

lantis Deo esse fidelis, quàm clemens in filiam; prostravit hostes in pugna, sed gloriosior vicit in triumpho proprium affectum in filiam, quamvis spes unica, & lux esset familiæ: Vicimus, filiam allocutus pater, dixit, sed tuo sanguine, & tunc arreptam utraque manu vestem gemebundus, geminas scidit in partes: sed Jephtias filia æquâ fortitudine nuntium subeundæ mortis accipiens, è montibus læta ad urbem revertitur; nimirum victima ad aram, quam nec fletus cæterarum puellarum movit, nec tristitia retardavit, nec dolor inflexit; sed alacris procumbit in genua, vultúque in hilarem mortem composito; acceptóque a Patre ultimo osculo, nudat virgineum collum, interrita flectit cervicem, ictúmque accipit vibrati gladii. Permisit Deus innocentis Jephtiadis necem, ut figura foret Christi pro nobis necem subituri.



# DISSERTATIO XI.

## Nullum ægritudini pravorum affectuum curandæ præstantius alexipharmacum seriâ mortis recordatione.

### §. I.

*Nostram refricante memoriam Libithinâ suo gelu omnem extinguit pravi affectus insolescentem æstum.*

1. 

Xcutit omnem pravorum affectuum sensum, extinguit singulas concupiscentiæ titillationes, compescit omnes irascentis animi impetus, seria, ineluctabilis, & plerumque inopinæ mortis recordatio: hæc siquidem luxuriantes concupiscentiæ flores in faucianti a vertit pœnitentiæ dumeta; adblandientis voluptatis rosas, vulnerantes in spinas mœroris; mella deliciarum, in absynthium doloris; & risum mundi arridentis, in lachrymas conscientiæ torquentis: adeò potis est, & efficax sola mortis in mente refricatio, ut pravorum omnium affectuum coërceat motus, suffocet afflatus, compescat impetus; & omnibus deordinatis animi, tum concupiscentis, tum irascentis motibus frœnum injiciat properantis mortis accessus, ejúsque eò certior, quò nobis est incertus appulsus.

2. Omnem affectuum pravitatem facilè vinceremus; si omnem nobis diem supremum illuxisse crederemus, si seriò mente volveremus, mortem nulli parcere ætati, nullique dignitati, sed omnes sua falce demetere, pueros in primo germine; adolescentes lascivienti in herba; juvenes superbiente in flore; adultos, & senes in jam arescente stipite. Ideo pravis concupiscentiis terræ hæremus alligati, quia rarò refricamus Libitinæ memoriam; transeunt quotidie per forum, & plateas, nostrósque ante oculos elata cadavera, quæ nos mortalitatis oblitos respicere compellunt ad mortem; quam tamen nonnisi perfunctoriè aspicimus, & in media decedentium strage, acervatos inter cadaverum cumulos, oppleta inter calvariis, ossuariisque cœmeteria nil minus, quàm mortem cogitamus, & cum nil frequentius nobis obviet, nil citius obliviscimur; tametsi experimento edoceamur quotidiano mortem nemini parcere, nulli indulgere ætati, plures præscindere in flore, alios corrumpere in semine, hos jam maturos perimere, & omnes, cujusvis sexus, & ætatis interimere; hunc rapere inter cænandum; alium cùm somno sopitus quiescit, illum in inchoata voluptate, alium cum primùm honores consequitur; non tamen esse nobis proximam credimus; putantes adhuc longiùs à nostris distare laribus, cum tamen jamjam sit fores pulsatura, nimirum adeò frequens, adeò familiaris nobis est, ut nobis videatur quasi vilescere, nil eam timentes, quia illius statim obliviscimur, & in ipsa incertudine certam nobis fingimus stationem.

3. Videmus illos æstuante febri extinctos, alios fluctibus obrutos, hos ferro enecatos, plures veneno corruptos, nonnullos flammâ absumptos, alios fulmine interfectos; & omnes quotquot præcesserunt retroactis sæculis extinctos jacère in pulvere, sordescere in cinere; & quamvis inter tam dubios, tam inopinos, tam varios, tamque subitos casus nulla sit securitas; ita tamen plerumque vivimus, ac si nunquam essemus morituri, cum tamen quotidie moriamur, singulisque horis nobis vitæ pars aliqua detrahatur, & momenta ipsa, cum properante morte dividamus.

4. Hanc hominis conditionem symbolicè exprimit clepsydra arenaria, cujus pars superior jugiter fluit, donec tota evacuetur, impleatúrque inferior: delabitur siquidem momentis singulis aliquid de vita nostra, donec tota evanescat; & quamvis videamur nobis ætate crescere, decrescimus tamen continuò; donec noster pulvis totus in sepulchrum delabatur; posterior vitæ pars priorem premit, excutitque, & hæc à sequente itidem excutitur, sicque omnes priores à sequentibus premuntur, urgentúrque, donec omnes delapsæ totam evacuaverint solicitato fluxu præsentis vitæ nostræ clepsydram; si tamen vita est, quam mors jugiter occupat; cum nulla sit hora, nullum fluat momentum, quò non moriamur; cum momentis singulis aliquid semper nobis mortalis vitæ detrahatur. Utinam hæc veritas, quam nos dietim experientia edocet nostram seriò, & frequenter refricaret memoriam. Felices procul dubio essemus, si omnem diem postremum putaremus; feliciores si omnem horam; & felicissimi, si omne momentum; omnibus pravis affectibus fræna injiceremus, eorúmque impetus coërceremus, motúsque singulo pravos cohiberemus, si omnem horam ultimam, & decisoriam putaremus. Utinam discuteremus caliginem, quæ non sinit, hanc nos veritatem inspicere, quæ nos pravorum affectuum offundit tenebris: hæc est illa caligo, quâ inter vitia cæcutimus; nec ex tot elapsis annis, vel unicum diem integræ virtutis testem, quique non fuerit aliqua labe pollutus, adducere valemus: hac in caligine pullulat rudior ætas nugas inter, & ineptias; crescit adolescentia libidines inter, & concupiscentias; floret juventus scelera inter, & flagitia; maturit Senectus probra inter avaritiæ, & cupiditatis; & quotquot à cunis ad canos defluxerunt anni hac caligine involuti, nil nobis attulerunt, quàm fructus doloris, & amaritudinis.

5. Nil nobis senescentibus ac morientibus prosunt divitiæ, tot curis quæsitæ, tot sudoribus acquisitæ, tot molestiis partæ, tot laboribus coacervatæ: nil nobis adferunt solatii carnis deliriæ, voluptatis illicia, deliciarum illecebræ, quæ perinde, ac vernantes rosæ vix manè floruerunt, & mox in mortis occasu nonnisi spinas nobis reliquerunt superstites, quibus inflictis vulneribus discerpimur, dilaceramur: nil nobis tunc prosunt inania dignitatum nomina; nil umbratiles honores, nil concupitæ chlamydes; quòd si nobis hanc edoctis veritatem daretur ad crepundia reverti, telámque iterum redordiri hujus vitæ mortalis, meliori procul dubio textu omnia concinnaremus, neque sineremus à pravorum affectuum inconcinno impetu nos rapi in scelera. Quòd si nostra hæc essent vota; fatali illo urgente momento, cum mors nostros ingreditur lares vitam abreptura, nos non pœniteret vixisse, & nunc meliùs satageremus uti tempore, & ea deserere, quæ tunc vellemus deseruisse.

6. Ex mille mox morituris, nec unum reperies, qui non diversimodè sentiat de opibus, dignitatibus, honoribus, illecebris concupiscentiarum, ac mundi vanitatibus, quàm antea judicaverit, quia tunc mors imminens caligines excutit, & res omnes non quales nobis apparebant; sed ut revera sunt in se nulla pravi affectûs caligine circumsepti videmus, suísque æstimamus momentis: quia verò sera in exitu est sapientia, plurimum nobis proderit, si ex alieno errore nostram corrigamus desipientiam, si seriò censeamus omnem nobis diem supremam esse: umbræ siquidem transitus est vita nostra, tempus nonnisi unicum instans, quod solùm nos possider, & omnes anni unicum punctum, cùm quod de ipsis effluxit, nil teneamus; & quod defluet, minimè possideamus, & incertum omnino sit, an instans, quod præsens consequitur in nostra sit potestate futurum: quòd si unum alteri succedat, ea tamen singula fluunt velocitate, dilabuntur pernicitate, ut vix ea possidesmus, sed ipsa potiùs nos secum trahant; cum sistere non possimus diem unum, neque horam, imò nec unicum momentum, quin fluat, dilabatur: nos enim sibi succedentia dilabentis temporis momenta citius abripiunt, quàm ut desinant pernicissimè fluere, neque desinunt dilabi, nisi, & nos cum ipsis labamur.

7. Nos spes inanes fallunt, impellúntque in fraudem; nobis spondent senectam, & in medio nos secant ætatis fluxu; & nobis obtingere potest, quod pluribus infaustè evenit, qui pravis suis indulgentes affectibus laqueo se mortis irretitos deprehenderunt, cum putarent liberiori pede prata percurrere voluptatum. Quot inopinè ceciderunt, qui diu stare in fastigio arridentis fortunæ crediderunt? Quot in medio scelere mors rapuit, criménque secuit? Quot etiam in ipso inchoati flagitii momento delictum morte clauserunt? si nemo prudens inter æstuantis pelagi tumidos fluctus in tabula ludit, sed seriò cogitat, quomodo imminens possit vitæ discrimen evadere; cum mors semper immineat, nobísque in hujus fluctuantis vitæ pelago insidietur; seriò cogitandum est de modo æterni naufragii declinandi: ad quod nil tutius conducit, quàm seria, & frequens mortis recordatio, cujus cinere pravi omnes affectus detumescunt, & coërcentur.

8. Nulla doctior magistra morte esse solet ad coërcendos pravorum affectuum impetus, vitámque totam instituendam. Scimus tartareum hostem impetrata à Deo facultate sæviendi in corpus Jobi, omnem adhibuisse conatum, ut per corporis arietationem ejus expugnaret animam: sunt enim qui morborum genera quatuor supra viginti recenseant, quibus veluti assultibus acherontiirus hostis sæviit, disrupitque corporis parietes animum expugnaturus. Initio phagedæna mali-

maligne terra, verminosa, serpens, ac miserè depascens artus singulos peredebat membrorum carnes; cui accessit sacer ignis per poplites, tibiásque perversè grassans, cui adjectos cancer torum corpus putredini, ac tumori objecit. Lepra quoque ad ipsa descendit ossa, plumbeúmque sanguinem genuit, mœrores procreavit, angores peperit, somniáque excitavit terrifica. Huic accessit arthritis omnibus in membris horribiles exsuscitans cruciatus. Ebullierunt in singulis putrescentis corporis sauciis membris vermium turmæ; & scatentia putredine ulcera, puculentæque tabes, nares, aures, frontem, genas, os, & gingivas corruperant, non absque acerbissimo tum dentium, tum cepitis dolore: quinimò torquebatur etiam intus viscerum putredine, nephriti, seu renum exulceratione; pleuritide latus instar acutissimi gladii transverberante; enginâ pelatum, colliique glandulas tumore iocendente, & exasperante; marcore omnium viscerum ex inedia, & siccitate otto: & sexcentis aliis torquebatur Jobus morborum carnificibus, ut jam non homo, sed spectrum appareret, cujus aspectus oculis, fœtor naribus intolerabilem mephitim exhalaret: hos omnes morbos, hæc ulcere, hos dolores ad eum contra Jobum accersivit finem tartareus hostis, ut pravo desperationis affectu animum penitus prosterneret, ac ulceribus corpus: sed edoctus Jobus in mortis gymnasio, insolescenti, ac sævienti Acherontico tortori, & ne ulla desperationis pravitas insurgeret,

c. 10. frœnum injecit mortis recordatione: *Nunquid non paucitas dierum meorum finietur brevi?*

9\. Non egit de vita, quomodo convelesceret, quia filios in juventæ flore jam audierat morte abreptos, cumque in morte filiorum, propriam mente refricaret; desperationis pravitatem priùs prostrevit, quàm surgere, vel moveri ausa fuerit, & cum pravo quovis affectu Acheronticum etiam tortorem abegit, quia ubi feria mortis voluitur recordatio, exilire non audent, nec moveri pravi effectus: quia igitur de fine suo cogitavit Job memoriam refricante filiorum

Lib. Moral. c. 9. morte victor evasit, ut notavit D. Gregorius inquiens: *Cautum se, & solicitum de morte ostendit, qui brevitatem præsentis vitæ considerans, non ejus usum, sed terminum conspicit.*

10\. Nullum previs coërcendis affectibus frœnum aptius seriâ mortis recordatione, nullum eorundem medendæ ægritudini præstantius pharmacum, quàm si cogitemus vitæ hujus initium mortis esse exordium; & ejus fluxum, perniciſſimum cursum ad feralis Manium umbras, ad sepulchrum; vitámque nostram non tantùm esse calamitate ferocem, verùm & celeritate velocem: & quamvis obscura non sit ipsa labentis temporis pernicitas, si tamen eam clariùs, seriúsque pensemus; fastidium movent, inducúntque tædium deliciæ, quas mundi illecebræ nobis spondent, quæ nonnisi in fluxu, & per transitum nobis exhibentur; earum dulcedine venenum, ac perpetuum mœrorem nobis propinaturæ. Hæcque ratio cur Esdras nuptiarum inter convivia, voluptates, & delicias, surrexerit gemebundus, & mœrore confe- Esdræ lib. 1. cap. 19.
ctus dixerit: *Et in sacrificio vespertino surrexi de afflictione mea, & scisso pallio, & tunica curvavi genua mea*. sed cur integre die in sue perseveravit afflictione, vel cur si ed vesperam usque eam perduxit, non etiam totam noctem traduxit in luctu, surrecturus horis antelucanis ad matutinas hostias, & pacificas? aut nimium videtur Propheta flevisse, aut non satis, cum ad vesperam tantùm mœrorem suum perduxerit, & non in sequentis diei deduxerit crepusculum. Verùm agebatur contra nuptias illegitimas, contra carnis illecebras, & æstuantis concupiscentiæ, pravique affectus impetum; propterea non sacrificio tantùm debuit Sacerdos instrui, ut effrænes hos concupiscentiæ motus coërceret, sed sacrificio vespertino, in solis occasu, cùm dies emoritur, & Princeps planetarum occumbit; quia solius mortis recordatio potis est effrænes urgentis concupiscentiæ motus, & pravi affectûs sedare impetus; neque sola senctitas hostiarum sufficisset ad viperarum solvendum libidinosum amplexum; nisi funeris imago, omniúmque voluptatum perniciosissimus defluxus in solis occasu adumbretus Judæorum animos ad repudium permovisset, & ad concupiscentiæ illecebras omnes abigendas: quamvis sacrificii, thurisque in cœlum ascensus præcesserit; descensus tamen solis in occasum, morsque diei, seu nostri imago funeris fortiùs terruit, quos concupiscentia vinctos tenuit carnis illecebris: adeo efficax est libitina, poténsque ad motus omnes æstuantis concupiscentiæ coërcendos, ut sola suæ falcis ostentatione eos valeat sedare, & Ammonitides ab Hebræis sejungere.

Ad quid fluxis hæremus deliciis? si hæ Euro ocyus pertranseunt, si explosarum è tormentis bellicis glandium, & ruentis è cœlo fulminis impetum lentum esse fateri cogimur præ velocitate, quâ vita hæc nostre cum tempore avolat, & cum volens vitæ, etiam quidquid deliciarum nobis mundus exhibet, & concupiscentia suggerit? Quòd si Astrologorum calculo fixæ in cœlo stellæ citatissime vertigine ultra decies centena millia leucarum una hore quadragies obire dicuntur: eodem perniciſſimo fluxu hujus mortalis vitæ halitus, quo spiremus, fugit; & sola mors firmo pede nos manet, expectátque raptura, nec longiùs abest in tam brevi itinere, tamque prodigiosa pernicitate: & tamen quàm fatui! quàm inertes sumus! ut in hoc citatissimo vitæ fluxu, vix quò sit eundum, quidque sit hujus cursus terminus cogitemus, & ita sinamus nos rapi à perniciſſimo temporis cursu, ut ne vivere quidem 11.

dem discamus, neque effrœnes compescere pravorum affectuum impetus, quibus præcipites agimur ad malorum omnium barathrum. Certè brevitas vitæ, morsque properans ab omnibus concupiscentiarum illecebris nos prolixè avocat, vocátque ad illius vitæ amorem, quæ nullo occumbit occasu, nullo clauditur termino, & ad quam virtutum studiis perducimur. Hæremus præsentis vitæ fluxibilitati, & stare cupimus in ea, quæ continuò cadit, jugitérque labitur, quæ quò magis amatur, eò majora affert damna.

## §. II.

### *Mortis scholam necesse est, frequentemus, ut rectè vivere discamus, & pravos quosque Affectus compescamus.*

12. NOn hæreamus perituris, si perire nolumus; non innitamur caducis, ne cadamus; mortem adeamus, ut ipsa nos vivere edoceat, ut discamus effrœnes affectus coërcere, eorúmque impetus compescere, flammásque extinguere suo gelu urentis concupiscentiæ; nil enim fortius ad coërcendos pravos animi motus mortis recordatione, quâ Joseph tam generosè à se rejecit Puthipharis allicientem uxorem ad turpia, ut gloriosam de pravo concupiscentiæ affectu retulerit triumphum. Erat Josephus Jacobi filius eleganti formâ, specioso corpore, ideóque Ægyptiæ mulieri gratior, quæ pulchro demirata in corpore virtutem cepit ardentiùs inflammari in juvenem, & impudico intus æstuans amore oculos conjicere in adolescentem, simúlque raptis veluti in fomite igniculis occultum in visceribus ignem alere; cúmque flamma dietim reperet, ac incrementum subiret, cepit tempus observare, quo sine arbitris, absque teste posset uberiùs castum juvenem ad flagitium invitare: cúmque non semel impudicæ repugnâsset mulieri, & opposuisset fidem Hero, Deóque debitam; non tamen destitit urgente pravo concupiscentiæ affectu admovere preces, adhibere blanditias, exhibere munera, cumque frustrata semper spe neque importunis precibus, neque blanditiis potuisset castum juvenem flectere; adeo urgens concupiscentia æstuavit in fœmina, ut ausa etiam fuerit manus injicere recusanti, & ad scelus non solùm invitare, sed & violenter compellere: verùm ratus adolescens victoriam in fuga positam, pallio, quod prehenderat, relicto in improbis fœminæ manibus, foras extra cubiculum, domúmque se proripuit calumniam potiùs honoris subiturus, quàm castitatis passurus jacturam; siquidem irritata juvenis verecundiâ impudens fœmina, tantum cepit algere odio in fugientem, quantum priùs flagraverat amore in renuentem; tantùm prævalent pravi affectus in muliere, ut nonnisi amare, vel odisse sciat, & rarò ab utroque sejungi; oneravit enim innocentem infamiâ apud domesticos; dein ad proprium maritum eum sibi à fugiente relicto pallio accurrere, ac oculis fletu madidis Josephum vocare in crimen intentatæ turpitudinis, & cum inconsulta viri temeritas mulieri credidisset, injicitur innocens in carcerem, inde tamen fiduciâ bonæ causæ evasurus: sed quam dixerimus causam tam præclaræ victoriæ fuisse; in quónam armamentario tam valadis, támque opportunis se Josephus armis instruxit, quibus impudentiam fœminæ prosterneret, simúlque æstuantis concupiscentiæ flammas extingueret? nimirum suppetias è feria mortis recordatione efflagitavit, & terrore veluti incusso concupiscentiæ, eam fugavit: cùm dixisset impudens fœmina casto adolescenti *dormi mecum*, armavit tunc Josephum ad pugnam, non allexit ad turpia; duxit ad castra militem, non seduxit adolescentem in gynæceo: ad injectam nimirum per somnum mortis imaginem, vel in ipso somno oculatior evigilavit, noluitque succumbere, cum vel ab ipsa alliciente hera didicisset occumbendum semel esse: allexit adblandiens fœmina castum juvenem turpi illo invitatu *dormi mecum*; Gen. 39. non tamen eum illexit; evigilans enim in somno allicientis mulieris assultum concupiscentiæ repressit inquiens: *quomodo possum hoc malum facere?* si noctua hæc cæcutiens succlamâsset non dormi, sed *vigila mecum*, fortassis turturem inclinâsset in cœnum, olorem accendisset in flammâ; lutóque Armenium murem fœdâsset, sed cum objectam sibi à fœmina funeris imaginem deprehendisset, exarsit statim igne sanctiori, ac virtute loricatus ad pugnam se accinxit, de affectu concupiscentiæ depravato triumphaturus. Mitiùs fortâssis obstitisset Joseph impudenti fœminæ, vel saltem non tam viriliter pugnâsset, nec concupiscentiam flammis armatam expugnâsset, si bracteata Tisiphone adolescentem proritâsset, non somni pallore, sed excubiarum vigore; non mortis imagine, sed vitæ spirito.

Callidiores in expugnatione Susannæ visi sunt processisse senes illi, qui nivibus canitiei caput obtegentes, flagrans intus concupiscentiæ fovebant incendium, fuerunt hi duo senes non tam senectutis probra, quàm turpissima Veneris mancipia. Cum Susanna contra solis ardorem corpus pararet abluere arboris frondibus circumtecta, septisque fructecosis occultata, diligentérque, ut moria est castitatis, solicita, plena timore, omnia curaret ostia claudi viridarii; duabus, quas secum duxerat puellis per posticum dimissis olei, & smigmadis afferendi causâ, satis tutam, solámque se crederet; pellucidisque decurrentis fontis laticibus corporis ablueret membra; exilierunt statim lenones duo nivea canitie in fronte rigentes ac hyemantes; sed intus impuris concupiscentiæ flammis æstuan- 13.

ſtuantes; probróque naturæ, non jam ſub cinere, ſed nive ignem foventes: cooperti ſiquidem arborum ramis lavantem ſe obſervant Suſannam; cúmque pabulum aqua igni ſuppeditaret, ſubirétque ex fonte uberiùs in pectore flamma incrementum, moræ mox impatientes, perinde ac equus, & mulus adhinnientes exiliunt ex inſidiis, prorumpunt in ſcelus, ſolicitántque integerrimæ Matronæ caſtitatem, rati eam validius expugnaturi, ſi nullam ei mortis imaginem, nullúmque libitinæ objicerent veſtigium: allexerunt enim lavantem ſe mulierem: *Commiſcere nobiſcum, quòd ſi nolueris, dicemus contra te teſtimonium, quod fuerit tecum juvenis, & ob hanc cauſam emiſeris puellas à te*, ſed cur eam potius acriùs non terruerunt pœnâ acerbiori? cur eam non minati fuerunt lapidibus obruendam, veluti adulterii conſciam? cur teſtimonium duntaxat criminis ei objecerunt ſuppreſſâ lapidationis pœnâ? nimirum noluerunt vaferrimi lapidum meminiſſe, quia veſtigia ſunt mortis, & tegumenta ſepulcrorum: rati illicientes ad turpia ſenes objectu mortis, vel ipſam Venerem Niobe in ſilicem obrigeſcere: ne igitur quam intenderant flammis accendere concupiſcentiæ, cogerent in ſaxum frigere, à memoria non ſolum mortis, ſed & ſepulchralis integumenti abſtinuere; non enim ubi mors ſuos ſpargit cineres, ibi potis eſt concupiſcentia ſuas accendere flammas: fovetur in cinere, ſervatúrque ignis, quem lignum alit; ſed quem concupiſcentia fovet, cinis libitinæ extinguit: armatam Palladem contra ſe ipſos ad pugnam provocâſſent ſenes, è fontis frigidis laticibus, ardentiorem ad pugnam proſilientem; non Venerem in aquis natam in undis incendiſſent fatuo æſtuantis concupiſcentiæ igne, ſi vel funeris umbram lavanti ſe mulieri objeciſſent: ſi enim Veneris flamma ludit in aqua, perit tamen in cinere; proinde ſuppreſſêre inſanientes concupiſcentiæ æſtu ſenes omnem funeris umbram, mortiſque veſtigium, ut Suſannam ex puro lavacro in fecem traherent cœnoſæ impuritatis: verùm quamvis ſenes, vel potiùs ſenectutis probra, concupiſcentiæque turpiſſima mancipia ab omni refricatæ mortis abſtinuerint veſtiglo, abhorruerint ab umbrâ, reticuerint nomen; Suſanna tamen maritali addicta caſtitati contra inſultantes, aggredientéſque ſenes, ut ſe defenderet ſuppetias, opémque petiit à morte: ſiquidem Suſanna *Ingemuit, & ait anguſtia ſunt mihi undique; ſi enim hoc egero, mors mihi eſt:* objecit ſibi, & ſenibus impuro concupiſcentiæ igne exardentibus ſeriam mortis recordationem, & illicò fortior ad pugnam inſurrexit contra ſenes, quorum concupiſcentiam ſolo funeris cinere extinxit.

Daniel. 13.

Daniel. 13.

14. Potuiſſet Suſanna de crimine inſultantes ſenes exprobrare, eóſque totis lateribus, totiſque clamoribus increpare, ſed quia noverat nullum arietem fortiorem ad proſternendam concupiſcentiam eſſe mortis recordatione; hanc maluit commemorare, quàm ſcelus; ne igitur flammas ſentiret Suſanna concupiſcentiæ; ne allicientibus ad turpia ſenibus adhæreret, mortem accivit commilitonem in pugna, cujus ſubſidio amentium ſenum, ac amantium proſtravit concupiſcentiam, vicitque reluctantem rationi affectum, ſcitè D. Auguſtinus ait *Timor de futura morte mentem neceſſariò concutit, & quaſi clavis carnis omnes motus ſigno crucis affigit.*

Lib. 2. de Doct. Chriſt.

15. Non ſolùm funeris cinis ferocientis concupiſcentiæ extinguit flammantes tædas, verùm & gulæ illecebras, affectúmque ad epularum delicias coërcet, ac proſternit. Teſtis eſt Damocles, qui cum Dionyſio Siracuſarum Tyranno apprecatus fuiſſet omnem felicitatem; eúmque dixiſſet hominum feliciſſimum, eò quia opibus afflueret, viribus eſſet roboratus, & ſingula ad ejus votum fluerent, interrogatus à Principe num vellet ſuam experiri fortunam, guſtare felicitatem; & ſe cupere dixiſſet; collocari juſſit hominem in ſella ſua regia; tum ad menſam eximiâ formâ pueros delectos juſſit adſiſtere, eóſque ad nutum illius intuentis diligenter miniſtrare. Quid ni infunduntur manibus aquæ odoratiſſimæ ex aquiminariis argenteis, ſeu gutturniis; inſtruitur menſa, inferuntur fercula, quà ex ſylvis, ex aëre, terra, & aquis accerſita, & ad omnem luxum exquiſitiſſimè parata, ut animus quaſi hæreret anceps, quidnam potiſſimum in tanta jucundiſſimarum, optiméque conditarum eſcarum copia, & affluentia fames deligeret in cibum, manus capeſſeret; cúmque ad oculorum laſcivientium delicias inſtructa eſſet menſa; & quidquid auri, & argenti, ac margaritarum uſquam fuit, partim in vaſis, partim in ſimulacris, & partim in parietum ornamentis nitere videretur, & ex omnibus elementorum ſpoliis una menſa conſtructa ad delicias invitaret gulæ; jam incendebantur odores, jam pocillatores præſto erant, ut menſæ aſſidentibus cyathiſſarent fortunatus ſibi Damocles videbatur.

16. Verùm in lautiſſimo hoc apparatu juſſit Dionyſius fulgentem gladium è lacunari ſeta equina alligatum demitti, ut impenderet illius beati cervicibus; qui cùm primùm imminere ſibi mortem animadvertiſſet totus ſtatim expavit, tremuitque, ſimúlque timuit pendulam mortem propriis imminentem cervicibus; & tunc vel ſola mortis ſuſpicio apparatum illum voluptatis regiæ, ita infecit, ut Damocli non ampliùs ſapere viderentur fercula, ſed prorſus deſipere; & totus quà gemmis illuminatus, quà auro, argentóque nitidiſſimus apparatus ferales utrinque ſpargere umbras, fulgurare argen-

tum, pallere aurum, minitari gemmæ, rigere adamantes, squalere purpuræ, furere attagenæ, sævire mugiles; in lugubres nænias mutari puerorum cantus, & toto corpore contremiscens non fuit ausus manum extendere ad fercula, nec cibum ori admovere, nec lyris, vocibusque ad musicæ concentus inflexis aures accommodare, immiinentis mortis suspicione disturbante coacervatas illas gulæ delicias: nimirum perituræ vitæ aliqualis imago, ita Damocli affectum ad regiæ splendores, aulæ dignitates, ferculorum, gulæque delicias coërcuit, ut generosiora phalerna venena putarentur; dulciores cupediæ amarissimum absynthium; suaviora fercula, lethalia aconita: quia ubi sola mortis suspicio se ingerit affectus omnes ad mundi, carnisque delicias exarescunt, penitùsque extinguuntur.

17. Idque in Monachis Macedoniæ observavit Chrysostomus: tametsi essent viri oobilitate sanguinis illustres, deliciis innutriti à pueris, mox Cœnobitæ omnibus à se delicus præsertim gulæ abdicatis, nautici panis pauca frustula, eaque persæpe mucida, ac furfurea eorum cænam definierant anachoreticam; quibus nasturcium addebatur & sal; & rarissimè olusculis modicum instillabatur olei, cum sæpius calamitosum ferculum cinere inspergeretur, ut non cœna, sed supplicium dici posset, non ad naturæ vires instaurandas, sed ad gulam insipido illo, tenuique olusculo diriùs torquendam, idque sub solis occasum, nilque testaceis cotylis infundebatur, quàm frigida, è proximo perfluente fonte hausta, quâ sitis extingueretur convivarum, non appetitus expleretur; & cùm solemniores instruerentur epulæ, hæ cochleæ erant vicinis è montibus delatæ. Dixisses frugiferam quamlibet arborem interdictam iisdem cœnobitis fuisse scientiæ plantam, ex qua si quis vel pomum unum decerpsisset, mortem crederet incurrere, quam Protoplasti sibi, totique posteritati intulêre, cùm prohibitum sibi pomum ab arbore scientiæ decerptum deglutire contra Numinis præceptum ausi fuerunt. Quin & arbores quasi admirari visæ sunt, nulli se cænobitarum germinare in flores, maturescere in fructus, quasi Adæ posteri non essent, cùm ab omni se paradisi ligno continerent.

18. Imò non solùm à fructibus se abstinuere ascèterii illius incolæ, verùm, & à quovis alio cibo, quo etiam rusticelli innutriri solent, lac siquidem ab ipsis perinde ac venenum rejiciebatur, mella non secus ac toxica abjiciebantur, & mulsum non secus ac aconitum ab illo exulabat ascèterio, cujus mensam nullo linteorum solatio stratam modicæ herbarum radices sæpius apparabant, à qua quidquid saperet, quidquid gulæ aliquid posset illicii adferre sive in pomis, sive in racemis, sive in oleribus, non secus ac venenum abjiciebatur: neque proximorum montium nives deferebantur æstivis caloribus refrigerandis, nec in subsidium potionis, sed in corporis cruciatum jugiter rigebant; siquidem hyeme ad exercitium patientiæ nudis calcabantur pedibus, & rugiente per æstatem leone, siriòque mordente cane declinabantur in supplicium gutturis: acriùs torquebantur modicâ illa in stomachum demissâ escâ, quàm ipso jejunio, cum quidquid admoveretur ori ad deficientis naturæ reparandas vires plus displiceret palato omni destitutum condimento, quàm refectioni inserviret. Quin tota cujusvis cœnobitæ suppellex cilicio circumscripta erat.

Sed cur in Cœnobitis hisce tanta in esculentis, poculentisque austeritas? cur perpetuo amarore gulam torquere, palatum corrumpere, & stomachum affligere? cur si ut Angeli è cœlo delapsi cœlestem in terris vitam ducerent, adeò mortificandæ gulæ studuerant, ut nil ei uoquam concederent, quod placere posset? Causam hujus studii adfert S. Joannes Chrysostomus, quia cœnobitis illis è rudi fago sculptam calvariam, seu demortui hominis caput mensæ imponere moris erat, quo cœnaculum velut in sepulchrum verteretur, & squalor esset non refectio, quæ ibi sumebatur, imò scholam triclinium illud dixisses, in qua mors assidens magistra cœnobitas illos edoceret jugem pugnam cum appetitu præsertim gulæ, pravòque omni affectu ad quascunque mundi delicias, sensuúmque oblectamenta: hæcque ratio cur ab omnibus semper abhorruerint gulæ deliciis, cum enim funus conviv antibus excubaret, mortisque cinis condimentum daret modico cibo; nullas poterant Cœnobitæ gulæ experiri delicias; cum timerent, vel in amaro cicorio Sardanapalum latere, vel Epicurum in napo; quin etiam gulæ aspidem vel in fœniculo suspicabantur. Omnes ibi illecebras semper metuebant etiam cum ipsum absynthium deglutirent, & una erat omnium vox *mors in olla*, quin veriti ne cincreà è dape subreperet Heliogabalus, quisque in id incumbere satagebat studii, ut quicquid in stomachum demitteret, aliquid injiceret palato tormenti. 19.

## §. III.

*Mortis acceleratus accessus frænum injicit pravis omnibus affectibus in mundi illecebras.*

Quàm flocci fierent gulæ, carnisque blandimenta, quàm promptè frænum injiceretur pravis affectibus in mundi illecebras, si mortis seria recordatio nunquam memoriâ excideret, sed altiùs eidem semper hæreret, monitorisque fungeretur officio? si enim vita hominis flos est, certè non nisi diurnus. Flos est, sed Hemerocalis, cujus vita, & pulchritudo 20.

tudo diaria est, manè siquidem oritur cum die; vitámque orditur cum luce, adolescit mane, consistit in meridie, senescit vespere, & emoritur cum die, unde clamat Ezechias per Isaiam: *De manè usque ad vesperam finies me*, Cap. 38. quia mane homo hujus fluentis vitæ usuræ natus, vespere denatus einerescit; Job cap. 14. clamat Hussæus Princeps: *Homo quasi flos egreditur, & conteritur, & fugit velut umbra*: clamat Regius Psaltes *dies mei sicut umbra declinaverunt*: si vita nostra flos est statim arescens, umbræ fuga, vacuitas bullæ, quid mansionem quærimus in fuga, quid quietem in continuo fluxu delabentis vitæ? quid hæremus mundi deliciis, carnisque illecebris? si nonnisi umbratiles sunt; est siquidem vita præsens, cujus aliquid singulis momentis mors arripit, deciduus unius diei flosculus, manè ridens, guttulis intermicantibus affluens, inhians soli, cui totum aperit sinum, sed si mane pubescit oriente cum sole, vespere arescit, emoriturque cum eodem occiduo; nec diei priùs finem sentit, quàm vitæ. Idque sacro emblemate illustrans Jobus hominem 4.14. flori æquiparat, eò quia: *quasi flos egreditur, & conteritur*, quasi idem sit homini nasci, ac emori incipere, ac desinere; quia vix oritur, & statim moritur, cum nonnisi per interjectam literulam differant *oritur, moritur*, homo enim qui paulò ante erat in utero, mox putrescit in tumulo; hodie in thalamo, cras in sepulchro; mane epithalamium, vespere epitaphium; vixque super terram se oculis hominum subjecit, & mox intra terram oculis se subducit; & perinde ac bulla vix apparuit, & simul evanuit.

21. Verè florem dixerim hominem, quo nil fragilius; imò florem dixerim fœni, quem licèt nulla pruina coquat, nec sirius exsiccet canis, nec Eurus quatiat, nec vermis rodat, nec unguis carpat, nec grando conterat, nec aratrum contundat, per se tamen arescit, devenustatur, & occidit. Florem dixerim hominem, cujus tota species, & venustas unius diei circumscribitur spatio, ut mane floreat, & transeat; vespere induret, & arescat *Psalm. 89.* An non flosculus fuit evangelicus ille adolescens filius unicus matris suæ, spes familiæ, delicium consanguineorum? mane floruit, sed statim feralem eupressûs umbram incurrens, vel in ipsa aurora vix natus, nactus est occasum; & illa gemma, quæ in floris, fructûsque spem expandebat se, adorientis solis ridentes, & arridentes radios, exiguo libithinæ gelu decussa aruit, columénque familiæ eversum est; & tota spes matris unico mortis flatu evanuit: quàm fragilis, quàm caduca vitæ possessio quæ per blandimenta adolescentiæ concussa arescit? & tamen omni studio nitimur retinere, quod emissâ ab arcu sagittâ evolat citiùs; quod turrente delabitur velociùs: experimur orbatam oculis mortem in dies furere, in quosvis sine discrimine debacchari, nec eam flecti precibus, nec emolliri lachrymis, nec moveri lamentis, & non pluris æstimare dynastarum purpuras, diademata Regum, quàm rusticorum ligones, pauperum pannosas penulas, & mendicantium detritas, multóque scissu laceratas vestes. Et quamvis id detur lauro gloriæ, quia horrificum cœli fulmen arcere dicatur, non tamen ferale valet libithinæ declinare telum; falce siquidem mortis æquè scinduntur victrices lauri, ac præcelsæ Cedri; an non sæpe viri Principes in ipso triumphi exordio, in vix inchoato gloriæ cursu, & in primo veluti ad felicitatem gradu metæ obviant vitæ? annon persæpe in ipsa inchoata victoriarum pompa, in gestientis populi lætitia, militum acclamationibus, licèt ad nutum res fluant, arrideat fortuna, rideat Victor, statim præmatura mors cogit ad lachrymas, compellit ad ullulatus, trahit ad sepulchrum? & dum cæteri ovantes modulatè concinunt *vivat vivat*, ineluctabilis Parca stamen forfice scindens vitæ, inclamat *moriatur moriatur*.

Nullo nititur homo stabili fulcro, & 22. statim labitur, quem propterea comparaverim aviculæ, cui nomen apud Plinium Lib. 11. cap. 36. Hemerobios, quæ ad Hypanim fluvium ultra diem vitam non protrahit, sed eodem omnino die, quo vitam inchoat, absolvit; morientique soli commoritur, nacta una eadémque luce pueritiam, adolescentiam, juventam, & senectam, manè enim nascitur, meridie viget, vesperè consenescit, & moritur. Id tamen mirum in hac avicula, quòd vix lucis nata usuræ, tot coacervat alimenta, ac si lustra plura sibi vitæ sponderet: huic certè volucri haud absimilis est homo, qui tametsi ad fluvium hujus delabentis vitæ irremorato fluxu currat ad interitum, & quotidiè moriatur; siquidem teste Seneca: *Vita nostra crescendo decrescit, & hunc ipsum,* Epist. 24. post medium. *quem agimus diem cum morte dividimus; quotidie enim demitur aliqua pars vitæ*, adhuc hisce perituris hæreat, ac si per centena sæcula deberet vitam protrahere, & iisdem uti; domos, palatia ita construit ac si annos Nestoris esset victurus; com mors eidem hæreat à tergo, sitque statim moriturus.

Quinimò somnium potiùs est vita præ- 23. sens, solâ concipitur imaginatione, effingitur phantasmate, hinc Jobus loquens de homine ait: *Et qui eum viderant, dicent:* Cap. 20. *ubi est? velut somnium avolans non invenietur* (nectit Husseus Princeps inanitatem somnii cum pernicitate volatûs) *transiet sicut visio nocturna*; quia nimirum dies nostri veluti umbra fugiunt pleni inanitate; & nihilominus nos epulamur, choreas ducimus, mundi illecebris indulgemus, ac si vita nostra staret, & non flueret; ac si mors pleno cursu ad nos non properaret. Sunt qui tametsi plures congesserint opes,

adhuc soliciti sint de aliis coacervandis, ut opulentus ille Evangelicus apud Lucam, se
Cap.12. ipsum alloquens ajebat: *Quid faciam, quia non habeo, quo congregem fructus meos, hoc faciam destruam horrea mea, & majora faciam.* Sed quàm miser! cogitat de horreis ampliandis, de opibus congerendis, & nihil de sepulchro, cujus cras putrescet in cœno; nemo enim tam Divos faventes habuit unquam, ut posset sibi tutò crastinum polliceri, cui propterea retorquetur, *O stulte hac nocte anima tua repetetur à te; quæ autem parâsti, cujus erunt?* non ea relinques, quibus toto desiderio adhæres; sed quas acervâsti opes, ipsæ te relinquent, nec quid aliud tecum deferes quàm virtutes, si quas excoluisti; quàm vitia, si quæ amâsti: tædet hominem mortis recordationis, quâ ab hisce perituris abstrahitur; & quia mavult iisdem hærere, ægrè patitur funeris cinerem propriis obiici oculis.

24. Quòd si è memoria non excideret seria mortis recordatio; tæderet nos illecebrarum; ubi cinis quasi sepulchri tubicinem ageret perstrepentem; quiescerent pravorum affectuum insolescentes motus, & mediis in epulis desiperent gulæ illecebræ, idque expertus fuit Balthasar, cujus lamentabilem catastrophen enarrat Daniel c. 5. Is Rex Chaldeus primotes Imperii sui convivio ad omnem lautitiem constructo exceperat. Jam fumabant patinæ, siccabantur calices, argento Abaci nitebant; nives, ignésque in luxuriæ fœdus coierant, illæ generosiora falerna refrigeraturæ, & æstuantia pectora, ac capitum ferventes evaporationes delinituræ: aqua itidem, & ignis amico fœdere juncti mutuis se se auxiliis juvabant, ut pisces, quos aqua nutrierat, ignis excoqueret, & qui portum nacti in fluctibus erant, naufragarentur in igne. Vina verò cum æstu torreri debuissent, hyemabant in nive: est tamen adeò perversæ hæc nix indolis, ut flammas potiùs excitet concupiscentiæ, quàm extinguat: siquidem in conviviis facilè cum Baccho amicitiam Venus init; & inter montium nives, quamvis ex Veneris sanguine nulla floreat in purpuram rosa, vulnerat tamen Venus non refrictâ, sed succensâ in nive face. Dixisses ad Aulam Balthasaris accersitum Caucasum glacie rigentem, altáque nive hyemantem; & quia montes amat Bacchus, iisdem confœderatus; eorum inter nives tot suo Thyrso obnoxios habuit Prometheos, quot inerant epulones; quorum nec illi suæ defuerunt aves, quæ præcordia si non depascerent, saltem pascerent.

25. Neque saccharea deerant bellaria, nec mella, quæ spissata, & compacta in flores, lilia dissiparent pudoris: aderant & viris fœminæ, & Principibus, Regique pellices, non enim inter Bacchum, & Cererem desse Venus potuit: *Præcepit ergo jam temulentus ut afferrentur vasa aurea, & argentea, quæ asportaverit Nabuchdonosor pater ejus de templo: ut biberent in eis Rex, & optimates ejus: uxorésque ejus, & concubinæ:* eò devenerat pravi in gulæ illecebras affectûs insolentia, ut ad omnem jamjam se effunderet licentiam, debaccharetur inter Cererem undantem, & Bacchum exundantem, Venerémque fluctuantem, ac lyras, tibiásque incitantes ad turpia. Quid ni toto gurgite voluptatum immersi assidentes convivio *bibebant vinum, laudabant Deos suos aureos, & argenteos, æreos, ferreos, ligneósque, & lapideos.* Daniel. 5.

26. Verùm cum divinitatem colerent, eam callidius extinguere nitebantur, à qua declinaverant per cultum falsis exhibitum Numinibus *bibebant enim vinum, & laudabant Deos suos* falsa scilicet Numina, à vera deitate toto cœlo exerrantia; mille ex Assyriæ Primates mensæ illi accumbebant, quorum tamen nemo à Deorum se se laudibus abstinuit. Ea erat ferculorum pompa, esculentorum omnium rariorum opulentia, ut adstantium plerique unionem possent Cleopatræ fastidire; si enim semel Marco Antonio ab imperante simul amante fœmina liquatum fuit singularis pretii margaritum; haud errares, si diceres, pretia plurium rariorum unionum deglutiisse in Aula Balthasaris convivio assidentes. Cœnârunt omnes non tam in Apolline, quàm in Neptuno; quia una cœna plures spoliavit Provincias, expilavit elementa: nivibus rigebant fructus, hyemabant vina, ut vel montium supplicia in epularum transirent illecebras; quòd si olim alpium juga suis nivibus Pœnus coërcuêre, ne in excidia, & direptiones transirent Urbium; moris nunc est, ut suas montes in urbes submittant nives in mensarum solatia.

27. Sed ne à Balthasaris abscedamus deliciis, convivióque; narrat Daniel turbatam statim hilaritatem, extinctum ad gulæ illecebras pronum affectum, omnémque concupiscentiæ excitatam, flammam consopitam, inquiens: *In eadem hora apparuerunt digiti quasi manus hominis scribentis contra candelabrum, & Rex aspiciebat articulos manus scribentis, & tunc facies Regis commutata est, & cogitationes ejus conturbabant eum.* nimirum defloruit illicò omnis voluptas, aruit tota lætitia, evanuit totum gaudium, cecidit totus affectus, cessavit tota cupiditas in gulæ delicias: & unde hæc inopina catastrophe, rerúmque eversio? quis succensas extinxit concupiscentiæ tædas? quis tot pravorum affectuum coërcuit insolentiam? nisi vel sola mortis suspicio? advocavit Balthasar Aruspices, licèt timore correptus, ut scripturam legerent, & cum nemo ejus sciret interpretationem, accersitur Daniel, qui legit, explicat, & indicat, *Mane* id est numeravit Deus Regnum tuum

tuum, & complevit illud, *Thecel*, hoc est, appensus es in statera, & inventus es minus habens. *Phares* divisum est regnum tuum, & datum est Media, & Persis. Audito in scripturæ interpretatione mortis nuntio totus Balthasar contremuit. *Et compages renum ejus solvebantur, & genua ejus ad se invicem collidebantur.* Dixit enim Balthasari Daniel: scias ô Rex, Deum, qui numerat pluviarum stillas, Oceani guttulas, arborum folia, arenæ granula, temporis momenta, annos imperij tui viginti duos enumerâsse, ac Chaldæorum regnum suo clausisse termino, imò & appendisse ad trutinam suæ justitiæ omnes cogitationes, verba, actiones, vitia, probra anteactæ tuæ vitæ, & quia dies tuos superbiâ, libidine, temulentiâ, crapulâ, injustitiâ perdidisti, regno promeritus es spoliari, & tu hostili divideris acinace.

Daniel. 5.

28. Quid ni ad funestam hanc denontiationem expalluerunt omnium ora, obmutuerunt singulorum linguæ, madoerunt lachrymis oculi; flores deliciarum in spinas deferunt cruciatuum; & ubi mensæ generosiori fluebant vino, mox sanguine natant, ubi choreæ plurimum oculis, & concupiscentiæ adferebant oblectamenti, in strages vertuntur funerum; & pedes ante saltantes cum toto corpore, delabuntur omni destituti spiritu, & motu; ubi cantus, vocésque ad musicos concentus compositæ, aures oblectabant, jam luctus, gemitus, & ejulatus morientium, clamorésque occidentium totam replent aulam horrore, umbrísque funereis: ubi dapes, & fercula fumabant ad gulæ irritamentum, jam trucidatio, vastatio, & excidium, ferrúmque sævit non jam vino, sed fuso sanguine ebrium ad omnium spectantium tormentum; & ubi spectabantur saltantes tripodiantes, & convivantes, nunc luctuoso aspectui obviant vulnerati, concissi, confossi, sagittis trajecti, gladijs enecti, saxis allisi: quia non sola mortis suspicio pravos omnes affectus abegit ab illo Balthasaris convivio; verùm & ipsamet libithina sua falce saltantes, tripudiantes, & convivantes demessuit, urbémque Babylonem evertit succensis Palatijs, delapsis ab alto culmine turcibus, dejectis domibus, solóque æquatis singulis ædificiorum structuris, & Isaias, qui hujus tragœdiæ proscenium innuerat, ait. *Descende, sede in pulvere virgo filia Babylon, non est solium filiæ Chaldæorum, quia ultra non vocaberis mollis, & tenera. Sede tacens, & intra tenebras filia Chaldæorum: quia non vocaberis ultra Domina:* & cap. 21. *Cecidit, cecidit Babylon, & omnia sculptilia Deorum contrita sunt in terram:* Vecordes convivantes unà cum temulento Balthasare vivebant Bacchanalia, cantantes, saltantes, tripudiantes, quisque pravis suis indulgebat affectibus, quisque malis suis litabat cupiditatibus, & dum pergunt omnes lascivire, frui bonis, & cupiditatibus frœna laxare, stetit mors altera manu calamum tenens, quo sententiam in pariete scriberet, & altera gladium, quô jam latam exequeretur, omnésque pravas concupiscentias, rebellantes affectus sanguine extingueret.

Is. 47.

## §. IV.

### *Improbis omnibus affectibus prosternendis, & radicitùs amputandis nullus gladius aptior falce Libithinæ sæpius ad memoriam revocatæ.*

29. Nil adeò validè pravos omnes affectus prosternit, abijcítque extorres, quàm ipsa mors, imò & sola ejusdem recordatio. Hinc imprudenter egit Amnon, qui Thamarem violaturus ex pravo in ipsam affectu morbum simulavit, & in grabato jacuit. *Venit Thamar in domum Amnon fratris sui, ille autem jacebat*, sed cùm observaretur statim puellæ humanæ fragilitatis simulacrum, mortísque imago in adolescente jacente, mortuo haud absimili, omnibus nudato phaleris, moriturro similiori, quàm regnaturo, tametsi pravo concupiscentiæ affectu stimulatus puellam provocaret ad turpia, invitaret ad amplexus, facilè tamen fuit Thamari mortis obarmatæ simulacro omnes retundere assultus, pravúmque concupiscentiæ affectum petulantissimè in Amnone lascivientem prosternere, respondit siquidem, *Noli frater, noli opprimere me, eris quasi unus de insipientibus Israël.* Quàm potis est, vel ipsa mortis imago ad lascivientes concupiscentias compescendas, pravósque omnes affectus coërcendos! hanc libithinæ umbram objecit D. Hieronymus Heliodoro, & eum avocaturus, à pravis affectibus in hujus fluctuantis vitæ procelloso freto impellentibus ad naufragium, pericula omnia proponit, ut ea præcaveat, inquiens: *Hoc ego non integris rate, vel mercibus, nec quasi ignarus fluctuum pramoneo; sed quasi nuper naufragio ejectus in littus, doctus nauta timida navigaturis voce denuntio. In illo æstu charybdis luxuria salutem vorat, ibi ore virgineo ad pudicitia perpetranda naufragia scylla, seu renidens libido blanditur. Hic Barbarum littus, hic Diabolus pirata portat vincula capiendis. Nolite credere, nolite esse securi. Licèt in modum stagni fusum æquor arrideat; licèt vix summa jacentis elementi spiritu terga crispentur, magnos hic campus montes habet, intus inclusum est periculum. Tranquillitas ista tempestas est. Nec unum monstri genus, aut una pestis in hoc mari magno pertimescenda, sed omnia undique mala perniciem minantur luxuria Syrtes, honorum, ac dignitatum scopuli, charybdis avaritia, scylla libidines, contentionum Symplegades, Euripus scientia vana.* & præsertim hos inter fluctus facilè in scopulos impingimus, si efflantes pravorum affectuum Euri, Notique nos trahant, quò voluerint; si sinamus ab ijsdem nos impelli, si clavo rectæ rationis eorum assultus non eludamus.

2. Reg. cap. 13.

Epist. 1.

30. Nil prœmij, nilque mercedis sperandum, si pravis nostris inserviamus affectibus, qui tametsi aliquid videantur nobis spondere, nil tamen dare possunt nisi ventos, quibus nil vilius, inconstantius nihil. Quid enim aliud sunt bracteati dignitatum tituli; quid lemniscata nobilitatis stemata? quid acervata fortunæ dona? quid melle oblitæ voluptatis illecebræ? quid compta Veneris sterquilinia? quid carnis illicia? gulæ oblectamenta? & alia sexcenta, quæ per pravos affectus in brevia vitiorum, Scyllæque scopulos nos pertrahunt? hæc naufragia ut declinemus, insolescentes pravorum affectuum impetus, ventósque imperversantes, necessè est, coërceamus, vitemúsque; idque præstamus, si mortis recordationem non sinamus memoriâ affluere, neque excidere; sed homines agentes animam nostris objiciamus oculis, ac consideremus, homines perinde, ac ventos, efflare, ac desinere, venti siquidem quando vehementissimè flant, vim totam suam efflant; & cum acriùs furunt, celeriùs desinunt efflare; unde Job admirabundus petit à Deo, & penè conqueritur. *Et sic repentè præcipitas me?* quia ut scitè Tertullianus: *Via est, & illa navigijs cum longè à caphareis saxis, nullis depugnata turbinibus, nullis quassata decumanis fluctibus; adulante flatu, labente cursu, lætante comitatu, intestinò repentè percussu cum tota securitate desidunt. Non secus sunt naufragia vitæ, & tranquilla mortis eventus.*

Cap. 10. vers. 8.

Lib. de anima.

31. Imò ventus est vita nostra, quæ cum efflat, emoritur; evanescit, cum tumultuat; transit, cùm obstrepit; nec venari in hujus terræ sylvis, mundíque longè, latéque diffusis campis potest homo nisi vana, quibus intumescit, quamvis non sit etiam ipse, nisi ventus, umbra, vapor, & fumus aptior ad lachrymas ciendas, ad luctum movendum, quàm ad risum, gaudiúmque promovendum; est enim homo fortunæ lusus, inconstantiæ imago, corruptionis speculum, temporis spolium, mortis mancipium, versatile sepulchrum, fragile simulacrum, tenuis umbra, imò umbræ somnium, mors viva, spirans cadaver: hancque si propriam frequentiùs mente volveret homo conditionem, à quovis procul dubio abstineret pravo affectu, omnes compesceret concupiscentiæ motus, omnes coërceret irascentis animi impetus.

32. Quid quod se dicat homo cum simulacro Nabuchodonosoris æreum, ferreum, argenteum, & aureum, séque jactet, quòd florente ætate benè valeat, firmáque utatur valetudine, longáque annorum intercapedine, prolixóque temporis spatio distare à libithina? Nam fateor, te in ætatis flore, te prosperâ recreari fortunâ, te firmâ corroborari valetudine, te compactum esse ex ære, ferro, argento, & auro; sed velim consideres, modicum hærere limi in pedibus simulacri Nabuchodonosoris. Fateor te divitijs affluentem, sanitate optimè valentem, viribus corroboratum; sed limosi sunt pedes, facilè potes in saxum impingere, & corruere, delabíque in sepulchrum: nullus est, sive germinet in pueritia, sive vireat in adolescentia, sive floreat in juventute, sive consistat in ætate adultiore, qui obnoxius non sit prææmaturæ morti: neque excidium declinas, quamvis parcè comedas, moderatè bibas, medicè vivas: neque Nabuchodonosoris simulacro ullum videbatur periculum imminere, & tamen dissoluta statua corruit: lapis etiam sine manibus præcisus ad nos devolvitur, ut nos prosternat: morimur omnes, quia nati sumus; quia cinere, & pulvere sumus coagulati: quamvis procul à nobis sit lapis positus, distétque toto monte; ab ejus fastigio adhuc devolvitur in nostram pernitiem, & quidem quo minùs cogitamus.

Gloriabatur Absolon aurea coma, aureúmq; sibi videbatur in florente ætate caput gerere, sed quia limosi eidem fuerunt pedes, sylvam ingressus, è vita egreditur, suâ suspensus comâ: Amanus in cruce, quam pro Mardocheo paraverat miserè pependit. Golias cecidit prostratus ab adolescente, quem spreverat, contemptuíque habuerat; nulla est ætas, nulla dies, locúsque nullus, qui nos tutos à morte constituat; quia pulvis sumus: & hujus nostræ conditionis memoriam refricatura ecclesia fidelium capitibus cineres inspergit. *Memento homo, quia pulvis es, & in pulverem reverteris*: nimirum aquilam imitatur ecclesia: refert Plinius, Aquilam cervum prælio aggressuram multum pulveris alarum volatu collecti excutere in oculos cervi, insidentem mediam carnibus, pennisque ora verberantem, donec præcipitet in rupes. Perinde ecclesia hominem in pravos affectus tum irascentis, tum concupiscentis animi ruentem mediâ veluti viâ aggreditur, sternitque ferali hoc pulvere, eo tamen discrimine, quia aquila pulveres spargit, ut cervum præcipitem agat è præcelsa rupe: Ecclesia verò pulveres capitibus inspergit fidelium, ut eorum oculos aperiat, eósque in sublime pertrahat, à præcipitio avertat, eruátque è cœno pravorum affectuum. Hoc frœno osus fuit Philippus Macedo ad pravas quasq; cœrcendas concupiscentias, pravósque compescendos affectus: quotidiano siquidem illo carmine monitus, *Philippe homo es*, ad omnem se composuit moderationem, nec ab ullo se permisit protervo affectu prosterni, neque ab ulla prava concupiscentia vinci, nec vinciri. 31.

Lib. 10. cap. 4.

34. Vincimus, si refricatâ mortis recordatione ad pugnam instructi pravos quósque insurgentes affectus insequimur, excubiásque agimus: id nos edocent grues, quæ noctu excubias agentes altero pede lapillum sustinent; qui si somno sopiantur lapsu obstrepente indiligentiam coarguat. Scimus easdem æquora volatu trajicientes pulveres ferre gutture, quos Euris, Notisque cumultuantibus objiciant. Quidni perinde ac procello-

cellosum fretum, fluctuantem mortalem hanc vitam traijcimus, nec desunt ventorum flatus impellentes ad naufragium, seo impetus pravorum affectuum, quos tamen eludimus, si sepulchrales pulveres iisdem obijciamus; extinguitur enim hoc funeris cinere insurgentis concupiscentiæ flamma; sedantur impingentes in hos pulveres, ac compescuntur tumentes cæterorum affectuum impetus; perinde ac detumescunt procellosi æquoris æstuantes fluctus decumanis turbulentiores, cum primùm litorales impingunt in arenulas. Si seriò hos mortuales pulveres obijcimus insultantibus pravorum affectuum motibus statim coërcentur, ac sedantur, & nos edocent vanitatem rerum fluxarum, cùm nil tam splendidi, tamque pretiosi in mundo sit, cujus vanitatem nos pulvis non edoceat.

35. Scimus Vitulum ab Hebræis ex puro puto auro conflatum, & à populo obsequiis, cultúque adoratum, sed scimus etiam eundem in pulveres solutum. Quid ni statua Nabuchodonosoris ferrea in femoralibus, argentea in pectore, & aurea in capite quasi solis æmula splendens totius populi trahebat obsequia; sed vel unius lapilli ictu contrita corruit in pulveres redacta. Scimus poma Gomorrhæa eximiam in extrimo cortice prætulisse discolorem elegantiam, sed intus non nisi inanem cinerem inclusisse. Formam, vires, opes ostentat inflato fallu tumidus homo, cum tamen nil nisi cinis, & umbra sit, & tamdiu stat contra pravorum affectuum flatus, impetúsque protervos, quamdiu suæ conditionis pulverem non sinit memoriâ excidere; hac enim præmunitus stat intrepidus, & de hoste triumphat.

## §. V.

### *Mortis recordatione Juditha Holophernem prosternit, Betuliam liberat, mortem declinat, & studia promovet virtutum.*

36. NOn alio armorum genere voluit invicta Juditha instrui ad pugnam contra concupiscentiæ, ac libidinis æstus, ac cæterorum insolescentium affectuum impetus, quàm mortis recordatione. Sedebat tunc temporis Judaico in throno Manasses Ezechiæ filius jam per novennium, sed exiguis viribus, cum Babylonica captivitas plures è patria teneret extorres. Quieti, pacique indulgebat Manasses; hæcque causa fuit, cur Holophernes in universa circum regna bello debacchatus, Judæam, & Regem ejus Manassem negligeret, haberétque contemptui; vel fortassis quia Judææ expugnationem in victoriarum suarum differret quasi mantissam, clausulámque sui triumphi.

37. Cùm igitur belli procella plures regiones inundâsset, ac effuso mersisset cruore plures urbes, Provincias, ac populos, victoe in Chananitide substitit; donec sparsim diffusæ copiæ in varias Provincias irruentes in locum unum confluerent; & cùm pluribus jam cladibus, sanguineisque stragibus varios terrarum tractus fœdâsset, expilationibus urbes, domúsque spoliâsset; ferro, & igne solo æquâsset; tantus terror, ubique terrarum gentes pervaserat, ut Holophernem irati Numinis flagellum crederent, & haberetue Asiæ, Siriæque sævissimus Tyrannus, cujus lex erat nemini parcere, oppida, Castella, munitiones excindere; segetibus ad messem jam flavescentibus flammas injicere; pecora, jumenta, & facultates privatorum licentiæ dare militum; oliveta, ne pacis vestigium relinqueret, in terra radicitùs convellere; vineas extirpare, hortos, & campos destruere, lucos, & nemora dare flammis in pabulum, mares, armísque tractandis aptos suis, vel invitos adsciscere Legionibus, & inhabiles ad bellum in servitutis ludibrium trahere, ac fœminas in omne libidinis perducere ministerium; neque in servitutem inclinatæ cervices, neque imbellis sexus effusæ lachrymæ, neque legationum preces ejus valuerunt flectere duritiem, emollire sevecitatem.

Cúmque plura regna, provinciásque 38. sus déque vertisset, multiplicique funestâsset strage Holophernis insolentia, non quievit; sed specimina suæ sævitiæ daturus Judæis, Bethuliam Zabuloniæ tribus oppidum in Galilæa obsidione vallavit aquatione prohibitâ, commeatibus impeditis, quo innoxium populum diriùs excruciatet, adigeretúrque ad supremam vitæ desperationem. Verùm tametsi centum viginti millibus peditum, equitúmque viginti duobus millibus Bethulia cincta premeretur, unius tamen fœminæ brachio prostratus cecidit Holophernes, & tot millia militum præcipitem adacti sunt ad fugam. Fuit hæc mulier Juditha Merari viri præpotentis filia, vidua Bethuliensis de Tribu Simeonica, corporis elegantiâ, vultûs specie, & præsertim virtutum culturâ præ cunctis sui ævi mulieribus conspicua: hæc cum intellexisset Bethuliensium abjectionem, evocavit ad se Ozism, aliósque duos ex Primatibus *Charmium*, & *Chabrium*, quibus, quæ ipsa animo volveret pro communi patriæ salute, aperit, eorúmque in Deum fiduciam excitat, eò quia consueverit præsertim in defendendis causis justis propiùs adesse, cùm longissimè videretur abesse, & facilè Numen flecti in vota justorum, in preces demissas, in flexas in obsequium cervices, in animos ad suspiria, & lachrymas flexiles: & quamvis sinat interdum suum populum premi, non ita opprimi; exemplo Moysis dirigentis populum per avia deserti, per fluctuantis maris spatia edocturi posteros, populum Dei jactari posse, mergi non posse; & urbes defendi magis Numinis præsidio, quàm civium pectoribus.

Fuit Juditha orbata marito exemplum 39. castitatis, speculum pudicitiæ, ut ejos gy-

næ-

naceum schola videretur probitatis, & ipsa Magistra virtutum, & quamvis opibus afflueret, ætate floreret, elegantiâ corporis cæteris esset venustior; modestiâ tamen vestitûs, corporisque edomandi severitate fuit singularis, præsertim in pravis affectibus utriúsque appetitus concupiscentis, & irascentis ad normam coërcendis rectæ rationis: cœpitque eniximè Dei opem exposcere; dies, noctésque fundendis Numini precibus impendere; lumbos asperitate cilicij discruciare, jejunijs corpus emaciare: & quia consilia, magni præsertim si fuerint momenti, tamdiu tuta, quamdiu tecta; nonnisi Primatibus paucis obsessæ Bethuliæ communicata voluit. Egressura mox in castra Holophernis, oris nativæ venustati; vultúsque speciosæ formæ ornatum addit vestium; mundóque muliebri ad omnem elegantiæ cultum se accommodat, capiti aptatur mitra, auribus appenduntur Elenchi, digitis annuli induntur gemmis illuminati, pedibus sandalia inducuntur, balsamo corpus injungit, aquísque odoratis manus, vultúmque lavat, idque non ad libidinem movendam, sed ad patriæ salutem promovendam.

40. Nox erat adulta cum Juditha unica tantùm comitante Abra famula gestante in ascopera frugalem commeatum manibus egreditur obsessæ Bethuliæ, reliquúmque noctis precibus impendit Deo fusis; die mox illucescente in speculatores incidit Asyrios; transfugium ipsa simulat cum famula, excipitúrque perhumaniter, concilians sibi solius vultûs venustate, orísque majestate militum benevolentiam, quibus videbatur Dea aliqua in casses incidisse obsidentium, ut lectissima fieret uxor Holophernis, ad quem etiam adducitur prædâ, sed prædatrix mox futura. Sedebat Holophernes sub conopeo purpureo, auro, gemmisque radiante; prosternitur in faciem venustissima Juditha sua exhibitura Barbaro obsequia, cujus tamen cor priùs captivum ad se traxit, quàm laxiùs retia sua explicaret; quot enim fuerunt ictus oculorum, totidem accenderunt amoris faces in corde Holophernis: verba, quæ protulit, amoris fuerunt illecebræ. Hæcque prima velitatio omniùo ex voto venerabundæ successit Judithæ, cui pro diversorio assignatur illud ipsum tabernaculum, cui Holophernes thesauros suos concrediderat; ot nimirum ijsdem, hæc nobilissima fœminarum gemma plurimum adijceret incrementi, & pretij: apparantur reliqua, quæ demerendæ venustissimæ hospitæ apta crederentur, & præsertim delicatissima fercula, eidem de propria Holophernis mensa constituta, quæ tamen modestè recusavit, quia sibi per religionem non liceret alijs vesci cibis, quàm quos secum attulisset. Id unum pro singulari beneficio ipsam petere, ut sibi per noctem, ac diei crepusculum liceret extra tentorium divagari ad statas ablutiones, precúmque vices, ut moris erat apud suum populum obeundas; eâ modestia, comitate, & gratiâ condita fuerat petitio, ut concessum ei fuerit, prout erat in desiderio: hinc per trinoctium circuivit, ivit, & rediviт citra suspicionem agentium excubias.

Quatriduo jam fuerat castris immorata Asyriorum, cum Holophernes præcipit convivium apparari Asyrio splendore, & lautitie singulare, ad quod Juditham jussit vocari per Internuntium Vagaum Eunucorum Principem arte lenocinandi callidissimum; accedit Juditha, mensæ assidet, bibit, editque, sed non alios cibos, quàm quos secum è Bethulia tulerat. Cæteri, qui aderant, Babylonij Proceres hilares epulabantur, fumabant patinæ, coronabantur calices, undabat Ceres, exundabat Bacchus, furebat Venus, neque lyræ, ribiæque deerant, quæ tubæ sunt cupidinis, invitamenta licentiæ, irritamenta concupiscentiæ: in hac tamen alluvione voluptatis Juditha sua contenta frugalitate, modestia, ac venustate Holophernem magis incenderat; majoribus tamen se poculis Proceres Babylonij provocant, propinántque sibi generosiora vina, quæ etiam coronant in orbem, donec offusa capiti caligo jam tumulentos è capite deponat, & ad pedes labantes deijciat; & mero quisque, somnóque gravis discedit dormitum. 41.

Inducitur tunc in conclave Holophernis Juditha, foresque obserantur, columbam dixisses accipitris arreptam unguibus; sed Deus, qui Juditham excitaverat ad opus fæmineum supra sexum moliendum, adfuit etiam in pugna, & consistenti in arena opem tulit. Cúmque Holophernes profundo sopitus somno stertèret monita Judithâ plena fiducia in Deum ad facinus se accingit; recentes ac ferventiores ad Deum preces fundit, séque ejus commendat opi, ac protectioni: arripit mox acinacem è lecto pendentem dormientis, & nudato Persico gladio quanto potuit virium nisu in temulentum caput Holophernis ictum dirigit, separátque à reliquo corpore, abscissúmque pedissequæ foris præstolanti tradit, quæ statim peræ suæ immisit; inde accelerato passu ambæ castra, & excubias vigiles prætergressæ nocte intempesta Bethuliam repetunt, datóque ad ianuas sui adventus indicio in urbem ovans recipitur ingenti civium concursu, & plausu, ac Magistratuum commendatione. 42.

Sed quid causæ, quòd Juditha ætate adhuc florens, formâ nitens, eloquentiâ pollens, vestium cultu elegans pravum concupiscentiæ vicerit affectum, prostraveritque Holophernem? *Cúmque introisset ante faciem ejus, statim captus est in suis oculis Holophernes:* è fulgurantibus Judithæ oculis fulmen irrupit, pectúsque, & cor Holophernis transfixit; frontis serenitas fœdam fluctuantis concupiscentiæ excitavit procellam; dignitas faciei faces succendit Cupidinis; genarum rosæ spinas suppeditârunt, quibus acriùs urgeretur concupiscentia; mellita lin- 43.

Judith 10.

linguæ facundia non verba protulit, sed tela intulit; quibus eò lethaliùs Barbari cor fauciabatur, quò blandiùs viscera trajecerat: sunt enim in oculorum nictibus, in palpebrarum ictibus, in oris venustate, linguæ fecundia, genarum purpura, retia, fulgura, sagittæ, quibus etiam hominum fortissimi, Martésque gradivi capiuntur, fauciantur, prosternuntur: fœminea enim forma teste Carneade Philosopho: Regnum est, sed sine satellitio; vim adhibet, sed sine robore; tela evibrat, quibus vulnerat, sed sine sanguine; vincula nectit, sed quæ placent; venenum propinet, sed quod dulcescit; mortem infert, sed sine dolore: est venustas fœminea blandus tyrannus, suave tormentum, melleum venenum, vulnus adblandiens, vis suavis, quâ tamen virilis quævis fortitudo prosternitur; qua ratione Alexander Macedo abstinuit oculos à captivis Darij filiabus, ne cum viros vicisset, vinceretur ipse à fœminis; quarum forma flammas emittit; quibus mascula fortitudo cinerescit: censet Nonius formam à ferveo suam trahere nomenclationem, eò quia si venusta sit, & fœminea, aspicientes uret: hinc Thais ait: *Discede à me misella, à foculo discede: nam si te vel modicè meus igniculus afflaverit, ureris intimè.* *Ind Apul. l. 2.*

44. Arsit hâc flammâ Holophernes, & in cineres ab eadem redactus miserè perijt, à fœmina prostratus, qui tot millia hominum viceret: quin vel ipsi pedes fœminæ caput perdiderunt hujus gradivi Martis Judic. cap. 9. *Sandalia ejus rapuerunt oculos ejus*: quòd si pedum involucra ex animalium pellibus, ec bombycum telâ consuta adeò valuerunt, ut Holophernem vincirent, & vincerent, quid non potuerunt frontis hilaritas, oculorum fulgor, genarum rosæ, labiorum corellia, dentiúmque margaritæ? Calcei quibus fœmina humum trivit, terram pulsavie, sordes calcavit, oculos rapuêre Tyranni; cujus ad pedes potior pars hominum prona, & supplex se prostraverat; nunc effectus suos, bellicos spiritus, superbum fastum pedibus substernit unius fœminæ, & qui tot hominum capita protriveret, vincitur ipse fœmineis pedibus, quique barbaros populos, gentésque efferatas edomuit, suósque subjecit imperio, domatur mox ipse, prosternitúrque fœmineis sandalijs, quæ huic Prometheo fuerunt rupes illa Caucasea, ad quam suis illigetus tenebatur concupiscentijs. Certè nonnisi sordidus est impurus amor, cum vilissimæ se se rei emancipet; imò quid illo imbellius? cum vel unâ fœminæ crepidulâ, capiatur, & prosternatur? uno fulgurantis oculi nictu vinctus, & victus cadat? uno colli crine vulneratus vincatur?

45. Verùm quid est, quòd Juditha onguentorum fragrantia; ornamentorum elegantiâ, sermonis blandâ suavitete, frontis serena hilaritate, oculorum blanda fulguratione tanto periculo exposuerit castitatem, quam impensè excoluerat? quid, quòd tam blanda, venusta, hilaris, & ornata ingressa fuit sola, inermis, ætate, florens, specie venusta Asyriorum cestra, & Holophernis penetravit tentoria? *Non vereatur bona puella introire ad Dominum meum, ut honorificetur ante faciem ejus, ut manducet cum eo, & bibat vinum in jucunditate.* Verba sunt Vagaonis turpissimi lenonis Juditham allicientis ad flagitium, ad excidium castitatis. Quàm callidè Judithæ pudicitiam aggreditur, quàm blandè allicit, ut acriùs expugnet: vocat *puellam* quasi dignam, & aptem concupiscentiæ fovendæ Holophernis; nimirum in flore ætatis, æstu sanguinis, illicio venustatis; neque sufficit eam vocâsse puellam, ut ætas ipsa florida suederet flagitium; verùm addit, vocátque eam *bonam*, hoc est paretam, & pronem in obsequia, & ut omnem abigeret timorem periculi, ei suedet ingressum ad Holophernem excusso quovis timore, *ne vereatur introire*: subjungit, *ut manducet cum eo, & bibat*, quia si sine Cerere, & Baccho friget Venus, incalescit, æstuátque cum Baccho, subitque virium incrementum cum Cerere; quia epulis infarcinatus venter faciliùs in omnem despumat libidinem. *Judith. cap. 12.*

Cur igitur in hæc iminentia prosternendæ castitatis pericula se injecit Juditha castimoniç speculum, virtutum magistra, cultrix pudicitiæ? Quis ipsi victoriam spopendit de prostreta concupiscentia, de tot debellatis previo affectibus inter convivia, inter milites, hominésque ad libidinem pronos? certè non alio ariete potuit pravam quatere, & expugnare concupiscentiam, quàm seria mortis recordatione; hâc enim galeâ contecte virago, hâc munita casside, hac induta loricâ tote penetravit Assyriorum castra, nec timuit Holophernis flagrantem concupiscentiam, cujus flammas extingueret funeris cinere: potuit hisce munita præsidijs impolluta assidere cœnanti. *Judith ingressa ad Oratorium suum, & induens se cilicio posuit cinerem super caput suum.* Potuit ornatu vestium, ungoentorum fregrantiâ, gemmarum nitore, frontis hilaritate, oculorum fulguratione incedere, & accedere citra castitatis discrimen: potuit tota castra pertransire Asyriorum, militum non timere insultus, & secura penetrare Holophernis papiliones, cùm margaritis sepulchrales cineres suppofuerit; cùm insurgenti ac insolescenti concupiscentiæ frœnum injecerit libithinæ; cùm palmis, laurísque victoris Holophernis cupressos objecerit emortuales. 46. *Judith. 9.*

Quòd si exuerit virago cilicium, cùm se ad Asyrium Principem obtruncandum eccinxit; non tamen cineres excussit: nimirum retinuit belletrix virago in sui pudoris præsidium sepulchrales cineres, quibus fortiùs concupiscentiam prosterneret, ejúsque flammas extingueret: accessitra ad gradivum Martem *abstulit à se cilicium.* Sed nullam vocavit ex ancillis, quæ impositum capiti cinerem excusslaret, ne scilicet victoriam abijceret, si cineres excuteret: latuerant sub ornatu muliebri, 47. *Judith. 9.*

bri, mitráque pluribus illuminata gemmulis, cincinno fluctibus tortuoso, mortis reliquiæ, ne moreretur castitas in papilionibus Assyrij bellatoris; ne in ejus convivio, ubi Venus favente Baccho insolescit, quidquam detrimenti pateretur ejus pudicitia: quòd si nives, quibus in mensa Assyrij Principis riguit Bacchus; & Venus incaluit, ne morerentur, sepultæ antea fuerant, & inter umbras Manium asservatæ; Juditha, ut pudicitia indemnis viveret, è sepulchro suppetias hausit, quibus non Bacchus tantùm, sed & ipsa Venus rigeret. Quid ni noctu Juditha triumphavit de Ganeone, quia nox ipsa memoriam refricat demortui diei. *Ut autem sero factum est, conclusit Vagao ostia cubiculi, & abijt*; nox ipsa, quia defuncti diei, mortuæque lucis symbolum fuit, castæ viragini spopondit victoriam; nox ipsa suas offuderat tenebras, ut clariùs, ac illustriùs splendida virtus Judithæ triumpharet. Coërcendis pravis omnibus affectibus, nullum frœnum aptiùs habuit Juditha feriâ mortis recordatione: quapropter D. Ambrosius scripsit. *Nil æquè tibi proficiat ad temperantiam omnium rerum, quàm frequens cogitatio brevis ævi; & hujus incerti. Quidquid facies respice mortem.*

Epist. ad Heliod.

## §. VI.

*Ineluctabilis est fatorum necessitas; eadem lege, quâ nati sumus, mori cogimur, ut pravi omnes in nobis affectus emoriantur.*

48. Utinam quoties concupiscentia æstuat, pravi affectus fluctuant, irascentis appetitus mor⁹ tumultuantur, oculos injiceremus in manium umbras, in sepulchrales caligines, mortisque feralem noctem, non fineremus nos prosterni, nec vinci. Procul hinc non homines, sed milvi, qui tametsi rapacissimi, sempérque famelici, nihil tamen esculenti rapiunt unquam ex dapibus, quas ipsis Libithina exhibet in sepulchris, nil de funerum ferculis arripiunt, & quamvis aliàs avidissimi, ac rapacissimi nihilo tamen, quod mortem sapiat, inhiant; licèt curiosissimi, nil tamen aspicunt, quod funus oleat, aut pollincturam redoleat; & gratior est ipsis cœna frugalis sub Cedro, quàm lautissima sub cupresso; quia omnem Libithinæ fastidiunt umbram, aversantur apparatum, nisque ardentiùs cupiunt, quàm quod potis sit, omnem mortis memoriam abolere, omne funeris vestigium delere; cum tamen moneat nos Syracides. *Melius esse ire ad domum luctus, quàm ad domum convivij*: temporaneum tamen, & perbrevem declinaturi luctum, infelices æternò obviant cruciatui; an putant, posse Libithinam declinare? sed falluntur, quia Parcæ nemini parcunt, & in earum colum, fusum, licia, stamina, girgillum, glomicellum, forfices, vitæ, necisq; hominum jus omne Superi transtulere: nec sufficit, lanificas has exorare sorores, quia neque prece flectuntur, neque lachrymis emolliuntur, neque querelis dimoventur; sed quem statuêre diem, ab illo neque latum unguem abscedunt; sed ad amussim observant: carent auribus Parcæ, ne precantes obaudiant; carent oculis, ne lugentium miseratione moveantur; carent fronte; ne erubescant propriam sævitiem; carent linguâ, ne ab ipsis solaria ulla expectentur: imò caret more etiam carne, seu destituitur humanitate, ne sensus ullus miserationis speretur: soli supersunt nervi, artus, & musculi, sola arescunt ossa; & ipsa armatur arcu, & sagittis, quibus homines funeris præsertim osores feriat, prosternátque.

Ecclesiast. cap. 7.

Inevitabilis est fatorum necessitas eadem siquidem lege, quâ nati sumus, mori cogimur; neque ab hac adamantina lege, & vera necessitate potis est quispiam se eximere; omnium enim versatur urna, & eandem, quam Deus vitam, seu depositum tradidit, quando lubet, reposcit, etiam nobis invitis; quia ad hoc nati sumus, ut ultimum naturæ tributum aliquando pendamus, neque ab illo solvendo ullus hactenus deprehensus fuit liber, quamvis diademate regio insignitus, Imperatorio palludamento ornatus, fascibus consularibus condecoratus, divitijs quamvis fuerit potens, victorijs clarus; & robore animi, ac corporis commendatus: neq; alia, cur ad id adigamur, potest ratio reddi, nisi quia mortales sumus, & lutea vasa circumferimus. Moriuntur, quotquot nascuntur; hoc tamen discrimine, quòd mors ijs intolerabilis est, qui priùs pravis suis affectibus, & cupiditatibus mori non didicerunt; ijs mors est gravissima, quibus plurima emoriuntur morte sua; quid ni vivebat in illo pravorum omnium affectuum tumultuans turba, superbia intumuit, luxuria æstuavit, avaritia insorduit, invidia torsit, acedia contabuit, livor inlanivit, desiderium arsit, amor flagravit, odium riguit; hi omnes pravi affectus uno moriente moriuntur. 49.

Quàm fallax vulgi judicium putantis vitam, bonorum maximum; & mortem, malorum omnium teterrimum! potiùs vita malorum est maximum, cui non bene vivit; & mors bonorum summum, cui non malè moritur: vita enim, nisi bona fuerit spatium sceleribus laxat: secus mors non mala finis est malorum, clausula miseriarum. Non igitur mala mors est nisi ijs, qui malam eam effecerunt pravis suis indulgentes cupiditatibus, tumultuantibus suis adhærentes affectibus. Non est mors hominis perinde ac pecudis; non est animæ interitus, sed transitus; & turpem mortem soli pravi affectus, qui à veris rectæ rationis deviârunt dictaminibus constituunt, malámque efficiunt. 50.

Timendi sunt pravi effectus, utriúsque appetitus concupiscentis, & irascentis perversi impetus, fluctuantes motus, tumultuantes æstus, quia stipendia sunt mortis; neque ijsdem coërcendis ullum aptius frœnum feriâ mortis recordatione, si nimirum pensemus eam quovis tempore, omni in loco etiam exteme- 51.

tempore, ac repentino accessu nos rapere, sive in convivijs hilares, sive in carceribus squalidos, sive in miserijs tristes, sive divitijs affluentes, dignitatibus insignitos, titulis illustres, scientijs commendabiles, sanitate gaudentes; an non sanus, & hilaris fuit Tarquinius, cùm pisciculi spina suffocatus interijt? annon sanus Fabius, quando cùm lacte in pilo mortem ebibit, & lactea dulcedine vitæ rescidit filum? annon sanus Aristides, quem mustella momordit, simúlque extinxit? Scio Patrem Cæsaris Dictatoris hilarem surrexisse è lectulo, & dum calcearetur, animam egisse; scio alium Cæsarem pede in limen impegisse, & properantem spiritum excussisse; scio ex Luciano Anachreontem Poëtam uvæ acino deglutito interijsse; scio Luciam Marci Aurelij filiam acûs punctam acumine enectam corruisse; Legatum Rodiorum, postquam causam in Senatu summa admiratione orâsset, in limine Curiæ unà cum causa animam egisse. Scio insperatam lætitiam animam excussisse multorum, idque contigisse Chiloni Lacedœmonio, & Rodio Diagoræ, qui cum filios in ludis Olympicis victores amplecterentur, eodem loco, & tempore unà cum gaudio efflârunt animam.

51. Quàm cæci, quàm insani homines! qui anxio consilio quærunt, quomodo vitam exuant. ferrum acuentes, venena præparantes, ignes accendentes, aquas aggerantes, laqueos apprehendentes, acinaces nudantes, quasi magno apparatu opus sit, ut vinculum, quod anima corpori illigatum tenet, solvatur; quasi mors, innumeros non habeat aditus, quibus nostras irrumpat in ædes, penetret secretiora adyta, irrepátque in intimora loca, in quibus nos tutiores esse censemus? cùm experiamur nunc fenestras, modò hypogæa; hic per projecturas, alibi per tegulas nostras ingredi ædes: habet ipsa in arce nostri corporis suos commilitones, seu humores, quibus ad interitum ducimur; morbos, quibus absumimur; catarrhos, quibus suffocamur; pleuritides, quibus transfigimur; saxa, quibus intùs lapidamur, torquemur, & plures alias causas, quibus veluti Ministris utitur in nostram perniciem.

52. Multipliciter nos mors vellicat, rapitque, & quiquid alijs contigit, id nos manet, rectè Bernardus ait. *Quicquid alijs accidit tibi accidere potest, quia homo es, homo de humo, limus de limo, de terra es, de terra vivis, & in terram reverteris, quando venerit dies ultima, quæ subitò venit, & forsitan hodie erit. Certum est, quia morieris, sed incertum quando, aut quomodo, vel ubi, quoniam mors ubique te expectat: tu quoque si sapiens es, ubíq; eam expectabis.* Neque sperandum, posse precibus flecti, vel lachrymis emolliri, unde etiam Virgilius

*In Meditat. cap. 3. de dignitat. animæ.*

*Desine fata Deûm flecti sperare precando,*
*Stat sua cuíque dies, breve & irreparabile tempus*
*Omnibus est vita.*

53. Neque semel ingressis Manium umbras spes ulla illucet, inde evadendi, nisi ad judicium universale: scitè Catullus

*Soles occidere, & redire possunt,*
*Nobis cum semel occidit brevis lux,*
*Nox est perpetua una dormienda.*

54. In umbra quiescimus, qui nonnisi umbratilem egimus vitam; sordescimus in cinere, qui ex cœno, pulveréque compacti fuimus, rectè Lampsac.

*Ecce sumus pulvis, sumus ecce miserrima tellus,*
*Et nostri fugiunt, ut levis aura, dies.*
*Solvimur, ut nebula, surgens ut in aëra fumus.*
*Et veluti solvi sole pruina solet.*
*Carpimur, ut stipula rapido carpuntur ab igne.*
*Nil nisi vivendo somnus, & umbra sumus.*
*Unde igitur fastus venit, unde superbia nobis?*
*Quot fatum, præter tot mala triste rapit.*

Et Horatius *Lib. 4. Od. 7.*

*Damna quidem celeres reparant cœlestia lunæ:*
*Nos ubi decidimus.*
*Quò pius Æneas, quò Tullus dives, & Ancus?*
*Pulvis, & umbra sumus.*

Teste Cardano lib. 10. de subtilit. in Oceano Boreali juxta litus Moscoviæ piscis innatat, cui nomen mors: hæcque marina bellua, vel maximè dentata est, & ex ejus dentibus solent gladiorum confici capuli. Quidni humores, qui nostris innatant corporibus piscem hunc alunt; ideo non procul à nobis hæc bellua quærenda est, eam ipsi nos nutrimus, nobísque circumducimus, & mors sua, cuíque domi est: eúmque nos eam pascamus, nos & ipsa depascit, absumítque. 55.

*Paullatim morimur; momento extinguimur uno*
*Ut lampas oleo deficiente perit,*
*Ut nihil interimat, tamen ipso in tempore mors est:*
*Et nunc interea dum loquimur, morimur.*

Dies nos premit, ait Seneca, dies in noctem, æstas in autumnum desinit, autumno hyems instat, quæ vere compescitur. Omnia transeunt, ut revertantur. Tibi autem nemo restituet annos tuos, nemo iterum te tibi reddet. Ibit, quà cœpit ætas, nec cursum suum aut revocabit, aut supprimet. Non illa Regis imperio, non favore populi longiùs procedet, idque, cum Virgilium haud latuerit, scitè cecinit; 56.

*Optima quaque dies miseris mortalibus aevi*
*Prima fugit: subeunt morbi, tristisque senectus,*
*Et labor, & dura rapit inclementia mortis.*

Neque finit Libitina Regum se minis terreri, neque pauperum flecti precibus; sed pallida mors æquo pulsat pede pauperum tabernas, Regúmque turres, & parinde moritur Sutor, ac Rex; pauper ac dives; semel quòd homo oritur, moritur. Neque repullulant ossuariæ; quamvis lachrymis superstitum madeant sepulchri pulveres scitè Lampsac.

*Dilaceras crines, cælum ululatibus imples.*
*Mestáque sanguineis ungibus ora notas:*
*Credis, an extinctos huc posse revertere Reges?*
*Flere obitum, est addi vulnera vulneribus.*

Communis lex naturæ est, communne tributum, à quo nullus eximitur, *semel mori:* stadium est mortalis vita; quamvis stare nescia, jugiter fluat, hoc ingredimur omnes, non ut stemus, sed delabamur in pulveres sepulchrales: Imò fluvium dixerim hominis vitam, jugiter enim fluit, donec, si non amaras pelagi in undas, seu maris sinum, Manium se exoneret in umbras; nullus sine occasu est solis ortus; & nulla sine certo interitu hominis vita. Neque sola senectus inevitabilem hanc trahit necessitatem, sed ætas omnis eidem obnoxia est. Incertum est, quo nos loco mors expectet; proinde par est, nos eam omni loco, omníque tempore expectemus; cum neque parcat floridæ juventæ; neque virescenti adolescentiæ; neque trepidantibus senum poplitibus: hinc Anaxagoras, & Socrates cum mortis sententiam per nuntios suscepissent, jam olim, responderont, hanc æquè iu Judices, atque in nos tulit natura: neque ulla potest ratione rescindi, quia ut rectè Ovidius:

*Fata manent omnes, omnes expectat avarus*
*Portitor, & turba vix satis una ratis.*
*Tendimus huc omnes, metam properamus ad unam.*
*Omnia sub leges mors vocat atra suas.*
*Scilicet omne sacrum mors importuna profanat,*
*Omnibus obscuras injicit illa manus.*

# DISSERTATIO XII.

## Parcæ nemini parcunt, non prece flectuntur, non lachrymis emolliuntur, ut & nos discamus, nulli pravo parcere affectui.

### §. I.

*Volatilis, & fluxa hominis vita nos edocet, non esse immorandum nec adarendum mundi delicijs, à quibus avocandi sunt nostri affectus.*

Nullus hactenos mortalium rapaces evasit Libitinæ ungues, neque ullus hactenus inventus clypeus, quo ictus mortualis falcis retunderetur; nec ullum alexipharmacom, quo ejus malignitas corrigeretur, neque frænum ullum, quo ejus acceleratus cursus coërceretur. Voca in consilium Machaones omnes, Chirones, Esculapios, Gallenos, Hypocrates, nullam contra vim mortis invenient panaceam. Excute omnia bellorum armamentaria, nullam contra ejus violentiam reperies panopliam. Quamvis te abdas, quamvis secretiora petas terræ penetralia, instárq; serpentis in millenas te spiras convolvas, hanc tamen fatalem moriendi necessitatem nunquam eluctaberis, neque quidquam tibi proderit, affluxisse divitijs, claruisse scientijs, splenduisse dignitatibus; omnia exues, nudúsque natus, nudus etiam denatus, perinde ac in utero, sordesces in sepulchro. Idque cùm innotuerit Severo Imperatori, & animadvertisset se sensim ad mortem rapi, linteum, in quo tumulandus erat, per castra conto levatum circumferri jussit, ac per præconem edici: *En ex amplissimis regni opibus, quod unicum Severus Imperator secum adferet?* Velit, nolit homo, solvendum est Libithinæ ex communi naturæ lege tributum, moriendum est, nec ullo potest quispiam se velamine subducere: perinde ac fera cum laqueos agitat, arctiùs irretitur; non secus ac volucer cum viscum trepidus excutit, plumis omnibus illinir; nil prodest, vires omnes exercere ad mortis laqueum excutiendum,

Cur-

3. Curaverat Justinianus Imperator stragulam sibi vestem contexi, in qua phrygia acu depicta exprimerentur singula victoriarum monumenta; cernebantur, ibi ad vivum expressæ effigies victarum urbium, ac Barbarorum Regum, quos ipsemet suis debellaverat auspiciis. Verùm vestis illa tot victoriis illustris, tot expugnatis urbibus nobilis, tot debellatis Regibus insignis potis fuit mortis refricare memoriam, non ejus falcem retundere: & cùm stetisset Imperator post prostrata tot Regum capita; cecidit tandem & ipse unico properantis Libithinæ flatu; nec quidquam illi profuit vicisse tot hostes, suo imperio subjecisse tot Provincias, totque evertisse urbes; victus & ipse tandem cecidit; neque ulla est arx, tametsi munitissimis cincta propugnaculis, quamvis multiplici clausa ostio, in quam mors sibi aditum non aperiat; nulla est turris, quamvis ferreis munita repagulis, in quam mora non ingrediatur; nullus locus, nulla hora, in qua non accedat, ut nullus turus sit sive sub tecto, sive sub dio. Miphiboseth Saulis Regis filius, cum meridiaret in lecto à domesticis interfectus est latronibus. Josias inter Reges Judæ pietate insignis, liberalitate clarus, cultura virtutum sanctus, cum Nechao Egyptiorum Regi exercitum ducens occurrisset telo ictus inopinatò in castris occubuit. Egillus Gothorum Rex à Tauro in furias acto crudeliter discerptus occubuit Malcolmus primus Scotorum Rex post pleraque justitiæ specimina nocte intempesta, cum Regnum lustraret suffocatus periit. Quot pori in humano corpore, totidem ostiola, per quæ mors ingreditur; & quamvis non ubique se mors propè ostendat, ubique tamen propè est; neque fidendum, quòd hesterna dies felix illuxerit, fluxeritque; stultum enim est credere crastino die nobis non posse contingere, quod hesterno non obtigit, quando singulis potest accidere momentis.

5. Stat quidem terminus vitæ, ubi illum inexorabilis fixit fatorum voluntas, sed nulli nostrûm innotescit, num propè, an procul versetur. Hoc unum certissimum, & ineluctabile moriendum esse ex communi naturæ lege, & dies hominis paucos esse, & breves. Neque quidquam prodest septuagesimum, vel octogesimum exegisse annum, quia cùm jam omnes effluxerint, nil ex ipsis tenemus, nos eos reliquimus, ut & ipsi nos reliquerunt, quod præteriit, ampliùs non est, neque in nostra proinde potestate: quod futurum est nondum est, nec propterea illud possidemus, quod est præsens omnino instantaneum, modicum, ac momentaneum, à quo tota vitæ nostræ ratio pendet: itáne tanti facimus hominis vitam, quam unicum circumscribit fluens instans? uno mensuratur temporia momento? unóque clauditur impartibili temporis motu? ex puncto fugientia temporis pendemus, ex unico temporis instanti vita pendet, & tamen ita socordes vivimus, ac si nunquam essemus morituri: & senes ipsi, quamvis ex naturæ lege fato proximiores, plerumq; non de excavando sepulchro, sed de construenda domo cogitant; miseram planè senum sortem! quibus quò minus superest viæ, ac vitæ amplior de viatico, & mansione est cura. Senem domum construentem alloquitur Lyricus Venusinus. *Lib. 2. ode 18.*

> *Truditur dies die,*
> *Novæque pergunt interire Lunæ*
> *Tu secanda marmora*
> *Locas sub ipsum funus, & sepulcri*
> *Immemor, struis domos.*

4. Non ita fluxis hisce terrenis inhæsit Patriarcha Jacob, qui cùm interrogaretur à Rege Pharaone, quot anni essent vitæ suæ: *Quot sunt dies annorum vitæ tuæ*, respondit, *dies peregrinationis meæ centum triginta annorum sunt parvi, & mali.* Audiant qui Tantalica laborantes siccitate extensissimos sitiunt hujus fluctuantis vitæ annos: Peregrini sumus, non incolæ, imò neque diuturni itineris, sed diurni peregrini, quia iter nostrum breve, & malum; quia vita nostra, quæ via est, nonnisi momento temporis circumscribitur, quod vix oritur moritur: mala itidem cum nonnisi spinas exhibeat, & rarò flores; sæpiùsque rubos, quàm rosas calcandas sternat, *quid enim* ait Augustinus *est diu vivere, nisi diu torqueri?* cingimur vepretis, quibus discruciamur; madémus lachrymis, quibus tristamur; affligimur doloribus, quibus ferimur: nil peritura hac vita miserius, cum ipsum vivere nil aliud sit, quàm continuus dolor: quid enim nobis exhibet fluens hæc vita nisi morborum congeriem? miseriarum pertinaciam, dolorum sævitiem, & malorum omnium integram encyclopediam? ut non abs re Lyces dixerit, vitam nostram animi carnificem, cordis tortorem, & spiritûs supplicium, ei pariandum, quò homines vivi putrescentibus illigati cadaveribus os ori, pectus pectori, manus manibus arctissimè constricti atrocissimè discruciabantur: siquidem anima ex altissimo domicilio depressa, & in cœnum humani corporis demersa constringitur putrescentibus, fluidisque nostri corporis membris, quibus ita arctè adhæret, ut nonnisi sola mors suâ possit falce vinculum dissolvere, animámque à corpore separare; neque singuli terrarum tractus longè, latéque per varia imperia, & regna extensi alio uberiùs ditescunt, quàm miseriis, putrescentibus cadaveribus, Manium umbris, sepulchralibus cineribus, aridisque ossuariis; si enim oculos valeremus per singulas orbis partes circumferre, & linceo obtutu, Mausolea lustrare, Pyramides penetrare, monumenta Cæsarum, Regum, Principum ingredi, & ubique loca sepulchralia inspicere; nonnisi saginatum vermium nobis caveæ obvisrent; nonnisi sordescentes cineres, putidos pulveres, fera-

*Genes. 47.*

*De verb. Dom.*

les umbras, arescentes ossuarias invenire-mus.

5\. Quòd si Principum aulas, privatorum domos, hominum pectora penetraremus plures nobis occurrerent, vel lachrymis madidi, vel doloribus excruciati, vel febri absumpti, vel ulceribus putrescentes, quos vitæ propriæ tæderet; deprehenderemus, hanc deflere sponsam, alium dolere ob præmaturam filiorum mortem, alios parentare matri, plures illachrymari funeri patris; hunc videremus nauseantem perituram hanc vitam, alium anxium pro necessariis, illum sollicitum pro superfluis, nec ulla nobis domus occurreret sine lachrymis, sine doloribus, absque angustiis; nec ullus in domo incola sine suspiriis, querelis, & lamentis: hos dolor exurit, illos morbus absumit, alios curæ divexant, & omnes prava aliqua cupiditas rotat, vel pravus affectus torquet. Eum procul dubio hujus vitæ tæderet, qui in aliis tot miserias lustraret, quibus & ipse est obnoxius, quia ut scribit ad Casulum Aurelius Antoninus: *Si singuli linguâ palam exprimerent, quæcunque clam in corde sentiunt: cælum credo suspiriis rumperent, humúmque lachrymis inundarent:* quàm ingens, quam atrox, quàm vehemens est dolor iste, qui si per suspiria in apertum erumperet, perinde ac fragrosum tonitru nubes discinderet, aërem diffinderet, & cœlum ipsum dirumperet; quia nimirum dolor animi minimus longè acrior est, quovis maximo corporis dolore: dolor, quo corpus affligitur, membra torquentur, foras quodammodo evaporat, & per lenimenta, & spiracula membrorum mitescit: secus dolor, qui ærumnosum cor lancinat intus clauditur, sævit, recrudescit, & si feriat, nemo videt; si conqueratur, nemo credit; si lachrymetur, nemo sentit; adeout virilis fortitudo, & mascula virtus magis illucescat in dissimulandis internis doloribus, quàm in tolerandis corporis cruciatibus; illustriúsque splendeat in coërcendis animi affectionibus, quàm in tolerandis iis, quæ corpus torquent, excruciant, quæ enim in pectoris abduntur penetralibus, mores perturbant sine ullo externorum gestuum indicio; feriunt sine vulneris vestigio; vinciunt nulla obstrepente catena; febrim accendunt nulla ex vaporario exiliente fumo, homines prosternunt, dejiciúntque, licèt nullus nobis fiat lapsus conspicuus: adeo ut vita hominis brevis sit, & mala, interiúsque miserior torta pravis affectionibus, quarum ægritudini medendæ aliud nobis non suppetit præstantius alexipharmatum, quàm seria mortis recordatio.

6\. Aiunt, granium Calvariæ in furno arefactum, & pistillo in farinam redactum admixto oleo, gangrænæ felicissimè mederi: sed id utiliùs præstat sæpius refricata funeris memoria, quâ statim cessant pravorum ægritudines affectuum, & sanitati mentis restituuntur quotquot hac laborant ægritudine: si enim arescentes in sepulchris ossuarias ingrediamur, & seria contemplatione veluti pistillo conteramus ossa illa mortuorum, oleum non deerit lachrymarum ad pestem omnem pravorum affectuum abigendam. Plato tantò aliquem evadere sapientiorem censuit, quantò intensiùs properantem ad nos mortem perpenderet, ideóque Discipulis suis Philosophico addictis studio hanc præscripsit legem, quâ iter ingressi pedes nunquam operirent; significaturus hoc ritu, ut extremum vitæ per pedum nuditatem expressum jugiter perpenderent, nec sinerent memoriâ elabi mortis recordationem, quâ pravis omnibus affectibus frœnum injicitur, & insolescentes eorundem impetus coërcentur.

Imò tantæ est efficaciæ hocce alexipharmacum, ut non sinat, pravi affectûs insurgere ægritudinem, quam propterea priùs coërcet, quàm moveatur; extinguit, antequam accendatur. Hanc efficaciam hujus alexipharmaci nos edocet Nehemias filius Helciæ: *factum est*, ait: *in mense Nisan anno vicesimo Artaxerxis, & vinum erat ante eum, & levavi vinum & dedi Regi, & eram quasi languidus ante faciem ejus. Dixítque mihi Rex, & Regina, quæ sedebebat juxta eum usque ad quod tempus erit iter tuum, & quando reverteris? & placuit ante vultum Regis, & misit me: & constitui ei tempus. Et dixi Regi, si Regi videtur bonum, epistolas det mihi ad Duces Regionis trans flumen.* Sed cur Nehemias, cum sciscitatus fuerit à Rege simul, & Regina soli Regi respondet omissâ Reginâ assidente mensæ Regiæ? cur si vinum levavit coram Rege, loqui cum fœmina noluit; an non inurbanitatis videbatur redarguendus notâ? an non silentium Nehemiæ Reginam graviter læserat; cùm videretur negligi simúlque contemni? cur non etiam sciscitanti Reginæ debito satisfecit responso? quia pravam timuit concupiscentiam, si Reginam alloqueretur: hancque ut priùs præfocaret, quàm insurgeret, nec ullum voluit cum Regina verbum habere; erat enim fœminarum Orientalium pulcherrima, cujus faciei venustas, frontis hilaritas, oculorum fulguratio, sermonis blanda suavitas igniculi erant accendendæ concupiscentiæ aptissimi: moris siquidem erat, ut à Regibus Orientis id temporis sola fœminea venustas asciseretur ad solium: timuit concupiscentiæ ardorem, pravi affectus petulantiam, & castitatis periculum, quod ut evaderet, Reginæ sciscitanti nec ullum respondit verbum: an non ex spumante cratere vino pudicitiam visus est Nehemias hausisse? scio ex Poëtarum figmentis, Venerem in aquis natam, in vino ardere, suásque fuvere flammas: sed in aula Artaxerxis Nehemias Veneris flammas priùs extinxit, quàm accenderentur: videbatur castissimus pocillator coram Rege altera manu scyphum falerno coronatum tenere, & altera frœno continentiæ concupiscentiam coërcere; vi-

7\.

Esdræ lib. 2. cap. 2.

num fundit in calicem, sed pudicitiam haurit in corde Pocillator; spumantes inter cyathos vino à colloquio prorsus abstinet Reginæ. sed quid causæ, quòd hac inurbanitate tam severum indixit concupiscentiæ bellum? quam prostratam voluit, antequam insurgeret? certè non alia fuit ratio injiciendi pravo huic affectui frœnum etiam antequam insurgeret, nisi mortis recordatio, cinerisque sepulchralis memoria; rogaverat nimirum Nehemias Regem, ut cum mitteret in
b.a. civitatem sepulchri patris sui: *Ut mittas me in Judæam ad civitatem sepulchri patris mei, & ædificabo eam.*
h. Nondum memoria effluxerat cineris sepulchralis, cum sciscitaretur à Regina; ideo timuit pravum concupiscentiæ affectum, si cum ipsa sermonem miscuisset; abstinuit à responso, ne castitas coram fœmina sciscitante periclitaretur: meminerat Pocillator Synnis, & sepulchri; & hoc frœno concupiscentiam coërcuit; obruuntur siquidem cinere sepulchrali, quæ contra pudicitiam machinæ construuntur: non sinit hic cinis insidiantis libidinis flammam debacchari, nec per colloquiorum cum fœminis illecebras accendi; ubi ferales sepulchrorum umbræ volvuntur mente, omnis fœmineus splendor obscuratur; & ubi cinis memoriam refricat Libithinæ, sordescit muliebris quævis venustas: hinc tæduit Nehemiam respondere Reginæ sciscitanti, cùm sepulchrum patris sui mente volueret; ludentis, serientísque Cupidinis tela sepulchrali hoc lapide retunduntur, & Veneris carbones desolatorii hunc cumprimùm impingunt in cinerem, extinguuntur: nil validius flammis æstuantis concupiscentiæ sopiendis hoc cinere. Scio, Venerem etiam de gradivo Marte triumphâsse, plerosque bellica fortitudine commendatos, pluribúsque victoriis illustres prostrâsse, acinaces, Sarissas in castris elusisse: verùm si huic bellatrici, vel modicum sepulchralis cineris objiciatur, præcipiti statim se dat fugæ, & ossuariam magis expavescit, quàm in Martis campo pugnantes, ferientésque cæsim, punctim, eminus, cominus plures exercitus. Scimus à Samsone unicâ demortui jumenti mandibulâ prostratos Philistæos; sed feliciùs Nehemias non mandibulâ, sed solo sepulchrali cinere refricante memoriam patris sui demortui, Venerem vicit, & prostravit.

## §. II.

### *Sepulchralis cinis flammis concupiscentiæ sopiendis est accommodatus, si frequenter eadem memoria refricetur.*

9. NIl validius flammis æstuantis concupiscentiæ extinguendis sepulchrali cinere, quo etiam in legitimis nuptiis sopiuntur maritalis amoris flammæ. Tametsi propagandæ posteritati Numinis jussu destinarentur Protoplasti Genes. 1. *Benedixítque Deus, & ait crescite, & multiplicamini, & replete terram*, adhuc abstinuere à maritali amplexu in paradiso ad omnem consito amœnitatem, ubi ridentes flores, aridentes zephiri, eblandientes favonii, canoræ aviculæ, arborum insusurrantes comæ, fontium obmurmurantes rivuli ad maritalem videbantur complexum invitare, in loco præsertim saluberrimo, verna quadam temperatione pacatissimo, aëris defœcatione puro, & immuni à quovis pravo, & crasso halitu. Quid? quòd Protoplasti non statim Dei obtemperârunt jussui, cur distulerint proprio consulere generi, cum præsertim ad amplexum honestum urgerent mundi solitudo, ætatis vigor, loci amœnitas, muliebris venustatis illecebra, & præsertim Numinis suasio? adhæsit quidem Adam Evæ fœminarum formosissimæ, sed nullam sentiit stimulantis concupiscentiæ flammam, nec ulla Evæ illecebra eum movit: friget Adam, non æstuat Eva, uterque se abstinet à maritali complexu, cui ex Dei suasu potuissent statim indulsisse.

Quid igitur causæ, quòd concupiscentia non potis fuerit statim Protoplastos urgere ad maritales amplexus? quid eam coërcuit, ne insurgeret tot inter provocantes illecebras, invitantes amœnitates, suadentes avicularum cantus, præsertim cùm ipse ætatis flos, & fœmineæ venustatis illecebræ id illis persuaderent? abstinuit nihilominus utérque, quia ambo audierant vocem illam Numinis, quâ altiùs funus, & mors memoriæ hærebat: *In quocunque enim die comederis ex eo morte morieris:* sufficit vox illa ut Protoplasti abstraherentur à thoro; funeris refricata memoria aggerem posuit inter Protoparentes, & thalamum, quem nullus concupiscentiæ impetus valuit transcendere: nimirum piguit injectâ semel funeris memoriâ cogitare de nuptiis: ubi sepulchralis cinis capiti injiciebatur, nulla concupiscentiæ flamma ausa est insurgere, nullúsque libidinis motus insolescere. 10. Genes. 2.

Oh quàm efficax, quàm potens vis sepulchralis cineris in abstrahendis à lupanari hominibus sensui indulgentibus! quàm valida virtus expensi funeris! cum vel ipsos immortales homines mors nondum visa, neque inflicta, sed tantùm memoriæ impressa abduxerit à maritali complexu non solùm pudico, verùm etiam imperato! si immortales ita morte terrentur, ut eos tædeat thori immaculati; quomodo mortales non extraherentur à cœno libidinum, à carnis concupiscentiis, ab illecebris deliciarum, ac lenociniis pravorum affectuum, si oculis, & cordi injiceretur funeris cinis? si torpet felicitas, quamvis immortalitate donata objectu sepulchralis cineris; quomodo insolescens concupiscentia æstuare ad libidinem auderet in cinere? si saxea fuit nondum rebellis, 11.

bellis, nondum tumultuans in protoplastis concupiscentia carnis, non tam innocentiâ status, quàm expressâ mortis memoriâ; frigeret procul dubio, quamvis assueta flammis accendendis in Adæ posteris, si funeris pallerer in cinere.

12. Quinimò quamvis Eva solitario paradisum incessu pervagata persisteret ad arborem scientiæ boni, & mali, ibique serpens sive circumvolutus arboris ramis, vel cuali; sive, ut censent alii, super arborem in caudam, vel pedes erectus mulierem allocutus mirâ sermonis illecebrâ ejus primùm sibi captaverit benevolentiam, vitúsque pestiferæ cupiditatis excellendi supra cæteros quósque homines inspiraret; & demum ei suaderet esum pomi, quod mulier manu arripuit, ori admovit, dente contrivit, & mansum in stomachum deglutitum demisit, ut immortalitatem exueret, & malorum omnium plenam congeriem, mortémque ipsam unà cum pomo devorâret, ac statim ad maritum etiam cucurrisset laudatura vim pomis illis insitam, eique etiam suaserit oblatum sibi pomum degustare, & uterque in malè carpto malo iliadem devorâsset malorum; neuter tamen illibati fines thalami fertur excessisse. Nimirum abstinet se Eva ab illecebris carnis, quamvis extorris è paradiso, & immortalitate spoliata; coërcet Adam rebellantis concupiscentiæ pravos motus, compescit libidinis impetus solo funeris cinere, qui non solùm altiùs hærebat memoriæ; verùm & ipsis oculis objiciebatur, ut quod intùs terrebat, exteriùs coërceret ab illecebris, quæ minimè licerent: ambo ob violatum Dei præceptum exclusi è paradisi deliciis fuerunt, & adacti circumvagari extorres; unius siquidem mali peior morsus eos dejecit è felicitate, & in vallem lachrymarum ejecit, ubi non flores ad delicias, sed dumeta leguntur ad tormentum; & quamvis ex hac unica peccati vomica statim pravarum cupiditatum ebulliret purulentia, non tamen Protoparentes quamvis exules extra paradisum leguntur sivisse se rebellantis concupiscentiæ capi illecebris, aduri flammis; quia nimirum uterque exuviis intectus pecudum, quacunque incederet, mortis deferret manubias, funerísque refricaret memoriam: *Fecit Deus Adæ, & uxori ejus tunicas pelliceas*, hoc cinere pugnantes omnem expugnârunt pravam libidinem, mortis memoriâ loricati triumphum de prostrata tumultuante concupiscentia revexêre; terrore scilicet Libithinæ, quam exuviæ enectorum animalium oculis exhibuêre; exules protoplasti innocentiam, quam immortales amiserant in paradiso; mortales, & è paradiso extorres instaurârunt. Genes. 3.

13. Nec mirum si Adam nunquam sorduit in libidinis cœno? funeris scilicet repagulo coërcitus, ne caderet; cum & ipse Absolon quamvis ex adulterio patris genitus, seu illicitis pravæ concupiscentiæ satus, recordatione funeris Amnonis fratris à se interfecti concupiscentiam compescuerit, nec mæchari sustus fuerit in expilatione Urbis Jerosolymæ à se armorum violentia occupatæ; tametsi cæteris illic affectibus habenas laxaverit, & Joabi agrum incenderit; currus sibi, & ante ambulones constituerit: tametsi efferato esset Absolon animo, immunes tamen à libidine fuerunt mores, ut nunquam prava ulla concupiscentiæ æstuantis, ac tumultuantis flamma eos læserit, quia nimirum observabatur animo Absolonis diu, noctúque funus Amnonis à se interfecti; toties refricata fraternæ cædis memoria, ac excitatus funeris cinis lupanar omne abegit, extinxítque pravam omnem urentis concupiscentiæ flammam: & quamvis illiceretur ad fœminarum illecebras, iuvitaretur ad lupanar; non tamen licèt sævierit, mæchatus fuit; ait Achitophel ad Absolonem: *Ingredere ad concubinas patris tui: ut cum audierit omnis Israël quòd fœdaveris patrem tuum, roborentur tecum manus eorum.* 2. Reg. 16.

Sin verò addictus fuisset fœmineis illecebris, pronúsque ad libidinem, minimè Absolon invitatu, & monitore criminis indiguisset; non trahitur, sed præceps ruit in cœnum libidinum carnis assuetus illecebris. Non eguisset suasore *ingredere ad concubinas* Absolon, conditione Princeps, ætate floridus, bellica virtute Victor in gynæceo venustarum mulierum; si palea quis sit admoto igne cinerescit: sed quia animo Absolonis funus dies, noctésque observabatur interfecti Amnonis triumphum de prostrata concupiscentia etiam in gynæceo revexit; quia languescit Venus, ubi Libithina suos spargit cineres, extinguitur omnis pravæ concupiscentiæ ardor, ubi Manes ferales suas diffundunt umbras. 14.

Expertus id etiam fuit David cum victor è castris Philistæorum redux in Urbem psalentium puellarum choros sine ullo concupiscentiæ motu excepit: invicti animi æquè ac pudoris adolescens venustissimis stipatus puellis omnem coërcuit pravæ concupiscentiæ motum, æstúmque priùs extinxit, quàm excitaretur; sed cur David cùm lectissimæ puellæ, formâ venustissimæ, fronte hilares, oculis fulgurantes, ore psalentes, pedibúsque choreas ducentes in ejus plausus diffunderentur, nullum senserit depravatæ concupiscentiæ æstum? cum tamen adultior, sanctiórque impuro arserit in Bethsabeam affectu? adolescens riguit eblandientes, plaudentésque inter choreas puellarum, sed adultus arsit impuro captus amore in fœminam; cùm floreret ætate, cum æstuaret in venis sanguis, ferveret juventus, friguit ipse plaudentibus, & psalentibus stipatus puellis; sed senior cum sanguis tepesceret, vel ex ipsis aquis flammas elicuit, & è fonte cujus laticibus se Bethsabea lavit flammas hausit, quibus miserè fœminam deperiit: sed cur ætate robustior, viribus validior, animisque 15.

nísque provectior effrœnes non coërcuit concupiscentiæ impetus? quos adolescens egregiè compescuit? quia nimirum in florente illa ætate redux è pugna cum expugnato Gigante abscissum Goliathi caput secum detulerat, ideóque mortis objectu non fuit ausa insurgere concupiscentia: & hac casside funeris munitus victor David lectissimas inter puellas plaudentes, & psalentes impetum quemlibet illusit pravæ concupiscentiæ: *Porrò cùm reverteretur percusso Philistæo David, & ferret caput ejus, egressæ sunt mulieres cantantes, chorósque ducentes.* 1. Reg. cap. 8.

16. Armatus illatâ Giganti morte fortiùs inter plaudentes, & cantantes, choreásque ducentes puellas triumphavit David de voluptate, quàm in castris Philistinorum de prostrato Gigante. Morte pugnavit contra concupiscentiam, ne pudor caderet; mors enim suo lapsu castitatem erigit ad victoriam; umbras circumfundit sepulchri, ut illustrior emicet castitatis triumphus; victorem Davidem expugnatura voluptas choros sibi acciverat lectissimarum puellarum; sed frustra lasciviunt Syrenæ, ubi David Ulisse prudentior non præsidium à cera petiit, quâ aures clauderet; sed suppetias è funere accersivit, cujus cinere voluptatem fugavit. Nunquam Venus congressa est cum Libithina, pugnásque inivit, quin succubuerit: ignis, quem Venus accendit, extinguitur, non fovetur in sepulchri cinere; ut faciliùs simul convivant ignis, & aqua, quàm simul cohæreant sepulchralis cinis, & libido: sed cur David adhuc adolescens de superata voluptate toto orbe clarissimus, adultior turpiter cecidit, & vel ex ipsa fontis frigiditate æstus hausit libidinis? id planè causæ fuit, quia in solario secum Goliæ spolium non detulerat Princeps; nullo erat tunc funeris memoriâ loricatus, nec ullum in lavantem se Bethsabeam cinerem objecerat, & hæc causa lapsûs, quia Libithina nullum insurgenti concupiscentiæ frœnum injecit; ubi David mortis exclusit simulacrum, promptiùs scelus admisit, & adulterium conclusit.

17. Nullum funere aptius instrumentum propulsandæ, fugandæque voluptati; cinis si adsit, abest quævis voluptas; & tamdiu concupiscentia languet, quamdiu memoria funeris non excidit. Exemplo Ismaëlis edocti id fatemur, quamvis is vagus semper, & extorris, nunquam tamen fertur pravæ concupiscentiæ indulsisse; neque vacâsse libidini: imò ita alienus à carnis illecebris, ut promptius legitimo caruisset thalamo, nisi eum ad nuptias Agar ejus Mater inflexisset; frigere maluisset extorris, quàm incalescere in thoro; sed cur tam frigidus Ismaël: unde in illo tantus algor, nisi ex frigescentibus cadaveribus: assuetus sagittis ejaculandis, modò feras in sylvis, nunc homines configebat in campo; non potuit non frigere prava concupiscentia in funere, & unà cum enectis hominibus, sanciatis feris, non cadere libido. Nullibi feliciùs castitatis lilium effloreseit, quàm in cinere sepulchri: *factúsque est Juvenis sagittarius, & accepit illi mater sua uxorem in terra Ægypti:* Genes. 21. nimirum mater non quæsita, non rogata a filio uxorem Ægyptiam dedit Ismaëli: qui telo feras confoderat, didicerat è funere libidinis motus prosternere.

## §. III.

*Mors in suo cinerario veluti magistra sedens in cathedra regulas docet, motus quosque pravorum affectuum coërcendi.*

Optima est mors magistra moribus componendis, motibúsque pravorum affectuum coërcendis perapta; dummodo ejus dogmata audiamus, imbuamúrque ejus præceptis. Scimus ante obitum uxoris 18.
Saræ consuevisse Deum apparere Abrahamo, eíque præcepta, & documenta vitæ dirigendæ accommodatissima dare. Sedebat, ut moris erat, sub meridiem ad ostium tabernaculi Genes. 18.
in Mambrea Convalle causâ nanciscendi occasionem charitatis exercendæ in hospites illac transituros; existimabat siquidem se opibus gravatum, nisi eas in beneficium exoneraret hospitum, cúmque exiisset aspecturus, an quispiam esset ipsum accessurus, tres inspexit juvenes viâ publicâ ad se properantes, quibus festinus obviat Abrahamus, invitátque perofficiosè ad hospitium, offert sedilia lassis ex itinere, aquámque pedibus lavandis, & cibum reficiendis viribus. Capti senis humanitate hospites genio cœlestes, habitu peregrini, formâ corporis homines, assident mensæ, prandent alacres; quibus inservit lætior invitator. Móxque remotis mensis accersitur Sara, quæ in charitatis officiis exercendis Abrahamo suppar erat, colloquia simul miscent, & unus hospitum eam non multò post, matrem prædixit futuram, cùm adhuc improles esset, & ob senectutem Abrahami spes prolis suscipiendæ aresceret; idque causa, cur Sara hospitis nuntium nonnisi cum risu exceperit: sed hospes ostensurus aliquid sibi supra hominem inesse, inficiationem redarguit furtivæ risionis, & editum vaticinium iteratò firmavit, non sine ingenti lætitiâ, tacitóque gaudio irrepente, ac gliscente in piorum conjugum pectoribus: neque vaticinum, cùm Dei esset, conceptam fefellit spem: peperit enim Sara, sed occubuit ipsa, nec post ejus funus legimus, Deum Abrahæ ulteriùs apparuisse, quamvis tunc eloquentiori indiguisset consolatore. Sed cur Numen adeo beneficum in Abrahamum post Saræ funus ei ampliùs non comparuit? cur consolator non adfuit? quia nimirum uxoris defunctæ aspectus Numinis vices supplevit: sepulchrum Saræ, quod postea Abraham consueverat frequentare, schola eidem fuit, in qua addisceret, quidquid sibi prodesset, vel obesset: & hæc ratio, cur Abraham, cùm primùm vidit Saram morientem, & emortuam sepelivit, Numinis apparitionibus caruerit; nulla siquidem magistra docendis

dis præceptis ad rectam vitæ institutionem, motibúsque omnibus effrœnibus coërcendis Lib. 2. de Doctrina Christ. Libithinâ est aptior, scitè D. Augustinus: *Timor de futura morte mentem necessariò concutit, & quasi clavis omnes motus superbiæ ligno crucis affigit.*

19. Non sepulchralis cinis concupiscentiæ flammas solùm extinguit; verùm & alios quosque pravos affectus compescit. Gen. 37. Fuerat Josephus patris sui Jacobi delicium, & senectutis refrigerium, sexdecim erat annorum adolescens, cum in gravem apud fratres suos, quorum ipse decimus erat, invidiam, odiúmque incidit, nonnisi innocentis interitu extinguendum; fovendis pravis affectibus uberem suppeditârunt materiam imagines quædam adolescenti per somnium objectæ, quas ipse innato candore, ac innocentiâ, quâ cæteros suos fratres metiebatur, aperuit; nimirum per quietem vidisse se, & fratres suos colligare manipulos, suúmque stetisse erectû, & adorari à fraternis circumstantibus, pronísque in humum. Hæc, & aliæ narrationes pravos affectus invidiæ, livoris, & odii adeo excitârunt in fratribus, ut animo nil molirentur; quàm quomodo somniantem interficerent. Urserat etiam invidos vestis polymita, seu togula filo discolore eleganter intexta, quam senex pater curaverat Josepho filio fieri in tesseram amoris præcipui. Miserat senex pater adolescentem filium ad fratres suos pascendis gregibus in campo commorantes. Obtemperaturus paterno nutui Josephus solicitè varios oberrat per campos, tandem fratres post plures itineris ambages procul videt pascendis armentis occupatos, sed vix venientem ad se intuentur adolescentem fratrem, de cæde illius deliberant, vocántque per convicium suggerente livore somniorum fictorem; útque patri non innotesceret fratricidium, à feris discerptum se dicturos statuunt. Unus tamen ex fratribus Ruben nomine horrore tanti sceleris correptus, rogavit pro adolescentis vita; cúmque reliqui essent inflexiles; tandem intercessit, ut saltem non cruenta, sed sicca morte adolescentem interficerent, seu dejectum in proximam cisternam relinquerent moriturum fame: exuitur versicolore prætexta adolescens, qui nec per parentis senectutem deprecans, nec per Dei clementiam coërcere fraterna odia valuit, à quibus per funes demittitur in cisternam lenta fame interficiendus, & per plagiatios fratres illuditur patri extremo senio jam labenti, cui persuadent, Josephum filium in prædam cessisse cruentæ belluæ, à qua discerptus, & voratus fuerat, & huic fidei faciendæ causâ tunica adolescentis hædino sanguine fœda exhibetur.

20. Sed quid egit infelix senex suo destitutus delicio, viduatus solatio in extrema delabentis vitæ senectute: certè acriùs irascendi contra Josephi fratres occasio seni non defuisset, cùm suspicio statim adfuerit de eorundem præconcepta invidia: & eorum sævitiei animum jam subjecit: nihilominus nulla exarsit senex irâ, quamvis suspicio fomitem suppeditaret; omnem coërcuit pravum affectum in fratres Josephi, quia ejus tunica recenti sanguine tincta, cruore madida mortis refricaverat memoriam, cuius propterea recordatio omnes injurias oblivione delevit; & sepulcrali cinere omnes extinxit irascentis animi igniculos.

Neque Jacobo parenti suppar fuit Josephus filius, qui sola sepulchri recordatione pravos omnes coërcuit affectus, heræ Ægyptiæ impuras flammas evasit, & illatas sibi à fratribus injurias oblivionis sarcophago sepelivit, omnémque eorundem asperitatem mansuetudine lenivit: septennio exacto auspicatæ fertilitatis ingens sterilitas non Ægyptum tantùm, sed & universam Chananitidem, finitimásque Provincias afflixerat: quæ causa fuit, cur Jacobus sciens frumentum apud Ægyptios venale exhiberi etiam exteris, denuo miserit filios triticum comparaturos. Hi Menphim, vel potiùs Tanim non procul inde sitam, & tunc Urbem Regiam cum appulissent, adducti fuerunt ad Proregem fratrem scilicet eorundem Josephum ab iisdem tamen haud agnitum, cùm viginti jam effluxissent anni à fratris absentia, ut adolescentis venustas, vóxque altior, & corporis habitus mutationem subjerint; supplices igitur ingressi ad Proregem obsequiorum demissione, pronique in humum venerantur, rogántque enixim, ut annonæ sibi coëmendæ fiat copia. Prorex tunc vultu ad severam composito authoritatem eos interrogat de patrio solo, de suæ gentis origine, familia, conditione, an eorum parens adhuc viveret, mox jubet Beniaminum fratrem minimum ad se adduci, imperiis terrores addit, eósque non tritici emptores, sed hostiles exploratores vocat: sed cum ipsi singulari animi demissione ab objecto sibi crimine egregiè se purgâssent, omnémque parentis, & alia innocentiæ suæ prætenderent argumenta, Josephus adhuc fronte exasperatâ, torvísque oculis, vultúque severo graviores fingens iras, jubet omnes quasi in carcerem detrudi, seu custodiæ tradi, quasi per otium dandos in quæstionem. Jam tres effluxerant dies; cum jusserit, eos è carcere educi, donarique libertate, & cum tritico, etiam domum remisit, repositâ clam pecuniâ in saccis, seu toto coëmptæ annonæ pretio additis in viam cibariis, & tantùm Simonem retinet obsidem vinculis mi- nimè eximendum, donec natu minimus primo eidem tempore sisteretur. 21.

Hæc cum fierent ieuntes fratres consilium in patriam reduces totius calamitatis causam in crudelitatem veteris retulêre delicti, quo in fraternum sanguinem sævierunt, seu Josephum in cisternam demiserunt. Domum reversi singula quæ, ipsis contigerant Jacobo patri renunciârunt, qui duplici telo saucius torquebatur, quia Simonem captivum reliquerint, & filius Beniaminus in ex- 22.

teras

teras esset terras adducendus: sed Ægyptio obtemperaturi Principi, fidémque datam servaturi non sine maximo mæstissimi senis dolore in Ægyptum revertuntur, ducúntque Beniaminum fratrem natu minimum: & à Josepho singulari excipiuntur benevolentia, & præ cæteris Beniaminus, cujus præsentia etiam Proregi, seu fratri nonagnito lachrymas excussit; paratis etiam epulis omnes reficit, primas tamen lautitias Beniamino dedit; iterúmque dimittuntur cum saccis annonariis, pretióque pecuniario coëmpti frumenti in iisdem iterum abdito, additóque etiam scypho argenteo Beniamini sacco. Verùm in patriam reduces, sibíque gratolantes de singulari Ægyptii Proregis comitate, urbanitate, & benevolentia, missis à Josepho equitibus retrahuntur ex itinera, accusantúrque de furto sublati pretii frumentarii, quin & scyphi argentei: aperiuntur sacci; pretium extrahitur pecuniarium; cæteris junior reus ablati argentei scyphi detinetur, & in servitutem deposcitur; tunc cæteri fratres humi prostrati, genua Proregis amplectuntur, manu pectora tundunt, lachrymas emittunt, rogántque gementes, ut per parentis miserandam canitiem velit sibi Beniaminum dare; præ cæteris enixim id rogavit Judas, qui ultro se Beniamini loco obtulit, vel in carcerem detrudendum, vel in servitutem reducendum: sed tunc ad fusas omnium fratrum lachrymas, non ampliùs potuit Josephus internum cohibere in suos fratres amorem, affectúmque tenerrimum, quin & ipse in lachrymas prorumperet, dedítque sese agnoscandum inquiens: Ego sum Joseph frater vester, quem vendidistis in Ægyptum, omnem excutite timorem, tristitiam depellite, mactate animis; Dei clementia in commodum vestrum in has me terras præmisit, jam revertimini in patriam, festinate iter, nunciate Jacobo patri nostro, Josephum filium suum vivere, ut & ipse cum tota sua domo iter maturet in Ægyptum, eò quia quinquennium adhuc superest famis, & Pharaonis lege sancitum, ne frumentum extra Regni limites ultra distrahatur; hisce dictis Prorex vultu lachrymis madido suavissimè omnes amplexus est fratres, fletúmque largiorem fudit, in Beniamini collum miscens lachrymis suavissima oscula, & verba procubuit.

23. Quid causæ cur Josephus ita perhumaniter se cum suis confratribus gesserit, eósque tot cumulaverit beneficiis; & benevolentia, ac mansuetudine, omnes ab iisdem sibi illatas injurias oblitteraverit, omnémque prostraverit pravum affectum, illæsus evaserit impuras fœminæ flammas, fidelis fuerit in ministrando, patiens in laboribus, mansuetus in fratres, misericors in egenos, beneficus in omnes. Non aliud horum causa dixerim fuisse, quàm sepulchri refricata species, quæ nunquam memoria excideat. Demissus fuerat Josephus in puteum, ut in sepulchrum, ibi fame, & lenta morte finiendus; hoc igitor in sepulchro, perinde ac in schola virtutum omnium insignia posuerat rudimenta: volvens nunc animo sepultum se in ætatis flore fuisse, eum in cisterna rerum humanarum ebibit contemptum, ut rebus mortalibus semper excelsior, animum ad effrœnes quóique coërcendus affectus vegetiorem, fortiorémque servaverit; ideóque nunquam à cultura virtutum, nunquam à coërcitione pravorum omnium affectuum destitit: nunquam à probitate discessit, quia sepulchri recordatio ab ejus mente nunquam excessit. Hæcque ratio, cur viri summis virtutibus addicti frequenter mortis memoriam refricatam voluerint, cujus subsidio pravas quasque valerent concupiscentias promptiùs compescere, pravos omnes coërcere affectus; appositè D. Hieronymus, *Memento mortis tuæ, & non peccabis: qui se quotidie recordatur esse moriturum, contemnit præsentia, & ad futura festinat.* Epist. ad Cyprianum.

Refert Nicolaus Christophorus Ratzivilius Princeps Polonus, moris fuisse in Ægypto, ut qui prudentia, & ætate cæteris antistarent oblonga mortuorum ossa ebore, vel etiam ligno efficta circumgestarent collo appensa, sibique mutuò ostenderent, portaréntque ad seriam obitûs meditationem; quâ nimirum frœnum injicerent pravis singulis affectibus; & ad virtutum excitarentur culturam: quinimo consuetudo etiam apud Ægyptios inolevit; ut in mensis obitûs refricarent memoriam, & convivia clauderent tristi illo acroamate *mori mementote.* Scimus etiam, Calipham Tartarorum Regem in Principe suarum ditionum urbe nomine Bagdad in solemniori die festo, quem vernaculâ linguâ Ramadam ipsi vocant conspiciendum se populis daturum, consuevisse mulo vehi, vestibus auro, argentóque intextis, ac fulgentibus in cidari gemmis incedere per plateas; & supra cidarim nigram, tetrámque gestare calanticam; ut hoc ritu omnem corporis ornatum, totámque Regis pompam mortis tenebris significaret occulendam, ac propterea omnem animi tumorem, pravorúmque affectuum impetus coercendos; & præsertim in aulis Principum ambitionem, superbiam, invidiam, æmulationem, aliósque æstuantis animi tumultuantes passionum fluctus, non alio littore, quàm sepulchrali pulvera compescendos. 24.

Imò non solùm in Regum fastis solemnioribus vestigia mortis nobis occurrunt, ut altiùs ejus recordatio menti hæreat, excidátque nunquam; sed in omni loco, in quovis diversorio, sive in mari, sive in campis, montibus, vallibus, fluminibus, domibus, ubique locorum vestigia nobis obviant libithinæ, ut pravis omnibus insurgentibus affectibus frœnum injiciatur. Memini cujusdam nautæ, qui cum sciscitaretur, ubinam ejus pater obiisset? statim *in mari,* respondit; cúmque de avo, proavo, atavóque interrogatus fuisset, quónam in loco hanc exuissent mortalitatem, respon- 25.

dit, suos omnes recensitos prædecessores conditione nautas fuisse, plures trajecisse Oceani longè, latéque diffusos tractus, & singulos *in mari* obiisse; tunc sciscitator ulteriùs progressus, & tu eò devenisti dementiæ, ut adhuc audeas mare ingredi, infidis fidere fluctibus, téque inconstanti, procelloso, ac fallaci concredere elemento? dissimulavit nauta, nilque ulterius ad hæc respondit; sed sciscitatorem & ipse agens eum interrogavit: & ubinam tuus pater extremum vitæ suæ clausit diem? Respondit alter *suo in lectulo*: & ubinam tuus Avus, Proavus, Atavus, cæterique majores tui obiere? Omnes quotquot recordor, dixit, suo semper *in lectulo*; tunc nauta & tu eâ adhuc stultitiâ laboras, adeò audax es, ut cum mortem expavescas, non timeas lectulum conscendere, cùm omnibus tuis prædecessoribus semper fatalis fuerit? non cæmeteria tantùm, non excavata sepulchra solùm mortis memoriâ refricant, sed loca omnia, & præsertim lectulus, quo singulis noctibus decumbimus, ad quem dormitum imus, quem conscendimus, ut somno quietique indulgeamus.

26. Nonnisi unius literulæ discrimine differunt lectus, & lethum, ut quoties lectum conscendimus dormituri, lethum cogitemus; omnésque unà tum corporis vestibus pravos exuamus affectus, omne deponamus præconceptum odium, pravúmque desiderium, profanum amorem, flammantem iram, corrodentem livorem, tumidam ambitionem, elatam superbiam. Quot vesperè ivêre dormitum, somno indulsêre, qui manè mortui fuerunt deprehensi? & unico passu à lecto transierunt ad lethum: utinam hujus recordatio lethi memoriâ nunquam efflueret, mente nunquam excideret; certè non ita æstuarent in nobis concupiscentiæ fœdas redolentes libidines, non ita intumesceret ambitionis fastus, nec inflammaretur iracondia, nec excandesceret furor, nec torqueret invidia, nec debaccharetur odium; sed Libithinæ timor omnibus frœnum injiceret: hæcque ratio, cur Imperatorem Orientis recèns creatum nemini olim priùs alloqui licuerit, quàm latomus aliquot distolores marmoris lapides exhibuisset, sciscitarétque, ex quo genere lapidum, vellet Imperator sibi sarcophagum fieri, sepulchrum construi: prima cura fuerat de sepulchro construendo ad mores instruendos; non de throno adornando, de diademate gemmis illuminando, ne supercilium Imperator elevaret, ne animo superbiret, ne mente inflaretur: sed refricatâ mortis memoriâ disceret pravos quosque coërcere affectus, ac prorsus detumescere.

27. Morem hunc imitatus Carolus Quintus biennio ante mortē Imperii administratione se sponte abdicavit, ac in filium ætate florentem, & animo capacem curas omnes Regnorum transtulit; & monasterio S. Justi in Hispania se abdidit, cum duodecim tantùm familiaribus Deo, & quieti animi præsertim vacaturus, lege suis impositâ, ne alio imposterum nomine vocaretur, quàm Caroli omnibus amputatis titulis, nominibúsque Cæsaris, & Augusti: exuit enim quidquid honoris, splendidi, ac gloriosi mundo inest, omnem deposuit fastum, abjecitque pompam, & contemptui habuit quicquid in mundo magni æstimatur, nilque ei magis cordi, quàm sibi imperare, proprios affectus coërcere, séque totum ad normam omnium virtutum componere. Sed quid causæ, quòd post tot delatas de prostratis hostibus victorias, post tot Provincias, & Regna administrata, & lustratas tandem in id impensè studii incubuerit, ut sibimet tantùm imperaret, suósque affectus regeret, excitaret, & compesceret ad normam virtutum, ad rectæ rationis amussim? certè non alio ad id suasore indiguit, quàm seria mortis recordatione, quæ nunquam è mente effluxerat, memoriâ exciderat. Curaverat Imperator diu ante abdicatum imperium sibi sarcophagum construi cum tota funebri supellectile langulum deportandum, quocunque proficisceretur; habuitque hunc funeris apparatum quinquennio secum ubicunque esset, etiam cum Mediolanum bellum contra Gallos initurus profectus fuerat; quem diligentissimè singulis noctibus jussit semper in proprio reponi cubiculo, in quo dormitum ierat, ut ubicunque lectum conscenderet, lethum sibi imaginaretur incurrere, ac sepulchrum: à refricata toties hac Libithinæ memoria didicit sibi sanctiùs vivere, frœnúmque injicere tumultuanti cuique affectui.

*In vita Caroli V.*

Utinam non solùm cæteri Reges, sed quotquot aulas Principum terunt, imitarentur Carolum Imperatorem; exularet procul dubio ab aulis ambitio, detumesceret superbia, corrueret fastus, extingueretur invidia, cessaret æmulatio, omnisque pravus affectus coërceretur. Scio Genebaldum Laudunensem Antistitem septennio lectum, quo lethum exprimeretur adhibuisse; sed scio etiam toto illo integro septennio vitam egisse ciliciis circumseptam, abstinentiis emaciatam, asperitatibus devictam, ab omni pravo affectu, à quavis inordinata concupiscentia, ac desiderio, quod terrena saperet, prorsus alienam: huic enim desipiunt mundi deliciæ, cui lethi sapit recordatio: facilè omnia contemnit, qui brevi se moriturum esse non perfunctoriè, sed seriò cogitat; & præsentem mortalem vitam florem esse diurnum, non diuturnum; fumum eliciendis lachrymis aptiorem, quàm lætitiæ excitandæ; umbram inanitate oppletam, bullam vacuam, pulverem sordescentem, spumam, rorem, stillam, glaciem, iridem vanidam: cereum deficientem, sacculū pertusum, cinerem dolosum, domum ruinosam, hydriam fractam, ventum efflantem, guttulam delabentē, aranearum telam, herbam solstitialem, stipulam vilem, fœnum aridum, paleam vento agitatam, nebulam tristem, avolantem scintillam, splendentem fulgurationem, brevem fabulam, follem lusorium inanitate plenum, vitrum fragile, plantam arescentem, plumam levissimam, filum subtilissimum, & demum somnii umbram brevissimum. Hæc 28.

si se-

si seriò animo volveremus desiderium congerendi divitias animum non pulsaret, cupiditas rerum terrenarum in nobis non arderet, carnis concupiscentia non æstuaret, invidia non discerperet viscera, livor non torqueret præcordia, cæcus amor suas non accenderet tædas, cum vana sint omnia, uno extinguenda letho, & quidem statim: & fortassis in ipso lecto, in quo credimus quieti indulgere, brevissimo passu ad lethum transimus.

## §. IV.

*Ludicra sunt, quæ mundus terrenis inhianti exhibet; umbratilis est splendor; fallitúrque, qui eidem adhærescit humanus affectus.*

29. Brevia sunt, & ludicra, quæ mundus exhibet dormientibus, veluti in somnio, quia ut rectè David. *Dormierunt somnum suum, & nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis:* quia somnia sunt, & quidem inania magnæ illæ cogitationes, quibus ambientes summos honores, principes dignitates mentem implent, quibus divitias coacervant, palatia construunt, ac si æternùm essent victuri, & nunquam morituri; cùm tamen mortalis hęc vita, quovis Euro ocyus efflet, quovis torrente celeriùs præterfluat. Sed utinam in hoc torrente sanam mortales ebiberent, quam mors doctrinam edocet; non sinerent ab hisce mundi fluxis delicijs absorberi, nec sbripi; sed cum Nehemia discerent supernis inhiare, & ad cœlestia ascendere; *Et ascendi per torrentem nocte, & considerabam murum: & reversus veni ad portam vallis, & redij:* non ruinarum meminit Nehemias, sed muri duntaxat, quem aliàs dissipatum dixerat: cùm enim videret hinc torrentem olim congestis aquarum copijs turgidum, alveóque turbulentum, sicco nunc à se traijci vestigio: & illinc cœlum nullis fœdum nubibus, & occasu solis tetro longè, latéque obductum peplo, monebatur non mirari, si urbs olim regnatrix defecisset à suo splendore, decidisset suo à flore, & jaceret captiva domina gentium, Principes populorum; succumbunt saxa ferro; quando & in terris obmurmurantes, turgidique torrentes exarescunt, & in cœlis scintillantia sydera attrantur tenebris parentatura emortuo diei.

Psalm. 75.

2. Esdr. 2. 15.

30. Si siccantur torrentes; solo æquantur Urbes; arescúntque singula, quæ in mundo floruēre; quanto magis & nos homines deficimus, qui quasi aquæ dilabimur? sed quid quòd Nehemias dissipatum murum non asseruerit, ad quem per torrentem accesserat? non ceciderat murus, quia torrens eum aluerat; stetit paries, quia defecerant torrentis aquæ; etenim mors, cujus symbolum torrens exsiccatus exhibuit, non sinit hominem delabi, neque à pravis pertrahi affectibus, venenatis corrumpi desiderijs, perniciosis inflammari concupiscentijs.

31. Is non labitur, quem vitæ fugacitas retrahit à ruina: nulla nos pravorum affectuum machina quatietet, si seriò cogitaremus, quàm citò effluant, quæ nos prolectant; non stagnum ingrediamur exploraturi, ubi quiescit unda; ridétque, cùm crispatur: sed torrentem accedamus turgido, plenóque alveo obstrepentem, omniáque subvertentem, rapientémque obvia, nullo coërcitum repagulo; nemo sanè ita delirus foret, qui huic se vellet torrenti concredere; & tamen torrenti longè perniciosiori fidit, qui in mundi delicijs confidit, qui sinit à pravis se rapi affectibus, qui cupit affici mundi illecebris, quarum status inconstantissimus, cursus rapidissimus, & incerta post cursum statio.

32. Præterfluit vita hominis instar fluvij. *Omnes morimur, & quasi aqua delabimur, quæ non revertuntur*, fluvius est vita nostra, suúmque dirigit cursum, mox per prata ridentia, per flores luxuriantes, per invia sylvarum, per ima vallium, per latera rupium, per abrupta saxorum, ubi allisus obmurmurat, & dilaceratus spumat, nunc recollectis aquis pleno cursu in gremium devolvitur æquoris, mortísque ingreditur amaritudinem, ubi & nomen perdit, & originem. Quid in hominis vita, si in infantia vagit in viola, adolescit postea in melle; deflectit tamen in devia pravorum affectuum, allidit in syrtes, consenescit in amaritudine, & expirat in cicuta: *Omnes morimur, & quasi aqua dilabimur, quæ non revertuntur.* Ut syrtes declinemus, excelsa evitemus saxorum, quibus dilaceramur, necessé est, cum Nehemia ascendamus per torrentem nocte, post diurni sideris occasum, ex demortui diei invitatu. Torrens aquis viduatus, quemque sicco vestigio pertransivit Nehemias symbolum est mortis, vitæque humanæ jam dilapsæ; fluunt singula, evanescunt omnia, & sepulchrali cinere extinguitur quidquid pulchri, pretiosi, ac deliciarum suis mundus exhibuit asseclis, pulchrè Augustinus. *Si de divitijs, & honoribus, & morum nobilitate te jactas, de patria, & pulchritudine corporis, & honoribus, qui tibi ab hominibus exhibentur, respice te ipsum, qui mortalis terra es, & in terram ibis. Circumspice, qui similibus fulsēre splendoribus. Ubi sunt, qui ambiebant currum potestatis? ubi insuperabiles Imperatores? ubi sunt, qui conventus disponebant, & festa; & equorum splendidi nutritores? ubi nunc vestes, & ornamenta peregrina? ubi servorum turba? ubi jocus, & lætitia? ubi exercituum duces? ubi satrapæ, & tyranni? Nonne omnia pulvis, & favilla? Nonne in paucis versibus, eorum vita patet memoria? Respice eorum sepulchra, & vide, qui servus, & qui dominus, qui dives, qui pauper. Discerne, si potes, victum à Rege, fortem à debili, pulchrum à deformi. Vide, si est aliquod in eo signum jactantiæ suæ; memorare utique naturæ, ne extollaris.*

2. Reg. cap. 14.

Lib. de natura. & gratia.

 Om-

33. Omnis vita hominis, quamvis ad plures protrahatur annos brevissima est, & instar torrentis rapidissimo cursu fluit, donec arescat sepulchrali in pulvere. Fallitur, qui diuturnam credit vitam, cum exigua pars sit, & prorsus momentanea, quam vivimus; non enim vitæ spatium, ac diuturnitas aliud est, quàm tempus, ex quo nonnisi præsens possidemus momentum, quo vivimus: qui præterjêre dies jam defecerunt, cúmque in nostra non sint ampliùs potestate, eos non vivimus, nec vivere ampliùs possumus: qui futuri sunt, cùm nondum accesserint, nec nos possidemus, & utrum sint nos accessuri omnino incertum: ecce quàm brevi circumscribitur vita nostra spatio, cùm unico claudatur temporis momento; imò quàm misera sit, ex eo conijce, quia urgentia nos circumstant diu, noctúque negotia; nos premunt in cupiditatibus defixos pravi affectus; adeò ut rarissimè nobis ipsis vacemus, sed terrenis hisce jugiter hæreamus, ut nemo nostrûm suus sit, si suis inserviat pravis affectibus; quia alijs extra se durissimo inservit famulatu. Et licèt nemo sit, qui eum alijs suam velit congestam pecuniam dividere: plures tamen non desunt, qui miserrimè vitam suam dilacerantes in plura eam partiuntur negotia, & persæpe vana, plerúmque noxia: potiorem nostri temporis partem absumunt mensa, lusus, otium, vana colloquia, lites obstrepentes, negotia inutilia; & somnus, qui nocturnum tempus ferè totum nobis abripit, ut minimum sit, quod de nostro nobis relinquitur; & tamen modico illo tempore adhuc abutimur, & abire sinimus, ut rem supervacuam, à nobis quasi pro libitu reparabilem. Ludimus cum re omnium pretiosissima, & nihili facimus ejus pretium, quod nunquam potest satis æstimari. Traijcimus hanc fluctuantem vitam, perinde ac qui dormiunt in navibus, quæ à ventis celerrimè aguntur; tametsi quamdiu dormiunt, nil sentiant, cursum navis non videant, ventorum impetus non audiant, cùm tamen primùm evigilaverint, mirantur, tot pelagi tractus trajecisse. Perinde vitæ nostræ cursus properat: provehimur velocissimè, & quamvis somno indulgeamus, adhuc rapidissimè provehimur, multúmque ex vitæ nostræ itinere conficimus, cum non modica temporis jactura, & quidem cùm ad meliorem vitam evigilandum esset, oculos operimus, quando cursum absolvimus, & mors instat.

34. Felices, qui in hujus trajectione pelagi nullo pravo affectu fuerunt exagitati! non impegerunt in syrtes, non decumanis fuerunt obruti fluctibus, omnéque declinârunt lethalis noxæ naufragium. Scio traijcientes æquora clavum dirigere, ac navim regere nocte ex aspectu ad illucescentem cynosuram: sed fluctuantem præsentem vitam enavigantibus ad eludendos quosque pravorum affectuum procellosos Euros, & Notos ad naufragium impellentes, nil tutius, quàm oculos dirigere, ac dimittere in sepulchrales cineres: is pravos quosque affectus facilè compescit, si omnem sibi diem supremum diluxisse credat: eatenus mundi delicijs addicti in cœno volutantur voluptatum à cœlo semper alieni, quia nunquam cogitant citò exuendam hanc mortalitatem, citóque exeundum ex hac vita. Circumferuntur quotidiè per vicos, & plateas exanguia, & pallescentia cadavera, quæ nos mortalitatis oblitos respicere adigunt ad sepulchrum; & nihilominus tot inter acervos cadaverum, in media morientium strage nil minus cogitamus, quàm mortem, licèt nihil frequentiùs videamus; quia nimirum pravi, qui in nos affectus tumultuantur, sæviúntque, tenebras offundunt, ne videamus, quæ videre cogimur: sed discutietur hæc caligo, & tunc in tenebris nos vixisse deprehendemus, cum Libithina ultimum vitæ nostræ diem claudet, lucem extinguet, ac cursui delabentis vitæ finem imponet. Et tunc nil proderunt divitiæ tot quæsitæ curis, tot partæ sudoribus; nihil utilitatis nobis adferet indulsisse mundi delicijs, adhæsisse carnis concupiscentijs; inhiâsse probrosis voluptatibus, pravis affectibus inservijsse, sed irreparabile adferent nocumentum. Oh si tunc daretur ad crepundia reverti, & dilapsæ vitæ telam redordiri? quàm meliori textu nostrarum fila actionum concinnaremus ad regulam rectæ rationis, ad normam componeremus omnium virtutum vitam nostram.

Si omnes mox moritoros interrogares, quid de anteacta vita sentiant, vix unum audires non respondere omnino diversè ab eo, quod, cum benè valeret, senserit de opibus, dignitatibus, fucatis delicijs, larvatis voluptatibus, umbratili lætitia, aliísque quæ mundus exhibet; quia nimirum tunc pravi affectus suas caligines non offundunt, nec tenebras spargunt, quibus homo cæcutit, à quo propterea æquiori lance res omnes, non quales sunt in hominum falsa æstimatione pensantur, sed ut revera sunt in se judicantur; suísque proprijs æstimantur momentis: sed sera est hæc sapientia, quæ nonnisi in exitu, & occasu oritur. Hominis est deliri expectare naufraugium, ut incipiat cogitare, quomodo valeat inde evadere: prudentis est alieno periculo proprium præcavere, & ex aliorum errore suum corrigere. 35.

Ut rectè vivamus, nunc incipiendum est, & ea nunc deserenda sunt, quæ animam acturi, deseruisse vellemus: si possumus nunc rectam instituere vitam, pravos omnes coërcere affectus, & favente internæ pacis malacia, spirante divinæ gratiæ favonio hujus vitæ traijcere amatissimum mare, expectandum diu non est; sed cum tempus favet, malacia invitat, cœlum arridet, tunc iter incipiendum; neque expectanda est tempestas; si rebus integris possumus nos ex peri- 36.

culis

tulis subducere, cur eisdem obviamus? cùm mergimur, sera est cautio, & stulti est hominis, tunc velle vitam rectè incipere, cum adigitur vitam deserere. Vita nostra umbratilis est, nostrúmque tempus umbræ transitus, vix orimur, morimur; éstque vitæ prologus, simul narratio, & epilogus; nec sistere ullam velemus horulam, ne fluat, imò nec unam interrumpere moram; citiùs enim nos arripit tempus, quàm ut desinat velocissimè fluere in nostram perniciem, & exitium: neque aliud est, vita hominis, quàm perbrevis tragœdia, cuius prologus est nasci, narratio dolere, mori epilogus; lumina, florésque narrationis gemitus sunt, & fletus, dolores, & morbi; pulchrè Seneca ait: *Omnes agedum, mortales circumspice, larga ubique flendi, & assidua est materia. Alium ad quotidianum opus laboriosa egestas vocat: alium ambitio nunquam quieta sollicitat: alius divitias quas optaverat, metuit, & voto laborat suo? alium sollicitudo, alium labor torquet. Alium semper vestibulum obsidens turba: hic habere se dolet labores, hic perdidisse, ille nunquam habuisse. Lachryma nobis deerunt, antequam causa dolendi. Non vides qualem vitam nobis rerum natura promiserit, quæ primum nascentium omen; fletum esse voluit? Hoc principio edimur, huic omnis sequentium annorum ordo consentit; sic vitam agimus.*

De consol. ad Polyb. cap. 4.

37. Non abs re vita hominis comedia, quinimò tragœdia potiùs audit, cujus histriones homines sunt, quorum alij personam agunt Imperatoris, Regis, Principis; alij personas exhibent pauperum, & mendicantium; alli nobilium, isti rusticorum; hi nautas agunt, isti colonus; nonnulli oratores, & plures aratores: non tamen laus in eo sita est, ut qui Imperatorem, Regem, vel Principem egit, plus secum adferat pompæ, ac divitiarum; sed qui personam, quam exhibuit, expressit, egitque meliùs: pulchrè Epictetus ait: *Actorem esse fabulæ talem, qualis magistro probatus fuerit, memento: si mendicum agere te voluerit, fac eam quoque personam ingeniosè repræsentes. Ita si si claudum, si Principem, si plebeum. Hoc tuum est, datam personam benè effingere: eam autem eligere alterius:* Hinc Laërtius virum sapientem pariavit egregio histrioni; qui sive Thersitæ, sive Agamemnonis personam acceperit, utrámque decenter exprimit, & imitatur.

In Enchirid. cap. 23.

38. Neque attendendum quid quisque sit, vel fuerit, antequam fabulam ageret, sed quid futurus sit, ubi larvam, & personam sibi detraxerit: qui enim Regis personam egit detractâ larvâ, nec suppar est ei, qui personam egit mendici: & tamen pauci sunt, qui propriæ memores conditionis, quales futuri sint seriò perpendant. Pauci recenseotur, qui seriò cogitent hominis vitam nonnisi fabulam esse, cujus epilogum claudit Libithina; larvam enim detrahit ómnibus, qui personas exhibuêre Regis, Principis, nobilis, rustici, Heri, famuli, modicus cinis superstes in ossuaria; quid revera omnes fuerint illustriùs manium umbræ produnt.

Imò instar torrentes fluit, & arescit vita præsens; sed utinam in hoc torrente fluxibilitatem ebiberent homines mortalis vitæ? non sinerent pravis suis trahi affectibus in cœnosas voluptates; in flagitia, quibus à summo bono avertuntur; in delicta, quibus supremo Numini injurias inferunt. Scio populum Israëlis scelestiorem fuisse in eremo libertate donatum, quàm in Ægypto famulatu gravatum: tolerâsse sub Pharaone cophinum, & paleas; & sub Moyse fastidivisse libertatem, & palmas: in eremo, à cultu se avertisse veri Numinis, & vitulo ex aureis fœminarum ornamentis conflato pronum sua exhibuisse obsequia, præstitisse cultum; cum in Ægypto nec latum unguem à cultu abscesserit veri Numinis. Quid causæ, quòd in deserto sub Moyse in tot scelera delapsus fuerit; cùm in Ægypto sub Pharaone pravos quosque affectus compescuerit, vitámque ad rectæ rationis normam composuerit? quia nimirum in deserto nullum viderat fluvium, nec torrentem, quibus rerum mortalium, ac fluxibilium refricaretur memoria: præsto ubíque in Ægypto adfuit Nilus, qui jugi fluxu eum fugam edoceret voluptatum: nec adfuêre torrentes, quorum ariditate monerentur de arescentibus in sepulchro cineribus, de pulvere superstite hujus vitæ fluxui: non igitur mirum si arserit in nube Israël pravis concupiscentijs, si inhærens columnæ vacillaverit; si manna pastus ad Ægyptias cepas desiderio reverteretur; si melle satur, fel evomuerit; si naufragium ferret in arena; si in lege exlex, in fame impudicus, in siti sceleratus à Moyse rebellaverit; cum sub Pharaone gravissimum diuturnæ servitutis jugum patienter sustinuerit: quia scilicet in solitudine sub Moyse fluminibus carebat, & torrente, à quibus humana quæque interitui obnoxia delabi, & in sepulchrales cineres solvi moneretur; ideóque deficiente Monitore, qui mortis memoriam refricaret, in concupiscentias incidit ceparum, & alliorum: quia verò alibi hoc monitore non caruerunt Israëlitæ; siquidem ne à pravis concupiscentiis, ac insolescentibus affectibus traherentur ad scelera, ad ripam Euphratis sederunt, ibíque illecebrarum tibijs suspensis in amarissimis salicibus, fronte tristi, oculis lachrymarum imbre corruptis, genis fletu madidis, capite dejecto, Syonem implorârunt; nimirum monitore Euphrate seriò perpendêrunt, quàm fluxa sit mundi felicitas; ideóque fastidivêrunt Chaldæorum voluptates, mundi delicias, carnis illecebras, omnésque compescuerunt pravos affectus trahentes ad syrtes, & naufragia. 39.

Si velimus à pravarum naufragio concupiscentiarum emergere, si nolimus à volup- 40.

tatibus

tatibus mergi, fluvium inspiciamus, & in eo fugacitatem ebibamus terrenarum voluptatum, ut excussis pravorum affectuum laqueis in sublime feramur cum Regio Vate,
Psalm. 109. *De torrente in via bibet, propterea exaltabit caput.* Sed tametsi inspiciant plures hujusmodi fluenta, moneanturque de propria conditione: non tamen è cœno emergunt voluptatum, quia cum Salomone è fluminibus aquas hauriunt, quibus piscinas sibi construunt; idque causæ, cur non meliorem, quàm Salomon exitum nacti sint; licèt à templo exoriantur, exolescunt in delubris.
Eccles. 2. *Et extruxi mihi piscinas, ut irrigarem sylvam lignorum germinantium.* Piscinam construxerat, cœnosam tamen, cujus laticibus non flores irrigarentur virtutum, sed arbores abluerentur voluptatum: cùm alerentur ex hujus piscinæ undis concupiscentiæ germina; lilia statim aruerunt castitatis. Naufragium in stagno patitur pudicitia, quia stagnantes aquæ vitia contrahunt, & otio marcescentes in cœnum degenerant fœtidissimorum scelerum; à fluminibus, & torrentibus recedendum non est; specula sunt fluenta mortalitatem præ oculis exhibentia, nunquam serviremus libidini, si hanc non stagnare, sed celeri cursu prætetfluere censeremus: corruunt promptiùs, cadúntque miseri, qui stare posse carnis illecebras, mundique voluptates putant.

41. Hanc stagnantem aquam videat è solario tempore pomeridiano David: credidit unà cum quiescente aqua potuisse voluptatem stare: at in illa concha quiescentis aquæ non quievit in Davide concupiscentia, sed suas in aqua accendit flammas, quibus David cœpit æstuare.
2. Reg. 11. *Viditque mulierem se lavantem*, nimirum pudicitia nullibi periculosiùs naufragatur, quàm in ipsa profani amoris malacia; liquor, quô fœmina corporis sordes exuit, Davidem turpissimè fœdavit; & frigida unda, quæ solatio fuit fœminæ, succensas, ardentésque faces ejaculata fuit in Davidem; qui uno tempore Phaëthontis, & Icari passus est infortunium, nimirum mergitur cum Icaro, quia flagrat cum Phaëthonte: quàm pessimum, ac perniciosum monstrum fœmina in aqua stagnante? cum Davidem coinquinaverit, dum se lavaret, sordésque exueret: quòd si lota mulier commaculat, nonnisi fæces ab ipsa sunt sperandæ, quibus homines turpissimè sordescant; si vel in unda frigida flammas accendit; non potest non cinerescere, qui fœmineis sinunt se illecebris illaqueari: rogum facilè immittet mulier in sole, si flammas eructat ex aqua. Ita est Bethsabea in aqua stagnante Davidem, seu Prophetam, & inquinavit, & exussit: cecidit è solario David aspectu fœminæ fascinatus. Quàm noxiæ stagnantes in concha aquæ, quàm salubres fluentes in alveo, vel torrentis, vel fluminis? illæ flammas excitant, quibus pudicitia tinesit; hæ speculum exhibent, in quo fluxibilitas, ac vanitas rerum humanarum perpenditur: illæ stant, ut alij cadant; illæ perpetuo fluxu dilabuntur, ne cadant, qui ab ijsdem moneantur de fluxis voluptatibus, de transitu rerum humanarum, ac properante Libithina: illæ stantes concupiscentiam movent, pravósque affectus stimulant, & fovent; istæ fluentes concupiscentiam extinguunt, omnésque pravos affectus mergunt, quia memoriam refricantes sepulchri, vel in ipsa mortis domo docent rectè vivere.

## §. V.

### *Improbi affectus in lapidem sepulchralem, veluti marinum allisi in scopulum naufragi merguntur: sed inde probi emergunt.*

Quàm utilis lapis sepulchralis ad pravos quósque conterendos affectus? quàm aptus concupiscentiæ coërcendæ, ac honestati, virtutique inædificandæ? hoc lapide utráque radix pravorum affectuum conteritur, scilicet irascibilis in capite præsertim exardescens, & concupiscibilis cœnoso in pede stabulans: neque me fallere sinit utérque ille lapis, qui è monte dejectus pedem percussit statuæ Nabuchodonosoris; & qui è funda Davidis directus caput vulneravit Goliathi, simúlque Gigantem prostravit. Quiescenti Nabuchodonosori visa est statua quadriformis, capite nimirum aureo, pectore argenteo, ventre æneo, tibijs ferreis, pedibus in lutum, cœnúmque desinentibus; portendebátque quatuor mundi Imperia, Chaldæorum, Persarum, Græcorum, & Romanorum, conterenda tamen omnia unico lapide de montis fastigio ruituro, quintóque regno longè majori cæteris initium daturo. Insolescens Nabuchodonosor ob Imperij sui potentiam, quod tantùm cæteris præcelleret regnis, quantum in somniata statua vilioribus metallis aurum antecelleret, cum caput statuæ Babylonicæ Regi Daniel comparaverit; Rex suspicionem Judaicæ Religionis à se amoliturus, sive Procerum invidiæ velificaturus, sive propriam ostentaturus opulentiam, suam jussic in statua Gigantea sculpi, ac erigi effigiem altitudine sexaginta cubitorum, ad cujus venerationem, cultúmque edicto regio convocaretur universus populus. Verùm è summo proximi montis fastigio dilabens lapis statuam luteo percutit in pede, totúmque deterit colossum. *Abscissus est de monte lapis sine manibus, & percussit statuam in pedibus ejus:* Daniel. 2. nimirum in pede luteo caput prostravit aureum, quò pravi omnes corruerent affectus, ac præsertim cinerescceret æstuans concupiscentia, quæ cum pedibus assolet in cœno voluptatum sordescere. 42.

Altero autem lapide David Gigantem prostravit. Pravus odij affectus Philistæos ad arma, bellúmque contra Hebræos excitaverat; 43.

rat, cúmque non dissita locâssent inter se castra Hebræi, & Philistæi, utrinque in colle parati ad pugnam, si fortâssis adversarius in vallem descendisset interjectam, quod mutuis clamoribus frequenter exposcebatur. Quadraginta jam dies effluxerant, quibus bellum ducebatur magis, quàm gereretur, neutro aleam tentante: ne longius protraheretur pugna, prodijt è castris Philistinorum Goliathus gigantea staturâ, viribus æquè fortis, ac ferox, armis catafractus; is in subjectam vallem, cùm descendisset truculenta voce ad pugnam provocavit, si quis ex omni Hebræorum numero prodire, ac pugnare secum vellet; cúmque has minas, & convicia dietim insolenti arrogantia, fastúque barbaro jactaretur, nullus tamen è castris Hebræorum pugnaturus cum Gigante prosilijt, tametsi Saul Rex divitias, ac copiosa præmia spopondisset: tantùm enim terroris animis incusserat omnium Hebræorum Goliathus giganteâ suâ staturâ, vocéque truculenta, & armis, quibus in vallem descenderat catafractus, ut nullus Hebræorum ausus fuerit singulare cum ipso inire certamen.

44. Accessit è pascendis gregibus in castra Hebræorum David adhuc adolescens, cúmque trepidationem, timorémque animadvertisset in castris Hebræorum, & audivisset Goliathum è valle contumelijs, conviciísque exprobrantem Hebræos, eò quia ex tot bellatorum millibus, nec unum seligant, qui Hebraicæ gentis dedecus abstergat, suóque periculo cæterorum pudori consulat; David ad dimicandum cum Philisthæo se exhibet; & quamvis Saul ei objiceret imperitiam certaminis, inexpertam contra veteranum bellatorem militiam; adhuc constans respondit à se flocci fieri, nec timere Goliathi minas; narrátque Regi victorias de Leonibus, Ursísque à se delatas in sylvis. Delectatus Saul adolescentis fortitudine, animíque magnitudine juncturus humana præsidia cum divinis jubet adolescentem armari: sed David rejectis armis, eò quia plus impedimenti in ijsdem, quàm subsidij sibi inesset, ad arma ruris, baculum, peram, fundam, & lapides, quos de torrente selegerat, convertitur. *Elegit sibi quinque limpidissimos lapides de torrente, & processit adversus Philisthæum.* Exilivit ex Philisthæorum castris Goliathus, & perinde ac Mars gradivus corporea sua mole, armorúmque suorum apparatu consuetas minas, terroréSque spargit; cui cum se certaturum exhiberet David nullo dimicationis, nec armorum apparatu formidabilis; censuit Philisthæus se plus pudoris, quàm gloriæ lecturum ex singulari cum imballi adolescente certamine; jussítque propterea indignabundus eum à suo statim abscedere conspectu, nisi mallet pedibus proteri, daríque in pabulum corvis. Verùm David, qui spiritus conceperat Deo plenos, & ad dimicandum paratos, non terretur minis Philisthæi; sed præmissa hac verborum velitatione decretorium inchoatur certamen spectantium mentibus, præsertim in castris Hebræorum suspensis: Philisthæi enim ex parte adversa certam sibi jam promiserant spem victoriæ. Jam Goliathus fulgurans armis, & oculis graditur in Davidem, qui intrepidus lapidem statim è pera extrahit fundæ imponit, quam circumagit, librátque ictu adeò destinato, ut è funda excussus lapis mediam Philisthæi frontem feriat, fixúsque hæreat fracto cerebro.

Lib. 1. Reg. 17.

Quàm præclaram uterque lapis è monte dejectus, & è funda excussus detulit victoriam, ille Giganteam statuam percussit in pede, & caput aureum, pectus argenteum, ferrea fœmoralia protrivit: hic excussus è funda gigantem percussit in fronte, vicit, debellavit: ille luteam concupiscentiam, cœnosos affectus protrivit in pede; hic igneam irascibilem, sitientésque humanum sanguinem affectus contrivit in capite; nimirum uterque de pravis affectibus triumphavit, quia seriam mortis refricavit recordationem: Elegerat David quinque lapides de torrente, quibus processit contra Philisthæum, arescebat tunc torrens, quem sicco vestigio fuerat David ingressus lapides lecturus; demortui scilicet torrentis speciem exhibuit arescens, & exsiccatus alveus; hanc mortis memoriam pleno haustu biberat in torrente David, hâc voluit præmuniri, tutiùs triumphaturus de adversario. Torrentem exsiccatum loco armamentarij sibi constituerat David, è cujus arescente alveo unà cum quinque lapidibus è mortis memoria suppetias petijt, & arma; quibus eò vividius Gigantem expugnaret, quò altiùs epota in torrente mors menti hærebat; hisce munitus suppetijs, armísque è siccati torrentis, mortísque armamentario extractis; cùm primùm funda lapidem excussit, sepulchrum construxit Philistæo: sed utinam ad conchæ stagnantem aquam postea è solario oculos non convertisset; non cecidisset ipse prostratus à fœmina 45.

Quòd si lapis è funda Davidis excussus pravos irascentis animi prostravit affectus, eò quia è Libithinæ armamentario vires, arma, & animos susceperat: etiam dejectus è montis fastigio lapis lutuosos cœnosæ concupiscentiæ affectus contrivit in pede gigantææ statuæ Nabuchodonosoris: imaginem præsetulit hic lapis ex alto dejectus lapidis Christi sepulchri, quo mortem devicit, & è quo gloriosus resurrexit. Sed ideo è sepulchro Christus resurrexit, quia fuit in sepulchro, non surrecturus, nisi priùs fuisset mortuus, nisi jacuisset in sepulchro; nidulus resurgentis, sepulchrum est morientis. Si igitur pravis nostris affectibus parsimus Christo crucem, in qua expiravit; Prætorium ape- 46.

tatibus mergi, fluvium inspiciamus, & in eo fugacitatem ebibamus terrenarum voluptatum, ut excussis pravorum affectuum laqueis in sublime feramur cum Regio Vate, *De torrente in via bibet, propterea exaltabit caput.* Sed tametsi inspiciant plures hujusmodi fluenta, moneanturque de propria conditione: non tamen è cœno emergunt voluptatum, quia cum Salomone è fluminibus aquas hauriunt, quibus piscinas sibi construunt; idque causæ, cur non meliorem, quàm Salomon exitum nacti sint; licèt à templo exoriantur, exolescunt in delubris. *Et exstruxi mihi piscinas, ut irrigarem sylvam lignorum germinantium.* Piscinam construxerat, cœnosam tamen, cujus laticibus non flores irrigarentur virtutum, sed arbores abluerentur voluptatum: cùm alerentur ex hujus piscinæ undis concupiscentiæ germina; lilia statim aruerunt castitatis. Naufragium in stagno patitur pudicitia, quia stagnantes aquæ vitia contrahunt, & otio marcescentes in cœnum degenerant fœtidissimorum scelerum; à fluminibus, & torrentibus recedendum non est; specula suot fluenta mortalitatem præ oculis exhibentia, nunquam serviremus libidini, si hanc non stagnare, sed celeri cursu præterfluere censeremus: corruunt promptiùs, cadúntque miseri, qui stare posse carnis illecebras, mundique voluptates putant.

Psalm. 109.

Eccles. 2.

41. Hanc stagnantem aquam viderat è solario tempore pomeridiano David: credidit unà cum quiescente aqua potuisse voluptatem stare: at in illa concha quiescentis aquæ non quievit in Davide concupiscentia, sed suas in aqua accendit flammas, quibus David cœpit æstuare. *Viditque mulierem se lavantem*, nimirum pudicitia nullibi periculosiùs naufragatur, quàm in ipsa prosaoi amoris malacia; liquor, quò fœmina corporis sordes exuit, Davidem turpissimè fœdavit; & frigida unda, quæ solatio fuit fœminæ, succensas, ardentésque faces ejaculata fuit in Davidem; qui uno tempore Phaëthontis, & Icari passus est infortunium, nimirum mergitur cum Icaro, quia flagrat cum Phaëthonte: quàm pessimum, ac perniciosum monstrum fœmina in aqua stagnante? cum Davidem coinquinaverit, dum se lavaret, sordésque exueret: quòd si lota mulier commaculat, nonnisi fæces ab ipsa sunt sperandæ, quibus homines turpissimè sordescant; si vel in unda frigida flammas accendit; non potest non cinerescere, qui fœmineis sinunt se illecebris illaqueari: rogum facilè immittet mulier in sole, si flammas eructat ex aqua. Ita est Bethsabea in aqua stagnante Davidem, seu Propheram, & inquinavit, & exussit; cecidit è solario David aspectu fœminæ fascinatus. Quàm noxiæ stagnantes in concha aquæ, quàm salubres fluentes in alveo, vel torrentis, vel fluminis? illæ flammas excitant, quibus pudicitia cinesit; hæ speculum exhibent, in quo fluxibilitas, ac vanitas rerum humanarum perpenditur: illæ stant, ut alij cadant; istæ perpetuo fluxu dilabuntur, ne cadant, qui ab ijsdem moneatur de fluxis voluptatibus, de transitu rerum humanarum, ac properante Libithina: illæ stantes concupiscentiam movent, pravósque affectus stimulant, & fovent; istæ fluentes concupiscentiam extinguunt, omnésque pravos affectus mergunt, quia memoriam refricantes sepulchri, vel in ipsa mortis domo edocent rectè vivere.

2. Reg. 11.

## §. V.

### *Improbi affectus in lapidem sepulchralem, veluti marinum allisi in scopulum naufragi merguntur; sed inde probi emergunt.*

Quàm utilis lapis sepulchralis ad pravos quósque conterendos affectus? quàm aptus concupiscentiæ coërcendæ, ac honestati, virtutique inædificandæ? hoc lapide utráque radix pravorum affectuum conteritur, scilicet irascibilis in capite præsertim exardescens, & concupiscibilis cœnoso in pede stabulans: neque me fallere sinit utérque ille lapis, qui è monte dejectus pedem percussit statuæ Nabuchodonosoris; & qui è funda Davidis directus caput vulneravit Goliathi, simúlque Gigantem prostravit. Quiescenti Nabuchodonosori visa est statua quadriformis, capite nimirum aureo, pectore argenteo, ventre æneo, tibijs ferreis, pedibus in lutum, cœnúmque desinentibus; portendebátque quatuor mundi Imperia, Chaldæorum, Persarum, Græcorum, & Romanorum, conterenda tamen omnia ooico lapide de montis fastigio ruituro, quintóque regno longè majori cæteris initium daturo. Insolescens Nabuchodonosor ob Imperij sui potentiam, quod tantùm cæteris præcelleret regnis, quantum in somniata statua vilioribus metallis aurum antecelleret, cum caput statuæ Babylonicæ Regi Daniel compararet; Rex suspicionem Judaicæ Religionis à se amoliturus, sive Procerum invidiæ velificaturus, sive propriam ostentaturus opulentiam, suam jussit in statua Gigantea sculpi, ac erigi effigiem altitudine sexaginta cubitorum, ad cujus venerationem, cultúmque edicto regio convocaretur universus populus. Verùm è summo proximi montis fastigio dilabens lapis statuam luteo percutit in pede, totúmque deterit colossum. *Abscissus est de monte lapis sine manibus, & percussit statuam in pedibus ejus:* nimirum in pede luteo caput prostravit aureum, quò pravi omnes corruerent affectus, ac præsertim cinesceret æstuans concupiscentia, quæ cum pedibus assolet in cœno voluptatum sordescere. 42.

Daniel. 2.

Altero autem lapide David Gigantem prostravit. Pravus odij affectus Philistæos ad arma, bellúmque contra Hebræos excitaverat; 43.

rat;

rat, cúmque non dissita locâssent inter se castra Hebræi, & Philistæi, utrinque in colle parati ad pugnam, si fortâssis adversarius in vallem descendisset interjectam, quod mutuis clamoribus frequenter exposcebatur. Quadraginta jam dies effluxerant, quibus bellum ducebatur magis, quàm gereretur, neutro aleam tentante: ne longius protraheretur pugna, prodijt è castris Philistinorum Goliathus gigantea staturâ, viribus æquè fortis, ac ferox, armis catafractus; is in subjectam vallem, cùm descendisset truculenta voce ad pugnam provocavit, si quis ex omni Hebræorum numero prodire, ac pugnare secum vellet; cúmque has minas, & convicia dietim insolenti arrogantia, fastúque barbaro jactaretur, nullus tamen è castris Hebræorum pugnaturus cum Gigante prosilijt, tametsi Saul Rex divitias, ac copiosa præmia spopondisset: tantùm enim terroris animis incusserat omnium Hebræorum Goliathus giganteâ suâ staturâ, vocéque truculenta, & armis, quibus in vallem descenderat catafractus, ut nullus Hebræorum ausus fuerit singulare cum ipso inire certamen.

44. Accessit è pascendis gregibus in castra Hebræorum David adhuc adolescens, cúmque trepidationem, timorémque animadvertisset in castris Hebræorum, & audivisset Goliathum è valle contumelijs, convicijsque exprobrantem Hebræos, eò quia ex tot bellatorum millibus, nec unum seligant, qui Hebraicæ gentis dedecus abstergat, suóque periculo cæterorum pudori consulat; David ad dimicandum cum Philisthæo se exhibet; & quamvis Saul ei objiceret imperitiam certaminis, inexpertam contra veteranum bellatorem militiam; adhuc constans respondit à se flocci fieri, nec timere Goliathi minas; narrátque Regi victorias de Leonibus, Ursisque à se delatas in sylvis. Delectatus Saul adolescentis fortitudine, animíque magnitudine juncturus humana præsidia cum divinis jubet adolescentem armari: sed David rejectis armis, eò quia plus impedimenti in ijsdem, quàm subsidij sibi inesset, ad arma ruris, baculum, peram, fundam, & lapides, quos de torrente selegerat, convertitur. *Elegit sibi quinque limpidissimos lapides de torrente, & processit adversus Philisthæum.* (Lib. 1. Reg. 17.) Exilivit ex Philisthæorum castris Goliathus, & perinde ac Mars gradivus corporea sua mole, armorúmque suorum apparatu consuetas minas, terroréisque spargit; cui cum se certaturum exhiberet David nullo dimicationis, nec armorum apparatu formidabilis; censuit Philisthæus se plus pudoris, quàm gloriæ lecturum ex singulari cum imbelli adolescente certamine; jussítque propterea indignabundus eum à suo statim abscedere conspectu, nisi mallet pedibus proteri, daríque in pabulum corvis. Verùm David, qui spiritus conceperat Deo plenos, & ad dimicandum paratos, non terretur minis Philisthæi; sed præmissa hac verborum velitatione decretorium inchoatur certamen spectantium mentibus, præsertim in castris Hebræorum suspensis: Philisthæi enim ex parte adversa certam sibi jam promiserant spem victoriæ. Jam Goliathus fulgurans armis, & oculis graditur in Davidem, qui intrepidus lapidem statim è pera extrahit fundæ imponit, quam circumagit, librátque ictu adeò destinato, ut è funda excussus lapis mediam Philisthæi frontem feriat, fixúsque hæreat fracto cerebro.

Quàm præclaram uterque lapis è monte dejectus, & è funda excussus detulit victoriam, ille Giganteam statuam percussit in pede, & caput aureum, pectus argenteum, ferrea fœmoralia protrivit: hic excussus è funda gigantem percussit in fronte, vicit, debellavit: ille luteam concupiscentiam, cœnosos affectus protrivit in pede; hic igneam irascibilem, sitientésque humanum sanguinem affectus contrivit in capite; nimirum uterque de pravis affectibus triumphavit, quia seriam mortis refricavit recordationem: Elegerat David quinque lapides de torrente, quibus processit contra Philisthæum, arescebat tunc torrens, quem sicco vestigio fuerat David ingressus lapides lecturus; demortui scilicet torrentis speciem exhibuit arescens, & exsiccatus alveus; hanc mortis memoriam pleno haustu biberat in torrente David, hâc voluit præmuniri, tutiùs triumphaturus de adversario. Torrentem exsiccatum loco armamentarij sibi constituerat David, è cujus arescente alveo unà cum quinque lapidibus è mortis memoria suppetias petijt, & arma; quibus eò vividius Gigantem expugnaret, quò altiùs epota in torrente mors menti hærebat; hisce munitus suppetijs, armísque è siccati torrentis, mortísque armamentario extractis; cùm primùm funda lapidem excussit, sepulchrum construxit Philistæo: sed utinam ad conchæ stagnantem aquam polles è solario oculos non convertisset; non cecidisset ipse prostratus à fœmina. 45.

Quòd si lapis è funda Davidis excussus pravos irascentis animi prostravit affectus, eò quia è Libithinæ armamentario vires, arma, & animos susceperat; etiam dejectus è montis fastigio lapis lutuosos cœnosæ concupiscentiæ affectus contrivit in pede giganteæ statuæ Nabuchodonosoris: imaginem præsetulit hic lapis ex alto dejectus lapidis Christi sepulchri, quo mortem devicit, & è quo gloriosus resurrexit. Sed ideo è sepulchro Christus resurrexit, quia fuit in sepulchro, non surrecturus, nisi priùs fuisset mortuus, nisi jacuisset in sepulchro; nidulus resurgentis, sepulchrum est morientis. Si igitur pravis nostris affectibus paravimus Christo crucem, in qua expiravit; Prætorium ape- 46.

aperuimus; in quo Christus cæsus fuit; ad domum Annæ pulsavimus, ubi Innocens damnatus fuit; viam stravimus in Calvarium, ubi crucem bajulavit; necessè est, si cum Christo resurgere cupimus, sepulchrum cum ipso ingrediamur, quo pravos omnes affectus tam in animo irascente, quàm concupiscente prosternamus occidamus, sepeliamus, altiúsque sepulchri memoriam menti imprimamus, à qua excidat nunquam, nunquam diffluat; ut redivivi cum Christo resurgamus è funere. Fuit Christi sepulchrum ex præduro lapide, in quo incisum fuerat monumentum; hoc est Christi sepulchrum, in petra inciditur; quia cor lapideum, dummodo scalprum non refugiat, quo pravi omnes exscindantur affectus, ac vestigia omnia excutiantur tam irascentis, quàm concupiscentis animi Christo parat mansionem in sepulchro: pravi enim, & efferati affectus lapidei sunt, flecti nescij, locum resurrectuo extruent nunquam, nisi mortificationis scalpro disrumpantur. Post devictam mortem, post tot toleratos dolores, contemptus, cruciatus, laniatus, postquam fuit flagellis cæsus ad columnam, spineo coronatus serto in Prætorio: crucique affixus in monte, non vult Christus suam præparari mansionem in luto, nec in alia molliori materia, sed in solo lapide in eorde lapideo, quod scalprum non detrectet, sed saxeos affectus flecti nescios detruncet Matth. 27. *Accepto corpore JESU involvit illud in sindone munda, & posuit illud in monumento suo novo, quod exciderat in petra.*

47. Neque lapideum cor, seu pravis occupatum affectibus Deo mansionem apparat, cùm primùm impetus passionum incipiunt emolliri nivibus senescentis canitiei; vel temperari frigore imminentis alicujus periculi; sed cùm in flore ætatis, quando ebulliunt unà cùm sanguine, coërcentur, vincuntur, & totaliter extinguuntur; tunc mansionem apparamus mortuo Christo, cum ipso resurrecturi. Hanc pravorum affectuum coërcitionem nos docuit Christus cum percutienti maxillam, alteram illicò exhibendam esse admonuit; nimirum noluit, ut post nobis illatam contumeliam, aliquamdiu quiesceremus ad efferatam ultionis libidinem sedandam; sed mox ut cædimur; jubemur statim cædendam exhibere maxillam: hæcque ratio, cur Christus Judam amicum non vocaverit, cum oraret, sed cùm ab ipso proderetur; idque causæ, cur pro crucifixoribus non post resurrectionem redivivus, sed moriturus in cruce patrem oraverit.

48. Quærit Christus suam in corde lapideo mansionem, sed dedolatum vult priùs esse cor, & scalpro mortificationum excisum, liberúmque ab omni prorsus corrupto affectu. Pravi affectus tunc coërceri, elidíque debent, cùm fervent, & non quando cum curvata senectute incipiunt frigere; tunc coërcendi, quando cum sanguinis ebullitione fervent, non cum in senio cum ipso homine viribus destituuntur, tunc enim tempori potiùs litantur, quàm Numini. Hostijs delectatur Deus, sed vivis, non mortuis. Arbores, quæ in sylvis præmoriuntur, vix flammas nutriunt: ignescunt quidem, sed non ardent; illæ verò ad sydera suas efferunt flammas, quæ cum viverent, & virerent succisæ fuerunt: si sericum pretiosioris meriti construere cupimus bombycem imitemur, qui se se non mortuum, sed adhuc viventem, & quidem in flore ætatis, in sepulchrum condit.

49. Phœnicem adeamus, qui sibi naturæ ipsius instinctu rogum concinnant, suavi fragrantiâ lignorum refertum, quem lecti simul, & lethi sit loco habiturus, ubi è Manium umbris ad lucis prodit usuram, è tumulo ad thalamum novæ juventæ transit; avis siquidem Virgo, & fœcundissima sui simul genitrix, & soboles est, altrix, & alumna: vitalis enim interitûs, ac lætissimi lethi cupiditate captus phœnix delicias è funere, conabula è sepulchro haurit; ubi redivivi cadaveris sui eadem avis prætica, & pronuba, adoratum thalamum in tumulo jucundis myrrhæ lachrymis perfuso parat; tum funereas è vivaci sole faces mutuatas alarum flabro dventilans, se parit, dum perit; simúlque vetus, & adultus, priscus, & recens extremum sibi Phœnix diem celebrat, epinicia canit, & epicedia, sibique Clotho, & Atropos vitæ stamen incidendo redorditur; & è frigidæ mortis cineribus vitæ hauriens calorem morte immortalitatem sibi comparat. Estque Phœnix, qui stupentibus omnibus in suo funere moritur simul, & oritur; & redivivus è sepulchri cineribus gloriosior resurgit: ut enim ales nobilissimus suis pubescat in cineribus, exiguom relinquit in favilla vermiculum, qui paulatim animam, & speciosi corporis formam induit, estque sibi pater simul, & filius: sed ideo redivivus resurgit, quia vivus sepulchrum petierat.

50. Immo etiam frumentum nisi terræ sepulchrum adeat, antequam moriatur, priùsquam putrescat, redivivum ex occatæ telluris sepulchro non resurgit pubescens in herba, lasciviens in flore, ditescens in arista, & flavescens in spica: nimirum integrum tumulatur frumentum, & vivum, ut germinet: non germinaturum, nisi veluti mortuum sepeliretur. Adeamus, & nos adhuc viventes sepulchrum, ut redivivi ad sublimia surgamus, altiùs menti hæreat recordatio lethi, ut læti resurgamus post devictos, ac prostratos pravos omnes affectus; neque sufficit unum tantùm, vel alterum excidisse, sed omnes amputandi sunt,

Ar.

Arborum rami non ij tantùm amputantur, qui aruêre, ut feliciùs plantæ progerminent: sed iis etiam culter admovetur, ubi virescit arbor, ut feracior instauretur.

51. Gravior sanè, & sævior est mentis laniena, quàm corporis cruciatus, unde David Psal. 117. *Lapidem, quem reprobaverunt ædificantes:* loquitur de angulari lapide Christo, qui contusus, concisus, comminutus toties fuit Judæorum immanitate: ut discamus sub tanto Magistro, non tantùm dolores corporis, verùm & animi vincere probra, arma ad victoriam suppeditante sepulchro. Certè malè cum hominibus ageretur, si tot inter pravos affectus, voluptatum fallacias, concupiscentiæ illecebras, mundíque delicias, hi monitricem non sortirentur Libithinam, cujus vocibus, clamoribúsque interpellati, oculos tandem aperirent; videréntque, quàm fluxa sint omnia, quàm lapsui, & interitui obnoxia: nos edocet mors voluptatum vinculis non præpediri; ambitionis fascinationibus non ligari, nobísque ostendit proceras, aureásque statuas unà cum luteis pedibus in pulveres, cinerésque dissolvi, eodémque modo ventorum impetu dissipari, auræ lulu exagitari.

52. Quid ni, quem mortis aspectus non comprimit, urgétque, ut pravos quósque excutiat affectus, ac innocens vivat, reprobum credas. Damnatus creditur Saul Rex, quamvis à Deo electus in Regem. Sed quid causæ hujus damnationis? quia Saul, ubi à Samuele fuit electus, unctúsque in Regem Israël, hoc fuit eidem datum signum potestatis à Deo sibi concessæ: *Hoc tibi signum* ait Samuel, *quia unxit te Deus in Principem, cùm abieris hodie à me, invenies duos viros juxta sepulchrum Rachaël.* ad sepulchrum statim eum misit regiminis auspicaturus exordia, mira sanè Samuelis prudentia, cùm primùm objecerit designato à se, unctóque Principi sepulchrum, non cujuscunque, sed Rachaëlis; quæ dum parit, perit; & eundem docuit esse filium doloris, & gaudij. Hoc alexipharmaco obviandum est ægritudini animi superbientis donati recente felicitate. Solus siquidem cinis id feliciter præstat, ut oleo, quo in Principem, quis inungitur, ungatur quidem, sed non maculetur. Non eblandiamur novis Principibus, sed mortem iisdem objiciamus: sed quàm rari hodie Samueles, qui Principibus sepulchrum objiciant, ac sepulchrali cinere lethi memoriam refricent? Nullum coërcendis pravis affectibus frœnum aptius etiam in Principibus mortis refricatâ memoriâ, & ideo Samuel ad sepulchrum Rachaëlis Saulem miserat regni feliciora auspicaturus exordia. Verùm quia post sepulchri aspectum, post mortis memoriam à Deo immissam, adhuc Saul suis indulget concupiscentiis, tumultuantibus suis inservit pravis affectibus, in cœno volutatur voluptatum, for-

1. Reg. 10.

descit avaritia, inhiat divitijs, conclamatum fuit de illius salute, & reprobus emoritur.

## §. VI.

### *Qui è sepulchrali cinere vitales hauriuntur spiritus, pravis omnibus affectibus mortem adferunt.*

Sunt, qui vitales quosdam è sepulchrali cinere videntur spiritus haurire, sibique propterea adgratulantur, quasi supremum jam attigissent perfectionis gradum, nec opus ampliùs iisdem esset, pravos alios amputare affectus, eò quia de alijs non semel detulerint triumphos; sed falluntur, quia in eodem prato vipera virus evomit, & flos suum exhalat odorem; in eadem sylva occubant simul agnus, & leo. Non se credant hi ab omni immunes labe, eò quia unam, vel alteram insurgentem compescuerint concupiscentiam; etiam Jonas in ventre ceti oravit, & tamen cujus jacturam virgulti non potuit tolerare; & vitâ maluit carere, quàm hederâ: etiam Joannes virginitatis culturâ excelluit, & tamen ambitionem non exclusit sedendi ad dextram: etiam Abraham extorris patriam contemptui habuit, & tamen propriam vitam non sprevit uxore simulatâ in sororem. Quidni etiam statua Babylonica multiplici metallorum fulgore conflata stetit sublimis, & tamen quia tot inter divitias metallorum adhuc luto nitebatur in pede, sufficit exigua testa ad excidium totius simulacri: etiam sponsus ventre eburneus, ore purpureus, vertice palmaris; aureus pedibus, lapidea habuit crura, ne scilicet nos credamus undique victores, si de uno tantùm, vel altero prostrato affectu victoriam retulimus; ne nos credamus, esse undique pretiosos, si uno vel altero corporis membro radiemus. Scimus Judam nec ambitione fuisse inflatum, nec libidine æstuâsse, neque irâ exarsisse; & nihilominus adhuc auri cupiditate, quam inter loculos non extinxerat, proruit in scelus omnium maximum. Petrus se paratum dixit in carcerem, & mortem ire, & tamen ad unius ancillæ voculam timore perculsus Christum abnegavit. Etiam David, quamvis victor de prostrato Goliatho redux civitatem ingrederetur, plaudentium inter puellarum choros friguit adolescens citra periculum castitatis; & tamen exarsit vir provectæ ætatis ad unius fœminæ se lavantis aspectum, & qui conglaciatus fuit inter puellas, ignem concepit, hausitque vel ex ipso frigido fonte. 53.

Non sufficit unum duntaxat, vel alterum semel, & iterum amputâsse pravum affectum; sed omnibus est falx admovenda, ferrum injiciendum; quovis tempore, in quolibet loco singulis objiciendus est pulvis sepulchralis, sd quem impingentes, perinde ac marini fluctus littoralibus in arenis suos de- 54.

deponant superbientes tumores; deserant impetus.

55. Sunt qui hos cineres uni, vel alteri tantùm objiciunt pravo affectui, ut videantur hominibus virtutum cultores, & vitiorum debellatores; sed isti cum virtutum cortice, vel potiùs larva contegantur, hypocritia haud absimiles sunt, de quibus Christus, *Matth. 23.* *va vobis scriba, & Pharisei hypocrita, quia similes estis sepulchris dealbatis, quæ à foris apparent hominibus speciosa, intus verò plena sunt ossibus mortuorum*, maluit eos vocari sepulchra dealbata, quàm fuliginosa, & tetra nigredine lurida; quia Deo sunt minus exosa, quæ atra; quàm quæ albedinem exhibentia, alba non sunt, sed tantùm dealbata; seu alba in superficie extima, & intus sordida, tetra. Neque corvus, licèt niger, Deo displicuit, cum ipsum nutritium selegerit Eliæ. Verùm sepulchra, si dealbata sint, vacua non sunt, sed vermibus scatent, omníque spurcitia sordescunt: súntque hujusmodi dealbata sepulchra ossibus referta; quia ex hominibus plures solam virtutis pellem exteriùs induentes, ut cultores videantur virtutum, adhuc in se pravorum affectuum ossa retinent, & vermes fovent vitiorum. Vitijs scatent intus, tametsi exteriùs virtutum culturâ videantur florere: sæviunt in corde, & subrident in ore; superbiunt animo, & oculis in humum demissis affectant humilitatem; invidiâ torquentur in præcordijs, & vultu ad hilaritatem composito adgratulantur dignitate insignito: quia adhuc pravi affectus intus tumultuantur, nec ullo vero sepulchrali cinere sopiuntur: insolescunt utriusque appetitus irascentis, & concupiscentis motus, quia ijsdem frœnum non injicitur sepulchri.

56. Neque sufficit uni pravo obstitisse affectui, ejúsque coërcuisse impetum, nisi cæterorum etiam radices convellantur, nisi omnes ijsdem præcludantur viæ, & occasiones insurgendi, rebellandíque contra rationem. Etenim scimus, vitulum in eremo ex inauribus conflatum; quia citiùs ornamenta transeunt in simulacra; & quod aurum credebatur, brevi fit idolum à veri Numinis cultu abstrahens possessores: si ornamenta muliebria, si inaures secum Israëlitæ in desertum non detulissent, minimè rebellanti populo pravus in idololatriam affectus viam stravisset aureum sibi in vitulo conflandi Numen; si consuetis contenti fuissent tegi vestibus, quales itinera per desertum videbantur expostulâsse, à cultu veri Numinis non defecissent. Utinam ornamenta etiamnum in fœminis non transirent in idola, cùm plus temporis impendant in cultu vestium, & ornatu corporis, quàm in cultu Deo in templis exhibendo. Utinam etiam in ecclesiasticis quibusdam infularum ornamenta auro fœdere consociata, & gemmis, signa non essent vanitatis; quæ insignia sunt pietatis. Sub primo Ecclesiæ exordio, cum piscatores ecclesias administrarent, facilè repudium patiebantur infulæ; cùm nunc rarò erubescat purpura repulsam passa; quia cùm pinguius esse cœpetit sacerdotium, ac splendidius, dignitates videmur potiùs colere, quàm excolere; & quæ ornant, facilè cultum extorquent.

57. Quinimò scimus in eremo à rebellantibus Israëlitis ex mulierum inauribus conflatum vitulum: & plerúmque gloria incorruptibilis Dei etiamnum commutatur in similitudinem vituli comedentis fœnum, cùm nimirum Christi fideles lustrali Baptismi aquâ abluti, vanâ muliercularum abripiuntur pompâ, & fœminas vanitati inservientes, non secus, ac idola colunt, fiúntque impuri idololatræ, qui veri Numinis se profitentur Cultores; quia singulas neglexêre pravorum affectuum radices convellere; quia omnes ijsdem non præclusêre vias; irrepunt enim, si exiguus aditus eis pateat; incrementúmq; subeunt virium, quibus ferociunt, nisi sepulchrali cinere rimulæ omnes occludantur.

58. Displicet, quibus virtus non placet, hoc cinere mortis jugiter refricare memoriam: etiam spinæ, quia pungunt, lancinántque, displicent; & tamen lilium non floret innocentius, quàm inter spinas; nec rosa suaviùs olet, quàm dumetis vallata; floret, & olet inter tribulos, ac vepreta lilium: flos est pudor, ne pereat, si non dumis, saltem sepulchrali cinere circumvallandus est. Hoc cinere Theodoræ pudicitia etiam in lupanari floruit, oluitque insignis sanctitatis flagrantiam; ne ullo in loco desperemus de castitatis lilio servando; si turpior irruperit cogitatio, dummodo sepulchrali cinere aspergatur, abigitur: etiam iris fœdas inter nubium umbras emicat gratior; & ille est flos charior, qui redeunte vere præcox de nivibus triumphavit, & primus è sinu hyemis erupit.

59. Quòd si pudicitia periclitetur, & funeris refricata memoria non videatur adeo valens, ad quæ imminent, pericula præcavenda; addenda tunc in subsidium est oratio ad Deum fusa, quæ vel in cinere maximè Deo placet: cum Deus amet sponsam sicut lilium inter spinas, non reijcit orationem efflorescentem in cinere, quo mundi illecebræ degenerant in dumos, in luctum gaudia, in ferales umbras illustriores dignitates, & in colubros sceptra ipsa regalia. *Quid est, quod tenes in manu tua? Respondit virgam. Dixitque Dominus projice eam in terram. Projecit, & versa est in colubrum.* *Exod. 4.* Quid, quòd virga in manu Moysis sceptrum sit imperio

præ-

præparata, miraculisque perpetrandis destinata; & eadem in humum, pulverémque abjecta anguis fiat? quid, quòd sceptrum, si è superioris delabatur manu humi repentem vertatur in colubrum? An quia exitium metuendum est, unde auxilium expectari potuit? An quia præsidium sceptri, & virgæ in angues commutetur, si primùm terram tetigerit? quia terrenarum rerum cura, atque cupiditas, & superiorom potentia, si in terram inclinet, si bonis hisce terrenis inhiet, sit coluber venenum despumans, & ipse dominatus mors est feralis? Veriùs tamen sceptra quamdiu inspiciuntur in manu, imperii nobis videntur insignia, ac dignitatis decora præseferre: at in terram projecta, seu sepulchrali si inspiciantur in pulvere; quæ antea gemmis illuminata erant oblectamento; mox sepulchrali inspersa cinere angues apparent, terrorem incutientes, & non ampliùs ornamenta, quæ eblandiantur. Splendet disdema in capite, sed ad pedes abjectum deprehenditur esse oneri, quod honori dabatur; floret in rosam purpura ex humeris depluens, sed arescit in spinas, si in pulverem cadat sepulchri. In manu quæ virga nobis videtur, si è manibus projiciatur coluber erit. Quàm plures serpentes deprehenderentur, quæ sceptra creduntur, si collyrio sepulchralis cineris ægritudini mederemur oculorum? despicerentur non sine contemptu in pede, quæ non absque admiratione aspiciuntur in capite. Pravus affectus plerumque id facit, ut dum anguem in manu tenemus, imperii nobis videatur insigne: sin autem in pede, ac pulvere sepulchri consideremus, apparet anguis venenum evomens.

60. Verùm in id insaniæ devenit tumidus ambitionis affectus, ut etiam Manium inter umbras quærat, quibus etiam sordescente in cinere splendeat. Eò insanit superbiens affectus, honorisque cupiditas, ut inter cineres splendores titulorum ferat, feris germinaturos honorem Nepotibus. Vivit in sepulchris ambitio, neque in ossuaria detumescit, neque superbire dedidicit in cinere. Non sepulchra excavantur exiguo condendo pulveri, sed jam marmoreæ eriguntur substructiones, amplos titulos, liberalésque dignitatum cathalogos, vel tacentes posteris locuturæ; & ne honorum insignia diffugiant, durioribus, ac tenacioribus concreduntur lapidibus; imò, & ne voracis temporis dentem, rodentísque Saturni falcem timeant, pertinacioribus etiam inscribuntur marmoribus, ut in tumulo jacentes non mortalitatem ostendant, sed festum ostentent, aucupantes vel in ipsius mortis domo immortalitatem: ita furit ambitio, ut ne in ipso vitæ confinio coërceri possit ejus insania; ita tumet, ut quamvis allisa ad sepulchri lapidem adhuc superbiat naufrega, & eliùs exiliat, splendores quæsitura in Manium umbris; protractiorem vitam vel ipsi mortui quærunt in marmore, in statuis ad vivum referentibus defunctos; in titulis, plenisque dignitatum catalogis marmore insculptis: sed falluntur & ipsi, quia tametsi suppetias quærant in lapidibus ad retundendam Saturni falcem, non propterea voracem ejus declinant dentem; corruunt tandem, & ipsa erecta monumenta, dilabuntur surgentes statuæ, obliterantur insculpti tituli, inscriptæ dignitates, & tandem desinunt in quisquilias, teruntur in pulveres, quæ ad æternitatem constructa fuisse putabantur monumenta, ut scitè cecinit Ausonius. Epigr. 3.

*Miramur periisse homines monumenta fatiscunt*
*Mors etiam saxis, nominibúsque venit.*

Quot inter homines, qui mortui ut vivant, monumentum curant sibi construi ære perennius; qui tamen, cùm viverent, obdormierunt in morte propriæ mortalitatis prorsus obliti? hac cæcitate ne laboraret David, enixim Deum rogavit, & petiit ne hoc somno sopiretur, sed ut vigil semper oculos aperiret ad sepulchralem cinerem: *Illumina oculos meos, ne unquam obdormiam in morte, ne quando dicat inimicus meus prævalui adversus eum.* Pereunt quotquot in morte obdormiunt, siquidem germanus mortis frater est somnus, & quoties fraterno hoc fœdere junguntur mors, & somnus conclamatum est de nobis. Nil nobis magis metuendum, quàm familiaritas nimia cum morte, si nimirum non excitemur ad ejus memoriam, sed in ejus sinu conquiescamus: nos docet mors, si eam audiamus, & non in illius gremio somno sopiamur, ne sinamus nos vinculis rerum terrenarum præpediri, neque ambitionis fastu inflari, neque concupiscentiæ fascinationibus illigari; nósque docet proceras, aureásque statuas in easdem favillas, pulverésque dissolvi, ac lutei pedes, & eodem flatu, ventorum ludo dissolvi; omnia interitui obnoxia, singula fluxa, & ad Libithinem rapi. Verùm si hisce vocibus adhuc nostræ obsurdescunt aures, si pravarum cupiditatum circumfusi caliginibus adhuc cæcutiunt oculi; si in rerum omnium pernicie ad interitum fluxu adhuc quiescere, ac indormire cupimus in morte, actum est de nobis; non somnus mortis frater, sed mors ipsa jam nos occupat. Videmus aves ad fundæ strepitum turmatim diffugere, & quas inhabitabant arbores Euro ocyores relinquere; & nos ad validos clamores rerum pereuntium, ac delabentium obrutescimus? & in furentium modum insanimus? magísque intumescimus ambitione inflati, ubi mors nos edocet, fastum omnem deponere? Fac ut Libithina aliquem ex Principis administris, ex aulæ proceribus secum trahat in sepulchrum, non contemnunt superstites derelinquenda, sed derelictis à mortuo inhiant officiis, titulis, & dignitatibus: eos funus detumescere edocet; & nihilominus tumescunt 61. Psal. 12.

tientes, & obdormiscentes in morte, oculos tantùm aperiunt, ut videant, quomodo ad derelictum officium possint pervenire, vacans ministerium impetrare, dignitatem assequi, & hæ sunt curæ, quibus invigilant; objecta, quæ vident; munera, quæ concupiscunt.

62. Cecidit, occubuitque invictissimus dux Gedeon, & statim insurrexit Abimelechus tumida inflatus ambitione inhians decantatissimi Gedeonis dignitati, ac præfecturæ, & omnia sus, déque vertit, ut ea potiretur: *Abiit Abimelech filius Jerobaal in Sichen ad filios matris suæ, & locutus est ad eos.* Sin verò quæratur, quò perrexit, autumat Abulensis, ab ipso loco ubi paternum funus celebratum erat, & justa persoluta tetendisse, quò principatum enanciscceretur, ait ipse: *Abimelech erat filius Jerobaal, id est Gedeonis, & ivit in Sichen, scilicet quia ipse manebat in Ephra cum patre suo: nam habitabat Gedeon in Ephra, & ibi mortuus, ac sepultus est:* paucis interiectis addit: *Abimelech autem fortè interfuit sepulturæ ejus; & inde ivit in Sichen provisurus sibi de Principatu*, seu parentaliis persolutis, paternóque cadavere tenui, modicáque syndone tecto statim abivit, & tametsi, vel tacens cadaver eum edocuerit, quàm fluxæ, quàm umbratiles sint mundi dignitates, obturuit tamen aures, obsurduítque mortis consiliis; & obtinendæ sibi dignitatis pravis æstuavit affectibus, insanissimis exarsit desideriis.

Judic. c. 9.

q. 1. in Judic.

63. Quotquot in schola sepulchri docente Libithina non proficiunt, deficiunt à quovis sano sensu, sinúntque à pravis suis pertrahi affectibus, quibus nullum injicientes frœnum præcipites in enormia quæque trahuntur scelera. Duos Isaacus ex Rebecca filios susceperat; majori natu Esau nomen indidit, alteri Jacob; Gemelli fuêre, seu eodem editi partu, quamvis, & habitu corporis, & animi dotibus omnem obliterarent fraternam similitudinem. Major siquidem natu naturâ efferatus, genio rudis, ingenio agrestis à puero ruri addictus, venationi assueverat; Isaacus sciens nil invitâ minervâ dicendum, nilque faciendum totum dissimulavit. Jacobus verò natu minor ingenio facilis, moribus elegans, mitioribus incubuit studiis assiduus domi, frequens in obsequiis parenti præstandis, cum inditâ sibi indole magis ad excolendum animum, quàm exercendum corpus propenderet; id causæ fuit, cur matris præ cæteris benevolentiam, amorémque sibi conciliaverit.

64. Contigit autem, ut mulier pulticulam ex lente pro ævi illius simplicitate Jacobo à se dilecto appararverit, quâ cum vesceretur, supervenit è campo Esau ex itinere defatigatus, viribus deficiens; & famelicus vix oculos in pulticulam injicit; & edulium appetit, enixim cupit, dentibus in cibum prurit fami exsaturandæ peraptum. Jacobus verò occasionem nactus juris recipiendi primogeniti debiti, quodque nascendi sorte Esauo obtigerat; pultem ea obtulit adjecta conditione, dummodo natalem sibi cederet, concederétque prærogativam; assentitur Esauus, addictúque, quod poscebatur; fortassis putans sponsionem illam irritam, tametsi jurejurando firmatam, eò quia à ludibundo factam; cum non videretur esse sani judicii vili lenticulâ decoquere Principatum familiæ, vendere dignitatem sacerdotii, dilapidare opimiorem hæreditatis partem.

65. Verùm Rebecca antevertens cruentum omne consilium, titulos juris nascendi in Jacobum transtulit; sed Esauus dignitatem, quam famelicus fastidierat, improbis molitur artibus adipisci, pravis accitis in suppetias affectibus: idque non alia de causa, nisi quia obsurduit, docente Libithina improbos quosque amputare affectus, prava extinguere desideria: *Veniens dies luctûs patris mei, & occidam Jacob fratrem meum:* mortem concupivit Isaaci parentis, ut calente adhuc patris cadavere, justis nondum persolutis, nec parentaliis absolutis, Principatu potiretur, & quia in mortis schola nil profecit; defecit in omnia scelera; quia illum mors & funus non edocuit principatum spernere, quem à demortuo patre relictum sperare: quamvis frigida mors gelu suum opposuisset ad æstum hujus pravi affectus temperandum, ardentior tamen excanduit in frigido patris cadavere filii cupiditas, eum per fraternam cædem sibi Principatum moliretur usurpare: *Veniens dies luctûs patris mei, & occidam Jacob fratrem meum*, tantùm abfuit, quòd sepulchrali cinere æstus sopiretur pravi desiderii, gelúque frigidæ Libithinæ extingueretur, ut potiùs inde flammas accenderit acriores.

Genes. 27.

## §. VII.

### *In Libithinæ schola edocemur, quàm fluxa, evanida, & exigua sint, quæ in mundo censentur magna, ut nostros ab iisdem affectus avertamus*

66. Obsurdescunt, cæcutiúntque in schola Libithinæ, & non proficiunt quotquot mundi dignitates, præeminentias ambiunt, optántque præ cæteris divitiis affluere, vitiis liberiùs, ut indulgeant: si enim mortem audirent docentem, eámque non abjicerent, ut tristia ingerentem; non ita proni essent in scelera, neque eorum ambitio niteretur funus deludere. In mandatis acceperat Saul superstites omnes Amalechi reliquias demoliri: imperio jussuíque obsecutus Saul delectum sibi militem adsciscit, bellum paraturus contra Amalecitas, & quia nil faciliùs, paratiúsque nihil, quàm Deo adjuvante, virésque suppeditante hostium turmas, quamvis numero longè majores, & bellica fortitudine superiores imbecilliori manu subigere, ac debellare; facillimum

1. Reg. c. 15.

mum fuit Sauli Amalecitas adoriri, expugnare, prosternere, ac profligare, palmásque in hostili cæde colligere, eò nobiliores, quò Amalecitarum uberiori cruore madidas. Triumphavit Saul in pugna illa, sed Agagum Regem vivom detinuit captivum: *Apprehendit Agag Regem Amalech vivum; omne autem vulgus infecit in ore gladij, & pepercit Saul, & populus Agag, & optimis gregibus ovium, & armentorum, & vestibus, & arietibus, & universis, quæ pulchra erant, nec voluerunt disperdere ea.*

67. Quòd Saul Dei obtemperaturus jussui pugnaverit, & Amalecitas expugnaverit nil miri; sed quòd Agagum non interfecerit integrè executurus Dei præceptum, & maluerit eum vita donari, quàm divino ex integro parêre jussui, id sanè mysterio haud caret; præsertim cum non magis ad plenom triumphi plausum conduceret Agagus vita donatus, quàm in conflictu interemptus. Procul dubio pravus aliquis in Saulem irrepserat affectus, cui maluit indulgere, quàm divinæ jussioni pleniùs obtemperare: ita est inhiaverat divitiis Saul; & quia Rege interempto cinis funeris flammas sopivisset cupiditatis, ignémque extinxisset desiderii; ideo maluit abstinere à morte, quàm pravæ suæ non indulgere cupiditati. Si Agagum interfecisset volaticas statim Libithina ei objecisset mundi dignitates, umbratiles Regum splendores, fluxa quæ in regali solio stabiliuntur, quasi æternùm perseveratura; & minima Principum maxima, parva, exigua; imò & nihil, quæ ab hominibus grandia putantur; ut igitur viveret prava in Saule cupiditas, noluit ut Agag moreretur, sed vita donatus captivus servaretur, si enim Regem aspexisset Agagum throno deturbatum, gladio discinctum, putpurâ exutum, violenta morte interemptum, inflictis vulneribus saucium, humi jacentem, campestri pulvere sordescentem; hisce omnibus eum Libithina edocuisset, silentio fortiùs, quàm verbo, quàm flocci, quàm parvi, ac nihili facienda sint Regiæ dignitatis insignia, cùm Euro citiùs avolent, dispareántque; quàm fragilia sint, quæ Regali throno nituntur, cum vel uno gladii ictu cadant omnia; cùm tam citò suos relinquant possessores. Noluit igitur Saul Agagi Regis erudiri morte, quo posset cætera deprædari pulchrè S. Gregorius, *Rex Amalech vigor est sensus carnalis, qui motibus turpibus imperat, ut captivam rationem ad illecebras trahat obscœnitatis:* concupierant Saul, & cum eo milites voluptatum carnalis sensus deliniri illecebris, & ideo divitiis inhiârunt, ut vitiis indulgerent, idque executuri, Agagum Regem vitâ donârunt, agnoscentes, idem esse carnalem sensum omni vigore, & cupiditate destitui, ac Regem gladio vindice trucidari. Viget enim sensus carnalis alieno splendore delusus; sed si Principem videat mortem oppetere, extingui cum ipso omnem splendorem, cadere celsitudinem; jam ex ipsis Manium umbris emergit nostræ cæcitatis collyrium, & æstus cupiditatis incipit defervescere, rumórque ambitionis detumere, pravíque desiderii vigor languescere: superstite vitáque donato Agago viguit cupiditas, quæ mortuo Rege marcuisset in cinere.

Ne igitur pravus cupiditatis affectus vivat sepulchrali eum cinere obruamus. Nos sacer Codex exhibet inspiciendum Labanum armato famulitio Jacobum Generum insequentem, minas spirantem, terrores spargentem, injurias à Genero sibi illatas repetentem. Quid inde sperandum nisi cruenta vulnera, cædésque ferales? Labanus Jacobum insequitur ad internecionem, ut Generi sanguine dedecus oblitteret injuriarum: certè ex apparatu hoc bellico nonnisi sanguinis potuisset effusio expectari; sed audi quid dicat: *Afferte lapides, qui congregantes fecerunt tumulum. Dixitque Laban tumulus iste erit testis inter me, & te.* Quid ni, tumulus frœnum injecit Labani furori, refricata funeris memoria illatas delevit injurias, cinis sepulchralis accensas extinxit iracundiæ flammas, & ad frigidæ mortis objectum gelu obriguit, friguitque, ceciditque extinctus pravus omnis affectus: in fœdus siquidem statim venit Laban cum genero Jacobo ad conspectum tumuli, ad refricatam necis memoriam. Proh quot injurias jubet sepulchrum deleri, quot insolescentes affectus quiescere, quot ambitionis fastus detumescere, quot iras extingui, fœdera pacisci! Observa Jacobum itidem legatos postea, & munera mittentem fratri suo Esau; observa Jacobum curvato poplite sua exhibentem Esau obsequia, séque illius famulum profitentem. Quid ni si Jacob jura primogeniti emerat à fratre, si benedictionem ei surripuerat, ut clarior, ditiórque videri studeret, undénam hæc inopina mutatio? Putârim hujus fraterni fœderis vinculum suam traxisse originem, duxisse initium à tumulo, in quo & fœdera ipsa cum Socero Labano inierat. Quia nondum hujus tumuli memoria exciderat, sed altiùs adhuc hærebat menti funus illud; ideo perinde ac cum socero insequente, etiam cum fratre persequente fœdus sancivit, eíque cessit, cùm Dominum appellaverit; nimitum tumuli memor, immemor statim fit omnium injuriarum, ac persecutionum; omnem exuit tumultuantem affectum, & adeo virtutum cultora proficit, ut Jacob etiam cum Deo in amplexum venerit, appellatúsque fuerit videns Deum.

69. Hinc Jacob totam exactam suam vitam, & longævam ætatem nonnisi peregrinationem consueverat appellare, & quidem non computat annos, *sed dies peregrinationis meæ*; quia è thalamo ad tumulum se profecturum, nunquam remorato passu noverat: & quidem peregrinus fuit, cum tot per Regiones coactus fuerit divertere. A Chanaam

naam venit in Mesopotamiam, ubi per vi-
Genes.c.28. ginti annos Labani se famulatui addixit: Inde regrediens Socoth proficiscitur, ubi medium supra annum immoratus perrexit in Sichen, & ibi per novem circiter mansit an-
Genes.c.33. nos. Deinde revertitur in Bethel, & Ephratam juxta Bethlehem; inde proficiscitur in Hebron ad patrem suum Isaac, & premente tandem rei frumentariæ inopia invitante filio suo Josepho, vocante Pharaone descendit in Ægyptum cum tota familia. Quàm instabilis fuit Jacobi incolatus? semper in itinere, jugitérque viator sine firma sede, sine stabili mansione, ut meritò vitam suam dies vocaverit peregrinationis.

70. Sed quamvis diversas non lustrâsset Regiones, in varias non divertisset Provincias, in loca non fuisset dissita profectus, adhuc vitam dies dixisset peregrinationis suæ, cùm omnes peregrinemur ad cœlestem patriam: quamdiu enim sumus in corpore, peregrinamur à Domino: imò adeò viros justos, virtutum addictos culturæ, ac pietatis studiis, tenet desiderium cœlestis patriæ, ut de prolixa hujus mortalis, fluentísque vitæ peregrinatione conquerantur, dicántque cum Regio Psalte: *Heu mihi quia incolatus meus prolongatus est!* seu ut ex Hebræo vertit D. Hieronymus *peregrinatio mea prolongata est.* Etiam cùm sederet David in Regali throno, cùm mensæ assideret, thalamo indormiret, palatio immoraretur, peregrinum se censuit; quia omnes sumus exules, & peregrini: & quia dies vitæ nostræ jugiter fluunt, semper in motu, & nullibi quiescunt; ideo semper peregrinamur, donec animæ nexus dissolvatur à corpore. Hinc verentur pravis qui indulgent affectibus, fœdísque famulantur concupiscentiis, mundum deserere, quia se peregrinos non putant, neque de Libithina, à qua abhorrent, seriò cogitant.

71. Scimus antiquis patribus domos, agros, sylvas, oppida, imò & Regiones fuisse, & ta-
Epist. 29. ad Demetriadem. men animadvertit D. Hieronymus: Prædecessores illos nostros virtutum studiis clarissimos nunquam se appellâsse terræ habitatores, quia se agnoscentes peregrinos, vel ipsum nomen fastidiêre habitatoris. Quis non se peregrinum putet? qui nonnisi modicum, terræ palmum possidet? Quis neget Davidem urbes, provincias, opes opulentissimas, Regnúmque possedisse amplissimum,
Psalm. 38. & tamen ait: *Ne sileas, quoniam advena ego sum, & peregrinus, sicut omnes patres mei*, tam enim se exulem, & peregrinum arbitrabatur in Regno florentissimo, quàm ipsius prædecessores, licèt sine divitiis, sine urbibus, absque Regno.

72. Qui se peregrinum putat eò animum, curásque dirigit, quò tendit, nec sinit se detineri ab iis, quæ eidem obviant in itinere, nec capi loci amœnitate, incolarum urbanitate, puellarum choreis, voluptatum illecebris; eò quia non faciat de diversorio itineris sui metam; sed ulteriùs semper procedit; pergítque in suo itinere, donec optatam in patria enanciscatur stationem; ut enim ait
S. Gregorius Nazianzenus: *qui tanquam* Orat. 16. *in communi via paratiores ad hospitium priùs pervenerunt, terrenam vitam pro via reputant:* qui verè sapiunt, stabilem sedem in sola cœlesti sibi constituunt, quærúntque patria: séque peregrinos putant, donec cœlestem ingrediantur Jerusalem, ad quam se in terris conditos noverunt: proinde quamdiu mortali in hac vita detinentur veluti versantes in via, omni studio per exercitia virtutum satagunt progredi in suo itinere, donec cives noverint se esse cœlestis patriæ.

Qui verò non ut peregrini, sed tan- 73.
quam incolæ radices in terram agunt, & exilium pro patria amplectuntur, hi sinunt se voluptatum illecebris detineri, ac irretiri propriis concupiscentiis, pravísque desideriis, quibus sensui indulgent; & tametsi & ipsi versentur in via, tendántque, quò Libithina omnes vocat, in quovis tamen obvio diversorio videntur stationem figere, ac si nunquam essent discessuri; indulgéntque ibi præsertim gulæ, quasi reficiendia ex itinere lassis, ac deficientibus corporis viribus; splendidissimæ siquidem passim mensæ struuntur, & pro palmari stomacho sylva fumat, accenduntur fornaces Babylonicâ ardentiores, servorum, ancillarum, ac coquorum sudat exercitus; utque apparentur fercula, quibus mensa instruatur, ac cooperiatur, spoliantur elementa delicatioribus suis escis, fiúntque tributaria voluptatis, & tanto quærentium impendio, ut venatorum sudores videantur ebibere convivæ, & pericula piscatorum cœnare.

Plerumque ea ferculorum pompa pro- 74.
ducitur, ut Cleopatræ uniones pretium censeantur amisisse; nam semel tantùm & cum Marco Antonio à fœmina imperante in concertatione luxuriæ unum scimus maceratum, liquatúmque margaritum summi pretii: nunc verò eò devenit luxus in epulis, ut non unius tantùm Margariti pretium absumat, sed plura etiam patrimonia impendantur in mensis apparandis, quæ Nohemi etiam in quadrupedum, volucrúmque numero videantur Arcam superare: quæ enim ibi bina duntaxat fuerunt animantia; hic tricena apparent; imò & sexagena, quæ nonnisi septena in arcæ Nohemi descenderant carinam: hoc solùm discrimine, quod in arca suis præsertim aves vestitæ discoloribus plumis oculis arriderent, & hic nonnisi implumes placeant. Displicet avis, quæ maximè placere debuisset; & quia quà vestita plumis, cœnam minus faceret sumptuosam; pretium non habet nisi sit nativo pretio spoliata, & adsit implumis: cúmque convivæ aves esuriant involucres; pisces nonnisi giganteos appetunt: Rhombus non arridet nisi decumanus; Auratæ non placent nisi au-

reo

ræo pretio coemptæ. Mugil non sapit nisi a pro mole corporis parietur, Trutæ non admittuntur oisi granditate quasi thimnis comparentur. Hæ plerumque construuntur mensæ, in quibus veloti in triumpho deseruntur fercula, prodeúntque dapes in meolam veluti in Orchestram, abeúntque cum stomacho satisfecerint, oculísque inservieriot; quasi non è cœna, sed è scena recederent, quâ sæpe mutatâ tandem venitur ad catastrophen, seu bellaria saccharea, ad cupedias, & pulchralia.

75. Neque io epulis tantùm luxus triumphat, sed etiam in vino suam prodit hilaritatem, alta sepeliuntor nive vina, ut quò vites comburuntur frigore, luxorient vina oivibus: mootium supplicia in epularum vertuntur illecebræ, & alpium calamitates, quæ Pœnos in excidium transmiseroot Urbium; ounc pœnas suas, seu nives, qoibus premuntur io mensarum submittunt solatia; conduntur in profundissimis specubus coostipatæ nives; & quas nubes munificâ effuderunt largitate, suis obducunt Manes umbris; suásque homines delicias non à cœlo petunt, sed ab orco hauriunt; ita altiùs radices in terris egerunt, ut nonnisi è terræ visceribus suas velint delicias eruere; sepeliuntor eoim nives, oon quia demortuæ, sed ne moriantur, liquentúrqne; & quia sepulchri refricata memoria frœoum non iojicit gulæ, actom de ipsis est, Alexipharmacum fit ipsis venenum: neque ot peregrini ad cœlestem pergunt patriam, cùm oonnisi terreois inhient, immorentúrque toto desiderio; sed fugit vita, fugiúntque universa io mundo, quia fluxa, & interitui obnoxia; & isti ganeones terrenis irretiti voluptatibus velint, noliot cum mundo effluunt. Ille verè sapit, qui affectu deserit, quæ ipsum deseruot; qui animo relinquit, quæ ipsum relinquunt, ut sine compede, absque laqueo, sine obice, expeditiori cursu io cœlum tendat ad cœlestem properet patriam, eleganter Clemens Alexandrinus: *Electus vitam agit tanquam hospes: utitur corpore quasi aliquis qui peregrè proficiscitur, diversorijs, & habitaculis, quæ in via occurrunt: curam quidem gerens rerum mundanarum, loci, in quo diversatur; habitationem verò, & possessionem sicut etiam usum relinquens nulla motus affectione.* Hæc qui agit suis non inservit affectibus, sed eorundem coostituitur Domiaus, quos opitulante hujus peregrinatioois brevi cursu & sepulchri cioere mortisq; memoria coërcet. Strom. 4.

76. Is verè holpes est, qui proprium sibi nihil arbitratur, & rerum omnium usom Numini, à qoo accepit cum gratiarum actiooe restituit, ut prætactus inouit Clemens Alexandrinus ioquiens: *De incolatu quidem gratias agens, benedicens autem propter exitum, cælestem amplectitur mansionem.* Utinam qui altiùs radices in hisce inferioribus agunt, seriò hujus recordarentur peregrinationis ævi fluentis, & mortis accelerantis suos passus; quàm meliùs sape- Strom. 4.

rent; qoàm doctè scirent, se peregrinos & viatores esse cognoscereot. Prodit adolescentia floribus exornata, sed vix gaudet in flore, & jam marcescit in fluxu, fugitqoe; eique succedit ætas juveoilis, sed licèt sanguis ebulliat in venis, avolat tamen flamma, minuitur æstus, & incipit frigere ad virilem transiens ætatem; & celeri cursu etiam curvam ad senectam, quam tœdere incipit propriæ vitæ, & fastidire voluptatum illecebras, mundíqoe luxus veluti hominum nugas lusui simul, luctuíque deservieotes: cùm eoim Euro ocyus fluant; arridént, cùm transeunt; displiceot, cum transierint. Arrident fercula pallato cum demittuntur io stomachum, sed displicent, & plerumque lachrymas eliciunt, cùm demissa sunt gravamini, cum humores corrompunt, morbósque excitant. 77.

Ad coërcendum pravum hunc io epulas, luxúmque ferculorum affectum, vel ipse Seneca frœnum ex nostra mutuat mortalitate; iogeritque mortis memoriam, cujus objectu compelcatur effrœnis io luxum epularum affectus, ait ipse scribens ad Locilium *Nunquid enim, mi Lucili, hic furor est, quòd nemo nostrûm mortalem se cogitat? quòd nemo imbecillum? imo quòd nemo nostrûm unum esse se cogitat? Aspice culinas nostras, & concursantes inter tot ignes coquos nostros. Unum videri putas ventrem, cui tanto tumultu comparatur cibus? Aspice veteraria nostra, & plena multorum sæculorum vindemijs horrea. Unum putas videri ventrem, cui tot Consulum, regionúmque vina conduntur? Aspice quot locis vertatur terra, quot millia colonorum arent, fodiant. Unum putas videri ventrem, cui & in Sicilia, & in Africa seritur? sani erimus, & modica concupiscemus, si unusquisque se numeret, metiatur simul corpus, sciátque nec multum capere, nec diu posse. Nihil tamen æquè tibi profuerit ad temperantiam omnium rerum, quàm frequens cogitatio brevis ævi, & hujus incerti. Quicquid facies, respice ad mortem.* Oh quam desiperent, quæ placent io luxu epularum fercula, si sepulchrali cinere condirentur; coërceretur procul dubio corroptus ille affectus in delicias esculentorum, & poculeotorum, quorum captione ferè omnes hac io parte aguotur in culpam. Quis refricatâ properantis mortis memoriâ ardorem farciendi congestis escis mox corrumpendum corpus noo restinguerer? quis sepulchrali cioere non sopiret desiderium lautiùs indulgendi deliciis corporis, quod vermibus scatens eò fœtidius fiet, quò lautiùs fuerat iooutritum. Epist. 114.

Verùm quia nullum est adeo salubre antidotum, quod vitio illud adhibentis plerumque noo transeat io veneoum, fit, quòd vel ipse Libithina suppeditandis frœnis ad pravos quosque affectus coercendos perapta, adducatur, noo ad extinguendam volupta- 78.

 M m tem,

tem, sed ad ejus illecebras etiam fovendas; cùm me non lateat, priscos nonnullos homines mortis quandoque subsecuturæ commemoratione se se provocâsse in conviviis ad liberaliores calices exsiccandos, & ad hilaritatem uberiùs promovendam verbis illis apud Senecam Rhetorem: *Vivamus, bibamus moriendum est*, ex quo ritu putat Andreas Scotus profluxisse verba illa voluptariorum, quæ memorantur Sapientiæ 2. & Isaiæ 22. *Comedamus, & bibamus cras enim moriemur*, quem usum se provocandi ad pleniores haustus prodit etiam Lucretius.

*Lib. 2. controvers. 14.*

*Lib. 3. v. 926.*

*Hoc etiam faciunt ubi discubuêre, tenéntque*
*Pocula sæpe homines, & inumbrant ora coronis,*
*Ex animo dicant: brevis hic est fructus homullis.*
*Jam fuerit, neque post unquam revocare licebit.*

79. Hac ratione Ægyptii referente Herodoto de Ægyptiorum institutis ceream mortis imaginem in convivio circumferebant, ut commensales de morte commoniti genio hilari, ac voluptati alacriùs indulgerent. Imò crescente luxu moris fuit, ut argentea larva convivio ingesta mœrorem pretiositate metalli discuteret, & cadaveris intuitio fomenta adderet voluptati; ut contigisse in convivio Trimalcionis refert Petronius inquiens. *Potantibus ergo, & accuratissimè nobis lautitias mirantibus larvam argenteam attulit servus sic aptam, ut artebra ejus, vertebraque locata in omnem partem flecterentur. Hanc cùm super mensam semel; iterumque objecisset, & Catenacius nobilis aliquot figuras exprimeret, Trimalcio adjecit: heu! heu nos miseros! quàm totus homuncio nil est! sic erimus cuncti postquam nos auferet orcus. Ergo vivamus, & bibamus, dum licet esse bene.* Has larvas mensis ingestas *oscilla* veteres nominabant, ut tradit Josephus Scaliger: addens quòd si larvæ copia defuisset, cranium manibus versatum mensæ apponeretur: & huc fortassis respexit Martialis *epigram. 43, lib. 5.* quod est in Domitiani cœnatione, quæ mica aurea dicta fuit: præmissa enim mentione tholi interioris ipsius micæ, à quo pendebat cranium, subdit

*Petron. de Conviv. Trimal.*

*Lib. 2. in Ausonium c. 26.*

*Frange tholos, pete vina, rosas cape, cingere nardo:*
*Ipse jubet mortis te meminisse Deus*

alloquitur Domitianum Micæ structorem, divinique nominis affectatorem, quem admonet, ut liberaliùs voluptati indulgeat, memor secuturæ mortis, quam de tholo suspensum cranium, aut oscillum exhibet. Quin apud Scythas scimus, consuetudinem inolevisse generosiora falerna ebibendi de cranio in conviviis, quod etiam Celtis tribuit Silius *Lib. 13.*

*At Celtæ vacui capitis circumdare gaudent*
*Ossa (nefas) auro, & mensis ea pocula servant.*

Ex mortis igitur ingesta recordatione liquet, priscos homines voluptatibus addictos, suisque pravis inservientes affectibus exacuisse cupiditatem fruendi bonis, & indulgendi liberalioribus calicibus. Quinimo etiam Massagetæ, & Scythæ ita mortis assuevêre considerationi, ut pro calicibus ossibus abuterentur defunctorum: nimirum in fomentum deliciarum mors accersitur, quæ ab iisdem deberet nos absterrere: ad promovendam voluptatem vocatur, quæ ab omni deberet sensus oblectamento avocare; deliciis militat, & voluptates propugnat, quæ sensum omnem deliciarum deberet expugnare.

Quin non deliciis tantùm gulæ mors militat ex assiduitate vilescens, verùm & luxui inservit muliebri, ut non ampliùs sit terrori, sed ornatui, nec ampliùs pallescat in ossuaria, sed rubescat in corallio; non amplius sordescat Manium in umbris, sed splendeat in adamante; vel niteat in alia gemma, quæ pendeat è collo; fiátque propterea ludibrium vanitatis, quæ fomentum esse deberet sanctitatis; Mortem fugiunt homines ut vivant, & mortem emunt in gemma, ut gemere compellantur, eliciente etiam fumo ambitionis lachrymas; mortem emunt, cum à morte nequeant se redimere; mortem adamant in splendore adamantis, quam odisse, vel ab incunabulis didicerunt in umbra. Ad id impudentiæ devenit hominis superbia, ut vel cum ipsa morte luderet in gemma, à qua prosternitur in sepulchro: gemmea mors fingitur, ut si in conspectu Domini pretiosa est mors Sanctorum; in conspectu hominum pretiosa itidem haberetur mors divitum, & etiam impiorum, quorum sculpta in gemma mors tanti est pretii, ac ponderis. O mortalitatis ambitionem mortem ipsam deludentem! O portenta vanitatis pretium splendoris ab ea exigentis, quæ nonnisi ferales didicit umbras spargere! ô insanum mortalium judicium! adigens eam nitere in gemma, quæ sepulchrali sordescit in cinere? annon id est in morte cæcutire: umbras manium nitores credere gemmarum? obdormiunt certè in morte qui corrupto judicio putant, eam vigilare, ac splendere in adamante, & eorum vices supplens Regius Vates, DEUM enixim rogat, ut ita dormientem excitet, illuminétque, ne cæcutiat: *Illumina oculos meos, ne unquam obdormiam in morte.* Ut obdormiamus in Domino, vigilemus in morte, non dormiamus: non rideatur mors in gemma; gestetur altiùs menti impressa, non è collo pendula in corallio expressa; seriò ejus memoria refri-

80. (right margin, beside "Quin non deliciis")

*Psalm. 1[illegible]*

ſefricetur, non eius imago ſculpatur in gemmeo annulo; ſit nobis mori lucrum; non mortis imago diſpendium; non extrahantur ex ſpecnum ſepulchro gemmæ, ne ubi nos mors ſepelit, naſcatur ipſa pretioſior in carbunculo, vireſcat nobilior in ſmaragdo, floreat amœnior in pyropo. Mortem reformidemus, non rideamus.

81. Coërcentur tumultuantes procelloſi pelagi fluctus littoris pulvere; & tumidum, furénsque elementum, vel exiguis frænatur arenis; & ſepulchralis cinis potis non erit tumentes noſtros compeſcere affectûs? & ita inſanimus, ut mortem flagitii pœnam, in pompam convertamus opulentiæ! quaſi exundante in Magnatum ædibus faſtu parum ſuperbiret ambitio, niſi mors ipſa gemmis ornata mortalium luxui ſubſerviret. Verùm quò mortis effigiem fingimus pretioſiorem in gemma, eo ipſa nobis erit gravior in lapide; ſuóſque corruptores opprimet truculentior, ac iratior in ſepulcro, quò ſplendidior ridebatur in gemmis: an fortaſſis ne timeamus eam ſævituram, compellemus illam nobis eblandiri, ac arridere nitore figuræ, ac pretio phalerarum? Sed ſævior in nos inſurget, quò illam ſplendidiùs riſimus in adamante: neque Samſon usquam acriùs in Philiſthæos ſæviit, quàm cum ſe Dagonis ſentiit ludibrium. Non ludamus, nec morti illudamus, neque ludum cum ea inſtituamus, ſi perdere nolumus; ille peſſimè ludit, qui mortem illudit. Seriò cogitemus, mortem non delicias ſpargere, ſed horrores incutere, támque nobis inſidiari quovis tempore, in omni loco, & alium inter cœnandum expirare, alium in ipſo ludo vitam amittere; quosdam in ipſo flagitio extingui, illos cum ſomno mortem continuare; plures ferrum trajicere, multos aquis extingui, iſtos flammis vorari, hos in flumine præfocari, aliquos ſerpentum morſu exanimari, vel ſaxis contundi, vel ruinâ frangi; à pluribus per longam nervorum contractionem minutatim animam extorqueri; plurium vitam in medio flore præſcindi, & aliorum interrumpi principia: & quocunque modo mors nos petat, plurimum tamen ſecum ſemper adfert horroris, ut nimirum ad ſeriam illius recordationem, detumeſcat humana ambitio, coërceantur tumultuantes omnes tum concupiſcentis, tum iraſcentis animi affectus, perinde, ac pelagi fluctus licèt decumanis tumidiores exiguâ frænantur littoris arenâ.

82. Neque enim vita hominis cuique aptiùs pariatur, quàm undæ fluenti, fluctuíque marino, qui dum impingit in pulveres littoris diſrumpitur, & vita noſtra ſepulchrali illiſa ſaxo frangitur; ac detumeſcit ſepulchrales impingens in cineres: imò umbra eſt fugax flos areſcens, ſpuma vanida, pulvis ſordidus, Bulla vacua, vitrum fragile, vox tranſiens, aura fugiens, ſomnus manis, de quo David, *dormierunt ſomnum ſuum, & nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus ſuis.* Pſalm. 75. Somniârunt quotquot terrenis bonis inhiantes, divitias congeſſerunt: cum ceſſat ſomnus hujus vitæ, nihil inveniunt omnes viri divitiarum in manibus ſuis, nil poſſident de iis, quæ tot impenſis laboribus scervârunt, quæ tot curis, ac ſolicitudinibus aſſervârunt, quæque ardenti animo ſperârunt: fuerunt hæc ſomnia vigilantium, & ſomniantium ludicra, quia dormierunt in morte cum vigilare debuiſſent. Refricetur quotidie mortis memoria, ne obdormiamus in morte, ſed vigilemus cum morte, *latet ultimus dies* ait Auguſtinus, *Ut obſerventur omnes dies*, incertum voluit Deus Homil. 13. diem mortis, ut ultimum ſuum quisque ſalubriter cogitet,

83. Neque dicas, triſtem eſſe hanc cogitationem; nam falleris, triſtis non eſt niſi volentibus ac ſenſui indulgentibus, ipſa enim tranquillitatem accerſit, effrœnes appetitus coërcet, tumultuantes affectus compeſcit, flagrantes concupiſcentias extinguit, totámque mentem ſerenat: neque noſtra nos debet conditio terrere, cùm ad id oriamur, ut moriamur: vita nil aliud eſt, quàm via, & quidem brevis, citò finienda: hominem tamen ſuæ pudeat viæ, quæ cùm ſit ad cœlum, eam terit ad cœnum; adeo à floſculis voluptatum ſinit ſe allici, laqueiſque illecebrarum capi, ut neglecto cœlo ſordeſcat in cœno; fluxis, ac perituris innititur oblitus, quantos, & quàm veros perdat in cœlo theſauros; quid peregrino cum floſculis, & lapillis detineri in via, ſi ad patriam non pervenit? Quid has nugas congeſſiſſe proderit? ſi ad patriam non pervenerit? Non eſt quo homo intumeſcat in via, ſuperbiat in auro, cum nonniſi miſeriis dives ſit; eſt enim homo inconſtantiæ imago, fortunæ luſus, corruptionis ſpeculum, mortis mancipium, ſepulchrum verſatile, vitreum ſimulacrum, imò eſca vermium, ſaccus ſtercorum, imbecillitatis exemplum, calamitatis ludibrium, ventus efflans, fumus evaneſcens, ſtilla ſitulæ, gutta roris antelucani, momentum ſtateræ, flos, fœnum, pulvis, cinis: quia ejus vita eſt, ut cecinit ille.

*Somnus, Bulla, vitrum, glacies, flos, fabula, fœnum,*
*Umbra, cinis, punctum, vox, ſonus, aura, nihil.*

(o)

# DISSERTATIO XIII.

## Linguæ lubricitas, ac propensio appetitûs in evulgandis secretis, effutiendisque conviciis, ni coërceatur, cuncta funestat.

### §. I.

*Lingua nullo coërcita fræno quasi nausêa quadam laborans, quæ pectori sunt secreta concredita foras evomit in alienas aures.*

1. 
Unt, qui naturæ vitium corrigere negligentes, & linguæ lubricitatem minimè coërcentes, quadam videantur animi nauseâ laborare, donec quod in pectore sibi secretum habent, & concreditum, suæque fidei commissum exteriùs in alienas evomant aures. Videtur parturientis mulieris doloribus torqueri lingua, donec in lucem edat, quod silentii latebris occultandum esset; neque à pedibus ebrii abludit lingua, cum veluti grallis nixa incedat, titubans semper, & claudicans; imò diceres illam Aschobasmum Empusæ, seu larvæ ab Hecate dictæ ludum ludere, qui eâ fiebat lege, ut pede altero in aërem sublato, uno ludentes subsilirent pede super inflatos utres, ut cadentes risum moverent; siquidem lingua immodico vino madida ob suam, quam contrahit lubricitatem non rectè loquitur, obliquè incedit, nil retinet arcani, & fanda æquè, ac infanda simul exteriùs effundit; perinde ac in procelloso mari fluctibus exagitatus decumanis navigii merces in iratam Oceani tempestatem ordine projicit tumultuario; & quia immodico vini haustu dolium evacuavit; perinde tinnit ac vacuum dolium, ad quemlibet enim pulsum, suum edit sonum; & vacuitatem, quæ intus adest statim prodit. Neque abs re fuit, qui Socratem reprehenderit, eò quia in humano pectore patulas desiderâsset fenestras, per quas intimiùs cordis perspiceret arcana, & intimiores videret cogitationes; cùm ad id nulla sit fenestra aperienda, sed tantùm vini indulgendum sit haustui: ejus siquidem humiditate si madeat lingua; cuncta statim, quæ intus in corde latent foras prodit. Quia immodico madens vino, non ampliùs sui compos omnia evomit in alienas aures, quæ intus
Epist. 83. diu latuerant occulta; unde Seneca ait: *Non est animus in sua potestate ebrietate devinctus. Quemadmodum musto dolia ipsa rumpuntur, & omne, quod in imo jacet in summam partem vis caloris ojectat: sic vino exæstuante, quidquid in imo jacet abditum, effertur, & prodit in medium. Onerati mero quemadmodum non continent cibum, vino redundante, ita nec secretum quidem; quod suum, alienúmque est, pariter effundunt. Ubi possedit animum nimia vis vini, quidquid secreti, & mali latebat, emergit.*

Hæcque vis vini, cùm Principibus innotescat, jubent eos poculis laxioribus urgeri, è quibus elicere satagunt intimiora animi sensa. Moris itidem est, quò lautiora in comitiis instruantur convivia, quibus insidentes Principum Ministri liberaliùs pocula exsiccent, ut cùm primùm inceperint incalescere ex immodico vini haustu, sermones misceant de illis præsertim negotiis, quorum arcana cupiunt sibi innotescere: hac urbanitate, quâ Principum præsertim Ministri ab aliis ad lautitiem vocantur conviviorum: solet duris ingeniis lene admoveri tormentum, & jocoso lyæo arcanum retegere consilium: hâc industriâ Marcus Crassus bello, quod contra Dacas gerebatur, eorum admisit Legatos, quos tamen retinuit responsurus postridie; jussit tamen intra id temporis legatos urgeri poculis, donec vino oppleti non solùm malè in stomachum congesta evomerent, verùm & quæ in corde secreta servarent simul cum pravè epoto vino exteriùs effunderent: eos vino sepeliit, ut singula eorum consilia erueret. 2.

Ferunt consimili industria Bonosum Imperatorem, arcana plura, ac secreta consilia ex intimioribus cordis extraxisse recessibus: quoties enim ab exteris gentibus legati ad ipsum mitterentur, in id primùm incubuit studii, quò vino liberalissimè propinato temulentiâ laborarent; & rationis usus, mox vino obrutus, ejúsque immodico haustu naufragus esset, ut lingua proderet quidquid intus in corde lateret arcani: & licèt æqualibus Bonosus poculis Legatos ad se missos urgeret, non tamen ipse facilè ab usu dejiciebatur mentis, utpote assuetus calicibus exsiccandis, ut sæpe diceret se natum esse, non ut viveret, sed ut biberet. 3.

Qui

Qui aliena cupiunt secreta expiscari, non in alias sua jaciunt undas retia, quàm vini; non maris, sed meri adeunt fluctus è tumulentis linguis secreta, quæ scire cupiunt, expiscaturi; vix ex centum unum reperies, qui mero mersus, immodicóque madens vino singula non effutiat, quæ intus arcana habet consilia: quidquid enim vapido latet in pectore, foras tunc protruditur. Scio Liberum usurpari à Poëtis pro vino, quia ubi Liber copiosior linguas rigaverit, hæ omnino liberæ fiunt ad ea foras prodenda, quæ intus latebant in corde.

6. Ferunt apud priscos Romanos statuam fuisse, cui nomen Citeria, ea arte sculpta, ac fabrefacta, ut in ejus capite articuli, vertebræque ita locatæ essent, ut os sursum, deorsum diduceret, & nescio quid inconditi soni obstrepuerit, ac si loqui adniteretur: moris fuit, quò garrula hæc statua in pompa ludorum ad risus plebis movendos attraheretur. Quid ni haud dispares Citeriæ linguas dixeris temulentas, mero madidas, vinóque natantes: hæ siquidem perinde garriunt, ac Citeria statua, cujus labra funiculo trahuntur, & soni, vocésque extrahuntur, nil secum rationis ducentes, sepultâ priùs vino, quo fluctuaverat, ratione. Id tantum interest discriminis, quòd os Citeriæ funiculo tenso, & remisso sursum, deorsum diduceretur, & lingua temulenta non funiculo, sed vini blandimento trahitur, & ex ea extrahitur, quidquid intus latet.

5. Quanti verò sit mali cordis secreta foras prodere, ex eo conijcitur, quia in sacro

Iudith, cap. 2. textu: perinde sit secretum prodere, ac mysterium consilij sui prodigere, ubi enim dicitur in sacro codice *mysterium consilij sui:* Hugo interpretatur *secretum*, quod pruriens lingua evulgare satagit: quasi perinde sit, secretum sibi, suæque fidei concreditum evulgare, ac sacrum silentij jus profanare; sitque secreti proditor sacrilegij reus, & tamen indito sibi pruritu videtur humana lingua titillari ad evulgandum, quod suæ fidei concreditum est secretum; quasi nimis arduum sit homini animum non reserare;

Cap. 32. hinc Job. *Quare tacens consummor:* quasi intus absumeretur, ac deficeret ob violentiam à se adhibitam in coërcitione linguæ silentis, & tacentis, ne quod noverat, e-

Jer. 20. v. 9. vulgaret, quapropter etiam Jeremias ait: *Neque loquar, ultra in nomine Domini, & factus est in corde meo, quasi ignis æstuans, clausúsque in ossibus meis:* nimirum cùm secretum intus lateret, æstuabat cor, è cujus intimiori recessu flammæ instar secretum ipsum violento impetu adnitebatur erumpere, & per os apertum, ac revelans pectus evaporare; ut inde aliquid levaminis, ac solatij experiretur; quasi secretum, quod intus in corde latet, veluti gravissimum onus cor premat, opprimátque, ac proinde satagat abs se excludere, forásque emittere. Hinc ubi in Isaia dicitur: *secretum meum mihi; secretum meum mihi; væ mihi:* textus hebræus habet, *macies mihi, macies mihi:* quasi tabescat animus ob secretum sibi concreditum, nisi statim illud per linguam evomat: non quòd secretum alteri commissum venenum sit noxium, quod intus subrepens præcordia corrumpat, nitatúrque propterea foras illud evomere, qui eo intus gravatur; sed quia vitium est naturæ, & linguæ lubricitas, ea prodere, quæ intus exigunt latere; quasi nauseâ quadam videatur stomachus laborare, nisi quæ in corde secreta latent, foras statim evomat. Cap. 24. v. 16.

6. Imò adeò impatiens est homo secreti, ut quæ silentij latebris occultanda forent, distorqueatur, donec foras evulget, ac divulget; hinc Christus exsuscitaturus puellam: *Non permisit intrare secum quemquam nisi Petrum, Jacobum, & Joannem*, sed cur cæteros etiam testes miraculi non accivit Apostolos? quos firmiùs in fide stabiliret? an cavet à cæteris Apostolis, ne secretum divulgent? nimirum adeo est secreti impatiens homo, ut ejus lingua doloribus videatur discruciari, ac parturire, donec in lucem edat, quod silentij latebris exigeret involvi: idque causæ, cur Christus nec omnibus suis Discipulis secretum hocce voluerit concredere, ut observat Theophylactus, inquiens: *Cæterum ex Discipulis tantùm intrare secum permisit, Joannem, Jacobum, & Petrum, ut Discipulorum præcipuos, & taciturnos. Nolebat enim hoc miraculum ante tempus revelari multis.* Qui verò Theophylactum apud S. Thomam in catena interpretantur, ajunt non dicere *Taciturnos*, sed majori emphasi, & circumscriptione *potentes occultare secretum*, quasi cæteri Apostoli hac carerent potentiâ secreti occultandi silentij latebris. Quòd si vel ipsi Apostoli pruritu evulgandi secretum se se titillari sentiebant: Multò minùs linguam valent coërcere, qui immodico eam vino sepeliunt: minùs enim tunc lingua potens ad secretum custodiendum totas exerit, quas habet vires, garriendo, & plura perperam effutiendo, ut contigit Tarentinorum Legatis, qui cum in convivio de Rege Pyrrho minùs decenter locuti fuissent; Rex accersitos percunctatus fuit; an revera eos in convivio sermones instituissent, quorum accusarentur. Tum unus cæteris audacior erecta fronte respondit: nisi vinum, ò Rex, nobis defecisset, ista quæ tibi relata sunt, præ ijs, quæ de te eramus locuturi flores fuissent, & vireta: hæc autem orbana crapulæ excusatio, & linguæ temulentæ simplex proditio eorum, quæ in corde latebant, placuit Regi, qui propterea non in iras accensus excanduit, sed in risum erumpens didicit suo experi- In c. 8. Luc. Luc. 8.

 mento,

# DISSERTATIO XIII.

## Linguæ lubricitas, ac propensio appetitûs in evulgandis secretis, effutiendisque conviciis, ni coërceatur, cuncta funestat.

### §. I.

*Lingua nullo coërcita frœno quasi nausêa quadam laborans, quæ pectori sunt secreta concredita foras evomit in alienas aures.*

1. Unt, qui naturæ virium corrigere negligentes, & linguæ lubricitatem minimè coërcentes, quadam videantor animi nauseâ laborare, donec quod in pectore sibi secretum habent, & concreditum, suæque fidei commissum exteriùs in alienas evomant aures. Videtur partorientis mulieris doloribus torqueri lingua, donec in lucem edat, quod silentii latebris occultandum esset; neque à pedibus ebrii abludit lingua, cum veluti grallis nixa incedat, titubans semper, & claudicans; imò diceres illam Alchobalmum Empusæ, seu larvæ ab Hecate dictæ ludum ludere, qoi eâ fiebat lege, ut pede altero in aërem sublato, uno ludentes subsilirent pede super inflatos utres, ut cadentes risum moverent; siquidem lingua immodico vioo madida ob suam, quam cootrahit lubricitatem non rectè loquitur, obliquè incedit, nil retinet arcani, & fanda æquè, ac infanda simul exteriùs effundit; perinde ac in procelloso mari fluctibus exagitatus decumanis navigii merces in iratam Oceani tempestatem ordine projicit tumultuario; & quia immodico vini haustu dolium evacuavit; perinde tinnit ac vacuum dolium, ad quemlibet enim pulsum, suum edit sonum; & vacuitatem, quæ intus adest statim prodit. Neque abs re fuit, qui Socratem reprehenderit, eò quia in humano pectore patulas desiderâsset fenestras, per quas intimiùs cordis perspiceret arcana, & intimiores videret cogitationes; cùm ad id nulla sit fenestra aperienda, sed tantùm vini iodulgendum sit haustui: ejus siquidem humiditate si madeat lingua; cuncta statim, quæ intus in corde latent foras prodit. Quia immodico madens vino, noo ampliùs sui compos omnia evomit in alienas aures, quæ intus diu latuerant occulta; unde Seneca ait: *Non est animus in sua potestate ebrietate devinctus. Quemadmodum musto dolia ipsa rumpuntur, & omne, quod in imo jacet in summam partem vis caloris ejectat: sic vino exæstuante, quidquid in imo jacet abditum, effertur, & prodit in medium. Onerati mero quemadmodum non continent cibum, vino redundante, ita nec secretum quidem; quod suum, alienúmque est, pariter effundunt. Ubi possedit animum nimia vis vini, quidquid secreti, & mali latebat, emergit.*

Epist. 83.

Hæcque vis vini, cùm Principibus innotescat, jubent eos poculis laxioribus urgeri, è quibus elicere satagunt intimiora animi sensa. Moris itidem est, quò lautiora in comitiis instruantur convivia, quibus insidentes Principum Ministri liberaliùs pocula exsiccent, ut cùm primùm inceperint incalescere ex immodico vini haustu, sermones misceant de illis præsertim negotiis, quorum arcana cupiunt sibi innotescere; hac urbanitate, quâ Principum præsertim Ministri ab aliis ad lautitiem vocantur conviviorum: solet duris ingeniis lene admoveri tormentum, & jocoso lyæo arcanum retegere consilium: hâc industriâ Marcus Crassus bello, quod contra Dacas gerebatur, eorum admisit Legatos, quos tamen retinoit responsurus postridie; jussit tamen intra id temporis legatos urgerī poculis, donec vino oppleti non solùm malè in stomachum congesta evomerent, verùm & quæ in corde secreta servarent simul cum pravè epoto vino exteriùs effunderent: eos vino sepeliit, ut singula eorum consilia erueret. 2.

Ferunt consimili industria Bonosum Imperatorem, arcana plura, ac secreta consilia ex intimioribus cordis extraxisse recessibus: quoties enim ab exteris gentibus legati ad ipsum mitterentur, in id primùm incubuit studii, quò vino liberalissimè propinato temulentiâ laborarent; & rationis usus, mox vino obrutus, ejúsque immodico haustu naufragus esset, ut lingua proderet quidquid intus in corde lateret arcani: & licèt æqualibus Bonosus poculis Legatos ad se missos urgeret, non tamen ipse facilè ab usu dejiciebatur mentis, utpote assuetus calicibus exsiccandis, ut sæpe diceret se natum esse, oon ut viveret, sed ut biberet. 3.

Qui

Qui aliena cupiunt secreta expiscari, non in alies sua jaciunt undas retia, quàm vini; non maris, sed meri adeunt fluctus è tumulentis linguis secreta, quæ scire cupiunt, expiscaturi; vix ex centum unum repéties, qui mero mersus, immodicóque madens vino singula non effutiat, quæ intus arcanæ habet consilia: quidquid enim vapido latet in pectore, foras tunc protruditur. Scio Liberum usurpari à Poëtis pro vino, quia ubi Liber copiosior linguas rigaverit, hæ omnino liberæ fiunt ad ea foras prodenda, quæ intus latebant in corde.

4. Ferunt apud priscos Romanos statuam fuisse, cui nomen Citeria, ea arte sculpta, ac fabrefacta, ut in ejus capite articuli, vertebræque ita locatæ essent, ut os sursum, deorsum diduceret, & nescio quid inconditi soni obstrepuerit, ac si loqui adniteretur: moris fuit, quò garrula hæc statua in pompa ludorum ad risus plebis movendos traheretur. Quid ni haud dispares Citeriæ linguas dixeris temulentas, mero madidas, vinóque natantes: hæ siquidem perinde garriunt, ac Citeria statua, cujus labra funiculo trahuntur, & soni, vocésque extrahuntur, nil secum rationis ducentes, sepultâ priùs vino, quo fluctuaverat, ratione. Id tantum interest discriminis, quòd os Citeriæ funiculo tenso, & remisso sursum, deorsum diduceretur, & lingua temulenta non funiculo, sed vini blandimento trahitur, & ex ea extrahitur, quidquid intus latet.

5. Quanti verò sit mali cordis secreta foras prodere, ex eo conijcitur, quia in sacro textu: perinde sit secretum prodere, ac mysterium consilij sui prodigere, ubi enim dicitur in sacro codice *mysterium consilij sui:* Hugo interpretatur *secretum*, quod pruriens linguis evulgare satagit: quasi perinde sit, secretum sibi, suæque fidei concreditum evulgare, ac sacrum silentij jus profanare; sitque secreti proditor sacrilegij reus, & tamen indito sibi pruritu videtur humana lingua titillari ad evulgandum, quod suæ fidei concreditum est secretum; quasi nimis arduum sit homini animum non reserare: hine Job. *Quare tacens consummor:* quasi intus absumeretur, ac deficeret ob violentiem à se adhibitam in coërcitione linguæ silentis, & tacentis, ne quod noverat, evulgaret, quapropter etiam Jeremias ait: *Neque loquar, ultra in nomine Domini, & factus est in corde meo, quasi ignis æstuans, clausúsque in ossibus meis:* nimirum cùm secretum intus leteret, æstuabat cor, è cujus intimiori recessu flammæ instar secretum ipsum violento impetu adnitebatur erumpere, & per os apertum, ac revelans pectus evaporare; ut inde aliquid levaminis, ac solatij experiretur; quasi secretum, quod intus in corde latet, veluti gravissimum onus cor premat, opprimátque, ac proinde fatagat abs se excludere, foráque emittere. Hinc ubi in Isaia dicitur: *secretum meum mihi; secretum meum mihi; væ mihi:* textus hebræus habet, *macies mihi, macies mihi:* quasi tabescat animus ob secretum sibi concreditum, nisi statim illud per linguam evomat: non quòd secretum alteri commissum venenum sit noxium, quod intus subrepens præcordia corrumpat, nitatúrque propterea foras illud evomere, qui eo intus gravatur; sed quia vitium est naturæ, & linguæ lubricitas, ea prodere, quæ intus exigunt latere; quasi nauseâ quadam videatur stomachus laborare, nisi quæ in corde secreta latent, foras statim evomat.

6. Imò adeò impatiens est homo secreti, ut quæ silentij latebris occultanda forent, distorqueatur, donec foras evulget, ac divulget; hinc Christus exsuscitaturus puellam: *Non permisit introire secum quemquam nisi Petrum, Jacobum, & Joannem*, sed cur cæteros etiam testes miraculi non ascivit Apostolos? quos firmiùs in fide stabiliret? an cavet à cæteris Apostolis, ne secretum divulgent? nimirum adeo est secreti impatiens homo, ut ejus lingua doloribus videtur discruciari, ac parturire, donec in lucem edat, quod silentij latebris exigeret involvi: idque causæ, cur Christus nec omnibus suis Discipulis secretum hocce voluerit concredere, ut observat Theophylactus, inquiens: *Cæterum ex Discipulis tantùm intrare secum permisit, Joannem, Jacobum, & Petrum, ut Discipulorum præcipuos, & taciturnos. Nolebat enim hoc miraculum ante tempus revelari multis.* Qui verò Theophylectum apud S. Thomam in catena interpretantur, ajunt non dicere *Taciturnos*, sed majori emphasi, & circumscriptione *potentes occultare secretum*, quasi cæteri Apostoli hac carerent potentiâ secreti occultandi silentij latebris. Quòd si vel ipsi Apostoli pruritu evulgandi secretum se se titilleri sentiebant: Multò minùs linguam valent coërcere, qui immodico eam vino sepeliunt: minùs enim tunc lingua potens ad secretum custodiendum totas exerit, quas habet vires, garriendo, & plura perperam effutiendo, ut contigit Tarentinorum Legatis, qui cum in convivio de Rege Pyrrho minùs decenter locuti fuissent; Rex accersitos percunctatus fuit; an revere eos in convivio sermones instituissent, quorum accusarentur. Tum unus cæteris audacior erectâ fronte respondit: nisi vinum, ò Rex, nobis defecisset, ista quæ tibi relata sunt, præ ijs, quæ de te eramus locuturi flores fuissent, & vireta: hæc autem urbana crapulæ excusatio, & linguæ temulentæ simplex proditio eorum, quæ in corde latebant, placuit Regi, qui propterea non in iras accensus excanduit, sed in risum erumpens didicit suo experi-

Marginal notes: 1. Sap. cap. 2. 22 (beside "textu"); Cap. 3. (Job); Jer. 20. v. 9.; Cap. 24. v. 16. (Isaia); In c. 8. Lucæ; Luc. 8.

 mento,

mento, quàm prona sit lingua temulenta ad ea foris prodenda, quæ intus in corde latent.

7. Imò non solùm secreta evulgat, verùm & vitia omnia fovet, eisque favet. Hinc Suidas tres duntaxat viro sapienti meri temperatos indulsit haustus, quorum primum dixit concedi tuendæ valetudinis causâ, alterum voluptatis gratiâ, & tertium somni inducendi ratione. Anacharsis verò bibendi vices ita distinxit, ut primum caliculum siti sedandæ daret; secundum sobriæ hilaritati concederet, & tertium voluptati indulgeret. Cæterum quartum calicem dixit ebrietatis esse, & contumeliæ; quintum clamoris, & stultissimæ garrulitatis; sextum comessationum, quia quò plus potantur mera, plus sitiuntur uvæ. Septimum libidinis, & lasciviæ, quia immodicus vini haustus aptam suppeditat materiam libidini accendendæ, ac lasciviæ nutriendæ: octavum dixit bilis esse, ac pugnæ: & nonum vulnerum, ac cædium; & tandem decimum furoris, & insaniæ: quia lingua temulenta æquè propensa est ad evulganda secreta, ac ad funestanda obvia quæque. Lingua immodico abluta vino à rota vix molendini abludit; perinde ac rota, non aquæ fluxu, sed vini ingurgitatione jugi rotatu agitatur, omnémque molitoris peritiam eludit, nec facilè sisti potest; ut ex sexcentis vix unum reperias, qui inter cyathos reticuerit, quod aliàs latuisse cupiisset.

8. Plurimis est igitur vitijs obnoxia lingua immodico madens mero, & lubricior ad omne scelus; ideóque eò magis cavendum est ab imodico haustu, ab hac noxia linguæ lubricitate, quò minùs cautè, tunc loquitur; & tantò temperantiùs sunt calices tangendi, quantò lingua bibula intemperantiùs blaterat. Si semel sit lingua mero madida in omnem proruit lubricitatem, quâ arcana pectoris detegit, proditque mentis secreta, & præceps rapitur in omne nefas, animámque ipsam miserè perdit. Horrendum siquidem est, quod refert Cameracensis. Tres combibones, narrat ipse, cum in quadam taberna ex immodico epoto vino incaluissent de alterius vitæ arcanis, déque animæ nostræ immortalitate, gehennæque supplicijs sermonem fecundos inter calices instituêre. Cúmque duo seriò viderentur loqui, tertius procacior id totum pro nugis, commentisque, ac vanis puerorum terriculamentis, habere cœpit, & reliquos ridere socios, qui tandem jocanti visi sunt annuisse; tunc pergens, decipiunt nos, ajebat impius ille, sacerdotes nostri, qui aurea nobis sæcula post mortem spondent, futurámque somniant beatitatem. Verùm dum hæc garrit, ridétque; en adest vir quidam præcelsæ staturæ, corpore vegetus, viribus valens, eximiéque robustus, qui blandè assidens in taberna combibones sciscitatur, quinam sint sermones, quos tanta hilaritate, ac risu miscent? Respondit protervus ille de animæ loquimur immortalitate, & ridemus, eò quia, quæ sacerdotes nostri nocte intempesta somniant, manè nobis è pulpito, ac exedra deprædicant, ut vera; & paratum esse licitanti etiam modico pretio animam divendere suam, dummodo tantùm pecuniæ accipiat, quâ pro symposio valeat Cauponario satisfacere. Tunc vir ille, qui tribus combibonibus se consociaverat, dixit, en nactus es tu emptorem, dummodo verus velis tu mercator esse. Quid ni, conveniunt de pretio, numerat tartareus emptor conventam pecuniam, cui infelix venditor propriam addicit animam. Interim novis combibones laxioribus urgentur poculis, potatúrque strenuè, simúlque liberalitas commendatur emptoris, qui adultam jam sub noctem ajt: jam succumbimus vino, & in somnum fatiscimus, jam tempus compotandi, garriendíque effluxit, quisque suam repetat domum: sed vos antea Judices volo; si quis equum capistro ligatum emerit, num citra venditoris injuriam capistrum simul, & equum posset simul secum deferre ob jus in utrumque acquisitum ex contractu inito venditionis, & emptionis? cúmque omnes cachinnis, & risu jus dixissent, annuisséntque emptori: tunc horrendum sanè spectaculum! tartareus emptor in omnium oculis anima simul, & corpore venditorem abripuit, eúmque in gehennam deduxit, ubi miser verum, factúmque experiretur, quod fictum, & somnium, eum lingua vino maderet, esse blateravit. En ad qualia linguæ lubricitas pertrahit homines præcipitia.

Lib. 2. cap. 16.

9. Non tantùm, quæ in corde latent arcana, & intus in mente custodiuntur secreta, linguæ lubricitas, ni coërceatur, evulgat; verùm etiam in scelus quodvis miserè proruit. Imò tanta est linguæ lubricitas, ut debeat homo etiam secum cautè agere, ne ipse sui conscius se prodat, súumque evulget secretum, quapropter Seneca rectè monet: *Diu cogita, an tibi in amicitiam aliquis recipiendus sit, cùm placuerit fieri, toto illud pectore admitte: tam audacter cum illo loquere, quàm tecum*, (postea ne sui sit quis secreti prodigus) *Tu verò ita vive, ut nihil tibi committas.* Est enim quisque sibi suspectus, ne se ipsum prodat in secretis referandis, hinc ajebat Job. *Si justificare me voluero os meum condemnabit me*, seu ut expendit D. Thomas, *Os meum condemnabilem me reddet*, quia adeò propensus est homo ad pectoris sui evulganda arcana, ea est linguæ lubricitas, ut quasi impotens retinendi secreti etiam in rebus proprijs, quamvis impensè studeat ream conscientiam tacita celare dissimulatione, adhuc homo se ipsum prodit, ac propria evulgat secreta, damnat delicta. Epist. 3. Cap. 9.

10. Quòd si homo nec sibimet potest fidere ob linguæ lubricitatem; longè inconsultiùs fidei

fidei studet alterius concredere, quod nec sibi ipsi potest tutè committere, nec citra suspicionem evulgationis intus servare io intimiori cordis recessu, quapropter meritò Seneca. *Tu quidem ita vive, ut nihil tibi committas, nam os tuum condemnabit te:* Epist. 1. nimirum linguæ lubricitas pruritu excitata secretiora evulgandi arcana; quæ propterea prodit, nisi frœno taciturnitatis injecto coërceatur. Describit Joannes in sua apocalypsi Deum in præcelso divinitatis solio sedentem, throno, & Majestate sublimem, Angelis utrinque stipatum, ac senioribus cœlestis curiæ proceribus, qui proni proprias ei coronas offerebant. *Cum aperuisset sigillum septimum, factum est silentium in cælo, quasi media hora:* aperuit præcelso insidens throno Deus sigillum adstantibus Angelis, & senioribus aulæ cœlestis Proceribus, seu reseravit abstrusa mysteria, revelavitque futurum ecclesiæ statum. Ubi autem incepit Deus sigillum aperire, Angelis statim, ac senioribus silentium injonxit nullo violandum indulto. Sed cur tam arctum imposuit Numen silentium Angelis post reseratum sigillum, quos mutos etiam prorsus voluerit? D. Thomas tropologicè ex mente D. Gregorij *silentium*, ibi *secretum* vult intelligi, ait ipse. *Silentium secundùm Beatum Gregorium intelligitur secretum*, sed cur non satis fuerat SS. Angelis, beatisque senioribus nosse voluntatem Dei esse, ut mysteria, quæ io apertione sigilli, ei innotuerant, nemini referarent? cur etiam silentium tam arctum ipsis indicitur? An Angeli, & Proceres illi cœlestis aulæ in suspicione erant concredita sibi secreta evulgandi? & quæ ipsis revelavit Deus cæteris aperiendi?

Cap. 8. Apocal. — In cap. 8. Apocal.

81. Quòd si Deus ipse suis ab Angelis cavet, ne evulgent, quæ illis speciatim revelavit; illisque seriò injunxit, ne quidquam omninò loquantur, inde nos instructos voluit, ac edocere, quàm difficile sit ob linguæ lubricitatem secretum fidei nostræ concreditum inviolatum servare, nisi omni modo, mutóque silentio lingua compescatur; est enim beatorum cautela nostra eruditio; Cum vel cœlites ipsi ubi primùm Numinis secretum norunt sigilli apertione sibi notum, statim divina obmutescunt jussione; & per sibi injunctum silentium oris clauditur ostium, ne quæ io corde latent secreta, inde egrediantur. Quòd si quæ à creaturis fiunt, ac servantur, in Numinis gloriam cedunt: etiam hujusmodi taciturnitas, quâ cordis custoditur secretum, gloriam deprædicat Dei, unde Salomon. *Gloria Dei est celare verbum.* Proverb. 25. Scimus in sacris litteris verbum passim sumi pro re, seu mysterio: ait igitur Salomon absconsa mysteria celare, & secreta, seu sacramenta, quæ novit Deus, non referare, *Gloria Dei est:* nimirum inter præcipuas Dei laudes recensendum; cùm enim secreta Dei abscondere in honorem cedat Dei, ita celare verbum gloria est Dei, quæ à creatura potest extrinsecùs in ipsum derivari. Proinde singulariter gloriosus est Deus, dignúsque augustiori gloriâ, eò quia sua valeat secreta abscondere. Adeò linguæ lubricitati perdifficilè accidit secreta, quæ latent in corde foras non depromere, ut id amplitudinem divinæ naturæ mirificè commendet; quia tam tenax sit secreti, ut arcana, quæ latent, nulla vi evulget: est siquidem singularis Dei gloria, quòd cùm sint tres personæ in unica Deitate, secretum celetur, hinc S. Zeno Veronensis de æterna generatione, ait; *Erat ante omnia manens unus, & idem æternaliter ex semetipso in semetipsum Deus secreti sui solus conscius:* nimirum hæc Dei excelsa gloria est, quia cùm sit trinus in personis, quibus altissima Dei secreta innotescant; nulla tamen ex divinis personis adhuc secretum aperit, quamvis tribus communicatum; tametsi tribus divinis personis arcana pandat, quæ secreta esse debent, sitque propterea summè absconsum, quod tribus est notum personis: & quia inter homines secreta, quæ tribus sunt nota, celata diu vix custodiri possunt, ideo singulari laudi Deo datur, quòd secretum tribus communicatum personis, adeò altè celetur, ut nulla ex tribus hominibus, vel Angelis ea pandat arcana, quæ minimè aperienda sunt.

De æterna generat.

## §. II.

*Principum Consiliarij sint secretorum tenacissimi, linguæ coërceant lubricitatem, ut suum ritè munus obeant.*

Quemadmodum regimni populorum Principes in terris à Deo adsciscuntur, ideo indigent Consiliarijs, qui secreti sint tenacissimi, quique cùm aliorum Principum Legatis colloquia vitent; cùm enim lubrica sit lingua ad cordis pandenda arcana, nisi sibi consiliarius caveat facilè Principis arcana etiam insperatè evulgabit. Indigent Principes consiliarijs, qui secreti sint tenaces, linguam audacem abhorreant, ancipitem, & præcipitem caveant, pervicacem abigant, adulatoriam execrentur, veracem sectentur, & ab omni aureo, vel argenteo vinculo liberam, ut ritè Principi deserviant, munúsque obeant, fidelis consiliarij Probi Principis est nil aggredi præsertim urgente aliquo affectu, nisi Procerum suorum auditis priùs sententijs, ac consilijs; idque causæ cur Asuerus potentissimus Rex adeò iram, quâ se præsenserat inflammari coërcuit, ut quamvis gravissimè in Reginam Vasthi excandesceret, in eam tamen non priùs animadverterit, quàm consilia Procerum, quos accerserat, audiret. *Iratus Rex, & nimio furore succensus interrogavit Sapien-* 12.

Esther. cap. 1.

*Sapientes, qui ex more Regio semper ei aderant, & eorum faciebat cuncta consilio, scientium leges, ac jura majorum.*

13. Imò non Afuerus tantùm, sed quod mirum videtur dictu, etiam Nabuchodonosor turgissimi Princeps supercilij deliberaturus circa bellum movendum, illud non inchoavit, priùsquam Consiliarios omnes, ducésque bellicos ea super re consultantes audivisset. *Vocavit omnes majores natu, omnésque duces, & bellatores suos, & habuit cum eis mysterium consilij sui, dixítque cogitationem suam in eo esse, ut omnem terram suo subjugaret imperio.* Consultores hi tantùm recensentur, qui sunt majores natu, & quos prudentia cana, senúmque sapientia commendant. Neque omnes indiscriminatim senes asciscuntur in Principum Consiliarios, sed ij duntaxat, quorum prudentia, & in rebus agendis, ac pervestigandis sagacitas Principem non lateret: hi enim senes dicuntur, quos virtus commendat, & sapientia exornat: & sicut non omnes asciti fuêre in consilium, ita neque omnes bellatores, cùm propemodum innumeri essent in toto exercitu; neque moris est, quò Principes gregarios milites ad ineunda consilia rei bellicæ accersant; neque in promiscua multitudine quidquam arcani, & secreti servari possit: eliguntur igitur ex ducibus, & bellatoribus peritiores, & qui præ cæteris bellica commendantur virtute. Ijs mysterium consili sui Nabuchodonosor evulgavit, seu secretum, ac arcanum sui pectoris, quod tegendum erat à consiliarijs: siquidem quod consultatur, arcanâ est obvelandum taciturnitate; cúmque Rex silentium, & taciturnitatem exigeret, rectè dicitur habuisse cum ipsis *Mysterium consilij sui*, seu secretum inviolabiliter servandum, ijsque fides commendatur silentij, & mysterium injungitur taciturnitatis.

Judic. cap. 2.

14. Nulli dubium, quin silentium anima sit consilij, quod suum, ut sortiatur finem, necesse est, taciturnitate obsignetur. Principis enim, vel Reipublicæ consilia evulgare, perinde est, ac Principem, vel Rempublicam prodere. Quia verò rarum admodum est inter multos silentium servari; id remedij solet Principi suppeditari, ut quid faciendum sit, multi judicent, quid verò facturus sit ipse Princeps, vel pauci sciant, vel nulli, imò tutiùs si nulli; adeò ut tam nescire quid facturus sit Princeps, Consiliarios, quàm scire oporteat. De Ferdinando secundo Cæsare refert Vernulæus, quòd cum rem arcanam esse vellet, singulos inscijs alijs sententiam suam scripto mandare, & ad se deferre jusserit. Inde fiebat, ut nemo quidquam evulgaret, quod se solum à Cæsare consultum arbitraretur. Eos Ferdinandus secundus Imperator sibi ab intimioribus consilijs viros delegerat, qui non solùm inviolata taciturnitate tenacissimi essent secreti, verùm & qui Deum ampliùs, quàm ipsum

In virtut. August. Gent. Austriaci lib. 2. cap. 3.

timerent: eos exclusos voluit, qui proloqui non auderent, qui metu aliquo in alterius sententiam se abripi sinerent, & ijs favebat, quos etiam fovebat, qui candidè, liberè animi sui sensum aperirent, ac omni loquerentur libertate: & ipse aliena percepturus consilia omnes priùs ex animo eliminare consueverat perturbationes, Deum consulere, ac religiosorum, aliorúmque proborum preces exposcere, tum aliorum audire consilia, & quod pluribus consultiùs visum erat, id agendum constituebat; ratus plerúmque satiùs esse aliorum sequi consilia, tametsi nonnunquam eventus fallat, quàm suo unius adhærere judicio; hinc quoties novi belli suspicio increbuerat ad avertenda, quæ possent pericula imminere, jubebat plura Senatorum collegia, quid sentirent edicere; enixímque hortabatur, ut id duntaxat suaderent, quod tueri coram Deo possent.

Rursus nisi sit Princeps ipse tenacissimus secreti custos, vix ad optatos fines sua perducet consilia, est enim taciturnitas tutissimum negotij instituendi, reíque administrandæ vinculum; hinc ajebat Tobias. *Sacramentum Regis abscondere bonum est*; quia si Principis secreta, & arcana evulgentur, vix reipublicæ salus subsistit, cùm hæc non rarò à firma rerum agendarum custodia pendeat; ut meritò dici possit, secretorum evulgatorem Reipublicæ esse proditorem. Plura ceciderunt & regna, & exercitus, quia non stetit lingua, quæ si stetisset tenax secreti; cruentâ clade non cecidissent exercitus, neque eversa regna corruissent: imò ex secreti evulgatione non solùm cædes exercituum suam traxere originem, verùm & privatarum familiarum excidia: hinc apud Persas moris fuit, quò illi tantùm consiliorum asciscerentur societati, quos taciturnitas, & fidelitas commendarent, & ab ijsdem Regum arcana etiam cum vitæ discrimine firmissimè custodirentur; neque ullum probrum linguâ secretorum evulgatrice gravius censetur ob damnum ingens, quod inde sequitur. Hinc cautum Principibus, ne suis eos consilijs asciscant, quibus aut metus, aut avaritia tacendorum exprimit vocem, qui tenacissimus non est secreti, procul à Principum consilijs abigendus est; quia ut scitè Curtius. *Res magna ab eo sustineri non possunt, cui tacere grave est.* Imò Salomon ipse Reges, & Principes instruit, ne sua ijs secreta concredant, qui ea firmissimè non custodiunt, ait ipse. *Ei, qui revelat mysteria, & ambulat fraudulenter, & dilatat labia sua non commisceaeris.* 15.

Tobiæ 12.

Lib. 4. historiarum.

Proverb. 20.

16. Neque Principibus tantùm proficuum est Salomonis documentum; verùm & ipsis privatis hominibus, qui ad res suas ritè instituendas, & sua negotia ad optatos perducenda fines, quæ in cordis recessu secreta fovent alijs concredere, haud debent juxta monitum S. Hieronymi: *Si quis tuis volueris misceri*

*misceri amicitijs, & hunc videris prioris amici pandentem secreta, hunc veluti perfidum cave.* Multò magis cavendum est à Principe, ne sua arcana secreta ijs fidat, qui linguæ pruritum nesciunt frœno taciturnitatis cohibere, neque ejus lubricitatem, ac evulgandi secreta desiderium compescere. Nemini, nisi sit omni suspicione vacuus, est cordis arcanum fidendum; quia si qua, aut levis offensa nata postea fuerit, aut spes uberioris lucri allexerit, quæ antea mera suspicio fuit, fit fœda proditio, hinc commendari solet illud Metelli aientis: *Si tunica consiliorum meorum esset conscia, detractam in ignem mitterem:* Nemini, quæ in cordis recessibus servabat secreta aperire consueverat, cùm nec sibi ipsi fideret. Metellum secutus Petrus Aragonius dixisse fertur: *Comburam intimam meam tunicam, si meorum gnaram consiliorum esse deprehendero:* quia semel, quòd secretum è cordis egreditur recessu, & per os foras evaporat, suas illicò vires deperdit, si auribus concredatur eorum, qui frœno taciturnitatis linguæ non didicerunt lubricitatem coërcere.

17. Quòd si secretum, quod per os foras egreditur, plurium pulsaverit aures, non illud credas ampliùs secretum; à sua siquidem jam defecit natura, & in plures pertransiens ad reliquos facili passu perveniet, & præsertim, si mulieri concredatur arcanum, tametsi uxor sit; quia silentium ab uxore, qui sperat, sexum ab ea fœmineum excutere frustra nititur: & faciliùs mulier sexum exuet, quàm silentium, & taciturnitatem sit servatura; ideóque graviter in omnem videntur prudentiam peccare, qui fœmineo sexui tacenda concredunt, non enim secreti legibus videntur fœminæ teneri, censentúrque propterea legibus omnibus exsolutæ. Quòd si mulieri dixeris arcanum esse, ex quo Reipublicæ salus dependet, millies jurejurando spondebit, se nil dicturam, sed cùm primùm rei secretum innotuerit, perinde ac parturientis correpta doloribus, illicò ad amicam currit, aliásque sibi familiares, nec quiescit, donec in lucem edat, quod sibi sub inviolabili taciturnitatis sacramento fuerat concreditum: quò enim secretiora sunt, quæ taciturnitati committuntur mulieris, hæc ardentiori desiderio semper æstuat, eadem sibi familiaribus evulgandi. Vulgari aliquid, qui vult, mulieri committat, quòd si sanctè ei concredat, citò ipsa evulgat; & quò sanctiùs, eò citatiùs; neque propriæ parcet famæ, neque communi cum marito thoro.

18. Idque causæ, cur à regnorum, ac rerum publicarum negotijs, ac intimioribus Principum arcanis, ut plurimùm fœminæ excludantur, quia cùm hujusmodi consilia secretum expostulent, quod à muliere exigi minimè potest, meritò excluditur hæc à Principum consilijs, cùm à fœmina nemo prudens secretum possit sperare: non quòd unâ; eadémque spongiâ sint indiscriminatim fœminæ omnes à consilijs Principum, & Reipublicæ administratione obliterandæ; sed quia instar nubium rarissimæ sint mulieres illæ, quæ sibi concredita, & recepta in proprio sinu secreta foras non effundant: sicut rarissimæ sunt nubes, quæ suas teneant pluvias; ita rariores dixeris mulieres non effundentes, quæ intus tenent commissa sibi secreta: pectus fœmineum cribrum dixeris aqua oppletum, quam tenere, ac asservare non valet; quæ enim in cor fœmineum ingrediuntur secreta, periode, ac undæ cribrô exceptæ statim diffluunt, & foras evulgantur. Et quamvis aliæ sint aliis secretorum tenaciores, is est beatis associandus vir, cui ex millibus hæc una obtigerit. Muliebri sexui non tacenda, sed evulganda committi duntaxat debent.

Notum est illud Papyrij prætextati Romani apud Matrem tam silentium, quàm lepidum, ac festivum mendacium, quo Senatus secreta tegerentur: cùm enim urgeretur à matre, ut vellet ipsi aperire, quidnam decretum fuerit in senatu, ille ne senatui esset infidus, nec matri pretervus sub inviolabilis silentij sacramento, tandem dixit de duobus maritis habendis ab eadem fœmina fuisse aliquid statutum; cúmque mulier concreditum sibi à filio accepisset arcanum, aliam sibi in amicitia devinctam fœminam accersivit, cui sanctè senatûs secretum communicavit: & hæc alteri, adeò ut quò sanctiùs committeretur secretum alteri fœminæ, hæc eò citatiùs alteri communicaret, ut brevi tempore secretum toti innotuerit urbi, non absque Papyrij laude, qui simul, & matri satisfecit, & senatui fidem servavit. 19.

Non stultitiam tantùm, sed & perfidiam suam prodit, qui Reipublicæ arcana continere nescit. Hinc Ægyptij hac in re severi adeò fuerunt, ut lege sancitum fuerit, ijs, linguam abscindere, qui Reipublicæ arcana detexissent; siquidem secretorum promulgator regni habetur proditor. Imò Romani cruce, vel rogo hoc piaculi genus mulctârunt; tametsi supervacanea videri potuerit hæc lex apud eos, quorum curiam inviolabile semper clauderet silentium, neque unquam deprehensum fuerit, fuisse extra curiam evulgatum, quod tam multorum auribus fuerat in curia commissum. Præ cæteris fertur enituisse in hac religiosa secreti custodia Pompejum, qui cum legationis officio fungeretur à Gentio Rege interceptus, ut refert Valerius, & senatus consilia prodere juberetur, ardenti lucernæ digitum admovit cremandum: quâ patientiâ à Rege spem, & desiderium tormentis quidquam ex se cogno- 20.

*Lib. 3. cap 3.*

scendi excussit, & ambiendæ apud populum Romanum amicitiæ cupiditatem magnam ingeneravit. Est enim virtus fidelitatis, præsertim in tenacissima secretorum custodia, adeò commendabilis, ut vel ab ipsis hostibus nitentibus evulgationem extorquere secretorum laudibus excipiatur.

20. Cùm verò Regibus, & Principibus plures sint à consilijs, cavendum est, vel maximè, ne illi conscij fiant arcanorum, qui instar dolij in plurimas rimas fatiscentes, ea, quæ infunduntur, non valent continere. Meritò Rex Syriæ molestissimè tulit, quòd sua hostibus consilia paterent, præsertim, cùm nullius consiliarij vitio id contigerit, sed Deo Eliseo Vati rem patefaciente, tamen, cùm id Regem lateret, existimabat: omnia sua hostibus prodita. *Convocatis servis suis ait: quare non indicâstis mihi, quis proditor mei sit apud Regem Israël, dixit unus servorum ejus, nequaquam Domine mi Rex, sed Eliseus Propheta, qui est in Israël, indicat omnia verba, quæcunque locutus fueris in conclavi tuo:* Munus igitur Consiliarij est secreta Principis tenacissimè custodire, & potiùs tormenta quæque subire, quàm crimen incurrere proditionis. *4. Reg. cap. 6.*

21. Secretorum in re bellica tenacissimus custos nostris temporibus fuit nunquam satis commendatus virtute bellica, & Martia fortitudine Maximilianus Emanuel Bavariæ Dux, & Elector S. R. I. tum Cæsaris in Hungaria, tum Caroli II. Regis Hispaniarum in Belgio exercituum supremus ductor, tam enim tenax concreditorum sibi fuit consiliorum, ut antea animam cum Zenone, & Anaxarcho, quàm concredita sibi consilia possent alij ab ipso eruere. Nemo ab hoc Principe silenda audivit, neque posse audire speravit, & hac fida taciturnitate, Turcarum copias pluries in Hungaria fregit, pluries fugavit, & propugnacula expugnatu difficiliora ad deditionem coëgit; cúmque esset tam magnus silentio; major, illustriórque factus est rerum gestarum fortitudine, & tot partarum victoriarum gloriâ celebrior, cúmque tam validè linguæ didicisset suæ imperare quoad ea, quæ ad rem bellicam visa sunt pertinuisse, non mirum, si omni virtute bellica per Hungariam, Germaniam, Italiam, & Belgium suis profuerit exercitibus, quos nonnisi ad victorias visus est erudivisse. Sit sive in castris exercitus ductor; sive in aula à consilijs Principum Administer fidissimus secretorum custos: nititur hac taciturnitate Reipublicæ salus, Regnorúmque incolumitas: prodere in castris secreta, perinde est, ac rem bellicam perdere; plura starent etiamnum regna, si stare, & lingua didicisset, & calamus siluisset. Prodit lingua Reges, & se ipsam etiam perdit. Cùm primùm quod intus servabatur in corde secretum; exteriùs per os egreditur; suis destituitur viribus, & in plures diffusum penitus enervatur. Concredit militiæ præfectus amico rem omnino tacendam; concredit hic thori sociæ, & hæc alteri, fitque vulgatum omnibus, quod uni duntaxat fuerat sanctè concreditum, & quod amicis duntaxat commissum fuerat, mox euro ocyus etiam ad hostes evolat, qui sibi optimè consulunt, fallúntque adversariorum conatus, & plerúmque haud absque cruenta cæde.

Hinc prudenter Tarquinius secretum aliquod filio concrediturus minimè evulgandum, non internuntio usus fuit, nec calamo, imò neque ullo verbo, quod posset ab adstantibus audiri, sed solis signis, quæ cæteris minimè innotescerent, in hortum filium duxit, & coram ipso bacillo papaverum capita demessuit, quo signo intellexit filius, amputanda esse Magnatum capita, ut desinerent insidias struere. 22.

Quanti sit momenti hæc tenacissima secreti custodia fortiter etiam edocuit Pompejus, ut paulò ante innui, dum cremandum lucernæ digitum fortiter præbuit, simúlque Gentio Regi spem excussit toleratis tormentis consilia, & arcana extorquendi Senatûs. Simile fortitudinis documentum exhibuit Zeno Philosophus, qui cum à Tyranno torqueretur, ut secreta aperiret, aurem illius morsu corripuit, nec ante dimisit, quàm & ipse vita; & ille aure privaretur. Simile, imò & fortius dedit Anaxarchus exemplum, qui ne proderet, quæ ipsi secreta, ac tacenda commissa fuerant, dentibus abscissam linguam in Nicrocreontem Cypriorum Tyrannum expuit. Neque supparem ei dicas Theodorum, quem nulla Hieronymi Tyranni verbera, nec fidiculæ, nec laminæ ad prodenda secreta sibi concredita pertrahere valuerunt. Hanc masculam virtutem secreti custodiendi commendavit etiam Lampridius in Alexandro Severo, de quo ait, Nunquam secreta ulli evulgâsse bellorum: nil boni ab hac potest evulgatione sperari, quia ut vulgò dicitur: *malum ovum, malus corvus*, est hæc evulgatio tacendorum ovum illud, de quo nonnisi excidia, & malorum series erumpunt; éstque unum ex ijs ovis pessimis, de quibus Isaias ait: *Conceperunt laborem: & pepererunt iniquitatem: ova aspidum ruperunt, & telas araneæ texuerunt: qui comederit de ovis eorum, morietur, & quod confotum est, erumpet in regulum:* aspidis ovū, ut refert Bartholomæus Anglicus, excludit rubetam, est autem rubeta ranæ genus venenosū in sicco semper vivens, & à rubis nomen trahens, in quibus plerúmque victitat, ut enim ait Plinius *lib. 32. cap. 5.* Sunt ex rubetis, quæ in vepribus tantùm vivunt, & ob id rubetarum 23. *Cap. 59.* *De rerum propriet. li 19. cap. 7*

betarum trahunt nomenclaturam. Cumque rubetæ fomento ovi dirumpitur crusta, emergit inde regulus, aspide, & rubetâ venenosior, qui vel solo spargit intuitu venena, quibus adstantes inficit, ac interimit; verùm primum, quod à regulo interimitur, rubeta est mater.

24. Quid ni tacenda quisquis alteri committit, is alteri ovum supponit aspidis, cui incubet, & quamvis per modicum tempus secretum sibi concreditum, veluti ovum silentio foveat; attamen stimulante linguæ pruritu, ejúsque instigante lubricitate, quod diu foverat ovum, seu silentio secretum; tandem imprudenti garrulitate excludit, & hinc exoritur regulus, qui plerumque ipsos genitores, auctorem, & fautorem interimit. Concredit militiæ dux amico rem omnino tacendam, hic sanctè alteri, sibi amicitiæ vinculo devincto evulgat, & hic alteri, donec in hostium etiam castra penetret non sine ingenti detrimento evulgantium secreta, qui ideo plerúmque cruenta clade cadunt, quia eorum lingua non steterat. Ideóque summa circumspectione opus est, quidnam arcani, & cujusnam id auribus concredatur, cùm ex evulgatione secreti ingentia soleant damna oriri.

## §. III.

### *Qui prurientem linguam compescere nequit, potis non est Reipublicæ moderari, nec magni momenti negotia ad optatos fines perducere.*

25. PErperam regimini cæterorum, & præsertim exercituum præficitur, qui linguæ non didicit pruritum coërcere, ac appetitum compescere evulgandi tacenda: res magnas, nec capit, nec sustinere valet, cui tacere onus videtur intolerabile, nimiúmque grave; magna enim consilia sicut taciturnitate foventur, adolescunt, & valent; ita evulgatione vires deperdunt, languescunt, & deficiunt. Qui prurientis linguæ impetum nescit compescere, difficulter hostium valebit impetus coërcere. Eatenus Romana Respublica suis aucta incrementis in vastissimum excrevit imperium; quia arcana consilia Patrum conscriptorum per plura sæcula nemo ex Senatoribus auditus est evulgâsse, adeò ut nec unus videretur audivisse, quod multorum auribus concreditum fuerat: & in eo præ cæteris Romana enituit fortitudo, quod nullus taciturnitatem tutissimum rerum administrandarum vinculum lædere ausus fuerit; proinde omnes imperio ideo digni, quia sibi, & linguæ imperare optimè didicerant, cúmque sibi tam laudabiliter imperarent, digni fuerunt, quibus cæteræ provinciæ per totum propemodum orbem longè, latéque diffusum paruissent. Nemo fuit, qui à Patribus illis conscriptis arcana excuteret consilia, tametsi vi, & astu solerter adniteretur; nemo ab ullo eorum silenda audivit; nemo speravit ullum audire secreti tacendi verbum: noverant enim Patres illi conscripti proba consilia in secessu duntaxat silentij foveri, & per evulgationem ob operis difficultates deficere.

Magna opera nonnisi silentij beneficio feliciter inchoantur, laudabiliter promoventur, & gloriosè perficiuntur: cùm & ipsum mundi opificium divini secreti consilio fuerit solidatum: siquidem in efformando hujus mundialis machinæ auspicio, nulla evocati sermonis fit mentio, sicut deinceps in ipsa hominis formatione nulla Numinis Conditoris audita est vox, sicut in rebus cæteris condendis præmittitur. Nullus Angelus, nullus hominum hactenus creatus adest; sed dum inanitate sua cuncta silentium occuparet, & sua taciturnitate omnia impleret, Sapientissimus artifex Deus cœlum, & terram inopinatâ cunctis operatione efformavit, & quidem quo tempore ante initium temporis ei collibuerit: *In principio creavit Deus cælum, & terram; terra autem erat inanis, & vacua, & tenebræ erant super faciem abyssi, & spiritus DEI ferebatur super aquas*: nimirum novas efformaturus creaturas, videbatur hærere attonitus illo sub initio tenella orbis admiratio, cum ante ordinis agnitionem suam sortitus mundus fuerit de divino Opifice substantiam, cùm adhuc nullus sciret, quo moderamine rotandus esset immensus propemodum cœli globus, qualémque finem diei futurum exciperet tempus, cùm nec sol per suos ortus, & occasus dierum, noctiúmque inveheret discrimina: attamen in enascentis mundi ambiguitate, quò quavis excussa confusione per suos ordines res secernerentur distinctæ, id è divini opificis arcano prodiji consilio. *Verbo Domini cæli firmati sunt, & spiritu oris ejus omnis virtus eorum. Ordinatione ejus perseverat dies*, ut ait Psaltes. 26. Genes. 1.

27. Potuisset supremi artificis manus totam mundi molitionem uno momento absolvere, nisi ex arcano suo consilio placuisset parem potentiæ sapientiam in rebus certo dierum intervallo digerendis, atque ornandis demonstrare; hinc prima die è nihilo cœlum empyreum à splendoris, lucísque copia suam trahens nomenclationem in augustissimam divinitatis sedem, futurúmque domicilium beatorum condidit: & cum fulgentissima illa sede conditæ itidem fuêre innumeræ mentium myriades, quas Angelos dicimus corporis ex-

expertes contretione : quin & è nihilo terra, & aqua prodière, quæ in unam commistæ globum mutuo complexu se fovent. Sequenti die, quem lux illa rudis, & imbecillis ei similis, quæ abeunte nocte per diluculum instat, illustravit; orbes cœlestes, quos sacer historicus firmamentum vocat; è suo noo esse evocantur, jubentúrque existere medio interstitio suspensi aquas inter superiores, quæ christallinæ dicuntur, & inferiores elementales. Inde dno etiam alia primigenia corpora aër scilicet ex aqua, & ignis ex aëre nascuntur; eo ordine, ut ignis cæteris altiùs avolet, sublimiorémque occupet sedem; cui aër spirabilis proximè succedit, & terra aquis circumfusa mediam mundi sedem occupet. Die tertio sublstâ aquarum, & telluris confusione, in speciem ingentis orbis glomerata cœpit ex aquis terra emergere, ut & aquæ in cavernas recedere, maria, flumina, stagna, ac paludes, lacúsque replere spatijs à terra discretis. Quartum diem lumina cœlestia illustrârunt, sol scilicet, & luna; ille diei pater, hæc noctis illustris lampas, ac reliqua sydera, cœlorum amplitudines, perinde ac gemmæ illustrantia, vel rosarum instar jugiter cœlesti vernantia in horto: & hinc alterna dierum, noctiúmque discrimina, hinc quadripartita anni tempora, tempestatúmque prognostica signa. Quintus dies piscibus maris, & volucribus terræ natalis obtigit, quorum utrumque genus suam ex aquæ fœcunditate traxit originem. Sexto die cætera condidit animalia, ptoduxítque jumenta, reptilia, & bestias, ut etiam ex humo homo effictus est, cui immortalem juxta suam imaginem cœlestis opifex animam inspiravit intelligendi, appetendi, cam ratione reminiscendi, facultate præditam. Et hæ inconcussæ sunt creaturarum operationes, quas divinæ ptovidentiæ consilium per certos perenniter operandi calles destinavit.

28. Sed undénam tam rata, támque constans concors operationum discordia? unde contrariæ inter se naturæ ita cooptantur, ut concordem, ac inviolabilem teneant harmoniam, nec ignis frigido, nec siccum humido, cui immixtum est, resistat? sed omnia quamvis contraria mutuo copulentur complexu, & unum quasi corpus absolvant? unde in dissimilibus, contrariísque naturis tam mirificus ex ijsdem exurgit ordo, ac concors conflatur harmonia, quâ pugnantia, & contraria ex ipsa natura in unum coalescunt? Certè hæc mira discors concordia oonnisi arcanum aliquod Numinis secretum videtur prodere; argutè Ennodius Deum alloquens ait. Diss. 1. *Dignum est, ut inter exordia dignitatis tibi principiorum Domino supplicemus, qui mundi ipsius in novam lucem prodeuntis infantiam; quanto bonorum secreto orditus es, tanta potentiæ virtute solidâsti:* quasi Numinis operantis secretum harmonicum ex contrarijs naturis effecerit, ac consolidaverit rerum concentum; ait eoim Ennodius Deus mundialis opificij artifex, & rector: *quanto bonorum suorum secreto orditus est, tanta potentiæ virtute solidavit*, quasi divinæ potentiæ parum fuisset suum velle, quo omnia ex nihilo traduxit, ut essent, ac existerent; nisi & consilium divinæ providentiæ accersivisset; ejúsque beneficio cuncta ordinâsset, résque omnes in sua substantia, & operatione consolidâsset. Sed quæ necessitas ursit, ut in secreto rerum opifex Deus mundi poneret primordia? An non ad id sufficiens erat omnipotentia, qua omnia potest, omnésque superat difficultates? Tametsi sola sufficeisset omnipotentia; ad nostram tamen eruditionem io secreto bonorum suorum jacere maluit mundi primordia, quæ potentiæ virtute consolidaret. Appositè dixit Ennodius, quòd mundi opificium, quod Deus sua condidit omnipotentia, gubernat providentia, *quanto bonorum suorum secreto orditus est, tanta potentia virtute solidavit:* voluit Sapientissimus mundi opifex cœlum, terram, & reliqua elementa ante solis, lunæque creationem, suum sumpsisse auspicium, ut tenebris obvolverentur, nullo adhuc homioe existente, ut de secreto consilij sui nemini evulgato mundi prodirent exordia; digna propterea, quæ divinæ potentiæ firmarentur virtute, ac solidiùs stabilirentur, eò quia de secreto divini consilij prodierint, *quanto bonorum suorum secreto orditus es, tanta potentia virtute solidâsti*, ad nostram scilicet eruditionem, ut inde instrueremur, ea firmum, ac felicem sortiri exitum, quæ de secreto prodeunt maturi consilij.

Est secretum rerum agendarum anima, & negotiorum fulcrum, quo si destituantur, quæ instituuntur negotia, vires deperdunt, & corruunt. Unde in id, vel maximè vir prudens, ac Principis Administer debet incumbere studij, ut secreta sibi commissa consilia sanctè custodiat, præsertim si agatur de re magni momenti. Linguæ lubricitatem, qui non coërcet, in rebus magnis agendis minimè idoneus habetur; imò neque ut vir prudens, magna enim levitas in eo se prodit homine, qui à linguæ se sinit pruritu abripi, nilque secreti potis est agere, sed audita, & tacenda obvijs quibusque statim evulgat. Quis oon dicat, lusorem imperitum esse eum, cui, cum sors faveat, pictas suas alijs ostendit chartas? Quatuor duntaxat solent recenseri, quæ ut vulgò dicitur abscondi nequeunt, palma in 92.

clivo,

clivo, stramen in calceo, fusus in sacco, & arcanum in fatuo; hinc propriam videntur fatuitatem prodere, qui arcana sibi concredita statim evulgant propriæ indulgentes linguæ, quæ & garrulitatis studiosa, & silentii impatiens, quodam se sinit solicitari pruritu ad id statim prodendum, quod committitur secretiùs, & concreditur sacratiùs.

10. Viri prudentes gnari quanti sit momenti arcana consilia in intimiori cordis recessu custodire; silentii, secretique semper fuêre tenacissimi, ut Cecilius Metellus; hic enim referente Plutarcho *in apophteg.* cuidam tribunorum roganti, quid in hostes moliretur. Respondit: *de eo mea si tunica esset conscia detractam injicerem in ignem*, noluit vir prudens, quid animo moliretur ulli prodere, veritus ne si sacratiori alterius fidei id commisisset, vividiùs evulgandi ingenerâsset studium, ac desiderium inflammasset. Seleucus itidem exercitu sui fugatis, fractisque aciebus in rusticanam quandam se casam recepit, panem, & aquam cùm à villæ colono postulâsset, & is benignè ac perurbanè Regem excepisset, quia tamen è malè pugnata pugna illuc se contulerat, dissimulavit rusticus quasi ignorâsset eum Regem esse, quem tamen ex facie optimè noverat, eimque linguæ pruritu se excitari sentiret ad salutandum proprio nomine Regem, quia imperare sibi silentium non valuit, & discedentem mox Regem salutavit nomine proprio, præmaturam sibi accivit mortem, cùm nollet Rex è castris fugiens ab ullo cognosci: si linguæ lubricitatem coërcuisset, sibique silentium imperâsset, minimè celerrimam illam incurrisset mortem. *Si tacuisset tunc* (ait Plutarchus referens hanc Seleuci fugam) *& aliquantisper sibi temperâsset, rebus florentibus Regis hujus magna ope fuerunt, præmia profectò silentij, quàm hospitalitatis retulisset majora. Cæterum habuit impotentia occasionem, spem, & comitatem.* Cum enim fortassis speràsset rusticus fore, ut Regis notitia ei utilis esset, linguæ pruritum compescere nequivit frœno silentii; & ab eadem lingua, à qua lucrum speravit, excidium recepit.

*Lib. de garrulitate.*

11. Est lingua malorum omnium officina si suæ permittatur garrulitati indulgere. Videntur nescio quo æstro homines impelli ad secreta evulganda, & tacenda obviis enuntianda: nesciunt tacere, nec valent linguæ lubricitatem compescere, præsertim si de loquacitate, & garrulitate aliquod affuturum sibi præmium præsumere liceat. Idque causæ, cur strenui Duces, ac prudentiores exercituum Præfecti altissimo silentio, quæ agenda sunt obtegunt; ne quæ intus animo moliuntur, exteriùs evulgata vires deperdant, suóque felici destituantur exitu, hinc aiebat Onosander: *Demens, ac vanus ille est; qui priusquam necesse sit, negotiorum arcana cum multitudine communicat, nam tunc præcipui temporis scelerati quidam ad hostes malitiosè transeunt, quò ab illis proditionis gratiâ honores, & præmia se adepturos sperant:* cùm homines lucro potissimùm inhient, & pascantur fructibus lautioris fortunæ, si quæ iisdem concreduntur arcana consilia, & secreta minimè evulganda, illicò ad eos confugiunt, quibus aliquo magno pretio se posse ea divendere, quæ sibi concredita fuerunt, arbitrantur.

Hujus veritatis conscius Aod strenuus Hebræorum Dux, grande aliquod aggressurus facinus, nulli adaperuit, sed in intimiori cordis recessu secretum fovit, veritus ne si è proprio egrederetur ore, illicò suas deperderet vires, ac evanesceret; sciebat siquidem imbecilliorem semper fidem esse, ad os silentio signandum, quàm ambitionem ad illud idem ostensis præmiis aperiendum. Postquam enim Eglonem adivisset, secum delata munera obtulisset, sociis Galgala dimissis omnibus, ad Regem revertitur, cui testatur secretum verbum se habere, ejus duntaxat auribus committendum: *Reversus de Galgalis ubi erant idola, dixit ad Regem: verbum secretum habeo ad te ò Rex:* nimirum secretum dixit verbum, eò quia nemini hactenus fuerat concreditum, cùm & socios dimisisset, ne quid esset Regi locuturus, potuissent suspicari, ut verbum esset omnino secretum: & quamvis occidendi tyrannum ardentiori æstuaret desiderio, maluit tamen secreti consilii differre executionem, quàm suis sociis, vel minimam suspicionis umbram ingenerare; veritus ne etiam amicissimi sibi, si aliquid fuissent secreti subodorati ad Eglonem id statim detulissent, spe illecti ingentis præmii, ut notat Abulensis inquiens: *Timuit indicare hoc Aod alicui, quia fortè ut esset acceptus Regi Eglon nuntiaret ei quisquam quid disposuisset agere contra eum Aod: ex quo sequebatur periculum omnium Israëlitarum, ad quod avertendum noluit cuiquam aperire, quod proposuerat:* tametsi Aod rem esset aggressurus plenam difficultatibus, ac periculis circumseptam, plus tamen timuit linguæ lubricitatem, & ambitiosæ garrulitatis pruritum, quàm medias inter hostium acies difficillimum opus aggredi. Et nisi Aod arcanum, quod mente volvebat secretum in intimiori duntaxat sui cordis recessu condidisset, Hebræorum saluti minimè profuisset; quia semel quòd mentis secretum per os egreditur, statim per plures diffunditur aures, & etiam eorum, qui lucro inhiantes spe præmii ad eos illicò deferunt, à quibus se prœmium delaturos esse arbitrantur. 12.

*Judic. cap*

*Quæst. 19. in Judic.*

Nulli tametsi amicitiâ nobis devincto, sunt magni momenti committenda secreta, quia hæc vel ambitionis consilio, vel linguæ lubricitate, vel innatæ garrulitatis ingenio statim evulgantur, & evulgata impediuntur: amicis garrulis nunquam concredenda sunt, quæ magni momenti censentur esse secreta, hos enim locutuleios, & garrulos prægnanti 13.

*Eccles. c. 19.* mulieri apposite confert Siracides inquiens: *A facie verbi parturit fatuus*, quia sicut mulier partui proxima dolet, ingemiscit, luctatúrque cum partu, nec quiescit, donec eum in lucem edat: ita qui linguâ sunt garruli, & silentii impatientes, si ipsis sanctè concredatur secretum aliquod, videntur statim linguæ pruritu torqueri, dolere, & luctari; nec quiescunt, donec per os, quod in proprio corde susceperant secretum, foras evomant: & isti prægnantibus pares mulieribus, quæ auribus perceperunt, & in corde conceperunt secreta, stimulante linguæ pruritu, non quiescunt, donec in lucem edant.

34. Imò canibus, felibúsque similes diceres; si enim aliquid horum animantium illigetur caudæ, distorquentur statim, ac in varios gyros volvuntur, donec caudæ alligatum excutiant; hinc currunt, saliunt, furunt, neque ullo consistunt loco, donec caudæ pruritum depulerint. Quod harum animantium obtingit caudæ; hoc idem garrientis experitur lingua, si enim secretum aliquod ei alligetur, sentit statim se impetu ferri ad eloquendum; & quò fuerat illi secretiùs aliquid commissum, eò citatiùs prurit foras effundere; & quod deterius, secreta sibi concredita non solùm gestit sua libidine, ac pruritu obviis evulgare, verùm & ea miscere, quæ suspicatur; & alia quæ sibi fingit, & inde si muscam per aures hausit, elephantum per os parturit: & hi infidelitatis redarguuntur notâ, & nemo est, qui se, & sua velit ampliùs eis concredere, quia

*Eccles. c. 27.* ut ait Siracides: *Qui denudat arcana amici fidem perdit, & non inveniet amicum ad animum suum*: hinc lingua garrula plerumque est etiam odii artifex, malevolentiæ officina, alienæ gloriæ infuscatio, honoris devenustatio, famæ venenum.

35. Quamvis lingua, si fida fuerit optimum sit in humano corpore instrumentum, cujus beneficio animi sensa aliis communicamus, & quæ vulganda sunt aperimus: si tamen suæ indulserit lubricitati, ac proprio permiserit se pruritu abripi, pessimum est humani corporis membrum; idque causæ cur Pittacus, cui Rex Ægypti victimam miserat, à qua optimam simul, & pessimam carnis partem auferret, linguam præsciderit, quam victimam mittenti reddidit, indicaturus, linguam optimum simul, & pessimum

*Lib. de garrulit.* esse instrumentum, ut refert Plutarchus inquiens: *Pittacus cum victimam, ei Rex Ægyptiorum misisset, præcepissetque, ut optimam & pessimam carnem auferret, victimam excisâ remisit linguâ, quòd tam bonorum ea, quàm malorum organum sit summorum*: nullum siquidem est in homine intus venenum, quod per linguam foras non erumpat; imò plus damni infert lingua sola, quam cætera corporis membra: hinc quamvis manus armata gladio potis sit hominem interimere, adhuc tamen geminas natura homini manus indidit, non tamen duas linguas eidem naturæ artifex concessit; & tartareus hostis ad invadendam confusionem non è rabidis Pantheris, nec ferocientibus leonibus exacutos mutuatur ungues, sed serpentinam duntaxat contentus est linguam induere, ratus hanc unam sufficere ad cuncta humanæ gloriæ fundamenta in primis parentibus evertenda: serpens enim sive circumvolutus arboris ramis, aut trunco insidens, sive subter arborem in caudam, aut pedes erectus tanquam hominem homo, & sororem soror alloquitur, & mira sermonis illecebra primæ fœminæ benevolentiam captat, virúsque pestiferæ cupiditatis excellendi supra humanum fastigium per linguam inspirat, dulcedine lautioris libertatis immixtum, & simul gustum pomi vetiti persuadet, ac totum humanum genus simul evertit.

## §. IV.

### *Adeo inoleverant non coercitæ linguæ vitia, ut iisdem corrigendis divinus Spiritus multiplices dispertitus in linguas flammeas in terram descenderit, edocturus homines meliorem loquendi modum.*

Tertullianus sibi gratulatur *exemptum fuisse linguâ nostra venenum*, quia cum Christus mortem sua nece vicisset, nondum nostra felicitas cumulatiore resplenduisset fortuna; nisi divinus spiritus flammâ cœlesti linguas demisisset è cœlo pluvias, quibus nostras purgaret linguas, & omne ab iisdem venenum abigeret: *Factus est repentè de cœlo sonus tanquam advenientis spiritus vehementis, & replevit totam domum, ubi erant sedentes, & apparuerunt illi dispertæ linguæ tanquam ignis*, quia proprium est ignis obvia quæque absumere, venena exsiccare, & quæ malignas contraxêre qualitates expurgare; & id fuit felicitatis nostræ complementum, quòd linguæ cœlesti imbutæ igne nostras ab omni veneno, omnique fatuitate lubricas expurgarent linguas. Cùm Ecclesia esset in terris construenda; supremus rerum molitor, ac sapientissimus architectus Deus, sicut olim plurium confusione linguarum insanos Gigantum ausus, ac tumida consilia in Babyloniæ turris ædificatione dissipaverat; moliturus mox non jam turrim, sed in terris Ecclesiam Catholicam eminentiâ virtutum syderibus æquandam, linguarum quoque invehit diversitatem, quâ plurium nationum linguæ, & gentium idiomata in unum coirent fidelium cœtum: sed si ignis è cœlo in terras pluvius illabitur perfidos Ethnicismi profligaturus gigantes, cur potiùs ignis non cadit è cœlo de more aculeatus in fulmina, sed potiùs infuetus ruit obtusus in linguas? An forsan quia Spiritus sanctus amor est, & amor fulminare odit, ac lædere; & tantùm lambere amat, & eblandiri? ideóque in linguas obtusus illabitur ignis, ut lambere tantùm possit,

36. *Lib. de jej. cont. Psych.*

fit, non vulnere infligere: Imò multiplices dispertitus in linguas cecidit è summo cœlo divini spiritus ignis, ut linguis amore flammeis amantissima duntaxat oscula figeret ad salutem; non vulnera infligeret ad interitum: vel cùm amor ipse sibi fama sit, tot debuit linguis abundare, quot flammis ardere, ut Euro citiùs per singulos discurreret terrarum tractus.

17. Quòd si moris fuit, quo olim victimarum linguæ preconibus tribuerentur, eò quia linguâ populum juberent ad sacra venire: non mirum, si linguæ divinitùs tribuantur Apostolis, cum veræ Religionis futuri essent præcones perpetuum silentium obstrepenti impositturi superstitioni. Quòd si in superba illa Babylonicæ turris structura linguarum ex una in plures factum divortium viam ad impietatem omnem adaperuit, nunc ex opposito à linguarum multiplicitate ad saniorem frugem, morúmque integritatem redire deberent homines, & in unum coalescere cœtum, quo fierent cor unum, & anima una; & linguæ assuetæ garrulitati; tandem cœlesti edoctæ spiritu discerent, vel tantùm cœlestia loqui, vel non ampliùs garrire, sed silentio lubricitatem sibi innatam coërcere. Quis linguas illas igneas è cœlo delapsas non dixerit verè flexanimas, imò & animas ipsas, cùm emortuum illud, abjectúmque inter gentes superstitionis cadaver novo veræ vitæ spiritu animârint: & certè Ecclesia, quæ in terris erat recèns construenda, ut Magistra esset omnium gentium, non alia decuit animâ informari, quàm linguâ, quâ ad vitam æternam gentes aptiùs instruerentur.

31. Sed cur pluvius iste de cœlo imber igneus missilium linguarum insueto, innocentíque prodigio placidè fulminat? an quia fulmen amoris linguâ amabiles facilè flammas ad cor nititur jaculari, quò cœlesti duntaxat discat exardescere amore? An ut cor suum erga nos profusum, ac calorem prodigus amor explicaret, ardentibus est usus linguis, quibus dilucidiùs nos ad redamandũ erudiret? An igneas voluit, flammantésque linguas adhibere, quarum splendore cæcas è mentibus hominum superstitionis caligines excuteret? simúlque verum ad salutem iter edoceret linguâ, & præsignaret ignis splendore? Divini siquidem verbi munus nonnisi cœlestes sunt linguæ, quæ ab omni garrulitate alienæ in sonum duntaxat erumpunt, quo ad cœlestia vocant. Suum visus est Deus explicuisse hominibus amorem, cùm non una duntaxat usus est lingua, sed in plures dispertitus voluit totus vocalis esse, quò & attentiùs audiretur ab hominibus, & ferventiùs amaretur. Quòd si in prima mundi molitione omnipotentis Conditoris dexteræ cœlestes ignes solem, lunam, & stellas elaboravit, quibus cœlum ipsum tot linguis eloquens, quot syderibus splendens gloriam ardentiùs sapientissimi sui artificis enarraret; mox Spiritus Domini non ampliùs, ut in mundi primordiis super aquas ferebatur; sed dispertitus in igneas flammas ardentes terris adjecit linguas, quibus non solùm cœlum, sed & terra sui pariter conditoris gloriam deprædicaret. Cecidit verò è summo cœlo in ima terrarum pluvia hæc ignea missilium linguarum, quibus imbribus gratiarum terra vepribus, sentibúsq; producendis assueta irrigaretur, & viretis, floribusque virtutũ tandem inciperet exornari, ut homines in ea ad enarrandam Dei gloriam, suas solverent linguas cœlesti igne à vitio defœcatas garrulitatis.

32. Sed quid quòd delitescentem in caula Bethlemitica humani generis Reparatorem una duntaxat splendens insueta coruscatione stellæ, seu flammea cœli lingua deprædicaverit; cùm è terris, imò è cruce, eundem cœlo receptum innumera propemodum sydera loquentes imitata linguas commendent? An quia vagientis Dei enuntiandæ infantiæ par fuit unicum duntaxt cœli sydus, eò quia quasi puderet cœlum natum in terris prodere suum Conditorem, ejúsque pauperiem, vagitus, & lachrymas hominibus nuntiare? cujus nunc triumphum, ut jactet, totum gestit in linguas pertiri; quò inde discamus, profusiores esse in alienis laudibus recensendis; quàm miseriis, ærumnísque sine solatio, imò & cum incremento alienæ miseriæ propalandis. Ecce quomodo per linguas igneas è cœlo pluvias nostræ fuerunt in terris linguæ expurgatæ, ut nostra felicitas cumulatiùs splenderet completa: *exemptum est lingua nostra venenum*, ait Tertullianus, quia cœlestis ignis eas edocuit cœlestia tantùm sapere, & eloqui. *Lib. de patient. cap. 4.*

40. Utinam hoc igne purgarentur nostrorum hominum linguæ! non ita insanirent neque in alienam famam sævirent. Grave oris vitium est spumam emittere, & eos, quos spumans alloquitur, veluti pluvia minutatim rorante inspergere, ut adstantes non solùm auribus loquentem audiant, sed & facie spumantem sentiant, fœdâ scilicet rigati aspersione despumantis oris: hoc laborat vitio, qui contra Monitorem obmurmurat, cujusmodi fuit vinitor, qui hac oris fœda spuma Patremfamilias inundavit, cùm dixit: *Hi novissimi unâ horâ fecerunt, & pares illos nobis fecisti, qui portavimus pondus diei & æstus?* *Matth. 20.* imò nec ille solus hac spumea oris fœditate patremfamilias inundavit, sed socios habuit æquè fremebundos ob illiberale, ut ipsis videbatur, diarium, quos D. Matthæus describens ait: *Et accipientes murmurabant adversus patremfamilias arbitrati quòd plus essent accepturi.* Non erant procul dubio eorum linguæ defœcatæ, cùm rem fœdam spumam in patremfamilias jecerint, fœdi sanè fuerunt spumatores, qui tametsi linguâ prompti essent, adhuc manu cæteris erant tardiores.

41. Sed hæc imprudens garrulitas promeritas etiam dat pœnas; Core, Dathan, & Abiron

Abiron ex hebræa plebe Principes cum aliis ducentis quinquaginta vocati à Moyſe obmurmurantes aiunt : *Non venimus, numquid* (Num cap. 16.) *parum eſt tibi, quòd eduxiſti nos è terra, quæ lacte, & melle manabat, ut occideres in deſerto, niſi & dominatus fueris noſtri? revera induxiſti nos in terram, quæ fluit rivis lactis, & mellis, & dediſti nobis poſſeſſiones agrorum, & vinearum, an & oculos noſtros vis eruere? Non venimus.* Hæc petulanter fuerunt contra Moyſem oblocuti, ſed quia linguæ lubricitatem non coërcuère, pœnas unà cum uxoribus, liberis, totáque familia, & univerſis aſſeclis luerunt improbæ garrulitatis; ſiquidem tellus ipſa horrendo fragore repentè contremuit, & fluctuante ejus ſuperficie, perinde ac pelagus vento exundans univerſum populum terruit; móxque inſolenti ſonitu eliſo, ex qua parte ſeditioſi eam indigno pede calcabant dehiſcens ſolum ſubſidit, & lato hiatu veluti aperto ore omnes (Num cap. 16.) ſtatim obmurmurantes abſorbuit, priùs ſepultos, quàm interemptos. *Deſcenderúntque viri in infernum operti humo, & perierunt de medio multitudinis,* ſublatis oblocutoribus in Moyſem ſuum iterum terra hiatum clauſit, nullo ſuperſtite ejus veſtigio. Hæ ſunt pœnæ, quas dant, qui nullum linguæ lubricitati frœnum injiciunt; hæc ſunt ſupplicia, quæ linguas ſequuntur oblocutrices; hic finis eſt obmurmurantis factionis, cujus ſupplicium deſcribens D. Ambroſius (Lib. 10. Epiſt. 82.) ait : *Immugiens terra in medio plebis ſcinditur, aperitur in profundum ſinus, abripiuntur noxij, & ita ab omnibus mundi hujus ablegantur elementis, ut nec aërem hauſtu, nec cœlum viſu, nec mare tactu, nec terram contaminarent ſepulchro.* Verùm licèt ceſſaverit ſupplicium, non tamen finis fuit malitiæ impoſitus, hæc enim dum geruntur, novum inſurgit murmur in populo contra geminos (Num. cap. 16.) fratres Moyſen, & Aaron : *Murmuravit autem omnis multitudo filiorum Iſrael ſequenti die contra Moyſen, & Aaron,* quàm iniqua, & proterva inolevit malitia hominum? cum eo tempore, quo obloquentes argumentum fiunt divinæ vindictæ; adhuc alii, nullo pœnarum timore coërciti plura effutiunt nequiora? & dum fur è patibulo pendet, alii deprehenduntur in ſimili crimine delinquentes, ac pari puniendi ſupplicio? Judæi contumaciùs cœperunt obmurmurare, cùm oblocutores viderint inſolenti exundantis telluris hiatu abſorberi, ſed vox itidem (Numer. 16.) ſupernè ruit horribilis : *Etiam nunc delebo eos:* ſed ſi tam ſeverè linguæ lubricitas puniri meruit, ſit obmurmurantium pœna noſtra inſtructio, ut diſcamus frœnum taciturnitatis linguæ injicere lubricitati, quâ præcipites trahuntur oblocutores ad exitium; appoſitè S. Chryſoſtomus maſcula eloquentiæ (Tom 4. hom. 8 Epiſt. ad Philip.) ait : *Vides, quòd eos erudiat, ne murmurent? eſt enim ſervorum improborum & inſenſatorum obmurmurare; meliùs fuerit nihil operari, quàm cum murmuratione, nam & quod factum eſt, perit. An non vides, quod & in ædibus noſtris iſta perpetuò diſcimus: nempe ſatius eſſet hæc non fieri, quàm murmurando fieri. Et ſæpe malumus miniſterio privari, quàm murmurantem ſuſtinere. Gravis enim, gravis inquam eſt murmurator, & vicinus blaſphemiæ; alioquin cujus gratiâ tantum illi ſupplicij dederunt; ingratitudo eſt res iſta; qui murmurat, ingratus eſt Deo, qui autem Deo ingratus eſt, blaſphemus quoque eſt.*

Imò ad eam plerumque devenit linguæ lubricitas audaciam, ut etiam adverſus 42. Deum ipſum obmurmuret: in cœno volutamur, & cœlo leges dicere præſumimus, conquerimur enim ſi ſol nimium urat, ſi frigus rigeat, ſi aër nubibus ſit fœdus, pluviæ diuturnæ elabantur : & nubibus excuſſis iterum lamentamur, quòd aëris diuturna ſerenitas ſiccitatem terræ invehat, quâ areſcunt olera, non creſcunt ſegetes: queritmur, ſi æquora trajicientes Euri, Notique violentiùs flantes marinos diverberent fluctus, navímque exagitent in diſcrimen navigantiũ; mox ſi quieſcant venti, ſuáq; gaudeat mare malacia, iterum querimur eò quia parum, vel nihil itineris per fluxas ſemitas navis conficiat, nullo urgente vento, nec implente, quæ è malis extenſa pendent carbaſa: eſt ſemper lingua querula, quia ejus non valemus lubricitatem compeſcere, nunc cœlo, nunc terræ, mox mari, & modò aëri, imò & creaturis ſingulis jugiter iraſcimur; illi ut ſua poſſint itinera inſtituere cœli exoptant ſerenitatem, quam non obtinentes, pluviis cœlo jugiter delabentibus iraſcuntur; alii, quia ſegetes non creſcunt, & tellus areſcens per frequentes rimarum hiatus ſemina ſibi concredita lædit, iraſcuntur ſoli, quia ſuis radiis ſiccitatem inducat, ſitque impedimento, ne ſegetes vegetiores adoleſcant: & quia varia ſunt hominum inſtituta, contraria negotia, ideo propemodum contradictoria ſimul exoptant; nec linguæ lubricitatem compeſcentes, ſemper muſſitant, conqueruntúrque ob excitatas in mare procellas; ob aëris, vel diuturnam ſerenitatem, vel ob continuatas pluvias. Huc accerſendus eſt Salvianus : *Sine murmure,* ait, *& querela,* (Lib. 6. de gubernat. D...) *nos Deus eſſe præcepit. Quando autem hæc in humano genere non fuerunt? ſi æſtus eſt, de ariditate cauſamur; ſi pluvia, de inundatione conquerimur; ſi infæcundior annus eſt, accuſamus ſterilitatem; ſi fæcundior vilitatem. Adipiſci abundantiam cupimus; eandem adepti accuſamus: quid dici hac de re improbius, quid contumelioſius poteſt? Etiam de Dei miſericordia querimur, quia tribuit, quod rogamus.*

Imo adeò ſunt homines ob linguæ lubricitatem ad obloquendum proni, ut vel 43. cum beneficiis cumulantur obmurmurare minimè deſiſtant. Quibus non affecit Deus Judæos beneficiis? quibus non fuit eos favoribus proſecutus? & tamen tam amicè, & hu-

& humaniter eos Deus tractare non potuit, quin semper obmurmurarent Exod. 14. *Forsitan non erant sepulchra in Ægypto; ideo tulisti nos, ut moreremur in solitudine:* Exod. cap. 15. *Quid bibemus? & murmurabat omnis congregatio filiorum Israël contra Moysen, & Aaron, dixeruntque utinam mortui essemus per manum Domini in terra Ægypti, quando sedebamus super ollas carnium, & comedebamus panem in saturitate: cur induxistis nos in desertum istud, ut occideretis omnem multitudinem fame?* Et quia in coërcendo linguæ pruritu nullum adhibuerunt studium, quin ejus potiùs indulsêre lubricitati, vix sedato uno populi fremitu, alius oriebatur prioribus turbulentior; adeo ut populus petulantiùs confusis audiretur iterum clamoribus vociferari Num. cap. 11. *Quis dabit nobis ad vescendum carnes? recordamur piscium, quos comedebamus, in Ægypto gratis, in mentem nobis veniunt cucumeres, & pepones, porrique, & cepa, & allia. Anima nostra arida est, nihil aliud respiciunt oculi nostri nisi Man:* hisce perpetuis querelis pulsabat populus aures Moysis, & Aaron, quos & acriter urgebat, conquerebatúrque deesse modò panem, nunc aquam, aliàs carnes, nec unquam ei occasio defuit obmurmurandi contra Deum, & Moysen, unde Augustinus ait: de nulla re alia fuisse Deum magis à populo Judaico offensum, quàm de querelâ, & murmure.

Neque hæc ingrati populi murmura DEUS dissimulavit, nec impunita reliquit, cùm ob hujus oblocutionis culpam, cùm putarentur Judæi fuisse trigesies centena millia, nemo ex tanto numero in terras penetravit uberes, nisi Caleb, & Josuë, cùm reliquos omnes his duobus exceptis eremus hauserit, amplúmque fuerit omnium sepulchrum: etenim ob juges querelas, & murmura extremam castrorum partem devoravit ignis, & serpentes flammei ob sola murmura stultè obloquentes dilacerârunt; nec secus oblocutores, ac infames latrones candenti ferro, ignita fuerunt torti forcipe: siquidem igniti colubri, veluti carnifices in reos immissi, quos linguis, morsibúsque lacerârunt, ubique funesta impresserunt cædium vestigia; adeo ut linguæ pruritus, quia nullo tacitur-nitatis frœno coërcitus, cuncta funestaverit, pœnas luerit; neque immunis à supplicio fuit Maria Soror Moysis, quamvis & ipsa vaticiniis, & miraculis clara; cùm enim nonnihil obstrepere ausa fuerit, gravi supplicio linguæ lubricitatem luit, tametsi haud immodicè linguam solverit, cùm tantùm fratrē suum ob Æthiopissam conjugem præstrinxerit inquiens: *Num per solum Moysem locutus est Dominus?* Ob enim hanc querelam vocem cœlestis Nemesis eam etiam pulsavit: *Et ecce Maria apparuit, leprâ candens, quasi nix. Clamavitque Moyses ad Dominum dicens, Deus obsecro sana eam, cui respondit Dominus: si pater ejus spuisset in faciem illius non ne debuerat saltem septem diebus rubore suffundi? separetur septem diebus extra castra, & postea revocabitur. Exclusa est itáque Maria extra castra septem diebus: & populus non est motus de loco illo, donec revocata est Maria.* Ecce quàm prolixam malorum catenam secum trahit lingua nullo coërcita frœno, sed suæ indulgens lubricitati! tametsi dentibus careat lethaliùs tamen mordet.

Exod. 14. — Num. cap. 11. — Num. cap. 12. — Num. cap. 12.

## §. V.

### *Lingua licèt edentula alios assueta mordere, nisi coërceatur in obvios quosque sævit.*

Refert Eustachius Homeri Interpres, apud Cyprios, eam fuisse legem sancitam, quâ si porcus alienas segetes depasceretur, licitum foret fundi possessori dentes eidem obtruncare. Sed lingua mordere assueta alios, non solùm segetes in alieno fundo, sed obvia quæque deterit, proterit, & evertit, & quidem optandum esset, ut lex illa Cypria reviviscerct, quâ innumeris propemodum mordacibus dentes truncarentur: quamvis edentula sit lingua, acriùs tamen mordet, ejúsque morsus non ossa tantùm, sed & ipsas etiam medullas penetrat, hinc conqueritur David, contra mordacem quempiam, qui suis morsibus cæteros non desisterat lacerare inquiens: *Tota die cogitavit injustitias lingua tua: sicut novacula acuta fecisti dolum:* quid quod officium mentis Regius Vates linguæ attribuit? An non cogitare injustitias munus est mentis, & non dentis, ac linguæ functio? an lingua mentis naturam induit, quâ cogitet; & mens linguæ fungitur vice, ut loquatur? appositè tamen dicitur lingua injustitias cogitare; quia lingua mordax euro citiùs fertur in eum, cui morsum infligit, & in hoc velocitatem videtur mentis imitari: proprium est mentis suis cogitationibus per omnes terrarum, marium, aëris, & cœli tractus vagari, ac incredibili discurrere celeritate; è caligine siquidem rerum fluxatum cœlorum penetralia pervadit; mentes ab omni conjunctione materiæ defœcatas perlustrat, & usque ad ipsum primum universorum satorem contendit, cujus majestatis perculsa radiis, veluti temulenta efficitur: peri pacto linguæ mordaces perinde ac mentis cogitationes mira celeritate discurrunt, moventúrque, ut dissiti suos statim morsus sentiant: vix lingua os pandit, & jam morsum, vulnúsque inflixit alteri. 44. Psalm. 51.

Verùm hæc divinæ Nemesis æquissima est trutina, ut qui alteri suos dat gustandos dentes; alterius & ipse dentes sentiet; & qui mordet, mordeatur, quod innuit Abacuch: *Nunquid repente consurgent, qui mordeant te, & suscitabuntur lacerantes te, & eris in rapinam eis?* Hisce tamen morsibus curandis sum Regius vates adaptat alexipharmacum, quale neque Esculapius, nec Apollo suggessisset: ait David Psal. 119. *Quid detur tibi, aut quid apponatur tibi ad linguam dolosam?* loqui- 45. Cap. 2. Psal. 119.

loquitur tanquam medicus, qui ægroti inspicit, explorátque linguam oculis, & tactu, num ea adusta sit, vel scabra, aut vitiato lentore glutinosa, conjiciens ex hisce signis qualitatem morbi intus stabulantis, & interna viscera corrumpentis: *Quid detur tibi, aut quid apponatur tibi?* & respondet David *sagitta potentis acuta*, nimirum ad mordaces linguas inflictis vulneribus puniendas; qui enim mordacem suam nescit linguam coërcere, alii etiam in ipsum linguas suas, perinde ac sagittas exacuunt; & quæ lingua mordax vulnera infligit aliis, ab iisdem in ipsam hæc eadem retorquentur; ut quod mordax aliis fecerit, hoc ab aliis, & ipse sibi experiatur fieri: hisce sagittis utitur Deus, ut promeritas luat pœnas, quæ mordere non desuescit lingua; & sicut lingua mordax alios dilacerat venenatis suis morsibus; ita suas etiã funestas spargit cædes.

46\. *Tom. 2. collect. precept. 5.* Refert Manlius Heidelbergæ in inferiori Palatinatu convivium socialiter à pluribus concivibus fuisse ad lautitiem institutum, cujus fercula convivæ choræis, saltibus, ac facetiis condierant; non minus vino Necarico, ac Rhenano linguæ madidæ indulgebant lubricitati; cúmque esset ex convivis quispiam cæteris mordacior ex adstantibus socium acriùs momordit; hícque morsum sentiens, cùm dolorem nec artificiosè eludere valuerit, neque dissimulatione sopire, impatientiâ victus surrexit è mensa, abiit è convivio, ultionem potiùs ut coqueret in pectore, quàm ingesta fercula digereret in stomacho: id autem in via consilii intra se cœpit, quo certo in loco abdito, per quem mordax erat transiturus stricto eum gladio, vel pulsare posset, vel in fugam compellere, ut nimirum esset, quod cæteri socii in eo riderent. Neque occasio hominem fefellit, illac post unam, vel alteram horam pertransivit mordax, in quem statim alter ex insidiis erumpens districto gladio irruit: sed nec iste cessit, utpote vino immodico madidus, & toto pectore incalescens; non enim terga dedit fugæ, sed firmo stetit pede vim vi repulsurus. Hinc insidiator majori conatu in hostem surrexit, cujus etiam poplitem adeò graviter læsit, ut ex inflicto vulnere paucis post diebus animam etiam exhalaverit. Hæ igitur cruentæ clades, ex linguæ profluunt lubricitate, cui si frœnum non injiciatur taciturnitatis, singula funestat, fœdátque cruore.

47\. Non solùm corpus, verùm & ipsum honorem, famámque lædit; denigrat enim per detractionem alienum splendorem, quod perinde est, ac occultè absentem ferire; est siquidem *2.2.q.73.a.1.* detractio, ut docet D. Thomas, *Denigratio alienæ famæ per verba occulta*, dupliciter enim potest lingua alios lædere, apertè scilicet per contumeliam, quâ præsens læditur; & occultè per detractionem, quâ absens dilaceratur, & alienus splendor obscuratur: cùm enim per detractionem bona æstimatio alterius adimatur, aut imminuatur, nulli dubium; quin eiusdem semper detrahatur famæ, honori, ac probæ æstimationi. Est autem detractionis mater tumens superbia, eò quia nolit detractor alios sibi æquari; vel invidia quando aliena lucra sua existimat damna, quo fit, ut invidus felicibus aliorum successibus ægrescat. Oritur etiam plerumque detractio ex insolita prava maledicendi consuetudine, sunt enim ex hominibus aliqui adeò assueti detractionibus; ut nunquam meliùs loqui scire videantur, quàm cùm malè de aliis obloquuntur. Neque credas, detractores cæcitate laborare; oculatissimi sunt, ut trabem in festuca, elephantem in culice, alpes in verruca videant, & sibi somniata alterius innectant vertici, quo cæteris fiant perspicua.

Sunt etiam, qui vitium detractionis, ejúsque turpitudinem zeli pallio adnituntur obtegere, & tunc quod virtutis in extima facie videtur speciem præseferre, intus truculentissimum est larvatum vitium, quod adulterinis coloribus alienum decolorat nitorem: & 41.
qui sub hac zeli specie alteri detrahit sub sermonis initio vultum studet ad gravitatem componere, modestiam affectat sermonis, oculorum intuitus in humum dejicit; gemitus, & suspiria ex intimo corde ad extima oris labia evocat; verba profert seria suspiriis interrupta, & per varias ambages, ac dolosos anfractus incipit nocitura effutire, ac tortuosa verborum circuitione venena spargere, & alienum corrumpere honorem, famam lædere, probámque denigrare æstimationem: doleo ex intimiori corde ait, quòd audierim à pluribus, hominem illum lapsum in tale scelus, séque tali vitiosa fœditate turpitudine; cum credidissem virtutum studio unicè addictum, & nunc deprehendo, eum fœdioribus indulgere vitiis, quod audire est mihi pergrave, & summè doleo, cùm aliàs vir sit probæ indolis, fidúsque amicus: & mihi summè displicet; quòd patrata ab ipso peccata audierim à viris probis, dignisque fide, ut non possim scelera excusare: & quò plus videtur zelè ostendere, ac displicentiæ, eò sæviùs, acriúsque in ipsum invehit, ejúsque honori detrahit, & quidem eò nocentiùs, quò detractio talibus vestitur verbis, ut credita videatur facilior, ut scitè observat D. Bernardus *in cantic.* inquiens: *Sunt species pestis hujus, dum alij quidem nudè, atque irreverenter, ut in buccam venerit, virus evomunt detractionis, Alij autem quodam simulata verecundia fuco conceptam malitiam, quam retinere non possunt adumbrare conantur. Videas præmitti alta suspiria, sicque quadam cum gravitate, & tarditate, vultu mœsto, demissis superciliis, voce plangenti egredi maledictionem, & quidem tanto persuasibiliorem, quanto creditur ab his, qui audiunt corde invito, & magis condolentis affectu, quàm malitiosè afferri: doleo inquit vehementer pro eo, quòd diligo eum satis, & nunquam potui de hac re eum corrigere, & alius mihi quidem ait, bene compertum fuerat de illo istud, sed per me nunquam innotuisset: at quoniam per alterum patefacta res est, veritatem negare non possum.* Sed D. Bernardus *Serm. 24 in can.*

ardus

ardùs graviter larvam detractori detrahit, dum in ejus lingua, ait, sessitare cacodæmonem, ait ipse in sermonibus: *Detractor & libens auditor uterque diabolum portat in lingua*, & uterque ab eodem rapitur, trahitúrque in gehennam.

49. 1. Pet. 5. Imò qui detrahit, haud ab officio abludit Dœmonis, hic enim: *tanquam Leo rugiens circuit, quærens quem devoret*; ita etiam detractor, si non rugit, saltem obmurmurat, circuitque, quos suo veneno inficiat, & omnia videtur permeare, lustrare, ansas quæsiturus aliis detrehendi famam, & honorem: nullus est in sylvis venator, qui diligentiùs recessus illos sylvestres circumeat, feram quæsiturus, quam vulneret, & interimat; nullus in castris est urbis obsessor, qui tanto ardore, impetúque irruat per dejecti muri ruinas urbem occupaturus, sicut detractor circuit quæsiturus, quem linguâ lædat; hinc David: *In circuitu impij ambulant*; (Psal. 11.) quia nimirum detractores semper circumeunt, in orbem eunt, redeúntque centies rumusculum audituri, vel aliquem deprehensuri in loco suspicione non vacuo, quem evulgent delinquentem; & per somniatas auxeses scelus ampliare student, quod patratum non fuit. Quàm impij sunt, qui in circuitu ambulant, totam pererrant urbem, alienos aucupaturi errores; in plateis, vicis, compitis, locisque omnibus de singulis percunctantes; de curia in curiam, de æcetetio in æceterium, noctu, & interdiu musitantes, circumferuntur, omnes perlustrantes angulos, ut alienas congerant fœditates, & scarabeorum instar nunc illis, nunc istis insident excrementis ad sui incrementum: & non ut apes ad flores avolant, sed ut nigerrimi corvi cadaveribus insident. Centoculos eos dixeris, centúmque instructos auribus, centum, & naribus; ut omnia videant, audiant, olfaciant: veluti ardeliones curiositate simùl, & malignitate ducti, simpliciores, minúsque suspicaces discutiunt, & excutiunt, & singulas aliorum actiones depravant, deturpántque linguæ veneno; & de hac lingua appositè D. Bernardus ait: (Serm. de triplici custod.) *Nunquid non vipera est lingua ista? ferocissima planè, quæ tam lethaliter inficit.*

50. Est lingua veluti telum trisolcum cùm tres uno ictu interimat; scilicet detractorem, detractoris auditorem, & eum cui detrahitur, hoc tamen discrimine, quia ille in quem detractio fertur leviori confodiatur vulnere, cum non mejus possit dispendium facere, quàm solius famæ, quæ bonum est, nobis extrinsecum, & adscititium: detractor verò, & detractoris auditor animæ patiuntur detrimentum; & quidem maximum; quia detractor sibimet plurimum nocet, in cujus caput persæpe lapis recidit, quem in alterius jecerat perniciem: graviùs etiam detractio nocet aures detractioni danti, quia is per aures venenum haurit, quo ad necem inficitur animæ; hinc D. Bernardus ait: *Nunquid non lancea est lingua ista? profectò acutissima, ut quæ tres penetres ictu uno:* (Serm. de tripl. custod.) est Joabi triplex spiculum, quo Absolonem è sublimi quercu pendulum incursans confodit, ac interemit. Vulnera hæc lethalia is declinat, qui detrahentes fugit; & detractiones quovis veneno deteriores odit; ut monet Salomon inquiens: *Remove à te os pravum, & detrahentium labia procul sint à te.* (Proverb. 4.) Est detractor fure deterior, & delictum detractionis furto longè gravius; tanto enim culpa est gravior, quanto majore bono privat iniquè; & cum majus sit bonum famæ, probæque æstimationis, quàm divitiarum, ut ait Salomon: *melius est nomen bonum, quàm divitiæ multæ*; (Prov. 22.) sequitur, detractionem furto deterius esse scelus: imò gravius homicidio esse videtur crimen detractio; quò enim est crimen gravius eò acriori plectitur pœna: detractio autem non semel graviùs à Deo punitur, quàm homicidium.

Moyses in Ægypto degens hominem sibi obvientem enecavit: *Percussum Ægyptium abscondit sabulo*: 51. Exod. 2. Cúmque verò fugisset in desertum; ibi in populi Principem deligitur, & Dei nuntius delegatur: *Veni mittam te ad Pharaonem, ut educas populum meum:* (Exod. 3.) tametsi homicidii scelere reus esset, non tamen id ei obstet, quin ad principatûs supremum evehatur fastigium; eligatúrque populi princeps: cúmque in arescente eremo silicem bis virgâ percussisset, & indignebundus populum vocâsset incredulum, ac Numini rebellem: *Audite rebelles, & increduli: num de petra hac vobis aquam poterimus elicere?* (Numer. 20.) Quidni hujus in populum invectionis appendix muneris fuit interdictio, exclusio à principatu: *Non introducetis hos populos in terram quam dabo eis*: quia Moyses in deserto fuit contra populum obloquutus populi destituitur præfecturâ, dejicitur in pœnam non coërcitæ linguæ è principatûs fastigio.

In Ægypto autem post patratum homicidium princeps inauguretur populi; in ducem salutatur totius Israelis: cum igitur graviorem luat pœnam linguæ lubricitas, quàm manûs armatæ irruens impetus in necem alterius; nulli dubium, quin graviùs nonnunquam peccet lingua, quàm manus; illa enim in pœnam patrati sceleris Moysem detrusit è fastigio principatûs; cùm hæc minimè fuerit illi impedimento, quin in principem eligeretur populi: in Ægypto Moyses homicida ad fastigium effertur principatûs; in deserto oblocutor, è culmine detruditur dignitatis: in Ægypto exarsit in hominem; in eremo excanduit in honorem populi; ideóque videtur graviùs famam læsisse, quàm vitam homini abstulisse: huc accersendus S. Ephrem inquiens: *Plurimis licèt signis claruisset Moyses, ubi tamen modicè linguâ lapsus est, è terra promissionis excidit. Magnum, & horrendum mare ei viam præcludere non potuit; sed verbum unicum iniquè ab eo prolatum, velut murus aliquis ipsi obstitit, ne ulterius* (De malo linguæ.)

*progredi posset.* Tolerabilius videtur ferro manûs dilacerari, quàm linguæ contumeliis sauciari; graviùs lædit, ac lethaliùs ferit obtusa lingua; quàm peracutus gladius, ferienti Moysi manu eremus tutum exhibuit asylum; sed lædenti linguâ populi honorem desertum justæ mulctationis inflictum est tormentum.

## §. VI.

### *Graviùs lædit lingua suâ lubricitate, quàm manus armata irascentis animi severitate.*

52. GRaviùs punitur procacis linguæ lubricitas, quàm intentata manûs cædes cruenta. David accersendus est hujus inconcussæ veritatis testis eximius; pluribus fuerat ipse Saulem beneficiis prosecutus; quæ tamen regis inflexilem duritiem magis ad iram excitârunt, quàm ad gratiam, ac benevolentiam valuerint emollire: dixisses collata à Davide Sauli beneficia chalibis in silicem ictus, ac vulnera fuisse ad scintillas excutiendas accensæ indignationis: Saul igitur irâ percitus inextinguibili, ut mederetur odio, extinguere Davidem, ac è vivis delere adnititur; pravùmque suum executurus consilium, hastam in Davidem, quem præsentem senserat ejaculator: *Tenebat Saul Lanceam, & misit eam putans, quòd configere posset David cum pariete.* 1. Reg. c. 18. David verò impuro spiritui abigendo assuetus lyræ modulamine non solùm vibratæ lanceæ declinat impetum; sed & gehennalem debacchantis Saulis demulcere furiam studet; verùm id perinde fuit ac retibus expansis volatiles expiscari ventos; inde adigitur errare per montium declivia, sylvarùmque opacatos recessus; ubi Nominis providentia Saulem persequentem Davidi tradidit fugienti, qui tamen maluit osori parcere, quàm ejus sanguine innocuas fœdare manus: *nolui extendere manum meam in te.* 1. Reg. c. 24.

53. Non ita tamen clementer se David gessit cum per ministros Nabali supplicavit, ut annonam vellet servis suis suppeditare, eò quia ob caritatem rei frumentariæ in regione illa fame premerentur: Nabal enim vir rudis, & agrestis non solùm petita denegavit; verùm & verbis asperioribus eos abegit: tunc David jussit servos suos armis muniri, & veluti propriam oblitus mansuetudinem in Nabalem totam famulitii cohortem armavit: *accingatur unusquisque gladio suo.* 1. Reg. 25. Quid? quòd David in Nabalem esculenta ad famem propulsandam suis denegantem servis, tam severè invehat? Quid? quòd in Nabalem ob negatum cibum veluti excandescat, totus irâ accendatur David ad vindictam; cum Sauli telum intorquenti, & ad internecionem vibranti ultro pepercerit? David ne sanguinem persequentis Saulis in specu funderet ubi citra ullum discrimen potuisset eum occidere, manum coërcuit; quam tamen armavit in Nabalem: *Hæc faciat DEUS inimicis David, & hæc addat si reliquero de omnibus, quæ ad ipsum pertinent, usque mane mingentem ad parietem.* 1. Reg. 25. David exardens iracundiâ in Nabalem cuncta, quæ ad ipsum pertinent perdere molitur; cum è Saulis chlamide frustulum in specu abstulisse ingemuerit dolens. Cur igitur Nabalem ad necem persequitur, ex eo tantùm quia esculenta, & poculenta denegaverit; & Sauli ultrò parcit cum ad necem Davidem insequeretur? an quia Saul regia fulgeret indutus purpurâ? ac dignitatis emicaret fastigio? soleántque propterea crimina Magnatum promptiùs dissimulari, quàm puniri? cum leviora in abjectis hominibus scelera tota plectantur rigoris severitate? Saul in Davidis vitam furit, insanitque ad eum perdendum; & tamen David graviter offensus ob telum in se intortum Sauli parcit, quem in spelunca commodè poterat occidere: furit verò in Nabalem, eò quia victualia denegaverit. Quid causæ hujus discriminis? certè non alia fuit causa, quàm quæ affertur à sacro texto; fuit enim causa tantæ indignationis linguæ lubricitas, quâ Nabal contra Davidem fuerat oblocutus: eùmque habuit contemptui verbis minùs propriis, & quæ honorem Davidis læderent, *Respondens autem Nabal pueris David ait: quis est David, & quis est filius Isai? hodie increbuerunt servi, qui fugiunt Dominos suos,* 1. Reg. cap. 25. v. 10. quasi diceret, an non David prædonum, ac jura infringentium fautor Rempublicam turbat, & omnia perversis inquietat motibus, cùm velit à me exigere victualia? ideóque graviùs se læsum sensit David ab obloquente Nabalis linguâ, quàm à Saulis intorto telo: propterea huic necem molienti facilè indulsit; cùm Nabali obloquenti, ac probra jacienti non pepercerit; quasi leviori pœnâ esset puniendus Saul telo necem intentans adferre, quàm Nabal linguæ adnitens procaci lubricitate famam obscurare Davidis: quia lethalius est linguæ obloquentis inflictum honori vulnus, quàm intorti teli cædes cruenta: & revera sanatu difficiliora sunt vulnera, quæ lingua infligit obtusa, quàm quæ gladius ingerit peracutus; & faciliùs manus ad homicidium prona eruditur, quàm lubricitas linguæ obloquentis coërceatur, ut monet Siracides Eccles. *Homo assuetus in verbis improperij in omnibus diebus suis non erudietur:* Cap. 23. quamvis alterius honori detrahat obloquutor, nunquam tamen se detractorem esse fatetur, & quia se ægrotare nescit; neque morbo, quo laborat, pharmacum adhibet; ideo difficulter curantur vulnera, quæ à lingua infliguntur obtusa: vulnus enim linguæ lubricitate inflictum manu dette-

detrectat medicas admittere: & quamvis oleo delinitum, linteisque obligatum videatur; adhuc tamen plerúmque manet superstes fœda cicatrix: idque causæ, cur adulator Alexandri Macedonis dicere consueverit, acriùs linguæ convicije esse hostem petendum, quàm gladio vulnerandum; quia tametsi linguæ vulnera videantur curari, fœdæ tamen remanent semper cicatrices; sintque propterea deletu veluti impossibilia, quæ linguæ vulnera vestigie relinquunt: hinc prædones, quamvis sciant esse prædam restituendam, audacter tamen eidem inhiant, ea spe illecti, quòd tametsi sint eam restituturi, non tamen totam, supersitque propterea semper aliquid ex ea, quod ipsis prosit.

54. Si semel pravâ aliquâ sit animus opione imbutus, adeò tenaciter eidem adhæret, quamvis falsæ, ut vix tota obliteretur, aliquod semper manet superstes sui vestigium. Clavus mallei repetito percussu facilè in tabulatum adigitur; quem tamen, si velis ex assere iterum extrahere, nulla vi id efficies citra asseris dilaceratinnem: perversa de proximo opinio leni susurru, pauculis verbis facilè intruditur: sed quam perversam semel auditor opinionem ebibit, ægrè dimittit, & quam semel animo impressit speciem, difficulter obliterat: quamvis qui ex linguæ peccaverit lubricitate millies repetat; fateor perperam de meo sui proximo locutus, à vero totaliter aberravi: & tantùm qusdam tunc percitus irâ mendacia illa effutivi, & verba protuli à depravato potiùs affectu dictata, quàm à sana mente derivata; quòd inconsideratè enarravi; id me invidia compulit dicere: & quamvis sexcenties protestetur, se mentitum fuisse: altiùs tamen semper prava de proximo opinio hæret animo, cui semel impressa fuerat, quàm ut ea radicitùs convelli possit: sintqoe propterea curatu difficillima, quæ lingua licèt obtusa sua infligit lubricitate vulnera.

55. Contra serpentis ictus licèt venenatos præsentissimum alexipharmacum est serpentie pulvis, & ab eodem fonte, ex quo vulnue exilit, etiam medela scaturit: scorpionis morsu ictue oleo si liniatur scorpionis curatur, & aliditus ingestum morsu venenum: contre rabidi canis dentee mordentes, pili adhibentur ejusdem canis, & quæ fuerunt inflicta vulnera, ac impressa morsu dilaceramenta in discerptis membris curantur, ac pristinæ membra ipsa restituuntur integritati; non ita qui linguâ læduntur obtrectatorie: quamvis lingua sua lubricitate facilè alienum lædat honorem, falsámque imprimat de proximo opinionem: difficulter tamen, & nonnisi valdè imperfectè læsionem invectam pristinæ dat integritati, hinc

Tra. 5. homi. 3. ad popul. post med. Chrysostomus. *Quæ utilitas cum ovibus quidem, & piscibus abstineamus, fratres verò mordeamus, & comedamus? detrahens fratri fraternas comedit carnes; proximi carnem momordit, propterea, & Paulus terruit, dicens: Si autem vos invicem mordetis, & comeditis: videte, ne ab invicem consummamini*, & paulò infra subdit, *Fugiamus igitur detractiones, sunt enim satanicum baratrum, & insidiarum ejus insessio. Eliminemus omnem ex ore nostro detractionem, scientes, quòd etsi cinerem comedamus, nulla nobis aspera vita hujus rigiditas proderit, nisi detractione abstineamus.* Non credas (tametsi religiosus sit) perfectionis eum attigisse gradum, qui linguæ lubricitati nullum injicit frœnum.

Refert Ruffinus Aquileensis. Viros 56.
duos Religiosoe ex asceterio missos ea de Num. 5.
causa, ut qui per vastam solitudinem incolerent Eremitæ, eos inviserent; cúmque fuissent iter aggressi; ad Anachoretam quendam jam senio confectum se contulêre, à quo comiter in hospitium recepti fuerunt, & ea urbanitate, ac charitate, quâ solent viri ascetæ alios ejusdem conditionis recipere: hinc senex mitigaturus Monachorum molestias, & labores susceptos in itinere ad se factos, suos quàm optimè posset hospites tractare sategit, & quidquid domi reconditum esset, aperto corde, ac explicato sinu elargiri: cúmque comedissent, quidquid potuit senex ipsis apponere, post cœnam solitô lautiusculam, precésque de more fusas, suos, senex Anachoreta hospites Monachos dormitum duxit, & cùm tranquillam, & quietam fuisset ipsis noctem apprecatus clanculum cubiculi januâ modicè seorsim quieturus sedit senex extra cubiculum, cúmque crederet, quòd hospites deberent statim ex contracta in itinere lassitudine somno indulgere, eos audivit inter se liberaliùs garrientes, & linguæ lubricitate lautiunculam illam cœnulam à sene Anachoreta eis instructam carpere: Videte, ajunt inter se se; quomodò isti Eremitæ lautiùs cœnent, quàm corporis sint addicti mortificationibus! cúmque deberent panem cum Davide cinere pœnitentiæ aspersum comedere, optima sibi apparant fercula; quis non seligeret hanc Anachoreticam vitam, cùm sic lautè isti vivant? Audivit hos sermones senex, summéque doluit, quòd viri religiosi pro beneficijs sibi collatis calumniae rependerent, & convicia pretium cœnæ darent; sed tacuit. Manè verò, cùm jam aurora surgeret, iter parârunt hospitee ad alium profecturi Anachoretam; sed abeuntibue senex ille hoc unum commendavit, ut dignarentur suo nomine amicissimum sibi Eremitam illum salutare, & schedam eidem deferre, in qua pauca duntaxat hæc scripsit verba: *Attende tibi, hospites veniunt ad te, sed tu olus ne irriga.* Intellexit alter statim, quid sibi vellet hoc monitum, illúdque impleturne, senique obsecuturus, hospites suos cœnâ parcissimâ excepit, nec aliud eis ferculum apposuit, quàm panem arescentem, & peuxillum salie, cum modico oleo, & scetoz fuit que hæc tota ferculorum series: cúmque

tristes potiùs, & silentes parum comedissent panis, & solâ frigidâ sitis temperâssent æstum, Eremicula statim surrexit, flexísque genibus cœpit gratias de more agere, dein consuetas suas recitare preces, & prolixâ Psalmodiâ egregiè suos defatigare hospites, qui cùm Eremitas visitarent, ut Magistri discipulos, non fuerunt ausi longam illam Psalmorum recitationem interrumpere, ne minùs viderentur orationi addicti: hac eadem cœnandi, & orandi norma Anachoreta suos ad tertium diem, invitos licèt, detinnit hospites, neque dimisisset, nisi illi hospitalitate tam rigida saturi, & esurientes latenter noctu profugissent.

57. Quid ni ad id linguæ lubricitas minimè coërcita adigit etiam religiosos viros, ut convicia, & calumnias reddant pro beneficijs sibi collatis; ex his duobus Eremitis primus religiosos illos ut hospites tractavit ea benevolentia, & charitate, quæ decet viros religiosos; secundus verò à primo monitus, non ut hospites, sed tanquam detra-
Serm. 24. in Cant. ctores eos excepit: appositè D. Bernardus. *Omnis, qui detrahit*, ait, *primùm se ipsum prodit vacuum charitate. Deinde quid aliud detrahendo intendit? nisi ut is, cui detrahit, veniat in odium, vel contemptum ipsis, apud quos detrahit. Ferit ergo charitatem in omnibus, qui alijs detrahit linguâ maledicâ, & quantum in se est, charitatem extinguit.* Adeò declivis, & lapsui prona est linguæ lubricitas, ut facilè præceps in malorum omnium ruat baratrum: nec tartareus hostis alio videtur instrumento uti in hominum perniciem, quàm hac linguæ lubricitate.

58. Bis reperimus serpentinam versutiam bellum indixisse homini; sed non in hominem
Apocal. 12. simplicem, sed in Deum hominem ad perdendum, vorandúmque, bellum movet: *Draco stetit ante mulierem, quæ erat paritura, ut, cùm peperisset, filium ejus devoraret*, quàm inconsulta fuit hæc dœmoniacæ temeritatis audacia, quamvis nocere non posset, adhuc lædere, interficere, & vorare sategit; & ultra potentiæ suæ metas, ut lædat, transilire studiosè contendit; dum tamen perdere innocentem nititur, excidium in propriam trahit perniciem, *projectus est draco ille magnus*: suæ temeritatis daturus pœnas in terram proijcitur, ut humi serperet, quæ tamen pœna haud serpenti videri potuit gravis, assueto jam humi serpere. Secundum quod indixit bellum, non in mulieris partum illud movit, sed in ipsam primam mulierem Evam, quam alloquens captiosis adulationibus fallit, Deum invidentiæ insimulat, eò quia prohibuerit sub pœna interitûs pomi esum. *Ne-*
Genes. 3. *quaquam morte moriemini: scit enim Deus, quòd in quocunque die comederitis ex eo, aperientur oculi vestri, & eritis sicut Dij.* Quamvis hoc bello mortem non fuerit comminatus, mulctatus tamen graviùs serpens fuit, cùm non solùm turpi abreptatione adigitur corpus per humum trahere, ac inter senticeta, vel lutosos tractus pertrahere; verùm etiam cœperit ipse inter animantia execrandus haberi: *Quia fecisti hoc maledictus es inter omnia animantia, & bestias terræ: super pectus tuum gradieris, terram comedes cunctis diebus vitæ tuæ:* sed cor leviùs plectitur, cùm mortem intentat, filiúmque mulieris parientis devorare; & graviùs vapulat, cùm tantùm primæ fœminæ esum suadet pomi vetiti? etenim cùm Deum hominem interimere, & vorare adnititur, hæc ei pœna infligitur: *Projectus est Draco ille magnus, & projectus est in terram:* Cùm verò secundum bellum in fœminam movit, cui persuasit unius duntaxat pomi gustare dulcedinem, graviori mulctatur pœnâ; non solùm proijcitur in terram; verùm & maledictis oneratur, & inter cætera animantia execratur: *Maledictus es inter om-* Genes. 3.
*nia animantia, & bestias terræ:* cur igitur leviori culpæ pœna decernitur gravior, & mulcta acerbior? & delicto longè graviori levior indicitur pœna? Etenim cùm Apocal. 12.
adniteretur Dei hominis vitam deglutire; & fuisset vel in ipso orto aggressus, ut cùm peperisset, filium ejus devoraret, turpi duntaxat mulctatur tunc adrepsione, *projectus est draco ille magnus:* in paradiso autem ideò graviùs punitur, quia linguæ deliquit lubricitate, Deum incusans mendacij, ejus honorem innubilans, quasi invidia Numen corroderet, ne eidem se homines æquarent: graviùs igitur punitur in paradiso, quia lingua sua lubricitate graviùs lædit, quàm Lib. 3. in
manus suo impetu; appositè Rupertus ait: Genes. cap. 3.
*Scit Deus, quia quocunque die comederitis ex eo, aperientur oculi vestri. Hoc utique volebat intelligi, quòd claritatem omnis sapientiæ, divinitatem quoque, & omnium scientiam Deus invidens homini, tale lignum illi interdixerit:* quamvis mortem Dei hominis suspiraverit, minùs tamen tunc punitur, quàm cùm Dei solius liberalitatem diffamavit; quia gravius est crimen linguæ obloquentis, quàm vulnus manûs ferientis.

Idque fortassis causæ, cur Eliphas The- 59.
manites cum Numinis collata in suos beneficia referret, ait: *Salvum faciet egenum à* Job. 5. v.
*gladio oris eorum, & de manu violenti pau-* 15.
*perem;* priùs linguæ recensuit gladium, quo per convicia alienum vulnerat honorem; & postea furoris, ac ferri violentiam, quâ manus ferociens cruenta cæde in alienum corpus sævit, quasi graviùs sit honore lædi, & fama infuscari, quàm corpore violenter feriri; scitè S. Gregorius. *Malus bonis de-* Lib. 6. Mo-
*rogat, & recta, quæ agere negligit, hæc in* ral. cap. 1
*alijs obloquendo lacerare non cessat*, est igitur ingens Numinis beneficium à linguæ vulneribus, conviciisque egenum tueri, cùm nocentior sit linguæ gladius, quàm sævientia manus ferrum, hinc lex fuit à Deo olim

san-

Levit. cap. 19. sancita, qua linguæ gladij prohiberentur *Non maledices surdo:* maledicere autem perinde est, ac conviciari, & convicia vulnera sunt, quæ acriùs manu obarmatâ feriunt: sed si surdus convicia, quæ non audit, retundit, quia per aures surditate clausas non ingrediuntur convicia, cur non potiùs lex non dixit, non maledices aurito, cùm per patulas aures convicia intus animum penetrent, & inflicto vulnere partem hominis cruentent nobiliorem? benè tamen prohibet lex surdo maledicere, quia ut apposité S. Gregorius. Maledicere surdo perinde est, ac in absentem efflutire convicia; & non audienti detrahere: proinde sicut surdus verba non percipit, quæ in eum jaciuntur, sive in honorem, sive in contumeliam, neque verba in se prolata diluere valet: ita nec absens, seu is, cui detrahitur, quidquam potest respondere, quo in se jacta convicia retundat; refellátque, quæ de se referuntur in perniciem honoris: huic igitur surdo cavet lex, esse maledicendum; consequenter obtrectator hanc legem violat, cùm in absentis honorem per evibrata convicia grassatur, & sævit in absentem gladio linguæ, quem fortâssis præsentem laudaret.

In prolog. 3. p. pastoral. c. admon. 36.

# DISSERTATIO XIV.

## Pravus in convicia, & contumelias affectus linguam acuit, quâ nemini parcens in omnes sævit.

### §. I.

*Lingua maledica licèt vulnera non infligat corpori, mores tamen carpit, & nobiliorem hominis partem lædit.*

1. 

Adeò perniciosa est linguæ lubricitas, ut nemini parcat, & in omnes convicijs, & contumelijs sæviat. Quòd si non lethalia semper vulnera infligit, alienos tamen mores semper carpit ob innatam hominibus proclivitatem in alienis censendis actionibus; adeò ut etiam prudentiores, & virtutum addicti studio hoc inficiantur vitio, sintque plerúmque, & ipsi censores, quia ut scribit D. Hieronymus: *tanto hujus mali libido mentes hominum invasit, ut etiam, qui procul ab alijs vitijs recesserunt, in istud tamen quasi in extremum diaboli laqueum incidant:* huic autem linguæ lubricitati, hominísque pronitati alienos censendi mores impetum plerúmque addit ipsa invidia ægrè lætos aliorum successus audiens; propterea huic minuendæ acrimoniæ alexipharmacum putat idoneum proximi famam vellicare, & aliena carpere gesta, quia tunc invidus leviùs sibi videtur ægrotare, cùm alios sibi pares, vel etiam superiores non ex toto laudatos habet.

Ad Marcellam.

2. Turpis autem mater hujus animi crisis, rodentísque intus invidiæ occulta est superbia, quâ inferior satagit superiori exæquari, & par parem superare; idque causæ, cur proniores fiut homines invidi, & inflatâ superbiâ tumidi ad alienam famam minuendam, honorémque obscurandum censentes, tali forpice alas accidere hisce aviculis, ne multum in sublime avolent. Quid nî hæc linguæ proclivitas in alienis censendis moribus gravium persæpe est offensionum seminarium; licèt enim honorem totaliter non lædat, nec pœnitus extinguat probam existimationem hæc linguæ lubricitas, quoties leviter duntaxat alienos carpit mores: id tamen semper efficit, ut charitas tepescat inter homines, amor minuatur, inita inter diversos dissuatur societas, ac vinculum dissolvatur amicitiæ, sítque propterea linguæ lubricitas malorum omnium seminarium, ídque causæ, cur Eccles. velit nos cautos, ne in levioribus alijs detrahamus, inquiens: *In cogitatu tuo Regi ne detrahas in secreto cubiculi tui, ne maledixeris diviti, quia & aves cœli portabunt vocem tuam: & qui habent pennas annuntiabunt sententiam:* inveniunt hujusmodi detractiones, quamvis leves, narratores plurimos, eas huc, illúcque Euro ocyus deferentes, donec in aures deveniant eorum, quorum honor læsus in aliquo fuit, & hi narratores sunt veluti aves cœli, quæ pernicissimo volatu huc, illúcque voces obloquentium advehunt: proinde nos cautos cupit Ecclesiastes; & monet, non tantùm, ut os obstruamus detractionbus, verùm etiam ipsas cogitationes arceämus ab hac peste, quæ aërem ipsum inficit, aures ut afficiat absentium.

Eccles. cap. 10.

Habet

3. Habet lingua sua venena, quæ tunc effundit, cum convicia effutit, éstque hujusmodi venenum linguæ cognatum, ut ait Tertullianus, qui loquens de doctrina Evangelij ait: *Hoc principali præcepto universa patientia disciplina succincta est, quando ne lingua quidem malefacere concessum est: ò exhauriantur, ut cognatum linguæ venenum eximatur! Sic venenata oblocutiones, & oblocutionum toxica cessabunt:* alioquin lingua sævit, ut bestia, & rationis expers insano furore irrationabiliter ferocit, & serpentis instar venenum, quod non absque sua pernicie intus fovet, exteriùs effundit: siquidem in absentes æquè & præsentes convicia effutit, & cuncta funestat, proterit alienum honorem, denigrat gloriam, proculcat famam, coinquinat actiones, inficit mores; & cui semel proteritur fama millena cæde cadit; quatenus ad singulos auditores nova funestatur cæde, sæpe dicta narrantur, & facta, quæ nec dicta, nec facta, imò nec cogitata fortassis fuerunt unquam; dubia pro certis, falsa pro veris, conjectanea habentur pro compertis, & singuli tales sunt, quales sibi prona fingit suspicio; quæ si vera non inveniat, gaudet saltem falsa comminisci, & aliquo læsisse modo.

Lib. de patient cap. 6.

4. Omnium igitur malorum fons putidus lingua est, quæ veluti gladius acutus ubique ferit, ac funestas spergit strages: detractores enim linguas exacuunt, quibus lethaliùs feriant, ait Psalmographus. *Exacuerunt, ut gladium linguas suas, intenderunt arcum rem amaram, ut sagittent in occultis immaculatum, & subitò sagittabunt eum, & non timebunt, firmaverunt sibi sermonem nequam:* nimirum, qui nullo taciturnitatis frœno linguæ coërcent lubricitatem, hi linguas exacuunt, quatenus commentantur, meditantúrque, qua valeant ratione convicia jacere acutiora ad feriendum, quod perinde est, ac exacuere, & limare linguam. Non me latet, Thearidem olim sciscitatum de cultro scindendis alienis vestibus, corporibúsque feriendis aptiore, respondisse, linguæ cultrum esse, cum convicijs, & calumnijs alios petit; gladium igitur exacuunt linguæ, qui alieno detrahunt honori, & per prolatas calumnias plurima infligunt vulnera, est enim gladius linguæ, ita ad perniciem concinnatus alienam, ut medium secet hominem, & uno, eodémque ictu corpus simul, & animam dissecet; est lingua detrahentis gladius anceps, pugio peracutus, sica venenata, recens novacula, & telum exitiale, quapropter David. *Intenderunt arcum rem amaram, ut sagittent in occultis immaculatum*, sicut enim arcus telum evibrans eminus ferit, & longè dissitos interimit; perinde lingua detrahens absentibus imminet, & longè dissitis nocet, vulnúsque infligit plerumque lethale; quinimo adeò in dissitos linguæ evibratur telum, quò cœlos ipsos penetret, & Deum lacessat, provocétque ad pœnas infligendas. *Posuerunt in cœlum os suum:* imò ea est hujus teli pernicitas, ut simul profundiores terræ pervadat recessus: *& lingua eorum transivit in terram*; ut inde conijciamus, ubique suas gladius linguæ strages spargere, sive in cœlis sursum, sive in terris deorsum, ubi vivos sepelit, & tunc contingit, quando convicia effutit; tunc enim detractores dicuntur magis sævire, ac firmari in protervia, ut subdit Psalmographus. *Firmaverunt sibi sermonem nequam*, tunc enim veluti ferocientes tauri, cum acutis stimulis ad iram proritantur, frontem corrugant, oculos minaces in hostem defigunt, quem sibi destinant excitatæ propriæ sævitiei scopum, in quem omnes collineant impetus; ita detractores fronte obnubilata, erecto supercilio, ore venena spumante, corruptâ conscientiâ, ac mente confusa nituntur venenum, quod iniquo conceperunt animo ore gehennali evomere, & nemini parcentes, omnes suo inficiunt viro notos, ignotos, probos, improbos; hinc lethale hoc venenum veritus David enixim Deum rogat, ut dignetur eum abripere, ne à noxia hac lædatur lingua ait. *Erue à framea DEUS animam meam, & de manu canis unicam meam*, per frameam linguam designari detractoris asserit Augustinus, & per canem ipsum detrahentem explicat Cassiodorus.

Psalm. 63.

Psalm. 63.

Psalm. 63.

Psalm. 21.

5. Sed cur David enixim Numen rogat, ut à manu liberetur canis? & non potiùs ab ungue leonis, vel à dente ferocientis Pantheræ? cur tantopere canis pedem, vel manum timet, cùm potiùs dente mordeat? quia nimirum sunt ex canibus, qui placidè accedunt, sed tibiam subito morsu appetunt: sin verò Anglici sunt canes se se pedibus erigunt, & non pedes, sed caput ad cruentum invadunt excidium. Hujus generis canes expertus fuit David, fuerunt autem hi canes Saul persequens. Semejus insequens, Absolon rebellans, Seba perturbans, Achitophel tumultuans, & Doëg Idumæus calumniator, de quo ait: *Quid gloriaris in malitia, qui potens es in iniquitate? tota die injustitiam cogitavit lingua tua:* vocat David injustitiam, dolum, fraudem perniciosam, verba ad cruentas clades fundendas malitiosè composita: Sed cur hanc injustam linguæ vafritiem cogitationis nomenclatione insignit? & cogitationes, quæ mentis nobiles sunt fœtus, linguæ atribuit detrahentis? *Tota die injustitiam cogitavit lingua tua:* dicitur lingua injustitiam cogitare, cum convicia, fraudésque dolosas malitiosè componit, perinde ac mens tunc cogitat, cùm plura secum intus revolvit, quæ simul nectit, componitque; ita lingua Doëg Idumæi cum præmeditatam perniciem locuta fuerit, ideò dicitur ejus lingua injustitias cogitâsse. Vel Doëgi lingua superba tumens ambitione, mentis nobilis officium sibi usurpare præsumpserat, quò uberiori authoritate de alienis defectibus gar-

Psalm. 51.

garrire videretur; exauctoratur mens principe suo officio, quò perversè linguæ famuletur maledicæ: adeò omnia funestat perversa lingua, ut ordine inverso nobilius adigat famulari ignobiliori; & hanc in hominibus fatuitatem linguæ invehit malignitatis protervitas, hinc illa Sitacidis gnoma. Cap. 21. *In ore fatuorum cor illorum: & in corde sapientum os illorum*, quia nimirum fatuus, & maledicus quidquid habent in corde, quidquid mente intus moliuntur garruli foras effutiunt, nescientes sensa sua celare, cum ea in obvias quasque aures exonerent, quasi ne gravato stomacho intus premantur.

6\. Idque causæ, cur garruli non valentes linguæ coërcere lubricitatem, cor non videantur habere intra viscera retonditum, sed in ore, in extimis, summísque labijs expositum, cunctísque patulum, scitè Eusebius Cæsariensis in Catena Græcorum Patrum (Super Psal. 36. v. 4.) ait: *In ore fatuorum corda eorum; exilit enim cor ad labia ipsorum: cor verò sapientum non est os eorum. Cum itaque fatuus esset, quòd calumniator existeret sive Doëg, sive Saul peccans, idcircò ait injustitiam, cogitavit lingua tua:* cor igitur garrientis, sede relictâ suâ in intimo pectoris recessu, ad labia exilit; & linguæ se subdit obsequio, quò ordine inverso, perversóque superior interiori, nobilior famuletur ignobiliori. Quis non dicat fatuè excordem hanc maledicam linguæ garrulitatem? hinc D Jacobus (Cap. 3.) *lingua*, ait ipse, *constituitur in membris nostris, quæ maculat totum corpus, inflammat rotam nativitatis nostræ, inflammata à gehenna;* quia lingua adeò est exitialis, & omnia adurit, ut perinde ac rota gehennalibus flammis circumacta videatur ubique exitiales spargere ignes, flammásque gehennales evomere, dum sulfureas passiones, pravósque in homine affectus flabellat, excitátque, ut ad culpam accendantur in hac vita, & in futura non lingua tantùm, sed totus homo promeritas det pœnas perenni incendio inextinguibili: appositè Gilbertus Abbas in appendice ad Cantica D. Bernardi (Serm. 24.) inquit: *Appositum est cor hominis in malum ab adolescentia sua à prima nativitate impulsa, nescit sursum inflectere; & tu illam lingua prava impellis ampliùs, & inflammas? lingua prava iracundiæ, & indignationis occasiones requiris; injurias, vel falsas simulat, vel veras exagerat, quas debuerat dissimulare: ad offensam officia etiam interpretatur, & venenati sermonis scintillas admovet ad commovendum cor suum, Quid lingua tanquam cordi tuo talem adhibes flammam? sufficiat illis concupiscentiæ ardor carnalis, & levitatis calor innata, quibus cor tuum, quasi volubilis rota impellitur, noli igitur adhibere ignem, & concupiscentiæ addere malitiam; ignem hunc, quem linguâ evomis, hauris de gehenna: inde incipit, & illò rapit:* est igitur lingua garrula, æquè & maledica nullo frœno coërcita, perinde ac Megera avernali emersa è fornace; gehennales ubique flammas spargens, quibus omnia adurit, cuncta funestat: est lingua, quæ perniciosis suis flammis iram accendit, concupiscentiam inflammat, & reliquas pravas excitat, commovétque passiones: quòd si pravos coërcueris in te affectus, os gehennalis fornacis occludis taciturnitate; noli igitur gehennalem ignem igni addere inflammatæ concupiscentiæ tuæ, noli linguâ pravis tuis affectibus, depravatísque passionibus malitiam addere: siquidem ita commotæ, & interdum quiescentes, ac sopitæ passiones, linguæ efferantur incentivo, ut exaggeratiùs dixerit Gilbertus Abbas; *linguam concupiscentiæ ignibus ignes addere, & malitiæ, malitiam.*

## §. II.

### *Lingua detractrix homines deijcit à propria conditione, & degeneres turmis adscisscit brutorum.*

Lingua garrula, & detractrix adeò est noxia, ut homines garrulos, & detrahentes degeneres faciat à propria humana specie, & in cœtum deijciat brutorum; parem enim, si garrulum detrahentem proximo dixeris camelo à verò neque latum unguem te discessisse, aderit testis Plinius referens *lib. 8. natur. histor. cap.* 18. camelum aliter è fluvio, vel fonte non haurire frigidam ad sedandam sitim, nisi priùs pedum proculcatione turbatâ aquâ; nimirum superbum animal suam sibi deformitatem non fert à fontali pellucido latice monstrari, sibique objici: perinde homines nullius notæ, quique flocci habentur, ac nauci; hoc idem præstant illustri famæ alterius, quam si non pede, saltem lingua conviciante, perinde ac pellucidâ aquam obturbare nituntur varijs detractionibus, ne soli videantur esse deformes: vel ut minùs erubescant proprias fœditates, ac maculas, quibus fœdantur, obtegere satagunt detractionibus, quibus alienos produnt defectus, ac probra; quinimo se ipsos arbitrantur venustos, cum cæteros rugosos, ac luridos describunt. 7.

Quòd verò deteriùs, non prava tantùm garrulitate, sed & maligna taciturnitate alios fortassis graviùs lædunt; relatis enim aliquibus erratis, detectisq; maculis; subdunt ad incrementa malitiæ: plura suppeterent alia longè sceleratiora de hoc viro nequam narranda; sed ne camarinam moveamus, satiùs est ea silentio insepelire; verùm non est id tacuisse, sed detraxisse, & quidem graviùs, cum quæ non sunt, dolosa taciturnitate esse prodantur; ideò talia mussitant, quia alia quæ proferant probra, eis non occurrunt. Imò neq; ab aspide lingua abludit detractrix cum morsu simul dentem, & venenum infigat, quapropter D. Chrysostomus redarguens hujus furfuris homines ait: *Es homo, ne venenum evomas aspidum. Homo es fera ne fias. propterea tibi factum est os, non ut mordeas, sed ut medearis.* 8. Homil. 9. ad popul. prope fin.

Non solùm perinde ac lingua aspidum venena spargit lingua detractrix, verùm ejus sermo est veluti telum infixum femori canis, ut ait
*Eccles. cap. 10.* Siracides, *Sicut sagitta infixa femori canis, sic verbum in corde stulti*, quia sicut non quiescit canis, sed huc, illúcque currit, volvitúrq; toto corpore, donec excidat, quod lateri inflicto vulnere telum hæret; perinde detractor, si quid pravi viderit, vel audierit, non quiescit, donec illud effutiat; ac si quodam esset intimo correptus dolore; quærit, unde latrare possit, & saltem per os extra evomere, quod intus stomachum aggravat, & cor premit; id tantùm dixeris discriminis interesse, quia canibus cibus panis est siccus, & ossa: detractores verò non solùm ossa rodunt, sed & carnibus inhiant, quas dente dilacerent, faméque lupina devorent: & huc videtur Jobus allu-
*Cap. 19.* sisse, cùm gravissimè conquestus, dixit. *Quare persequimini me sicut Deus, & carnibus meis saturamini?* alloquebatur Jobus suos detractores, qui caninis dentibus ringentes eum jacentem in sterquilinio varijs improperijs nitebantur mordere, & convicijs absumere; ideóque carnibus videbantur dejecti Jobi exsaturari, quia ut pulchrè ait S. Gregorius,
*Lib. 14. moral. cap. 24.* *Qui aliena vita detractione pascuntur, alienis procul dubio carnibus saturantur.*

9. Verùm detractores adeò sunt humanæ carnis appetentes, ut nec proprijs plerúmq; parcant parentibus, quos perinde ac Actæonem, quamvis reluctantem, & clamantem dente discerpunt, & ore ejus devorant carnes: cla-
*Lib. 8. Metamor.* mabat Actæon apud Ovidium: *Actæon ego sum Dominū cognoscite vestrū:* sed nullus ex canib⁹ fuit, qui Actæonem nosse vellet: perinde detractores in obvios quósque dentes acuunt, quos mordeant, neque proprijs parcunt parentibus; & volupè ipsdem tantùm est mordere, etiam consanguineos, idque prævidens Eze-
*Ezechiel, cap. 5. v. 10.* chiel ait: *Patres comedent filios in medio tui, & filij comedent Patres suos*, canis est detractor obvium quémque, nulli parcens, rabido mordet dente. Caveamus propterea hos canes,
*Proverb. cap. 10.* quia ut nos monet Salomon, hujus rabidi canis vox est illa alienum sitiens sanguinem: *Veni nobiscum, insidiemur sanguini, abscondamus tendiculas contra insontem frustra: deglutiamus eum sicut infernus viventem, & integrum, quasi descendentem in lacum.* Imò non solùm terrestris, ac rabidus canis est detractor, sed nec à marino videtur hericio abludere, est siquidem hericius, undíque aculeis obarmatus, quibus & pedum loco utitur, cæterísque est piscibus timori; vulnerat siquidem, quos tangit, sauciat, quibus eblanditur: quidni detractor, plenus est aculeis; aculeatæ sunt, quas mente volvit, cogitationes, aculeata sunt verba, quæ ore livido profert. Cavendum est, ne hericius iste nobis immineat; quia si nos tetigerit, ejus aculeos statim haud absque dolore experimur: tot ejaculatur aculeos, quot profert ipse verba; obvios quósque pungit, sive sibi vinculo devinctos amicitiæ, sive sanguinis necessitudine sibi addictos, si amicum videant indigere, tantùm ait pecuniarum decoxisse aleâ, ut ad egestatem se dejecerit; ut alterius honori detrahat, dicit se eum vidisse lupanar ingredientem; nec unquam detractori materia deest cæteros carpendi; neque unquam spicula ei sunt obtusa, quin alios pungat, alienúmque honorem vulneret.

Qoia verò aliena semper probra investigat, 10.
quærítq; fœditates, non hominem, sed scarabeum diceres, aut hirundinem ait Chrysosto- *In Psalm.*
mus, inquiens: *Omnes aversantur maledicum, ut eum, qui lutū redoleat, ut hirundinem, qua sanguine; ut scarabeum, qui stercore, alienis malis aluntur.* Non apes garruli detractores æmulantur, cum non è floribus virtutum succos extrahant laudum, quibus alios commendent; sed scarabeos fimi fœditatibus inhiantes, quibus alienum deturpent honorem, maculent gloriam. *49.*

Imò si leoni, & hyenæ detractorem pariaveris, concinnam dabis similitudinem. Theo- 10.
critus interrogatus, quænam ex feris cæteris essent immaniores, respondisse ferunt, in montibus, & sylvis leones, & orsos: in urbibus verò, & oppidis fœneratores, & detractores: neque abs re, quia cum lingua detractrix, nec ipsis parcat mortuis, rectè hyenæ confertur, hæc enim à lupo vix abludens, adeò humanæ est appetens carnis, ut tumulos ipsos effodiat, & & cadavera in cibum sibi exhumet: Obtrectator carnem cadaverosam, tabóq; fluentem è fœtidis etiam eruit sepulchris, vitia nimirum etiam eorum, qui mortalitatem exuerunt in lucem protrahens, & vitia aliàs occulta, & sepulta exhumat, ut cæteris innotescant; & scelera, quæ forent potiùs oblivione sepelienda, publicè exponit loci, ut singulis pateant.

Non tamen credas, has detractrices linguas 11.
impunitas. Refert enim Paulinus duos cujusdam sacri Ordinis viros, subito decessisse fato, eò quia temerè Ambrosio Mediolanensi Præsuli defuncto ausi fuerint detrahere. Ex his alter sacerdos Afer erat, qui Mediolanum venerat initiandus Neomysta; hic cùm in convivio non solùm contemptui videretur sanctum Antistitem Ambrosium jam defunctum habere; verùm & ejus laudibus detrahere, & defunctum mordere; quia non solùm homines, sed & Deum ipsum auditorem habuit, statim visus est infelix expallescere fronte, titubare voce, tremere manu, & toto corpore languescere, & inter adstantium brachia simul ad lectum, & lethum deductus fuit; quia
ut ait D. Augustinus: *Deus totus est oculus,* *In Psal.*
*quo omnia videt, totus est auris, quâ singula audit, totus est manus, quâ ubiq; delinquentes punit.*

Convivium plerúmq; sibi apparant garru- 12.
li detractores, sed & caninum est prandium, non enim audiuntur nisi latratus, nisi rabidi morsus, quibus alienus honor discerpitur, & fama dilaceratur; nec alia edunt fercula, quàm alienas carnes, quas lacerant,

nec

nec alio mero propriam extinguunt sitim, quàm innoxio absentium, sanguine. Caveamus hæc symposia: ait enim Salomon. *Noli esse in convivijs potatorum, nec in comessationibus eorum, qui carnem ad vescendum conferunt, quia vacantes potibus, & symbola dantes consumentur.* Sunt enim convivæ, qui in hisce symposijs nonnisi alienæ vitæ detractione pascuntur, & ut ait D. Gregorius, *Alienis carnibus saturantur: potibus vacant, qui de vita aliena opprobria se inebriant. Carnes quippe ad vescendum conferre, est in collocutione derogationis vicissim proximorum vitia dicere: symbolum verò dare est, sicut unusquisque solet pro parte sua cibos ad vescendum, ita in confabulatione detractationis verba conferre: vestietur autem pannis dormitatio, quia despectum, & inopem à cunctis bonis operibus mors sua invenit, quem hic ad aliena vita exquirenda crimina detractionis suæ languor occupavit.*

Proverb. 23.

Tom. 1. lib. 14. Moral. cap. 24.

## §. III.

### *Nulla tentatio graviùs urget, nec acriùs pulsat, quàm quæ à lingua oritur calumniatrice.*

14 GArrula lingua non solùm detractrix est, sed & calumniatrix, est enim calumnia narratio falsa superiori delata de absente, cujus jugulum petit. Lucianus siquidem Sophista non aliter calumniam describit, quàm delationem quandam absente, & inscio reo, cui plerumque fides præstatur etiam parte inaudita; quapropter D. Thomas definit calumniam esse falsam, & malitiosam criminis impositionem, hinc quò accusatio est frequentior, & falsa, eò est etiam venenatior, & valdè extimescenda: tria enim nobis proponit Siracides, quæ timeamus, ait ipse. *A tribus timuit cor meum, & in quarto facies mea metuit; delaturam civitatis, & collectionem populi, & calumniam mendacem, super mortem omnia gravia.* Est autem delatura, ut explicant Interpretes adversatio, quâ tota civitas ex sinistro rumore aliquo criminatur, eique cives falsatum impingunt crimen. Est collectio populi turbæ congregatio, seu in unum collectæ populorum turbæ tumultuantes, & seditionem intentantes: est enim seditio, quâ populus turbatus contra aliquem insurgit, quem in necem exposcit; talis fuit seditio, quam passus fuit Ephesi D. Paulus *Actor. 19.* & quam suscitaverat Demetrius argentarius. Calumnia mendax est, quâ quis falsò per accusatorem mendacem, & testes ad mendacium accersitos accusatur, reúsque propterea mortis agitur, & hoc tertium malum, quod Salomon extimuit, est cæterorum pessimum, eò quia ex perniciosa coitione furentis, ac tumultuantis populi processus instruatur juridicus, quo per calumniam, falsósque testes certò accusatus damnatur ad mortem: & hæc calumnia mendax calamitas est supra mortem gravis; talis fuit procacium senum calumnia, quâ Susannam impetivêre, innocens enim mulier, priusquam ad mortem duceretur, dixit. *Et ecce morior, cùm nihil horum fecerim, quæ isti malitiosè composuerunt adversum me*, publicè enim satis apertè indicavit ex malitiosa senum calumnia se rapi ad violentam cruentæ lapidationis necem, ideóque bis mortuam se dixit semel in calumnia; & iterum in iniquæ sententiæ executione, lapidúmque nimbo, quo erat obruenda. Est adeò gravis tentatio, quæ per calumniam hominem urit, ut videatur homo supra id, quod potest pati, ac tentari; & ad quam vincendam speciales sint suppetiæ à Deo petendæ, & habendæ, quia ut ait Apostolus. *Fidelis Deus est, qui non patietur vos tentari supra id, quod potestis*, neque si Ambrosium sciscitaberis, quænam sit hæc gravis tentatio, quæ tam acriter hominem quatit, aliam profert, quàm ipsam calumniam; ait enim Ambrosius. *Non unum genus est nostræ afflictionis, & est calumnia, sed tentatio levior, calumnia gravior: siquidem tentatio potest esse sine calumnia, calumnia in se tentationem habet. Est humana tentatio, quam ferre possumus, calumnia autem gravis est. Et ideo Dominus, quæ sunt graviora, suscepit, & calumnijs impetitus, silentium detulit triumphale*: distinguit Ambrosius tentationem à calumnia, eò quia possit tentatio esse, quin calumnia sit; non calumnia, quin simul sit tentatio, & quidem gravissima, imò ea est, quâ non patitur Deus homines tentari, vel si patitur, uberiora exhibet ad triumphum auxilia, ait enim Ambrosius, *calumnia in se tentationem habet. Est humana tentatio, quam ferre possumus, calumnia autem gravis est*, cùm igitur non solùm sit calumnia tentatio, sed & gravis; certè ea, quâ homo supra id, quod potest, tentatur; & eidem Deus ne succumbat uberiora sui auxilij suppeditat incrementa, cùm non patiatur nos tentari supra id, quod possumus: imò adeò est gravis tentatio, ut omnis alia humana levior esse videatur, & quam homo possit ferre, seu superare, cum minori extraordinario divinæ gratiæ auxilio: calumnia verò adeo est gravis tentatio, ut ab homine sine uberiori gratiæ auxilio censeatur insuperabilis.

2. 2. q. 68. art. 3. ad 1.

Eccles. 26.

Daniel. 13.

1. Corinth. 10.

In Psal. 118. serm. 17.

Quòd si petatur, cur tam gravis sit calumnia tentatio, quæ hominem dicatur supra id, quod potest, pulsare, respondet Siracides: quia *calumnia conturbat sapientem, & perdit robur cordis illius*, adeo animum commovet, ut eum conturbet, cruciet, affliget, qui calumniam patitur; ideóque superatu est calumnia difficilior, quia mentem turbat, & quasi evertit, ut non amplius sit homo calumnijs pulsatus sui compos: *calumnia* ait Salomon, *conturbat sapientem*, seu ut Septuaginta Interpretes ex- 15

Ecclesiast. 7.

plicaut; *circumfert*; *circumagit*, *rotat*, quia fient, qui diosursum, deorsúmque rotantur, vel circumaguntur oculis, & mente confunduntur, conturbantúrque, ut ubi sint vix cognoscant, & cunctacircumjacentia videantur moveri, & volvi, ut ipsi vix putent se posse stare; ita qui calumnijs petuntur, turbantur animo, nec quid agant, sciunt, & quasi à sana mente dejecti, posse stare desperant. Hinc ubi Salomon ait, *calumnia conturbat sapientem*, legit Aquila, *seducet sapientem*, & textus Chaldaicus habet, *decipiet sapientem*, & Pagninus *insanire faciet*, & Tigurina *ad insaniam adiget*, & tandem alij *errare faciet*, quia sapiens calumnijs petitus extra se quasi per impatientiam raptus aberrat à sapientia, à studio virtutis, labitúrque in tetras vindictas, cædésque cruentas, vel saltem convicia contra calumniantem impatienter vibrata: hinc Syrus Interpres, ubi Salomon ait: *Calumnia conturbat Sapientem*, vertit, accusatio calumniatoris perdit sapientem, perditque cor dentium illius, hoc est, evertit, dementat virum etiam prodentem, quem ad scommata, & aculeata adigit convicia, quibus canina rabie videtur dentibus mordere, ac more insanientium calumniatorem sycophantam dilacerare.

Eccles. 7.

16. Hinc S. Gregorius Taumaturgus infert, quàm grave sit calumnia malum, cùm & virum sapientem, ac prudentem à sana mente deijciat, adigátque dentibus canina rabie mordere: *summum malum*, ait ipse, *calumnia est, qua sapientum animabus maximè insidiatur, generosam, ac densam illam virtutum sylvam extirpare molitur*, quod invecta calumnia mentem conturbet sapientum, fatetur S. Basilius, qui ab impacta sibi de hæresi calumnia sentiens se turbatum, & gravatè ferens objectum sibi scelus, ait. *Ad haec litteras animatus, ut par erat: & ad tam inopinam, subitámque immutationem animo perculsus, nec respondere quidem poteram; palpitabat enim mihi cor, lingua me destituebat, & planè patiebar; quod animo solet parum forti accidere: indicandum enim, quod verum est, & tamen venia dignum. Deinde parum aberat, quin in odium erga humanum genus exorbitassem; suspectique mihi fuissent omnes hominum mores arbitranti in natura humana non esse charitatis bonum; sed verba quadam plausibilia ad ornatum, & cultum eorum, quibus uti velis confictam: affectum verò illorum secundùm veritatem non esse cordi humano*: hinc Regius Vates enixim Deum rogaverat, quatenus à calumnijs hominum vellet indemnem eum servare, quò posset divina mandata custodire: sciens virum prudentem quamvis culturæ addictum virtutis per impactas sibi calumnias gravissimè turbari, ac veluti deijci à sana mente, ac instar insani furere, ac canina rabie dentibus mordere sycophantam calumniantem, immemorem divinæ legis; quam propterea pede conterit, manúque dilacerat, perperam agens; ait David. *Redime me à calumnijs hominum, ut custodiam mandata tua*; enixim rogat indemnem servari ab hominum calumnijs, eò quia hæ impactæ studia virtutum impediant, & custodiæ mandatorum Dei sint impedimento, ac obici.

Epistol. 21.

Psalm. 118.

Adeò potis est impacta calomnia, & apta humanæ menti avertendæ, ut hanc ducat, reducátque, imò & quasi invitam trahat per vitiorum exesos anfractus: idque causæ cur rogaverit David redimi à calumnijs hominum, ne scilicet à via deflecteret mandatorum Dei; & ne præceps rueret per lubrica vitiorum itinera, qui enim opprimitur calumniâ difficulter culturæ virtutum incumbit, nec divina custodit mandata: turbat enim calumnia sapientem, & mens turbata vix, quod agat, videt, sed sinit in indignationes, irásque abripi. Tametsi nil probet calumniator, omnia tamen criminatur, & cuncta funestat, & ut altiùs volnus infligat per vetita, viam sibi ad mendacium aperit: nimirum flexuosa calumniarum fraude homines trahit, quò ei magis libuerit. Nulli dubium quin malum sit calumnia insidiosissimum. Vidi eleganti exhibitam penicillo calumniam ab insigni pictore varijs in tabula depictam coloribus. Vir ibi sedebat, emaciatus, fronte rugosa, oculis torvis, vultúque toto pallescente, auribus prælongis, quales fuisse eas Midæ, vel fingunt Poëtæ, vel pingunt pictores: viro in solio sedenti mulieres adstabant duæ, Ignorantia scilicet, & Suspicio; eò quia, quæ nescit, & tantùm sospicatur, si probra sint ad alienam gloriam infuscandam protervè effutit. Accedebat erecto supercilio calumnia, sub fucatæ mulieris specie, ita tamen ut fucus in extima tantùm cute efflorescceret, cùm fronte, & oculis iras, & rabies, perinde ac gehennalis Megera spiraret, manúque sinistrâ facem agitaret accensam, & dextrâ juvenem capillis prehensum, manúsque supplices cœlo porrigentem secom veluti invitum trahens. Præire hanc avernalem furiam videbatur vir deformis, ore pallido, vultu macilento, fronte rugosa, oculisq; exesis, ac si diuturno jam contabuisset morbo; hicque livor erat, calumniæ iter sternens, Veluti pedissequæ aliæ duæ muliercula comitabantur calumniam, quarum altera Sycophantiæ, & altera Fallaciæ sibi nomenclaturam usurpaverant. Utinam hanc calumniæ picturam singuli, qui aulas terunt Principum serio lustrarent oculo; non ita faciles essent alienis moribus exprobrandis, nec toe viæ quærerentur nocendi, neque tam gravem noxam calumnia infligeret; ideo enim hæc fucatæ mulieris præsefert speciem, quia nisi calumnia vero narraret similia, non opprimeret rerum omnium validissimam veritatem; ideóque in id incumbit studij, quo fuco apparentis veritatis larvata sua detegat mendacia, aptiórque fiat hac arte auditoribus suis decipiendis. 17.

Est

11. Est hæc ars, quæ in nulla alia facilius schola addiscitur, quàm in Principum aulis, ubi & exercetur : millenis aulici artibus per probrorum calumnias ad lautiorem fortunam sibi viam & gradus construunt: & hi cùm fucatam calumniam esse velint, modestiam etiam singularem in extimo vultu præseferunt, oculos, frontem, vultúmque totum componentes ad normam insignis virtutis, quod perinde est, ac emendicata, & adscititia vultûs pietate stabulantem intus obtegere, ac larvare impietatem : novercale odium, quod intus in corde fovent, foràs frontis hilaritate & oculorum verecunda dejectione palliare nituntur; loquuntur mellea verba, licèt cor intus felle natet : rident summis labiis, arrident vultu, & tamen clam dentibus frendent, irâ intus exardent, odio corrompuntur, & animo oonnisi funestas aliorum depressiones moliuntur: aliud enim in ore habent, & aliud corde fovent; bilem enim intùs alunt, plenásque affectibus tragedias in se commovent; utque calumniatores proprium contegant livorem, alios cum accusant, tristes, ac mœrentes fingunt oculos, vultúmque profunda mœstitudine occupatum ; & quasi quodam rubore perfusi, nullo privato odio excitati, sed Principis solius bono mori causam suscipiunt, livore tamen & invidia plenam ; obtestantur interim, se nihil boni, sibique utilis ab ea sperare delatione, quâ nonnisi communis boni intendunt incrementum promovere ; & sola conscientia præmonitos, & religione tactos, se ad causam illam promovendam accinxisse: cúmque pulchrum religionis nomen, & conscientiæ stimulum adferunt, quo faciliùs audiantur blandè quidem loquuntur, sed lethaliùs inflicto vulnere sauciant. *Vana huic audirioni* ajebat Basilius Imperator filio suo, *noli prabere aures, & calumniatores in sinu tuo ne fove, improbis ne temerè crede: illi enim sape numero viros bonos propter improbitatis suspicionem afflixerunt. Omnia audi, & ab omnibus disce, sed ex iis, qua audies, quadam rejice, quadam admitte, nempe ea, qua tibi aut usui, aut honori esse queunt, & tuis subditis obesse nequeunt : rejice autem ea, qua & subditos ladunt, & tibi non prosunt:* quia si lingua improba fautorem enanciscatur Principem, nonnisi detrimenta, depressiones, ac damna irreparabilia sperari inde possunt.

12. Idque causæ fuit, cur Antoninus Pius Imperator, si delatores non probâssent, quæ dixissent, pœna voluit capitali affectos; quin ex priscis Romanis Vespasianus, & Titus hoc hominum genus ita oderunt, ut eos flagellis cæsos voluerint, per amphitheatri arenam spectandos traduci, quò nimirum eo exemplo fortiùs, quàm verbis dediscerent cæteri calumniari. Si enim Princeps hujus furfuris homines susurrones, delatores, & calumniatores impunitos sinat, eorum linguam magis exacuit, quâ perinde ac recens novacula etiam medium secant hominem, & cuncta funestant, cædésque accersunt, ut contigit omnibus ferè urbibus per totum Peleponnesum. Ut enim refert Baronius tomo 10. Anno Christi 981. ex actis S. Niconis anno à partu virgineo 982. irrepens, grassánsque epidemica lues Peleponnesum depopulata est, & præ cæteris urbibus ea, cui nomen Lacedæmon erat, quam cæteris graviùs afflixit, opplevitque enectis cadaveribus. Cives cum humano quovis se noscerent remedio destitutos ad arcendam calamitatem ad divinam opem confugêre, & præsertim virorum, qui tunc temporis morum probitate, vitæ sanctimoniâ, & virtutum culturâ insignes erant, preces enixim expetivêre, & præ cæteris Niconis, qui in asceterio integerrimæ vitæ Monachus erat ; qui tamen, quia nil frequentius suis in concionibus inclamaret, quàm *populi mei pænitentiam agite, ultio divina imminet, pænitentiam agite;* à populo illo, qui easdem semper sibi inculcatas voces jam fastidierat, alia non fuit nomenclatione donatus, nec alio vocatus nomine, quàm antonomasticè *Monachus ille pænitentiam agite :* Is igitur enixim à populo rogatus, ut precibus suis ad Deum fusis alexipharmacum aliquod pesti coërcendæ, & extinguendæ aptum impetraret in solatium totius urbis, & levamen populi, spopondit Monachus suam opem, annuitque afflicti populi votis, unum tamen à Magistratu illo exegit, quò Judæi urbe pellerentur, sinerentúrque extorres vagari extra Provinciam, ne quid Christiana religio, ab hac hominum fœce hauriret fœtoris, nec quidquam caperet detrimenti. Promiserunt cives facturos, quod ipse juberet, dummodo pestis extinctionem suis à Deo precibus impetraret. Præmisso jejunio Nicon flexis genibus Deum enixim rogat, ut velit afflictum populum ab epidemica lue illa grassante indemnem servare, cúmque per aliquot horas institisset suis precibus, sibique videretur Numen flexisse in sua, & populi vota; mente serena, ore ridente, vultúque blando è proprio egressus asceterio urbem adivit; in quam vix ingressus, & benedictione triplici manûs ducto populo impertitâ exulavit illicò à civitate pestis, & simul cum illa etiam Judæi ab ea pulsi fuerunt. Verùm cùm Joannes Aratus Judæorum Patronus acerbioribus odiis ob pulsos Judæos in Niconem Monachum ferretur; non destitit publicis, privatisque calumniis viri ascetæ impetere innocentiam; risit tamen Nicon nil sibi eorum conscius, quæ calumniator effutiebat, flocci que fecit has linguæ mendacis larvas. Cúmque tidem non desistenti calumniari Nicon obviâsset voce leni, frontéque serena dixit: abi, & ad te redi; scelera tua defle infelix, brevi enim senties qualia sint nequitiæ tuæ præmia. Non tamen sycophanta calumnias destitit effutire, quin acrius contra virum sanctum fremens alias calumnias prioribus ne-

quolores sparsit tota urbe. Sed Deus vindex non ulteriùs tulit servi sui dilacerari innocentiam, denigrari candorem: nocte siquidem intempesta dormienti Arato duo objiciuntur senes præstantissimæ formæ, orisque supra dignitatem humanam, qui flagris hominem cædere, simúlque verbis increpare cœperunt inquientes: ad tantam ne malitiam te audacia extulit, ut Dei servum spernere, vitúmque innocentem tot conviciis dilacerare, calumniisque proscindere non verearis? Quid ni post multiplices plagas in obscurum detrudi carcerem sibi visus est; & ibi flexo poplite veniam enixim rogatam minimè impetrare, inde è somno expergefactus, febrili cœpit æstu exardescere, accitóque statim è suo asceterio Nicone patrati sui delicti veniam poposcit, oravítque, ut vellet suis precibus sanitatem, & gratiam impetrare, cui tunc Nicon, quæ tu in me peccâsti, ea libentissimè tibi frater, quantum in me est, condono; sed quia cœlesti imperio vitæ tuæ finis imminet, vitam protrahere non potes, nec erit, qui Dei obsistat decreto: & post triduum præmatura morte Aratus è vivis decessit, funestum posteris relinquens documentum, non sinere Deum vindicem impositos calumniatores vitam protrahere; ut dediscerent alii calumniis viros probos impetere.

10. Non solùm præmatura morte puniuntur, qui linguas suas exacount, alienam innocentiam sparsis calumniis vulneraturi, verùm etiam à vita excluduntur æterna. Cùm fuisset Rex David percunctatus: *Domine quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requiescet in monte sancto tuo?* statim responsum subdit inquiens, *qui loquitur veritatem in corde suo, qui non egit dolum in lingua sua, nec fecit proximo suo malum, & opprobrium non accepit adversus proximos suos, qui jurat proximo suo, & non decipit*, non solùm calumnias effutientes à cœlesti excluduntur patria; verùm & aures iisdem præbentes: è converso qui æquo animo congesta in se probra, & intortas calumnias perferunt, hi sunt, qui participes fiunt regni cœlestis. Quinimo Deus arcano suæ providentiæ consilio per calumnias hominum à cacodæmonis solet tentationibus redimere, ut contigit Monacho Abbacyro apud Climachum, is enim in asceterio per annos quindecim assiduis calumniis, conviciisque pulsatus cum mors immineret adstantibus reliquis fratribus, in has postremas erupit voces, *Gratias ago Domino, & vobis fratres, quòd me ad salutem meam tentâstis jugiter; hac enim ex causa immunis à tentatione Dæmonum hactenus mansi*, ac si à Dæmonum vacâsse tentationibus, stipendium fuerit conviciorum, ac calumniarum, quæ ab aliis fuerunt in ipsum jugiter intorta: & passim in asceteriis contingit, ut à tentationibus ij sint exempti, qui conviciis pulsantur, & æquo animo ea ferunt, hæc enim tolerantia iter sternit ad gloriam.

[Margin: Psalm. 14.]

[Margin: Gradu 4. de obedientia.]

Id interest discriminis justum inter, & iniquum; ille enim calumnias execratur, quas iste concinnat, & fovet; hinc Salomon *Verbum mendax justus detestatur, impius autem confundit*, seu ut vertit Chaldæus Paraphrastes *impius facit putrescere, ac vituperare*, si propriè sumatur verbum *mendax* perinde est, ac calumnia, quâ falsum crimen alteri impingitur; hanc igitur vir probus execratur, & impius concinnat, & fovet, qui propterea alios confodit, & fœtere facit: appositè D. Chrysostomus, ubi calumniam comparans stercori sic fatur: *Si quis te prætereunte stercus commoveat, nonne hoc facientem contumeliâ, & convicio afficis? hoc fac & circa detractorem: non enim sic commotum stercus illum fœtorem suscipientem cartilaginem narium percellit, sicut aliena peccata excussa, & commota, atque vita aliorum impura prodita audientium animos contristare, & perturbare soles.*

[Margin: Proverb. 13.]

[Margin: Homil. 3. ad popul.]

## §. IV.

### *Infrænis linguæ lubricitas plures perdidit, quos taciturnitas indemnes servâsset.*

Linguæ lubricitas, ni coërceatur in omne facilè trahit scelus, est siquidem incredibile dictu quantum damni, infamiæ, & exitii adferat importuna loquacitas, & procacis linguæ proritus, cujus vectigal semper est calamitas. Quod navi æquora trajicienti est clavus, seu gubernaculum; hoc idem est homini lingua, quâ, perinde ac navis clavo, regitur homo, qui si anchorâ destituatur taciturnitatis, clavo rectæ rationis; velis, remisque Sapientiæ, & Prudentiæ, nil sperandum, nisi ut in brevia, & syrtes impingat: cùm neque in divinæ legis cynosuram defixum teneat mentis oculum; neque silentii anchorâ præcipitem interpellans cursum, procellas declinet; sed nullo tacendi, loquendíque discrimine tumultuosæ hujus vitæ periculis se committat, & temeritate potiùs raptus, quàm prudentiâ ductus in altum provehatur per decumanos æstuantium affectuum fluctus, quibus vel mergitur, vel in scopulos trahitur; in quos impingens homo linguæ clavum regere nescius fœdo perit naufragio. 22.

Plures perdidit hæc linguæ garrientis lubricitas, quos taciturnitas incolumes servâsset. Potuisset Amalecites ille, qui spolia Sauli, imò & ipsam armillam, & Regium detraxerat diadema linguæ frœno, & opportuna taciturnitate tutus, quæ imminebant pericula evadere: sed quia linguæ pruritum non compescuit, sed apud Davidem stulta temeritate suum fuit facinus confessus, & pro- 23.

[Margin: 2. Reg. cap. 1.]

professus extremam sibi accersivit perniciem, & propriæ temeritatis promeritas dedit pœnas, quas declinare facilè potuisset, si linguæ coërcuisset pruritum proprium evulgandi facinus.

14. Perdidit etiam Principes, & Reges infrœnis linguæ lubricitas. Quisquis artem populos gubernandi condiscere cupit, navarchum peritum necesse est, imitetur; clavúmque teneat rectum exercitio justitiæ; ut Reipublicæ pacem, & prosperitatem promoveat, & cujus beneficio populos ad portum diriget felicitatis. Necesse est itidem ut homines seligat artem nauticam callentes, seu eos in consilium adiciscat, quos probitas informat, & prudentia commendat; ut noverit vela ventis, consilium, modúmque regendi occasioni, & tempori accommodare, & peritiam artis præsertim cum procellæ furunt, & fluctus navem pulsant, & exagitant, ventique vele inflata urgent, ostendat. Roboamus, quia hac arte populos regendi prorsus ignarus erat, neque linguæ didicerat lubricitatem coërcere, eum superba loquacitas à paterno fecit Regno extorrem: res ita contigit. Defuncto Salomoni successit in sceptro Judeæ Roboamus anno ætatis 40. quem unum duntaxat marem, ex tanta fœminarum colluvie habuit sibi superstitem; qui non solùm diadematis, verùm & plurium genitoris scelerum hæres fuit. Cúmque Jeroboamus ab exilio à Regni Proceribus revocatus nomine totius populi Judaici Sichemi in comitiis congregati humiliter supplicâsset Roboamo, ut onus tributorum, quo Salomon populos presserat, vellet minuere, producens immensas propemodum expensas pecunias in templi structura, regiæ domûs ædificio, & plurium per totum regnum urbium instauratione, ut etiam in construendis variis fanis Ethnicis uxoribus; & propterea subditorum exhausisse scrinia; & repræsentaret Principum æraria evacuari, cùm populi divitiis destituuntur; & eoixim etiam rogaret, ut vellet hoc dare suorum fidei, & amori, ut non modò se Regem cognosceret, sed & patrem esse meminisset, quò paratiores haberet in omnia jussa populorum animos: qui si sciant Principem non tam proprium fastigium spectare in throno, quàm populi commoda, & prosperitatem; paratos tunc esse quotquot tali Principi subjiciuntur, non solùm pecunias profundere, sed & sanguinem fundere, virésque omnes impendere, quibus suum tueantur, defendántque Principem.

15. Auditis Roboamus hisce populi postulatis triduum ad deliberandum sumpsit; & cùm rem totam ad seniores detulisset eorundem exquirens sententiam: isti unanimes ei suaserunt, ut Regni auspicia duplici firmaret fulcro clementiæ, & munificentiæ in populum, quibus Regnum firmiùs stabiliretur, quod fit, si populus ad obsequia per clementiæ blandimenta alliciatur; non per rigoris terriculamenta vi trahatur; nullum majus Regnorum præsidium esse, quàm subditorum benevolentiam, studium, & affectum in Principem; sine quibus nulla potentia diu stare potest, quin nutet: violenta siquidem imperia non diu vigent, cùm Regius dominatus à libera subditorum voluntate profectus sit, non verò ex timore, & violentia ortus; & eum propterea Regno indignum esse, qui ut regnet, non liberas populorum voluntates clementiâ, & comitate flectit ad obsequia, sed vi, & violentia adigit, ad quod invitus populus trahitur: est enim metus infidus custos diadematis: timor siquidem odium potiùs fovet, quàm amorem conciliet; & ubi populus timet, hic plerumque furens Principis caput metit: necesse est plures timeat, quem plures timent. Hisce monitis nitebantur seniores accersiti suadere Roboamo, ut vellet aliquid de rigore remittere, & posito tantisper regio fastu ad captandam populi gratiam vellet se accommodare, memor paterni moniti: *Qui vehementer emungit, sanguinem elicit*: Proverb. 30. propterea vellet ab immodicis tributorum oneribus, quibus Salomon populos presserat, eosdem relevari, & Regni auspicia à benevolentia, & affectu populi petere.

Verùm Roboamus aspernatus hæc saniora seniorum consilia accivit in Senatum juvenes, quibus exposuit seniorum consilia, & ab iisdem petiit proferri, quod iisdem videretur. Juvenes autem stolida ferocia Roboamo haud suppares, ut Principis elatos spiritus magis inflarent, eique assentarentur, simúlque ejus gratiam sibi conciliarent, dixerunt, indecoram esse Regiæ Majestati lenitatem, & metu defectionis ad populi inflecti arbitrium: nunquam sine discrimine firmum stare capitis decus, si qui timere debent Principem, timeantur ipsi à Principe: à populo vi, & metu plura extorqueri, quæ clementiâ, & mititate minimè possent impetrari: sæpe vi frangi, qui jure flecti nequit. Hanc præcipuam esse in Principe regnandi artem, odia contemnere subditorum; & libertatis affectationem, novíque jugi impatientiam, imperiis, frœnisque violentiæ coërcendam esse: eadem fronte gestandam esse galeam, quâ diadema fulget, ut Rex compellat, cogátque quos timet; & populus saltem timeat, quem non amat. Reverentiam ex metu propria subire incrementa: neque homines fieri cœlo magis supplices, quàm cùm hoc tonitru minas spargit, & fulminibus excussis ex atris nubibus ferit, & cædit. 16.

Ad potentiam Principis pertinere ærarium non vacuum, sed opibus onustum, sive lubentibus, sive invitis subditis auro, argentóve impleatur: à populo esse vires, & sanguinem extorquendum, ne in Principem rebellent, sitque populus, qui Principem timeat, non Princeps populum. Hæcque juniorum consilia ansam dedêre Roboamo lin- 17.

guæ

quæ indulgendi lubricitati, & respondendi populo petenti ab oneribus tributorum relevari, quibus ejus pater Salomon eum presserat: *Minimum ipsius digitum esse crassiorem, quàm Patris lumbi fuerint. Pater meus cæcidit vos flagellis, ego autem cædam vos scorpionibus.* Quòd si à Salomone Patre scoticis cæsi fuerunt, nunc à Ruboamo filio aculeatis scorpionum flagris conscissum iri timerent.

3. Reg. cap. 12. & 14.

28. Irritatus tamen superbo hoc responso populus, indignatúsque stirpem Davidis, & Salomonis, exclamavit uno ore, nil sibi futurum ampliùs cum Davidis progenie; haberet ipse templum, quod Pater extruxerat, se religioni, fortunísque suis aliis viis consulturum: & tunc cœpit Roboamus damna sentire, quæ ex linguæ infrœnis profluunt lubricitate, & quámnam securim in suam injecisset lingua non coercita domum, suúmque imperium; cujus initia unius linguæ garrulitas everterat. Consilia Seniorum sunt semper præferenda ijs juniorum, quæ defectu experimenti, & excessu caloris præcipitantia sunt, hinc Salustius. *Omnia* inquit, *Regna, civitates, Nationes usque eò prosperum imperium habuerunt, dum apud eos vera consilia valuerunt. Ubicumque autem gratia, timor, voluptas ea corrupêre, paulò post imminuta opes, deinde ademptum imperium, & postremò servitus imposita.* Si Ruboamus sana consilia seniorum executus fuisset in linguæ non ruisset lubricitatem, quæ proprii infortunii causa fuit, & officina, in qua omnes Regni calamitates cuderentur; hinc David: *Dixi custodiam vias meas, ut non delinquam in lingua mea, posui ori meo custodiam, cùm consisteret peccator adversum me, obmutui, & humiliatus sum, & silui à bonis:* non solùm David custodiam ori suo constituit, cùm adversarius contra ipsum urgeret, verùm etiam frœno taciturnitatis linguam coërcuit. *Obmutui, & humiliatus sum, & silui à bonis.*

Psalm. 38.

29. Sed quid quod David siluerit à bonis? quòd lacessitus Saulis conviciis obmutescar, id virtuti datur; sed quòd sileat à bonis, an non à studio videtur hoc silentium abesse virtutis? cum amplioris meriti segetem suppeditet ipsum offensorem laudibus commendare, ac beneficiis cumulare? nunquid deerat in Saule, quod posset David laudibus excipere? Verùm Græci Patres nodum statim solvunt difficultatis, ita in paraphrasi prætactum textum exponentes: *Adeò me ipsum humiliabam, & tacebam, non exigens vindictam.* Hoc enim indicat humiliari, & silere à bonis, vindictam de illatis sibi injuriis non exigere; obmutescere, & nil respondere: cùm enim injuriam passo ultio bona esse videatur, hanc cùm non exegerit David conviciis lacessitus rectè dixit: humiliatus sum: quia cessit æquo animo adversario iniquè convicianti, ideo siluit à bonis: quia ultionem, quæ injuriis lacessito bona esse videtur, non sompsit: si Roboamus ejus nepos dixisset cum avo *obmutui, & humiliatus sum, & silui à bonis* minimè in ea sub Regni initium incidisset discrimina, quæ totum funestârunt imperium, & quibus originem dedit linguæ lubricitas; est siquidem ait Climachus: *Loquacitas ignorantiæ argumentum, detractionis janua, scurrilitatis Dux, mendacij opifex, frigus cordis compuncti inertiam advocans, somni præcursor, mentis evagatio, custodia exterminatio: & malorum omnium officina, in qua singula cuduntur infortunia.* Grada 11.

Imò est lingua procax, & garrula omnium vitiorum plena congeries, & universitas iniquitatis, ut eam vocat D. Jacobus in sua Epistola Catholica inquiens, *Lingua ignis est, universitas iniquitatis* dicitur ignis, quia singula absumit virtutum ornamenta, & universa accersit vitia, quibus indulget, est siquidem universitas, seu quasi academia iniquitatis, quia sicut in Academiis omnes docentur liberales artes, & qui eas frequentant ad singulas instruuntur scientias; perinde lingua procax nullo taciturnitatis frœno coërcita omnia edocet iniquitatum genera; & sicut taciturnitas, & silentium studia fovent virtutum; itérque ad cœlum pandunt; ita linguæ procacis loquacitas è contra cultrix est vitiorum, & innata sua lubricitate præceps in baratrum ruit malorum omnium; hinc appositè exclamat S. Chrysostomus in græcis exemplaribus: *O silentium cœli schola, via regni cælorum, speculum peccatorum! ò taciturnitas cogitationum exploratrix, & dijudicationum cooperatrix!* observatu digna est antithesis, quæ enim ab Apostolo Jacobo lingua universitas, seu academia dicitur iniquitatis, à D. Chrysostomo taciturnitas schola cœli vocatur; est procax loquacitas veluti universum omnium iniquitatum prope invisum Gymnasium; secus taciturnitas non solùm est cogitationum exploratrix; verùm etiam speculum peccatorum ostendens, & objiciens homini sua probra, & delicta, quasi in silentio; perinde ac in speculo omnia apparent linguæ delicta, quæ in procaci loquacitate latebant; apparent veluti in speculo, ut corrigantur, non ut foveantur. Solent specula adhiberi ut faciei maculas prodant, quæ deleantur; est hæc taciturnitas, quæ non solùm frœnum linguæ injicit procacitati, verùm etiam bona singula accersit, quibus homo ditescat, ut monet Salomon inquiens: *de fructu oris sui unusquisque replebitur bonis, & juxta opera manuum suarum retribuetur ei,* seu ut septuaginta Interpretes explicant, quibus adhæret S. Chrysostomus in catena *Juxta opera labiorum suorum retribuetur ei,* adeò ut sint opera manuum, perinde ac opera labiorum; quia sicut quæ mente intus concipiuntur labia exteriùs proferunt: ita quæ à labiis proferuntur, eadem manus exequuntur; si enim Princeps ore impe-

30. Cap. 3.

Tom. 7. pag. 432.

Prov. 13.

imperet, manus subditorum voces exequuntur labiorum; si herus jubeat, famulus voci obsequitur, & jussa exequitur.

31. Quòd si petas, quinam sit ager iste ferax, qui fructu oris ubertim abundat, non alium esse respondet Chrysostomus, quàm ipsam taciturnitatem, ipsúmque silentium, *Ho. 7. pag. 414.* ait ipse: *O silentium affectuum carcer, prædium Christi bonos fructus adferens!* & sicut nullus est ager adeo ferax sicut Christi prædium, quo & ipse ditescit, & aliis suas ubertim divitias communicat: ita silentium, quia est frœnum linguæ procacitati injectum, & quo ejus garrulitas inhibetur, prædium dicitur Christi, sapidos adferens fructus; & hic est fructus oris, de quo loquitur Salomon: *Prov. 12.* *De fructu oris sui unusquisque replebitur bonis:* non enim fructus oris procax est linguæ garrulitas, nec luxurians verborum facundia; sed taciturnitas sermonum sterilis, & verborum inops. Hæc loquelæ inopia, hæc verborum paupertas est Christi prædium, ex quo prodeunt sapidi fructus, quibus virtutum culturâ pinguescit spiritus: hæc taciturnitas de Christi prædio maturos adferens fructus census est gazarum cœlestium, quibus homo frœno taciturnitatis suam coërcens linguam ditescit, quia *de fructu oris sui unusquisque replebitur bonis*, & est silentium teste Chrysostomo Christi prædium, bonos uberi proventu fructus adferens.

32. Vocat etiam Chrysostomus silentium affectuum carcerem: *O silentium*, ait ipse, *affectuum carcer, prædium Christi bonos fructus adferens:* quia sicut in carcerem detruduntur, qui noxiæ indulserunt libertati; ita silentium affectuum pravorum est carcer, quia coërcentur intus, ne per verba scurrilia exteriùs prodeant: utilis est hic carcer, in quo taciturnitatis compedibus effrœnis affectuum petulantia, veluti multorum scelerum rea vincta detinetur, ne foras insolescat. Hinc is sapit, qui suam didicit frœno taciturnitatis linguam coërcere, ut innuit *Prov. 17.* Salomon: *Qui moderatur sermones suos doctus & prudens est, & pretiosi spiritus vir eruditus*, seu ut habetur in textu hebræo, qui continet eloquia sua, seu linguam prohibet, quam silentio obsignat, hic doctus, hic prudens est, ac pretioso præditus spiritu, seu *nobili, & præcellenti*, ut habet tigurina interpretatio, & huc videtur adlusisse *In Psalm. 38.* Cassiodorus inquiens: *Silentium est probabile, quod sapientes prodit, quod consilium nutrit:* nimirum quia taciturnitas sana fovet consilia, prudentes facit, & sapientes prodit, quasi sit silentium prudentis sermonis nutrimentum, quo alitur, & sanum adipatur consilium.

33. Qui sermones suos prohibet, seu linguæ lubricitatem coërcet, is doctus est, & prudens, & spiritu pretioso, seu nobili, & præcellenti præditus: nobilis enim, & generosus est sermo, quem prævia taciturnitas elimat, quia ut ait Salomon: *Prov. 10.* *In multiloquio non deerit peccatum: qui autem moderatur labia sua, prudentissimus est*, quæ verba elucidans S. Ambrosius ait: *Lib. 1. offic. cap. 3.* *Alliga sermonem tuum, ne luxuriet & multiloquio peccata sibi colligat: sit restrictior & ripis suis coërceatur, citò lutum colligit amnis exundans;* est lingua garrulitate procax, perinde ac torrens verborum redundantiâ diffluens, qui alveum supergressus prudentiæ omnia secum trahit lutum, feces, stercora; & lutosus hic sermo in aures adstantium diffluens mentem inquinat, ac fœdis cogitationibus animum deturpat.

34. Defœcandus est sermo iste lutosus, ut purior fluat; frœno taciturnitatis coërcendus est, ne extra prudentiæ alveum præceps ruat, aut superfluat: garrulus enim & multiloquus facilè in lutum incidit peccati, quo verba sordescunt, & sermo squalet: quia labente lingua, & fallente memoria, simúlque rapiente loquendi prurigine facilè futilibus noxia miscentur, & necessariis vana: *claudamus ostium oris* ait Ambrosius: *Lib. de Cain. & Abel. c. ...* *ne culpa intret, ne lapsus aliquis sermonis exeat: intrat culpa, si lapsus exierit. Audi quomodo intret culpa ex multiloquio non effugies peccatum; exivit multiloquium, peccatum intravit: quia in multiloquio, nequaquam qui exit sermo, trutinatur, & imprudenter labitur:* sic quæ exeunt ab ore verba in consilio priùs intùs accerserentur, & nonnisi ad prudentiæ trutinam librata dimitterentur: *sicut per eos mortalia intrant*, ait Philo, *De opificio mundi.* *ita nonnisi immortalia exire deberent:* nimirum per os intrant cibi corruptibiles, mortuorum animalium carnes, quæ singula mortalia sunt: & quia ex ore sermones exeunt, hi nonnisi immortalitate digni esse deberent, hoc est, ut monet Epictetus. *In enchirid. cap 42.* Non de gladiatoribus, non de ludis Circensibus, non de pugilibus, non de cibis, nec potionibus, nec de fluxis; sed de Numine, deque cœlestibus, & immortalibus vir probus loquitur: nil ex ore prodeat nisi Evangelium, virtus, cœlum, DEUS, sintque verba nostra talia, qualia D. Hieronymus scribit *Epist. 90.* de anima pia virtutum addicta culturæ: *cujus canticum Psalmi, sermo Evangelium, deliciæ continentia*; possitque de nobis dici, *In Orat. funeb.* quod olim Hilarius Arelatensis de S. Honorato in suo epicedio. *Nunquam in ejus ore nisi pax, nisi castitas, nisi pietas, nisi charitas: nunquam in corde nisi bonorum omnium fons Christus habitavit:* tunc per idem os, per quod mortalia intrant, immortalia exeunt: quia sermones lingua non instituit, nisi de DEO, ac virtutibus, neque profana divinis, scurrilia gravibus, & puerilia seriis miscet. Cavendum est, ne idem nobis objiciatur, quod Theocritus de Anaximenis dixerat oratione, verborum quidem continere flumen, sed gut-

tam duntaxat mentis; non simus pleni rimarum, huc illúcque effluentes, sint quæ ex ore exeunt verba, tonidem veluti effata, seu sapientiæ pronuntiata, sint veluti è tripode effusa oracula; sint perinde ac mysterii alicujus arcana, sint verba cedro, & auro digna.

35. Coërcenda est procax linguæ garrulitas fræno probæ taciturnitatis, ne huc, illúcque audiatur garrire, nec sit perinde ac illa Graculi garruli lingua, quæ in hirundinum musæum gestire duntaxat, ac garrire audita est. Quia est lingua sua lubricitate ad lapsum proclivissima, ideo verborum coërcendæ petulantiæ natura ipsa duplex opposuit dentium vallum, ut loquendi temeritas non cordis duntaxat custodiâ, ac vigiliâ cohiberetur, sed quibusdam etiam quasi excubiis in ore positis sepiretur, apposite D. Chrysostomus ait: *Ideo DEUS linguam velut muro duplici voluit circundari dentium tegmine, & labiorum custodiâ, ne verba improvidâ proferantur garrulitate:* hinc enixim David DEUM rogat quatenus velit os suum custodire, ne verba inde exeant temerè concinnata, & perversè cogitata: *Pone Domine custodiam ori meo, & ostium circumstantiæ labijs meis,* petit nimirum præsidiariam velut cohortem, militares excubias, vigiles custodes, fidósque satellites ad tuendum os, illúdque muniendum, ne quid inde exeat, quod obsit audienti, & non prosit loquenti.

In catechesi.

Psalm. 16.

## §. V.

### *Lingua procax lubricitas volatilem prodit animi levitatem.*

36. Cum osse lingua careat, & nervo, quo ejus coërceatur volubilitas, stiftatur lubricitas, inde fit, quòd tacenda persæpe loquatur, & quæ fuerunt eidem secreta concredita, & arcana commissa temerè foras effutiat; quod procul dubio animi prodit levitatem, ac puerilis simplicitatis inconstantiam cum nil secreti tegere valeat, sed audita statim obviis cunctis enunciet. Quatuor vulgò dicuntur esse, quæ abscondi non possunt, nimirum palma in clivo, stramen in calceo, fusus in sacco, arcanum in fatuo: est lingua mentis interpres, & sicut difficulter stultus cognoscitur, si taceat; ideo nil facilius est, quàm ex sermone viri conjicere animum: si stultus taceat, qualis sit intus haud conjici potest: hinc cùm ad Socratem juvenis quidam fuisset adductus, ut in suorum illum discipulorum numero reciperet, & in ejus schola edoceretur; & adolescens ille, utpote peregrinus, & verecundus loqui curam tanto Magistro vereretur, dixit ei Socrates *loquere fili, ut te cognoscam*, seu ut alii volunt: *ut te videam aliquid eloquere*; non igitur ex extimo gestu, nictúque qualis sit intus homo dignoscitur, sed ex sermone probo, vel nequam, ex hoc enim tantùm valuit Socrates, qualis intus esset adolescens; conjicere: quia nulla sui parte magis homo, qualis sit, faciliùs deprehenditur, quàm sermone: qualis enim quis in factis fuerit, talis & in verbis comprobatur: & qui nil secreti, & arcani intus detinere valent, hi procul dubio animi produnt levitatem; & Siracides hos garrulos prægnanti confert fœminæ, quæ partui proxima dolet, & ingemiscit: *A facie verbi parturit fatuus*, neque miser quiescit, donec suum sit in lucem partum enixus, seu quod intus tacendum servat, exteriùs prodat; & qui arcana sibi commissa fido non occulit pectore, non tantùm fidem prodit, sed plerumque etiam amicum perdit. Hinc Salomon: *Quæ viderunt oculi tui, ne proferas in jurgio cito, ne postea emendare non possis, cùm dehonestaveris amicum tuum.*

Eccles. c. 19.

Prov. c. 25.

37. Ni fræno taciturnitatis lingua coërceatur nonnisi funestas excitat tragœdias, & plerumque cruentas spargit clades: neque heroum fortissimo Samsoni vires, oculos, libertatem, ac tandem vitam quid aliud eripuit, nisi garrula linguæ non coërcitæ futilitas, cùm enim urgenti Dalilæ secretum nuntiâsset, omnia miserè perdidit, quia se linguâ prodidit. Scio in priscis sacris Romanis, vas aquæ hauriendæ adhibitum fuisse, quod humi deponere nefas esset; ideóque dicitur pede caruisse, ne uspiam è manu deponi posset: Os siquidem hujus vasis peramplum, in angustiorem desinebat conum; neque stare posset, quin aquam funderet, nuncupatum verò à Romanis vas futile fuit, eò quia nisi manu prensum, vel funi alligatum, quidquid continetet intus illicò exteriùs effunderet. Quòd si pares huic vasi futili garrulos dixeris, quique linguæ indulgent lubricitati, non improba erit similitudo; sunt enim garruli ore laxi, & corde pressi, & quidquid pectore continent, foras effundunt, cùm nullum valeant arcanum, nullúmque secreti intus continere. Id tamen dixerim discriminis esse inter vas illud apud priscos Romanos futile, & hominem garrulum; quia nullum unquam fuisse à vase illo incendium excitatum legitur, cùm garrula lingua persæpe incendia succenderit exitialia. Hinc Siracides ait: *Denudare amici mysteria desperatio est animæ infelicis*; nescit quantum sit secreti pretium, qui non intelligit, multum se illi dedisse, cui pectoris sui arcana concredidit; ideóque exposcit vectigal taciturnitatis.

Eccles. c. 27

38. Hinc seriò priùs maturandum est, cui sint secreta credenda, ut pauca concredantur; etenim qui multa secretò loquitur, in occulto loquitur nihil; sunt enim secretorum quidam adeo prodigi, ut quæ nec amicis erant committenda obviis cunctis narrent, exo-

exonerántque in qualibet aures, quidquid illos urit: alii verò adeò sunt secreti tenaces, ut etiam charissimorum conscientiam reformident, & si possent, nec sibi ipsis fiderent intetiùs prementes secretum omne. Verùm quamvis contra adnitantur, semper tamen verum est illud apud Lucam: *Nil absconditum, quod non sciatur*; secretum plerumque se ipsum etiam prodit. Luc. 12.

39. Fuerat Jacobus Isaaci filius natu minor paternam benedictionem suffuratus; Esau, natu major gravatè tulit, quòd Jacobus fraudulenter contra se egisset, & quòd primogeniti privilegia sibi debita, præripuerit: oderat propterea intus in corde eum pro extorta à patre benedictione sibi natu majori debita: *Dixítque in corde suo: venient dies luctus patris mei, & occidam Jacob fratrem meum, nunciata sunt hæc Rebeccæ, quæ mittens, & vocans Jacob filium suum dixit: Ecce Esau frater tuus minatur, ut occidat te.* Quod tacitus in corde suo Esau versat, id Rebeccæ statim nuntiatur: si Esao in corde suo secretum fovet, odiúmque in fratrem natu minorem nutrit, quomodo Rebecca, quæ intus Esau mente volveret, scire potuit? *quónam pacto* ait Acacius: *Rebecca audire potuit, quæ Esau in corde suo dixit?* Vix Esau odium in corde suo conceperat in fratrem Jacobum, & statim, quæ intus in corde suo dicit, Rebeccæ nuntiatur: si nullum Esau verbum protulit, nec signum dedit, quo potuisset Rebecca internum conjicere odium in fratrem suum, quomodo mulieri potuerit statim innotescere, quod in abstrosis cordis recessibus, mentisque latebris latuit? nimirum cordis abdita oculato, & attento observatori pervia sunt, cordísque arcana etiam æmulo plerumque denuntiantur: adeò rimulæ sunt mentis latebræ, ut quod occultè intus latet, exteriùs effluat ore, vel fronte; quia nil adeò in hominis corde est reconditum, quod non legatur inscriptum in ore conantis dissimulare; vel in vultu inconsultè adnuente, aut consultiùs renuente; quòd si vel ipsa taciturnitatis pertinacia, quæ intus latent in corde secreta prodit exteriùs exploratoribus attentis, & manifestat observatoribus; si vix Esau *dixit in corde suo occidam Jacob fratrem meum*, & nunciata sunt hæc Rebeccæ; quantò magis quæ aliorum auribus, & linguis concreduntur, aliis produntur? quis igitur aliis fidat, committátque aliorum auribus, quod nec proprio cordi, aut fidei valet concredere absque proditionis suspicione?

Gen. c. 27. v. 41.

In Catena.

40. Ductus fuerat Christus ad Caipham, à quo cùm interrogaretur de Discipulis suis, & de doctrina ejus. Respondit ei JESUS: *Ego palam locutus sum mundo: ego semper docui in synagoga, & in templo, quo omnes Judæi conveniunt; & in occulto locutus sum nihil.* Non parum desudant sacri Interpretes in veritate verborum Christi vendicanda: quomodo enim dixit Caiphæ Pontifici anni illius, *In occulto locutus sum nihil?* si apud Matthæum: *Assumpsit duodecim Discipulos secretò*, ad quos fuit etiam in occulto locutus? An non in vertice Taboris secretum injunxit Discipulis adstantibus: *Nemini dixeritis visionem hanc*, si solerter secretum exigit, quomodo in occulto dicit se nihil fuisse locutum? Rupertus Tuiciensis pulchrè ait: *Dixit in corde suo Esau venient dies luctûs patris mei, & occidam Jacob fratrem meum. Nunciata sunt hæc Rebeccæ* ait Rupertus: *Dominus qui multa secretò dixerat, dicit tamen Pontifici: ego palam locutus sum mundo, & in occulto locutus sum nihil.* Nimirum adeò increbruit secreta propalandi consuetudo, ut in occulto locutus fuerit nihil, quia licèt multa secretò dixisset, scilicet secretò fuisset Discipulos allocutus, hi tamen numerum explevêre duodenarium, neque in occulto loquitur, qui duodecim simul hominibus aliquid secretò dicit. Id dicitur secretum, quod segregatur à turbis, & arcanum est; sed huiusmodi secreta adeò publicè increbruerunt, ut Christus verè dicere potuerit: *Ego palam locutus sum mundo, & in occulto locutus sum nihil:* quia nimirum aliud est secretò loqui, & aliud secretò servari, ex his quæ nobis concreduntur, plura secretò dicimus, ac discimus; sed pauca secretò servamus: adeò rara est inter homines secreti fides, ut quæ secretò dicuntur minimè secretò serventur: in occulto locutus Christus fuerat nihil, quis tametsi plura secretò dixerit, non tamen secretò fuerunt servata, cùm & ipsi Evangelistæ ea evulgaverint & Apostoli promulgaverint. In occulto locutus fuit nihil, quia quæ dixerat aliis innotuere: is non loquitur in occulto, qui quæ dicit pluribus innotescunt.

Joan. 18.

Matth. 20.

Matth. 17.

Genes. cap. 27.

In Genes.

Vix quæ secretò aliis indicantur; secretò ab aliis servantur; idque causæ fuit, cur Metellus militiæ peritissimus tanti fecerit, secreta posse secretò servari, ut sciscitatus, quid postera die esset acturus, responderit: si scirem intimam meam tunicam mei conscium arcani in ignem eam abjicerem: edocuítque quàm noxium sit linguæ vitium aliena secreta effutire; imò & propria aliis prodere præsertim imprudentibus: hinc Salomon *secretum extraneo ne reveles*; idque ansam præbuit Abbati Antiocho dicendi: unicuique obvio concredere sui pectoris arcanum, cordisque secretum, animum prodere ineruditum; & à cribro vix abludentem, cum aquam, quâ oppletur statim effundat: oris pertusi homo dicitur, qui tenax secreti non est, plenus est rimulis hàc, illácque profluens & omne quod intus continet, exteriùs effundens; vas est pertusum, fluxúmque, doliúmque Danaidum nullius tenax liquoris: imò si virum hunc parem feceris puero glaciem manibus pertractanti, rem dilucidiùs dabis enucleato: puer siquidem manu glaciem 41.

Prov. c. 25.

ciem tenens brevi se joco decipit; sibi complacet de pellucida à se possessa crystallo, gaudet concretos latices tersi instar speculi manibus terere, ori admovere; cuperétque diu tenere, sed quia gelu manus adurit, sinit non sine tristitia gaudium suum è manibus dilabi: perinde vir linguæ indulgens garrulitati, gaudet si arcanum quoddam ab amico ei communicetur; velletque illud in cordis intimiori recessu custodire; sed quia linguæ pruritu torquetur, tandem impatiens; quod intus latebat in corde, exteriùs garrulo effutit ore.

42. Quæ deblaterari non vis; hæc è tuo non exeant corde; tuo moriantur in pectore; si semel ex ore prosilierint totam exuunt secreti rationem, præsertim si amici imprudentis aures pulsaverint: tunc enim actum est, quæ occulta delitescebant in pectore, brevi ora omnium persultabunt; & in alienas illicò subsilient aures: appositè

Epist. 105. Seneca ait: *Nil æquè proderit, quàm quiescere, & minimum cum aliis loqui, plurimum secum. Est quædam dulcedo sermonis, quæ irrepit, & blanditur, & non aliter, quàm ebrietas, aut amor secreta producit. Nemo quod audierit, tacebit; nemo quantum audierit loquetur. Qui rem non tacuerit, non tacebit auctorem.* Quòd si amico, cui tuum concredis secretum silentium injunxeris, tunc magis pruritum exacues linguæ, ad illud prodendum. Cum exiisset Christus de finibus Tyri, & venisset per Sydonem, & mare Galileæ adduxerunt ei surdum, & mutum, ut imponeret illi manum, ac auditum simul, & loquelam beneficio solius

Marc. 7. contactûs ei impertiret: *sed JESUS apprehendens eum de turba seorsim, misit digitos suos in auriculam ejus, & expuens tetigit linguam ejus, & statim apertæ sunt aures ejus, solutúmque est vinculum ejus, & loquebatur rectè:* voluit nimirum JESUS surdum hunc, & mutum seorsim à turba trahere in locum occultum; fortassis, ne si coram turbis, & auribus auditum, & linguæ loquelam dedisset, videretur ab hominibus laudem aucupari, à qua cùm esset prorsus alienus, præcepit eidem surdo, & muto ut exhibitum sibi beneficium, restitutúmque auditum, & loquelam nulli diceret: *& præ-*

Marc. 7. *cepit illis, ne cui dicerent*, sed quia exlex est gratitudo, nec ullo se se finit, vinculo adstringi, & coarctari taciturnitatis, linguæ pruritum coërcere non valuerunt, quin tam præclarum miraculum deprædicarent;

Marc. 7. *Quantò autem eis præcipiebat, tantò magis prædicabant, & eò ampliùs admirabantur dicentes: bene omnia fecit, & surdos fecit audire, & mutos loqui.*

43. Tametsi ex hoc patrato à JESU miraculo instruamur non aucupari ex bene factis vanos populi plausus; nihilominus acutè D. Augustinus ad rem nostram observat, JESUM præcepisse adstantibus illis, patratique miraculi testibus, ne cui dicerent secretum beneficii, quod propterea etiam seorsim à turba voluit impertire: quia cùm sciret humanæ linguæ lubricitatem, non verebatur, esse eos statim prodituros, quod sub secreto fuerat ipsis concreditum, idque ad nostram eruditionem: ut inde doceremur, nec iis, quibus beneficia impertimur fidere quoad secreta iisdem commissa reticenda, linguæ enim lubricitas exlex est, nec patitur sibi silentium injungi, pulchrè Augustinus: *si autem JESU sciebat eos (sicut ille, qui notas habebat, & præsentes, & futuras hominum voluntates) tantò magis* De consen. Evang.
*prædicaturos, quantò magis, ne prædicarent eis præcipiebat, ut quid hoc præcipiebat?* Dixerim ut inde instrueremur, nec nobis amicitiâ, & beneficio devinctis cordis nostri arcana concredere, si ea velimus aliis non innotescere: quòd si cupimus ea evulgari; secretò eadem committamus, quia uberiori tunc, ac paratiori evulgantur clamore; hinc quia cupiebat Christus illustre hoc miraculum statim propagari, ideo non publicè illud patrat, sed mutum, surdúmque apprehendit à turba seorsim, & paucis adstantibus præcipit, ne cui dicerent, seu ut ex Beda respondet Maldonatus, *ut magis ad dicendum incitaret*; quia quò pressiùs silentium injungebat, eò magis pruritum augebat linguæ ad illud evulgandum; est enim secretum alteri concreditum, quod linguæ excitat pruritum, & tamdiu cor premit, ac pectus torquet, quamdiu intus renitente linguæ pruritu detinetur, Qui igitur secretum alicui credit, à quo silentium exigit, secretum negat; occultóque propalationis lenocinio ejus videtur evulgationem potiùs, quàm silentium exigere. Ipsum enim secretum est, quod linguam pruritat, & ad evulgandum excitat.

Adductus fuerat Christus in Calvariæ 44
verticem reorum antea, nunc Judicis carnificinam, excellam attollendus in trabem, ut illustri suæ ignominiæ spectaculo vilesceret in probris, qui splendescerer in stellis: tres fermè horas cruciatus sustinuere ibi diducta brachia, luxati artus, perfossæ manus, trajecti pedes, è quibus beatis scatebris sanguis effluebat: & dum triste parricidium urgetur; & à circumstantibus informi Regno illuditur, infami letho insultatur, sol ipse ne tantùm esset sceleris spectator eructata inde caligine diem ipsam oppressit; puduit solem suos in terras radios delegare, ubi divinus sol, vel in ipso meridie mortis subibat occasum; & ne tantam rei videret indignitatem eripuit funesto facinori diem, diei lucem, luci splendorem, & splendori se ipsum, suum in tenebris abdens caput: & lugere visa sunt reliqua cœli lumina, quæ tenebris, & squalore obsita, aut indignum Judæo-

Judæorum facinus cæcæ noctis caligine involvunt; aut immanissimum Conditoris supplicium tetro obducta peplo funebri veluti pompa, ac lugubri apparatu prosequuntur. Imò & mœrore absumi, ac conteri visa sunt elementa, cùm à suis quasi sedibus avulsa authoris sui necem proprio ipsorum interitu præcurrere quodammodo nituntur: suo parentavit Conditori tellus cum crebris, profundisque concussionibus labefactata tanti criminis non sustinuit immanitatem, cum & ipsa saxorum firmitas contractâ soliditate, disrupta fuerit. Contabuit omnis itidem antiquitatis memoria senio confecta, dum velum templi, quo prisca illa mysteria quasi sacrosancta occludebantur, in partes discinditur. Imò & tristitiam visi sunt sensisse ipsis etiam sepulchris inclusi cineres, qui ne sine doloris, & commiserationis sensu essent, sensum, motúmque ad vitam avidè repetiêre, quò vitæ Authori mortem oppetenti justa exhiberent: & tandem suo Conditori tota visa est natura parentâsse; quæ expalluit, contremuit, & propè defecit.

45. Sed defatigantur sacri Interpretes in variis assignandis causis, cur sol radios suos prohibuerit, terrámque totam cæcâ, ac tetrâ obnubilaverit caligine, cùm Christus complexus infame lignum Calvariæ montem votorum suorum culmen ascenderet, regnaturus à ligno Deus, eruciq; manibus diductis, ac pedibus junctis clavis figeretur. *A sexta autem hora tenebræ factæ sunt in universam terram usq; ad horam nonam.* Diceres suos solem radios prohibuisse, ut atratus ostenderet turpe sibi esse divino extincto sole lucere, & tantum facinus, cum reliquis non lugere creaturis. Vel voluisse solem à tam execrando spectaculo suos avertere oculos, & tenebris offundi, ut tantum probrum offusâ suâ caligine obregeret. Vel suos obduxit sol splendores, quia facinus nefariè perpetratum ab impiis parricidis sine lacrymis intueri non potuissent Angeli pacis, si ipse diurni luminis moderator diei cursum repentina nocte non prohibuisset. Vel cùm divinus sol suo in meridie præmaturum subiret occasum, voluit & mundi lampas, sydúsque diurnum cum suo authore occidere, ne solus necis pateretur eclypsim. Vel exuit sol lucidas, purpureásque suas vestes, & atras induit caligines, quò lugubriùs suo parentaret Conditori. Sol ipse dierum supputator meridiana atratus nocte hunc luctuosum diem suo expuncturus è cathalogo inopina, ac tetra delevit caligine, nigro ut signaretur lapillo funestus dies ille, qui sacrilego funestabatur scelere. Vel quia turbata in suo fonte lux fuerat fluere ultra non potuit pura in suis rivulis, qui propterea nonnisi atras fudêre caligines; & præsertim diei lampas, quæ suo in meridie non potuit sacrificium tolerare vespertinum; & non ampliùs nitores, sed atras effundens caligines omnia, vel in ipso meridie nocti commisit, ut imane scelus ubique lateret. Appositè tamen ad rem nostram causam adfert S. Leo Papa, cur sol suos in nece Christi radios obduxerit, & offusa caligine noctem invexerit in meridie; ait ipse: *Cum ergo Dominus crucifixi corporis elevatione sublimis reconciliationem mundi exequeretur in quadam arce supplicij, Latronémque conversum ad paradisi vocaret tabernaculum, vos Principes Judæorum, Legísque Doctores, nec conscientia impietate compuncti, fixuris clavorum addebatis tela linguarum dicentes: alios salvos fecit, se ipsum non potest salvum facere? Sed hic vocibus vestris stultis, atque blasphemis reddunt omnia elementa responsum, & unam in vos sententiam ferunt, cælum, terra, sol, sydéráque, indignos vos suo ministerio protestantur; & terribili motu, insolitóque defectu, tenebras mundo vestra cæcitatis ostendunt:* nimirum sol suo defectu, suísque offusis tenebris clariùs ostendit mundo insanam malitiam Judæorum, & Pharisaicam obstinationem: sol adductis tenebris arcanum facit in publico, & mutatione vestium, fuóque attrato peplo scelus illustrius manifestavit Judæorum; scilicet tenebrarum secreto, caliginum occultatione; & ubi tetra caligine solet secretum scelus abscondi, nunc secreti malitia propalatur, & offusa caligine delictum clarescit, quò illustriùs per tenebras publicetur; ut quod erat occultandi ingenium, promulgationis evaderet arbitrium: illi dicuntur terræ recessus occulti, & secreti, qui cæca caligine, jugibúsque obducuntur tenebris; suntque propterea caligines, quæ secreta foveant; sed sunt & etiam caligines, quæ secreta, quæ fovent, etiam produnt; quia ut tempestivè ait præcitatus D. Leo, *sol insolito defectu tenebras mundo judaica cæcitatis ostendit*, seu secretum judaicæ malitiæ tenebrarum secreto, lucisque defectu splendidiùs promulgavit.

Matth. 27.

Serm. 10 de pass. cap. 5.

## §. VI.

### *Garrula lingua secreti servandi impatiens, quod ei concreditur secretiùs, prodit avidiùs.*

Perversè sibi consulunt, qui propria secreta alienis concredunt auribus, adjectâ ea conditione, ne evulgentur, cum vel ipsum secretum se prodat, & ipsæ caligines, ac tenebræ, quæ videntur secreta parere, & alere, eadem evulgent, quò & tenebris magis clarescant: siquidem garrulæ linguæ lubricitas secreti servandi impatiens, quæ ipsi sub secreto concreduntur evulgat promptiùs, præsertim si lucri alicujus spes illuceat; natura siquidem humana studiosa est garrulitatis, & frœna disrumpens silentii, quod illi committitur secretiùs, & concreditur sacratius, prurit studiosiùs effundere, & avidiùs prodere. Studio secreta prodendi videntur homines impelli, & œstro quodam exagitari ad concreditum sibi arca- 46.

 num

num effundendum; præsertim si de loquacitate, & garrulitate aliquod affuturum sibi prœmium sperent. Idque causæ, cur strenui Duces; & præsertim in castris, qui exercitibus præsunt altissimo silentio, ac utilissima dissimulatione, quæ acturi sunt, obtegunt: *demens, & vanus ille est*, ait Honosandet, *qui priusquam necesse sit, negotiorum arcana cum multitudine communicat: nam tunc præcipuè temporis scelerati quidam ad hostes malitiosè transeunt, quod ab illis proditionis gratiâ honores, & præmia se adepturos sperant.* In Strateg.

47. Ea est humanæ ambitionis indoles, ut spe lucri, vel honoris obtinendi, vel maximè moveatur: nec vereatur fidei injuriam, si de proditione Magnatum gratiam sibi spoponderit. Hujus veritatis illustre dedit documentum Aod strenuus Hebræorum Dux haud ignarus: cùm enim grande moliretur facinus nulli illud, nec amicorum fidelissimo aperuit, veritus imbecilliorem fore fidem, si velit quis silentio os obstruere, cùm ambitio prœmiorum ostensione efficacior sit ad os aperiendum; ideóque nulli suum voluit arcanum prodere, quia si semel secretum ore exiliret, vix coërceri potest, quin ad plures statim percurrat aures. Cùm igitur Aod dimissis socijs omnibus ad Regem suisset reversus, dixit, secretum se verbum habere, nimirùm *secretum*, quia nulli dixerat, si enim vel uni illud credidisset, non ampliùs secretum verbum fuisset; & præsertim, si vel uni duntaxat concredatur secretum mulieri; sicut enim est mulier secreti investigandi avidissima; ita & ejusdem effundendi percupida.

48. Romanus olim senatus occultum aliquod consilium per dies aliquot intra se agitaverat, cúmque res pluribus esset obvoluta difficultatibus, ac non modicas excitaret suspiciones cujusdam senatoris uxor; gravis quidem & pudica, sed tamen mulier, maritum precibus ursit, ut vellet sibi arcanum aperire dejerans se religioso, ac inviolabili silentio rem tectuam; cúmque ab importunis die, noctúque non desisteret precibus; quibus maritum in sua flecteret vota: Vir tandem ad excutiendas sibi ingestas molestias dixit uxori: me tandem vicisti tuis precibus, & lachrymis; proinde audi terribilem rem, atque prodigiosam, quam tibi unicæ fido, ut inde meum erga te amorem conijcias, & quidem tibi unicæ secretum concredo, ne ulli alteri dicas, cúmque execrationibus varijs se secreti spospondisset tenacissimam; tunc ad illam vir: scias mi uxor, relatum ad nos fuisse à sacerdotibus essidam (seu alaudam) visam esse volantem cum galea aurea, & hasta; de eo ostento unà cum auguribus deliberamus, anxiéque disquirimus, felicísne, vel infortunij aliquid portendat? sed tu mi uxor interim tace, & ut promisisti, silentium serva, ut nulli prorsus dicas. Hæc cùm vir narrâsset uxori, domo exivit, processítque in forum: sed mulier domi secreti servandi impatiens, sentiens se linguæ torqueri pruritu, & impar linguæ coërcendæ; primæ, quæ ex ancillis eam adivit, pectus pugno pulsans, plangens, & altera manu crines discindens; dixit heu mi vir, ò mea patria, & quidnam nobis cotinget! quid de nobis fiet? ad heræ querulas voces, fusásque lachrymas ancilla secreti investigandi avidissima heram interrogavit, quidnam illud esset, tam infaustum, quod clamores illos, & lachrymas eliceret; tunc hera sicut secreti effundendi percupida, silentij fidei ancillam obstrinxit, & tuue hera rem totam à marito auditam ancillæ narravit: sed vix à domina digressa ancilla, ingredienti alteri ad ipsam, rem totam sicut primæ narravit etiam secundæ, additâ communi loquacitatis clausulâ, sed cave, ne cui hæc dixeris, & tace; accedentibus mox ad heram exteris fœminis omnibus idem promulgavit secretum, quod suis ancillis; & brevi per fœminas efficta à viro fabula per urbem totam devoluta fuit, unà cùm ejus authore, qui domum reversus uxorem increpavit, ut sibi infidam, quia contra juratam etiam sponsionem ausa fuerit arcanum sibi concreditum promulgare, ac mulieris acriter redarguit imprudentiam. Ita est effutire secreta sibi concredita, muliebris est ingenij nati ad colum tractandum, & acum; & quisquis ex viris secreta investigat cupiens ea effundere fœmineum potiùs genium prodit, quàm virile ingenium.

Vir futilis linguæ indulgens proclivitati haud suppar est illi, qui perforato bibit poculo, plus enim effundit, quàm bibat. 49.
Discruciatur cor, ni arcanum sibi commissum prodat; torquetúrque ni involutum aperiat; premitur, ni quod in pectore latet, ore evomat; aduritur lingua secreti flammâ, & quasi secretum intus æstuet, flammámque conceperit, sursum nititur avolare, & per os exteriùs divagari: & sicut qui in intimioribus montium visceribus ignes stabulantur eorundem montium juga concutere solent, sinúsque quatere, ac disrumpere, donec foras per patentes hiatus erumpant: ita secretum, quò in intimiori cordis fovetur recessu, eò violentiori impetu nititur sursum ascendere, eordisque angustias veluti disrumpere, & per oris hiatum foras avolare, & in aures exterorum percurrere. Hinc Anacharsis expressurus continendæ linguæ difficultatem, lenioti frœno domitam intemperantiam ostendit, arctioríque opus esse docuit ad linguam coërcendam, ne secretum funderet, ait Plutarchus. *Anacharsin, eum accubuisset, viderunt lævam virilibus, ori dextram tenentem admotam, quippe fræno censebat firmiore opus habere linguam, atque rectè censuit: neque enim facilè recenseas libidinis intemperantiâ viros tot perijsse; quot urbes, & Imperia verba prolata recondita delevêre.* De garrul tate.
Dixeris in homine secretum veluti garrulitatis cotem, ut enim culter cote exacuitur,

cuitur, quò faciliùs scindat; ita secretum linguam acuit, ut citiùs effundat, quod intus latet in pectore; est enim secretum in homine garrulo, quid violentum ebulliens in pectore, labia impellens, & linguam exacuens.

50. Quidquid notitiam fugit, non solùm titillat, sed & indagandi studium acriter incendit, tametsi in alienis arcanis scrutandis plurimum quis patiatur detrimenti, pluribus fiat periculis obnoxius. *Cum magna impudentia* ait, Plutarchus: *aliorum origines exsutimus, vicini Syrum avum fuisse, aviam Tressam, tria illum talenta habere æris alieni, nec usuram dissolvisse: exquirimus item hujusmodi unde hujus reversa sit uxor, quid ille, & illa seorsum collocuti sint in angulo:* effrœnis enim est abdita scrutandi cupiditas, & garrulitas effundendi. Cum Senatus Romanus Neronis Imperium simul, & jugum excutere decrevisset, summóque, ut negotium exigebat silentio rem tractâsset, unico duntaxat homini, qui intrepido videbatur animo esse, rem totam aggredi, & perficere, quo decebat præmio, & cautela concredidit. Sed is damnatum quemdam ad bestias, cùm vidisset, suámque deplorâsset sortem pruritu evulgandi secretum commotus, miserum illum damnatum accessit, eique id dedit consilij, ut voto Dijs facto supplicij tempus, vel in alterum diem differri impetraret, quòd si obtinuisset, acturum se consulenti gratias asseruit: ad bestias perducendus vitam noluit suam contingentiæ exponere, sed de proditione asserere, accitóque Nerone rem aperuit, qui per inflicta tormenta veritatem omnem extorsit; & homo ille suo exitio expertus est, quanti fuerit damni solam secreti ingessisse suspicionem, ait Plutarchus de garrulitate. Una supererat mors, postquam tollendus erat Tyrannus; instructis omnibus; qui eum trucidaturus erat profectus ad theatrum, vidit quendam præ foribus ad bestias damnatum, qui erat Neroni sistendus; ad hunc fortem suam lamentantem propiùs accedens, atque in aurem susurrans: *bius tu*, inquit, *fac votum, ut diem hodiernum modò prætereas, eras ages mihi gratias*; quia verò, quod illius magis intererat, tacuit, dignas tulit silentij pœnas, & quæstiones ignis, flagella expedita organi expresserunt, quæ citra necessitatem indicaverat. En qualia garrulæ linguæ lubricitas damna accersivit.

*De garrulitate.*

*Plutarch. ubi supra.*

51. Secretum quod in intimo cordis recessu latet, si ad oris ascendat labia, & solam sui suspicionem foras emittat, non solùm suis destituitur viribus, verùm & cuncta statim funestat: hinc in priscæ legis ritibus præcepit Deus, ut propè altare parati semper essent parvi aliquot lebetes aquâ pleni, in quos emuncti lampadum lychni, ac cereorum muci injicerentur. Pari pacto, si arcanum aliquod tacendum quis audivit, vel quid aliud, quod inferre alijs damnum potest, in audiente tantùm oportet, immoretur, & commoriatur, idque nobis præcipit Spiritus S. per Salomonem. *Audisti verbum malum adversus proximum tuum? commoriatur in te.* Sit cor nostrum instar lebetis aquâ pleni, in quo quidquid malevoli verbi auditur, statim mergatur, & quidquid secreti nobis fuit concreditum, prorsus demergatur, ne fumus, & fœtor sursum ad os abeant, latiúsque propagentur; quidquid alteri potest detrimento esse, id in nobis extingui debet, & immori quidquid alienam famam inficit. *Eccles. cap. 19.*

52. Refert Curtius Alexandrum Macedonem in ea, quam contra Darium susceperat, expeditione, omni solicitudine, & curâ investigâsse, quam regionem Darius petijsset, quod tamen explorare nulla præmij sponsione potuit: moris siquidem erat Regum Persarum arcana inviolabili celari fide, adeò ut nec metus pœnæ, nec spes prœmij elicere valuerit vocem, quâ proderentur arcana Principis: garrulitas enim linguæ in evulgandis Principis arcanis graviùs quocunque alio puniebatur probro. Et ipse itidem Alexander Macedo sciens quanti sit taciturnitas momenti in arcanis tegendis, edocere id etiam voluit tunc, cùm à matre sua Olympia missam ad se epistolam occultas accusationes, & calumnias in Antipatrum continentem, ubi perlegit; ab amicissimo suo Hephæstione passus fuit eandem legi, sed eâ lectâ annulum digito detractum ori admovit Hephæstionis, quasi tesseram silentij labijs impressurus, inquiens: *Contine hac, ne quid eorum, qua legisti, effutias.* Imprimendus esset signatorius hic annulus, eorum præsertim labris, quorum os nullo clauditur sigillo; appositè ait S. Ambrosius. *Quicunque est facilis in verbis, velut plenus rimarum, hac, atque illac effluens interiora evacuat sua, & exterioribus passionibus inundatur, tegere se nesciens, nec tenere verbum, quod acceperit, sicut Sancta Maria, qua conservabat omnia verba in corde suo, non quod ex ore ejus diffluerat.* *Lib. 4. cap. 19.* *In Psal. 118.*

53. Linguæ garrulitas præsertim in evulgandis arcanis datur garrienti probro, quapropter Alexander dixit, eum, qui secretum instar depositi sibi concreditum evulgat, aut injustum, aut admodum incontinentem esse: dixit injustum, si lucri causâ commissum sibi secretum evulget, quia pecuniæ pretio vendit, quod suum non est, ideóque vitio inficitur injustitiæ; eo ipso, quòd secretum ei concreditur, illud non possidet, nisi ut secretum, cujus evulgatio in ejus non est potestate: sin verò absque lucro, & citra spem præmij arcanum sibi commissum evulgat, incontinentiæ notam non declinat: occultandum fidissimo pectore est, quod nobis arcanum committitur, & ne foras exeat, ori veluti ostio appendula sera silentij injicienda est; & ne ostium aperiatur, ratio semper excubias debet agere, rigidéque examinare quidquid per hanc oris januam ingressum

quæ

quærit, vel egressum; quia si vallum hoc hostis occupet, totam facilè evertit urbem.

54. Possident homines vallum dentium ad coërcenda verba humida, & laxantia: & sicut navis ventis abrepta anchoris coërcetur ad vim hebetandam rapiditatis; ita sermo effluens ex ore veluti navis è portu excurrit, nec ullam ampliùs nanciscitur stationem, nisi firmæ taciturnitatis anchorâ sistatur; ne verbis humidis, & laxantibus diffluat. Satiùs semper linguæ coërcere lubricitatem: hinc egregia est illa Simonidis sententia; nimirum locutum esse, eum pœnituisse pluries; sed tacuisse nunquam. Et de Pitagoricis refert Athenæus, animantes quidem reliquas comedisse, sed moderatè; imò & quasdam etiam immolâsse: pisces autem nec gustâsse omninò, echemythiæ, seu taciturnitatis, & silentij ratione: siquidem silentium esse opinantur aliquid divini, proinde etiam pisces, qui perpetuò silent, & sine voce squamigeri greges religiosa taciturnitate silentium observantes in undis morantur, & nutriuntur. Idque causæ cur suffragante parœmia apud Lucianum *Pithagoreis taciturnior* piscis dicatur mutus; sumpto adagio à Pithagoræ schola, in qua quinquennale silentium auditoribus indicebatur. Zeno Citticus Aristoni discipulo plura temerè garrienti, & quædam etiam præcipitanter, dixit: fieri vix potest fili, quin te pater ebrius genuerit: oderat ipse futilem loquacitatem.

55. Taciturnitas semper laudi data fuit, & garrulitas probro; hinc Ptolomæi legatus, qui plures eruditos ad convivium invitaverat interrogatus, quid de Zenone esset regi dicturus, respondit; vidisse se senem, qui in convivio tacere noverit; quia cùm reliqui ad ostentationem plura narrâssent, unus Zeno perpetuum servavit silentium, ob quod plurimum promeruerit commandari: lingua enim effrœnis protervior est indomito equo: consueverat enim Heresius dicere potiùs effrœni equo fidendum esse, quàm linguæ incompositæ. Nemo non metuit insidere infrœni equo; sed plus esse periculi à lingua effrœni. Difficiliùs est tacere discere, quàm loqui. Careon juvenis garrulus, ac linguæ indulgens lubricitati, cùm disciplinam cuperet ab Isocrate ediscere eloquentiæ, & à tanto Magistro artem apprehendere scitè loquendi; Isocrates duplicatum ab ipso exegit Minerval, seu duplicatam mercedem cum cæteri in gymnasio Discipuli nonnisi medietatem solverent. Cúmque consanguinei adolescentis conquererentur, quòd duplicatum peteret minerval, & quænam hujus petitionis immodicæ causa esset, cùm sciscitarentur: reposuit Isocrates, nemo id mirari debet, nam & duplex huic adolescenti est ars tradenda, est siquidem primò docendus, quod difficilius est, prudenter, & opportunè silere, neque id discet stans pede in uno: postea docendus est scitè loqui, & ob id alteram minervalis partem exigo citra injuriam.

Qualis sit intus homo, lingua exteriùs prodit: vir enim fidus, & prudens, quæ sibi concreduntur arcana in intimiori cordis recessu servat, & secreti tenacissimus cavet, ne quid per os foras exeat: qui verò infidus est, & fraudulentus, hic commissa sibi secreta silentij impatiens statim effutit, idque luculenter nos edocet Salomon, inquiens: *qui ambulat fraudulenter, revellat arcana: qui autem fidelis est animi, celat amici commissum:* quasi dicat, id interest discriminis inter ambiguæ fidei virum, & hominem prudentem, & fidelem, quia vir infidus audita statim foras eliminat: fidus verò, & prudens secum detinet, & custodit: quapropter arcanorum revelatio plerumque à fraudulenta, & infida proficiscitur mente, quia quæ fidelis est sibi arcana concredita alto premit silentio: & quâ ab amico fide secretum accipit, eadem servat. Cavendum omninò ab eo, qui nullum linguæ inijciens frœnum, quæ sibi secreta concreduntur, effutit, hic enim prodit, fallit, & infidus est, non fidelis amicus, propterea nil ei concredendum est, & Venusinus Vates monet, cavendum esse à tali homine, ait ipse. 56. Proverb. cap. 11.

*Pingere, qui non visa potest; commissa tacere,* De arte Poët. vers. 343.
*Qui nequit, hic niger est, hunc tu Romane caveto.*



DIS-

# DISSERTATIO XV.

## Precarius ad Deum clamor pravis amovendis affectibus, probísque promovendis idoneus.

### §. I.

*Quæ ad Deum funduntur preces, commotas intus pravorum affectuum procellas sedant, æstus concupiscentiæ coërcent, & cordis malaciam, mentis serenitatem advehunt.*

1. Uamvis affectos depravati æstu concupiscentiæ intus fluctuent, mentem turbent, malaciam, & serenitatem abigant, procellas invehant, animum exagitent, & hominem per fluxas carnis illecebras pertrahant, quò vel in scopulos impingat ad naufragium; vel fluctibus submergatur decumano deterioribus; has tamen tot periculis obnoxias procellas, pravorúmque affectuum tumentes fluctus sedare quis potest, naufragia declinare, procellosos æstus eludere, malaciam accersere, & serenitatem repetere, si precarium ad Deum clamorem adhibeat, si fusis precibus enixim divinam afflagitet opem, suppetiásque à Numine humilis exposcat; adeò efficax est precarius hic clamor, ut frænum pravis omnibus affectibus, qui ad hominis perniciem insurgunt, injiciat. Nam Christus locupletissima pollicitatione suos in spem victoriæ erigens Discipulos contra adversariorum insultus ait: *ego dabo vobis os, & sapientiam, cui non poterunt resistere, & contradicere omnes adversarij vestri,* Luc. 21. v. 15. Hi verò nobis adversantur, qui in nostram assurgunt perniciem, & tales sunt pravi affectus, qui nostris dumtaxat detrimentis student, nósque in interitum trahere; contra quos duplici nos munit Christus clypeo oris, & sapientiæ, ad eorum ictus retundendos: oris clypeus contra pravorum præsertim nequissimos ictus, est oratio, quæ ex ore prodit, cœlos penetrat, & Deum ipsum flectit in orantis vota, cui præstò est, & suppetias abondè illargitur: sapientiæ clypeo munimur, cum ea per fusas preces petimus, quæ animæ salutem concernunt, & exercitia promovent virtutum. Gemino hocce, qui obtegitur clypeo, pravorum affectuum coërcet impetus, eludit assultus, & retundit ictus; neque hac duplici munitis clypeo possunt dæmones, qui hominis adversantur saluti, & perniciem intentant animæ, resistere, ac contradicere: *Dabo vobis os, & sapientiam, cui non poterunt resistere, & contradicere omnes adversarij vestri,* æterna enim sapientia os etiam mutorum aperit, & linguas infantium facit disertas. Imò non solum humilis oratio pravorum affectuum ictus retundit, verùm etiam eos enervat, viribúsque destituit.

2. Populus Hebræorum dum pravis divexatur affectibus libidinis, & avaritiæ indulget, gloriam libertatis amittit, & divitias ipsas, quibus inhiabat, deperdidit, duróque Chusam Rasathaim Regi Mesopotamiæ oppressus jugo inservivit, & quidem ea famulitij severitate, ut octo annos damnabili consumpserit tolerantiâ, quin tentaverit jugum excutere. *Servierunt ei octo annos:* urgentissimis mox oppressus ærumnis, gravissimísque compellentibus angustijs, calamitatem suam attritus populus precario clamore fusus in preces ad Deum detulit. Judic. 3. v. 8. Quid ni orationis appendix non solùm Tyranni fuit depressio, & jugi excussio; verùm, & citatissima salus, & ipsum clamoris studium remedium fuit doloris comitatum: *Clamaverunt ad Dominum, qui suscitavit eis Salvatorem, & liberavit eos:* Judic. 3. 9. sed oritur hic difficultas, cur tam diuturno tempore permiserit Deus populum suum tam durè, & dirè divexari, tantisque premi calamitatibus: respondet Origenes. Servitutem tulisse ob delictum, & temporis Homil. 3. in Judic. prolixitatem ob silentium, quia si non distulisset precatios clamores, libertatem sibi celeriùs accersivisset; & quia dum clamantibus suppetiæ offeruntur, indecorum tunc damnatur silentium, quod si solveretur præstò esset auxilium. Israëlitæ igitur citiùs miseriam depulissent, libertatem, & salutem fuissent consecuti, si in suum favorem orationis accivissent efficaciam: quia verò ora nocentissima silentio clausêre, adi-

tum aperuerunt ad calamitates laxiorem: appositè Origenes. *Notandum, quia dum servirent Chusam Rasathaim, & non clamarent ad Dominum, nemo suscitatus est, qui salvare eos posset: cùm ergo clamaverunt, suscitavit eis salvatorem Othoniel, qui interpretatur tempus mihi Dei, per quem ille populus de servitute ereptus est, & pax populo reddita, quam superbia, & diversa plebis facinora fugaverant.* Eatenus populus ille jugum sustinuit diræ servitutis, quia pravis suis indulserat affectibus, libidini, concupiscentiæ, avaritiæ, & alijs, qui & libertatem adimere valuerunt, & internam animi pacem, & tranquillitatem fugare; & turbare; & quia precarium distulit clamorem ad Deum dirigere, de improbo silentio sibi fuit adversatus: si enim se in preces statim fudisset, Deum in sua vota flexisset, & quia tandem clamavit, calamitates singulas fugavit, quas citiùs exterminâsset, si orationis suffragio suppetias petijsset: *& nisi clamâsset,* ait Glossa apud Hugonem Cardinalem, *non suscitaretur eis Salvator.*

Homil. 3.

3. Cùm igitur nos pravorum affectuum servitus premit, proni in humum prostrati Deum humili adoremus obsequio, precario rogemus clamore, præcedat humilis adoratio, & excelsa sequatur oratio, quæ est mentis ad Deum ascensus,& ut digni simus tam præcelso ascensu,studeamus semper tales esse,quales cum Deum rogamus,sumus, & quia ut ait S. Chrysostomus: *per divinum colloquium illud assequimur, ut & mortales, & temporarij esse desinamus: natura quidem mortales,sed colloquio, convictúque, quem cum Deo habemus ad immortalem vitam transeuntes.* Definimus per clamorem precatium esse mortales, si non bona interitui obnoxia, non hujus vitæ commoda,non mundi hujus fluxa, per fusas preces à Deo petimus, sed salutem animæ, auxilia uberiora, quibus & declinare vitia possimus; & impensiùs studio incumbere virtutum; non enim sunt à Deo petenda, quæ saluti nostræ potiùs obsunt, quàm prosint; sed quæ exercitia promovent virtutum, & pravos quósque enervant, extinguúntque in nobis affectus, qui in nostram duntaxat insurgunt perniciem: si cùm Deum per clamorem precarium accedimus, hanc exuimus mortalitatem, & temporarij esse dedíscimus; hoc est, quamvis naturâ mortales simus, colloquio tamen, quod cum Deo instituimus, ad immortalem transimus vitam; tunc enim Deus cœli, terræque Moderator, mundíque totius Conditor, submittit se ad paria cum nobis, seu terræ vermiculis colloquia.

Homil. de orat.

4. Quis igitur à sana mente ita alienus, qui hanc prono animo mortalitatem non exuat, & immortalia non petat, quæ induat ad pravos quósque affectus excutiendos? Et tamen tanta plerumque est hominis rusticitas, imò & cæcitas, seu potiùs pravitas, ut cùm Deo miscere colloquia sit illi fastidio, & grave illud, cujus beneficio cœlos ipsos conscendit, Deúmque in sua flectit vota. Mendacij notâ redarguitur homo, si se Deum diligere fateatur, & suo in corde Deum alloqui remoretur; amicitia, quæ semper est muta, vix ab odio distinguitur. Quòd si qui pravis divexatur affectibus, nolit precario clamore Deum revereri; velit saltem sui misereri: si ut oret, precésque suas ad Deum fundat, non ipsi amor, & charitas suadeat; saltem ipsa necessitas sit,quæ hunc precarium ad Deum clamorem persuadeat, uti monet D. Chrysologus, inquiens: *Nos qui ad incerta consurgimus,qui inter insidias viam ducimus, qui horarum varietates, momentorum motus, verborum lapsus, actuum pericula sustinemus. Quid est, quod ecclesiam manè nolumus intrare? quid est, quòd matutina prece totius diei custodiam nolumus postulare? quid est, quòd homini adstare toto tempore libet, & Deo assistere nec puncto libet? Oremus saltem humano timore, si non divino amore; si non invitati bonis, saltem coacti malis.* Serm. 33.

5. Quid aliud est homo, nisi pura miseria, ludibrium pravorum affectuum, concupiscentiæ ludus, iræ fomes, & cæcæ ignorantiæ obductus caligine: unicum ei præsidium superest, quo possit, se à miseria eximere, assultus coërcere concupiscentiæ, ictus retundere pravorum affectuum, & ignorantiâ pulsâ sapere: est autem hoc præsidium clamor ipse precarius, seu oratio, quæ est mentis ad Deum ascensus, seu ad eum, qui potis est ærumnas nostras statim abigere, miserias pellere; nósque suâ gratiâ participes facere æternæ beatitatis; & id summè Deo placet; si suæ beneficentiæ exhibendæ per precarios nostros clamores sibi occasio detur: ideò enim Deus cuncta creavit, ut statim haberet, quæ, & quibus donaret,& cùm nostras ad ipsum preces fundimus Deum urgemus ad dandum,quod enixim ab ipso petimus; cùm ad illud idem natura sua propendeat: hinc gratissimæ sunt illi preces nostræ, si collapsa instaurent virtutum exercitia,si pravorum affectuum nitantur impetus contundere, & concupiscentiæ effrœnes motus coërcere, & virtutum petant in nobis incrementa: non potest tunc Deus se à largiendo continere; & propensus benefacere, cùm sit ejus natura bonitas, & hæc sui etiam in creaturas diffusiva, non potest non operari nisi juxta suam naturam, & nobis propterea semper cupit benefacere: idque causæ cur etiam impensè nos adhortetur, ut sine intermissione oremus: quia nimirum sine intermissione dare cupit: quòd si orare desistimus,Deum suo privamus voto; & nos nostro bono.

6. Verùm, ut quod petimus, obtineamus, & clamor noster precarius non solùm aërem moveat, sed etiam Deum ipsum commoveat ad id munificâ largitate dandū, quod à nobis petitur, necessè est, induamus nos meritis JESU Christi, & tunc non nobis, sed Christo petamus. Neque à clamore desistens

fistendum precario, donec quæ auxilia petimus, ad pravos nostros coërcendos affectus, obtineamus. Quod si agendum sit cum Dinastis, cum Principum Administris plura voranda sunt tædia, multa subeunda incommoda, & captandæ opportuniores occasiones eosdem adeundi, & illis nostras supplices aperiendi preces; & tamen tædia superamus, incommoda toleramus, occasiones patienter expectamus, ut aliquid ficti, vel imaginarij honoris, vel falsæ dignitatis assequamur: quâ assiduitate non deberemus jugiter enixim Deum rogare, donec non mundi divitias, non vitæ commoda, non lautioris fortunæ fluxibilitatem, sed æternam consequamur salutem? Ad regale hoc secretum semper velum reductum est, semper nobis aditus patet ad Numinis solium, neminem Palatini cœlestes volentem ingredi repellunt, sed potiùs hortantur nos, & invitant, adeò ut ex humo homo cœnosus pœdore plenus, sordibúsque oppletus; cùm voluerit, & quoties ei placuerit, possit semper ad Deum accedere; ejus solium ascendere, & cum eo loqui, & è colloquio reverti opulentus, gaudio delibutus, virtutum ornamento splendidus, & gratiâ coronatus; & tamen adhuc cæcutiunt homines, adhuc humi repunt, & turbulentis suis obsequuntur affectibus, quibus perinde ac fluctibus exhausti premuntur, & opprimuntur: quia nimirum qualis sit orationis efficacia ad ærumnas excutiendas, & pravos quosque affectus coërcendos prorsus ignorant.

7. Imò non altiori voce solùm clamantes, sed & ipsi muti, quibus lingua non est soluta ad loquelam, possunt has preces sibi opitulantes ad Deum dirigere, & ab eo, quod cupiunt consequi, hinc Augustinus ait; *Serm. de Quadrages.* *Cum oras, clama, non voce, sed mente. Nam & tacentes exaudit Deus; neque quæritur locus, quantum sensus. Jeremias confortatur in carcere: Daniel exultat inter leones: tres pueri in fornace tripudiant: Job nudus in sterquilinio triumphat: paradisum de cruce triumphans latro invenit, quia non est locus, ubi non sit Deus.* Imò plerumque, vel ipsæ ærumnæ, si patienter tolerentur, & mens ad Deum dirigatur, officium funguntur precarij clamoris. David pluribus oppressus calamitatibus, obrutus miserijs, exagitatus ærumnis, sui, suorúmq; cruentam timet cladem: dúmque præter miserias humanæ vitæ appendices, atroces Regis veretur iras, calamitosè acriùs angitur, propterea à turbis secedens hominum, mœstus in inviæ sylvæ recessu clamat. *Psal. 21.* *Qui timetis Dominum, laudate eum, universum semen Jacob glorificate eum. Timeat Deum universum semen Israël:* deinde addens causam subdit: *Quoniam non sprevit, neque despexit deprecationem pauperis, neque avertit faciem suam à me, & dum clamarem ad eum exaudivit me.*

8. Quærunt sacri Interpretes, quænam sint preces istæ: quas Deus non despexit, & quis humilis hic clamor, quem non sprevit, quemque Deus beneficus exaudivit. Plures plura hac super re argutè dicunt, sed ad rem nostram tempestiva est Græcorum Patrum expositio. *Neque despexit deprecationem pauperis, &c. laudate inquit, eum, qui, author salutis hujus nobis fuit, qui vilissimam nostram naturam despicere minimè voluit, sed exaudivit:* *In paraphrasi Psal. 21. v. 25.* sed quid quòd humilis Davidis oratio, seu precarius clamor, sive ore prolatus, sive corde conceptus non dicatur à Deo exaudiri, sed potiùs vilissima nostra natura? ajunt enim Patres Græci; *qui vilissimam nostram naturam dispicere minimè voluit, sed exaudivit:* mirum sanè quòd non clamor precarius audiri, & exaudiri dicatur, sed vilissima nostra natura pravis affectibus fluctuans, concupiscentiæ æstu arescens, iracundiæ subsultibus inquieta, ærumnarum molestijs obnoxia, miseriarum colluvie obœrata, calamitatibus pressa, & persecutionibus oppressa, ipsa dicatur, tametsi obmutescens, exaudiri; & non potiùs clamor precatius ingenti similis lamento: quia nimirum ipsa tolerantia miseriarum utrinque hominem impetentium, tametsi muto silentio tacita, precarij clamoris officio fungitur, quò Numinis clementiam in se flectit. Est siquidem ipsa humana natura miseriarum mole oppressa, sed si mens in Deum dirigatur, & quæ perpessa est miserias, holocaustum Deo offerat; præcoqua oratio est, vocalísque silenter clamor, qui præproperè divinas veluti aures perpulsans concupitas feliciter impetrat suppetias.

## §. II.

*Eâ est Dei in homines beneficentia, ut non solùm vocalem orantis clamorem audiat; verùm etiam nostras miserias exaudiat, quibus opitulatur.*

EA est Numinis in nos beneficentia, ut non tam vocalem orantis clamorem audiat, quàm vilissimam nostram naturam exaudiat, quamvis innumeris exagitatam miserijs, oppressam ærumnis, lancinatam calamitatibus. Cur igitur non gratulemur humanæ naturæ miserijs oppressæ, ærumnojs vexatæ, & calamitatibus exagitatæ, cùm de miseriarum prærogativa ad orationis sublimetur elogium? Felices humanæ naturæ miseriæ, quæ munere fungentes precarij clamoris, vel tacito silentio, ac muta taciturnitate præproperè divinas quasi aures pulsant, & laboranti naturæ humanæ concupita impetrant subsidia. 9.

10. Pauper quispiam per annos octo supra triginta jacebat paralyticus juxta probaticam piscinam viribus destitutus, ab omnibus derelictus. Sed qui miseros inter dies vitam insumpserat, huic fuit Christus dies festus, sabbathum siquidem nunquam ex sui, sed semper ex alieni laboris desitione, definitum voluit; huic igitur paralytico non habenti hominem, ad piscinam occurrere voluit Christus, miseratus in ægritudine corporis multiplex animæ infortunium: & licèt causas non amaret morborum; non tamen semper eorundem visus est effectus odisse. Voluit inde hominem excitari, unde acriùs torqueretur; ut quod membris corporis est vinculum, mentibus fieret libertas; & quia paralyticus pro derelicto habebatur eum speciatim dilexit, & Medicus eum accersit ministraturus opportunum pharmacum: annosa fuerat ille calamitas, & veluti in alteram naturam consuetudo diuturni morbi transiisse visa fuerat; morbus enim triginta, & octo annorum, adeò altiùs suas egerat in paralytico radices, ut inveteratus morbus Medico indigeret cœlesti non minore. Abijt & ipsa patientia in consuetudinem, imò etiam in naturam; cùm diu suis malis convixisset, & trigesimum octavum annum decubuisset, haud abs re interrogetur, an velit convalescere? Hunc cum vidisset JESUS jacentem, & cognovisset, quia tam multum tempus haberet, dicit ei; *Vis sanus fieri?* Quid, quòd Christus paralyticum interrogat, num velit sanus fieri? cùm ad eum finem sciret, eum in piscina decumbere, ut beneficio aquæ motæ pristinæ restitueretur sanitati? Non tamen supervacaneam putes Christi interrogationem: quia tametsi sciret, diuturno morbo acerbiùs cruciari, eóque animo illic immorari, ut diligentiâ, si fortè posset, sanitatem præ reliquis mercaretur; adhuc tamen maluit eum interrogare, ut ejus interrogatio nostra esset instructio, ut inde disceremus, ejus pietatem antevertisse vocalem paralytici precationem, clamorémque precarium; & diuturnam paralysin triginta, & octo annorum tacitis clamoribus functam fuisse munere orationis præcoquæ, quæ Deum præmovit, inflexitque ad sanitatem eidem impertiendam: pulchrè S. Cyrillus: *Magnum misericordiæ Christi est argumentum non expectare semper laborantium preces, sed sua misericordia prævenire:* sed quamvis vocales non semper Christus preces expectet: quia tamen ipsa calamitas, & miseria naturæ humanæ precaria apud Deum est, si mente ad ipsum dirigetur, ejus tolerantia efficax, & ipsa est, ad Deum permovendum, ut laboranti opituletur naturæ. Christi benignitas vocales paralytici preces non expectavit, quia ipsemet paralyticus totius corporis dissolutione, & miserijs pressus clamor erat precarius, qui præcoqua impetrandæ curationis supplicatione misericordiam extorsit, & sanitatem obtinuit.

*Joann. 5.*

Paralyticus igitur ore tacito, sed corde clamoroso, morbóque precario humanam apposuit necessitatem concupitæ sanitatis deprecatricem. Si cor levetur in cœlum non putrescit, nec morbo tabescit in terra: tametsi gravetur morbis corpus, videatúrque in terris hærere motu destitutum; adhuc tamen si spiritus vigeat, è terra assurgit, & cœlum ipsum pervadit, éstque hic spiritus ipsa oratio, quæ non hominum animos, sed Deum ipsum in suas partes trahere novit. Hæc quamvis è corpore exiliens viribus destituto, morbis afflicto, adhuc nubes penetrat, super astra evolat, cœli penetralia subit, Deo se sistit, nec unquam irrito conatu suam perorat causam, dummodo mortalitatem exuat, seu non petat, quæ interitui obnoxia sunt, sed quæ ad animæ salutem pertinent. 11.

Ex hac autem oratione veluti ex optima matre optima quoque enascitur filia, devotio scilicet, quæ est voluntas non præpedita; sed expedita ad id promptè, & alacriter exequendum, quod ad Dei pertinet servitium, éstque quædam agilitas, ac vivacitas spiritus, cujus præsidio charitas suas in nobis actiones promptiùs exequitur, & expeditiùs operatur. Scimus struthiones alarum remigio nunquam in sublime evolare: gallinas itidem nonnisi magna cum difficultate, & demissè: sed aquilas, columbas, & hirundines pernici volatu in sublime vehi. Perinde dixerim, torpentes in Dei obsequio, & languentes in virtutum exercitijs, jacentésque in luto vitiorum, nunquam animum è solo ad cœlum evehere, quia omnis illorum libratio terræ hæret, omne eorum studium propter hujus vitæ suscipitur commoda. Probi verò, quibus tamen deest in divinis obsequijs agilitas, & promptitudo, perinde ac gallinæ ægrè admodum in sublime avolant, & quidem rarò, ac tardè. Qui verò agilitate gaudent spiritus, verámque fovent devotionem; hi & celeriter, & frequenter, perinde ac aquilæ sursum ascendunt. Si nolimus in terris brutescere, necessè est, cor nostrum aquilas imitetur, sursúmque vehatur in Deum, pulchrè D. Augustinus. *Non putrescit cor, si levetur ad Deum. Frumentum tuum, si haberes in inferioribus, ne putresceret, levares istud ad superiora. Frumento tuo quæris locum mutare: & cor permittis in terra putrescere. Et unde inquis possim? qui funes, quæ machina, quæ scala opus sunt? gradus affectus est; iter tuum, voluntas tua est: amando ascendis, negligendo descendis.* 12.

*In Psalm. 85.*

Tunc noster affectus est Deo gratus: cum sursum avolat, & Deo adhærescit beneficio orationis, quæ cum sit mentis ad Deum ascensus, alas exhibet nostro affectui, ut per.nici 13.

nici volatu sursum feratur. Putrescit affectus noster, si cœnosis terræ paludibus immersus hæreat: & nisi elevetur in sublime semper deficit, ac corruptibilibus immixtus corrumpitur, & ipse: nonnisi calamitates, ærumnas, morbósque lethales contrahunt humani affectus, quamdiu humi repunt, & cor in hisce sordescit inferioribus. Neque excutere has valet miserias nisi beneficio orationis, quæ non solùm est criminum medela, verùm, & omnium calamitatum expultrix: est siquidem oratio omnium officina felicitatum, sine qua nec animæ salus diu consistit; nec fortunæ prosperitas floret: est oratio charitatis fomentum, cordis solatium, animi robur, mentis serenitas, vitæ sustentaculum, salutis fulcrum, vitiorum excidium, pravorum affectuum naufragium, concupiscentiæ æstuantis unda extinguens impuros ejus ignes, cordis refrigerium, delictorum clades, & Dœmonum fuga, dixeritque propterea Tertullianus: *Revera in oratione breviarium totius Evangelij comprehenditur*, quia si in Evangelio mortui resurgunt, Dœmones effugantur, mores depravati corriguntur, anima reformatur, & crebris miraculis tota redintegratur natura, cum hæc omnia præstet oratio; rectè dicitur totius esse Evangelii compendium, quia beneficio orationis viget energia sanitatis, expelluntur morbi, extinguitur febris, restituitur oculis visus, auribus auditus, pedibus gressus, & ipsis mortuis etiam vita: cúmque omnia in homine commoda ab efficacia oriantur orationis nulli dubium, quin non solùm utilis, sed & necessaria nobis sit, quia quanta est ejus pro corpore utilitas, tanta est pro salute animæ necessitas.

Lib. de orat. cap. 1.

14 Summa est homini alimenti necessitas, licèt enim possimus sine vestibus, absque ædibus, & lecto, ac alia domûs supellectile esse, ac vitam ducere, non tamen diu sine cibo; quo si destituatur homo, necesse est pereat. Verùm quamvis videatur ultima esse cibi necessitas, ut vires corporis reficiantur, membra restaurentur, & totus homo corpore convalescat; multò tamen magis necessaria est animæ oratio, quàm corpori cibus, dixeritque propterea D. Chrysostomus; Id orationem esse animæ, quod anima est corpori; & quia sine anima vitales suas nequit corpus functiones exercere, sed statim corruit, deficit, ac putrescit; anima igitur si oratione destituatur, deficit, ac facilè emoritur, perinde ac corpus, si omni prorsus destituatur cibo impallescit, tabescit, viribus destituitur, deficit, ac emoritur; imò major est animæ necessitas orationis, quàm corpori cibi, quia si absque cibo aliquot etiam diebus, quamvis ægrè potest corpus vivere; non ita anima absque oratione, hinc Christus Luc. 18. ait: *Oportet semper orare, & non deficere*, quia si cadat oratio, insurgunt pravi affectus, qui internum hominem sus déque evertentes, concupiscentiam excitant, & irascibilem obarmant contra regimen rationis, & tam acriter pugnant, ut nisi orationis suppetiæ accesserint, eam expugnent: sicut igitur, ut quis vivat vita corporea, necesse est, quòd semper aërem hauriat & respiret; ita non vivit anima Deo, nisi orando semper aspiret ad Deum: hinc etiam Apostolus Paulus monet Thessalonicenses, ut nunquam cessent ab oratione: *semper gaudete, sine intermissione orate*, quia non vivit homo spiritualiter, nisi aspiret ad Deum orando; sicut nec vivit corporaliter nisi respiret ad auram cor refrigerando.

Lib. de orand. Deo.

Epist. 1. c. 5.

Verùm non modica hic videtur difficultas oriri, quomodo possimus semper orare absque ulla intermissione: cum diurnum laborem necesse est interrumpat nocturna quies; ut per somnum, cui nocte indulgemus vires reficiantur, quę die attritæ fuerant: si igitur naturæ restauratio somnum exigit, quo singula humani corporis membra sopita recreentur, quomodo possumus sine intermissione orare, si cùm dormimus, nec oramus, nec quidquam possumus demereri? Verùm etiam cum dormimus, possumus orationi vacare, ac proinde sine intermissione orare; quo pacto totum vitæ tempus precibus impendere possumus, ut simul dormiamus, & oremus; comedamus, & ab oratione non cessemus; bibamus, & simul preces ad Deum fundamus: sive enim ambulemus, sive quiescamus, sive sedeamus, vel stemus nobis semper necessaria est oratio, cui sine intermissione incumbamus, quia oratio non solum pravos coërcet affectus; verùm & vigor est animæ, sine quo sive homo vigilet, sive dormiat, consistere non potest: appositè S. Ephren ait: *Oratio est temperantiæ custodia, iracundiæ frænum, animi elati repressio, odij medicina* (en quomodo oratio pravos omnes affectus coërcet) *legum, jurisque constitutio, Regni potentia, tropbæa, atque vexillum belli, tutela pacis, virginitatis sigillum, fides nuptiarum, viatorum præsidium, dormientium custos*: at si dormiens fundendis ad Deum precibus inidoneus censetur? quomodo dicitur oratio *dormientium custos*? si qui dormiunt, sensibus omnibus sopiuntur, quî fieri potest, ut orent? & si oratio tunc non existit, quomodo dormientium est custos? Quis precarium orandi officium vagis, incertísque somni committat phantasmatibus? si tunc mentis ratio non viget, nec utitur homo dormiens libertate; quomodo precarium orandi munus, quod orantem exigit sui compotem, plenúmque libertatis exercitium, à dormiente potest exerceri? Verùm Origenes expendens illud Davidis, qui de viro beato ait: *Sed in lege Domini voluntas ejus, & in lege ejus meditabitur die, ac nocte*, solvit difficultatem, simúlque explicat D. Paulum monentem nos, ut jugiter sine intermissione oremus, inquiens: *In lege ejus meditatur die, ac nocte, quod perinde est, ac sine intermissione*

15.

Tract. de orat.

Psalm. 1. v. 2.

*orare: quomodo enim dormiens aliquis orare possit, & humanum aliquod officium præstans, vel suum corpus curans? Verùm ad hoc respondemus. Quòd vir perfectus si clamaverit ad Deum, ipsúmque rogaverit optima quæque concedi postulans, tunc omnia facit secundùm rationem, ita ut omnis ejus actio sit ratio.* Quàm pulchrè ait Origenes, quòd viri perfecti clamantis ad Deum omnis actio sit oratio: quia sive vigilet, sive dormiat, semper ratio viget, & somnus ipse est oratio, ut ab Origene edoctus S. Hieronymus ait: *Et sanctu etiam ipse somnus est oratio:* quòd si viro perfecto, & sancto somnus ipse est oratio, quia omnis ejus actio est ratio, jam justus sine intermissione orat, & in lege Domini meditatur die, ac nocte; quia dum omnia disponit juxta dictamen rectæ rationis, & omnia sua ad ejus dirigit amussim, omnis ejus actio est ratio, quia ad rationis normam directa; & omnis actio est etiam oratio, consequenter, & ipse somnus à viro justo juxta dictamen rectæ rationis directus ad Deum est oratio; adeò ut ipse irrationalis somnus, qui arbitrii solet frœnum excutere, prævia bonæ vitæ, rectæque intentionis sedulitate ad virtutem possit orationis erudiri.

De custod. virginit.

16. En qualis est in nobis orandi necessitas, cum etiam nocte intempesta cum somno indulgemus ab oratione minimè debeamus desistere, ex Servatoris monito: *Oportet semper orare, & non deficere:* est magis necessaria oratio nobis, quàm homini pedibus, manibus, amicis, & opibus destituto necessarium sit, stipem petere. Quid enim miser ille faciat? cùm pedibus destituatur, quibus incedat; manibus careat, quibus laboret; nec ullas habeat facultates, ut sibi ad vitam sustentandam prospiciat de necessariis; adeóque nisi perire velit, egestatis suæ subsidium adigitur mendicando quærere. Et tamen adhuc, multò major est spiritualis nostra necessitas, quàm corporalis ulla, vel esse, aut concipi possit; si enim spiritualis paupertas, perinde, ac illa corporis nostris foret sensibus obnoxia, horreremus; & cœlum lachrymis, cœlitésque, precariis clamoribus jugiter fatigaremus, nec ullus esset ex cœlitibus, quem nostris non interpellaremus precibus. Sicut beneficio orationis omnia in nos commoda derivantur, ita ejus destituti suffragio ærumnarum omnium ad nos trahimus cumulum. Est igitur amentia, orationem negligere, & ab ea deficere, quæ unicum est nostrum refugium contra pravorum affectuum impetus, concupiscentiæ assultus, iracundiæ violentias: est siquidem oratio contra omnes necessitates tutela, præsidium firmissimum contra adversarios; & contra morbos omnes animi pharmacum præstantissimum, cujus beneficio bona omnia enanciscimur, imò & Deum ipsum, qui est omne bonum, quia ut scitè ait S. Chrysologus: *Quid petentibus se non dabit, qui se ipsum non petentibus dedit?* Omnia à Deo impetramus, si enixim eum rogamus.

Luc. 18.

Serm. 67.

## §. III.

### *Oratio tunc Deum in vota flectit orantis, si ex probo prodeat affectu*

17. Debet oratio, ut à Deo, quod exposcit, impetret, à probo oriri affectu, alioquin evanida est, viribus destituta. Induebatur dives Evangelicus purpurâ, & bysso, & epulabatur splendidè, quamvis epulis congestis, tetrisque fumis indigestionis obscurus; eò quia gulæ deliciis indulgeret, quibus etiam præmaturam accersivit mortem. Hic de purpura translatus ad ignem, cruciabatur in flamma, quò ardorius sustinebat, quò laboribus, pœnisque tolerandis minimè assueverat: levavit oculos jam non ampliùs dives auro, sed flammis, & cruciatibus, quibus torquebatur; & qui inter voluptatum splendores jacentem cominùs spectare neglexerat, mox ipse deorsos inter, tetrósque gehennæ fumos mendicum Lazarum in Sinu Abrahæ felicitate donatum vidit; & allegatâ, quâ eximiè cruciabatur, angustiâ, subveniri sibi enixim precabatur aquæ guttulâ, quâ aliquid refrigerii arescenti ingereret linguæ: *Ipse clamans dixit: Pater Abraham miserere mei, & mitte Lazarum, ut intingat extremum digiti sui in aquam, & refrigeret linguam meam: quia crucior in hac flamma:* enixim rogavit dives gehennali tortus flammâ, sed non impetravit; precarium suum clamorem ad patrem direxit Abrahamum, sed exauditus non fuit; oravit, sed casso effectu, quia ex pravo affectu, ut expendit S. Chrysologus inquiens: *Ibi cassa vox est, istic inanis est clamor: audi Prophetam dicentem: in inferno autem quis confitebitur tibi;* quia in gehenna pravus perseverat affectus, nullus est misericordiæ locus, & flammis illis torquentibus spes omnis veniæ exarescit; quò inde discamus, apud inferos neque guttulæ refrigerii spem vigere, neque deleri ampliùs crimen posse; hinc dives cassa voce clamavit, & clamore inani rogavit. Nimirum ea est orationis efficacia quantum ad se, ut si damnatorum miseria posset relevari, citra dubium, refrigerium adferret, virésque suppeditaret resurgendi; sed quia cassa ibi est oratio, viribus destituitur, & impetrando refrigerio inidonea depromitur: & ideo cassa fuit oratio ait Cajetanus, quia ex probo non processerat affectu, sed ex reliquiis depravatorum, quibus dives ille indulserat, cum mendicus Lazarus micas exposceret panis, quæ de ejus caderent mensa; non igitur vera fuit oratio, sed tantùm umbratilis: si enim non ex pravo, sed probo affectu prodiisset, etiam gehennales illas depulisset miserias; sed quia ut ait Cajetanus *Non proveniunt hæ preces ex bono affectu;* ideò non veræ fuerunt, sed umbratiles sine efficacia; & viribus destitutæ; proinde impetrando

Luc. 16.

Serm. 66.

In Luc. 16.

petrando refrigerio inidoneæ: quòd si vera fuisset oratio reformâsset affectum, ejúsque excussisset pravitatem, & linguæ non solùm æstum sopivisset, sed incendium extinxisset.

18. Cæterum quoties ex probo prodit oratio affectu, in quovis loco, & quovis tempore semper fit voti sui compos die, nocte, æstate, hyeme, festis, profestis, adversa, vel prospera valetudine, domi, foris, in templis, in plateis, quia *pietas* ait Apostolus: *Ad omnia utilis est*, quod cùm non lateret Regium Psaltem ait: *Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus ejus in ore meo.* Oratio semper utilis est, nil laboris, nil actionis, imò & quietis est, quod non condiat. Fax est, quâ non prælucente in tenebris errant viatores, & impingentes in obstacula labuntur: sin verò prælucear, tutissimum statim pater iter citra labendi periculum: & quia divinæ providentiæ decretum est, gratias non elargiri, nisi eas desiderantibus, ac exposcentibus; conjicitur necessitas nostras in Deum dirigendi preces, ut quod exposcimus, impetrare possimus; palmes fœcunda non est, nec uvas exhibet, nisi priùs succum è vite hauriat, idque causæ cur Regius Vates in preces effusissimus Deum alloquens diceret: *Expandi manus meas ad te; anima mea sicut terra, sine aqua tibi:* enixim exposcebat David Dei auxilium gnarus, homines frustra desudare, in cassum labores suscipere, nisi Deus opituletur nostræ imbecillitati, nisi nostram ariditatem gratiæ suæ rigaverit imbre; sicut enim terra sine cœli lachrymis non ridet, & nisi crebriùs delabentibus pluviis imbuatur, nil parit, & quæ susceperat proba semina in lolium degenerant: ita mens humana crebris non rigata precibus in malignos partus pravorum affectuum exuberat. Hinc viri culturæ virtutum assueti utilitatem scientes orationis, hanc nulla occupatione, quamvis urgentissima nunquam omittunt, nec dimittunt, sed potiùs maturiùs surgunt, quo tempus impendant orationi, & ejus præsidio se muniant contra adversa quæque; præsertim ad pravorum affectuum impetus coërcendos, eorúmque ictus validè retundendos.

1. ad Tim. cap. 4. [?]

Psalm. 33. [?]

19. Jusserat Deus Abrahamum filium suum Isaacum hostiam offerre, & in holocaustum consecrare: *Tolle filium tuum unigenitū, quem diligis Isaac, & vade in terram visionis, atque ibi offeres eum in holocaustum super unum montium, quem monstravero tibi.* Quot non debuissent affectus insurgere Abrahamum retrahentes à Numinis obsequio? cùm de filii, quem tenerrimè amabat, internecione ageretur; & tamen frontem non contristat devotissimus Abraham, sed læto animo immolationis audit præceptum; & ut sine mora, & obstaculo divinum sibi injunctum mandatum exequeretur, insciâ Sarâ ejus uxore, nocte intempesta, cum ipsa profundo esset somno sopita domo exit paratis omnibus ad sacrificium instituendum; *De nocte consurgens stravit asinum suum ducens secum duos juvenes, & Isaac filium suum;* in id vel maximè incubuit Abraham studii, quò divinum præceptum Saræ non innotesceret: sed cur vult Saræ celatum esse sacrificium sibi à Deo præceptum? Cur noluit executionis divini mandati participem esse Saram uxorem? quia nimirum hujus sacrificii hostia immolanda erat Isaac Saræ filius, quem mater impensissimo prosequebatur affectu: ne igitur affectus matris affectui sacrificii esset obstaculo, voluit, rem totam celare Saræ, quæ si filii scivisset immolationem, non potuisset à lachrymis se temperare, & in humum provoluta Deum enixim rogâsset ad immutandum decretum: verebatur igitur Abraham, ne Sara Isaaci mater fusis lachrymis, & precibus latam à Deo sententiam deleret, Deúmque ipsum compelleret ad mutandum decretum: ea enim est vis orationis, præsertim lachrymis madidæ, ut Deum flectat in sua vota: pulchrè S. Basilius Seleuciensis inducens Abrahamum loquentem ait: *Vereor ne lachrymis Sara sacra fœdet, Deóque vim afferat.*

Gen. 22. [?]

Genes. 22. [?]

Orat. 7. [?]

20. Sed si Abrahamus sciebat, Deum seriò sibi præceptum illud injunxisse, & ex animo jussisse sacrificium illud, cur timore percellitur, metúque turbatur, ne Sara divini præcepti impediat executionem, & immolationi filii sit ipsa impedimento? Si Dei decretum est efficax, hoc nec lachrymæ delent, nec fusæ preces immutant, nec matris lamenta suspendunt; non enim possunt mulieris lachrymæ vim ullam Deo inferre, nec obstaculum ullum voluntati suæ efficaci afferre: & tamen timet Abraham, ne si divinum præceptum Saræ innotescar, sint ejus preces lachrymis madidæ sacrificium impeditura. Quam efficacem igitur censuit Abraham vim esse orationis, cum putâverit, vel cum gladius Isaaci cervicibus jam immineret, potuisse esse impedimento filii immolationi: sic enim Abraham secum ratiocinabatur; si Sara Numinis præceptum mihi injunctum noverit, anxiè illachrymabitur filii immolationi, próque ejus vita anxias fundet preces, quibus ea vis inest, ut Deum ipsum moveant, commoveant, flectántque in sua vota: ideò si oraverit, non temerè suspicor esse Numinis immutaturam sententiam, & obsequium retroactis sæculis invisum, & inauditum impedituram. Ita est, ea est orationis vis, ut omnes abigat calamitates, excutiat mœrores, retundat adversariorum impetus, & Deum ipsum emolliat, flectátque prout oranti magis libuerit, *vereor ne lachrymis sacra fœdet, Deóque vim afferat:* est enim oratio contra adversariorum technas validissimum armamentarium, contra pravos quosque affectus scutum impenetrabile, imò & contra Numinis iram cœleste profugium: gratam enim violentiam DEO ipsi infert oratio, quem propria efficacia movet, & flectit ad nutum orantis.

Quanta

*orare: quomodo enim dormiens aliquis orare possit, & humanum aliquod officium præstans, vel suum corpus curans? Verùm ad hoc respondemus. Quòd vir perfectus si clamaverit ad Deum, ipsúmque rogaverit optima quæque concedi postulans, tunc omnia facit secundùm rationem, ita ut omnis ejus actio sit ratio.* Quàm pulchrè ait Origenes, quòd viri perfecti clamantis ad Deum omnis actio sit oratio: quia sive vigilet, sive dormiat, semper ratio viget, & somnus ipse est oratio, ut ab Origene edoctus S. Hieronymus ait: *Et sanctu etiam ipse somnus est oratio:* quòd sit viro perfecto, & sancto somnus ipse est oratio, quia omnis ejus actio est ratio, jam justus sine intermissione orat, & in lege Domini meditatur die, ac nocte; quia dum omnia disponit juxta dictamen rectæ rationis, & omnia sua ad ejus dirigit amussim, omnis ejus actio est ratio, quia ad rationis normam directa; & omnis actio est etiam oratio, consequenter, & ipse somnus à viro justo juxta dictamen rectæ rationis directus ad Deum est oratio; adeò ut ipse irrationalis somnus, qui arbitrii solet frœnum excutere, prævia bonæ vitæ, rectæque intentionis sedulitate ad virtutem possit orationis erudiri.

De custod. virginit.

16. En qualis est in nobis orandi necessitas, cum etiam nocte intempesta cum somno indulgemus ab oratione minimè debeamus desistere, ex Servatoris monito: *Oportet semper orare, & non deficere:* est magis necessaria oratio nobis, quàm homini pedibus, manibus, amicis, & opibus destituto necessarium sit, stipem petere. Quid enim miser ille faciat? cùm pedibus destituatur, quibus incedat; manibus careat, quibus laboret; nec ullas habeat facultates, ut sibi ad vitam sustentandam prospiciat de necessariis; adeóque nisi perire velit, egestatis suæ subsidium adigitur mendicando quærere. Et tamen adhuc, multò major est spiritualis nostra necessitas, quàm corporalis ulla, vel esse, aut concipi possit; si enim spiritualis paupertas, perinde, ac illa corporis nostris foret sensibus obnoxia, horreremus; & cœlum lachrymis, cœlitésque, precariis clamoribus jugiter fatigaremus, nec ullus esset ex cœlitibus, quem nostris non interpellaremus precibus. Sicut beneficio orationis omnia in nos commoda derivantur, ita ejus destituti suffragio ærumnarum omnium ad nos trahimus cumulum. Est igitur amentia, orationem negligere, & ab ea deficere, quæ unicum est nostrum refugium contra pravorum affectuum impetus, concupiscentiæ assultus, iracundiæ violentias: est siquidem oratio contra omnes necessitates tutela, præsidium firmissimum contra adversarios; & contra morbos omnes animi pharmacum præsentissimum, cujus beneficio bona omnia enanciscimur, imò & Deum ipsum, qui est omne bonum, quia ut scitè ait S. Chrysologus: *Quid petentibus se non dabit, qui se ipsum non petentibus dedit?* Omnia à Deo impetramus, si enixim eum rogamus.

Luc. 18.

Serm. 67.

## §. III.

### *Oratio tunc Deum in vota flectit orantis, si ex probo prodeat affectu*

17. Debet oratio, ut à Deo, quod exposcit, impetret, à probo oriri affectu, alioquin evanida est, viribus destituta. Induebatur dives Evangelicus purpurâ, & bysso, & epulabatur splendidè, quamvis epulis congestis, tetrísque fumis indigestionis obscurus; eò quia gulæ deliciis indulgeret, quibus etiam præmaturam accersivit mortem. Hic de purpura translatus ad ignem, cruciabatur in flamma, quam eò durius sustinebat, quò laboribus, pœnisque tolerandis minimè assueverat: levavit oculos jam non ampliùs dives auro, sed flammis, & cruciatibus, quibus torquebatur; & qui inter voluptatum splendores jacentem cominiùs spectare neglexerat, mox ipse densos inter, tetrósque gehennæ fumos mendicum Lazarum in Sinu Abrahæ felicitate donatum vidit; & allegatâ, quâ eximiè cruciabatur, angustiâ, subveniri sibi enixim precabatur aquæ guttulâ, quâ aliquid refrigerii arescenti ingereret linguæ: *Ipse clamans dixit: Pater Abraham miserere mei, & mitte Lazarum, ut intingat extremum digiti sui in aquam, & refrigeret linguam meam: quia crucior in hac flamma:* enixim rogavit dives gehennali tortus flammâ, sed non impetravit; precarium suum clamorem ad patrem direxit Abrahamum, sed exauditus non fuit; oravit, sed casso effectu, quia ex pravo affectu, ut expendit S. Chrysologus inquiens: *Ibi cassa vox est, istic inanis est clamor: audi Prophetam dicentem: in inferno autem quis confitebitur tibi;* quia in gehenna pravus perseverat affectus, nullus est misericordiæ locus, & flammis illis torquentibus spes omnis veniæ exarescit; quò inde discamus, apud inferos neque guttulæ refrigerii spem vigere, neque deleri ampliùs crimen posse; hinc dives cassa voce clamavit, & clamore inani rogavit. Nimirum ea est orationis efficacia quantum ad se, ut si damnatorum miseriæ posset relevari, citra dubium, refrigerium adferret, virésque suppeditaret refurgendi; sed quia cassa ibi est oratio, viribus destituitur, & impetrando refrigerio inidonea depromitur: & ideo cassa fuit oratio ait Cajetanus, quia ex probo non processerat affectu, sed ex reliquiis depravatorum, quibus dives ille indulserat, cum mendicus Lazarus micas exposceret panis, quæ de ejus caderent mensa; non igitur vera fuit oratio, sed tantùm umbratilis: si enim non ex pravo, sed probo affectu prodiisset, etiam gehennales illas depulisset miserias; sed quia ut ait Cajetanus *Non proveniunt hæ preces ex bono affectu* ; ideò non veræ fuerunt, sed umbratiles sine efficacia; & viribus destitutæ; proinde impetrando

Luc. 16.

Serm. 66.

In Luc. 16.

petrando refrigerio inidoneæ: quòd si vera fuisset oratio reformâsset affectum, ejúsque excussisset pravitatem, & linguæ non solùm æstum sopivisset, sed incendium extinxisset,

18. Cæterum quoties ex probo prodit oratio affectu, in quovis loco, & quovis tempore semper fit voti sui compos die, nocte, æstate, hyeme, festis, profestis, adversa, vel prospera valetudine, domi, foris, in templis, in plateis, quia *pietas* ait Apostolus: (1. ad Tim. cap. 4.) *Ad omnia utilis est*, quod cùm non lateret Regium Psaltem ait: (Psalm. 33.) *Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus ejus in ore meo.* Oratio semper utilis est, nil laboris, nil actionis, imò & quietis est, quod non condiat. Fax est, quâ non prælucente in tenebris errant viatores, & impingentes in obstacula labuntur: sin verò præluceat, tutissimum statim patet iter citra labendi periculum: & quia divinæ providentiæ decretum est, gratias non elargiri, nisi eas desiderantibus, ac exposcentibus; conjicitur necessitas nostras in Deum dirigendi preces, ut quod exposcimus, impetrare possimus: palmes fœcunda non est, nec uvas exhibet, nisi priùs succum è vite hauriat, idque causæ cur Regius Vates in preces effusissimus Deum alloquens diceret: *Expandi manus meas ad te; anima mea sicut terra, sine aqua tibi:* enixim exposcebat David Dei auxilium gnarus, homines frustra desudare, in cassum labores suscipere, nisi Deus opituletur nostræ imbecillitati, nisi nostram ariditatem gratiæ suæ rigaverit imbre; sicut enim terra sine cœli lachrymis non ridet, & nisi crebriùs delabentibus pluviis imbuatur, nil parit, & quæ susceperat proba semina in lolium degenerant: sic mens humana crebris non rigata precibus in malignos partus pravorum affectuum exuberat. Hinc viri culturæ virtutum assueti utilitatem scientes orationis, hanc nulla occupatione, quamvis urgentissima nunquam omittunt, nec dimittunt, sed potiùs maturiùs surgunt, quo tempus impendant orationi, & ejus præsidio se muniant contra adversa quæque; præsertim ad pravorum affectuum impetus coërcendos, eorúmque ictus validè retundendos.

19. Jusserat Deus Abrahamum filium suum Isaacum hostiam offerre, & in holocaustum consecrare: (Genes. 22.) *Tolle filium tuum unigenitū, quem diligis Isaac, & vade in terram visionis, atque ibi offeres eum in holocaustum super unum montium, quem monstravero tibi.* Quot non debuissent affectus insurgere Abrahamum retrahentes à Numinis obsequio? cùm de filii, quem tenerrimè amabat, internecione ageretur; & tamen frontem non contristat devotissimus Abraham, sed læto animo immolationis audit præceptum; & ut sine mora, & obstaculo divinum sibi injunctum mandatum exequeretur, insciâ Sarâ ejus uxore, nocte intempesta, cum ipsa profundo esset somno sopita domo exit paratis omnibus ad sacrificium instituendum; *De nocte consurgens stravit asinum suum, ducens secum duos juvenes, & Isaac filium suum;* (Genes. 22.) in id vel maximè incubuit Abraham studii, quò divinum præceptum Saræ non innotesceret: sed cur vult Saræ celatum esse sacrificium sibi à Deo præceptum? Cur noluit executionis divini mandati participem esse Saram uxorem? quia nimirum hujus sacrificii hostia immolanda erat Isaac Saræ filius, quem mater impensissimo prosequebatur affectu: ne igitur affectus matris affectui sacrificii esset obstaculo, voluit, rem totam celare Saræ, quæ si filii scivisset immolationem, non potuisset à lachrymis se temperare, & in humum provoluta Deum enixim rogâsset ad immutandum decretum: verebatur igitur Abraham, ne Sara Isaaci mater fusis lachrymis, & precibus istam à Deo sententiam deleret, Deúmque ipsum compelleret ad mutandum decretum: ea enim est vis orationis, præsertim lachrymis madidæ, ut Deum flectat in sua vota: pulchrè S. Basilius Seleuciensis inducens Abrahamum loquentem ait: (Orat. 7.) *Vereor ne lachrymis Sara sacra fœdet, Deóque vim afferat.*

Sed si Abrahamus sciebat, Deum seriò 20.
sibi præceptum illud injunxisse, & ex animo jussisse sacrificium illud, cur timore percellitur, metúque turbatur, ne Sara divini præcepti impediat executionem, & immolationi filii sit ipsa impedimento? Si Dei decretum est efficax, hoc nec lachrymæ delent, nec fusæ preces immutant, nec matris lmenta suspendunt; non enim possunt mulieris lachrymæ vim ullam Deo inferre, nec obstaculum ullum voluntati suæ efficaci afferre: & tamen timet Abraham, ne si divinum præceptum Saræ innotescat, sint ejus preces lachrymis madidæ sacrificium impeditura. Quàm efficacem igitur censuit Abraham vim esse orationis, cum putâverit, vel cum gladius Isaaci cervicibus jam immineret, potuisse esse impedimento filii immolationi: sic enim Abraham secum ratiocinabatur; si Sara Numinis præceptum mihi injunctum noverit, anxiè illachrymabitur filii immolationi, próque ejus vita anxias fundet preces, quibus ea vis inest, ut Deum ipsum moveant, commoveant, flectántque in sua vota: ideò si oraverit, non temerè suspicor esse Numinis immutatnram sententiam, & obsequium retroactis sæculis invisum, & inauditum impedituram. Ita est, ea est orationis vis, ut omnes abigat calamitates, excutiat mœrores, retundat adversariorum impetus, & Deum ipsum emolliat, flectátque prout oranti magis libuerit, *vereor ne lachrymis sacra fœdet, Deóque vim afferat:* est enim oratio contra adversariorum technas validissimum armamentarium, contra pravos quosque affectus scutum impenetrabile, imò & contra Numinis iram cœleste profugium: gratam enim violentiam DEO ipsi infert oratio, quem propria efficacia movet, & flectit ad nutum orantis.

Quanta

21. Quanta sit orationis energia illustriùs cæteris edocuit Moyses, cùm citiùs ad ejus cucurrit auxilium, ad pericula quæ imminerent declinanda, quàm ad virgam mirsculorum patratricem, & mirabilium instrumentum. Post plura à Moyse patrata miracula retroactis sæculis inaudita, tandem Pharao populo licèt invitus libertatem concessit; sed vix populus discessit, quia ipsum pœnituit, vel invitum concessisse populo libertatem; congesto exercitu fugientem populum de famulitio ad libertatem insequitur. Quid ni populus inhians libertati in ipsa fuga utrinque periculis cingitur, à tergo insequens armatorum exercitus districtis gladiis cruentas cædes minatur; à fronte mare tumentibus suis fluctibus fluxa apparat sepulchra, quibus vivos insepeliat fugientes hebræos. Quid in hisce angustiis aget Moyses? quid consilii exequetur sb imminentibus utrinque periculis populum erepturus? An suppetias à virga miraculorum patratrice exiget? Noverat ad extorquendum Numinis auxilium cùm pericula imminent, calamitates urgent, ærumnæ premont, nullum esse instrumentum aptius oratione, ad quam propterea confugere satagit suum in ipsa refugium reponens: *Dixit Dominus ad Moysem: Quid clamas ad me? loquere filijs Israël, ut proficiscantur; tu autem elevans virgam tuam, extende manum tuam super mare, & divide illud.* Obsequitur Moyses divino jussui, & cùm priùs ad abigendum conceptum à populo pavorem, & totam in Numine fiduciam locandam suos fuisset adhortatus, manum, quâ consuetam sibi virgam tenebat super Erithræi maris æquor extendit, quod illicò in geminum discissum latus, factóque divortio, utrinque à se ipso discedens veluti muros duos erexit, undique sublimè suspensis, fluctibúsque coërcitis siccam pertransseuntibus Israëlitis viam pandit, trepidantem multitudinem Moyse præeunte, & sequente Aminadabo Judeæ tribûs Principe, cæterisque horum exemplo certatim, & promiscuè subsequentibus; omnes sicco vestigio per fluxum Erithræi maris sinum transeunt, non timentes à fluctibus mergi, nec ab imminente cervicibus Pharaone intercipi.

Exod. 14. v. 15.

22. Sed si potuit Moyses virgâ mirabilium patratrice marinos discindere fluctus, & pulverulentam populo aperire medios inter fluctus viam, cur suppetias exigit à precario clamore? *dixit Dominus ad Moysem: quid clamas ad me?* Quid timendum? quamvis Pharao obstrepentibus quadrigis, ac milite armato stipatus fugientes insequatur? si Moyses virgam tractat manu omni gladio fortiore, quovis exercito potentiore ad palmas de triumphato hoste legendas, ad quid recurrere ad precum instantias? si Deus partem tuetur Moysis, pugnatque in favorem fugientis populi, ad quid Moyses rimet? An non major est Deo potentia, quàm Pharaoni audacia? cur igitur gloriam patrati miraculi discissi maris, apertique pulverulenti itineris in fluxo maris gremio non tribuit soli virgæ? si virga divinæ vicaria omnipotentiæ frœnos tumentibus injecit fluctibus, quos & scidit, & coërcuit, imò & constituit stationarios milites faventes fugientibus hebræis, & opprimentes insequentem Pharaonem? An diffidit de propria virga, ne vicaria divinæ potentiæ apta esset marinis fluctibus compescendis? non latuere Moysem miracula retrò inaudita à virga patrata. & quibus tantùm potuit duritiem Pharaonis flectere; non dubitavit de Numinis omnipotentia, nec Deum carpere voluit; bene tamen largiùs orationis commendare studium, & ejus energiam populum edocere; confugit igitur cùm utrinque pericula imminerent ad orationis auxilium Moyses, suppetias exactùrus ab ea, quæ Deum flectit in vota orantium; est siquidem oratio, quæ pericula avertit, calamitates fugat, hostes vincit, ærumnas abigit, & timores excutit: licèt virgâ mare percusserit Moyses, orationis tamen opem priùs imploraverat: oratio fuit, quæ virgæ efficaciam impetravit marinos fluctus discindendi, & facto divortio coërcendi in geminos fluxus parietes pulverulentam fugientibus Israëlitis aperientes viam: virga mare percussit, sed oratio opem imploravit, appositè D. Chrysostomus apud Lippomanum: *Cùm eduxisset Moyses populum de Ægypto; & per desertum ad mare rubrum venisset, Ægyptij post tergum insequebantur populum ante mare, fremebant fluctus. Moyses in angustijs erat; tacebat quidem, sed mente grandia cogitabat,* & postea explicans quænam essent hæc grandia, quæ Moyses mente intus volveret, subdit: *Ad Dominum igitur mente clamabat,* hæc fuêre illa grandia, quæ tunc Moyses mente moliebatur; hæc auxilia, quæ contra insequentes hostes, marisque minaces fluctus exambivit, orationis scilicet suppetias, quibus imminentia utrinque supersvit discrimina, tametsi gestaret Moyses dexterâ virgam omnipotentiæ vicariam, adhuc voluit ab oratione energiam motuare populum edocturus, quàm efficax sit orationis auxilium, & quàm tutum contra insurgentes hostes præsidium. Oratio enim non solùm pravis affectibus vires adimit, sed hostibus omnibus contra nos insurgentibus obsistit, & sudaciam comprimit. Quòd si pravi affectus animi tum concupiscentis, tum irascentis vulnera nobis inflixère; nullum iisdem curandis magis idoneum alexipharmacum oratione. Quod si lingua canis vulneribus medendis myrothecium exhibet; linguæ orantis plus inest efficaciæ, quâ acrioribus medetur vulneribus, quæ pravi inflixère affectus. Muti, & elingues sunt quotquot orare negligunt cùm pericula imminent, calamitates urgent, & hi sunt de quibus aiebat Psaltes: *Os habent, & non loquentur: similes illis fiant, qui faciunt ea:* usu privantur linguæ acriùs ... torquean tur inflictis

In cap. 14. Exod.

Psalm. 113.

dictis sibi vulneribus, quibus mederi usu linguæ fusis precibus facilè possent.

## §. IV.

*Precarius clamor Christum è somno excitat, qui opem periclitantibus adfert, procellas coërcet, & marinis fluctibus veluti injecto freno ortam compescit tempestatem.*

23. NULlum imminet periculum, nulla tam gravis urget calamitas, quàm efficacia non avertat orationis, sic Petrus precario clamore elusit naufragium, excussit metum, quem pavida diffidentia contraxerat, cùm cœpisset mergi, clamavit dicens: *Domine salvum me fac*, & periculum evasit mersionis. Regius Plaltes repolsum refert tabernaculum Silo, consumptos dicit sacerdotes, gloriam populi enarrat dissipatam, quia Dominus somnum ceperat, *Sacerdotes eorum in gladio ceciderunt, & viduæ eorum non plorabantur; & excitatus est tanquam dormiens Dominus, tanquam potens crapulatus à vino, & percussit inimicos suos.* (Psalm. 77.) Vix Dominus somno indulget, & calamitas incrementum subit, tabernaculum Silo sordescit repolsum, & prævalentibus hostibus cruentæ sparguntur strages, enecti cadunt milites, & viduæ suis destitutæ maritis madent lachrymis; quia sanguinem hominum fuderunt, & vitam gladio percussi effuderunt. Sed vix excusso somno conteruntur inimici, populique calamitates abiguntur omnes; & ubi cupressus omnia funestârunt; latæ mox palmæ surgunt, vigéntque vegetiores.

24. Sed cur Dominus somno indulserit, cùm potuerit priùs conatus omnes hostium insurgentium infringere? an dormire maluit, quò populi negligentiam gravius redargueret, & exaggeratiùs detestandum carperet silentium? eò quia suppetias non expostulaverit, & auxilia non extorserit ab oratione? excitato Domino evaduntur pericula, fugantur calamitates, excutiuntur timores, & mens pristinæ suæ restituitur serenitati, ac gaudio; dormit Dominus, dum populus silet; indulget ille somno, cùm iste taciturnitate os claudit: quòd si precarium incipit clamorem edere, oratio dormientem excitat Dominum, qui præsto est sua suppeditare auxilia, quibus insurgentes ad cruentas clades coërceantur hostes: ita est dum populus tacet, dormire quasi incipit Dominus, eóque dormiente vires stabiliuntur hostiles, urgent calamitates, imminent pericula, & quamdiu perseveravit silentium, tamdiu & somnus duravit; appositè Rupertus: (Lib. 3. in Gen. cap. 13.) *Tota culpa illius est: quia custodem suum dormire permisit: nam ut ille dormiat, in arbitrio hominis est, qui semper illum ne dormitet, aut dormiat, inquietare debet: unde & per Prophetam spiritus ejus dicit, qui reminiscimini Domini, ne taceatis, & ne detis silentium ei:* nimirum si populus taceat, Numini dat silentium, & silentium somnum conciliat, & somnus quietem fovet; sed dormiente, & quiescente Domino, non dormit hostis, non quiescit calamitas, quæ tunc acriùs urget; & hostes validiùs insurgunt, donec precario clamore excitetur Dominus, & qui insurrexerant hostes dispergantur; quia precatorius clamor est, qui hostium turmis timorem incutit, & ad fugam adigit, omnémque abigit calamitatem.

25. Christus mare suis cum Discipulis trajiciens attrita laboribus corporis membrâ restauraturus sopitis sensibus, somnóque accersito, quieti indulget; sed vix eo dormiente, insurgit ventus repentè excitatus, & tetras secum nubes vehit, quibus diurnæ lampadi lumen abripit, aërem turbat, mare commovet, ejúsque fluctus concitat, exasperat, qui tumultuario fragore fremunt; naufragiúmque minantur: navis mediis exagitata fluctibus hác, illácque per fluxa itinera vehebatur, mox in sublime evecta, quo lapsu rueret graviore; & mox in imum depressa undarum videbatur hiatu absorberi: & quamvis insueta tempestas horrisono cum fragore insurrexisset, ventorúmque turbines armâsset in scapham, & contra laborantes in navi Discipulos præliaretur procella, pugnarent fluctus, Magister tamen Christus placidè dormiebat: *Et erat ipse in puppi super cervical dormiens*, (Marc. 4.) sed Basilius Seleuciensis causam disquirit excitatæ procellæ, & Magistri Christi somnum prodit, ait ipse: *cur hoc tantùm navigantibus prælium? quia Dominus dormiebat.* Contra Discipulos elati insurgunt statim venti, & cava fluctuum volumina per fluxas semitas, embagésque minaces agitatam navim satagunt deglutire; urget procella, acriores insurgunt fluctus, venti nullo coërciti fræno ad naufragium trahunt, & ubique pericula imminent, fluctus navim percutiunt, venti impellunt; quia Christus erat in puppi super cervical dormiens: & quamdiu defatigantur Discipuli, laborant remiges, tamdiu urget procella; sed cùm primùm clamore precario dormientem excitant Magistrum, ejúsque implorant opem, & in preces funduntur, excitato mox è somno Domino incipiunt venti quiescere, aër pristinæ restituitur serenitati, sol fœdas aëris nubes suis dispellit radiis; suum deponunt marini fluctus tumorem; & grata maris malacia timorem omnem è mentibus excutit Discipulorum: *Et cessavit ventus, & facta est tranquillitas magna:* (Marc. 4. v. 36.) O quàm efficax est precatorius clamor, quàm potens oratio! quæ ventos coërcet, marinos fluctus compescit, & malaciam ad vota accersit orantium: tamdiu

sæviit procella, quamdiu discipuli in exagitata fluctibus scapha laborârunt manibus, sed ore silverunt: sed cùm primum cœperunt linguam solvere, os adaperire, & precarium clamorem edere, dormientem Magistrum excitârunt, & sicut Discipulorum silentium somnum fovebat Magistri, & recrudescentis procellæ exasperabat fluctus, ventósque incitabat, & contra se, navimque armatos provocabat; ita cùm primùm corundem clamor precarius audiri cœpit, Magistrum excitavit, qui furentes ventos fugavit, sævientis procellæ turbinibus frœna iniecit, marinos fluctus coërcuit; *Et exsurgens comminatus est vento, & dixit mari, tace, obmutesce.* Marci 4, v. 39.

26. Si Discipuli non manibus laborâssent, sed linguâ rogâssent, non se in imminens illud injecissent periculum, à quo etiam citiùs evasissent, si clamore precario Magistrum maturiùs excitâssent, appositè Basilius Seleuciensis: *Quæsitas ab arte spes, tanquam & ipsa naufragium facerent, metuentes, recurrunt ad portum, qui in scapha erat, & adstantes clamant, Magister, Magister salva nos, perimus:* Orat, 21. pulchrè ait, quæsitas ab arte spes naufragium facere, quia ab industria opem quæritantes Discipuli, & in arte nautica, quam callebant, spes suas collocantes, easdem naufragas timuere; quia nec poterant fluctus detumescere, neque mitescere procella, neque venti quiescere, quamdiu silentio lingua occludebatur Discipulorum, quorum manus inani defatigabantur labore. Verùm cùm primùm cœperunt os aperire, linguam solvere, & precarium edere clamorem, vel in ipsa scapha medios inter fluctus malaciam invenerunt. Indormivit Magister Christus in navi, dum hæc fluctibus agitaretur decumanis, *& erat ipse in puppi super cervical dormiens.* Mart. 4. Sed velut è cathedra Magister Christus suos tunc Discipulos edocuit, nil contra imminentia pericula efficacius esse precario clamore, supplici oratione, fusísque precibus, quibus, non solùm insurgentes interiùs pravi compescuntur affectus; sed insolescentes etiam exteriùs hostes compescuntur, & abigimtur calamitates, excutiuntur timores, & de triumphatis hostibus ovans accersitur victoria, ac de declinatis periculis gaudium exoritur, quo mens tota pacatur.

27. Mirum sanè, quòd Discipuli periclitantes in navi tunc tantum Magistrum dormientem cœperint clamore precario è somno excitare, cùm procella sæviit periculosior, & naufragium cœpit apertiùs imminere: an quia calamitas, & quæ imminent pericula orare edocent periclitantes? suntque propterea quæ imminent pericula totidem orationis Gymnasia? *Erigi plus merentur,* ait Cassiodorus 2, variar. 12. *quos fortiùs sua adversa presserunt,* quasi ipsa adversa utili metamorphosi in prospera transmutentur, & qui acri calamitatis flatu divexatur truculentiùs; erecto animo floreat vegetior; & qui impetentium ærumnarum cumulis pressus jacet, lætior surgat, & vegetior, solatio affectus interno; non sit propterea calamitatis vigoris deliquium, sed ad opem impetrandam Numinis incitamentum; & ipsa tempestas ad petendum celeriùs portum, ad eludendum cura solertiori naufragium hortetur; si venti placidè essent, si vela impleant ad votum æquora trajicientium, ludunt isti in navi, quiescunt somno sopiti, dum navis interim nullo impenso labore, solo ventorum favore fluxa sua peragit itinera; sed si venti adversentur, si in contrarium impellant, si fluctus intumescant, si procella sæviat, & periculum immineat naufragii, tunc preces funduntur, vota cœlitibus emittuntur, & clamores precarii eduntur; & quia non sustinet Numinis pietas afflictorum piis desideriis quidquam denegare, iden beneficio precarii clamoris subtrahuntur à periculis nautæ, eripiuntur à naufragio, qui suppetias per fusas preces à DEO exposcunt, *Ne eorum desiderijs abnegatis* (ait Cassiodorus) *vultus geminetur afflictis, & quod nefas dictu est, qui dolorum nubila nostra semper serenitate detergimus, nunc miseris pias lachrymas denegare videamur:* De Theodorico rege.

Numinis pietas lachrymas exsiccat precantium, & timores excutit imminentia inter pericula orantium; precarius enim clamor, si lachrymis madeat, vim infert omnipotentiæ, flammásque ipsas divinæ justitiæ sopit; siquidem divinæ indignationis ardor suas deperdit vires, cùm primùm in lachrymas impingit, & fletus orantium; lachrymarum pluvia, quâ clamor madet precarius accensæ iræ timendos impetus, vel prorsus extinguit, vel saltem consopit, vel compescit. Numini placando, ejúsque iræ extinguendæ nil clamore precario aptius; hic veluti quasi dominium exercens in adversitates, ærumnas, ægritudines, & mortem ipsam, mala omnia, quæ nos petunt, verberántque, excutit, compellitque molestias exuere, quatenus Deum flectit in vota orantium; hanc clamoris precarii in impetrando efficaciam declarat D. Augustinus inquiens: *O quàm grandis est orationis causa! O quàm grande mysterium! ecce Moyses orabat in monte, & Josue Amalech devincebat. Per orationem Ezechias sanatur, & salutem animæ, & corporis adipiscitur. Per orationem Saul efficitur Paulus, & Doctor gentium; Jeremias confortatur in carcere, Daniel inter leones exultat, Job in sterquilinio triumphat, Susanna inter senes defenditur, paradisum de cruce latro invenit, & Stephanus de torrente in cœlum suscipitur, & inter lapidantes pro Saulo exauditur:* Serm. 2.. ad fratres in Eremo. vocat Augustinus emphaticè precarium clamorem mysterium, eò quia arcana divinæ omnipotentiæ non alia referat clavi, quàm orantis fiducia, 28.

fiducia; & mira operatur in terris, quæ clamorem orantis audit, & exaudit divina omnipotentia in cœlis: ascendit clamor, & descendit Numinis potentia, quâ surdi audiunt, cæci vident, claudi ambulant, imbecilles roborantur, flentes lachrymas exficcant, lapsi resurgunt, arescentes reflorescunt.

29. Quinimò, non solùm clamor precarius, qui ab homine prodiens orante Numinis veluti aures pulsat, mira in terris operatur, & veluti impenetrabilis clypeus impetus coërcet adversitatum, retundit pravorum affectuum ictus, appetitum compescit irascentem, extinguit concupiscentem; verùm etiam in volucribus ipsis clamor, seu cantus ob affinitatem, quam cum hominis contrahit oratione exauditur à DEO, à quo vel suppetias impetrat, cùm necessitas urget: vel auxilium obtinet in tutamen innocentiæ. Etenim corvorum pulli tunc à parentibus dicuntur destitui, cùm plus eorum operâ videbantur indigere, quò necessaria ad vitam alendam suppeditarentur. Sed tunc ipsa inopia, famésque extimulans clamare pullos adigit, & clamor ci-
Psalm. 146. bum cœlestem adfert, ut ait David: *Qui dat jumentis escam ipsorum, & pullis corvorum invocantibus eum*, destituuntur pulli corvorum ope parentum, sed aluntur Numinis providentia rore cœlesti. Clamores edunt, & abundè comedunt; solertiâ destituuntur genitoris, sed operâ reficiuntur Creatoris; si parentes solicitè illis consulerent, nonnisi cibo corruptibili inutriti crescerent; sed dum implumes jacentes in nido, nec cibum quærere possunt, nec industriâ vivere parentum; clamant, & eorum clamor cœlum pulsat, quod flectitur ad opitulandum indigentiæ clamantium, qui rore reficiuntur cœlesti: & dum calamitas pullos premit durior; divina pietas eos reficit uberiùs: deseruntur implumes pulli à parentibus naturæ ipsius osoribus, sed reficiuntur à divina providentia; fames cogit eos clamare, sed clamor necessaria vitæ alendæ adducit *Corvi* (ait Incognitus expen-
Psalm. 146. dens illud David: *Qui dat jumentis escam ipsorum, & pullis corvorum invocantibus eum*) *pullis editis priùs escam non præbent, nec eos cibant, donec in eis pennæ crescant, & per pennarum nigredinem similitudinem proprij coloris ipsos suos filios agnoscant; interim autem antequam pennas nigras habeant pulli corvorum stant ore aperto, & rore cæli pascuntur:* nimirum qui vigili parentum solertiâ adiuti nonnisi putrescentibus pascerentur pulli corvorum cadaveribus, cibóque reficerentur terrestri, & corruptibili; deserti, & quavis destituti ope parentum, superno, ac cœlesti pascuntur rore; sitque propterea eis ditissima inopia, fortunata miseria, felix indigentia, quæ ad clamores compellens subsidia impetrat cœlestia.

Imò volucrum clamor ob affinitatem, quam cum precario hominis clamore habet, quæ imminent graviora pericula, avertit, & periclitantes tuetur. 30. Basilius Macedo Orientis Imperator, ut prisca referunt historiarum monumenta perniciosissimum sua in Aula hominem fovebat, cui etiam supra plerósque alios favebet; is erat Theodotus Santabarenus assentator egregius, simúlque Sycophanta, & detractor nequissimus. Persuaserat is Basilio, à filio vitæ illius insidias apparari, & strui. Imperator verò sicut præceps erat in nefas, & deterius, indignabundus jussit filium statim violentâ manu capi, vinculis illigari, & in carcerem detrudi. Cúmque die solemni senatores, & aulæ proceres ad epulum invitâsset; in triclinio non procul ab imperatoria mensa garrulus in cavea Psytacus voces imitabatur humanas, & cùm pranderent proceres, facundè hæc avis verba quædam crebriùs ab aulico famulitio audita edebat huuc in modum: *Heu Domine Leo, heu Domine Leo.* Quidam ex Senatoribus assidentibus mensæ ad has voces ingemuit, crebrisque suspiriis vices expendebat fortunæ, filiúmque Imperatoris in carcerem detrusum, & etiam morte damnandum; hæcque mente cum tristis volveret, cibo, potúque abstinebat, quin lachrymas fundens, & suspiria edens, Imperatorem commovit, à quo etiam interrogatus, quid causæ esset, cur tristis lamentaretur, abstineréique à cibo, & potu & lachrymis maderet, & per crebra suspiria interni doloris proderet argumentum? cui tunc ille reposuit: Augustissime Imperator, disertè hæc volucris ejus rei nos monet, quæ lachrymas etiam elicere potest. Submississimè sacram vestram rogamus Majestatem quotquot hic adsumus, ut nobis liceat cum venia quidpiam precari, cui Imperator annuit; & tunc Senator: nos Imperator mensæ regiæ, ferculísque delicationibus ad omnem copiam instructæ assidemus: propinamus Majestati vestræ salutem, calices exsiccamus; sed interim Majestatis vestræ filius quavis destitutus lætitiâ, luget mœrore confectus in carcere detrusus: si quid deliquit, jam sufficienter credimus expiatum, ac sufficientem luisse pœnam, lachrymísque ab ipso fusis obliterâsse si quid in ipso fuit errati deprehensum. Non nos tantùm, qui ex gratia, & benevolentia vestra hic adsumus miseratione tangimur in Principem Leonem sacræ vestræ Majestatis filium; verùm & hæc etiam volucris è cavea sorti indolet Leonis: eò quia fortassis innocens sit, quem vel volucres affectu videntur miserationis prosequi. Quapropter si nobis licet, enixim Majestatem vestram rogamus, ac submississimè precamur, ut velit pristinæ libertati regium Principem restituere. Motus Pater, simúlque commotus oratione admodum opportuna jussit statim vinculis Leonem eximi, & tunc Pro-

ceres surgentes catervatim festinato gressu adeunt carcerem, & Leonem vinculis exemptum, lotum, elegantioribúsque indutum vestibus ad mensam adducunt cæsaream non sine ingenti totius aulæ gaudio. Nimirum ab imminente mortis periculo à vinculis, & carcere Leonem eripuit clamor garrulæ avis, seu Psytacus orator; tanta est orationis efficacia, & precarii clamoris vis, ut etiam ab ipsis avibus clamor editus pericula, quæ imminent, avertat; calamitates abigat, & de ipsis triumphatis hostibus clariores referat triumphos.

## §. V.

### *Quos DEUS ad se clamare sinit, eosdem amare non desinit, ac beneficijs cumulat.*

31. ISraelitæ durissima afflicti calamitate, omnibúsque destituti subsidiis ad vitam pertinentibus premebantur tyrannide Madianitarum, simúlque ærumnis opprimebantur; & quia imbecilles, armis nequibant se munire; non ad arma, sed ad precarios recurrerunt clamores, à quibus suppetias impetrârunt; lamentis siquidem, & clamoribus non solùm meliorem enanciscuntur fortunam, verùm celeberrimam de prostrato hoste retulêre victoriam: (Jud cap. 6.) *Humiliatus est Israël valde in conspectu Madiam, & clamavit ad Dominum postulans auxilium contra Madianitas, qui misit ad eos virum Prophetam:* luculenta narratione oppressionis refertur injuria, quò inde illustrior precarii clamoris efficacia splendeat; clamores emiserunt in cœlum precarios, & hostes in terris oppressores prostrârunt; ascendebat clamor, sed cæsi cadebant Madianitæ: fuit clamor, quo epinicium sibi Israëlitæ cecinêre; & hostibus epicedium indixêre.

32. Quos DEUS ad se clamare sinit, beneficiis cumulat: est siquidem precarius clamor divinæ benignitatis indubium argumentum, proximæque felicitatis lætissimum auspicium; sit propterea is quavis felicitate destitutus, qui ærumnis pressus, & calamitatibus oppressus precarios non didicit clamores edese; sed infeliciter tacet: qui enim ærumnis tortus ad precarium confugit clamorem, omnem illicò à se miseriam abigit, omnes excutit ærumnas. Evangelicus paterfamilias, quæ servis suis tradiderat, exigere disponit, honestæque usuræ exposcere rationem: accessit quispiam ex servis, qui tam prodigè heri sui divitias profuderat, ac si nunquam forent ab (Matth. 18.) ipso rationes exigendæ: *Oblatus est ei unus, qui debebat ei decem mille talenta; cùm autem non haberet, unde redderet, jussit eum Dominus ejus venumdari, & uxorem ejus, & filios, & omnia, quæ habebat, & reddi:* nimirum servus nequam heri sui substantiam voluptatibus indulgens, gulæ deliciis inhians, symposiis, & comessationibus dissipaverat; cúmque ad reddendas rationes vocatur, adigitúrque, summis urgetur anxietatibus, divexatur curis, & intimo dolore torquetur, eò quia videat filios mox venum sub hasta dandos, uxorem turpi famulitio, ac dura premendam servitute, séque viliori mancipiorum turbæ admiscendum, ut promerita oppressus servitute solvere adigatur, quæ improvida prodegerat profusione, & indigna dilapidaverat prodigalitate. Quid tunc miser aget? cùm & exactam ab hero usuram solvere non valeat, neque petitas reddere rationes pecuniis destitutus? quas ut suis pravis indulgeret affectibus imprudenter insumpsit. En humi procumbens sibi tempus concedi clamorosa supplicatione exorat: quid ni adeò efficax fuit clamor iste precarius, ut qui inducias tantùm sibi dari temporis postulaverat, debitorum impetraverit remissionem; & lachrymis, quibus maduit, chirographum deleverit Heri creditoris: *Procidens autem servus ille orabat eum dicens: patientiam habe in me, & omnia reddam tibi; misertus autem Dominus servi illius dimisit eum, & debitum dimisit ei.* (Matth. 18.)

Non ære soluto, sed clamore persoluto 33. ærumnss, quibus miser premebatur excussit, angustias abegit. Cúmque servus iste precarii clamoris beneficio veniam ab hero, ac debiti impetrasset remissionem; & in alium incidisset conservum, à quo impatienter reculam sibi debitam exegerat; & afflicto, ac suppliciter roganti tempus denegâsset solutionis faciendæ indulgere; tunc Dominus auditâ servi austeritate ei irascitur, simúlque jubet tortoribus tradi, ac duris puniri verberibus: *Iratus Dominus ejus tradidit eum tortoribus:* & certè non tantà nunc visus est herus irâ exasperatus, ut antea iodignatione succensus: siquidem priùs non ad servum tantùm, qui divitias prodegerat, sed etiam ad totam familiam extenderat mulctam: nunc verò in servum duntaxat punitionis fulmen vibrat; non enim vendi servum jubet, sed duntaxat virgis excipi, & verberari; antea lugebat non solùm diverberandus, sed vilissimo itidem pretio vendendus, & fœdissimæ servituti addicendus: unde majori procul dubio Dominus irâ excanduit antea, quàm nunc efferbuerit indignatione; sed cur sacer textus modò iratum profert, quem antea misericordem descripsit? Initio minis torsit, ærumnis pulsavit, ut ad precarios edendos clamores adigeret; concessit tunc debitori lamenta, ut is à gravaminibus obtineret levamenta, *procidens namque orabat dicens: patientiam habe in me;* sed modò verberibus traditur, nec usus linguæ ei permittitur: non

sup-

suppetias nunc à lamentis exposcit; non auxilia à precario clamore petit; sed detestabili duritie, ac damnabili taciturnitate os suggillat, & linguam in clausi oris carcere vincit detrusam: unde modò graviores adigitur pœnas pati, & acriores subire cruciatus, cùm antea in ipso clamore misericordiam invenisset, appositè D. Chrysostomus apud D. Thomam ait:
Matth. 18 *Hoc autem non ex crudelitate jussit, sed ex infallibili affectione: vult enim eum terrere per has minas, ut supplicet, & non vendatur, quod & factum est.*

34. Suum Deus homini prodit amorem; cum precarium ab ipso extorquet clamorem; non vult eum punire, cui indulget posse clamare; flectitur Deus in vota precantium: & tunc irascitur, cùm non sinit linguam precatios solvi in clamores; etenim, quando indulsit linguæ posse clamare, tametsi, jusserit servum decoctorem pecuniarum, vendi, ac duræ servituti addici; non tamen tunc dicitur paterfamilias iratus, quia non volebat punire, cui indulgenter concesserat clamare: sed quando voluit eundem punire, quia non indulsit clamare, tunc iratus describi-
Matth. 18. tur ab Evangelista. *Iratus Dominus ejus tradidit eum tortoribus:* nimirum nulla adhuc tangebatur irâ, quamdiu servo precarium indulserat posse clamorem edere; quia precarius ipse clamor solutio erat debitorum, ac celerrima divinæ beneficentiæ impetratio: secus ubi flamma cœpit indignationis ardescere, & lingua nullum edidit precarium clamorem, nullásque fudit preces, tunc delicti pedissequa est promerita pœna. Hinc conijcimus, quantæ sit efficaciæ oratio ad affectus etiam iræ compescendos.

35. Est orstio impenetrabile scutum, quod pravos omnes, qui in nobis affectus tumultuant, retundit, quò ad illustrem nos victoriam instruat; imò est orstio militaris disciplinæ gymnasium; in quo Christi pugiles ad victorias de prostratis pravis affectibus erudiuntur. Suas affectuum acies struunt, & ad bellum instruunt duæ in homine portiones inferiores contra recta mentis, ac rationis dictamina rebellantes, súatque concupiscibilis, quæ amorem, & odium; gaudium, & tristitiam; desiderium, & fugam, reliquásque ex iisdem provenientes pedissequas appetitiones conglomerat in hominis perniciem: & irascibilis, quæ spem, & desperationem, iram, indignationem, audaciam, & timorem veluti congregatos milites obarmat ad pugnandum, expugnandúmque internum hominem, contra quas pravorum affectuum cohortes necessarium est bellum, quod sanè nonnisi justè, & juxta æquitatem indicitur, cùm in propriam institutor sui defensionem; ne portio superior, seu mens, in qua viget ratio, ab inferioribus prosternatur: arma, quibus pugna instituitur, pia sunt, & efficaciora ad hostes, vel prosternendos, vel fugandos quovis ferreo gladio, bellicóque tormento.

Suscipiendum alacri animo est hujusmodi bellum, cujus beneficio non Mortis cupressus, sed Martis palma sua ad nostras victorias subeat incrementa, & pacis olea vegetior adolescat. Imbecillia sunt, nullúisque roboris, quæ in artificum officinis cuduntur, & quæruntur arma, si intus non vigeat sanum consilium, si Deus non adsit auxiliator, si non sinat nos precario armari clamore, quo pravos omnes, veluti timore incusso abigamus affectus: quisquis enim præsidio non munitur orationis, is hoc in bello non claret, quia armis caret victoriæ apparandæ idoneis. Sunt autem hujusmodi arma precarij clamores; est siquidem oratio, quâ munimur contra insultantes pravos affectus, quia non solùm vires nobis suppeditat, docétque manus nostras ad prælium, & digitos erudit ad bellum; verùm etiam nos ad victoriam instruit, quia revera est oratio mentis asylum, animi vigor, pectoris fortitudo, virium supplementum, potentiæ complementum, belli peritia, hostium coërcitio, & illustrioris auspicium triumphi: appositè S. Ambrosius ait: *Oratio longiùs* Serm. 16.
*vulnerat, quàm sagitta; sagitta enim nonnisi proximè conspectum percutit adversarium: Oratio autem, & etiam longiùs positum vulnerat inimicum:* hinc sibi victoriæ invidet triumphum, qui armis negligit orationis muniri; quâ quò valentiùs quis se armat, eò commendatiùs hostes exarmat, & ad illustrem victoriam sibi iter apparat; quia totam Dei omnipotentiam ipsis precibus sibi asciscit auxiliatricem.

Idque nos edocuit Moyses pugnaturus 37.
contra Amalecitas, dixit ad Josuë: *Elige viros, & egressus pugna contra Amelech;* verùm cum acies utrinque congrediuntur. Exod. 17.
*Cum Moyses levaret manus, vincebat Israël: sin autem paululum remisisset, superabat Amalech*, qui tamen validiore Josuë impetu contritus cecidit, & fuso cruore palmas irrigavit, quæ uberiores Israëlitis germinarent triumphos: prostrato Amalecho dixit Deus Moysi: *Scribe hoc ob monimentum in libro, & trade auribus Josuë:* nimirùm jussit eum scribere in Chronicis, & præsertim totum indicari Josuë, ac eidem enarrari, quidquid ei obtigerit ex manuum suarum precaria elevatione; remissáque languida depressione, ut sciret, num victoria esset pugnaci militum tribuenda robori; an veriùs precarijs clamoribus, precibúsque per Moysen ad Deum fusis; tunc enim victoria stabat ex parte Amalechi, cùm Moysis manus languidè caderent, ac preces remissiùs funderentur: & è contra tunc victus cadebat Amalechus, & victor surgebat Josuë, cum Moyses nervosiori elevatione manuum efficaciùs Deum exoraret; non pugnantium militum robori, sed orantis Moysis precario clamori, fusisque precibus tributa fuit insignis de prostrato Amalecho victoria: hinc Moyses ædificavit ibi altare, quod voluit hac

Exod. 17. insigniri nomenclatione. *Dominus exaltatio mea* ( seu ut ex Chaldæo interpretatur Cornelius, ) *Dominus est miraculum meum.*

38. Quòd si quæras, quidnam sit hoc miraculum in victoria de Amalecitis relata? sacer historicus quæsito satisfacit subdens, confestim Moysem dixisse: *quia manus solij Domini, & bellum Domini erit contra Amalech à generatione in generationem.* Verùm Paraphrastes Chaldæus clariùs ait: *Dictum est hoc à facie terribilis, cujus majestas est super solium gloria, ut committatur prælium à facie Domini contra viros domûs Amalech.* Tametsi fuerit Josuë invictus bellator, ac strenuus debellator, artéque bellandi penitus instructus, & lectissimum exercitum è robustioribus Dei populi contra Amalechum obarmâsset; non tamen martia propria virtute, neque robore, ac fortitudine suorum militum Amalecitas prostravit; sed precaria Moysis manuum elevatio eos profligavit, nimirum virtute orationis victorias retulit de debellatis Amalecitis Josue, cujus propterea victoria Moysis subnixa oratione erigebatur, cum precaria manuum elevatione; & languescebat cum remissa earundem depressione: unde non tam manus Josue strenuè præliantis, Moysisque oratio manuum elevatione ferventiùs deprecantis; *quàm manus solij Domini* nuncupatur delata à Josue de prostratis Amalecitis victoria; quapropter dicitur etiam, *A facie terribilis, cujus majestas est super solium gloria*, ac si gloriosus adnisus omnipotentiæ Dei ( dum se terribilem ostendit contra hostes; & sic dicitur: *manus solij Dei, cujus majestas est super solium gloria*) fit prælium, quod oratio sanctorum munit, & fulcit. Quàm illustris est victoria, quam oratio de prostratis hostibus reportat? hæc siquidem à precibus parta victoria, adeò est nobilis, ut *à manu solij Dei*, quin potiùs, *à facie terribilis, cujus majestas est super solium gloria*, oriatur. Quis igitur manum solij Domini precario clamore non accersat adjutricem, cùm suos precatores ad tam illustres, tamque insignes instruat victoriae? pugnantium phalanges sic faustè oratio munit, ut nonnisi victorias, triumphósque ominetur, proinde dixit Deus ad Moysen: *Scribe hoc ob monimentum in libro, & trade auribus Josuè*: quia hic Dux bellatorum Domini inauguratur. Nullum est armorum genus hostibus expugnandis oratione aptius.

39. Neque David de prostrato Goliatho, discerpto leone, victisque hostibus delatas victorias propriæ adscripsit virtuti martiæ, sed totam bellandi peritiam à Deo hausisse fatetur, inquiens: *Quis Deus præter Dominum? aut quis Deus præter Deum nostrum? Deus, qui præcinxit me virtute*, ubi Hieronymus ait: *Qui accinxit me fortitudine*, ubi etiam observat Lorinus per vocem hanc virtutem significari copiam armatorum, & ad pugnam instructum exercitum, imò & animi alacritatem ad hostes lacessendos, invadendos, ac profligandos: deinde explicans David, quidnam sit militaris hic baltheus, hæc animi alacritas, corporis robur, & pugnandi dexteritas: ait. *Qui docet manus meas ad prælium: & posuisti ut arcum æreum brachia mea*, & sanè nisi calleat miles artem bellicam, polleátque corporis viribus, animique robore, & pugnandi dexteritate, difficulter hostium valet impetus declinare; unde nisi Deus manus pugnantium erudiat ad prælium, non fit brachium hostibus expugnandis aptum, nec palmis legendis idoneum: ideo illustres de triumphatis hostibus David victorias detulit, quia manus habuit ad prælium edoctas: erudiuntur manus Prophetæ ad pugnam, ut ejus brachium validius fiat ad victoriam: scitè Patres Græci *in Paraphrasi expendentes illud. Qui docet manus meas ad prælium*, ajunt: *Etenim ad preces manus expandens super inimicos meos. Per arcum nempe æreum, & infractum, brachiorum firmitatem symbolicè demonstrat.* Quàm illustris est hæc militaris eruditio, quâ manus ita instruuntur ad prælium, ut palmis legendis aptentur! manus quæ probè ad Deum in oratione elevantur; peritè contra hostes præliantur. Ad preces manus expansas Deus generosè erudit ad prælium; neque languidè lassantur militum brachia, quæ à periculis vigorem desumunt, & in æream obdurantur firmitatem. Psal. 17. Psalm. 17.

40. Si igitur rebellentes sentimus contra nos insurgere pravos intus affectus, animum concupiscentijs lacessentes, vel irâ impetentes; armemur precario clamore, sint manus nostræ ad prælium instructæ, eas ad preces expandamus: hae enim expansione ad palmas colligendas extenduntur, & ad pravos affectus obtundendos, ac prosternendos aptantur: tametsi hi intus insolescant, nósque pulsent, non tamen prævalent, si clypeum eis objiciamus orationis. Hinc Matth. 6. præscribitur ecclesiæ solemnis illa oratio omnibus communis fidelibus, cujus clausula est: *Et ne nos inducas in tentationem, sed libera nos à malo*: sed cur dominica precamur oratione, ne ab impetentibus tentationibus, pravísque intus insolescentibus affectibus vincamur? quia nimirùm, ut scitè expendit S. Chrysologus. *Ad tentationem vadit, qui ad orationem non vadit*, ideo Deum precamur, ne nos inducat in tentationem, non quia ipse nos tentet, dicente Apostolo Jacobo. *Deus Intentator malorum est, ipse autem neminem tentat*, inducimur igitur in tentationem, quia hanc non evadimus, si ad preces non pervadimus, rogamus liberari à malo, seu à Dæmone, qui præses, & artifex est tentationum: sciens enim, quanta sit orationis efficacia contra insidias, quas nobis tendit, & technas, quas in nostram molitur perniciem, omne ad- Ser. Jac. 1. v. 13.

adhibet studium; quo nos à precibus Deo fundendis, vel avertat, vel divertat; omnémque movet lapidem, ut orantem ab oratione retrahat, & ad alia trahat, vel saltem orantem in fundendis precibus turbet, & turbatum inquietet.)

41. Fidem adstruit Ruffinus Aquileensis, ubi de Anachorita Macario Alexandrino juniore narrat, huic nocte intempestâ somno sopito, cacodœmonem larvatum apparuisse, eúmque è somno excitâsse, simúlque invitâsse ad collectam quandam, ubi fratres cæteri ex suis tuguriolis confluxerant, ad nocturnas preces Numini fundendas, ac vigilias peragendas. Sed Macarius fallacias cacodœmonis subodoratus mendacissimi impostoris notâ eum redarguit, dixitque, quid tibi gehennali titioni societatis est, & negotij in collecta, cœtúque fratrum nostrorum, qui hanc incolunt eremum Numini inservientes? cui Dœmon veluti subridens respondit, an nescis'mi Macari nullam Monachorum Congregationem, nullámque collectam sine nobis institui? Veni igitur, & videbis nostram minimè inanem esse operam, ad quæ Macarius, imperet tibi Dominus immunde spiritus. Mox pronus in terram mentem in cœlum elevat, precésque fundit, & anxiè scire cupit, num verum esset, quòd artifex mendaciorum edixerat. Abijt ergo Macarius ad collectam, ubi cæteri de eremo fratres sacras peragebant vigilias, laudésque divinas persolvebant. Hic iterum fusus in preces Deum enixim rogavit, ut sibi veritatem illustriùs aperiret; & statim vidit huc, illúcque per locum illum discursantes pueros Æthiopes, qui mira celeritate loca singula, & recessus pervolabant. Moris illic erat sedentibus omnibus Psalmum ab uno pronunciari cæteris, vel audientibus, vel respondentibus. Parvuli verò Æthyopes vago occupatissimi discursu sedentibus alludebant, & si cujus oculos digitis compressissent, mox ille nutare, ac dormire incipiebat: si cui digitum in os immersissent, incertissimè statim oscitabat. Ubi verò absoluto Psalmo ad orationem se Eremiculæ projecissent pueri illi Æthiopes singulos tunc percurrebant, & huic puellam venustam cincinnis ornatam repræsentabant pravos excitaturi concupiscentiæ affectus; alteri fabros, lignarios, vel ferrarios, aut cœmentarios ante animum statuebant; isti cœnulam structam ante oculos exhibebant; alij alteri puellarum choreas ostendebant, & apud alios alia efformabant. Quæcunque verò Dœmones illi discursantes per singulos loci angulos diverso luxu effinxissent, id orantes animo, & cogitatione versabant. A nonnullis tamen, ubi horum aliquid tentâssent, vigilanti constantia repulsi prosternabantur, & hi adeò terrori erant parvulis illis nigris, ut eos cominus non auderent accedere. Alijs verò longè debilioribus largiùs illudebant, tergum, & cervices eorundem persultabant, eos sibi potiùs, quàm orationi attentos facientes. Hæc cùm vidisset, Macarius amarè ingemuit, & lachrymis totus maduit. Postea procumbens in genua, oculósque in cœlum elevans precario clamore Numinis opem petijt, inquiens: Respice ò Domine, ne sileas, neque mitigeris Deus: exsurge, & dispergantur inimici tui, & fugiant à facie tua, quoniam anima nostra repletur illusionibus. Præterea ad certiùs explorandam rei veritatem singulos seorsim accersens fratres mansuetè interrogat, num aliquæ fortassis inter orandum de ædificiis occurrissent cogitationes, vel de itinere instituendo, aut prandio parando, vel de negotio alio peragendo cogitâssent? fratres, quæ ipsis in precibus illis fundendis contigerint, sincerè Macario exposcenti aperuerunt, nec negârunt, rem ita se habere, prout ipse ab eis sciscitabatur: inde dilucidè deprehendit, vanas, vagásque cogitationes, cùm à viris ascetis preces recitantur à cacodœmone obtrudi, ac ingeri; didicitque, exinde quanti intersit attentè orare, *sæpe enim* ait Chrysologus, *homo, cùm est in se, non est secum*; in illo enim, quod quis habet, dum orat, cum Deo, commercio, maxima requiritur animi attentio, & cordis intentio, ne cùm orans est in se, non sit secum. Serm. 5.

vi. p. 39.

## §. VI.

### *Oratio pravos quosque abigit affectus, si mens à vanis defæcata simulacris soli Deo adhærescat.*

42. MEns hominis volubilis est, jugísque obnoxia mutationi; non enim, qui corio suo ludit chamæleon, tam est varius ascititiorum colorum mutatione, quàm orantis mens variegatis sparsa cogitationibus, quibus à se ipsa veluti discerpta à se exit sejuncta: quo fit, ut exsurgant infimarum rerum plures imagines, phantasmatum species, quibus lux divina vix menti illucescit orantis: hæ siquidem fœdæ imagines sunt, quæ etiam Dei voces impediunt, & fructui devotionis sunt obstaculo: idque causæ, cur plerique vix ullum ex fusis precibus, vel instituta oratione sentiant fructum carpsisse: & pudor est animi imperfecti, qui velut totus in corpore mersus, & carnis obrutus crassitie vix valeat quidquam cogitare, quod vanissimis æquè, & fœdissimis plerumque non sit imaginibus depictum, rerúmque vilium cogitationum veluti colluvie dehonestatum; quò fit, ut ibi orantes divinam potiùs irritent Majestatem, quam delinquendo offendunt; ubi debuissent offensum Numen sibi propitiare.

43. Mens humana est veluti quædam rotatio, ac vertigo, quæ semper circumagitur; in hoc autem circulo implexo, volatico, & labyrintheo, dum agitur mens, in ipsa volubilitate sua nil agit, quod aliquem adferat

uti-

utilitatis fructum, sed ita circuit, ut semper terrenis; ac fluxis hæreścat, & nunquam sursum erecta assurgat: sordescit enim in hoc suo implexo circulo, pulverulentis rerum mundanarum occupata curis, & tunc quamvis homo sit in se, non tamen est secum, ita hac inani, ac futili circuitione extorris exulat à se, & Deo: quamvis enim sit Deus ubique præsens, & sua immensitate omnia repleat loca, omnésque subeat locorum recessus, ut ait D. Dionysius, non tamen ei præsens est homo, tametsi oret; quia tunc à Deo exulat, cùm mente ab ipso discedit, & varijs cogitationibus circuit terrarum tractus, mundana negotia, & tempus impendit in creaturarum cogitatione. Is est Deo præsens, qui sanctis, & devotis precibus, tranquilla mente, aptóque ad divinam unionem animo eidem adhæreścit, nec sinit ullam ex suis cogitationibus alibi divagari, sed singulas Deo figit.

Cap. 3. de divinis Nominibus.

44. Qui igitur non vult, cum orat, exul à Deo esse, necesse est mentem suam colligat, ac veluti domum revocet animum, qui per res plures inanes, ac futiles errabundus divagatur. Prodest etiam, ne quis, cùm orat, exul fit à se, & Deo; si se intra limites contineat modestiæ, animum componat, ut sedatus sit, aptúsque divinis cogitandis mysterijs; si disponat, quod intendit agere, & cum quo sit acturus, ac locuturus seriò perpendat. Cùm sit oratio negotium omnium negotiosissimum, siquidem est cum divina Majestate de negotijs summi momenti secreta miscere colloquia; proinde, quisque antequam locum ingrediatur, in quo sit oraturus, Deum allocuturus, imitetur D. Bernardum, cui oraturo familiare erat dicere: veniens ad ecclesiam pone manum super ostium, & dic: *Expectate hic cogitationes malæ, intentiones, & affectus cordis, & appetitus carnis. Tu autem anima mea intra in gaudium Domini tui, ut videas voluptatem Domini, & visites templum ejus.*

45. Est oratio juxta Damascenum, *mentis elevatio ad Deum:* & tamdiu quis orate dicitur, quamdiu mente Deo adhæreścit, quòd si suas sinit cogitationes à Deo divelli, & circuire per res fluxas, quia tunc mentem non elevat ad Deum, sed deprimit ad creaturas, deficit ab oratione; & quamvis situ corporis videatur orare, longè tamen distat ab oratione, quia non ampliùs cùm Deo sermones miscet, sed cum creaturis: est oratio, ait Augustinus, *Locutio ad Deum:* quando sacra, & divina legimus, Deus nobis loquitur, sed quando oramus, nos cum Deo loquimur; lectione nobis Deus loquitur, sed oratione Deum alloquimur: verba autem sunt mentis cogitationes; quæ si dirigantur in creaturas, non ampliùs Deum, sed creaturas alloquimur; hinc David sciens humanæ mentis volubilitatem Deum enixim rogat, ut suas velit precas perinde ac incensum ad se dirigere. *Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo:* quemadmodum incensum, cum adoletur, Deóque offertur totum per fumidas evaporationes sursum avolat, ita cogitationes nostræ sursum, cùm oramus, dirigi debent, ne deorsum descendentes creaturis adhæreścant: ut autem oratio dirigatur sicut incensum in conspectu Dei, necesse est ante omnia, orantis finis sit sincerus, intentio recta, attentio jugis. Sunt enim, qui nonnunquam orant, ut spectatores habeant, & laudatores, & horum finie non est sincerus, nec intentio recta, proinde neque eorum oratio sicut incensum dirigitur in conspectu Dei. Sunt alij, qui preces fundentes eorum mens, huc, illùcque discurrit, & à Deo aliena per temporalia divagatur negotia, eum creaturis aliena ab oratione tractat; & horum oratio, nec dirigitur in conspectu Dei, sed perinde ac fumus à vento rapitur, & dissipatur.

Lib. 3. de fide cap. 4.

In Psalm. 85.

Psal. 104.

46. Cor orantis se totum effundere, ac diffundere debet instar aquæ in conspectu Dei: nimirum ut aqua effundi debet, non ut oleum, cujus pars aliqua ob innatam uliginem vasi semper adhæreścit: sicut quæ in vase aqua continetur, si effundatur, tota exit, ut nulla sui pars superstes in vase maneat, ita cùm oramus, cogitationes nostræ, non oleum, sed aquam imitentur; ut omnes ita in Deum effundantur, ut nulla sinatur extra Deum divagari: si enim hoc modo preces funderemus animi evagationes molestias nobis non ingererent: ea est Deo oratio gratissima, quæ è cordis emergens penetralibus homines latet, & soli Deo patet; hæc edocet simplicissimè, ac sincerissimè cum Deo agere, & cum ipso duntaxat nostros miscere sermones.

47. Duos scimus viros probos studio virtutum commendatissimos suos cum Deo sermones miscuisse Abrahamum Patriarcham, & Davidem Regem. Abrahamus Deum allocuturus timet ad divinam Majestatem accedere, propriam cognoscens indignitatem. *Loquar ad Dominum meum, cùm sim pulvis, & cinis?* benevolentiæ conciliandæ auditoris Dei magis aptum visus est non potuisse exordium præmisisse, cùm simul Dei revereatur majestatem, & propriam vereatur imbecillitatem; sed qualem putamus tam artificioso exordio narrationem subnexuisse, & confirmationem attemperâsse? Non aliam, quàm à divino colloquio futiles coërcere divagationes. *Descenderunt volucres super cadavera, & abigebat eas Abraham,* volucres super cadavera descendentes divagationes sunt, & cogitationes, quæ à divinæ majestatis præsentia discedentes infra descendunt super cadavera rerum mortalium: has igitur volucres discedentes à Deo, & ad cadavera descendentes creaturarum abigere Abraham satagabat, quò nos erudiret, quàm necessarium sit in oratione aves infestarum divagationum pellere, animúmque ab hisce infestis tueri volucribus. David quam-

Genes. cap. 18.

Genes. 15.

quamvis assiduus in divinis esset colloquijs, ait, *Invenit servus tuus cor suum, ut oraret ad te oratione hac:* (2. Reg. cap. 7.) quasi diceret mens mea huc, illúcque temerè divagata, diu non fuit domi, & perinde, ac columba socias secuta, seducta fuit. Redijt tamen mens mea in domum suam malè peregrinata, & tunc me ipsum tantùm inveni, quando ad te Deum meum veni: tunc cor meum invenio, cùm per fusas preces ad te venio: non inveneram cor meum, quod à me fugerat, quia ad te non veneram, sed ad tumultus descenderam creaturarum; ubi mens mea turbata, requiem non invenit, quia à te longè venit per importunas mentis evagationes.

47. Est hæc evagatio quædam animi inconstantia, mentísque mobilitas; adeò inconstantes sumus, ut cùm primùm Deum alloquimur, à Deo statim divertamur, & cum rebus alijs obvijs, fluxísque tempus inutiliter impendamus. Refert Umbertus in regula S. Augustini, (Cap. 5.) Hominem fuisse probum, ac pietati addictum: hic cùm ante templum asino vectus transiret, è suo illicò descendit jumento, quod ad templi fores alligavit: ingressus ipse templum Deum oraturus; & suum iter cœlitibus impensiùs commendaturus, vix in genua provolutus cœpit Deum precari, sed antequam Dominicam semel absolveret orationem, plurima ejus mentem subjere à precibus prorsus aliena: & præ cæteris molestior ei fuit cogitare, quomodo ipse reliquum conficeret itineris, si quispiam plateam pertransiens jumentum suum solveret, & clam abduceret: cùmque hanc mentis evagationem, non posset penitus coërcere, quin iterum dominicam orationem recitans ejus sentiret molestias, dolens exclamavit; heu me miserum, nec asinus meus precari me sinit! Egressus igitur, ut erat vir pius, asinum maluit divendere; quàm importunas pati mentis evagationes, ratus satiùs esse asino carere, quàm minùs oratione clarere apud Deum. Monitum vetus est, quo monemur; id benè agere, quod agimus: hinc ajebat ille, quæ agenda sunt, satage, ut benè agas: quo benè oremus, id agamus, ut non linguam tantùm, sed animum ad preces evocemus, ideò Cyprianus ait; (de orat.) *Incumbere ad preces toto corde debemus; ne quidquam tunc animus, quàm id solùm cogitet, quod precatur: quæ autem segnities est alienari, & carpi vanis cogitationibus, & profanis, cùm Dominum deprecaris; quasi sit aliud, quod magis debeas cogitare, quàm quod cum Deo loquaris? Vis Deum esse memorem tui, cùm tu ipse memor tui non sis?* & S. Ephrem *tom.* 2. *de Panoplia spirit* scitè ait: *Arguat se ipsum homo, & ipse sibi dicat. Vis loqui cum Deo? attentus sis? Vis audiri, te ipsum priùs, quid loquaris, audi: Nec sic properes, ne frustra ores.*

48. Animi evagationes inter orandum sunt, quæ mentem in mille partes distrahunt, nec sinunt cum Deo loqui, à cujus colloquio propterea nos abstrahunt. Oriuntur hujusmodi evagationes à pluribus solicitudinibus, curísque humanis, quibus mens irretita; vix ab ijsdem vult extricari, hinc Apostolus ait: *Nihil soliciti sitis, sed in omni oratione, & obsecratione petitiones vestra innotescant apud Deum.* (Ad Philipp.) Curas omnes, rerúmque fluxarum solicitudines excutiat à mente quisquis oraturus templum ingreditur, & animum in sublime erigat, evellátque ab hisce inferioribus. Pluma è pectore divulsa volucris, quia levissima volat, & ipsa per aëra cum aura huc, illúcque agitatur: at si delabente madeat pluviâ, levitatem exuit, simul & volatum: ita dixerim; quamvis mens nostra, utpote spiritus sursum avolet, cœlúmque petat; si tamen rerum fluxarum curis, ac temporalium negotiorum solicitudinibus madefiat cogitans de vindemia, vino, potu, negotio, incipit prægravari, & deorsum in terram descendere, unde Christus ait: *Attendite vobis, ne fortè graventur corda vestra in crapula, & ebrietate, & curis hujus vitæ.* (Luc. cap. 21.) Otium itidem, cui quispiam indulget, hisce importunis etiam favet evegationibus, unde teste Cassiano *lib.* 10 *collat. cap.* 23. Solemne fuerat apud priscorum ascetarum in Ægypto effatum illud: *Qui laborat ab uno diabolo; otiosus à sexcentis, ab innumeris exagitatur.*

49. Ingredientes templum suas fusuri preces ad Deum, soppetias necessè est enixim ante omnia à Deo petant, siquidem ad orandum ut oportet, specialis Numinis gratia opus est, quàm Deus otio marcescentibus, ludionibus, & confabulatoribus minimè impertitur. Mens hominis otiosi ab horto omni destituto culturâ haud abludit, in quo nonnisi lappæ, urticæ, gramina, senticeta, & semina adulterina germinant, & Salomon ostensurus malum viri otiosi ait: *Per agrum hominis pigri transivi, & per vineam viri stulti, & ecce totum repleverant urtica, & operuerant superficiem ejus spina.* (Prov. cap. 24.) Sterilescit mens humana, nec ullum virtutis adfert fructum, si otietur inculta, & nisi orationis aqua rigetur benefica: súntq; propterea necessaria hæc duo, ut mens efflorescat, & fructus pariat, *virtutum cultura*, & *orationis rigatio*: perinde ac planta, ita & mens hominis rigatur, illa fluentis, ista fusis precibus: est homo arbor, sed inversa sursum radices agens in capite, & mente: hujus plantæ radices eâ sunt orationis aquâ rigandæ, quæ per varias terræ tractus non fluat; sed sursum ascendat. Quòd si arbores, cùm jam adoleverint, altiúsque suas fixerint radices, non aquis indigent, quibus rigentur: contrarium tamen accidit in spiritualibus arboribus, hæ siquidem, quò magis in Dei cultu adolescunt, plantatæ in domo Domini,

eò avidiùs orationis expetunt beneficas aquas, quia superæ irrigationis opem jugiter exigunt.

50. Excolendus igitur est mentis nostræ hortus virtutum exercitio, & rigandus fusis ad Deum precibus; si enim destituatur hac cultura, & rigatione, sinatúrque otiari, urticis, & sentibus oppletur, hinc Cassianus ait: *Lib. 10. collat. cap. 6.* *Mens otiosi nihil aliud cogitare novit, quàm de escu, ac ventre:* acediæ phalanges non declinando, sed resistendo superantur: Mater est acedia gemini vitij, scilicet intemperantis somni, & ordinis neglecti. Quies corpori permittenda quidem est, sed non immittenda, quia nisi temperata fuerit salubris non est, plúsque infert detrimenti, quàm adferat levaminis: pabulum otiositatis est ad plures horas post solis ortum stertere; neque præclarum aliquid expectandum ab homine prolixiori indulgente somno: Sapientum sententia fuit; septem horarum spatium veram somni mensuram esse homini adulto: verùm somni mensura ab ætate, valetudine, corporis constitutione petenda est, qui enim humoribus abundant, hi plus videntur somni exigere, qui verò exsucci sunt, breviori sunt somno contenti: proinde somnus, & animi relaxatio, non non quantum placet, sed quantum satis est adhiberi debet, ac dimetiri.

51. Aliud acediæ cognatum vitium est neglectus ordo, seu confusio in rebus suis instituendis, hæc siquidem confusio vix sinit mentem quiescere; & ubi ordo non est, ibi oratio exulat: David gravioribus regni intentus, ac occupatus negotijs, nihilominus septies in preces singulis diebus effusus ajebat. *Psal. 118.* *Septies in die laudem dixi tibi;* sed quomodo septies in die divinas canebat laudes, si tot erat negotijs irretitus, & occupatus? quia nimirum aliqnot ex diurnis horis negotijs regni dederat, & alias divinis laudibus enarrandis, quibus persolvendis non solùm tempus diurnum impenderat, sed & nocturnum, inquiens: *Media nocte surgebam ad confitendum tibi:* sicut ordo neglectus, ita & confusa negotiorum moles has facilè mentis inter orandum ingerit evagationes, & videtur cacodœmon hac in re Pharaonem æmulari: cùm enim subodoràsset Rex populum Israëlis sactificia cogitare, & discessum ex Ægypto moliri, jussit confusa negotiorum mole populum illum obrui, ait: *Exod. cap. 6.* *Opprimantur operibus.* Quid ni, plures haud dispari ratione merguntur luto rerum terrenarum, ut mentem non valeant fusis precibus sursum erigere.

52. Angelus Ezechielem ad aquas perduxerat, quæ primo ingressu talos, mox *Ezech. c. 47.* genua, deinde umbilicum contigerant. Sed hic prohibuit cœlestis ductor eum progredi, sed retrogredi compulit, convertitque ad ripam torrentis. Voluit cœlestis ductor nos instruere, ut non sinamus à nostris occupationibus sepeliri, nisi usque ad umbilicum; si enim plus iisdem concesserimus, nil orationi, nil Deo à nobis dabitur: quapropter Cassianus, immodicas *Collat. c. 9.* perstringens occupationes narrat, probatissimum quendam seniorum, cujusdam fratris cellam pertransijsse, & vidisse adstantem ibi Æthiopem. Hi duo junctis consertisque manibus saxum gravi malleo nitebantur contundere. Monachus aliquoties malleum ponebat, & ad orationem revertebatur: sed Æthiops iterum ad opus animans onus laboris non sentire jussit. Miratur senex impigerrimam diaboli vafritiem, tugurium ingreditur, & Monachum alloquens ait: quid operis hic urges? cui Monachus, durissimum hoc saxum aptamus fabricæ, vixque illud secare potuimus. Has voces senex statim excipiens subjunxit, benè dixisti, vix potuimus: nam solus non eras, cùm illud cæderes. Tunc illi exposuit, quem vidisset ejus operi socium adstare Æthiopem Tartareum, simúlque seriò monuit, ne orationem labori posthaberet: laborandum quidem esse, sed sine orationis dispendio; Monachum ascetam debere quidem Martham agere, non tamen Magdalenam excludere; suúmque omnibus tribuendum esse tempus.

Cavendum igitur, ne opera externa à divinis orantem avocent; præludit persæpe hæc evagatio desertioni à Numinis cultu; 53. deplorandum nobis Salomon documentum dedit; is extructo Jerosolimis templo, alias exorsus est molitiones, quibus à divino cultu distrahebatur; cæpitque ædificare domum saltûs, Prætorium regium, Armorum custodiam, regale solium, his accessit vagus fœminarum aspectus, consociacio, & adhæsio, quâ à seipso exiens, cæpit divina fastidire, & mundi, sensúsque indulgere voluptati, & à virtutum deficere studio: fit balsamum nobile, suum deperdit odorem, si pyxidi operculum detrahatur; evaporat quicquid suavolentiæ continet: perinde spiritus precum evanescit, si os sine lege garriat, pateátque fœminarum colloquijs; ubi enim fervent fabulationes, frigent orationes; confabulatio Ita hominis mentem afficit, ut hæc penitus ad orandum torpeat.

## §. VII.

### *Improbi affectus, nisi orationis assiduitate compescantur, mentem turbant, & importunas secum trahunt evagationes, quibus oratio languescit.*

Pravi affectus, quos intus fovemus, 54. mentem turbant, avertúntque, & importunas excitant evagationes. Mellea est oratio roscido cœli irrorata imbre; mellea dulcedo felleam excludit amaritudi-

tudinem; ubi enim hæc cor inficic pravis affectibus iræ, tristitiæ, odij, & aliarum passionum, quæ animi sunt amaritudines; ibi mellea exulat orationis dulcedo; & quamvis labia, & lingua laborent; non tamen sapit oratio, pravi affectûs adspersa amarore. Plenum felle cor est, si pravos foveat affectus: & oratio, vel è corde non prodit; vel non sapit, nec grata esse potest: noxium est valetudini ad mensam quamvis delicatioribus instructam ferculis accumbere, & cibis stomachum implere; dum animus, vel irâ inflammatur, vel tristitiâ torquetur, vel invidiâ corroditur, aut odio flagrat, aliísque malignantibus infestatur affectibus; tunc enim non prodest cibus, sed obest; transit enim in venenum, & quod cibus esse creditur, fel est; undè consultiùs tunc impransum, vel incœnatum perdurare, quàm stomachum opplere esculento mox in toxicum abituro; perinde obtingit animo deteriore aliqua occupato affectione; sive sit ira, & scandescentia, sive mœstitia, aut ambitio; sive libido, aut avaritia, vel alia amaritudo, quæ eum turbet, inficiat, & discruciet; tunc enim vix citra noxam orationi incumbet; & quia oratio, perinde, ac cibus corporis, est animæ refectio, necessè est, hæc ab omni sit pravi affectus amarore defœcata, ut nutrire aptè possit.

55. Idque causæ, cur Christus pravo affectu laborantem ab altari excluserit. *Relinque ibi munus tuum ante altare, & vade priùs reconciliari fratri tui.* Odij amaritudine inficiebatur, proinde impediebatur, ne posset suum perficere sacrificium: quæ enim è corde scaturiunt amaritudine pravi affectûs pleno, non possunt, nisi insipida palato obtingere; qui vult melle innutriri orationis; felle opus est, destituatur pravi affectus. Deponenda est ira, abdicanda libido, & extinguendus rebellantis concupiscentiæ æstus, & cor ab omni amaritudine expurgandum: ídque etiam ex monito Apostoli inquientis: *Volo vos orare in omni loco; levantes puras manus sine ira, & disceptatione*, non enim possunt rectè unà cohærere mellea oratio, & fellea affectio; hæc illam corrumpit, & quamdiu hæret animo, non sinit orantem dulcedinem gustare, quæ ex favo solet orationis hauriri: quamdiu glans plumbea, vel ferri cuspis hæret in vulnere, hoc nequit curari, neque disrupta cutis pristinæ restitui integritati: sunt priùs, quæ curationi adversantur extrahenda, & postea parti læsæ cataplasma accommodandum. Qui rectè orare cupit, ac cælestem ex oratione delibare dulcedinem, necessè est, vanas repellat solicitudines, otium excutiat, nec sinat negotiorum mole se opprimi, nec animum à quavis urgeri pravi affectûs malignitate.

Matth. cap. 5.

1. ad Timot. cap. 2.

56. Cæterum triplex solet evagatio distingui, invita, negligens, & voluntaria. Prima contingit, cùm orantem plures, & quidem molestæ cogitationes turbant, sed invitum, & reluctantem; & tunc censetur orans hujusmodi evagationes invitus pati, si cùm primùm eas animadvertit in animum suum serpere, & à precibus in res alias intellectum distrahere, statim dolens eas excutit; & is non facilè dicitur peccare, cùm tam sedulò invigilet contra cacodæmonis importunas suggestiones. Solet hæc invita evagatio interdum oriri ex laxa nimia exteriorum sensuum præsertim oculorum licentia: vix enim attentè orat, víxque evagationes prohibere potest, qui dum orat, oculos non cohibet: mens siquidem incustodita facilè pugnatur à cacodæmone insidiatore, & expugnatur per vanas, & futiles cogitationes animum avertentes à Deo, & deijcientes in imum creaturarum. Et vix prohibentur hujusmodi cogitationes, si emissitij oculi huc, illúcque discurrant, quapropter ait Christus: *Clauso ostio ora patrem tuum:* imò nec sufficit ostium clausisse cubiculi, ni etiam patulæ claudantur animi ianuæ, sunt autem hæ januæ geminij in fronte oculi, qui duo sunt cordis ostiola. Qui orantes oculis habenas laxant, sinúntque eos veluti pyrobolos hinc, illúcque discurrere, & veluti nitratos radios nullo injecto frœno foras evolare; hi necessè est mente, & cogitationibus divagentur cum oculis, & suo frustretur oratio fructu, cui exitiales sunt missiles hujusmodi ignes. Ut quis rectè oret; non oculi ut nitrati radij debent foras excurrere, sed animus potiùs ignescere, ut in altum avolet; oculi frœno palpebrarum coërcendi sunt, ac intra suas detinendi caveas; quia si cæcutiant frontis oculi, acutiùs aspicit mentis acies; ideóque Elias Deum allocuturus, *Operuit vultum suum pallio*, ut nos edoceret, optimum orantis habitum esse, velo, quod natura concessit, oculos operire; tunc enim clariùs videmus proni in Numinis obsequia, cùm oculos claudimus: quia si nil oculis videamus, clariùs quem adoramus, mente aspicimus.

Matth. cap. 6.

3. Reg. cap. 19.

57. Hæcque fortassis ratio, cur Deus Arcam à Noëmo fabrefactam tam intrinsecùs, quàm extrinsecùs bitumine illiniri voluerit, ne scilicet rimulæ essent, per quas possent aquæ intus sensim sine sensu se ingerere: si navis carina rimulas admittat, se ipsam amittit; subeunt enim ipsam aquæ, quam & mergunt. In mundo perinde, ac in cataclysmo utrinque fluctibus quassati agitamur, & perinde ac naves, æquora hujus fluxæ vitæ traijcimus: si navis nostræ rimulas non illiniamus oculorum modestiæ bitumine, facilè in imum deprimimur, ac miserè mergimur.

Genes. cap. 6.

58. Alia evagatio dicitur negligens, estque, cùm quis oscitanter orat, animóque re-

misso, neque vim ullam adhibet, quê suas coërceet eogitationes; & quia animum ed preces Numini fundentas haud præparat, fit, quod inutiliter plerumque tempus terat, & & nugas futiles potiùs congerat, quàm fructus colliget orationis; hæcque negligens evagatio ex loco præsertim oritur, quem oraturus adit, eò quia à tumultu non fit sejunctus. Amat oratio locum à strepitu remotum, & cælestibus contemplandis opportunum: sicut enim irtuente procellâ, urgente ventorum impetu, repercussi marini fluctus elatè feruntur; ita cor hominis varijs cogitationum, ac solicitudinum vorticibus turbatur, cùm prevorum affectuum efflant intus venti, & exteriùs adstantia cuncta tumultuant: unde seligendus est orationis locus, ubi venti non reflent, nec quæ circumstant, tumultuent, nec specierum oculis se ingerentium volumina mentem turbent. Hinc sponsus commendans hunc in sponsa secessum ait. *Quæ est ista, quæ ascendit per desertum sicut virgula fumi, ex aromatibus myrrhæ, & thuris, & universi pulveris pigmentarij:* nimirum per desertum ascendit sponsa fragrans odore suavissimo, quæ fortassia inter populi tumultus, hominum frequentias, vel minùs ascendisset, vel saltem fragrantiam illam odoris tam gratam non emisisset: quapropter D. Gregorius scitè ait. *Ob hoc semper laborat, ut ascendat, ut quem valdè diligit, magis, ac magis sentiat, quatenus quoniam perfectè eum in deserto non tenet, vel ipso ejus desiderio se reficiat:* scilicet ut se sui sponsi reficiat desiderio, desertum eligit sponsa, secessum adit, ne strepitu perturbata, nec tumultu commota populari mentem avertat, nec per importuna phantesmata illuse à desiderio divertatur illius, quem sancto prosequitur amore.

Cant. 3.

In Cant. 3.

59. Non me latet moris olim fuisse, quo Deus in Silo præcipuè coleretur, & fortâssis ipso nomine instruendi erent orantes. *Ascendebat vir ille de civitate sua statutis diebus, ut oraret, & sacrificaret Domino exercituum in Silo.* Erat autem Silo locus sejunctus à quovis strepitu, tumultúque populari, proinde selectus, quia fundendis Numini precibus opportunus. *Silo* (ait Hugo) *interpretatur avulsus, divisus, translatus*, Elcana igitur in loco avulso, & sejuncto à populi tumultu suas Deo preces fudit, ne quidquam orationi perstreperet, aut obsisteret: & licèt templa sint nunc fundendis precibus destinata, locisque cæteris magis apta: sunt tamen interdum, qui templa frequentant, non ut orationi vacent, sed oculos laxent, & curiositati famulentur. Construuntur quidem templa animis expiandis, mentibus purgandis, ac virtutibus excolendis perepta: sed ex hominum malitiâ, ubi deberet virtus exculte florescere, vitium insolescit petulentius. Proh dolor! in ipso sponsæ horto, ubi & lilia puritatis, & rosæ chastitatis, & violæ humilitatis, & reliquarum virtutum flores gratos cœlitibus deberent suos efflere odores; sylvescunt sentes, succrescunt dumeta, & feræ spatiantur vitiorum; & ubi curandis ægritudinibus nobis medela paratur, venenum per oculos, per aures haurimus, quo semina ipsa corrumpuntur virtutum; ubi est cultus Numini exhibendus, ibi famulatus Dœmoni præstatur, ut ajebat Tertullianus, inquiens: *Non puto nos à contagio idololatriæ vacare, quorum manus non ignorantium in officio, vel in honore, & usu dæmoniorum deprehendantur:* an non is videtur in templo idololatriæ famulari, cujus libidinosus oculus nutibus servit; cujus digitus mutè loquitur, cujus os fœtorem exhalat impuritatis? tametsi, qui hæc acturus templum ingreditur, idolum voce neget, cacodæmoni tamen operibus famulatur.

Lib. 1. Reg cap. 1.

Lib. de Idolat. cap. 1

Templum ingressæ fuerant mulieres Adonidi illachrymaturæ: viri faciem aversuri à Deo, & oculos directuri in solis nitorem templum inscenderant, non cultum Deo, & debitum religionis tributum soluturi, sed bellum Numini illaturi. *Ecce in ostio templi Domini inter vestibulum, & altare quasi viginti quinque viri dorsa habentes contra templum Domini, & facies ad orientem:* avertentes facies suas è Deo, easque in orientem convertentes, seu ad solis splendorem oculos dirigentes, tela, & sagittes contra Deum intorquebant, cui & bellum etiam in propria domo indicebant. Huc accersendus Tertullianus. *Retractari oportet de festis diebus, & alijs extraordinarijs solemnitatibus, quas interdum lasciviæ, interdum timiditati nostra subscribimus adversus fidei disciplinam communicantes nationibus in idolicis rebus.* 60.

Ezechiel. 8.

Lib. de Idolat. cap. 13.


Qui autem templum ingressi non genua flectunt, sed terga altari vertunt comptas impudicè aspectori puellas, fœminasque procaces, idolicis citra dubium moribus asperguntur. Prisci olim in Ægypto Patres dicere consueverant amantem orationis hominem debere cæcum esse, mutum, & surdum. Cæcus sit, ut clausos, dum orat, oculos habeat; vel si apertos nonnisi in Christo, vel alia sacra imagine defixos. Sit mutus, ut nullos penitus cum alijs sermones misceat, sed Deum duntaxet alloquatur, turpissimum enim est divina colloquia futilibus interrumpere, & confundere confabulationibus. Surdus sit, ut quod vel domi, vel in templo est importuni strepitus non audiat. Mos est in pagis, præsertim Germaniæ inter rusticellos pultem aveneceam hoc ritu comedere. Ubi enim plures assident, pulmentum in medio tabulæ ponitur, quod vas amplum continet; cui additur catinum sive ligneum, sive fictile lacte oppletum. Mox circum tabulam in scamnis accumbentes alternis vicibus coclear ligneum mox in pulte, & postea in lacte mergunt, idque si aliquid pultis guttur hæ- 61.

hæ-

hæreat lactis vehiculo in stomachum demittatur. Putârim ab hisce vix abludere rusticellis aliqui templo oraturi insistentes, hoc tantùm discrimine, quòd lingua pro cochleari utuntur; hi enim modò DEUM alloquuntur, sed statim infelici vicissitudine cum adstantibus colloquia miscent; nunc oculos in precarium emittentes libellum unam, vel alteram legunt oratiunculam, & nunc eosdem laxantes, alienam formam, muliebrem speciem alternis obtutibus aspiciunt. Eh quid hoc aliud est, quàm injuriis DEO illatis eum lacessere? aliis pernicioso exemplo esse scandalo, & sibi detrimento? inutiliter enim tempus terentes, justissimam tantùm sibi reprehensionem demerentur.

62. Tertia mentis evagatio est voluntaria, cùm sola garrit lingua, & mens domi non est, sed huc, illùcque divagatur per plateas, per urbes, per pagos, per prata, per sylvas; & qui ita voluntariè evagatur, quamvis cognoscat ab importunis cogitationibus se abripi, & ab oratione diverti, ac distrahi; non tamen eas rejicit; hostem videt, sed ei se se minimè opponit, præsentes sentit cacodæmonis suggestiones, sed eas non excutit; & tametsi ab aliis censeatur cum DEO loqui, cum aliis tamen perniciosè confabulatur; & sic orantes debitam Numini denegant reverentiam.

63. Ad importunas omnes evagationes excutiendas tres solent à viris ascetis studio addictis orationis tradi regulæ, quarum prima est, ut tantò ardentiùs quis oret, quantò vehementiùs experitur in se vagationes urgere. Exemplum fit obvium in æris campani pulsu, quò enim acriùs cœlum repetito tonitru cietur, minásque tertis spargit, & fulmina è fœdo tetræ nubis disrupto sinu ejaculatur, tantò copiosior ac sonorior est campanarum pulsus, qui prodest ad cacodæmonis technas arcendas, ac procellarum impetus temperandos. Secunda, quæ solet regula tradi, est, ut qui oraturus templum ingreditur, DEUM credat adesse, & ubique præsentem, & specialiùs in templo, ubi Angeli ei semper assistunt, *Millia millium ministrabant ei, & decies millies centena millia assistebant ei.* Daniel. 7. Quòd si cùm Principes alloquimur, nonnisi defixis in ipsum oculis, & ex præparato, ac verbis conceptissimis tota animi, corporisque submissione, & obsequio proloquimur, quanto magis attentos nos oratio exigit, cùm per ipsam, non hominem, sed Deum ipsum alloquamur; non ad Principem pluribus stipatum proceribus nostras dirigamus preces, sed ad Deum, quem millia millium, & decies centena millia Angelorum cingunt: & tamen nonnisi frigide, remissè, ac segniter, imò & oscitanter, licet causam nostram agamus, eum ipso loquimur, & ideo parum proficimus, quia multum orantes deficimus. Tertia est, ut seria mente annos jugiter volvamus æternos, mens enim faciliùs tunc patitur se vinciri. Oh si qui mortalitatem exuti, & æternitatem jam inchoarunt, possent per unam vel alteram horam pœnitentiam agere! quales non subirent cruciatus, non sufferrent dolores, quas non funderent ferventissimas preces? hi certè ardentissimis votis ante aram se prosternerent orantes, gementes, suspiria edentes, lachrymas effundentes ad impetrandam veniam. Quid ni, nos, quia nondum mortalitatem exuimus æternitatis immemores, in iis duntaxat delectamur, quæ pereunt, & transeunt?



# DISSERTATIO XVI.

## Sterilescit oratio, suóque destituitur fructu, nec pravos excutit affectus, si importunas non abigat evagationes, & charitate ignescat.

### §. I.

*Vacua est oratio, quam devotio non implet.*

1. Ratio, ne suo destituatur fructu, necesse est, sit fervens, attenta, & devota: est devotio voluntas promptè exequendi, quæ ad Dei pertinent servitium, seu quædam agilitas, & vivacitas spiritus, cujus præsidio charitas suas in nobis actiones promptè, & slacriter exequitur, & nos expeditiùs ejus suffulti munimine operamur. Varii in variis virtutum exercitiis sunt devoti, prout spiritus, qui ubi vult, spirat, illis cœlesti afflatu ea inspirat, ut notat D. Bernardus inquiens: *Non omnibus eodem modo data est gratia ista, scilicet devotio. Porrò Thomas in latere, Joannes in pectore, Petrus in sinu Patris; Paulus in tertio cœlo secreti hujus gratiam sunt assecuti; prior mulier stravit in tuto loco humilitatis, posterior in solio spei; Thomas in fundamento fidei; Joannes in lecto charitatis; Paulus in intimo scientia; Petrus in luce veritatis; sic apud sponsum mansiones multa sunt.* Hic frequentioribus jejuniis æstus extinguit concupiscentiæ; iste cinctus ciliciis venereos coërcet motus; ille crebris precibus pravis affectibus frœnum injicit; alius taciturnitate linguæ compescit lubricitatem; alter animarum incumbit saluti; quidam effusis in egentes eleemosynis alienæ opitulatur miseriæ, plures animarum zelo multos subeunt labores, itinera percurrunt; perinde ac varii sunt hominum vultus, ita varius est in pluribus devotionis sensus: sed ubi est intensa devotio, illic & persæpe divina sentitur consolatio, de qua Augustinus ait: *Nescio quid incorporaliter, & spiritualiter in nobis facit Deus, quod nec sonus sit, qui aurem percutiat; nec color, qui oculis discernatur; nec odor, qui naribus capiatur; nec sapor, qui faucibus judicetur; nec durum, aut molle, quod tangendo sentiatur: & tamen aliquid est, quod sentire est facile; explicare non possibile*: Verùm hisce delibutus cœlestibus deliciis nil aliud quærere debet præter eum, à quo deliciæ ipsæ fluunt; & cujus deliciæ sunt esse cum filiis hominum: hinc D. Augustinus expendens verba illa Apostoli: *Mihi autem adhærere Deo bonum est* sit: *Non ab illo petitur aliud præmium: qui aliud præmium petit à Deo, & propterea vult servire Deo; carius facit, quod vult accipere, quàm ipsum, à quo vult accipere. Quid ergo? nullum præmium Dei? nullum præter ipsum, præmium Dei, ipse Deus est*, ita Augustinus *in Psalm. 72.* Ratio igitur devotionis in Deum non debet esse nisi ipse Deus, est devotio in tam excelso fastigio, ut omnia infra Deum despiciat, & supra omnia Deum suspiciat: & hæc est illa devotio, quæ animam dulcorat, & virtutibus singulis dulcissimum adaptat condimentum, imò & charitatem fovet, sicut charitas devotionem nutrit: neque charitas, & devotio plus inter se differunt, quàm ignis, & flammia: est siquidem charitas, quid veluti spiritualis ignis, qui si vehementer inflammetur, devotio etiam dicitur; quæ propterea complementum esse videtur charitatis; licèt ab ipsa prodeat: si enim charitas hortus est, devotio est flos; si charitas est arbor, devotio ejus est fructus; si illa balsamum, hæc ejus fragrantia; & sicut balsamum vulnera sanat corporis; ita oratio ritè instituta animi dispellit ægritudines.

Noxiæ sunt orationi evagationes; propterea in id orans debet studii incumbere, ut statim eas abigat; perinde ac importuna manu, vel flabello muscas; quæ nobis sunt molestiæ abigimus. Deus rem magnam pollicitus dixit: *Faciam mirabilem in die illa terram Gessen, in qua populus meus est, ut non sint ibi muscæ.* Populus electus, & à Deo dilectus terram incolit à molestiis immunem muscarum; idque ex speciali Numinis beneficio. Puniturus autem Deus Ægyptios ait: *Immittam in te omne genus muscarum, & implebuntur domus Ægyptiorum muscis diversi generis*: tametsi exiguum sit animal musca, fuit tamen Ægytiis ingens,

Marginalia: In Cant. (beside D. Bernardus); In Joan. (beside Augustinus); In Psal. 72. (beside Non ab illo); 2. (beside Noxiæ); Exod. 8. (beside Faciam mirabilem); Exod. 8. 21. (beside Immittam)

ingens, & acre supplicium à muscis excruciari: qui orat, & cogitationibus vagis non resistit, easque non excutit, miser est Ægyptius, à muscarum molestissimis tortus examinibus: qui verò ea animi attentione orat, & contentione, ut tumultuanti cogitationum turbæ obsistat, mentémque toto nisu ad Deum erigat; is non Ægyptiis accensendus, sed populo Dei adsciscendus.

3. Oratio mambulans, & vaga, sterilis est, neque ullum adfert oranti fructum, quia corde non orat, sed tantùm ore laborat; ut rectè instituatur oratio, debet in Deum orans ascendere, non ima descendere creaturarum, ac per illas mente divagari; est oratio ex [Lib. de fide. Homil. in Martyrem Julittam.] Damasceno: *mentis ad Deum ascensus*; seu ut eam definit S. Basilius: *est oratio boni cujuspiam petitio, quæ ad Deum à viris piis effunditur.* Petere aliquid ab alio, perinde est, ac mentem precésque nostras ad ipsum [Serm. 5. de ascensione.] dirigere: unde S. Augustinus: *Quid est oratio, nisi ascensio animæ de terrestribus ad cœlestia, inquisitio supernorum, invisibilium desiderium?* Quæ verò fusis precibus petimus, plerumque non assequimur, eò quia perperam oramus; proinde non sumus voti compotes, quia malè petimus. Oratio ut ritè instituatur, debet fieri in spiritu, & ve- [Joan. 4.] ritate; *quia Deus spiritus est*, ait Christus: *& veros adoratores in spiritu, & veritate adorare oportet*; seu ex intimo, & ferventi animi studio, ac flagranti desiderio in Deum; seu non voce tantùm, sed interiori præser- [Matth. 6.] tim animi affectu: hinc Christus ait: *Tu autem cum oraveris, intra in cubiculum tuum, & clauso ostio, ora patrem tuum in abscondito*: nec quid aliud est cubiculum, in quod jubet Magister Christus nos oraturos intrare, nisi cor nostrum; de quo ait [Psalm. 4.] Regius Vates: *quæ dicitis in cordibus vestris, in cubilibus vestris compungimini.* Non sufficit cubiculum ingredi, si ostium pateat importunis evagationibus, & quæ foris sunt improbè se intus ingerant: foris siquidem sunt omnia temporalia, & quæ sensus demulcent exteriores; hæc autem per ostium, seu per carnalem sensum mentem subeunt nostram, quo fit, ut turbæ vanorum phantasmatum orantibus obstrepent: claudendum est ostium, seu carnali sensui obsistendum, quò oratio spiritualis dirigatur ad Patrem, fiátque in abscondito, seu in intimiori cordis nostri recessu.

4. Hanc orandi normam explicatiùs suos Magister Christus discipulos edocturus, geminos pravos vult esse affectus abigendos; alterum Judæorum, Ethnicorum alterum: Judæi, & præsertim inter illos hypocritæ Pharisæi se præbebant ab omnibus spectandos, cum preces ad Deum funderent; & hi non alium ab oratione fructum carpere satagebant, quàm futiles hominum plausus. Ethnici exercendæ linguæ potiùs, quàm animi purgandi causâ orationi vacabant: arbitrabantur posse Deum verborum redundantiâ, & eloquentiæ lenocinio, periodorum concinna impletione in sua flectere vota; propterea ait Christus Matth. 6. *cùm oratis non eritis sicut hypocritæ, qui amant in synagogis, & in angulis platearum stantes orare, ut videantur ab hominibus: Amen dico vobis receperunt mercedem suam*: & paucis interjectis subdit: *orantes autem nolite multum loqui sicut Ethnici*: hi enim Deum perinde ac Judicem hominem multis verbis, & oratione concinnè ad numeros studiosè compositâ arbitrabantur posse adduci in eam, quam voluerint sententiam: & his vetat Christus suos assimilari discipulos: [Matth. 6.] *Nolite ergo assimilari eis*; quia si plura ad id verba effundunt, ut ignarum adoceant; supervacanea est hæc verborum redundantia ad Deum directa, qui corda novit hominum: non verborum apparatu agendum est cum Deo; sed pio cordis affectu, pura ac simplici mentis intentione; seu ut explicat D. Augustinus: *non verbis, sed rebus, quas* [Lib. 1. de serm. in monte c. 3.] *animo gerimus, & intentione cogitamus, cum dilectione pura, & simplici affectu.* Fervor cordis, & humilitas supplicantis, quâ non solùm Deum adoret, ejúsque magnitudinem humillimis veneretur obsequiis, sed etiam se coram Deo deprimat, & abjiciat, orationem instituunt Deo placentem. Fervor spiritus anima est orationis. Tepiditas veluti compedes orationi injicit, ne sursum in Deum ascendat, quia terrenis, fluxisque adhærescit.

## §. II.

### *Tepiditas noxia est orationi, cui compedes injicit, ne ad Deum ascendat, & exaudiatur.*

Facilior sæpe est frigidi, quàm tepidi in Deum conversio; & hæc fortassis causa, cur Æstas, & hyems in chorum evo- [Daniel. 3. 67.] centur, ut Deo psallant; cum tamen reliquæ duæ anni partes, quamvis mitiores non vocentur ad divinas concinendas laudes: *Benedicite ignis, & æstus Domino: benedicite gelu, & frigus Domino*: quin & Aurora à nobili discluditur psallentium cœtu, quamvis diei sit pronuba; & tetras excutiat noctis caligines. Cur non potiùs lurida, nubila, tetrica, frigida hyems ab hac abigitur psalmodia? eique asciscitur florida ridens, arridénsque verna temperies; ut etiam maturis onustus fructibus Autumnus? Quid hieme tristius, immitius? cum id temporis exuantur virescente sua pompa arbores, deponant foliorum comas, sua destituantur florida venustate prata; in luctu in squalore jaceant horti deflorati, deplorati; squaleant campi, lugeant valles, montes nivibus obruantur, concrescant glacie flumina; aëris, marisque procellæ grassentur, sæviántque; totáque tellus alta sepeliatur nive; sylvæ, & plantæ crebris albicent pruinis; cælique facies sem-

per

per nubila, lurida, turbida, & minax diem abripiat; & humus sterili torpens glacie nulla speratæ messis indicia prodat; quin potiùs præfocatæ in semine fruges, gelúque exanimatæ spem futuri proventus videantur elidere? Cum è contra verna temperies moderato calore, lenique humore commixta producendis stirpibus, generandis animantibus, alendis, fovendis, conservandis rebus omnibus, iisdem promovendis sic mirificè opportuna. Viget tunc arietis astrum propitium, beneficum, fœcundum nascentibus cum in genere vegetabilium, tum sentientium, juvandis accommodatum. Tunc cœlum renidet puriùs, sol splendet lætiùs, stipati syderum chori enitescunt illustriùs; suæ restituuntur malaciæ æquora, littoribus conciliantur fluctus; exiliunt fontes liquidiùs; turgent gemmis arbores, largiùs fluunt amnes; & tellus omniferos sinus suos recludit; herbarum virescentium, benéque olentium genera exptomit; prata viretis jocantur, rident tenellis herbulis, niténtque floribus discoloribus; arbores novis se frondibus induunt, pulsis frigoribus auræ tepent; detonsi nitent herbarum tori, & per virentes agros lasciviunt agni, ludunt zephyri, susurrant rami, murmurant rivi; quibus respondent æmulo concentu canoræ aviculæ, frigellæ querulæ, achantides blandæ, lusciniæ argutæ: cur igitur non potius ver, quàm hyems in cœtum accersitur psalentium, laudésque Deo canentium? quia scilicet quæ in confinio virtutis, ac vitii sunt, ea cœlo non probantur: hinc rigida, ac frigida potiùs hyems, quàm tepida verna temperies vocatur ad psalendum Deo; nimirum frigus præfertur tepori; ut & intensior æstus remisso Autumno; ut inde discamus, quàm noxia sit tepiditas orationi, cum à cœtu excludatur psalentium Deo; cui frigus, & hyems rigida adsciscitur;

6. Sed cur tepori frigus præfertur? an quia promptiùs DEO frigidi obsequuntur, quàm tepidi? idque nos edocent gemini in Evangelio fratres à Patre sejuncti. Alter in regionem abierat longinquam scortis, porcisque mancipandus; secesserat alter non procul à domesticis parietibus, in campum scilicet, cervos, capreásque sylvestres venaturus. Verùm natu minor, qui sensûs indulgens voluptatibus, totam decoxerat, quam à Patre substantiam acceperat, totúmque patrimonium cum pellicibus fuit dissipaverat; debitis semper obsequiis fuit Patrem obsequutus; & quamvis innocentiæ lilium per libidinum æstus corruperit, ac perdiderit; incolumen tamen retinuit rosam amoris, & filialem affectum, quo patrem prosequutus semper fuit; & inter suilem gregem, glandésque sylvestres proprii meminit parentis debito cum honore, & obsequio; in se siquidem reversus humilis, ac supplex ad illum redux, ad ejus provoluitur pedes, ejúsque jam non filius, sed Mercenarius dici exoptat: *Jam non sum dignus vocari filius tuus.* E converso natu major quamvis minus peccaverit, magis tamen rebellat à patre, cui etiam obloquitur, & accedentem ad se inurbanè rejicit, ausus etiam patri rusticitatem objicere, & injustitiam, eò quia nunquam sibi hædum paraverit, quamvis filio frugi, ac morigero; & natu minorem post decoctum patrimonium, dissipatámque cum pellicibus totam substantiam, reducem mox è lupanaribus prodigum stolâ convestivisset, ac perquam lautè excepisset, saginato etiam, & excocto vitulo, lautiùs cum filio nequam epulaturus; sicque patri irascitur, & fratrè reduci invidet; domúmque paternam aversatur, quam ingredi detrectat: *Indignatus est autem, & nolebat introire.* Quis ex geminis hisce fratribus videtur contumacior esse? natúne minor, qui pecuniam prodegit; an natu major, qui obedientiam patri debitam, ac reverentiam profligavit? certè graviùs in patrem peccaverat natu minor cum à patre totaliter discessisset: & tamen licèt iniquior promptiùs revertitur ad patrem, quem & humili obsequio reveretur; & à patre vicissim benigno excipitur amplexu, exauditur supplex, & pristinæ restituitur gratiæ; inde edocemur, plerumque frigidorum, seu iniquorum preces fervore informatas, ope divinæ gratiæ, Deo esse gratiores illis, quas tepidi, seu semi justi futilibus deturpant evagationibus. Luc. 15. Luc. 15.

Tepiditas est quæ nos à divinis retrahit obsequiis, quæ ab ingressu in templa nos avocat; ab oratione nos removet: hunc igitur excutiamus teporem: & ut oremus, si charitas nobis non suadet; persuadeat saltem necessitas, ut nos monet D. Chrysologus inquiens: *Nos qui ad incerta consurgimus, qui inter insidias diem ducimus, qui horarum varietates, momentorum motus, verborum lapsus, actuum pericula sustinemus, quid est quòd Ecclesiam mane nolumus intrare? quid est quòd matutina prece, totius diei custodiam nolumus postulare? quid est quod homini adstare toto tempore libet? & Deo assidere, nec puncto libet? Maniemus, & oremus, vel humano timore, si non amore divino, si non invitati bonis, vel coacti malis.* Oratio quam fervor non informat, & attentio non vivificat abortus est; & spina damnati agri; non fœtus rigatæ à DEO celluris: oratio fervens, & attenta est illa vox sponsæ, quæ suaviter pulsat aures sponsi: *sonet vox tua in auribus meis, vox enim tua dulcis.* Neque ulla est vox ita Numinis sonora auribus, quàm hæc sponsæ ferventer orantis; eò tendit oratio, ut animam perducat ad intimam cum Deo unionem: neque unio hæc localis est, seu præsentiæ, quâ Deus ubique est, replet omnia spatia; nil relinquens quod se ipso seu DEI præsentia, ac essentia vacuum sit; neque est unio, per gratiam sanctificantem, quâ anima peccatis emaculata in DEI amiciam restituitur, fitque 7. Serm. 33. Cant. 2.

divinæ

divinæ consors naturæ. Neque est unio per charitatem, quâ creatura DEO adhæresoit; & DEUS manere dicitur in creatura per charitatem, & gratiam sanctificantem, quæ participatio est divinæ naturæ: prima enim harum unionum convenit etiam rebus, animâ destitutis; secunda communis est omnibus justis; ut atiam pueris anta septennium ex vi suscepti baptismi. Tertia est omnium proborum, qui Deum ardentissimè diligunt, sed dono contemplationis, & mystica uniona carent.

8. Est igitur alia unio intimior, inexpertis impervia, & explicatu difficilior, quæ fit io potentiis animæ, intallectu, & voluntate, quarum actibus, veluti per quosdam gradus viam sibi anima ad Deum sternit; habetur hæc unio beneficio contemplationis, cujus symbolum exhibuit Jacob Patriarcha, cùm eidem somno sopito objecta fuit scala, per cujus gradus, sursum, deorsúmque cælites commearent. Jacob præerepto Esau natu majori natalium primatu, fratris declinaturus invidiam, & odium, simúlque axcandescentem iram, ac ducturus è terra cognata auspice Deo, ac bene precantibus pareatibus, uxorem, è patrio lare ad Labanum in Masopotamiam proficiscitur Syriæ proviuciam anno ætatis septuagesimo octavo; terminus itineris erat *Haran* urbs, ubi degebat Labanus ipsius avunculus; erat siquidem freter Rebeccæ, vir æquè avarus, ac opulentus, & idolorum cultor. Initiatus nuperrimè Jacob ad imperium fuarat illi a Patra Isaaco verbis: *serviant tibi populi, & adorent te tribus.* Abeuntem nox primo oppressit prope *Luzam* urbem. Idoneum sub dio aperto locum quiati eligit, tumultuarium sibi de collectis lapidibus struit lectulum; pulvilli loco capiti lapidem prægrandem subjicit; jacet ergo, facilique corripitur somno; cúmque imperii tiro nesciret, quæ forent regnantium noctes, vigiliæ, ac curæ dormientium; vix sensuum externorum fores occluserat, palpebras demiserat, somnóque sopiri cæperat; cœlum statim patuit semisomni, cui scala objicitur è terra cœlum usque protensa, quot gradibus, tot arcanis plena mysteriis; ascendentibus, ac descendentibus per eam cœlitibus geniis, cacumini DEUS ipsa suem inclinabat majestetem, præsignante ostento Messiam olim nasciturum, in cujus persona, divinitas humaniteti conjungenda erat, seu cœlum terræ, In imo Jacobus progenitor Messiæ, ceu Verbi divini incarnandi secundùm hominem præfigurabatur; hinc de Patriarcha Jacob dicitur. *Dilataberis ad occidentem, & orientem, & septentrionem, & meridiem. Eritque semen tuum quasi pulvis terræ:* nulla pars mundi suam in hac scena personam non egit; nulli licuit elemento abesse; sed omnia oculis subjecta fuerunt quiescentis, cœlum, Genii cœlestes, aër, terra, mundus, posteritas, & divinitas.

Genes. 27.

Genes. 28.

9. Nullus hactenus vatum insomnis vidit, quæ Jacob spectavit dormituriens: ollam vidit Jeremias? sed longè præstantior fuit sopiti Jacobi scala, quàm lebes vigilis Jeremiæ. Mulieres spectavit in amphora Zacharias? sed hisce scortis longe meliores visi sunt à Jacobo cælites, sursum, deorsum commeantes per scalæ gradus. Revixerunt eum Ezechiele fœtida, & sordescentia in sepulcris cadavera, quæ & super pedes suos steterunt? sed coram Jacobo terræ pulvis confictus in reges est, quorum pedibus terrarum orbis subderetur. Isaias Deum vidit sedentem in solio excelso? Jacob DEUM è scala familiariùs secum agentem aspexit: quia nimirum Jacobi per somnum visio altissimam prodiderat contemplationem, quâ dominicæ Incarnationis futurum mysterium fuerat contemplatus; ideóque arctiùs meruit DEO uniri, quam cæteri Prophetæ. Per descendentes Angelos Incarnationis mysterium hominibus fuarat annuntiatum; & per ascendentes ardentia Patriarcharum desideria, & orationes, quæ ab hominibus sursum ad Deum feruntur; per duo scalæ latera misericordia, & fidelitas Dei de promisso Messia designantur, D. Hieronymus censet scalæ hujus significatione indicari incitamentum resurgendi post lapsum, & precantis clamores resipiscentium; ait ipse: *Vidit Jacob scalam de terra usque ad cælum, & ascendentes per eam Angelos, & descendentes, & desuper innitentem dominum, qui lassis manū porrigeret, ut ascendentes suo ad laborem provocaret aspectu. Unde & vocatur locus ille Bethel, id est domus Dei, in qua quotidie descenditur, & ascenditur. Et sancti corruunt, si fuerint negligentes; & peccatores pristinum recipiunt gradum, si sordes precariis clamoribus abegerint, ac fletibus laverint. Hoc ideo dixi ut non te terreant descendentes, sed provocent ascendentes.*

Epist. 24. ad Julianum tom. 2.

Dixarim Jacobeem scalem pracarios resipiscentium prodere clamores, quibus è cœno terrenarum voluptatum sursum ascendunt ope divinæ gratiæ: hinc modum preces effundendi nos edocet scala Jacobea; fueret anim Patriarchæ objecta in loco deserto, sub Jove aperto, & puro, ubi terram pro lectulo, saxum pro pulvillo habuit, à turbis tum domesticis, tum extaris semotus; qoia nisi animus avellator à rebus caducis, vix cœlestibus delectatur. Ex eo quòd scala fuerat Jacobo objecta in deserto; inde monemur, in omni loco orandum essa, & ad Deum per pia desideria, fusásque preces, ascendendum. Noo est locus ubi non sit Daus; unde benedicendus est Deus in omni loco, & tempora. Hieremias io carcere Deum enixim rogat, & confortatur; Daniel inter leones orat, & incolumis evadit; tres pueri io fornace ignis ardeotis laudes Deo conciuunt, & flamma clariorem, ac illustriorem iisdem triumphum cudit; Isaias in atrocissimo supplicio 10.

Deum precetur, & exauditur. Stephanus inter saxorum nimbos pro lapidantibus se orat; & Deum sibi propitium in cœlo prospectat; Latro in cruce se Christo commendat, & paradisum impetrat: omnia igitur locus fundendis precibus aptus est; dummodo recta adsit intentio, & debita non desit attentio, quia ut ait D.Chrysostomus: *Omnes quidem oramus, sed non omnes in conspectu domini. Etenim cum corpore in terra prostrato, & ore frustra delirante, mens ubique per domum, ac forû circumvagatur: quo ore talis possit dicere, quòd oraverit in conspectu domini? Nam in conspectu Dei orat, qui orat undequaque colligens suam mentem, nihil habens cum terra commercij, sed ad ipsum Deum totus commigrans, omni cogitatione humana ab animo depulsâ.*

Tom.1.homil. de fide Annæ

11. Oratio teste Augustino si probè fiat, clavis est cœli: *ascendit precatio, & descendit Dei miseratio.* Hanc autem cœli clavem pravè detorquet, quisquis orat; & quid oret ipse ignorat; imò triplex adfert damnum oranti, quum seram destruit, clavem frangit, & cœlum non aperit: hinc si oratio probè fusa oranti est præsidium, Deo sacrificium; & dæmoni flagellum; si depravetur fœdis evagationibus, ac destituatur orantis ardore, ac attentione, est tunc orani nocumentum, Deo ludibrium, dæmoni gaudium. Importunè hunt blateratores, qui ut limphatici, & insani garriunt: ebriis lingua in udo est, & quæ ab ipsa lapsantia proferuntur verba, suilli merguntur cœno. Viro irâ concito lingua felle, ac veneno natat, & ab ea nonnisi verba prodeunt virulenta, neces propinantia; phrænetico lingua ignia est, è qua exeunt verba flammantia, furiata, dissidiis accendendis accomodata: & quamvis ebrii, irati, & fanatici toto die loquantur, nihil promovent, & quò diutius garriunt, eò minus proficiunt: tales dixerim, qui, quod orent, ignorant, temulentis, fremebundis, rabiosis haud abludentes; & hi quò plus loquuntur, plus offendunt; neque placere potest tam insolens futilitas: quamvis lingua laboret in multiplici precum fusione; id perinde est ac cribro aquam haurire; inani labore quod hauritur funditur; quod construitur destruitur: *Unus ædificans* ait Sirarides *& unus destruens, quid est prodest nisi labor?* haud dissimiliter si lingua orando ædificet, mens divagando destruit, & labor inanis est; & oratio ruinosa; hinc Oseas deflens ruinam Israëlis air: *Lappa in tabernaculis eorum; sacrificium eorum, quasi panis lugentium; omnes qui comedent eum, contaminabuntur:* Panis lugentium madet lacrymis, sordescit cinere, obducitur nigredine; fastidit Deus hos panes immundos, ac sordidos; sed cur lappa dicitur in tabernaculis esse orantium? Lappa hamatum lolii genus est vestibus adhærescens, Quid ni, orans mente huc, illúcque divagante; alia omnia, quàm quod agit, cogitat; ideòque plenus est hamatis vepribus, tribulis, ac lappis, seu noxiis, importuniaque cogitationibus: non placat iram hæc oratio, sed provocat.

Eccles.4.

Cap.9.

12. Tunc oratio utilis est oraturo, si debita fulciatur attentione, & reverentia: hi enim sunt duo aurei cardines, quibus oratio nititur, ac gemina nascentis pietatis ubera; hæ sunt geminæ flammæ, quæ se mutuò fovent, robúrque sibi concilian: reverentia enim attentionem, & attentio reverentiam auget: attentio futilium cogitationum, inaniúmque simulacrorum compescit occursus, coercet mentis evagationes, & ea omnia abigit, quæ à divino colloquio orantem avertunt. Reverentia animum, corpúsque componit, orationem commendat, ac veluti ornatrix ancilla eam venustat, quò decentiùs coram magno Rege se sistat, compareátque gratiosior: si enim debitâ sit oratio reverentiâ destituta, inconcinna est, & ut putidula rejicitur: conciliatur reverentia si perspectâ propriâ inopiâ, indigentiâ, ac miseriâ oraturus omnem deponat tumescentem fastum, omnémque seponat superbiam: non enim Deus ei suas erogat gratias, qui sibi multum arrogat: non assistit Deo superbus orans, cum Deus superbis resistat; ab omni non liberatur orans miseria, nisi liber ab omni superbia Deum accesserit humilis, & eâ quâ potest majori reverentia; hæc enim generosa est inter volucres aquila, Jovis ales, solis amasia, quæ super nubes evecta, & tonitrua mundani tumultûs; ad divinum solem irretorto avolat obtutu.

13. Hunc aquilæ volatum imitetur quisquis Deum in oratione quærit, eóque frui mentis satagit obtutu; solerter quærenti se Deus exhibet; hincque negotium Deum quærendi proprium esse animæ orantis asserit Jeremias inquiens: *Bonus est Dominus sperantibus in eum, anima quærenti illum;* speciatim Deus suam impertitur bonitatem animæ oranti, ac quærenti illum, ut observat D. Ambrosius inquiens: *Bonus est Dominus sperantibus in eum, anima quærenti illum;* hoc est *Bonus est Dominus sustinentibus eum* (quasi spes sit fulcrum, quo anima nititur) *anima, qua quærit eum. De hominibus dixit, & animam adjiciendam putavit; melius enim quærit ista, si sola sit, abducens se à corporis cœno, & cupiditate carnali,* tunc anima per fusas preces Deum quærit, & invenit, cum sola est, séque abducit à corporis cœno, & cupiditate carnali: quærit Deum non corpus, quod de limosa sua origine, déque cœnoso suo squalore sordescit; sed anima rationis compos, quæ cœlestia sapit, ac divina, quærendique, ac inveniendi momentum percipit: *Quærit anima Verbum* (ait D.Bernardus) *cui consentiat ad correctionem, quo illuminetur ad cognitionem, cui innitatur ad virtutem, quo reformetur ad Sapientiam, cui conformetur ad decorem, cui maritetur ad fœcunditatem, quo fruatur ad jucunditatem.* Torpet carnalis cupiditas ad munia Dei quærenda; solertia ad id requiritur spiritûs, qui non inter hominum frequentias, non inter mundi tumultus,

Thren.3.

Lib.6.Hex c.4.

Serm.86.in cant.

nec

nec inter obstrepentia negotia Deum invenit, sed in secessu; quis enim Deum quæret ubi virtuti nullus est locus? ubi exemplis malis, & consiliis pravis vitio pravus affectus patrocinatur? ubi inveterata in malis consuetudo, lex est? quasi quicquid placet, decet; quidquid delectat, expediet? Quid enim in populari fremitu, & forensi strepitu reperias, quàm contentiones, adulteria, fraudes, injurias, furta, homicidia, odia, dissidia, inimicitias, invidies, iras? ubi sine gubernaculo est navigatio, sine baculo senectus, sine freno juventus, sine duce cæcitas, sine solatio calamitas: ubi triumphant cupidinarii, lurcones, nebulones, ganeones; quibus sola placet, vel uncta popina, vel cella vinaria.

14. Hominum cœtus qui circumit, mimos invenit, fures, circulatores, sycophantas, quibus omnibus unum est propositum, vel fallere, vel lucrari; & ut ait Plautus *blandiloquentulos, harpagones, mendaces, latebricolarum hominum corruptores*, quibus asciscuntur mimi, fures, circulatores, & sycophantæ: non igitur quærendus est Deus tumultuantes inter hominum turbas, sed in secessu, in solitudine, quæ est tempestatum omnium portus, quem qui fugit, volvitur pelago, fluctibusque agitatur decumanis, & in scopulos naufragus impingit. Sive consilium sit, servire Deo, in quo una, et vera est libertas, & sola felicitas; sive ingenium excolere bonis artibus; sive animum imbuere summis virtutibus; sive vitam expolire probis moribus, sive aliquid scribendo nostram posteris memoriam extendere, ac dierum fugam sistere; & brevissimum vitæ tempus extendere; sive velimus Deo vacare necesse est, animum seducamus a futilibus curis, quæ nos obsident; & solitudinem petamus, quia hæc ait Philo: *est possessio Dei placida, & tranquilla.* Solitarius elevat se supra se, at inter homines major fit homine; quia ut asserit Climacus: *Solitarius est forma terrestris angeli. Solitudo est ambulatorium Dei. Solitarius quasi quidam novus paradisi colonus*: elevat se supra se solitarius, & paradisi accensetur colonis, quia nullis hujus vitæ calamitatibus tangitur, nullis vexetur molestiis, nullis infortuniorum turbinibus agitatur; montisque olympi emulatur verticem, adeo enim se altè extollit, ut nullo ventorum, ac tempestatum impetu quatiatur: unde D. Hieronymus solitudinis amans ait: *Habeat sibi Roma suos tumultus, arena saviat, circus insaniat, theatra luxurient, nobis adhærere DEO bonum est.* Adhærere autem DEO in solitudine, est illi mysticè per internos affectus, per fusas preces uniri; *qui manet in charitate in DEO manet, & DEUS in eo.*

In Trinummo.

Gr. 27.

Ep. 41.

15. Non tamen segniter est in secessu, in solitudine Deus quærendus; non animo tepescente sunt preces fundendæ; sed corde ferventiore cum regio Psalte, qui enixim se fervide requirens Deum ait: *In toto corde meo exquisivi te: ne repellas me à mandatis tuis.* Verum quid sit repelli à divinis mandatis difficile videtur explicatu, neque sacri interpretes in unam, eandémque colliment sententiam; nodúmque difficultatis magis stringit D. Hilarius inquiens: *Competere bonitati Dei non videtur, ut à mandatis suis quemquam repellat. Qui ergo secundùm Prophetam mavult peccatorum pœnitentiam, quam mortem; nunquid existimandus est à mandatis suis quemquam repellere?* Observat Corderius nodum hujus difficultatis solvi à D. Hilario, & D. Ambrosio ex ipsis verbis Christi: *Omni enim habenti dabitur, & abundabit; ei autem qui non habet, & quod videtur habere, auferetur ab eo:* nimirum tepidus, & negligens in Deo quærendo à mandatis Dei repellitur, quia cum segniter opus Dei exequatur, videtur sua tepiditate magis obesse, quàm prodesse legis divinæ observantiæ. Secus solers, ac strenuus in Deo quærendo, non tepidè, sed toto cordis fervore ad mandata DEI custodienda currit; neque sedulam inquisitionem Deum inter, & mundi concupiscentias partitur, proinde uberioribus potitur Dei auxiliis ad ipsum solertiùs inquirendum, & per mandatorum obsequia inveniendum; apposite D. Hilarius. *DEUS ergo non aufert nisi non habenti, secundùm quod non repellit nisi negligentem: adeo autem bonitate plenus est, ut habentem abundantiâ muneretur: adeo verò non vult quemquam non habere, ut non habentis ipsum quod habet adimat. Neminem igitur nisi obnitentem repellit, neminem nisi negligentem rejicit.* Meritò igitur ait, se in toto corde Deum quærere, ne scilicet repellatur à mandatis suis; quia si non quæreret in toto corde, seu toto affectu, & fervore; sed corde tepescente, affectúque languido, repelleretur à divinis mandatis, quatenus ea non muniretur ope divina, quâ DEI custodiret mandata; qui enim toto corde DEUM quærit; etiam per observantiam mandatorum satagit, eum invenire; ideóque mandata diligenter exquirit; Deus igitur non excludit, nec repellit ab uberiori suæ gratiæ auxilio, quo divina mandata servantur, nisi negligentes, ac fœdo torpentes otio; quasi neglectus Dei quærendi in suis mandatis, ac desidiosa ejus inquisitio, sit ipsa repulsa à divinis mandatis.

Psalm. 118.

In Psal. 118.

Matth. 25.

Quid igitur homini magis timendum, quàm neglectus Dei quærendi? quid magis formidandum, quàm desidiosa inquisitio; vitiosa, ac frigida oratio? Hanc segnitiem ut sponsa excuteret à suo excitetur sponso *Cant. 2. v. 10.* hæc est vox sponsi ad sponsam: *surge, propera amica mea, columba mea, & veni:* quasi dicat; quæ tua est segnities? quid desidiosa detineris in lectulo; quid jaces semisopita, & torpescentibus membris toto cor- 16.

corpore otiaris, cum tam anxiè inviteris ad nuptias? *surge, & propera.* Et quid est, quod te domi cunctantem, ac sub stragula segniter quiescentem remoratur? eandem iterum vocem ingeminat *vers.14.* ac uberiori energia eandem alloquens, ait: *surge, propera amica mea, & veni.* Vult sponsus ab sponsa omnem excuti segnitiem, abigi torporem; quia accedens ad Deum per fusas preces, piósque affectus, non otio debet torpescere; non tepiditate languescere, non corde frigere, sed tota animi contentione, totóque spiritûs fervore, statim surgere, ac properare: scitè D. Gregorius Nyssenus expedens verba sponsi. *Rursum ait ad excitatam, surge: & ad venientem, veni. Nec enim ille, qui modò surgit, unquam surgere desinet: neque à currento ad dominum, amplissimum illud divino cursui destinatum spatium conficietur, semper enim excitari nos oportet, nec unquam est quiescendum, etiamsi cursu propiùs ad scopum perveniamus.* Ita animam nostram DEUS alloquitur inquiens; surge ex desidiæ lectulo; stragulum torporis, quo operiris aperi, depone, ac incunctanter surge; & excussâ omni inertia festinanter propera, & veniens festina; surge igitur quantocyus, disruptâ quavis cunctatione; propera ut venias ad me; veni statim, ut me invenias.

Orat. 5. Cant. 14.

17\. Accedentem ad DEUM non sufficit semel orâsse, sed excusso inerti otio persistendum est, sempérque properandum, jugitérque exorandum, donec inveniat. Neque obstat, si dicas, Magistrum Christum, suos edocuisse Discipulos parcè loqui, & non multa effundere verba: *Orantes autem nolite multum loqui, sicut Ethnici: putant enim quod in multiloquio suo exaudiantur. Nolite ergo assimilari eis: scit enim Pater vester, quid opus sit vobis, antequam petatis eum.* Quia Christus non improbat diuturnas, ac prolixas preces, sed futilem verborum redundantiem, vanam plurium vocum profusionem, ad phaleratam eloquentiam potiùs ostentandam; quàm ad fervorem orantis fovendum; ideo ait: *putant, quòd in multiloquio suo exaudiantur,* hoc est propter multiloquium, seu vanam eloquentiæ ostentationem; quasi DEUM inscium de rebus suis velint erudire, & veluti non pronum ad benefaciendum, verborum lenociniis ejus satagant aures demulcere, & ipsum flexanima arte in sua flectere vota; perinde ac Rhetores sua phalerata oratione judices informant, flectúntque, ut Reum absolvant, vel in favorem judicent clientuli, quod proprium erat Ethnicorum putantium in hocce multiloquio posse exaudiri, & credentium, DEUM vel ignorare, vel non considerare eorum indigentias, à quibus liberarentur; ideo magno verborum apparatu, ac phalerata oratione, cultáque narratione juxta Rhetoricæ præcepta DEUM orabant; quos tamen Christus redarguit erroris, eò quia nostræ miseriæ, ac ægestates minimè Deum lateant: *Scit enim pater vester quid vobis necesse sit, quid opus sit vobis, antequam petatis.* Hoc igitur Ethnicorum multiloquium à Christo improbatur, quia fidei prodit titubationem: scitè Tertullianus *Lib. de oratione c. 1.* ait: *Orantes nolite multum loqui. Hoc ad fidem, & modestiam fidei pertinet, si non agmine verborum adeundum putemus, quem ultrò suis prospicere certi sumus.* Hoc multiloquium ad fidem pertinet; in qua propterea videtur titubare; qui enim in oratione ita titubat, & spe languet, ut censeat necessariam sibi esse prolixiorem verborum apparatum ad impetranda expetita, quamvis in fide non deficiat, fidei tamen devenustat modestiam. Cum preces ad DEUM fundimus fiducia nostra firma esse debet, & non titubans; stabilis non vacillans; spes nostra lenguere non debet, sed vigere; non cadere, sed vegetior assurgere: spes quæ in multiloquio fundatur Ethnicorum languida est, ac fidei lædit, dehonestátque modestiam; ac si certa in oratione impetrationis spes fidei reputetur modestia; quæ propterea læditur, ubi non in orantis fiducia, sed in verborum lenocinio spes fundata concipitur. Fidei deturpat modestiam, qui suas preces fiduciâ destituit, quam in agmine collocat verborum.

Matth. 6. v. 7.

Matth. 6.

## §. III.

### *Quæ spe, & fiducia nititur humilis oratio stat inconcussa, & impetrat petita.*

18\. NOn multiloquio, sed fiduciâ nititur oratio, quæ à DEO petita impetrat: hinc Regius Vates nos monet, ut spe & fiduciâ fulti nostram indigentiam supplici prece DEO exponamus, si exaudiri volumus: *Revela Domino, viam tuam, & spera in eo; & ipse faciet,* seu ut exponit Corderius introspice temet ipsum, mentem tuam ingredere, voluntatem tuam perscrutare, affectus tuos expende, flexus cogitationum, & meandros cordis perpende, examina, pervade, hoc est sublato velamento arcana pectoris tui expande DEO in precibus. Alii tamen asserunt, revelare viam Domino, perinde esse, ac propriam DEO indigentiam exponere, sitque propterea sensus Davidis: *Revolve super Dominum indigentiam tuam, & spera in eo, & ipse faciet* ubi enim David ait: *Revela Domino,* D. Hieronymus legit *volve super Dominum* indigentiem tuam, & inde commendat orationis efficaciam, quæ petita impetrat: subdit enim *spera in eo, & ipse faciet:* si igitur nos difficultas

Psalm. 36.

pre

premit in studijs virtutum, si onus incumbit, quod nostras videatur vires excedere, Deus à nobis adeundus est humilibus precibus, ut pondus, quod nos premit, devolvamus super eum, quia si nostram in eo habeamus fiduciam, si pijs votis, & obsecrationibus, in eo speremus, non ampliùs nos onus premet, nec cumulus opprimet molestiarum: quia oratio fulcris innixa fiduciæ, & spei, humanos omnes excutit angores, ærumnas dissipat, & calamitates abigit: est siquidem oratio, veluti solaris radius nubium caligines fugans, ac dispergens.

19. Si nos igitur molestiarum moles obruit, hanc eandem molem beneficio orationis in Deum devolvamus, ipse enim onus, quod humeris nostris pergrave est, levissimum reddet, & nobis potius levamini fiet, quàm gravamini; si humilis nostra ascendat oratio, prægrandis Dei descendit ad nos miseratio: quatenus impetrat humilis oratio, quæ à Deo petit; & quò humilior est oratio, eò altiùs ascendit, & cœlos transcendit, hinc Siracides ait: *Oratio humiliantis se nubes penetrabit, & donec propinquet, non consolabitur; & non discedet, donec aspiciat Altissimus:* [Ecclesiast. 35.] seu ut vertit Syrus Interpres; *Oratio pauperum nubes inclinat, & coram Domino Majestatis ingreditur. Non transilit, donec inquirat de eo, & judicium verum judicet.* Quàm efficax est, ac valida humilis oratio, quæ, quod petit, à Divina extorquet munificentia, & si ascendat humilis oratio, descendat Dei miseratio? Hæcque ratio, cur oratio non tantùm dicatur solium Dei conscendere, Dominum Majestatis alloqui; verùm & cœlos ipsos inclinare, ac deorsum in terras demittere: *Oratio pauperum nubes inclinat:* seu cœlum deorsum detrudit, quatenus Deum ipsum flectit in sua vota, & ejus miseratio descendit, opem oranti allatura, scitè Augustinus. [In Psalm. 104.] *Incomparabilis quidem est prærogativa orationis, ut Deus omnipotens in solio gloriæ suæ constipantibus undique Angelorum millibus subitò se demittat ex throno, inclinétque aurem, ut orationem à terra excipiat ascendentem:* nimirum quando Deus in vota se flectit orantium, auréınque suam humanis inclinat precibus, tunc ex throno gloriæ suæ dicitur se demittere, & in orantium opem ijsdem opitulaturus descendere. Cùm humilis oratio ex imo terræ supremum cœli fastigium ascendit, tunc dicitur Deus sedere in solio gloriæ, & throno Majestatis Angelorum millibus stipatus: sed cùm Deus benefica sua bonitate aurem inclinat oranti, surgere è throno videtur, & è summo cœlo in terram se demittere, quo statim oranti opem ferat: ea siquidem est orationis vis, ut Dei miserationem è cœlo in terram pertrahat.

20. Verùm ut suam oratio efficaciam sortiatur, non corporis commoda, non mundi divitias, quæ plus obsunt, quàm prosint; sed necessaria sunt petenda, & quæ salutem promovent animæ: hinc Christus interrogatus ab uno ex suis Discipulis, quomodo sit orandum, & cum ipsum rogaret, ut vellet eum docere modum orandi, sicut Joannes suos edocuit Discipulos, respondit Discipolis suis. *Cum oratis, dicite: Pater noster, qui es in cœlis, sanctificetur nomen tuum,* [Matth. 6.] & reliqua, quæ habentur in oratione dominica, in qua Christus docuit modum orandi, indicavitque res à Deo precibus petendas, & ordinem significavit, quo sint petendæ, & etiam brevitatem exposuit verborum: sunt enim verba orationis dominicæ aptissima impetrandis à Deo auxilijs. Vult, ut Deum vocemus Patrem, quatenus plena fiducia ipsum accedamus; hinc D. Augustinus expendens exordium orationis dominicæ: *Pater noster, qui es in cœlis,* ait: *Non hoc populo priori dictum est, ut Patrem oraret, sed Dominus insinuatus est eis. Admonentur autem hoc verbo divites, & nobiles cum Christiani facti fuerint, ut se non extollant adversus pauperes, & ignobiles, quoniam simul dicunt Pater noster, quod verè, ac piè dicere non possunt, nisi se fratres esse cognoscant.* [v. 20.]

21. Hoc igitur nomine *Pater*, quo exordium inchoatur orationis dominicæ charitas excitatur, quia filijs nil chariùs esse debet, nisi Pater, & supplex affectus: unde cum homines dicunt *Pater noster*, quædam habetur impetrandi præsumptio, quod petitur. Quid enim non det filijs petentibus pater, qui ijsdem jam dedit, ut essent filij. Id igitur interest discriminis inter homines veteris, & novi testamenti, quia isti, ut filij Deum orant, ut patrem, dicentes, *Pater noster, qui es in cœlis:* non ita in veteri testamento, ubi timor servilis magis, quàm amor filialis populum ad legis observantiam inducebat: in nova siquidem lege fideles dicentes in oratione dominica, *Pater noster*, æquè paternum, ac filialem, & fraternum amorem produnt; non enim fidelis, quamvis seorsim ab alijs, & singulatim Deum oret, dicit pater meus, qui es in cœlis: sed *Pater noster*, quia cæteros etiam fratres, seu fideles unâ complectitur oratione: omnes siquidem fideles fratres invicem esse in Christo fatentur; appositè D. Augustinus *Qui habitas in cœlis, id est in his, quorum conversatio in cœlis est.* [Serm. 182. de tempor.] *Et accommodatissima est illa similitudo, ut tantum spiritualiter distare credatur inter justum, & peccatorem, quantum distat corporaliter inter cœlum, & terram:* non potest non esse efficax oratio, quæ Christi spirito composita, ore divino animata profertur: tametsi humanis fiat verbis; de divino tamen depromitur ore, pulchrè S. Cyprianus ait: *Quæ vera magis apud Patrem precatio, quàm quæ à filio, qui est veritas, de ore ejus prolata est?* [Tractat. de orat. domin.] & meritò dicitur precatio vera, quæ, quod petit, certò impetrat; quasi oratio de impetratione veritatem mutuetur, unde pergit Cyprianus,

# DISSERTATIO XVI.

## Sterilescit oratio, suóque destituitur fructu, nec pravos excutit affectus, si importunas non abigat evagationes, & charitate ignescat.

### §. I.

*Vacua est oratio, quam devotio non implet.*

1. Ratio, de suo destituatur fructu, necesse est, sit fervens, attenta, & devota: est devotio volnotas promptè exequendi, quæ ad Dei pertinent servitium, seu quædam agilitas, & vivacitas spiritus, cujus præsidio charitas suas in nobis actiones promptè, & alacriter exequitur, & nos expeditiùs ejus suffulti munimine operamur. Varii in variis virtutum exercitiis sunt devoti, prout spiritus, qui ubi vult, spirat, illis cœlesti afflatu ea inspirat, ut notat D. Bernardus inquiens: *Non omnibus eodem modo data est gratia ista, scilicet devotio. Porrò Thomas in latere, Joannes in pectore, Petrus in sinu Patris; Paulus in tertio cælo secreti hujus gratiam sunt affecuti: prior mulier stravit in tuto loco humilitatis, posterior in solio spei; Thomas in fundamento fidei; Joannes in lecto charitatis; Paulus in intimo scientia; Petrus in luce veritatis; sic apud sponsum mansiones multa sunt.* Hic frequentioribus jejuniis æstus extinguit concupiscentiæ; iste cinctus ciliciis venereos coërcet motus; ille crebris precibus pravis affectibus frœnum injicit; alius taciturnitate linguæ compescit lubricitatem; alter animarum incumbit saluti; quidam effusis in egentes eleemosynis alienæ opitulatur miseriæ, plures animarum zelo multos subeunt labores, itinera percurrunt: perinde ac varii sunt hominum vultus, ita varius est in pluribus devotionis sensus: sed ubi est intensa devotio, illic & persæpe divina sentitur consolatio, de qua Augustinus ait: *Nescio quid incorporaliter, & spiritualiter in nobis facit Deus, quod nec sonus sit, qui aurem percutiat; nec color, qui oculis discernatur; nec odor, qui naribus capiatur; nec sapor, qui faucibus judicetur; nec durum, aut molle, quod tangendo sentiatur: & tamen aliquid est, quod sentire est facile; explicare non possibile:* Verùm hisce delibutus cœlestibus deliciis nil aliud quærere debet præter eum, à quo deliciæ ipsæ fluunt; & cujus deliciæ sunt esse cum filiis hominum: hinc D. Augustinus expendens verba illa Apostoli: *Mihi autem adhærere Deo bonum est* ait; *Non ab illo petitur aliud premium: qui aliud premium petit à Deo, & propterea vult servire Deo; carius facit, quod vult accipere, quàm ipsum, à quo vult accipere. Quid ergo? nullum præmium Dei? nullum præter ipsum, præmium Dei, ipse Deus est*, ita Augustinus *in Psalm. 72.* Ratio igitur devotionis in Deum non debet esse nisi ipse Deus, est devotio in tam excelso fastigio, ut omnia infra Deum despiciat, & supra omnia Deum suspiciat: & hæc est illa devotio, quæ animam dulcorat, & virtutibus singulis dulcissimum adaptat condimentum, imò & charitatem fovet, sicut charitas devotionem nutrit: neque charitas, & devotio plus inter se differunt, quàm ignis, & flamma: est siquidem charitas, quid veluti spiritualis ignis, qui si vehementer inflammetur, devotio etiam dicitur; quæ propterea complementum esse videtur charitatis; licèt ab ipsa prodest: si enim charitas hortus est, devotio est flos; si charitas est arbor, devotio ejus est fructus; si illa balsamum, hæc ejus fragrantia; & sicut balsamum vulnera sanat corporis; ita oratio ritè instituta animi dispellit ægritudines.

In Cant.

In Joan.

In Psal. 72.

Noxiæ sunt orationi evagationes; propterea in id orans debet studii incumbere, ut statim eas abigat; perinde ac importuna manu, vel flabello muscas; quæ nobis sunt molestiæ abigimus. Deus rem magnam pollicitus dixit: *Faciam mirabilem in die illa terram Gessen, in qua populus meus est, ut non sint ibi muscæ.* Populus electus, & à Deo dilectus terram incolit à molestiis immunem muscarum; idque ex speciali Numinis beneficio. Puniturus autem Deus Ægyptios ait: *Immittam in te omne genus muscarum, & implebuntur domus Ægyptiorum muscis diversi generis:* tametsi exiguum sit animal musca; fuit tamen Ægytiis ingens, 2.

Exod. c. 8.

Exod. c. 8. 21.

ingens, & acre supplicium à muscis excruciari: qui orat, & cogitationibus vagis non resistit, easque non excutit, miser est Ægyptius, à muscarum molestissimis tortus examinibus; qui verò ea animi attentione orat, & contentione, ut tumultuanti cogitationum turbæ obsistat, mentémque toto nisu ad Deum erigat; is non Ægyptiis accensendus, sed populo Dei adsciscendus.

3. Oratio inambulans, & vaga, sterilis est, neque ullum adfert oranti fructum, quia corde non orat, sed tantùm ore laborat; ut rectè instituatur oratio, debet in Deum orans ascendere, non ima descendere creaturarum, ac per illas mente divagari; est oratio ex Damasceno: *mentis ad Deum ascensus*; seu ut eam definit S. Basilius: *est oratio boni cujuspiam petitio, quæ ad Deum à viris piis effunditur.* (Lib. de fide. Homil. in Martyrem Julittam.) Petere aliquid ab alio, perinde est, ac mentem precésque nostras ad ipsum dirigere: unde S. Augustinus: *Quid est oratio, nisi ascensio animæ de terrestribus ad cœlestia, inquisitio supernorum, invisibilium desiderium?* (Serm. 73. in Appendice.) Quæ verò fusis precibus petimus, plerumque non assequimur, eò quia perperam oramus; proinde non sumus voti compotes, quia malè petimus. Oratio ut ritè instituatur, debet fieri in spiritu, & veritate; *quia Deus spiritus est*, ait Christus: *& veros adoratores in spiritu, & veritate adorare oportet*; (Joan. 4.) seu ex intimo, & ferventi animi studio, ac flagranti desiderio in Deum; seu non voce tantùm, sed interiori præsertim animi affectu: hinc Christus ait: *Tu autem cum oraveris, intra in cubiculum tuum, & clauso ostio, ora patrem tuum in abscondito*: (Matth. 6.) nec quid aliud est cubiculum, in quod jubet Magister Christus, nos oraturos intrare, nisi cor nostrum; de quo ait Regius Vates: *quæ dicitis in cordibus vestris, in cubilibus vestris compungimini.* (Psalm. 4.) Non sufficit cubiculum ingredi, si ostium pateat importunis evagationibus, & quæ foris sunt improbè se intus ingerant: foris siquidem sunt omnia temporalia, & quæ sensus demulcent exteriores; hæc autem per ostium, seu per carnalem sensum mentem subeunt nostram, quo fit, ut turbæ vanorum phantasmatum orantibus obstrepent: claudendum est ostium, seu carnali sensui obsistendum, quò oratio spiritualis dirigatur ad Patrem, fiátque in abscondito, seu in intimiori cordis nostri recessu.

4. Hanc orandi normam explicatiùs suos Magister Christus discipulos edocturus, geminos pravos vult esse affectus abigendos; alterum Judæorum, Ethnicorum alterum: Judæi, & præsertim inter illos hypocritæ Pharisæi se præbebant ab omnibus spectandos, cum preces ad Deum funderent; & hi non alium ab oratione fructum carpere satagebant, quàm futiles hominum plausus, Ethnici exercendæ linguæ potiùs, quàm animi purgandi causâ orationi vacabant; arbitrabantur posse Deum verborum redundantiâ, & eloquentiæ lenocinio, periodorum concinna impletione in sua flectere vota; propterea ait Christus Matth. 6. *cùm oratis non eritis sicut hypocritæ, qui amant in synagogis, & in angulis platearum stantes orare, ut videantur ab hominibus: Amen dico vobis receperunt mercedem suam*: & paucis interjectis subdit: *orantes autem nolite multum loqui sicut Ethnici*: hi enim Deum perinde ac Judicem hominem multis verbis, & oratione concinnè ad numeros studiosè compositâ arbitrabantur posse adduci in eam, quam voluerint sententiam: & his vetat Christus suos assimilari discipulos; *Nolite ergo assimilari eis*; (Matth. 6.) quia si plura ad id verba effundunt, ut ignarum edoceant; supervacanea est hæc verborum redundantia ad Deum directa, qui corda novit hominum: non verborum apparatu agendum est cum Deo; sed pio cordis affectu, pura ac simplici mentis intentione; seu ut explicat D. Augustinus: *non verbis, sed rebus, quas animo gerimus, & intentione cogitamus, cum dilectione pura, & simplici affectu.* (Lib. 2. de sermone in monte c. 3.) Fervor cordis, & humilitas supplicantis, quâ non solùm Deum adoret, ejúsque magnitudinem humillimis veneretur obsequiis, sed etiam se coram Deo deprimat, & abjiciat, orationem instituunt Deo placentem. Fervor spiritus anima est orationis. Tepiditas veluti compedes orationi injicit, ne sursum in Deum ascendat, quia terrenis, fluxisque adhærescit.

## §. II.

### *Tepiditas noxia est orationi, cui compedes injicit, ne ad Deum ascendat, & exaudiatur.*

5. Facilior sæpe est frigidi, quàm tepidi in Deum conversio; & hæc fortassis causa, cur Æstas, & hyems in chorum evocentur, ut Deo psallant; (Daniel. 3. 67.) cum tamen reliquæ duæ anni partes, quamvis mitiores non vocentur ad divinas concinendas laudes: *Benedicite ignis, & æstus Domino: benedicite gelu, & frigus Domino*; quin & Aurora à nobili discluditur psallentium cœtu, quamvis diei sit pronuba; & tetras excutiat noctis caligines. Cur non potiùs lurida, nubila, tetrica, frigida hyems ab hac abigitur psalmodia? eique asciscitur florida ridens, arridensque verna temperies; ut etiam maturis onustus fructibus Autumnus? Quid hieme tristius, immitius? cum id temporis exuantur virescente sua pompa arbores, deponant foliorum comas, sua destituantur florida venustate prata; in luctu in squalore jaceant horti deflorati, deplorati; squaleant campi, lugeant valles, montes nivibus obruantur, concrescant glacie flumina; aëris, marisque procellæ grassentur, sæviántque; totáque tellus alta sepeliatur nive; sylvæ, & plantæ crebris albicent pruinis; cælique facies sem-

per

per nubila, lorida, turbida, & minax diem abripiat; & humus sterili torpens glacie nulla speratæ messis indicia prodat; quin potiùs præsocatæ in semine fruges, gelúque exanimatæ spem futuri proventus videantur elidere? Cum è contra verna temperies moderato calore, lenique humore commixta producendis stirpibus, generandis animantibus, alendis, fovendis, conservandis rebus omnibus, iisdem promovendis sit mirificè opportuna. Viget tunc arietis astrum propitium, beneficum, fœcundum nascentibus rum in genere vegetabilium, tum sentientium, juvandis accommodatum. Tunc cœlum renidet puriùs, sol splendet lætiùs, stipati syderum chori enitescunt illustriùs; suæ restituuntur malaciæ æquora, littoribus conciliantur fluctus; exiliunt fontes liquidiùs; turgent gemmis arbores, largiùs fluunt amnes; & tellus omniferos sinus suos recludit; herbarum virescentium, benéque olentium genera expromit; prata viretis jocantur, rident tenellis herbulis, niténtque floribus discoloribus; arbores novis se frondibus induunt, pulsis frigoribus auræ tepent; detonsi nitent herbarum tori, & per virentes agros lasciviunt agni, ludunt zephyri, sussurrant rami, murmurant rivi; quibus respondent æmulo concentu canoræ aviculæ, frigellæ querulæ, achantides blandæ, lusciniæ argutæ: cur igitur non potius ver, quàm hyems in cœtum accersitur psalentium, laudésque Deo canentium? quia scilicet quæ in confinio virtutis, ac vitii sunt, ea cœlo non probantur: hinc rigida, ac frigida potiùs hyems, quàm tepida verna temperies vocatur ad psalendum Deo; nimirum frigus præfertur tepori; ut & intensior æstus remisso Autumno; ut inde discamus, quàm noxia sit tepiditas orationi, cum à cœtu excludatur psalentium Deo; cui frigus, & hyems rigida asciscitur;

6. Sed cur tepori frigus præfertur? an quia promptiùs DEO frigidi obsequuntur, quàm tepidi? idque nos edocent gemini in Evangelio fratres à Patre sejuncti. Alter in regionem abierat longinquam scortis, porcisque mancipandus; secesserat alter non procul à domesticis parietibus, in campum scilicet, cervos, capreásque sylvestres venaturus. Verùm natu minor, qui sensûs indulgens voluptatibus, totam decoxerat, quam à Patre substantiam acceperat, totúmque patrimonium cum pellicibus dissipaverat; debitis semper obsequiis fuit Patrem obsequutus; & quamvis innocentiæ lilium per libidinum æstus corruperit, ac perdiderit; incolumen tamen retinuit rosam amoris, & filialem affectum, quo patrem prosequutus semper fuit; & inter suilem gregem, glandésque sylvestres proprii meminit parentis debito cum honore, & obsequio; in se siquidem reversus humilis, ac supplex ad illum redux, ad ejus provoluitur pedes, ejúsque jam non filius, sed Mercenarius dici exoptat; *Jam non sum dignus vocari filius tuus.* E Luc. 15. converso natu major quamvis minus peccaverit, magis tamen rebellat à patre, cui etiam obloquitur, & accedentem ad se inurbanè rejicit, ausus etiam patri rusticitatem objicere, & injustitiam, eò quia nunquam sibi hædum paraverit, quamvis filio frugi, ac morigero; & natu minorem post decoctum patrimonium, dissipatámque cum pellicibus totam substantiam, reducem mox è lupanaribus prodigum stolâ convestivisset, ac perquam lautè excepisset, saginato etiam, & excocto vitulo, lautiùs cum filio nequam epolaturus; sicque patri irascitur, & fratri reduci invidet; domúmque paternam aversatur, quam ingredi detrectat; *Indignatus* Luc. 15. *est autem, & nolebat introire.* Quis ex geminis hisce fratribus videtur contumacior esse? natúne minor, qui pecuniam prodegit; an natu major, qui obedientiam patri debitam, ac reverentiam profligavit? certè graviùs in patrem peccaverat natu minor cum à patre totaliter discessisset: & tamen licèt iniquior promptiùs revertitur ad patrem, quem & humili obsequio reveretur; & à patre vicissim benigno excipitur amplexu, exauditur supplex, & pristinæ restituitur gratiæ: inde edocemur, plerumque frigidorum, seu iniquorum preces fervore informatas, ope divinæ gratiæ, Deo esse gratiores illis, quas tepidi, seu semi justi futilibus deturpant evagationibus.

Tepiditas est quæ nos à divinis retrahit 7. obsequiis, quæ ab ingressu in templa nos avocat; ab oratione nos removet: hunc igitur excutiamus teporem: & ut oremus, si charitas nobis non suadet; persuadeat saltem necessitas, ut nos monet D. Chrysologus inquiens: *Nos qui ad incerta consurgimus, qui* Serm. 12. *inter insidias diem ducimus, qui horarum varietates, momentorum motus, verborum lapsus, actuum pericula sustinemus, quid est quòd Ecclesiam mane nolumus intrare? quid est quòd matutina prece, totius diei custodiam nolumus postulare? quid est quod homini adstare toto tempore libet? & Deo assidere, nec puncto libet? Manicemus, & oremus, vel humano timore, si non amore divino, si non invitati bonis, vel coacti malis.* Oratio quam fervor non informat, & attentio non vivificat abortus est; & spina damnati agri; non fœtus rigatæ à DEO telluris: oratio fervens, & attenta est illa vox sponsæ, quæ suaviter pulsat aures sponsi: *sonet vox tua in auribus meis, vox enim tua* Cant. 2. *dulcis.* Neque ulla est vox ita Numinis sonora auribus, quàm hæc sponsæ serventer orantis; eò tendit oratio, ut animam perducat ad intimam cum Deo unionem: neque unio hæc localis est, seu præsentiæ, quâ Deus ubique est, replet omnia spatia; nil relinquens quod se ipso seu DEI præsentia, ac essentia vacuum sit: neque est unio, per gratiam sanctificantem, quâ anima peccatis emaculata in DEI amicitiam restituitur, sitque

divinæ

divinæ consors naturæ. Neque est unio per charitatem, quâ creatura DEO adhæ-rescit; & DEUS manere dicitur in creatura per charitatem, & gratiam sanctificentem, quæ participetio est divinæ naturæ: prima enim harum unionum convenit etiam rebus, animê destitutis; secunda communis est omnibus justis; ut etiam pueris ante septennium ex vi suscepti baptismi. Tertia est omnium proborum, qui Deum ardentissimè diligunt, sed dono contemplationis, & mystica unione carent.

8\. Est igitur alia unio intimior, inexpertis impervia, & explicatu difficilior, quæ fit in potentiis animæ, intellectu, & voluntate, quarum actibus, veluti per quosdam gradus viam sibi anima ad Deum sternit; habetur hæc unio beneficio contemplationis, cujus symbolum exhibuit Jacob Patriarcha, cùm eidem somno sopito objecta fuit scala, per cujus gradus, sursum, deorsúmque cælites commearent. Jacob prærepto Esau natu majori natalium primatu, fratris declinaturus invidiam, & odium, simúlque excandescentem iram, ac ducturus è terra cognate auspice Deo, ac bene precantibus parentibus, uxorem, è patrio lere ad Labanum in Mesopotamiam proficiscitur Syriæ provinciam anno ætatis septuagesimo octavo; terminus itineris erat *Haran* urbs, ubi degebat Labanus ipsius avunculus; erat siquidem frater Rebeccæ, vir æquè avarus, ac opulentus, & idolorum cultor. Initiatus nuperrimè Jacob ad imperium fuerat illi à Patre Isaaco verbis: *serviant tibi populi, & adorent te tribus.* Abeuntem nox ... m oppressit prope *Luzam* urbem. ... oneum sub dio aperto locum quieti eligit, tumultuarium sibi de collectis lapidibus struit lectulum; pulvilli loco capiti lapidem prægrandem subjicit; jacet ergo, fecilique corripitur somno; cúmque imperii tiro nesciret, quæ forent regnantium noctes, vigiliæ, ac curæ dormientium; vix sensuum externorum fores occluseret, palpebras demiserat, somnóque sopiri cœperat; cœlum statim patuit semisomni, cui scale objicitur è terra cœlum usque proteosa, quot gradibus, tot arcanis plena mysteriis; ascendentibus, et descendentibus per eam cœlitibus geniis, cacumini DEUS ipse suam inclinebat majestatem, præsignante ostento Messiam olim nasciturum, in cujus persona, divinitas humanitati conjungenda erat, seu cœlum terræ. In imo Jacobus progenitor Messiæ, ceu Verbi divini incarnendi secundùm hominem præfigorabatur; hinc de Patriarcha Jacob dicitur. *Dilataberis ad occidentem, & orientem, & septentrionem, & meridiem. Eritque semen tuum quasi pulvis terræ:* nulla pars mundi suam in hac scena personam non egit; nulli licuit elemento abesse; sed omnia oculis subjecta fuerunt quiescentis, cœlum, Genii cœlestes, aër, terra, mundus, posteritas, & divinitas.

Gen. 27.

Gen. 28.

Nullus hactenus vatum insomnis vidit, quæ Jacob spectavit dormituriens: ollam vidit Jeremias? sed longè præstantior fuit sopiti Jacobi scale, quàm lebes vigilis Jeremiæ. Mulieres spectavis in amphora Zacharias? sed hisce scortis longe meliores visi sunt à Jacobo cælites, sursum, deorsum commeantes per scalæ gradus. Revixerunt cum Ezechiele fœtida, & fordescentia in sepulcris cadavera, quæ & super pedes suos steterunt? sed coram Jacobo terræ pulvis confictus in reges est, quorum pedibus terrarum orbis subderetur. Isaias Deum vidit sedentem in solio excelso? Jacob DEUM è scala familiariùs secum agentem aspexit: quia nimirum Jacobi per somnum visio eltissimam prodiderat contemplationem, quâ dominicæ Incarnationis futurum mysterium fuerat contemplatus; ideóque arctiùs meruit DEO uniri, quàm cæteri Prophetæ. Per descendentes Angelos Incarnationis mysterium hominibus fuerat annuntiatum; & per ascendentes ardentia Patriarcharum desideria, & orationes, quæ ... hominibus sursum ad Deum ferunt...; per duo scalæ latera misericordiæ ... fidelitas Dei de promisso Messia designantur, D. Hieronymus censet scalæ hujus significatione indicari incitamentum resurgendi post lapsum, & preces ... clamores resipiscentium; ait ipse: *... Jacob scalam de terra usque ad cœlum, & ascendentes per eam Angelos, & descendentes, & desuper innitentem dominum, qui lassis manû porrigeret, ut ascendentes suo ad laborem provocaret aspectu. Unde & vocatur locus ille Bethel, id est domus Dei, in qua quotidie descenditur, & ascenditur. Et sancti corruunt, si fuerint negligentes; & peccatores pristinum recipiunt gradum, si sordes precariis clamoribus abegerint, ac fletibus laverint. Hoc ideo dixi ut non te terreant descendentes, sed provocent ascendentes.*

9\.

Epist. 24. ad Julianum tom. 1.

10\. Dixerim Jacobeam scalam precarios resipiscentium prodere clamores, quibus è cœno terrenatum voluptatum sursum ascendunt ope divinæ gratiæ: hinc modum preces effundendi nos edocet scala Jacobea; fuerat enim Patriarchæ objecta in loco deserto, sub Jove aperto, & puro, ubi terram pro lectulo, saxum pro pulvillo habuit, à turbis tum domesticis, tum exteris semotus; quia nisi animus avellatur à rebus caducis, vix cœlestibus delectatur. Ex eo quòd scala fuerat Jacobo objecta in deserto; inde monemur, in omni loco orandum esse, & ad Deum per pia desideria, fusásque preces, ascendendum. Non est locus ubi non sit Deus; unde benedicendus est Deus in omni loco, & tempore. Hieremias in carcere Deum enixim roget, & confortatur; Daniel inter leones orat, & incolumis evadit; tres pueri in fornace ignis ardentia laudes Deo concinunt, & flamma clariorem, ac illustriorem iisdem triumphum cudit; Isaias in atrocissimo supplicio Deum

Deum precetur, & exauditur. Stephanus inter saxorum nimbos pro lapidantibus se orat; & Deum sibi propitium in cœlo prospectat; Latro in cruce se Christo commendat, & paradisum impetrat: omnis igitur locus fundendis precibus aptus est; dummodo recta adsic intentio, & debita non desit attentio, quia ut ait D. Chrysostomus: *Omnes quidem oramus, sed non omnes in conspectu domini. Etenim cum corpore in terra prostrato, & ore frustra delirante, mens ubique per domum, ac forû circumvagatur: quo ore talis posset dicere, quòd oraverit in conspectu domini? Nam in conspectu Dei orat, qui orat undequaque colligens suam mentem, nihil habens cum terra commercij, sed ad ipsum Deum totus commigrans, omni cogitatione humana ab animo depulsâ.*

Tom. 2. homil. de side Annæ

11. Oratio teste Augustino si probè fiat, clavis est cœli: *ascendit precatio, & descendit Dei miseratio.* Hanc autem cœli clavem pravè detorquet, quisquis orat; & quid oret ipse ignorat; imò triplex adfert damnum oranti, qu[...]seram destruit, clavem frangit, & cœlum non ap[...]: hinc si oratio probè fusa oranti est præsidiu[...], Deo sacrificium; & dœmoni flagellum; si dep[...]vetur fœdis evagationibus, ac destituatur orant[...] ardore, ac attentione, est tunc oranti nocumen[...], Deo ludibrium, dœmoni gaudium. Importun[...]t blateratores, qui ut lymphatici, & insani ga[...]nt: ebriis lingua in udo est, & quæ ab ipsa lapsantia proferuntur verba, suilli merguntur cœno. Viro irâ concito lingua felle, ac veneno natat, & ab ea nonnisi verba prodeunt virulenta, neces propinantia; phrænetico lingua ignis est, è qua exeunt verba flammantia, furiata, dissidiis accendendis accomodata: & quamvis ebrii, irati, & fanatici toto die loquantur, nihil promovent, & quò diutiùs garriunt, eò minus proficiunt; tales dixerim, qui, quod orent, ignorant, temulentis, fremebundis, rabiosis haud abludentes; & hi quò plus loquuntur, plus offendunt; neque placere potest tam insolens futilitas: quamvis lingua laboret in multiplici precum susinne; id perinde est ac cribro aquam haurire; inani labore quod hauritur funditur; quod construitur destruitur: *Unus ædificans* ait Siracides *& unus destruens, quid eis prodest nisi labor:* haud dissimiliter si lingua orando ædificet, mens divagando destruit, & labor inanis est; & oratio ruinosa; hinc Oseas deflens ruinam Israëlis ait: *Lappa in tabernaculis eorum; sacrificium eorum, quasi panis lugentium: omnes qui comedent eum, contaminabuntur:* Panis lugentium madet lacrymis, sordescit cinere, obducitur nigredine; fastidit Deus hos panes immundos, ac sordidos: sed cur lappa dicitur in tabernaculis esse orantium? Lappa hamatum lolii genus est vestibus adhærescens. Quid ni, orans mente huc, illùcque divagatur; alia omnia, quàm quod agit, cogitat; ideóque plenus est hamatis vepribus, tribulis, ac lappis, seu noxiis, importunisque cogitationibus: non placat iram hæc oratio, sed provocat.

Eccles. 4.

Cap. 9.

12. Tunc oratio utilis est oratnro, si debita fulciatur attentione, & reverentia: hi enim sunt duo aurei cardines, quibus oratio nititur, ac gemina nascentis pietatis ubera; hæ sunt geminæ flammæ, quæ se mutuò foveat, robúrque sibi conciliant: reverentia enim attentionem, & attentio reverentiam auget: attentio futilium cogitationum, inaniúmque simulacrorum compescit occursus, coercet mentis evagationes, & ea omnia abigit, quæ à divino colloquio orantem avertunt. Reverentia animum, corpúsque componit, orationem commendat, ac veluti ornatrix ancilla eam venustat, quò decentiùs coram magno Rege se sistat, compareátque gratiosior: si enim debitâ sit oratio reverentiâ destituta, inconcinna est, & ut putidula rejicitur: conciliatur reverentia si perspectâ propriâ inopiâ, indigentiâ, ac miseriâ oraturus omnem deponat tumescentem fastum, omnémque sepouat superbiam: non enim Deus ei suas erogat gratias, qui sibi multum arrogat: non assistit Deo superbus orans, cum Deus superbis resistat; ab omni non liberatur orans miseria, nisi liber ab omni superbia Deum accesserit humilis, & eâ quâ potest majori reverentia; hæc enim generosa est inter volucres aquila, Jovis ales, solis amasia, quæ super nubes evecta, & tonitrua mundani tumultûs; ad divinum solem irretorto avolat obtutu.

13. Hunc aquilæ volatum imitetur quisquis Deum in oratione quærit, eóque frui mentis satag[...] obtutu; solerter quærenti se Deus exhibet; h[...]que negotium Deum quærendi proprium esse [...]nimæ orantis asserit Jeremias inquiens: *Bonus est Dominus sperantibus in eum, animæ quærenti illum;* speciatim Deus suam impertitur bonitatem animæ oranti, ac quærenti illum, ut observat D. Ambrosius inquiens: *Bonus est Dominus sperantibus in eum, animæ quærenti illum;* hoc est *Bonus est Dominus sustinentibus eum* (quasi spes sit fulcrum, quo anima nititur) *animæ, quæ quærit eum. De hominibus dixit, & animam adjiciendam putavit; melius enim quærit ista, si sola sit, abducens se à corporis cœno, & cupiditate carnali,* tunc anima per fusas preces Deum quærit, & invenit, cum sola est, séque abducit à corporis cœno, & cupiditate carnali: quærit Deum non corpus, quod de limosa sua origine, déque cœnoso suo squalore sordescit; sed anima rationis compos, quæ cœlestia sapit, ac divina, quærendique, ac inveniendi momentum percipit: *Quærit anima Verbum* (ait D. Bernardus) *cui consentiat ad correctionem, quo illuminetur ad cognitionem, cui innitatur ad virtutem, quo reformetur ad Sapientiam, cui conformetur ad decorem, cui maritetur ad fœcunditatem, quo fruatur ad jucunditatem.* Torpet carnalis cupiditas ad munia Dei quærenda; solertia ad id requiritur spiritûs, qui non inter hominum frequentias, non inter mundi tumultus, nec

Thren. 3.

Lib. 6. mor. c. 4.

Serm. 86. cant.

nec inter obstrepentia negotia Deum invenit, sed in secessu; quis enim Deum quærat ubi virtuti nullus est locus? ubi exemplis malis, & consiliis pravis vitio pravus affectus patrocinatur? ubi inveterata in malis consuetudo, lex est? quasi quicquid placet, deceat; quidquid delectat, expediat? Quid enim in populari fremitu, & forensi strepito reperias, quàm contentiones, adulteria, fraudes, injurias, furta, homicidis, odia, dissidia, inimicitias, invidias, iras? ubi sine gubernaculo est navigatio, sine baculo senectus, sine frœno juventus, sine duce cœcitas, sine solatio calamitas: ubi triumphant cupidinarii, lurcones, nebulones, ganeones; quibus sola placet, vel uncta popina, vel cella vinaria.

14 Hominum cœtus qui circumit, mimos invenit, fures, circulatores, sycophantas, quibus omnibus unum est propositum, vel fallere, vel lucrari; & ut ait Plautus *blandiloquentulos, harpagones, mendaces, latebricolarum hominum corruptores*, quibus asciscuntur mimi, fures, circulatores, & sycophantæ: non igitur quærendus est Deus tumultuantes inter hominum turbas, sed in secessu, in solitudine, quæ est tempestatum omnium portus, quem qui fugit, volvitur pelago, fluctibúsque agitatur decumanis, & in scopulos naufragus impingit. Sive consilium sit, servire Deo, in quo una, ac vera est libertas, & sola felicitas; sive ingenium excolere bonis artibus; sive animum imbuere summis virtutibus; sive vitam expolire probis moribus, sive aliquid scribendo nostram posteris memoriam extradere, ac dierum fugam sistere; & brevissimum vitæ tempus extendere; sive velimus Deo vacare necesse est, animum seducamus a futilibus curis, quæ nos obsident; & solitudinem petamus, quia hæc ait Philo: *est possessio Dei placida, & tranquilla.* Solitarius elevat se supra se, ac inter homines major fit homine; quia ut asserit Climacus: *Solitarius est forma terrestris angeli. Solitudo est ambulatorium Dei. Solitarius quasi quidam novus paradisi colonus*: elevat se supra se solitarius, & paradisi accensetur colonis, quia nullis hujus vitæ calamitatibus tangitur, nullis vexatur molestiis, nullis infortuniorum turbinibus agitatur; montisque olympi emulatur verticem, adeo enim se altè extollit, ut nullo ventorum, ac tempestatum impeto quatiatur: unde D. Hieronymus solitudinis amans ait: *Habeat sibi Roma suos tumultus, arena sæviat, circus insaniat, theatra luxurient, nobis adhærere DEO bonum est.* Adhærere autem DEO in solitudine, est illi mysticè per internos affectus, per fusas preces uniri; *qui manet in charitate in DEO manet, & DEUS in eo.*

In Trinummo. — Cap. 27. — Ep. 41.

15. Non tamen segniter est in secessu, in solitudine Deus quærendus; non animo tepescente sunt preces fundendæ; sed corde ferventiore cum regio Psalte, qui enixim ac fervidè requirens Deum ait: *In toto corde meo exquisivi te: ne repellas me à mandatis tuis.* Verum quid sit repelli à divinis mandatis difficile videtur explicatu, neque sacri interpretes in unam, eandémque collimant sententiam; nodúmque difficultatis magis stringit D. Hilarius inquiens: *Competere bonitati Dei non videtur, ut à mandatis suis quemquam repellat. Qui ergo secundùm Prophetam mavult peccatorum pœnitentiam, quàm mortem; numquid existimandus est à mandatis suis quemquam repellere?* Observat Corderius nodum hujus difficultatis solvi à D. Hilario, & D. Ambrosio ex ipsis verbis Christi: *Omni enim habenti dabitur, & abundabit; ei autem qui non habet, & quod videtur habere, auferetur ab eo:* nimirum tepidus, & negligens in Deo quærendo à mandatis Dei repellitur, quia cum segniter opus Dei exequutor, videtur sua tepiditate magis obesse, quàm prodesse legis divinæ observantiæ. Secus solers, ac strenuus in Deo quærendo, non tepidè, sed toto cordis fervore ad mandata DEI custodienda currit; neque sedulam inquisitionem Deum inter, & mundi concupiscentias partitur, proinde uberioribus potitur Dei auxiliis ad ipsum solertiùs inquirendum, & per mandatorum obsequia inveniendum; appositè D. Hilarius. *DEUS ergo non aufert nisi non habenti, secundùm quod non repellit nisi negligentem: adeo autem bonitate plenus est, ut habentem abundantiâ muneretur: alteri verò non vult quemquam non habere, ut non habenti ipsum quod habet adimat. Neminem igitur nisi obnitentem repellit, neminem nisi negligentem rejicit.* Meritò igitur ait, se in toto corde Deum quærere, ne scilicet repellatur à mandatis suis; quia si non quæreret in toto corde, seu toto affectu, & fervore; sed corde tepescente, affectúque languido, repelleretur à divinis mandatis, quatenus ea non muniretur ope divina, quâ DEI custodiret mandata; qui enim toto corde DEUM quærit; etiam per observantiam mandatorum satagit, eum invenire; ideóque mandata diligenter exquirit; Deus igitur non excludit, nec repellit ab uberiori suæ gratiæ auxilio, quo divina mandata servantur, nisi negligentes, ac fœdo torpentes otio; quasi neglectus Dei quærendi in suis mandatis, ac desidiosa ejus inquisitio, sit ipsa repulsa à divinis mandatis.

Psalm. 118. — In Psal. 118. — Matth. 25.

Quid igitur homini magis timendum, quàm neglectus Dei quærendi? quid magis formidandum, quàm desidiosa inquisitio; vitiosa, ac frigida oratio! Hanc segnitiem ut sponsa excuteret à suo excitatur sponso *Cant. 2. v. 10.* hæc est vox sponsi ad sponsam: *surge, propera amica mea, columba mea, & veni:* quasi dicat; quæ tua est segnities? quâ desidiosa detineris in lectulo; quâ jaces semisopita, & torpescentibus membris toto 16.



 cor-

corpore otiaris, cum tam ànxiè inviteris ad nuptias? *surge, & propera.* Et quid est, quod te domi cunctantem, ac sub stragula segniter quiescentem remoratur? eandem iterum vocem ingeminat *vers.14.* ac uberiori energia eandem alloquens, ait: *surge, propterea amica mea, & veni.* Vult sponsus ab sponsa omnem excuti segnitiem, abigi torporem; quia accedens ad Deum per fusas preces, piósque affectus, non otio debet torpescere; non tepiditate languescere, non corde frigere, sed tota animi contentione, totóque spiritûs fervore, statim surgere, ac properare: scitè D. Gregorius Nyssenus expedens verba sponsi. *Rursus ait ad excitatam, surge: & ad venientem, veni. Nec enim ille, qui modò surgit, unquam surgere desinet: neque à currente ad dominum, amplissimum illud divino cursui destinatum spatium conficietur, semper enim excitari nos oportet, nec unquam est quiescendum, etiamsi cursu propiùs ad scopum perveniamus.* Ita animam nostram DEUS alloquitur inquiens; surge ex desidiæ lectulo; stragulum torporis, quo operiris apeci, depone, ac incunctanter surge; & excussâ omni inertia festinanter propera, & veniens festina; surge igitur quantocyus, disruptâ quavis cunctatione; propera ut venias ad me; veni statim, ut me invenias.

Orat. 5. Cant. 14.

17. Accedentem ad DEUM non sufficit semel oràsse, sed excusso inerti otio persistendum est, sempérque properandum, jugitérque exorandum, donec inveniat. Neque obstat, si dicas, Magistrum Christum, suos edocuisse Discipulos parcè loqui, & non multa effundere verba: *Orantes autem nolite multum loqui, sicut Ethnici: putant enim quod in multiloquio suo exaudiantur. Nolite ergo assimilari eis: scit enim Pater vester, quid opus sit vobis, antequam petatis eum.* Quia Christus non improbat diuturnas, ac prolixas preces, sed futilem verborum redundantiam, vanam plurium vocum profusionem, ad phaleratam eloquentiam potiùs ostentandam; quàm ad fervorem orantis fovendum; ideo ait: *putant, quòd in multiloquio suo exaudiantur,* hoc est propter multiloquium, seu vanam eloquentiæ ostentationem; quasi DEUM inscium de rebus suis velint erudire, & veluti non pronum ad benefaciendum, verborum lenociniis ejus satagant aures demulcere, & ipsum flexanima arte in sua flectere vota; perinde ac Rhetores sua phalerata oratione judices informant, flectúntque, ut Reum absolvant, vel in favorem judicent clientuli, quod proprium erat Ethnicorum putantium in hocce multiloquio posse exaudiri, & credentium, DEUM vel ignorare, vel non considerare eorum indigentias, à quibus liberarentur; ideo magno verborum apparatu, ac phalerata oratione, cultâque narratione juxta Rhetoricæ præcepta DEUM orabant; quos tamen Christus redarguit erroris, eò quia nostræ miseriæ, ac ægestates minimè Deum lateant: *Scit enim pater vester quid vobis necesse sit, quid opus sit vobis, antequam petatis.* Hoc igitur Ethnicorum multiloquium à Christo improbatur, quia fidei prodit titubationem: scitè Tertullianus *Lib. de oratione c. 1.* ait: *Orantes nolite multum loqui. Hoc ad fidem, & modestiam fidei pertinet, si non agmine verborum adeundum putemus, quem ultrò suis prospicere certi sumus.* Hoc multiloquium ad fidem pertinet; in qua propterea videtur titubare; qui enim in oratione ita titubat, & spe languet, ut censeat necessariam sibi esse prolixiorem verborum apparatum ad impetranda expetita, quamvis in fide non deficiat, fidei tamen devenustat modestiam. Cum preces ad DEUM fundimus fiducia nostra firma esse debet, & non titubans; stabilis non vacillans; spes nostra languere non debet, sed vigere; non cadere, sed vegetior assurgere: spes quæ in multiloquio fundatur Ethnicorum languida est, ac fidei lædit, dehonestátque modestiam; ac si certa in oratione impetrationis spes fidei reputetur modestia; quæ propterea læditur, ubi non in orantis fiducia, sed in verborum lenocinio spes fundata concipitur. Fidei deturpat modestiam, qui suas preces fiduciâ destituit, quam in agmine collocat verborum.

Matth. 6. v. 7.

Matth. 6.

## §. III.

### *Quæ spe, & fiducia nititur humilis oratio stat inconcussa, & impetrat petita.*

Non multiloquio, sed fiduciâ nititur oratio, quæ à DEO petita impetrat: hinc Regius Vates nos monet, ut spe & fiduciâ fulti nostram indigentiam supplici prece DEO exponamus, si exaudiri volumus: *Revela Domino, viam tuam, & spera in eo; & ipse faciet,* seu ut exponit Corderius introspice temet ipsum, mentem tuam ingredere, voluntatem tuam perscrutare, affectus tuos expende, flexus cogitationum, & meandros cordis perpende, examina, pervade, hoc est sublato velamento arcana pectoris tui expande DEO in precibus. Alii tamen asserunt, revelare viam Domino, perinde esse, ac propriam DEO indigentiam exponere, sitque propterea sensus Davidis: *Revolve super Dominum indigentiam tuam, & spera in eo, & ipse faciet* ubi enim David ait: *Revela Domino,* D. Hieronymus legit *volve super Dominum* indigentiam tuam, & inde commendat orationis efficaciam, quæ petita impetrat: subdit enim *spera in eo, & ipse faciet*: si igitur nos difficultas 18.

Psalm. 36.

pre

premit in studijs virtutum, si onus incumbit, quod nostras videatur vires excedere, Deus à nobis adeundus est humilibus precibus, ut pondus, quod nos premit, devolvemos super eum, quia si nostram in eo habeamus fiduciam, si pijs votis, & obsecrationibus, in eo speremus, non ampliùs nos onus premet, nec cumulus opprimet molestiarum: quia oratio fulcris innixa fiduciæ, & spei, humanos omnes excutit angores, ærumnas dissipat, & calamitates abigit: est siquidem oratio, veluti solaris radius nubium caligines fugans, ac dispergens.

19. Si nos igitur molestiarum moles obruit, hanc eandem molem beneficio orationis in Deum devolvamus, ipse enim onus, quod humeris nostris pergrave est, levissimum reddet, & nobis potiùs levamini fiet, quàm gravamini: si humilis nostra ascendat oratio, prægrandis Dei descendit ad nos miseratio: quatenus impetret humilis oratio, quæ à Deo petit; & quò humilior est oratio, eò altiùs ascendit, & cœlos transcendit, hinc Siracides ait: *Oratio humiliantis se nubes penetrabit, & donec propinquet, non consolabitur; & non discedet, donec aspiciat Altissimus:* seu ut vertit Syrus Interpres; *Oratio pauperum nubes inclinat, & coram Domino Majestatis ingreditur. Non transilit, donec inquirat de eo, & judicium verum judicet.* Quàm efficax est, ac valida humilis oratio, quæ, quod petit, à Divina extorquet munificentia, & si ascendat humilis oratio, descendat Dei miseratio? Hæcque ratio, cur oratio non tantùm dicatur solium Dei conscendere, Dominum Majestatis alloqui; verùm & cœlos ipsos inclinare, ac deorsum in terras demittere: *Oratio pauperum nubes inclinat:* seu cœlum deorsum detrudit, quatenus Deum ipsum flectit in sua vota, & ejus miseratio descendit, opem oranti allatura, scitè Augustinus. *Incomparabilis quidem est prærogativa orationis, ut Deus omnipotens in solio gloriæ suæ constipantibus undique Angelorum millibus subitò se demittat ex throno, inclinétque aurem, ut orationem à terra excipiat ascendentem:* nimirum quando Deus in vota se flectit orantium, auréinque suam humanis inclinat precibus, tunc ex throno gloriæ suæ dicitur se demittere, & in orantium opem ijsdem opitulaturus descendere. Cùm humilis oratio ex imo terræ supremum cœli fastigium ascendit, tunc dicitur Deus sedere in solio gloriæ, & throno Majestatis Angelorum millibus stipatus: sed cùm Deus benefica sua bonitate aurem inclinat oranti, surgere è throno videtur, & è summo cœlo in terram se demittere, quo statim oranti opem ferat: ea siquidem est orationis vis, ut Dei miserationem è cœlo in terram pertrahat.

Eccles. 35.

In Psalm. 114.

20. Verùm ut suam oratio efficaciam sortiatur, non corporis commoda, non mundi divitias, quæ plus obsunt, quàm prosint; sed necessaria sunt petenda, & quæ salutem promovent animæ: hinc Christus interrogatus ab uno ex suis Discipulis, quomodo sit orandum, & cum ipsum rogaret, ut vellet eum docere modum orandi, sicut Joannes suos edocuit Discipulos, respondit Discipulis suis. *Cum oratis, dicite: Pater noster, qui es in cœlis, sanctificetur nomen tuum,* & reliqua, quæ habentur in oratione dominica, in qua Christus docuit modum orandi, indicavítque res à Deo precibus petendas, & ordinem significavit, quo sint petendæ, & etiam brevitatem exposuit verborum: sunt enim verba orationis dominicæ aptissima impetrandis à Deo auxilijs. Vult, ut Deum vocemus Patrem, quatenus plena fiducia ipsum accedamus; hinc D. Augustinus expendens exordium orationis dominicæ: *Pater noster, qui es in cœlis,* ait: *Non hoc populo priori dictum est, ut Patrem oraret, sed Dominus insinuatus est eis. Admonentur autem hoc verbo divites, & nobiles cum Christiani facti fuerint, ut se non extollant adversus pauperes, & ignobiles, quoniam simul dicunt Pater noster, quod verè, ac piè dicere non possunt, nisi se fratres esse cognoscant.* Matth. 6.

v. 20.

Hoc igitur nomine *Pater*, quo exordium inchoatur orationis dominicæ charitas excitatur, quia filijs nil chariùs esse debet, nisi Pater, & supplex affectus: unde cum homines dicunt *Pater noster*, quædam habetur impetrandi præsumptio, quod petitur. Quid enim non det filijs petentibus pater, qui ijsdem jam dedit, ut essent filij. Id igitur interest discriminis inter homines veteris, & novi testamenti, quia isti, ut filij Deum orant, ut patrem, dicentes, *Pater noster, qui es in cœlis:* non ita in veteri testamento, ubi timor servilis magis, quàm amor filialis populum ad legis observantiam inducebat: in nova siquidem lege fideles dicentes in oratione dominica, *Pater noster*, æquè paternum, ac filialem, & fraternum amorem produnt; non enim fidelis, quamvis seorsim ab alijs, & singulatim Deum oret, dicit pater meus, qui es in cœlis: sed *Pater noster*, quia cæteros etiam fratres, seu fideles unâ complectitur oratione: omnes siquidem fideles fratres invicem esse in Christo fatentur; appositè D. Augustinus *Qui habitat in cœlis, id est in his, quorum conversatio in cœlis est. Et accommodatissima est illa similitudo, ut tantum spiritualiter distare credatur inter justum, & peccatorem, quantum distat corporaliter inter cœlum, & terram:* non potest non esse efficax oratio, quæ Christi spiritu composita, ore divino animata profertur: tametsi humanis fiat verbis; de divino tamen depromitur ore, pulchrè S. Cyprianus ait: *Quæ vera magis apud Patrem precatio, quàm quæ à filio, qui est veritas, de ore ejus prolata est?* & meritò dicitur precatio vera, quæ, quod petit, certò impetrat; quasi oratio de impetratione veritatem mutuetur, unde pergit Cyprianus,

Ibid.

Serm. 182. de tempor.

Tractat. de orat. domin.

nus, inquiens: *Agnoscat pater filij sui verba, cum precem facimus: qui habitat intus in pectore, ipse sit, & in voce, & cum ipsum habeamus apud Patrem advocatum pro peccatis nostris, quando peccatores pro delictis nostris petimus, advocati nostri verba promamus. Nam cum dicat; quia quodcunque petierimus à patre in nomine ejus, dabit nobis, quantò efficaciùs impetramus, quod petimus in Christi nomine, si petamus ipsius orationem*? Qui Deum habet in corde, & dominicam orationem in ore, singula, quæ à Deo petit, impetrat; & cœlum sibi aperit.

22. Oravit protomartyr Stephanus, & inter tormenta, ac lapidum torrentes quasi beatitatem nactus Angelicam visus est speciem vultu spirare. *Et intuentes eum omnes,*
Actor. 6. *qui sedebant in concilio, viderunt faciem ejus, tanquam faciem Angeli*, non pulchritudinem induit angelicam, cum fuit inter Levitas delegatus; nec cùm præficeretur non absque insigni probitatis commendatione, distribuendis alimentis Viduis Judæorum. Sed tunc tantùm, cùm accusatus de flagitijs, cùm raptus ad Judices, cum oraret pro persequentibus se, tunc angelica speciositas eluxit in ejus vultu, *viderunt faciem ejus tanquam faciem Angeli*, sed si Angeli à quavis sunt materiei crassitie defæcati, si corpore sunt destituti, necessè est facie, ac vultu careant; cur igitur Angelo pariatur, & non lilio, vel Josepho? quid humana facies cum Angelica speciositate? an quia florescit lilium, sed statim arescit, & decidit? an quia licèt pudicus fuerit Joseph, homo tamen, & ipse fuit, qui quam excoluit pudicitiam deperdere potuit? Modestia verò Stephani, quam oratio informabat adeò firma, & constans fuit, ac sibi similis, ut nonnisi Angelis proximiùs potuerit conferri, qui mutari non solent.

23. Licèt lupi dissecarentur, & dentes in eum exacuerent, ipse tamen composito vultu ad hilarem modestiam, quâ interna animi serenitas etiam furas pateret, in cœlum suspexit, & orandi studium, neque inter saxa interrupit, quin priùs vitam absolvere maluit, quàm orationem; hanc enim nonnisi moriturus, & nonnisi flexis genibus explevit. *Ecce video cœlos apertos, & filium*
Actor. 7. *hominis stantem à dextris Dei:* in cœlum suspexit, & cœlus sibi apertos aspexit: priùs Stephani oratio in cœlum ascendit, & postea cœli patentes ad ipsum descendunt. Obruebatur lapidibus, & oratio sum in cœlum evehebat coronandum. O quàm ferventer oravit, cui cœli patuere! licèt contra se fureret populus; lapidantes saxis tota impetu in ipsum collimarent, Stephanus tamen ita orat, & adeò efficax est ejus oratio, ut cœlo ipsi vim faciat, illúdque discindat: sed heu quàm miseri, & imbecilles sumus nos, qui non lapidibus obruti, non saxis contusi, sed vel uno dutiusculo excepti verbulo, nec oculos in cœlum elevamus, nec sursum obtutus dirigimus, sed inter flores, & Cyparissus ab oratione excidimus; Stephanus inter vulnera, unà cum sanguine preces fundit, nos autem ab oratione, vel inter violas desistimus, Stephanus in saxa impingens portum æternæ felicitatis appellit; quia prævià orationis cynosurâ persecutionis tenebras vincit; nos verò, quia hac prævia destituti luce, non inter saxa, sed paulò inter duriora verba quasi in scrupulos impacti excandescimus, discindimur, & fœdum patimur naufragium. Stephanus non carnifices circumstantes vidit, sed filium hominis in cœlis stantem; suspexit eminus gloriam, & non vidit cominus accedentem ad se mortem; non respexit, quod sibi iminueret, sed quod ipsum maneret, aspexit: rapiebatur ad supplicium; sed quia orationi vacabat, & pro lapidantibus exorabat, cœlum ei favebat, *video cœlos apertos, & JESUM à dexteris Dei*, nimirum apparuit militi pugnanti supremus Strategus triumphator, non ut se tantùm morituro exhiberet, verùm etiam ut destinatam ei coronam, ac palmam ostenderet; pugnat miles in terris, & coronatur in cœlis; rubet sanguine lapidibus obrutus; & splendet purpurâ cœlesti gloriâ donatus; & quia orandi studium neque inter saxa interrupit, & priùs vitam, quàm orationem absolvit, non mortem oppetijt, sed ad gloriosum petijt triumphum; & mortalitatem exuit, ut indueret immortalitatem; & licèt clamorosa non fuerit Stephani oratio crepitantia inter saxa, eam tamen vim habuit, quâ cœlum ipsum discinderet, sibique ad gloriam iter aperiret, *Ecce video cœlos apertos:* etiam Moyses quamvis silens clamavit ad Dominum: plures sunt, qui licèt voce exclament altiore, Deo tamen silent, & eorum oratio, quamvis clamorosa percita strepitu, non tamen auditur, quia fervore destituta non exauditur. Frigida est illa oratio, & silens, quam charitas non informat, nisi enim cor caleat, frustrà os clamat.

Sunt qui, orantes garriunt, & nugantes preces fundunt, sed quia eorum cor non calet, & non orat, in vanum lingua laborat. 24.
Oratio non ascendit in cœlum, nisi à terrenis abscedat, & ab ijs omnibus affectibus, qui animum orantis, non Deo uniunt, sed creaturis agglutinant; idque ut nos edoceret Christus patrem oraturus divelli debuit etiam à suis Discipulis. *Et avulsus est ab* Luc. 22.
*eis, quantum jactus est lapidis.* Quòd si Magister Christus futurus Deo Patri preces divelli debuit etiam ab Apostolis; quid nos miseri, & imbecilles agemus, qui inter scurras, & simios simul ridemus, & oramus? An non ridicula est illa oratio, quæ cum pueris nugatur, & cum garrulis obloquitur? verùm quamvis ridicula esse dicatur, lugenda tamen est, cum divinam potiùs iram irritet, quàm pietatem flectat. Inter filias

Js-

Jerusalem sponsa Verbo non fruitur, nos autem inter scurras, & nugas, inter abortus Babylonis, arcana delibabimus divinitatis? caro licèt fragilis, quamvis lutea, suadetur tamen servare virginitatem, quam Angelorum non hominum gemmam esse fatetur Dominus, idque non ob aliam causam, nisi ut ferventiùs oret, attentiùs psallat. Pretiosum est orationis margaritum, nonnisi ingenti emitur pretio, hinc Apostolus. *Volo autem sine solicitudine vos esse,* & nonnullis interjectis subdit: *Porrò hoc ad utilitatem vestram dico, non ut laqueum vobis injiciam, sed ad id, quod honestum est, & quod facultatem præbeat sine impedimento Dominum obsecrandi,* adeò onerosum, & arduum virginitatis jugum Paulus imponit, etiam ipsis Neophytis, ut nullum ex ipsis voluerit solicitum esse de uxore, neque vicissim uxorem de viro anxiam, ne scilicet minùs attentè, minúsque ferventer hostiam orationis Deo adolerent.

1. ad Corint. 7.

25. Si excusso tepore fervescat oratio flammam imitatur, quæ ima terræ fugiens, sursum avolat, & quas in terris labes orans contraxerat, lachrymis abstergit, quas fervor excitat orationis. Tametsi rea fuerit Agar, imò & relapsa, ac Numinis imperio in exilium acta, nihilominus ut cœpit ferventer orare, & flammis fervoris undas miscere lachrymarum, non solum alloquio consolatur Angelorum, verùm & eorundem recreatur ministerio; & ne diutiùs sitiret; aquæ puteum indicavit ei Deus, vel etiam extruxit. *Vocavitque Angelus Agar de cælo dicens: quid agis Agar? surge, tolle puerum, & tene manum illius, quia in gentem magnam faciam eum. Aperuitque oculos ejus Deus: qua videns puteum aquæ abiit,* Quid ni Eliæ pro Domino delitescenti annonam diebus singulis corvus advexit; sed Agari in exilium Dei imperio actæ Angelus siti levandæ frigidam propinavit in invijs deserti opportunam. An non felicior in exilio ancilla, quàm beatus domi herus? siquidem Abraham juxta suum tabernaculum ministrat, inservitque Angelis; Agari verò in solitudine ab Angelis ministratur: quòd si impar Agari Abraham, suppar Agar quodammodo Christo fuit: quia sicut in solitudine Angeli Christo ministrârunt; ita in eremo Agari pincerna Angelus fuit: & quidem eo discrimine, quia Magistro Christo præsto fuêre in solitudine Angeli ministraturi post geminam delatam lauream ex longa abstinentia, acríque lucta: Agari verò quamvis peccanti, ac damnatæ, tum à Sara, tum à præcipiente Deo, ab Angelis obsequia præstantur. O quàm efficax, quàm præpotens est vis orationis! post perbrevem orationem, post effusas lachrymulas ex orantis fervore, ancilla ejecta è domo Patriarchæ à Deo exaudit. *Et sedens contra levavit vocem suam, & flevit. Exaudivit autem Deus vocem pueri. Vocavitque Angelus Agar de cælo dicens: Quid agis Agar, surge, tolle puerum, & tene manum illius, quia in gentem magnam faciam eum.* Moyses ad Deum accessurus calceamenta solvit de pedibus, Agar non Deum quærit, & à Deo sublevatur; quia *sedens levavit vocem suam, & flevit:* vox Agaris lachrymis madentis cœlos ascendit, & in terris traxit beneficentiam Dei miserentis. Quid ergò justorum preces non erunt in templo impetraturæ, quando exulantis ancillæ precatorius clamor in nemore Deum ipsum in cœlo flectit in sua vota, arcessit, trahitque Angelos ipsos in sui obsequium? Verùm si vox deprecentis Agaris Angelos accivit ancillæ ministraturos: tepidus, & non persolutus Deo hymnus ad Evam anguem adduxit; & fortassis eatenus permisit Deus fœminam ab angue decipi, & virum à muliere seduci, quia divinis laudibus accinendis nundum assueverant, tametsi obruti immensâ divinorum munerum mole.

Genes. 21.

21.

26. Hinc conjicimus Deo, & Angelis nil posse gratiùs obtingere justorum oratione, & lachrymis, quapropter Raphaël Tobiam alloquens seniorem ait. *Quando orabas cum lachrymis, & sepeliebas mortuos, & derelinquebas prandium tuum, & abscondebas eos per diem in domo tua, & nocte sepeliebas eos, ego obtuli orationem tuam Domino.* An non cæteras inter virtutes, quas Tobias senior ad singularem excoluit laudem, principatum obtinet oratio? hæc enim quia lachrymis madens, steriles sepulchrorum rigabat cineres, mortuis addicta sepeliendis à Raphaële sursum asportatur in cœlum, ac divinæ offertur Majestati: *Ego obtuli orationem tuam Domino:* ex tot excultis virtutibus sola oratio rigata lachrymis ita effloreścit, ut ab Angelo sursum afferatur, ac Deo sistatur; licèt Tobias jejunaverit, eleemosynas egenis erogaverit, alienæ fuerit indigentiæ opitulatus, mortuos sepelierit; ejus tamen oratio pietati præfertur, ac jejunio; tametsi Moyses solo jejunio munitus ad Deum accesserit, eúmque fuerit allocutus; & ope jejunij raptus Elias in cœlum fuerit: ut inde discamus, quanta sit orationis præstantia, quanta ejus efficacia, cum & ipsa jejunij virtus sit ei inferior: imò non solum cæteris oratio præfertur virtutibus; verùm ex omnibus una deligitur, quæ ab Angelo in cœlum deferatur, & Numini offeratur. *Ego obtuli orationem tuam Domino.*

Tobia 12.

Tobia 12.

27. Oratio enim non solùm orantem sejungit ab humo, sed etiam Deo jungit, & illa sola de cæteris triumphans virtutibus ab Angelo sursum fertur, & Deo offertur: tametsi fateatur Raphaël, Tobiam jejunâsse, pauperibus opitulaturus circumivisse, & enecta tumulâsse cadavera, solam tamen ex hisce virtutibus delectam à se profitetur orationem, quam Deo dicatam voluit; & quamvis sustulisse cadavera occisorum plenum fuerit fortitudinis opus, quamvis

pran-

prandium dereliquisse insigne fuerit virtutis abstinentiæ documentum; hisce tamen, & alijs virtutibus unam prætulit orationem, quia hæc est cæteris Deo gratior; quapropter viginti illi quatuor seniores stantes ante thronum Dei aureas suas phialas non cilicijs implevêre, non cineribus cumulârunt, non vinculis onerârunt, nec jejunijs, aut eleemosynis, sed orationibus sanctorum. Apoc. 5. *Habentes phialas aureas plenas odoramentorum, quæ sunt orationes Sanctorum*, sed quid hoc? ergo non Laurentij craticula, non Stephani saxa, non Andreæ crux, non Sebastiani tela, non Apoloniæ rogus, non Bartholomæi cutis, sed sola oratio in Angelorum phialis erit recondenda? ergo non Petri patibulum, sed hymni reponuntur in phialis? Ergo non Pauli stigmata, sed Psalmi fulgurant in urnis aureis? Ita est: proni procumbunt Seniores coram agno, & tamen suis in phialis non lora, non spinas, non clavos, non secures, non funes, nec gladios, sed orationes tantùm justorum circumferunt. Non igitur mirum, si orationis appetens Angelus irruit, sua præstiturus obsequia Agari oranti, & flenti in deserto: & *sedens contra, levavit vocem suam, & flevit.* Quid? quòd in deserto clamet, & liquescat in lachrymas, cùm in domo Abrahæ proturbata non conqueritur, lacessita non latrat, vexata non clamat, neque de hera conqueritur, neque de Abrahamo lamentatur? imò ne quidem cum filio oblocuta fertur in itinere tam arduo de mariti sævitie? & tamen nos haud latet, filios Israël non tam aureis divitijs, ac laureis coronis onustos, imò & cœlesti manna pastos, columna deductos, miraculis, portentísque ad terram fluentem lacte, & melle comitatos obmurmurâsse, non solùm contra Moysem; verùm etiam contra Deum, cùm primùm æstus ceperunt sitis sentire, ac labiorum laborare siccitate; quamvis è luto, & latere educti fuerint ad libertatem; & è duro famulitio ad placidum imperium: cùm è converso Agar ex splendida, & prædivite domo in eremum ejecta, viderit filium suum unigenitum ob penuriam frigidæ expirare.

28. Siluit Agar, tulitque patienter, quamdiu puer siti laboravit; sed cum primùm intuita est, quòd Ismaël moreretur, tunc silentium tenere amplius non valuit, nec vocem coërcere, nec oculos à lachrymis prohibere, tunc *levavit vocem suam, & flevit*, non cùm Ismaël laboraret, sed cum deficeret; non cum siti arderet, sed cùm animam ageret, deprecata est, & ejus oratio, quia cœlum ascendit; Dei miseratio ad eam descendit: *Exaudivit autem Deus vocem pueri*, misitque Angelum, qui Agari ministraret, cujus modestia tanta fuit, ut de sævitia Saræ, ne quidem cum Angelo conquesta fuerit: quasi dixerim, Agarem in eremo Jobo prælusisse in sterquilinio. Quas enim Jobus calamitates passus est à cacodæmone; eas silens à viro Agar tulit, quæ tamen licèt taceat, orat tamen cum fletu, & ejus oratio adeò efficax est, ut rebelli filio parem Regibus impetret celsitudinem, imò ut Angelorum honoretur alloquio, & ministerio sublevetur. Sed si ea fuit Agar, quæ heræ suæ ausa fuerat succensere, quæ Ismaëlem fortè docuerat Isaaco illudere, eúmque depravare? quid quod nunc rea, & relapsa, Deique imperio in exilium acta, oret, illachrymetúrque in eremo? an quia in domo Abrahæ cubavit in pluma, fœdavit se scelere? & quia vitulum saginatum fuit epulata, jejuna vixit virtutibus, quas in eremo excolere cœpit, cùm pane incepit hordeaceo egere, & frigida indigere? tunc suppetias, quas ab oratione petijt, impetravit. *Levavit vocem suam, & flevit.* Oratio Agaris amaris lachrymis obarmata gratam Numini vim intulit, & feliciter prævaluit, petita impetravit: quia ea est vis orationis, ut Numen sibi conciliet, gratam ei vim inferat, ut votis suis annuat; & eò est validior, quò uberiùs lachrymis madet; Numinis auribus non sonant verba artificiosè composita, sed lamenta, & fletus; non lenocinia verborum Deum in nostra flectunt vota, sed precantium lachrymæ ipsum, ut ita dixerim, emolliunt, flectúntque.

29. Anna verba profert dolore interrupta, suspirijs, ac lamentis immixta, & ideo divinis insonant auribus grata. *Oravit ad Dominum flens largiter*; (1. Reg. c. 1) & quia flens oravit, Numen gemitibus in sua vota inclinavit; quia lachrymis maduit oratio, obtinuit, quod gemens petijt; oratio lachrymis irrigata viret in spe, efflorescit in re: quia ut ait Hugo. *Hæc est efficax oratio, quæ cum amaritudine animi fit*: quia *veraciter orare* addit idem Hugo ex D. Gregorio: *Est amaros in compunctione gemitus, non verba composita resonare*, parùm enim prodessent verba exornata, si lamentis destituerentur: si enim lachrymis madeat oratio omnem emollit duritiem, & Deum ipsum flectit in vota orantis: idque causæ, cur Anna Deum exorans auxiliatrices assumpserit lachrymas; quia oratio singultibus obarmata sua assequitur felicissimè vota; scitè Hugo expendens verba illa. *Oravit Dominum flens*: (In Lib. 1 cap. 2.) addit. *Hæc sunt duo brachia scilicet oratio, & lachryma, quibus Jacob luctatus est cum Domino. Unde Osee 12. directus est Jacob cum Angelo, & invaluit ad Angelum, & confortatus est, flevit, & rogavit eum*: nimirum ad speciem Angelus resistebat, sed lachrymosæ orationi paruit; & Jacob, ut etiam Anna, quod expetebat, obtinuit. Anna enim amaro animo pressa solatium ab oratione exposcit, quam fusis lachrymis profert; & fusæ lachrymæ omnem mersêre, deleverunt mœrorem, calamitatem: oratio siquidem

dem lachrymas elicit, quibus veluti fluctibus omnem mergit adversitatem; imò Anna oratione, & lachrymis probrum deterſit; si enim oratio, fuso lachrymarum imbre sterilitatem irrigat; fœcunditatem ei impertitur, quâ optatos producit fructus, quod enim natura denegaverat, Anna in orationis officina resculpserat: unde D. Chrysostomus suadens sterileſcentibus fœminis oratione, & lachrymis fœcunditatem promovere, pulchrè ait: *Orba hinc poterunt discere, quomodo valeant fieri matres:* quia ubi fervor orationis imbres elicit lachrymarum, quibus sterilitas irrigatur, virescit statim spes, & ipsæ lachrymæ veluti semina futuros spondent fructus. Oratio enim, si lachrymis madeat uberiores ad impetrandum vires sortitur; præsertim si oblectationi tempus subtrahatur, quod orationi concedatur, ut laudabiliter præstitit Anna, quæ horis pomeridianis, quæ solent animi concedi relaxationibus, templum adivit, genua flexit, & prece Deum in sua vota inflexit. *Surrexit Anna, postquam comederat, & biberat in Silo:* & cum post epulas otio, vel somno indulgendum esset Anna; horas pomeridianas lachrymis fundendis impendit, ac deprecationibus exprimendis; unde Chrysostomus: *quod omnes faciunt tempus relaxationis, illa fecit tempus deprecationis:* ideóque quia de indulgentia laxitatis, & de otio pomeridiano victrix, quod petijt, obtinuit, & in officina orationis probrum obliteravit sterilitatis: plerumque enim temporis circumstantia obsequium commodat orantis: Honestæ animi, & curarum relaxationis tempus orationi impendere, perinde est, ac precibus venustatem, & efficaciam adijcere: idque fortassis causæ, cur Jacob nocte intempesta decertans prævaluerit: *Invaluit ad Angelum:* quia tempus ipsum adjuvit, cùm non recreandis artubus datur, sed orationi impenditur.

1. Reg. cap. 1. — 1. Reg. cap. 1. — Osee 12. v. 14.

30. Non tamen efficax est oratio, si futilibus distrahatur evagationibus, *sæpe enim in ipso orationis sacrificio* ait Gregorius, *importunæ se cogitationes ingerunt, quæ hoc rapere, vel maculare contendunt, quod in nobis Deo flentes immolamus.* Unde Abraham, cum ad occasum solis sacrificium offerret, insistentes aves, non pertulit, quas studiosè, ne oblatum sacrificium raperent, abegit: sic nos, cùm in ara cordis holocaustum Deo offerimus, ab immundis hoc volucribus custodiamus, ne maligni spiritus, & perversæ cogitationes rapiant, quod mens nostra offerre se Domino utiliter sperat. Plures sunt, qui diu templis assistunt, precibúsque fundendis insistunt; sed non semel, cùm adsint ibi corpore, longè absunt mente; videntur stare immoti, & futilibus evagationibus huc, illúcque discurrunt: gaudere in portu videntur malacia, & obversantibus cogitationum fluctibus plures exagitantur in partes. Anna verò orandi methodum nobis præbitura, ita oravit, ut se in Numinis conspectum venisse attenderet, ubi enim dicitur: *Oravit ad Dominum.* D. Chrysostomus legit: *Oravit in conspectu Domini:* nimirum ita oravit, ut mereretur devota esse: ita oravit ut coram Domino adstare, non ignoraret. *Omnes quidem oramus,* ait Chrysostomus, *sed non omnes in conspectu Domini. Etenim cum corpore in terra prostrato, & ore frustra delirante; mens per domum, ac forum circumagitur:* Cum oraturi templum ingredimur de membris nostri corporis id instituamus, quod supplicantibus congruit, cùm genua flectunt, cùm manus extendunt, vel etiam prosternunt solo, quia tametsi nostra intentio, nostræ, quæ intus latent in mente, cogitationes Deo innotescant, nec ille exterioribus indigeat indicijs, quibus, quæ interna sit nostra voluntas, conijciat: hisce tamen membrorum externis prostrationibus magis se ipsos excitant ad orandum efficaciùs, gemendúmque humiliùs, ac ferventiùs precibus insistendum.

Lib. 2. Moral. cap. 19. — Lib. 1. Reg. cap. 1.

## §. IV.

### *Oratio ab importunis evagationibus libera; & æstu charitatis perfervida alexipharmacum est curandis animi morbis, improbísque corrigendis affectibus peridoneum.*

SI oratio ritè fuerit instituta, præsentissimum est pharmacum ad morbos præsertim animi curandos, pravósque omnes affectus sedandos; quia nihil efficaciùs reperitur ad hostium nostrorum conterendam rabiem, quàm orationis perseverans opus, cui propterea insistere tamdiu debemus, quamdiu in nos insurgunt noxij depravati animi affectus; plura enim sunt beneficia, quæ nobis oratio impetrat: per eam enim obtinemus citiùs, quæ à Deo desideramus: quandóque brevi oratione impetramus, quod diuturnis jejunijs, impensis laboribus, aliísque pijs operibus vix obtineremus: tametsi alia bona opera plurimum ad id suffragentur. Ideque causæ, cur si pericula immineant, si procellæ sæviant, si nubes fulmina intorqueant, si hostes cruentas minentur strages, si vitæ adsint discrimina, suppetias efflagitamus ab oratione, à qua & subsidium promptiùs speramus consecuturi. Si enim armatus hostis nos impetat, oratio non solùm clypeus est, quo ictus contundimus adversariorum, verùm & arma nobis suppeditat, quibus gloriosiores de hoste prostrato referimus triumphos: hinc Judith referente D. Augustino in officina orationis 31.

Serm. 28. de temp.

victricia sibi arma procudere scivit, quibus adversarios confligeret, & pavescentes viros fœmina vindicaret: quia ubi assiduis orationibus cœlum pulsatur, potentia semper calcatur armorum: quinimò ex mente S. Chrysostomi est oratio ecclesiæ murus, qui rumpi non potest, propugnaculum, quod expugnari nequit, munimentum inconcussum, dæmonibus formidabile, & orantibus salutiferum. Oratione, qui munitur, munimento cingitur, quod licèt pugnari possit, non tamen expugnari; quia oratio semper victrix hostes prosternit, qui contra orantem insurgunt, quia ut scitè D. Ambrosius. Oratio longiùs vulnerat, quàm sagitta; quia hæc nonnisi proximè conspectum vulnerat adversarium; oratio autem etiam longiùs positos, ac procul dissitos prosternit inimicos: Sic Eliseus Propheta, cùm eum vellet Rex Syriæ captivare, suæque subdere potestati, multisque eum armatorum cinxisset agminibus, non fuit perterritus, sed impavida fronte, ac mente serena dixit annuntianti puero: *Noli timere, plures enim nobiscum sunt, quàm cum illis*, quia nimirum oratio cœlites ipsos suam acciverat in opem, Omnia enim cœlestium armorum genera in divinis continentur precibus, quæ propterea eos semper tueri possunt, qui per fusas preces Deum enixim rogant, ut suum ipsis auxilium irroget. *Sola enim oratio*, ait Chrysostomus, *eos tueri potest, qui se Deo tradiderunt; nam peditum quidem vim, & robur, atque peritiam, sagittariorum experientiam, in prodendo hoste calliditatem, sæpe vel hostilis obtutus, atque adversariorum ardor animi, aliàque propterea inanem reddunt: at precatio telum est insuperabile, tutúmque præsidium, quod æquè multum unum, ac multa millia profligat.*

Lib. 2. de orat.

Serm. 1. de Elisæo.

Homil. 67.

32. Nil est; quòd magis Dæmonum exterreat tartareas legiones, quàm ipsa oratio, si fervens fuerit, & lachrymis maduerit; tunc enim totam averni rabiem extinguit, impetus retundit, & conatus irritos facit, imò ea est orationis vis, ut divinam etiam Nominis coërceat indignationem, quia ut ait D. Bonaventura. *Oratio similis est scuto, quod divina debemus indignationi opponere: nam sicut scutum prohibet illum lancea, vel sagitta; sic oratio servat à lancea, vel à sagitta sententia ira Dei, unde dicitur de Aaron, quod proferens scutum orationis restitit ira.* Nil igitur validius oratione ritè instituta ad hostes quosque prosternendos, pravósque omnes affectus coërcendos, & probos promovendos: est siquidem oratio temperantiæ custodia, castitatis propugnaculum, justitiæ scutum, charitatis fames, pietatis alimentum, clementiæ lac, spei pabulum, iracundiæ frœnum, elati animi depressio, ambitionis coërcitio, superbiæ repressio, & ad modestiam revocatio, iræ extinctio, odii pharmacum, invidiæ destructio, impietatis correctio, animi vigor, corporis robur, trophæum belli, tutela pacis, Regni potentia, dormientium custos, vigilantium confidentia, viatorum præsidium, periclitantium adjutrix, navigantium salus, agricolarum fertilitas, ægrotantium valetudo. Imò est oratio reorum patrona, vinctorum relaxatio, mœrentium consolatio, afflictorum jucunditas, lugentium solamen; oratio Deum placat, Angelos lætificat, sanctos recreat, cœlos penetrat, postulata reportat, terret dæmones, adversarios superat, hostes prosternit, vires reparat, & mentem corroborat.

Tit. 3 cap. 5.

## § V.

### *Benefico orationis imbre rigata hominis arbor, flores emittit virtutum, ac fructus exhibet proborum affectuum.*

33. REgius Vates virum pietatis studio addictum, hortaturus ad protrahendam orationem horis æquè diurnis, ac nocturnis ait Psal. 1. *Beatus vir, qui non abiit in consilio impiorum, sed in lege Domini voluntas ejus: & in lege ejus meditabitur die, ac nocte*, & hunc Beatum vocat, præsertim si ejus oratio lachrymis maduerit; quia tunc veluti arbor benefico rigata imbre fructus producit, quibus vescatur, & pinguescat spiritus, propterea subdit, *& erit tanquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo, & folium ejus non defluet, & omnia quæcunque faciet, prosperabuntur.* Quid quòd Propheta regius, cum virum dixisset beatitate donatum, eò quia in meditatione divinæ legis totum impenderit tempus diurnum æquè, ac nocturnum; statim sub irriguæ arboris metaphora ejus commendet præstantiam? Non me latet, plures ex Interpretibus in ea esse sententia, quâ hujus ligni ramos putent viros probos esse; & hujus ligni fructus virtutes, quas viri probi excolunt: flores dicunt innocentes esse, vel virginum choros, & folia prædicationes, ac sermones; sed quia hæc jugis oratio præcedit hanc mysticam arborem; priùs enim ait David: *Beatus vir, qui in lege Domini voluntas ejus, & in lege ejus meditabitur die, ac nocte*: & postea subdit, *Et erit tanquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo*, ideo nil dubium, quin hujus fœcundæ arboris radix censenda sit oratio, quæ beatitudinem impertitur oranti; sicut radix est plantæ origo; ita oratio radix est, quæ pulcherrimam hanc arborem tot floribus ornatam, tot frondibus ve-

Psal. 1.

Psal. 1.

venustem, tot fructibus fœcundam, eò firmiùs fundat, quò altiùs radix figitur humilior: sunt hujus arboris fructus virtutes, quibus vir asceta enixim studet, & sicut arbor ex radicibus succum attrahit, quo fovetur, nutritur, adipatur; ita ex oratione perinde, ac ex radice suum vir ascets alimentum attrahit, quo alitur spiritus, & fructus virtututm sua subeunt incrementa: appositè S Chrysostomus ait: *Neque sola temperantia salvare potest homines, neque cura pauperum, neque benignitas: sed oportet, ut omnia simul concurrant in animas nostras: caterum precatio, seu radix, & basis omnibus substernitur:* Ecce quomodo ex mente Chrysostomi sit precatio, seu oratio radix hujus arboris, quæ omnium virtutum uberem fructum fœcundè profert. Scilicet adeo oratio bonis singulis operibus opitulatur, ut virtutum omnium prosit actionibus; perinde ac radix singulis plantæ ramis uberem suppeditat humorem; est enim oratio virtutum omnium radix, quia sicut arbor excisâ radice arescit, & corruit; ita virtutum omnium apparatus, si fuerit oratione destitutus, perinde ac planta sine radice deflorescit, marcescit, arescit. Virtutes, si oratione destituantur, sunt veluti fructus in arbore excisis radicibus emortua, quia ut ait Chrysostomus, precatio ut radix, & basis omnibus virtutibus substernitur.

Lib. 1. de orand. Deum

34. Est igitur hæc arbor non solùm radice fulcienda; verùm & aquis orationis irrigandа; quia nisi hac unda mens abluatur, arescit, ac fructibus destituitur virtutum; sicut arbores præsertim tenellæ aquis irrigantur, ita oratione homines abluuntur; & nisi precibus irrigentur, fructus non valent exhibere, quia neque arbores possunt fructuosæ esse; nisi humorem radicibus ebibant: neque nos pretiosissimos pietatis fruges fundimus, nisi precibus irrigemur: quia verò, ut antea dixi, est homo arbor inversa, habétque sursom radices, eâ orationis aquâ irrigenda est hæc arbor, quæ terram non sapiat, sed cœlum spectet. Utilis est hæc orationis benefica aqua, quæ virtutum irrigat hortum, lilia fovet castitatis, rosas promovet charitatis, violas alit humilitatis; imò sicut squamigeri piscium greges, si aquâ destituantur, intereunt; ita homo absque orationum fluentis arescit, & emoritur, scitè D. Chrysostomus. *Si te ipsum precatione spoliaveris, perinde fueris, ac si piscem ex aquis extraxeris. Ut enim hic aqua vivit, sic tu precationibus: per has tanquam per aquam evolare potes, orbes cœlestes superare, & ad Deum propiùs tibi licet accedere.* Idq; fortâssis causæ, cur Conditor Deus ex aquarum fluentis volucres cœli maluerit educere, quàm ex terræ concreta crassitie, *Producant aquæ reptile animæ viventis, & volatile super terram, sub firmamento cœli*, quia cùm per aquam oratio significaretur, quæ homines in aves transmutat: sicut ex aquis extractus piscis emoritur; ita oratione destitutus vir necessè est, ut arescat, ac deficiat: sin verò alis muniatur orationis, in cœlum evolat, nec sub cœli sistit firmamento, sed cœlos ipsos penetrat, thronúmque accedit divinæ Majestatis, à qua petita impetrat; oratio enim in cœlum ascendit, & Dei miseratio in terram descendit.

Homil. 2. de precat. tom. 6.

Moris fuit, quò Hebræi manuum ablutionem orationi præmitterent, & in oratione manus elevarent, quò docemur in manuum ablutione maculas abstergere, quas delinquendo contraximus, quò mundi, ac puri vacemus orationi; per manuum in oratione elevationem instruimur sursum mentem erigere, nostrámq; intentionem ad solum Deum dirigere, & non sinere eam per ima creaturarum evagari. Moris hujus Hebræorum meminit Oleaster, inquiens: *Solent Judæi orantes manus apertas porrigere, quemadmodum Saraceni, ut Psalmista ait: In nomine tuo levabo manus meas. Quod se habere putant, ex eo, quòd in Exodo narratur de Moyse, quòd cùm manus suas elevaret, vincebat Josuah; si verò paululùm demitteret tunc, superabat Amalech: Quemadmodum lotionem manus ante orationem; ex eo, quòd dicitur de Jacob in Genesi, quòd cùm illi Domino litandum esset, præcepit famulis suis, mundamini, & mutate vestimenta vestra. Quam munditiam corporum, & vestimentorum litationi tribuebant Judæi.* 35.

In cap. 8. Isaiæ.

Orandum igitur est pura mente, & corde ab omni purgato noxa, quod est manus lavare, & brachia sursum elevare: sicut enim cum Moyses manus suas elevaret, victrices palmas metebat Josuah, & cùm easdem demitteret, victor surgebat Amalech; ita cùm in nos tartareus ingruit hostis, is à nobis vincitur, si nostra in cœlum elevetur oratio; vires autem acquirit, si nos armis destitutos deprehendat orationis; nil siquidem est, quod magis tartareæ legiones extimescant, quàm piorum orationes: hinc David horis surgebat antelucanis orationi vacaturus, cujus clypeo muniretur contra maligni spiritus insultus, *Manè astabo tibi*, imò non solùm manè, sed quovis tempore insistendum est orationi, cum omni tempore tartareæ legiones contra nos insurgant; hunc si orationis clypeum eis objiciamus, eorum impetus retundimus, ac nequissimos statim abigimus spiritus. 36.

Psal. 5.

Non abs re fore duco in hujus confirmationem hic attexere, quod refertur de ca- 27.

In specul. exempl. v. Oratio exemp. 13.

cacodæmone, qui cum speciem venusti, & elegantis adolescentis assumpsisset, ad militem accessit quendam, cui sua obtulit obsequia, ac famulitium; & ut probæ videbatur militi esse adolescens indolis, gratum ei fuit exhibitum obsequium, & in famulum suscepit. Cœpit igitur militi diligenter servire, & quidem tam fideliter, ac jucundè, ut herus non satis miraretur; nunquam suum ascendit equum, vel descendit, quin famulus paratus esset, flexóque genu stapedam teneret, se jugiter providum, hilarem, & paratum ad omnia obsequia exhibens. Cúmque herus equitaret, præirétque pedestris famulus, & ad fluvium plenum alveo devenisset miles ab hostibus ad internecionem insecutus, dixit famulo: heu actum est de nobis mortui sumus, inimici mei post me festinant, & aquarum redundantia ex opposito est, omnémque mihi fugam prohibet, nec possum imminens evadere discrimen, cùm nullus ampliùs supersit refugij locus. Sed tunc famulus subridens, macte animo mi here, omnem à te timorem excute; benè novi fluminis hujus vadum, digneris tantùm me sequi, fluvium tuti trajiciemus, & quod imminet periculum, feliciter evademus; & quamvis miles secum cogitaret, imò & judicaret, famulum nunquam alveum transvadasse fluvij illius; spe tamen evasionis illectus suum secutus est prævium famulum, & ducem, qui citra omne periculum fluvium trajecit, ijsdémque transpositis hostes ex opposita ripa non satis mirari potuerunt, quomodo potuerit homo ille fluvium transvadare, & fuit, qui diceret, certè non alius, nisi Diabolus eum transvexit, & non ausi fluvium trajicere ob submersionis periculum, reversi fuerunt. Neque ultimum fuit, quod hero suo famulus impertivit beneficium, cùm enim militis uxor, adeò graviter decumberet, ut conclamatum esset de ipsa, eò quia omnes medicorum artes, & pharmacorum beneficia defecissent; dixit iterum famulus hero, summè doleo, quòd Domina mea sit mox defectu opportuni pharmaci moritura, quæ tamen, si leonino inungeretur, lacte, illicò pristinæ restitueretur sanitati: cúmque miles responderet, & undénam possumus hoc in loco lac nobis acquirere leoninum? cui famulus, si jubeas post modicum tempus ego adferam; permisit herus, ne sua moreretur uxor, ut famulus, sicut spoponderat, iret lac allaturus leoninum; quid ni? post unius horæ spatium reversus famulus vas secum attulit lacte plenum leonino, quo cùm fuisset uxor peruncta, licèt jamjam ageret animam, cœpit illicò spiritus excitare, pristinúmque recuperare vigorem, ac ne sanitati restitui.

18. Miratus tamen miles, famulum interrogavit, undénam tam citò potuerit lac illud leoninum acquirere, cui respondit cacodæmon de montibus illud Arabiæ attuli; recedens à te statim in montes sui Arabiæ profectus, & leænæ specum ingressus catulos abegi, matrem mulsi, cujus lacte vas illud, quod vides implevi, & Euro citiùs ad te reversus sum, quò jussui obtemperarem tuo, simulque opem ferrem uxori tuæ. Obstupuit tunc miles hæc audiens, cúmque interrogavit, quisnam esset, qui tam citò posset per tot locorum intervalla, regnorum, ac Provinciarum spatia transvolare? respondit famulus, rogo mi here, noli de hoc esse solicitus, scias me tuum servum esse, hoc tibi sit satis: sed cùm miles adhuc instaret, velétque scire, quisnam esset, tandem respondit famulus, ego sum cacodæmon, unus scilicet ex illis, qui è summo cœlo unà cum Lucifero deorsum in ima tartari miserè ceciderunt. Tunc impalluit herus, & stupens subjunxit: si tu, ut dicis, dæmon es, cur ergo tam fideliter, ac promptè inservis homini? cui dæmon, quia mihi volupe est, & ingens solatium esse cum filijs hominum: cúmque miles subjungeret, se ampliùs non audere ejus uti servitio; rogavit iterum enixim famulus, ut eum non dimitteret, eique spopondit, nunquam à se, vel propter se aliquid eventurum mali. Non audeo, iterum dixit miles, sed quidquid pro mercede tua à me petieris, licèt dimidium bonorum meorum libens tradam tibi, quia nunquam homo homini tam fideliter, támque utiliter inservit; siquidem te duce juxta fluvium periculum, quod mortis imminebat feliciter evasi; per te uxor mea jam conclamata pristinæ fuit sanitati restituta: sed ad hæc dæmon: ex quo tecum esse non potero, nil pro servitio meo, nisi quinque solidos requiro, quos cùm recepisset militi restituit, dicens: peto ut hoc pretio nolulam compares, quam super tectum colloces, & suspendas illius pauperis, ac desolatæ ecclesiæ, quò audito ejus pulsu saltem diebus dominicis fideles ad divina convocentur officia, & hisce dictis illicò disparuit. Eatenus autem id petijt cacodæmon, non ut populum ad divinas concinnendas laudes accerseret, quin potiùs ut à fervore eum averteret orationis; ut nimirum, qui hactenus debitam horam officij prævenientes cum summa devotione expectabant, & orationibus cæteris præveniebant, eò quia timerent tardiùs venire ad divina mysteria, imposterum nonnisi post auditum nolulæ pulsum accederent ad ecclesiam, sicque cessarent à prævijs illis fundendis precibus, quibus cæteros consueverant prævenire cum Davide summo mane astantes Deo.

19. Complacet sibi Deus nostris precibus, si non tepidi, non segnes, sed soliciti, & ferventes eas fundamus; imò ex monito Apostoli, si nunquam à sacrificio cessemus orationis; non tamen luridè hoc peragendũ est sacrificiũ, sed mente submissa, animo fervente, spiritu ardente, ut fuit illud orationis sacrificium, quod filij Israël contra Holophernem urbem Betuliæ obsidentem instituerunt. *Ut viderunt vul-* Judith. v. 4.

*ti*

*situdinem illorum, prostraverunt se super terram mittentes cinerem super capita sua unanimes orantes, ut Deus Israël misericordiam suam ostenderet super populum suum*, ubi quatuor occurrunt notatu digna in hac Israelitici populi ad Deum fusa oratione: primò enim quia obsidione vallati, & extero cincti milite imminens vitæ discrimen cognoverunt, & urbis direptionem timuerunt. Secundò quia prostraverunt se super terram, seu frontibus terræ pulveres verrebant ostensuri animi submissionem, & cordis humilitatem. Tertiò, quia pœnitentiam agentes cinere caput cooperuēre. Quartò, quòd unanimes, oraverint, & quidem tota animi attentione, totáque spiritus contentione. Is siquidem attentè, ac ardenter preces fundit, qui quanti momenti rem peragat, haud ignorat. Quid ni si intelligeremus & nos, quanti sit momenti preces ad Deum fundere, cum Deo nostra miscere colloquia, cum divina familiariter agere Majestate, muscas certè omnes statim abigeremus, seu omnes futiles excuteremus mentis evagationes, & unicè huic orationis sacrificio intenderemus attenti. Non enim ad conciliandam attentionem minùs efficax reperitur divinæ celsitudinis consideratio, quam agnoverunt Israelitæ cùm se humi abjecēre. Non enim sufficit solo interno animo Deum revereri; verùm & ab externo corpore hoc idem præstandum est, ut quam mens reverentiam intus concipit, eandem membra corporis exteriùs prodant.

41. Ad ritè autem hoc orationis sacrificium peragendum efficacissimus deprehenditur cinis capiti inspersus: est siquidem cinis inspersus capiti, qui memoriam solet mortis refricare, & qui ita orat, ut ita orâsse cuperet acturus animam, de mentis futili quavis facilè triumphat evagatione: cinis enim vanas compescit cogitationes, importunas coërcet evagationes, & menti frœnum injicit. Demum Israëlitæ unanimes orârunt, ut Deus Israël misericordiam suam ostenderet super populum suum; quia unanimitas orantium plurimum orationi prodest. Oratio enim multorum præsertim pœnitentium præpotens est ad flectendum Deum in vota orantium; licèt calamitas urgeat, hostes minentur, excidia immineant; oratio tamen multorum præsertim pœnitentium sursum ascendit in cœlum, & divinam in terris accersit misericordiam, filii enim Israël timentes Holophernem *prostraverunt se super terram mittentes cineres super capita sua unanimes orantes, ut Deus Israël misericordiam suam ostenderet super populum suum*, licèt immineret excidium, urgeret calamitas, quia tamen Israëlitæ suas ad Deum preces fuderunt; suas diffudit DEUS in terra miserationes. Tunc cœperunt inspersò capiti cinere pœnitentiam agere, & unanimiter ferventer orare, cùm excidium iminebat: calamitas enim gymnasium est, in quo fideles orare addiscunt; ut discamus & nos, non esse, quæ nos premunt calamitates, vigoris deliquium, nec virtutis defectionem, sed ad divinam impetrandam opem efficax incitamentum: si enim ritè discamus uti oratione, quæ nobis fellea videntur, condiri statim possunt, ac esse mellea, quia ut scitè Cassiodorus: *Erigi plus merentur, quos fortiùs sua adversa presserunt*, quia quæ nobis adversantur, si muniamur oratione nobis favent, nec sunt nobis exitio, sed solatio; hinc si acri calamitatis flatu agitemur, non inde debemus animo cadere, sed armis muniti orationis erecta mente, ac inconcussa pectoris firmitate decertare; pugnandum est de genu; si calamitatibus obruamur, si enim orantes prosternimur, surgimus triumphantes, validiores è genu, quàm è brachio vires resumimus; si enim genu flectimus orantes, manum erigimus ad palmam; si frontem in humum dejicimus, animos ad victoriam erigimus, virésque ad pugnam novas assumimus: oratio enim non solùm illatam a dœmone injuriam vindicat, sed illustrem etiam reportat victoriam: tempestas ipsa nos urget, non ut in scopulos impingamus ad naufragium; sed quò celerius ad portum appellere salutis valeamus beneficio orationis, quæ veluti prævia fax iter nobis ostendit salutis. 2. Variar. cap. 11.

Discamus igitur orare, ut possimus de ipsa calamitate nobis prosperitatem excudere: non sustinet divina pietas quidquam denegari piis afflictorum desideriis; neque gratam vim passa novit unquam multorum fletui obsistere, quia ut scitè Cassiodorus: *Ne eorum desideriis abnegatis vulnus geminetur afflictis, & quod nefas dictu est, qui dolorum nubila nostra semper serenitate detergimus, nunc miseris pias lachrymas denegare videamur:* oratio enim si lachrymis madeat, vim quandam & quidem Deo gratam ipsi infert omnipotentiæ, & flammas sopit divinæ indignationis; non enim ardor divinæ iræ valet in preces lachrymarum imbutas imbre: unda siquidem lachrymarum, vel Numinis justam extinguit iram, vel saltem impetum temperat flammarum. Utilis est calamitas, quæ ad clamandum adigit, est enim clamor iste precarius, qui divinas demulcet aures, Deúmque ad opitulandum inflectit. Israëlitæ durissimè premebantur calamitate, iniqua Madianitarum pressi tyrannide, ac omnibus destituti subsidiis ad vitam pertinentibus: & quia suppetias poscere ex armis non valuere, loco armorum pœnitentiæ cinere se muniērunt, cervices suas humiliârunt, & suas preces, clamorésque precarios ad Deum miserunt: *Humiliatus est Israël valdè in conspectu Madian, & clamavit ad Dominum postulans auxilium contra Madianitas, qui misit ad eos virum Prophetam:* nimirum refertur injuria oppressionis, ut precarii clamoris agnoscatur efficacia: qui igitur ingruentibus calamitatibus ferventiùs edocentur clamare, hi felicitatem sibi in officina orationis procudunt, & si oratio lachrymis madeat, hoc imbre feliciùs irrigantur palmæ ad victoriam Israëli- 42. Ibid. Jud. cap. 6

Israëlitæ licèt Madianitarum oppressi tyrannide, quia tamen humiliati didicêre ad Deum clamare, ac opem contra Madianitas petere, ipso clamore precario validiùs pugnârunt, ac expugnârunt Madianitas, quàm si ferreis fuissent armis muniti; clamoribus enim precariis victoriam accersivêre, & triumpho illustriùs resplenduerunt. Felicitatibus cum opplerentur Israëlitæ gravissimum patiebantur rationis letargum, & à virtutum deficientes studio ad indulgentias proniores fiebant vitiorum: cùm verò multiplicibus cœpêre inimicorum irruptionibus vexari, letargum excussêre, & propriam mox cognoscentes miseriam precariis clamoribus divinam cœperunt misericordiam rogare, quæ orantibus opem suam præstitit.

42. Non tamen labiorum tantùm debet clamor iste esse, ut Numinis demulceat aures; sed & cordis, ut nimirum orantes non tam ore, quàm corde Deo adstent cum Davide *Manè astabo tibi.* Tam enim refellit Deus labiis sine corde orantes, quàm corde deprecantes, & sensibus divagantes: vult nos æquè corpore, ac animo; ore, ac corde sibi intentos, & nobis attentos; tunc enim nostra oratio suaviter olet, & ejus odor haud ab illo sponsæ abludit: *Odor vestimentorum tuorum sicut odor thuris*, orantis igitur habitus perinde ac vestimenta sponsæ odorem debent exhalare, & id contingit, quando æquè os, ac cor, æquè sensus externi, ac mentis cogitationes olent ipsam orationem; seu ita orans tum corpore, tum mente se componit, ut singula corporis membra, omnésque sensus videantur orare: seu ea debet esse sanctitas, reverentia, & attentio animi orantis, ut exundet vel in vestes. Non tamen oratio olere debet timorem servilem, sed amore debet filiali flagrare: oratio enim, quâ Israëlitæ Holophernem timentes suppetias à Deo rogârunt servilis fuit, quia Holophernem potiùs timuerunt invadentem, quàm Deum amaverint adjuvantem; & oratio quæ timet, ipsa timenda est, non enim stabilis, & inconcussa manet, sed si fugiant hostes, & ipsa subducitur, & qui fuit capiti inspersus cinis, statim dispergitur, fœdúsque oculorum solvitur, ac frænum disrumpitur aurium, ubi oratio ex solo hostium metu conciliatur. Oratio constans, & mascula esse debet, qualis fuit illa Davidis, cum dixit: *Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo*, nimirum triumphantis Davidis fuit oratio; & trepidantis Israëlis fuit, quæ ex timore Holophernis prodiit.

43. Id interest discriminis inter orationem triumphantis, & trepidantis; illa enim Deum præ oculis habet benefacientem, & amorem ingerentem; hæc Holophernem timores incutientem: Israëlitæ, *Ut viderunt multitudinem eorum, prostraverunt se super terram:* David verò, quia Deum solum sibi in mente locaverat, ait: *Dirigatur oratio mea in conspectu tuo:* quia nimirum cum preces funderet, non propria timuit pericula, non mala satagit imminentia declinare, sed solus Deus pro muro ipsi fuit, & ejus vultus non permisit eum evagari extra se; Numinis pulchritudo, ac splendor mentis nebulas omnes dissipavit, ut æquè mente, ac labiis psalleret; sciebat enim Deum demereri victimis à quavis purgatis labe, defœcatis macie, ac prorsus impollutis, quapropter aiebat: *Deprecatus sum faciem tuam in toto corde meo*, tunc enim Deum toto corde deprecamur, cum quidquid Deus non est, è nostro corde abigimus, illúdque solo implemus Deo; si enim cor, cum Deum orat, exteriùs evagetur, non totum orat, quia partem sui futilibus dat cogitationibus. Quæ ex toto corde emanat oratio virgam imitatur Aaronis, quæ cùm non careret frondibus visa est simul vernare in floribus, & autumnum in fructibus exhibere: Oratio tunc à virga non abludit Aaronis, flore, ac fructu onusta; cùm neque externa caret corporis reverentia, tanquam virenti fronde; & simul floribus ornatur votorum, & fructibus cumulatur piorum affectuum, proborum operum, propositique adimplendi.

Psalm. 5. Cant. 4. Psalm. 140. Judith. 7. Psalm. 140. Psalm. 118.

## §. VI.

### Oratio humilis pravos abigit affectus, si importunas excutiat evagationes, & perseveranter Deo insistat.

44. SI mentem importunę circumstent evagationes, imitetur tunc orans Abrahamum descendentes super cadavera sacrificii volucres abigentem: *Abigebat eas*, non dicit, eas interemisse, sed abegisse, ne victimæ Numini sacrandæ quidquam contraherent maculæ ex enectarum avium fuso cruore. Plures sunt, qui psallentes muscas non abigunt, quas fastidiunt; sed enecant, & sacrificium orationis maculant, dum interrupta oratione caput, oculósque, huc, illúcque torquent, & quia muscam non abigunt, sed præfocant; peremptæ muscæ cadaver, seu imago illius turpis cogitationis, dum summo adnisu eliditur, cadaver relinquit, seu altiùs in mente hæret; qui enim fœdas, ac impuras cogitationes à se abactas non credunt, nisi eas interimant, profitentes, & oribus, & verbis, se ea nolle, quæ suggerunt; hi cadavera in se sepeliunt muscarum, quæ malè olentia orationem inficiunt: excutiendæ sunt, quæ circum nos orantes volitant muscæ; abundè scelus vincit, qui illud non approbat; qui enim non delectatur morosè, sed illudente sibi Venere impuras statim excutit obstrepentes cogitationes, satis dicitur Venerem conterere; siquidem consensus orantem captivat; non sensus fœdas cogitationes excutientem inficit; imò quò importunior est vitii illecebra, si vacans orationi eidem non assentiatur, eò fortiùs de venereo triumphat illicio hinc Siracides: *Cor sapientis in dextra ejus*,

Genes. 15. v. 11. Eccles. 10

*ejus, cor stulti in sinistra illius,* nimirum dicitur cor sapientis in dextera ejus hærere, quatenus ob sanctitatem propositi sibi finis, immobilis perseverat in precibus Deo fundendis: cùm è converso cor stulti in ejus sinistra esse dicatur, eò quia orando fluctuet, & de suo affectu Deum sitiente non lætetur, sed de cogitationum incursu, quas vel invitus sustinet, anxius quàm par sit, tristetur. Non igitur ad sinistram transferendum est cor, sed excusso timore dexteræ necesse est immobiliter hæreat, magis enim attendit Deus, quid orans diligat ex corde, quàm quid patiatur in mente; dummodo invitus id patiatur; quod solers adnititur excutere.

45. Quòd si tristitiæ non valeas molestias repellere, vacas saltem arcam trahentes imiteris; hæ siquidem licèt mugierint præ turbatione, non tamen substiterunt: quamvis silenti gemitu, & intimo corde ulules, non tamen à sacrificio debes orationis abscedere muscas aucupaturus. Memoriam subeat Lothi uxor retro respiciens, scelus Sodomæ exprobratura, & à Numine propterea percussa; & quia despuit, in salis abivit statuam: ne imposterum ei deesset, quo propriam condiret fatuitatem. Periit Lothi uxor, quia curiosiùs supplicium sceleris ausa est examinare: si semel ingressus sis orationis stadium, in eo perge, donec bravium accipias.

46. Idque suos edocuit Discipulos Magister Christus, cùm sacrificium, & oblationem pro hominum redemptione initiaturus ab
Luc. 22. oratione exordiri voluit: *Et positis genibus orabat.* Christus scilicet cùm jam completurus esset opus nostræ redemptionis oravit, ut nos doceret, frustra sperari vincula, suspirari crucem, desiderari victorias, & triumphos, nisi oratione præmuniti, inconcussâ pectoris, animique pugnemus firmitate. Præsumptioni datur non amori irruentibus accurrere hostibus sine orationis clypeo, quo eorundem ictus retundantur, & impetus coërceantur: etiam Petrus Princeps Discipulorum paratum se exhibuit, & in carcerem, & in mortem cum suo Magistro Christo lætus ire; & tamen cùm primùm orationem negligit, & in atrio prætorii confabulatur cum adstantibus trigescit ad ignem, & Magistrum deserit, à quo neque in morte sejungi promiserat. Dormivit, cùm orandum esset in horto Gethsemani, ut inde sciat quisque, non moriturum se pro Christo, sed promptiùs Christum cum Petro negaturum; qui orationem negligens, vel somno indulget, vel confabulationibus tempus impendit, quando sunt preces fundendæ, cùm pericula imminent, & hostes ad internecionem insequuntur. Vicit Moyses Amalechum, sed quia oravit. Expavit in atrio ancillam interrogantem Petrus, quia in horto orationem neglexerat. Timeat casum, qui præsumit triumphum, si orationem negligat. Nec sufficit, orationem inchoâsse, sed in ea perseverâsse, ad coronã perducit: sola enim perseverantia est, quæ coronat,

Thais meretrix sancti Paphnutii operâ ad frugem revocata, non ideo quia resipuit, & oravit, Deúmque exoravit cœlesti meruit beatitate donari, sed quia resipiscens, & orans humilis, & pœnitens perseveravit: tanta enim tenebatur anteactæ vitæ verecundia, tam se animo abjiciebat, ut Dei nomen non ausa proferre, id tantùm frequens repeteret: *Qui plasmâsti me miserere mei*, & hac sui demissione ad illum sanctitatis gradum intra annum ascendit, ut illustrem gloriæ locum, quem S. Paulus simplex in cœlo viderat, & Patri suo Antonio paratum crederet, vox de cœlo delapsa Thaidis esse dixerit, & quem esset intra quindecim dies felici morte consecutura. Plures sunt, qui rectè quidem incipiunt, sed malè perseverant: etiam ex Cœnobitis non desunt, qui asceteria ingressi sæcularium velint commoditatibus uti, otiari, & lautè vivere cupientes, cum susceptum vitæ institutum labores adferat, & commoda respuat; unde scribebat ad Martyras Tertullianus: *Vocati sumus ad militiam Dei: Nemo miles ad bellum cum deliciis venit. Nec de cubiculo ad aciem procedis, sed de papilionibus expeditis, & substrictis, ubi omnis duritia, & imbonitas, & insuavitas consistit.* Cap. 3.

Hinc Samuel militiæ sacræ dicatus novaculæ beneficium respuit, quamvis prolixa 48.
gravaretur cæsarie: *Novacula non ascender super caput ejus.* E converso Absolon, 1. Reg. c. 1.
cum onus aliquando deponeret, & tonsionis procuraret commoda, laqueum sibi ab eadem cæsarie parari expertus est, à qua quidquam noluit incommodi sentire. Nullis debet defectibus pollui, qui altaribus consecratur, sacris precibus vacaturus, sed totus debet Deo sacrari: virile nobis exemplum dedit Anna Prophetissa, quæ & petendi formam, & normam exhibuit vovendi; filium enim, quem esset susceptura, templo devovit, & novaculâ non attingendum promisit: *No-* 1. Reg. c. 1.
*vacula non ascendet super caput ejus:* quia nimirum novacula aliquid semper deterit, obradit, abscindit, unde Anna, nec capillum quidem voluit ab hostia imminui; ne displiceret diminutum, quod constabat, sacris esse altaribus consecratum, hinc Abulensis: *Votum* Quæst. 14.
*Annæ erat hîc duplex, primum erat, quòd filius ex ea gignendus ministraret semper coram Domino omnibus diebus vitæ suæ. Secundum erat, quòd observaret ritum Nazareorum:* moris erat apud Nazareos quò ne pilum quidem novaculâ obraderent; primi enim ritus erant, quòd Nazaræi nec vinum biberent, nec siceram gustarent, nec quid aliud, quod posset ebrietatem invehere, demitterent in stomachum, ne in caput ascendens vertigines induceret, ac fœdam adveheret ebrietatem: imò nec uvas comederent virides, aut siccas, nec quid ex uva exprimeretur; & quòd nunquam tonderentur, nec novaculâ capillos obraderent. Hinc Anna, ut suum Numini oblatum munus placeret

gra-

gratius, offerri voluit integrius. Quid ni minùs placet ea oratio, quæ non integra, sed mutila futilibus scilicet truncata, ac discerpta evagationibus Deo offertur. Anna filium impetratura preces ingeminavit, nullísque deterrita difficultatibus, nullis detenta impedimentis, nullísque remorata obicibus constanter perseveravit, donec voti compos integrum ex integra oratione munus DEO sacraret, & altari consecraret, & quia constanter oravit, petitum obtinuit:
1. Reg. cap. 1. *Factum est, cùm illa multiplicaret preces coram Domino, ut Heli observaret os ejus:* non enim adstantes observatores verita est, sed Deum, quem enixim rogabat reverita, sicque beneficio orationis probrum delevit sterilitatis, & collabentem naturam instauravit, filiúmque enixim concupitum obtinuit: scitè Chrysostomus: *Scriptor geminam hic virtutem in fœmina comprobavit: in precibus assiduitatem, cùm ait, multiplicavit: & animi vigilantiam, cùm dicit in conspectu Domini:* institit enim, nec ab inchoata destitit oratione, adstantium oculos despexit, quia Deum sibi præsentem aspexit; ideóque ipsâ orationis perseverantiâ Deum ipsum feliciter flexit in sua vota.

49. Assueta triumphis victrix oratio nunquam orantes sinit prostratos cadere; fervens enim ad Deum oratio cœlos penetrat, ad thronum Dei ascendit, quò inde ad nos, quod petimus descendat; & præsertim si hostes irruant, oratio vires contra hostile robur impetrat; & si de pectore prodeat pudico pro enormi hostibus est fascino; & pro invicto precantibus est auxilio; & præsertim si rebellantes in nos contra spiritum pravi insurgant affectus, hos enim oratio compescit, sopítque; scitè Philo:
Lib. de somniis. *Quemadmodum doloribus, timoribus, alisque affectibus, malisque pressos favor, sedulitas, ac dexteritas amicorum sæpe refovet; sic nos sæpe, sed semper gravissima onera, quæ nobis imponit, vel corporis conjuncti necessitas, vel externus casus aliquis ex improviso irruens dimovet; præsentissimum sermonis, rationisve remedium affectibus, seu animæ vulneribus medendis oratio est saluberrimum:* nimirum quia contra hostile robur invictas Numinis vires sibi auxiliares asciscit, quibus obarmata oratio triumphatura ad pugnam procedit, tot lectura palmas, quot fusura preces.

50. Bellum Israëlitis indixerant Philisthæi viribus præpotentes, & ad pugnas magis instructi: quid ni Israëlitæ clypeis satagunt præmuniri orationis, è cujus armamentario, ad ineundam pugnam necessaria petunt, Prophetam rogant; *Ne cesses pro nobis clamare ad Dominum*, paruit roganti populo Propheta, qui precatorium ad Deum præmisit clamorem pro Israël, sed Prophetæ clamor, oratio populi terrori illicò fuit provocantibus ad bellum Philisthæis: *Intonuit Dominus fragore magno in die illa super Philisthiim, & exterruit eos:* oratio in cœlum ascendebat, & timor ad Philisthæos descendebat; illa viribus surgebat, hi animis cadebant; oratio Numinis aures demulcebat, & timor Philisthæos exterrebat; isti timore perciti epicedia sibi pangebant, illa victrix epinicium accinebat; oratio siquidem invicto armata robore non solùm adversarios deterruit, verùm & detriumphavit, appositè Abulensis: *Hoc erat ad exemplum Moysi, quando pugnaverunt Israëlitæ in deserto contra Amalecitas, quia tunc fuit Dux belli Josuë, & Moyses orabat ad Dominum, dum pugnabant Israëlitæ, erectis manibus in cœlum, & dum relaxarent eas, vincebant Amalecitæ Israëlitas; cùm autem haberet erectas vincebantur Amalecitæ:* & indicans rationem subdit, *quia tunc videbatur instanter orare; & cùm deprimebat manus, vincebantur Israëlitæ, eò quòd tunc videbatur cessare ab intercessione pro eis.*

1. Reg. cap. 7. — 1. Reg. cap. 7. — Quæst. 10.

Pugnabat Josue, sed validiùs ipso hostes expugnabat oratio, quæ & hostibus timorem incusserat, & vires ademerat: quò enim ferventior surrexit in cœlum oratio, eò enormiùs prostrati hostes ceciderunt in terram, cum enim oratio ferveret, stabat pro Israëlitis victoria, quæ tamen cadebat & ipsa, cùm inciperet oratio tepescere: fulcrum, quo victoria nitebatur, oratio erat, quæ cùm deficeret, non stabat victoria; & cùm ferventiùs staret, eò firmiùs hærebat victoria; ubi enim oratio fervens prodibat ab Israëlitis; robur fatiscebat Philisthinorum veluti sacro fascino præpeditum, ac illigatum. Confugerunt igitur Israëlitæ ad Samuelis orationem, cùm non dubitarent invictas esse orationis vires contra irruentium hostium impetus, dixerunt Samueli; *Ne cesses pro nobis clamare ad Dominum.* 1. Reg. cap. 7. Clamavit Samuel, & Philisthæos prostravit Israël, oratione validiùs, quàm armis. Orante Moyse pugnavit populus, & hostes expugnavit: orante Samuele percutiuntur Philisthæi, & Israëlitæ eò illustriores deferunt triumphos, quò ferventiores ad Deum preces funduntur. Nimirum quia fuderunt Israëlitæ victrices preces; Philisthæi prostrati sanguinem effuderunt; quia oratio semper victrix ubique de superato hoste triumphat. 51.



DIS-

# DISSERTATIO XVII.

## Oratio tunc robustior pugnat contra pravos quosque affectus, cum jejunio reficitur vegetior, & reliquis virtutibus armatur fortior.

### §. I.

*Languida & inermis est oratio, quam jejunium non reficit, & virtus non armat.*

1. T autem victrix triumphet oratio jejunio reficienda est, ac piis munienda austeritatibus; quia sicut deliciæ militare robur infringunt; ita oratio præmisso farta jejunio vires militantis ascetæ corroborat, additque animos ad hostium retundendas phalanges; eleganter Tertullianus *ad Martyras* conferens orationem cum Athletis in arenam descensuris, ait: *Athletæ segregantur in strictiorem disciplinam, ut robori ædificando vacent, continentur à luxuria, à cibis lætioribus, à potu jucundiore: coguntur, cruciantur, fatigantur, quanto plus in exercitationibus laboraverint, tantò plus de victoria sperant.* Deliciis indulgens miles hostilis cadit præda mucronis, nil enim vires magis enervat militares, quàm deliciæ, quæ & Annibalem apud Cannas fregerunt, ac fœdè prostrârunt; quò plus voluptatibus studet miles, eò ad pugnam fit inertior. Israëlitæ verò pugnaturi contra insultantes Philisthæos non ventri indulsêre, sed solemne jejunium præmisêre, refecturi ciborum abstinentiâ militare robur, & postea ad orationem confugerunt Samuelis: *Ne cesses pro nobis clamare ad Dominum.* Quid ni dum Samuel pro jejunis, & impransis clamat, æther in favorem jejunantium acriter pugnat, & palmis victricibus orantes coronat; nimirum oratione adjuti, jejuniis farti, austeritatibus vitæ armati, abstinentiâ refecti Israëlitæ lautè pransos, eósque deliciis assuetos prostrârunt Philisthæos: *Intonuit Dominus fragore magno in die illa super Philisthiim, & exterruit eos; & cæsi sunt à facie Israel*, appositè Tertullianus ait: *Dominus intonuit voce magna super eos, confusi sunt, & corruerunt in conspectu Israel, ceciderunt pastos impasti, armatos inermes: hæ sunt vires jejunantium DEO, cælum pro iisdem militat.* Nimirum pro abstinentibus à deliciis, pro vacantibus à luxuria, pro jejunantibus, precésque fundentibus armatur, & militat æther. Neque profuêre Philisthæis armorum congesti acervi, quos antea enervaverant voluptatis delinimenta, & depravatæ concupiscentiæ blandimenta.

Cap.4.

1.Reg.cap.7.

2. Oratio igitur prævio refecta jejunio victrix triumphat, quia cœlo confœderatur, quod pro orantibus, ac jejunantibus ad victoriam militat, pugnantes hostes expugnat; cœlo enim favente retunduntur irruentium inimicorum impetus, quin & irritæ redduntur dœmonum suggestiones contra armis jejuniorum, & orationis munitos. Sicut est oratio opima, quæ offertur Numini, victima; ita contra hostes tartareos nitentes arcem cordis nostri pravis expugnare affectibus, ac insultantium malarum suggestionum adoriri assultu, est arietis machina acerrima; quæ non solùm in tartarei hostis muros audet irruere; verùm & ipsos prorsus evertit; supplex, & humilis oratio Deum rogat, sed quò profundiùs humiliatur, eò altiùs ac illustriùs triumphat, & ipsa humilitate adversarium debellat: hinc moris fuit, quo orantes toto corpore in terram se abjicerent, & ventre in humum strato orationem emitterent, quo surgerent vegetiores ad pugnam, ac hostes prosternerent: & David ideo giganream Goliathi molem prostravit, hostes confregit, & cæteris illustriùs triumphavit, ac surrexit gloriosior, quia didicerat in pulvere se humiliare, & humi prostratus enixim Deum orare: *Quoniam humiliata est in pulvere anima nostra: conglutinatus est in terra venter noster*, ubi cum plura adduxisset noster Agellius expendens hunc Psalm. 43. scitè concludit: Nec ille quidem sensus alienus est, voluisse Prophetam animi, ac ventris inclinatione habitum orantium indicare, quò toto corpore abjecti supplicarent ore, & ventre in terram prostrato.

Psalm.43. v.25.

*In 1. Machabaeorum c.10.* strato, ut Machabæi, qui *Rogabant Dominum prostrati in terra, ut amplius talibus malis inciderent*: siquidem hoc flebili, ac supplici corporis habitu ad misericordiam Deum flectere studuerunt.

3. Cum igitur humilis in terram prosternitur oratio, vegetior tunc in opem nostram surgit Dei miseratio, quâ uberiores suppetias nobis tribuit ad hostes prosternendos: siquidem ubi populus humili, & anxia oratione oravit, DEUM exoravit, cujus ope Assyriorum exercitus corruit: *Ex toto corde suo omnes orabant Deum.* (*Judith 4.*) Cecidit Holophernes capite diminutus, quia ab humili surrexerat antea oratione, ac jejunio Juditha; fœminea manus jejunio, & oratione fortiùs armata, quàm gladio, caput prostravit, quod terrorem toti incusserat populo. Quàm efficax, & valida est oratio, quæ instrumento tam imbecilli, ut est manus fœminea exercitum totum vicit, ac fugavit Assyriorum? nimirum humilitas supplicantis elatos superat hostium ausus, & armatos prosternit exercitus: quapropter aiebat Tertullianus: (*De orat. cap. 15.*) *Nos non attollimus tantùm, sed etiam expandimus, & dominica passione modulantes, & orantes confitemur Christo*: & sicut Christus cruce expansus hostem prostravit, & de prostrato triumphavit: *Nunc Princeps hujus mundi ejicietur foras; & ego si exaltatus fuero à terra omnia traham ad me ipsum.* (*Joan. 12. v.31.*)

4. Ita oratio, cùm Christum cruce expansum imitatur, pravos quosque debellat affectus, noxias abigit concupiscentias, & Dæmonum suggestiones victricibus excutit precibus. Oratio expansis manibus, aperto corde, animóque fervente, dum funditur, crucem exhibet victricem, quâ & nos orantes hostes prosternimus: huc accersitur S. Ambrosius Serm. 56. inquiens: *Ipsius etiam incessus hominis, cùm manus levaverit, crucem pingit; & ideo elevatis manibus orare præcipimur, ut ipso quoque membrorum gestu passionem Domini fateamur*: sicut Christus cruce tartareos hostes debellavit, & de victa morte triumphavit: perinde & nos oratione expansis brachiis fusâ crucem objicimus hostibus, cujus ope eos profligamus, & pravos in nos affectus insurgentes prosternimus: hunc morem expansis brachiis humiliter Numen orandi viguisse apud primævos Ecclesiæ fideles refert Nicetas Chroniata inquiens: (*Lib. 1. in Andronico.*) *Supplices frondes exporrectis manibus gestantes apertis capitibus, nudisque pedibus nullo supplicum miserabili gestu prætermisso, submissa voce misericordiam flagitantes veniam consequuntur.*

5. Exulabat tamen frigus omne ab hac fidelium oratione, quæ aperto capite, expansis manibus, nudatis pedibus DEO fundebatur: quia ex corde contrito, & amore flagrante orta; perinde ac flamma sursum ascendebat, ut deorsum descenderet DEI venia. Olim ut in altari ignis semper arderet ex DEI jussu injunctum erat Sacerdotibus: quid ni? in ara animæ nostræ oratio non frigida, non tepescens; sed fervens veluti ignis ardere jugiter debet, ut monet Joannes Carpathicorum Episcopus in capitibus hortatoriis inquiens: *Ignis precum ad DEUM, & sacra meditatio eloquiorum spiritus super altari anima nostra semper ardeant*, (*Num. 94.*) ferueat igitur, ardeat, ebulliátque cor orantis, & cùm regio vate dicat: *In meditatione mea exardescit ignis.* Notatu est dignum, quòd orare idem significet, quod precari, & hebraicè fervere, ne scilicet fervor unquam ab oratione sejungatur. Oratio perinde ac ardens flamma in cordis nostri ara ita DEO offerenda est, ut omni terrestri sit defœcata affectu, & depurata sorde; ita oratio cœlum ascendat, ut nihil terreni secum adferat, quo ab ascensu suo pondere remoretur: sit oratio à quovis rerum terrenarum affectu sejuncta, ut omni eliminatâ immunditiâ, & sorde, cœlos penetret, & flammam imitata suo nixa fervore citiùs sursum avolet: idque causæ cur olim Sacerdotes ad altare accedentes sacra facturi, pura, nitida, & ab omni sorde depurata deberent vestimenta deferre: huc vocandus Origenes inquiens: *Altare est, super quo orationes nostras offerimus DEO, ut sciamus, quomodo debeamus offerre, scilicet ut deponamus vestimenta sordida, quæ carnis immunditia est, morum vitia, inquinamenta libidinum*, (*Homil. 9. in Levit.*) tunc est oratio nostra ab omni terrenorum affectu defœcatior, cùm non commoda corporis, sed quæ digna sunt DEO, postulat: quò majora sunt ea, quæ petimus, eò promptior est DEUS à nobis exoratus nostræ implendæ petitioni, quia ut ait Nicetas: *Dat DEUS jucundiùs, ac libentiùs, quàm alij accipiunt, dummodo non parva, & exilia, sed quæ digna sunt DEO, postulemus*: (*Comment. in orat. 40. S. Gregorij Nazianzeni.*) ea verò digna sunt DEO, quæ DEUM ipsum respiciunt laudandum, & glorificandum per creaturas: ritè is orare dicitur, qui terrenorum didicit oblivisci, imò & sui ipsius; eò quia non propria cupiat orans commoda; sed Dei unicè gloriam concupiscat, & qui ita orat, non hominum associatur frequentiis, sed Angelorum adsciscitur cœtui, & cum Angelis Numini laudes occinit. Angelica est nostra oratio, si nostræ obliviscatur humanitatis: angelicam induit puritatem, si naturæ humanæ exuat imbecillitatem. Huc vocandus D. Chrysostomus, ubi ait: *Dum oramus, humana natura obliviscamur, sed occupati mentis alacritate simul & tremore nihil respiciamus rerum præsentium, sed existimemus nos in Angelorum medio consistere, idémque sacrificium cum illis peragere.* (*Lib. 2. de orand. Deum.*)

§. II.

## §. II.

### *Oratio ritè peracta instar Davidica cythara perniciem Dæmoni, & medellam homini adfert, abigitque pravos omnes affectus.*

6. Nil ad Numinis impetrandam opem efficacius, nil hostibus prosternendis aptius oratione ritè peractâ; sicut enim cythara Davidica perniciem Dœmoni, & simul salutem adferebat Davidi; perinde oratio instar Davidicæ cytharæ, si harmoniam referat, seu ritè fiat, hominibus adfert incolumitatem, & dœmoni perniciem infert: pulsu Davidicæ cytharæ malignus spiritus desistebat intus Saulem extorquere: & oratio pravos omnes, qui in nos intus assurgunt affectus, coërcet, abigitque. Diuturna vallati obsidione, hostibus armatis otrinque cincti ingemebant Jabeseni; nec ulla eis spes periculi declinandi, salutisque assequendæ affulgebat, cùm hostis armorum peritiâ, ac militum ingenti copiâ prævaleret, & urbs obsessa præsidiario milite esset destituta, armisque ad propriam defensionem spoliata. Quid consilii in tanto discrimine? exiguo sibi concesso tempore, nuntios instituunt, mittùntque ad Saulem, & eas sibi auxiliares colligunt vires, ut qui eruere oculos dexteros tentaret, dextrum simul perdiderit, & sinistrum: *Concede nobis septem dies, ut mittamus nuntios ad universos terminos Israel:* imprudenter concessit Naas inducias ab obsessis petitas, & serò agnovit errorem duras expertus catenas: *Percussit Ammon usque dum incalesceret dies:* sed quid causæ? quod tam celeriter suppetias auxiliatrices sibi obsessi comparaverint ad robur obsidentium penitus delendum? Respondet Hugo Cardinalis: Nuntios ad Saulem missos anxios fuisse devotæ supplicis orationis; enixim orârunt, preces simul, & gemitus fuderunt; nimirum orationis fervore hostes prostrârunt, & imbre lachrymarum eorundem extinxêre aulus, simúlque victrices palmas, laurósque triumphatrices sibi irrogârunt: audiendus est Hugo Cardinalis: *Saul* ait ipse, *seu Christus populum suum ad se mittentem nuntios oratione liberat, ducens exercitum,* Jabeseni nbl suppetias ferventi, eáque lachrymis madida exposcunt oratione in urbe obsessa, veluti in officina triumphos sibi cudunt, at victrices coronas sibi conficiunt: & qui sine fusa prece oculis debuissent carere, orationis auxilio trophæis exundârunt: quia oratio non solum est clypeus, quo hostiles retunduntur impetus; verùm & armamentarium, ubi orantes quovis armorum genere muniuntur ad hostes prosternendos: & tunc valentior est oratio, cùm gemitibus associata, & à pluribus simul peracta in hostium castra irruit: quamvis humilis videatur oratio indiga, & lachrymis madens, illis tamen prævalet viribus, ut contra armatos non solùm pugnare audeat, verùm etiam eos expugnet, prosternat, ac vincat; imò videtur oratio quasi omnipotentiam laudabiliter æmulari; nil ipsa expavet, quia assueta triumphis hostili sanguine palmas sibi humectat. Nec mirum, si oratio adversarium vincat, cum & ipsum Deum quasi vinciat; etenim alloquens Deus Moysem ait: *Dimitte me ut irascatur furor meus contra eos,* quia scilicet Moysis oratio veluti vim quandam Deo videbatur quasi inferre, ejúsque iram coërcere; si enim orare destitisset, ab ira Deus non se coërcuisset, sed quia oravit Moyses, Deum tenuit, ne irasceretur, adeo est oratio affectibus omnibus coërcendis apta, ut etiam Numinis ipsius iram compescat, nec sinat DEUM irasci: appositè S. Hieronymus: *Cui dicitur dimitte me, ut irascatur furor meus ostenditur, quòd tenendi habeat facultatem.* Sicut fascinatio dicitur verbis, ut etiam incantatio robur illigare, membra sopire, manus vincire, & vires singulas corporis enervare; ita oratio videtur quasi divinam posse, si fas est dicere, omnipotentiam incantare, eámque detinere; ne ad infligenda supplicia, & ulciscenda flagitia feratur: scitè D. Gregorius: *Quid est servo dicere: dimitte me, nisi deprecandi ausum præbere.*

Lib. 1. Reg. 11. — 1. Reg. cap. 11. — 1. Reg. cap. 11. — Exod. 32. v. 10. — In Ezech. 13. — Lib. 9. Moral. cap. 9.

7. Parœmia erat apud priscos, *Nec Hercules contra duos*: sed quod Herculi non fuerat datum, orationi ultrò conceditur: ecce contra humi procumbentem populum stat columnæ innixus detestandis suffitibus adoratus vitulus, ex mulierum inauribus, annulis, aliisque ex mundo muliebri mutuatis ornamentis aureis conflatus; ardet in justas iras Numinis furor vindictæ appetens, & ad ulciscendum flagitium pronus; & tamen prævalet oratio contra culpam supplicia solicitantem, & contra æstuantem ad pœnas irrogandas vindictam. Quòd si unius oratio adeò valida est, ut Numinis justè conceptam iram coërceat, excitatum furorem compescat, & omnipotentiam quodammodo vinciat, & quæ flagitium solicitabat, supplicia ipsa sistat, ac omninò sedet; quid non erit assecutura multorum oratio, fletibus munita, gemitibus obarmata, & lachrymis veluti athleta in arenam descendens, ut oleo inuncta? referunt Jabesenorum Nuntii pericula, quibus subjiciuntur, & mala extrema, quæ imminent: Gabaonitæ charitate ardentes, oratione ferventes, lachrymas æquè, ac preces fundunt, & simul hostes confundunt; & quæ imminebant pericula surgunt in trophæa: prosternitur Ammonita lugens, cadit victus; surgit Jabesenus gaudens spoliis onustus: *Percussit Ammon usque dum incalesceret dies*, nimirum spreverat Naas, quæ comparari possent auxilia, quia ignoravе-

Lib. 1. Reg. cap. 11.

taverat, quantæ foret oratio efficaciæ, si enim ascendat oratio in cœlum, anditur statim in terris hostis prostrati lamentatio. Quid ni contribules precarios clamores in cœlum emisêre, & preces in terris gemitibus armârunt: 1. Reg. cap. 11. *Levavit omnis populus vocem suam, & flevit*; & jam de charitatis flamma eliquatus gemitus, non solùm affert Jabesenis salutem, sed adversariis cruentam etiam infert cladem; quia cùm Jabeseni preces suas fervore munitas, & lachrymis fultas miserunt in cœlum, pericula omnia averterunt, ac declinârunt in terris; ubi lachrymis veluti plumbeis excussis glandibus vulneratus periit Naas.

8. Precarius plurium clamor tartareas percellit legiones, & divinum implorat auxilium, ideóque perinde cacodœmones orationes exhorrent justorum, ac serpens ignem timet, ac fumum; odore enim, & fragrantia orationis pulsus Dœmon euro citiùs fugit, idque causæ cur Apostolus impensiùs Timotheo injunxerit, ne unquam à precibus fundendis desisteret: Ad Timot. 2. *Obsecro igitur primùm omnium fieri obsecrationes, orationes, & postulationes*, qnia ad divinam exposcendam opem nulla sit victima gratior. *Ei offerre* (aiebat Tertullianus) In Apologet. cap 30. *optimam, & majorem hostiam, quàm ipse mandavit, orationem de carne pudica, de anima innocenti, de spiritu sancto profectam*: quia oratio si de pectore pudico, si de corde mundo prodeat à quavis sorde desœcato, gratissima est DEO victima, & dœmoni ingens pernicies; quòd si precarins multorum clamor charitatis concordiâ, ac dulcis unitatis melodiâ resonet, tunc cacodœmones ingemiscunt præpediti, & sicut malus Angelus preces timet, quas justi fundunt; probus enixim orationem suadet; hinc Angelns Tobiam monuit, ut cum conjuge orationi incumberet; obtemperavit Tobias, & unà cum Sara preces fundens non solùm Dœmonem expulit, sed etiam Tobiæ 8. v. 4. illigavit, *Deprecemur Deum hodie, & cras, & secundum cras.* Quid tunc Cacodœmon solo prosternitur orationis odore, & vinctus oratione viribus spoliatur: Tobiæ 8. *tunc Raphael Angelus apprehendit Dæmonium, & religavit illud*; sed cur Sara orante non fuit dœmon constrictus, qui modò ingemiscit illigatus? qnia nimirum unà cum Sara etiam Tobias preces fudit, & clamor precatorius plurium dulcem invehit unitatis melodiam, quâ cœlites alliciuntur, & dœmones exterrentur, ac prostrati vinciuntur: supervenit oratio unitate obarmata, concordiâ munita, quæ jam captivam duxit captivitatem, & vinculis constrinxit dœmonem. Idque etiam causæ, cur ad clamorem precarium Israëlitarum ingemuerint Philisthæi timore perculsi, ac solicitudine perturbati: 1. Reg. 4. Quærebant Philistæi exterrefacti quænam esset vox Israëlitarum, quæ tantum inveheret timoris: *Quænam est hæc vox clamoris magni? timueruntque Philisthiim*, ingens erat clamor, & qnidem Philisthæis formidabilis non quidem clamantium multitudine, sed animornm conformitate, sed orantium unitate; ut enim conformem multorum audierunt clamorem, se priùs victos, quàm pugnantes credidêre, nt notat Abulensis inquiens: Quæst. 11. *Omnes Israelitæ uno animo invocaverunt DEUM, ut eriperet eos de manu hostium, sed non eripuit, quia peccata eorum demeruerunt.*

## §. III.

### *Unanimis multorum oratio validior est, viriúmque incremento adversa quæque superat, ac de fugatis, vel prostratis hostibus triumphat.*

9. ADeò efficax est vanimis multorum oratio, nt DEUM in sua flectat vota, & petita impetret: agens enim S. Cyrillus Jerosolymitanus de Simone Mago, qui deitatis nomen sibi usnrpans, & cum D. Petro Romæ decertans vi orationis fideliom in terram exanimos cecidit, ait: *Genibus provoluti servi DEI, & concordiam illam præseferentes, quam JESUS dixerat Matth. 18. si duo ex vobis consenserint de omni re, quamcunque petierint, succedet eis, & consensionis telum precum interventu in Magum ejaculati sunt, & in terram eum ejecêre*: ecce ea fuit multorum orantium concordia, & vis; ea orationis plnrium concordantium charitas, & efficacia, quâ Simonem DEI nomen, & Numen sibi vanè usurpantem è medio aëre in imum terræ detruserint. Pulchrè Tertullianus: *Cùm probi, cùm boni coëunt; cùm pij, cùm casti congregantur, non est factio dicenda ad dissidium, sed curia orantium.* Apologet. adversus gentes cap. 39. Appositè dicitur *curia* multorum ad orandum conventus; quia lites beneficio orationis in favorem semper dirimuntur precantium: pergit Tertullianus *coimus in cœlum, & congregationem, ut ad DEUM quasi manufacta ambiamus orantes*, dicitur oratio pia instari ambitione, quò innuitur, quàm audenter confidat, quàm actuosè negotietur, & quàm potenter, tametsi supra votorum fastum concupita extorqueat, idque causæ, cur Tobiæ, & Saræ preces Deum in eorum vota flexerint, & petita impetraverint: Tobiæ 3. v. 24. *Exaudita sunt preces amborum in conspectu gloriæ summi DEI, & missus est Angelus Domini S. Raphaël, ut curaret eos ambos, quorum uno tempore sunt orationes in conspectu Domini recitatæ.*

10. Efficax est, ac negotiosa concordans plurium oratio, cùm petita statim impetret; junior enim Tobias, & Sara orantes ambo simul, in summo discrimine sospitatem meruerunt impetrare. Juditha etiam cum Bethuliæ Proceres, reique sacræ, & civilis præsides in domum suam accersivisset, eósque ob intentatam urbis deditionem severiùs objurgâsset, responderunt ei Ozias, & Presbyteri. Judith. 8. *Nunc ergo ora pro nobis, quoniam mulier sancta es, ac timens Deum.* Verùm licèt pia, ac sancta mulier pro peccatoribus preces ad Deum funderet, quia tamen eam non latebat, quantæ sit efficaciæ, ad concupita impetranda, etiam à populo supplices poposcit preces, quas cives Numini funderent. Judith. 8. v. 34. *Quod facere dispofui, probate, si ex Deo est, & orate, ut firmum faciat Deus consilium meum:* nimirum multorum orationes expetijt Juditha, ut votum patriæ vindicandæ; & à milite obsidente liberandæ firmetur; quasi nutet largitio beneficij impetrandi, si eam concors multorum precatio non præcesserit, & instabilis sit felicitas, quam prævia multorum oratio non obfirmat: pulchrè Felix Ennodius adversus eum, qui victoriâ potitus prœmij nomine Vestalis virginis nuptias impiè postulaverat, ait. Controv. 1. *Quæro à te Heroa magnanime, quid de patria tua mali depuleris, si hæc, quæ timui victor optâsti? pereuncter utrum popofceris superet in illa necessitate fauteret? si fecisti perfunctus periculis, cur sacerdotibus eorum pro debita oratione minitaris? si non adhibuisti pia vota certamini, quid tibi debeo, quem sine precibus tuis generalis prosperitas comitate liberavit? si intelligis, multum est, quod debes Numinibus, si studuerunt supplici, majus si dederunt victoriam non petenti*, nimirum alienum à divina creditur esse providentia, quod concors multorum non extorquet oratio, ait Ennodius, simúlque arrogantem increpat victorem: *si non adhibuisti pia vota certamini, quid tibi debeo*, quia nutat victoriæ felicitas, quam unisona multorum oratio non fundavit: optata illa felicitas, quam præviæ multorum preces non stabilierunt, beneficij potiùs censetur titubatio, & fortunæ instabilis lusus, quàm firmus prosperitatis usus: si communis sit precarius clamor, si concors populi oratio, exoptatum citiùs accersit beneficium, illúdque firmiùs stabilit, quapropter Juditha curiæ præsidentes, & altaris Præfectos enixim rogavit, quò concordes, ac unanimes preces Deo funderent. Judith. 8. *Orate, ut firmum faciat Deus consilium meum:* & sicut Juditha firmiùs stabilivit suum votum precum accessione, ita Ennodius arrogantiam redarguit victoris, qui preces certamini non præmiserat: *si non adhibuisti pia vota certamini, quid tibi debeo?* quasi vana esset ea victoriæ felicitas, quam concors plurium oratio non præcesserit.

11. Hinc Christus suos docturus discipulos orationis efficaciam ait ipsis. Matth. 18. *Iterum dico vobis, quia si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re, quamcunque petierint, fiet illis à patre meo, qui in cœlis est, ubi enim sunt duo, vel tres congregati in nomine meo; ibi sum in medio eorum*, ubi notat Origenes, Christum non dixisse in medio eorum ero, sed *sum*, quia ubi *aliqui consenserint, Christus invenitur in eis*, & addit, hanc esse causam, ob quam non exaudiamur orantes, quia non consentimus nobis per omnia super terram, nec dogmate, neque conversatione: & æquiparat multorum orationem concentui in re musica harmonico; quia sicut in musicis, nisi concors fuerit vocum convenientia, non delectat audientes; ita in ecclesia, nisi consensum plurium habuerit oratio, minùs grata Deo contingit, qui voces non audit discordantium, vota non exaudit dissidentium.

12. Appositè plurium vocum pariatur oratio concentui, quia sicut constat harmonia plurium vocum modulato concentu, quo discors plurium sonorum concordia, summo, medio, & infimo tono ad musices aptatur temperaturam, & si qua ex his vocibus desit, vel absurdè obstrepet, totus harmoniæ corruit concentus, neque audientium ampliùs aures demulcet; sed potiùs ingrato strepitu pulsat: ita res contingit inter orandum, tunc oratio divinas veluti aures demulcet, eique grata obtingit, si plurium modulata vox, & concors concentus, eam promovet: alioquin inconditus est vocum strepitus, ac verborum confusus fragor, si à dissidentibus, & minimè concordantibus animis prodeat: hanc plurium consonantiam etiam Apostoli servârunt scientes precarium multorum clamorem, divinam veluti æmulari omnipotentiam in patrandis miraculis; hinc Petrus gressum restituturus claudo, quasi sibi non fideret, nec propriæ tantùm confideret orationi, socium accersivit Joannem, ut concors plurium oratio, id firmiùs impetraret, quod fortassis precibus unius tantùm innixum nutâsset. Act. 3. *Petrus autem, & Joannes ascendebant in templum ad horam orationis nonam, & quidam vir, qui erat claudus ex utero matris suæ bajulabatur, & huic dixit Petrus argentum, & aurum non est mihi, quod autem habeo, hoc tibi do: in nomine JESU Nazareni surge, & ambula*, cúmque hoc miraculum prodierit beneficio orationis, non quidem unius tantùm, sed plurium concordantium, cùm editum perhibeatur tempore communis in templo orationis, eiusdem debetur concentui; pulchrè Basilius Seleuciensis. Orat. 24. *Tunc temporis enim Petrus, & Joannes ascendebant in templum circa horam orationis nonam. Id primùm in dictis cognitu necessarium est, quod in tantam dignitatis celsitudinem evecti Apostoli orationem minimè neglexerint: nam ho-*

*mines cum essent, hoc, quoque petito præsidio egebant. Quòd si Apostoli precationis opem non excutiunt, sed perpetuis rerum usibus necessariam supplicationem ostendunt; quantum nos crimen incurrimus, qui per incuriam hoc tam salutare projicimus viaticum?* Appositè Basilius communem plurium orationem viaticum vocat, quò nimirùm fideles peregrinantes in hujus vitæ itinere ad cœlestem patriam reficiantur: est siquidem oratio, quâ, & nutrimur, & vires reficiuntur. Petrus igitur, & Joannes, cum fideles in templo communi vacarent orationi, & unanimes preces funderent ad miraculi incubuêre patrationem. An quia ars patrandi miracula ex officina prodeat, in qua non mallei incudem pulsantes obstrepunt; sed preces fidelium ad harmonicum editæ concentum aures demulcent? quasi multorum oratio ars sit edendi miracula. Quàm facilis igitur, quàm obvia, ac omnibus parabilis est hæc ars, cùm in potestate sit cujusvis cum alijs se ad orandum asciscere, est siquidem communis ad orandum conventus de consensione concors, & de efficacia veluti precariè omnipotens, cùm petita omnia impetret.

13. Hinc Christus modum orandi suos edocturus Discipulos non alio voluit eos nomine Deum orare, quàm Patris. Sic orabitis: *Pater noster, qui es in cœlis, sanctificetur nomen tuum:* nimirum vult Christus, ut non solùm nobis, sed etiam alijs beneficia exposcamus, & quò nostra sit oratio efficacior, vult à fidelibus fraterna necessitudine junctis, uni eorum communi patri preces fundi; quia, si plures filij enixim communem deprecentur Patrem, non denegant viscera paternæ charitatis beneficium rogantibus unanimi consensu filijs, quibus id dederat, quo possent Patrem rogare: scitè S. Chrysostomus expendens verba illa dominicæ orationis, *Pater noster, qui es in cœlis*, ait: *Qui Patrem dicit, & peccatorum remissionem, & adoptionem, & hereditatem, & fraternitatem, quæ est ad unigenitum, & spiritûs largitionem per unam hanc confessus est nuncupationem?* qui igitur Deum orans, patrem eum vocat; ejusmodi nuncupatione fraternitatem fatetur, cum reliquis fidelibus similiter orantibus *Pater noster, qui es in cœlis*; & cum ratione fraternitatis in unum coëant cœtum, voluit Magister Christus, ut multorum oratio ex pluribus coalesceret fratribus, ut efficacior esset apud Deum Patrem ad impetranda petita, quapropter ait Chrysostomus: *& spiritus largitionem per unam hanc confessus est nuncupationem*, quia orantium fraternitas spiritûs confitetur largitionem, quasi multorum precantium confraternitas de accepta jam largitione, sibi gratuletur: nam qui patrem orando nominat, fraternitatem dicit, & adoptionem, ac hæreditatem, seu spiritus largitionem; si tamen è corde mundo, & pura mente oriatur oratio: quia tametsi populus Hebraicus, suam in arcam collocâsset fiduciam, quam propterea veluti propugnaculum inconcussum consueverit exercitibus objicere: licèt eandem contra Philistæos adduxisset, non tamen tutelam fuerunt ab ipsa Hebræi experti, cum cruenta clade cæsi à Philistæis fuerint: nec immeritò ait Theodoretus; quia fuerant tunc Israëlitæ divinam legem transgressi, quæ cum clausa contineretur in arca; perperam Deum traxerunt in auxilium, cujus legem fœdè violaverant; ideòque cùm Hebræorum vota è mente pura, & corde à sordibus defœcato non dimanârunt, minimè arcam habuerunt adjutricem, cùm detur potiùs temeritati, quàm pietati ejus implorare auxilium, cujus leges violantur, ac dilacerantur.

Matth. 6.

Homil. 26. in Matth.

## §. IV.

### *Oratio ritè instituta hostium technas eludit de pravis triumphat affectibus, & gratam veluti vim Deo ipsi infert.*

VT oratio insidias arceat inimicorum, ac technas eludat tartarei hostis, necessè est, ut ritè instituatur; si enim è corde oriatur, à quavis purgata peccatorum macula, & divino æstuante amore, ac mente pura; quia tunc grata obtingit Deo, cujus quasi aures demulcet, facilè petita impetrat, & mira ubique operatur, quasi invictas ab ipsa omnipotentia mutuetur vires, quibus & ipsi Deo videtur quodammodo vim aliquam inferre, gratam tamen, & quâ Deus ipse delectetur, quapropter Tertullianus ait: *Coimus in cœtum, & congregationem ut Deum quasi manu facta precationibus ambiamus orantes, hæc vis Deo grata est.* Persæpe à mortalium irritata sceleribus divina inardescit ira, quæ tamen per fusas preces sopitur, & extinguitur, nonnunquam minatur Deus cruentas strages, funesta excidia: eò quia in homines indignationem divinam excitent repetita flagitia, quam tamen justorum sufflaminat oratio, quæ mira propterea semper operatur divinæ quodammodo æmula omnipotentiæ, quapropter Cyrillus Alexandrinus in Amos ait. *Vehementer sanctis opus est, servant enim urbes, & Regiones clade impendente liberant; iram Dei quantumvis ferventem vita claritudine retundentes, & impetus ejus iracundia incursantes nos quasi retrahentes:* quia preces, quas viri probi Deo fundunt irruentes in hos hostes confundunt, suntque veluti impenetrabile scutum, quo hostiles ictus retunduntur. 14.

In Apolog. cap. 39.

n. 16. prope fin.

Si persecutionum sæviant procellæ, & fluctus decumanis tumidiores nos videantur obruere, si Euri, Nothique in nostram efflent perniciem, oratio pharus est splendens, 15.

dens, & portus malaciam nocturnas inter cimmerias: si irruant in nostrum exitium hostes arma sunt preces inimicis prosternendis, palmisque legendis aptissima. Si fortuna fus, déque nostra omnia vertat, & odio nos insequatur novercali, oratio pristinæ nos restituit felicitati, quia ut loquitur S.
Homil. 5. de incompreh. Dei nat. Chrysostomus. *Aptissima arma oratio est, thesaurus certè perpetuus, divitiæ inexhausta, portus quietus occasio tranquillitatis, denique author, parens, fons, & radix bonorum omnium, & innumerabilium oratio est.*

16. Idque causæ, cur Deus pijssimus, at indulgentissimus pater, ut hominum commodis consuleret, tutandis à periculo profugis, urbes quasdam designaverit refugiorum.
Josue cap. 20. *Decreverunt Cedes in Galilea montis Nephtali, & Sichem in monte Ephraim, & Cariath, Arbe ipsa est Hebron:* censet Hugo Carensis per has refugij civitates orationē adumbrari, quia hæc ubivis locorum refugium est periclitantibus, si pericula immineant, ait Hugo in Josuë.
Ibi cap. 20. *Tres civitates ultra Jordanem significant aliud triplex remedium post baptismum scilicet jejunium, orationem, & eleemosynam:* quòd si delinquentes, ut à periculis se mortis subtraherent, manúsque evaderent satellitum accelerato gressu urbes contendebant refugij: ita si pericula imminent; si hostes in nostram armatos perniciem timemus; si tentationes urgent, & acerbi casus non modicum nobis inferunt detrimenti, ad asylum confugiamus orationis: quia si maria traijcientes cùm procella excitatur, fluctus intumescunt, & ventorum impetus navem exagitant, satagunt omni studio, & quavis solicitudine portum appellere, ut ibi ventorum impetus, & violentos fluctuum assultus declinent, & securi quiescant: ita ad orationis confugienes portum pericula declinant, & eludunt naufragium: & sicut procellosa traijcientes æquora, si negligant, obvium sibi portum appellere, fluctibus diverberantur decumanis, & procella exagitati, ac circumacti, vel in scopulos impingunt, vel ineluctabili submersione naufragium subeunt; pari ratione, si cùm intus æstuant pravi concupiscentiæ affectus, ac tempestatem cient, quæ lumen adimit rationis, & cor percutit, pulsátque, quasi trahens ad consensum, seu velnti impellens ad naufragium; negligat, hisce pravis pulsatus affectibus veluti fluctibus exagitatus orationis portum appellere, imminet tunc gravius periculum, & quasi naufragium patet ineluctabile.

17. Est enim oratio, quæ pravos quosque coërcet affectus, concupiscentias extinguit, iras compescit; Præ cæteris pravis affectibus, qui satrapas contra Danielem instigârunt, livida fuit invidia, quæ captiosas sæpiùs tetendit Danieli insidias, cúmque cognoscerent rem gratam se Regi præstare, eique placere, si molesti essent Danieli; cogitârunt impiè, eum leoninis extradere rictibus; & lacui, ubi famelici erant leones, committitur Daniel: Rex verò affectu intus compassionis tactus in Prophetam à lachrymis non potuit se temperare, imò & Deum oravit, ut à periculo in lacum demissum Danielem liberaret, *Deus tuus, quem colis semper, ipse liberabit te:* nimirum suppetias à Daniel. 6.
Numine exposcit, quibus Daniel à leonum subtrahatur voracitate: quid ni leones demissum in lacum Danielem non dente conterunt, sed linguâ lambunt; non ore vorant, sed labris osculantur, & propriam coërcentes famem ab exhibito sibi pabulo abstinent; quia Prophetæ quasi aspicientes justitiam non fuerunt leones ausi ullam ei inferre violentiam, nec adferre molestiam; quin potiùs blandis nutibus, osculis demulcentibus, gestibúsque adulantibus Prophetæ blandiuntur.

Quærit Tertullianus, an Danielis incolumitas, & ab illo imminenti periculo subtractio orationi tribuenda sit Regis Prophetæ compatientis; an Danielis sanctitati, quâ per virtutum culturam erat insignitus; & respondet, tantam esse efficaciam orationis, ut etiam prodita à Barbaro Rege ab imminentibus subtrahat periculis; nisi Rex orâsset, non evasisset Propheta voracem leonum dentem; præsertim, cùm diuturna fame fuissent ante à satrapis irritati; sed quia aliena obarmatus oratione, in lacum descendit, à leonina rabie eum oratio defendit, quæ & Prophetam munivit, & ferociam coërcuit leonum: vel quia ascendit in cœlum Regis oratio; descendit in lacum Dei protectio, scitè Tertullianus ait: *Danielem nullius præter Dei supplicem, & idcirco à Chaldæis delatum, ac depostulatum, statim utique conclusa, & usitata feritas leonum devorâsset; si Darij digna præsumptio de Deo falli debuisset,* cùm igitur Darius Rex dignè de Numinis præsumpserit auxilio; cùm suas in cœlum preces dirigit, è cœlo in lacum tutela descendit. Quòd si tantæ fuit efficaciæ oratio à Rege quamvis Ethnico in cœlum directa, ut in profundo lacûs à voracitate leonum valuerit Prophetam subtrahere: quantò validior, & efficacior erit, quæ à viris fidelibus, iisdémque justis funditur? si in opem dirigatur merentis, ac Deo grati: quia plerúmque nostra indignitas vires frustratur orationis. 18.
Adversus Gnosticos cap. 8.

19. Idque causæ fuit, cur S. Leo Magnus fusis ad Deum precibus Attilam coërcuerit delatis victorijs insolescentem, ac minitantem universæ Italiæ jugum imponere duræ servitutis: & idem sanctus Pontifex, tametsi Romæ oraverit, imò & fleverit, non tamen, ejus ad Deum fusa oratio impetrare potuit, quin Gensericus Romam cum suo exercitu ingrederetur, urbémque expilaret, ac plateas, domósque diriperet, ac cruentis funestaret excidijs: sed undénam utriusque eventus diversitas? non enim credendum

dum est, sanctum Leonem minùs efficaciter, ac ferventer oràsse Romæ ad coërcendum Genserici petulantiam; quàm propè Ticinum ad compescendam Attilæ insolentiam: quia sicut in annis profecerat, ita & in sanctitate excreverat, quâ in majori etiam merito erat apud Deum. Non igitur sancti Pontificis oratio minùs efficax fuit Romæ ad coërcendum Gensericum, quàm anteà fuerat, cùm insolescentem compescuit Attilam; sed quia Romanorum ingratitudo licèt non impedierit, ne S. Pontificis oratio in cœlum ascenderet; prohibuit tamen, ne Dei miseratio in ipsos descenderet; quin sanctus Pontifex in pœnam tantæ ingratitudinis, hanc Romanis prædixerat calamitatem: quia non solùm ob susceptum beneficium per repulsum Attilam nullam erga Deum exhibuerunt gratitudinem; verùm etiam impensiùs incubuêre theatris, spectaculis, aliisque profanis indulsêre voluptatibus, & gaudijs, quibus divinam iram exasperârunt: sunt enim theatra, quæ à Numinis templis avertunt, & ad omnem impudicitiam viam sternunt, & à Deo avertunt; unde S. Leo Papa loquens de hisce Romanorum spectaculis, ait: *Pudet dicere, sed necessè est, non tacere, plus impenditur dæmonijs, quàm Apostolis, & majorem obtinent insana spectacula frequentiam, quàm beata martyria. Quis hanc urbem reformavit saluti? Quis à captivitate eruit? Quis à cæde defendit? ludus Circensium, an cura sanctorum?*

*Serm. in Octava SS. Petri & Pauli.*

20. Intotqueri hoc idem potest in omnes, qui paratiores sunt theatris adeundis, quàm templis frequentandis, & ea adeunt loca, in quibus miserè cadunt, & ea fugiunt, in quibus per fusas preces erigerentur; *spernitur Dei templum*, ait Salvianus: *ut concurratur ad theatrum:* seu ad cathedram pestilentiæ, gymnasium incontinentiæ, officinam scelerum, orchestram impudicitiæ, campum iniquitatum, & agrum, ex cujus cultura nonnisi mala, & vitia germinant in perniciem colentium, quapropter Tertullianus definit *theatrum esse privatum consistorium impudicitiæ: ubi nihil probatur, quàm quod alibi non probatur:* siquidem id tantùm in theatro laudatur, quod extra theatrum est extra omnem laudem. Plura igitur sunt damna, quæ à spectaculis sunt expectanda, proinde ne expectentur, damnanda omninò sunt spectacula, quibus oratio sua frustratur efficacia.

*Lib. 7. de gubernat. Dei.*

*De spectaculis cap. 7.*

21. Non solùm oratio leonum rabiem in lacu coërcuit, ne quidquam inferret damni Danieli; verùm & flammas in fornace compescuit, ne pueris nocerent orantibus. Tres coævos adolescentes Dinastarum, & Optimatum Judæorum filios captivos fors Babylonem traduxerat, quorum indole delectatus Nabuchodonosor Rex Babyloniorum Chaldaicis, eos litteris, ac linguâ jussit instrui, ac mutatis nominibus Danieli Balthasaris nomenclationem dedit, Ananiæ Sydrachi, Misaëli Misachi, & Azariæ Abdenagonis, quibus cùm ad formæ gratiam, & ad speciei venustatem, vel augendam, vel conservandam lautiores dapes apponerentur; effecit Daniel apud Malasarem eorum moderatorem, Patriarum obtentu legum promiscuum ciborum usum vetantium, ut in mensam nonnisi legumina, & fontana inferrentur; qua victitandi ratione in experimentum decem dierum adhibitâ, non solùm nihil de oris detritum est venustate; verùm & supra cæteros Ephebos vegetiores æquè, ac venustiores apparuêre: cùmque Chaldaicis disciplinis satis viderentur imbuti ad regiam accersiti præsentiam specimen dederunt doctrinæ, quâ non solùm coævis, verùm & Magistris ipsis antecellere visi sunt: cùmque fama brevi per regiam spargeretur, magnam quidem admirationem apud Proceros, & alios excitavit, sed non sine comite invidiâ; quæ suos etiam in innocuos adolescentes venenum effudit.

Trigiota jam effluxerant anni, ex quo fuerant Babylone versati hebræi juvenes, cum præclara virtutis, ac scientiæ existimatione, cùm Nabuchodonosor imperij sui potentia insolescens, eò quia tantùm cæteris videretur regnis præcellere, quantum aurum vilioribus metallis antecedit; jussit, se in colosso propriam referente effigiem adorari, erat statua sexaginta cobitorum altitudine ex ligno laminis aureis ad operis uberiorem elegantiam, ac majorem firmitatem obtecto. Ad venerationem colossææ statuæ convocantur edicto, æquè populus universus, ac aulæ Proceres, & purpurati, quos inter erant Sydrach, Misach, Abdenago, statuæ circumfusi erant Symphoniaci cum omnis generis musicis instrumentis, capitis in eum pœna sancitâ, qui tubarum, ac timpanistriarum audito sonitu, non statim procumberet in genua regiam pro Numine adoraturus effigiem. Signo concentu instrumentorum dato, cùm tota multitudo se se cotam colosso prosterneret, genúque flecteret; erecti stetêre tres hebræi juvenes inconcussa pectoris firmitate, ac mira animi constantia negantes per sua sibi sacra fas esse cultum exhibere divinitatis ligneo simulacro laminis aureis obducto in extima superficie, obtestati se potiùs millies velle cruentam oppetere mortem, quàm sacrilegum patrare piaculum. Hæc mascula loquendi libertas omnium excitavit iram, præcipuè satraparum, quibus hebræorum apud Regem gratia tormentum erat. 22.

Capiuntur statim renuentes statuam colere, trahuntur in regiam, spreti mandati accusantur, & ad promeritam necem utpote regij edicti transgressores expostulantur 23.

tur, & cum Rex nil proficeret in flectenda constantia hebrææ virtutis, fornacem jubet Naphta, Stupa, pice, ac malleolis inflammari septulo vehementiùs, quàm fuerat consuetudo; crepitantibus jam flammarum globulis in fornace, videntur teterrimi fumi volumina sursum ascendere, & nigricantibus ignium vaporibus æther sordescere, & cum essent juvenes vestiti braccis, & tiaris persicis, manibus, pedibúsque ligati, illò precipitantur insontes. Sed ò divinæ prodigium potentiæ, cui vel ipsa famulantur elementa æquè ad clementiam, ac ad vindictam! heroes in fornacem injecti per medios fluctuantium ignium vortices inambulant illæsi, ne capillo quidem adusto, vinculis liberi, laudes Deo læta voce concinunt; propriæ obliviscitur flamma naturæ, & roscidæ mutuatur ingenium; undè non prunas videbantur juvenes accensas calcare, sed vernantes rosas serena fronte aspicere, ac ijsdem delectari; flamma in conum erecta triumphantibus obeliscum erigebat illustri exculptum victoria, quæ eò clariùs splenduit, quó flammæ ipsæ suos ei suppeditabant nitores: accessit quidem flamma, non læsura, sed veneratura juvenum constantiam; lambere vestes visa est, non ut noceret, sed oscula figeret; & quasi roris naturam imitata. *Fecit medium fornacis quasi ventum roris flantem*; sed cur flamma roscidam abijt in undam? quando leonum sævitia extincta non fuit? quamvis in lacu repressa, & coërcita, ne Danieli leonina rabies damnum inferret, ajebat ibi Daniel: *Misit Dominus Angelum suum, & conclusit ora leonum, & non nocuerunt mihi:* in lacu ideò fuit Daniel illæsus servatus, quia Angelus è summo cœlo deorsum missus ora conclusit leonum, eorúmque compescuit rabiem, sed in fornace ardente, ait: *Fecit medium fornacis, quasi ventum roris flantem*, ignis quasi propriam exuens naturam roscidam induit, quâ flos virtutis uberiùs rigaretur, & splendidiùs vernaret: sed quænam hujus discriminis causa fuit? non alia certè nisi ea, quam sacer textus innuit, inquiens: *Tunc hi tres quasi uno ore laudabant, & glorificabant, & benedicebant Deum:* ecce in fornace auditur oratio, cùm nullus in lacu insonuerit hymnus; in lacu oratio Regis Danielem munit; sed in fornace hymnus contra ardentes flammarum vortices pueros armat ad victoriam: & quamvis æquè in lacu, ac fornace oratio triumphaverit, clarior tamen ejus efficacia splenduit in flamma fornacis, quàm in lacu leonum, ut innuit Zeno Veronensis, inquiens: *Ubi jactati sunt in fornacem ignis ardentis, hos devotè cupidus ignis excepit: lambunt roscidos flammæ blandientes, mira res! opacitas intus, incendium foris est; intus hymnus canitur, foris ululatus auditur:* quia propius in fornace adfuit oratio, validiùs, & per se juvenes armat contra flammarum vortices; & ejus efficacia, eò splendet illustrior, quò flammis utrinque cingitur uberioribus; in lacu verò, quia oratio exterior erat in Rege scilicet deprecante pro Danielis incolumitate, valuit oratio cœlum ascendere, ac pulsare, sed inde exivit Angelus, qui pernicissimo volatu descendit ora conclusurus leonum, ne Danielem læderent: *Misit Dominus Angelum suum, & conclusit ora leonum, & non nocuerunt mihi*, non valuit oratio Regis Ethnici, seu Darij, per se ipsam leones coërcere, sed Angelum accersivit in Danielis suppetias, ne destitueretur effectu, quo exteriùs minùs efficax visa fuit: quæ verò in fornace fuit oratio edita per se flammas coërcuit: Daniel ope externæ orationis servatur incolumis, sed juvenes hebræi de proprijs precibus illustriùs coronantur in flamma, clariùs splendent in igne. An non refugij urbibus asciscenda oratio est, cùm intra devotæ orationis mœnia nequeat urgere periculum, & omne arceatur discrimen?

Daniel. 3. v. 49.

Serm. 5 de trib. puer.

## § V.

### *Oratio in favorem precantium in campum descendit pugnatrix; sed adversariorum, ac pravorum affectuum ascendit expugnatrix.*

QUos oratio munit, hos nulla conterit adversitas, neque ab ullis læduntur hostibus; imò descendit & 24.
ipsa oratio in arenam pugnatrix, quò palmas demetat victrices. Joanni ingens obijcitur signatorum exercitus, nimirum ex quavis tribu duodecim millia signati, imò & post signatos, pedissequam videt turbam, quorum dextræ palmis muniebantur victricibus; *ac palmæ in manibus eorum.* Quid quòd alij à palmis eripiantur triumphalibus, & solo signentur charactere, quò ab alijs non signatis secernantur? an quia signum sufficiens erat ipsis clypeus ad retundenda adversa quæque? ibi enim ajebat Angelus *Nolite nocere terræ, & mari, neque arboribus quoad usque signemus servos Dei nostri in frontibus eorum:* signaculo enim veluti impenetrabili clypeo ad arcenda nocumenta obarmantur, sed eorum dexteræ palmis non muniuntur victricibus, cum tamen alij veluti victorias jam adepti palmis insigniantur, & triumphis commendentur; & quænam hujus discriminis causa? cur non omnes eodem signantur charactere, vel ijsdem insigniuntur palmis? quia nimirum hi tantùm palmas in manibus deferunt, qui ore preces fundunt, quia oratio victrix palmis gaudet victricibus ornari,

Apocal. 7.

Apoc. 7.

Apocal. 7. quas ubique legit, ait enim Joannes. *Palmæ in manibus eorum, & clamabant voce magna dicentes: Salus Deo nostro, qui sedet super throno, & agno:* nimirum ubi cantus resonat orationis, ibi victrices surgunt palmæ, ibi plausibilis auditur triumphus: ubi verò nulla auditur vox, nulla sursum ascendit oratio, sed silentium altè colitur, ibi impresso signo tantummodo arcetur damnum; & licèt in cœlesti patria tranquilla beati cives fruantur securitate, nec ullum ibi periculum immineat; nec ulla discriminis solicitudo angat, adhuc tamen longiùs ab orantibus distat metus, cùm tacentes signo duntaxat muniantur, & clamantes triumphali insigniantur palmâ: scitè
In Apocal. 7. D. Ambrosius expendens præfatum textum. *Palma præmia sunt victoriæ sanctorum, qui & voce magna clamare dicuntur: salus Deo nostro, qui sedet super throno, & agno:* ideo igitur eorum dexteræ triumphali insigniuntur palmâ, quia eorum audiuntur voces orationis; quasi etiam in cœlesti patria in paradisiaco triumpho supplici orationi victoria debeatur. Quàm efficax est orationis energia, quæ etiam in cœlo à militibus signatis, turbas secernit orantium, quas victricibus insignit palmis? sed cur Angelus etiam quos palmis ornavit, & triumpho coronavit, non etiam communi signavit charactere? si omnes ad eandem spectabant rempublicam; cur Angelus alios duntaxat signat, & alios signi relinquit expertes? quia ut ait D. Ambrosius; alij preces fuderunt, cùm aliorum voces auditæ non fuerint: quos oratio munivit, hos nulla poterat adversitas lædere: ad pericula arcenda signum imprimitur ab Angelo: sed ubi oratio clamat, nullum signi vestigium datur, quia oratio sola per se pericula omnia arcet.

25. Ordinaverat David Rex acies suas contra hostiles phalanges, paratus ipse in prælium exire, quò regia præsentia milites ad pugnam exacueret acriorem: sed populus votis obstitit Regis, & devotam erga Principem ostendens affectionem ait. *Tu unus*
2. Reg. 18. *pro decem millibus computaris, meliùs est igitur, ut sis nobis in urbe præsidio.* Sed quali potuit populo esse præsidio Rex in urbe mansurus, cùm ejus virtus bellica in castris cæteros ad victoriam milites incitasset? cur Regis in urbe otium, dicitur decem millium militum superare congressum? si domesticos degens inter parietes non pugnat cum militibus, sed otio indulget cum aulicis; non laborat in campo, sed quiescit in thalamo; non vigilat in excubijs, sed dormit in culcitra? an non adulatio audita hic fuit, Principis exaggerasse virtutem; ac aliorum vires habuisse contemptui? sed non eredas, has populi voces de gutture prodijsse oris adulantium, sed devoto prolatas fuisse triumphantium: eatenus Regem optant in civitate manere, quò impensius possit orationi vacare; agnoscebant tantò sibi conducibiliores esse justi unius ad victoriam preces, quantò potuerint armatæ militum phalanges prodesse; & ideò una Davidis oratio supra decem millibus computabatur ad victoriam parandam efficax; habet enim paraphrasis Chaldaica: *Tu nos potes roborare, sicut nos decem millia. Et nunc bonum est, quòd ores pro nobis ex urbe ad roborandum:* quàm scitè orationem robur dixerunt exercitus? quia ubi oratio cum militibus, & pro militibus pugnat; manus erudit ad victorias; arma dirigit ad palmas, quas de prostrato hoste victrices colligit; ideóque Davidis in urbe preces, valentiores & aptiores vincendis, prosternendísque hostibus erant in urbe, quàm martio in campo emissi sagittarum imbres, vibrati telorum turbines: rati cives, Davidis oratione munitos milites quidquam non potuisse detrimenti pati; Regem rogant, ut sit ipsis in urbe præsidio: quia quos oratio munit, & charitas unit, nullum potest discrimen lædere; cum habeant pro se orationis propugnaculum, contra hostiles assultus, præsidio non destituuntur.

Orationis, qui fulciuntur præsidio, nullis fiunt periculis obnoxij, unde Cassiodorus ait. *Supplicandum nobis est beatissimi Patres, ut lætitiam, quam per vos Deo largiente percepimus custodiri nobis, vestris orationibus sentiamus: quis enim dubitet prosperitatem nostram vestris meritis applicandam, quando honorem adipiscimur, qui à Domino diligi non meremur, & permutatione efficaci bona recipimus, cum talia non agamus: Ecclesiasticis siquidem jejunijs fames est exclusa popularis, decoris lachrymis tristitia fœda discessit, & per sanctos viros acceleratum est, ut traheretur diutiùs, quod gravabat:* quia per fusas preces calamitas propulsatur, & omnis excutitur adversitas: est siquidem oratio divinorum armamentarium auxiliorum, cœlestium contra irruentes hostes exundans officina, & contra dæmonum technas, tutior cautela; ideóque ait Cassiodorus: *Vigor ille rationalis animæ nobis consilium præstet; facies veritatis albescat, nec mentem nostram innubilet caligo corporea; sequamur, quod intus est, ne foris à nobis simus; instruat, quod de vera sapientia sapit; illuminet, quod cœlesti claritate splendet:* sicut igitur oratio præsidium est, & munimentum contra adversitates omnes, hostilésque assultus, consequens est, ut hoc præsidio destitutus orationis, quantumvis armatos gladio, stipatus associato milite, quamvis campum ingrediatur pugnaturus, fiat hostium præda: cadit enim pugna, nisi surgat oratio, neque stat, nisi precibus fulciatur. Secus præsidio muniti orationis jam gloriæ quasi candidati hosti-

26 Lib. 11. variar. cap. 2.

hostiles non timent impetus, & victoriam sibi spondent, eò tutiorem, quò uberioribus, ac repetis fulciuntur precibus. scitè Tertullianus. *Illa Angelorum circumstantia non cessat dicere: sanctus, sanctus, sanctus. Proinde igitur, & nos Angelorum, si meruerimus esse candidati. Jam hinc cœlestem illam in Deum vocem, & officium cœlestis claritatis ediscimus:* oratio enim quædam est cœlestis beatitatis prægustatio, & qui orationi assuescunt, beatis adsciscuntur, & Dei opem ad se trahunt, quia ad Deum accedit orantis obsequium. *Lib. de orat. cap. 3.*

27. Duas scimus fœminas fraudulentis versutissimi serpentis technis impetitas, laqueisque irretitas: prima fuit Eva: deliciabatur hæc in paradisæis topiarijs, erat ea voluptas innoxia, quia serpentino carebat veneno; erat enim hortus ille ad omnem consitus amœnitatem, & supra omnes terrarum tractus ridens, simúlque & arridens, deliciarum quà corporis, quà animi refertissimus, ubi cœlum perpetua serenitate lætum nullo terrestri halitu, nulla tetra exhalatione fœdabatur, aër saluberrimus erat, & verna quadam temperatione semper æqualis, ac pacatus: & quamvis per quatuor tempestates cursum suum annus exigeret, cœli tamen clementia, & aëris salubritas varietatem ita temperabant, ut fastidium excuterent, simúlque lætam promoverent, ac gratam temporum mutationem, cùm nec illic iners, ac torpidum gelu, nec horridus rigor, nec amnes frigoribus conglaciati, nec montes nivibus albentes, nec campi pruina concrescentes, sed tepor quidam semper exhalaret, quo corpora placidè respirarent, & animi recrearentur. Ob id ad invidiam excitatus cacodœmon Evam adortus est quamvis divinis munitam præceptis, & innocentiæ armis protectam. Ingressus igitur serpentem, animal in primis astutum, & sagax; eum artibus sibi notis vocalem effecit, magis tamen ipse ex ejus gutture locuturus, quàm eloquentem facturus anguem, fortassis tunc solitario incessu per paradisi meandros vagabatur Eva, & sicut eam animi libido pepulerat propè arborem scientiæ boni, & mali: ibi serpens, vel arboris circumvolutus ramis, vel subter arborem in caudam, pedésque erectus, tanquam frater sororem affatur, & mira sermonis illecebrâ, verborum lenocinio aures demulcet mulieris, ejúsque sibi benevolentiam captat, simúlque venenum pestiferæ cupiditatis excellendi supra humanum fastigium inspirat, gustúmque pomi vetiti suadet, & persuadet: falsis enim delusa sponsionibus Eva serpenti credidit, séque, & suos pessimo addixit inimico. *Tulit de fructu illius, & comedit:* In ipso innocentiæ statu, in medio paradisi, seduxit serpens primam in mundo mulierem, quæ priusquam prole fœta, & ex marito gravida, mundo peperit calamitatem, fuit enim hujus fœminæ deceptio illa Pandoræ pyxis, à qua omnium scelerum genera, portentorum colluvies, suppliciorum acervi, calamitates omnes, morborum agmina, cruentæ cædes, & mors ipsa proruperunt. *Genes. 3.*

Secunda fœmina à cacodœmone impepetita fuit, quam vidit Joan. *Apocal. 12.* Sole amictam, luna calceatam, & syderibus fulgurantibus redimitam: hæc autem omnes elusit tartarei hostis conatus, frustravit machinationes; & ne loco, aut stipantibus Angelorum agminibus adscriberetur victoria, mulier desertum petivit, aquilæ plumis munita. *Data sunt mulieri alæ duæ aquilæ magnæ, & volabat in desertum locum suum:* sed serpens impediturus mulieris secessum in solitudinem deserti; turbidum emittit flumen ex hiante ore, cujus confusis vorticom voluminibus obicem injiceret mulieri properanti, eámque deterreret, ac à suscepto retraheret itinere. *Et misit serpens ex ore suo post mulierem aquam tanquam flumen, ut eam faceret trahi à flumine.* Verùm mascula in muliere virtus astus elusit serpentis, qui ima pectora cœnosam trehens per tellurem, spiris involutus fœdissimis fugit confusus; simul & victus. 28. *Apoc. 12. Apocal. 12.*

29. Quid quod cùm idem fuerit serpens eadem armatus versutiâ, munitus fallaciarum exercitu, & utroque in loco fœminam fuerit adorsus, sexu fragilem, natura mollem, conditione imbellem, ab hac tamen victus ceciderit, cùm victor terrestri in paradiso de prostrata Eva surrexerit erectus in pedes, & caudam, vel circumvolutus arboris ramis; aut trunco? cecidit enim serpens victus, quia Apocaliptica mulier ejus elusit versutias, frustravit technas, retudit conatus; surrexit verò cum primam fœminam suis fallacijs decepit, quid igitur causæ, cur prima fœmina serpentis non elusit astus, cùm secunda ejus frustraverit conatus, & victum prostraverit humi repentem? causam discriminis suggerit Hugo Cardinalis, quia mulieri Apocalipticæ datæ fuerant alæ binæ Aquilæ magnæ, quibus munita posset ad volatum se accingere: sunt autem hæ alæ vita activa, & contemplativa, ait Hugo: *data sunt mulieri duæ alæ, tanquam arma, quibus se posset elongare: hæ alæ sunt vita activa, & contemplativa,* vita autem contemplativa tota divinis occupatur meditationibus, tota innititur orationibus mente conceptis, ideóque hoc fulcimento innixa cadere non potuit mulier Apocaliptica; & hisce præmunita armis, non potuit nisi serpentem prosternere. Vel binæ alæ ex aquila magna mulieri mutuatæ Apocalipticæ utrámque significant orationem vocalem, & mentalem verbis expressam, & mente conceptam, hisce binis alis instructa mulier; facilè *In Apocal. 12.*

facilè potuit serpentis imâ pectora per cœnosam trahentis tellurem evadere, sursum avolans, & deorsum serpentis despiciens versutias. Non igitur propria industria, sed viribus orationis de serpentis vafritie illustres exegit palmas: Eva verò, quia utraque ala destituebatur, fœdè cessit serpenti suadenti, & miserè victa cecidit, cùm serpens victor in caudam, vel pedes surrexit erectus.

50\. Eva fundendis precibus non legitur addicta, & ideo victa cadit: mulier autem Apocaliptica, quia orationi vacat, ejúsque tum vocalis, tum mentalis munitur alis, ovans triumphat, & devicto serpente sursum avolat triumphatura: ita est, ubi viribus quis destituitur orationis; ibi nonnisi cædes, & ruinas spectare potest: secus ubi orationis efficacia quis præmunitur de prostrato quovis hoste gloriosiores reportat triumphos. Tametsi fuisset Eva innocentiæ suffulta præsidio, quia tamen viribus fuit orationis destituta, serpentis victa versutijs cecidit deturbata à suo innocentiæ, ac felicitatis statu, in quo ideo non stetit, quia fulcro non fuit orationis innixa: secus extra innocentiæ statum mascula in muliere Apocaliptica virtus viribus præmunita orationis, quamvis innocentiæ destituta præsidio serpentem vicit, quem oratio protrivit. Imò validiorem syderibus orationem dixerim. Tametsi firmitatem superent sydera adamantis, ac firmiùs suis hæreant epicyclis, cedunt tamen serpenti, quem fœmina prosternit, & conterit: quamvis nil stellis firmiùs, nilque fœmina molliùs; in hac tamen serpentis pugna cùm muliere apocaliptica stellas videmus cœlo detrusas, & fœminam laureatam, è terra evulsam sursum triumphis avolare illustrem. *Cauda ejus trahebat tertiam partem stellarum cæli, & misit eas in terram:* nimirum vel sola serpentis cauda refixit stellas, quas expunxit è cœlo, & deorsum traxit in terram; cùm totus serpens furoribus armatus, fallacijs cataphractus, versutijs munitus, fœminam licèt conditione imbecillem, naturâ fragilem vincere non valuerit; nec suis vincere versutijs; quin alis instructa sursum victrix avolaret: quòd si quæras, cur mulier enacta fuerit victoriam, cùm astra ipsa à sola serpentis cauda refixa fœdam fuerint ignominiam perpessa? Nodum solvit sacer textus, inquiens: *Clamabat parturiens*, nimirum precatorius mulieris parturientis clamor serpentis astus elusit, depressit audaciam, frustravit versutiam, fascinavit fallacias; quia ubi auditur precarius clamor; ibi veluti echo consona ovantis respondet vox victoriæ, quâ illustris triumphavit mulier geminis munita alis utriusque orationis verbis expressæ; & mente conceptæ: altiora enim pervadit mulier

Apocal. 12.

æthera, quoties utriusque alæ remigio sursum nititur, & deorsum ima pectora per terram trahentem relinquit versutum serpentem, spiris involutum fœdissimis, & à viribus prostratum orationis. Invincibile siquidem Apocaliptica fœmina orationis prænuntio accivis præsidium, cum sydera cœlo infixa, ac rutilo fulgurantia nitore non solùm cauda obscuraverit draconis, verum è suis etiam sedibus expunxerit, & deorsum traxerit, cùm mulier sursum victrix avolaverit? quia nimirum astra sine voce, orationibus destituta ceciderunt, quamvis innatis suis splendida nitoribus. *Cauda ejus trahebat tertiam partem stellarum cæli, & misit eas in terram;* mulier verò ideo triumphavit, & sursum victrix avolavit, quia binis munita alis utriusque orationis verbis expressæ, & mente conceptæ de prostrato triumphavit serpente. *Data sunt mulieri alæ duæ aquilæ magnæ, ut volaret.* Imò adeo validæ sunt vires orationis, ut vel ipsis imperent elementis, ac in miris patrandis virgam superent Moysis prodigijs excitandis datam.

Apocal. 12.

Apocal. 12 v. 14.

51\. Nitebatur Pharao nequissimis artibus populum perdere Israëlis, cujus incolumitati enixim studuit Moyses. Pugnabat ille technis populum, quem iste propugnabat prodigijs; cúmque egressus populus insequentis à tergo Pharaonis armatas phalanges timeret, & à fronte immeabilia aquarum, fluctuúmque volumina obstarent itineri; ad opem timore perculsus populus confugit orationis. *Cum appropinquâsset Pharao levantes filij Israël, oculos viderunt Ægyptios post se, & timuerunt valdè, clamaverúntque ad Dominum?* sed quid proderunt precatij clamores, cùm à tergo urgeant festinantis exercitûs hastæ, & arma; & à fronte naufragia minentur aquarum vortices, fluctúsque ventorum impetu exasperati? Si Pharao virgâ Moysis percussus, tametsi plurium fuerit prodigiorum ferax, feritatis non mitigavit ingenium; quomodo nunc precarijs clamoribus populi ad extremum redacti mitescet Pharao, victoriæ, ac triumphi appetens? & tamen sola orationis virtus fuit, quæ non solùm à periculis, quæ à tergo, & fronte imminebant, populum subtraxit, sed etiam illustrem de prostrato, & perdito Pharaone impertivit victoriam: siquidem Ægyptiorum phalanges Israëlitarum perculsæ precarijs clamoribus ceciderunt marinis vorticibus obrutæ, quando oratio sicca itinera per disruptos, ac conscissos maris sinus aperuit, quò citiùs Israëlitæ ad victoriam properarent; nimirum orationis subsidium innumeras Ægyptiorum evertit copias, prostravit phalanges, perdidit exercitum; & valentior fuit oratio, ac precarius populi angentis clamor, quàm Moysis virga, quamvis prodigiorum patratrix ad

Exod. 14. v. 10.

ad pervicaciam frangendam Pharaonis: contra virgâ quamvis quasi omnipotentiæ vicariam armatur detestanda Pharaonis constantia; cujus tamen durities contra precarium Israëlis clamorem, contra angentis populi orationem, non potuit armatas suas tueri phalanges, quin victæ caderent marinis obrutæ fluctibus: voluit DEUS ut populus è Pharaonis raptus famulitio precario clamore propriam testaretur imbecillitatem *clamaverunt ad Dominum:* ut Pharao detriumphatus caderet præda orationis, ac precarii clamoris: appositè Origenes apud
Homil. 5. Glossam: *Clamor Sanctorum auditur, jubetur Moyses virga percutere mare, ut ingredienti populo DEI cedat, & aqua, quæ timebantur, dextra, levâque murus effecta non solùm perniciem nesciant, sed etiam munimen exhibeant:* nimirum precarius clamor tantæ est efficaciæ, ut non solùm marinos fluctus coërceat, sed & maris sinus disrumpat, & per sicca itinera in medio immeabilis Erithrei viam ad triumphos sibi sternat.

## §. VI.

### *Oratio prodigiorum fœcunda mater heroicâ operationis energiâ dæmonum technas eludit, & hominum opitulatur indigentiæ.*

32. SI virga Moysis prodigiis patrandis data fuit; oratio tartareis hostibus profligandis, ac miraculis invehendis per-apta est. Ardens sitis in deserto viscera torquebat populi exarescentis defectu frigidæ, & tunc Moyses jubetur aquam DEI nomine
Num. 20. 8. à petra exigere: *Loquimini ad petram coram eis, & illa dabit aquas:* Moyses populi obtrectatione turbatus manum elevat, & repetitis ictibus silicem virgâ percutit, ut exoptatos à populo eliceret latices, frigidásque emitteret undas: *cùm elevâsset Moyses manum percutiens virgâ bis silicem, egressæ sunt aquæ largissimæ*, sed cur silex ad primum virgæ pulsum non concupitos à populo dedit frigescentes latices, quibus & sitim sedaret & æstus temperaret acriores, si Erithreum mare ad unicum virgæ ictum Moysi obsecutum proprium discidit sinum, & sicca pertranseunti populo aperuit itinera; cur silex in deserto ad primam virgæ diverberationem non obtemperavit Moysi jubenti aquas emittere in solatium sitientis populi? ingens utrinque sanè miraculum claruit; sed quia disrupto lapide aquarum latices ex saxeis rimis erumpi, ac frigidos fontes insuetum non est, cùm sæpissimè id visum fuerit; ideo renuit silex primo parêre pulsui virgæ; secus quia mare suspendere, siccámque inter medios fluctus viam gradientibus aperire, id & rarius est, & mirabilius, ideò quò illustriùs clarescceret prodigium ad primum virgæ ictum paruit mare.

Sed cur Moyses unico duntaxat ictu fluctus in mare diverberavit Erithreo, cùm in deserto silicem bis virgâ percusserit? ut 33.
nimirum virtus commendaretur, & efficacia orationis; hanc ipsam causam innuit sacer textus nobis indicans, Moysem manum oratione obarmatam super undas levâsse: in deserto autem non precario clamore fultam, non oratione munitam manum ad petram extendisse, sed populari murmure turbatam direxisse: clamabat cum pericula in marinis fluctibus imminerent, dicente Domino: *quid clamas ad me*, in deserto autem, cum debuisset coram populo pronus in humum procubuisse, & preces fudisse, ut oratio populi, & Moysis in cœlum ascenderet, & Dei miseratio è cœlo in desertum descenderet, orationis tamen ob populi murmur, ac internam mentis turbationem oblitus fuit; & id causæ, cur ad latices eliciendos è saxo repetitis virgæ ictibus indiguerit: quia nimirum percussio virgæ viribus destituta orationis minùs efficax est, licèt patrandis prodigiis data, & efficiendis miraculis nata; ideóque quia viribus destituta orationis ad eliciendos latices è saxo, ictum, pulsúmque debuit iterare in deserto; cùm ad findendos in Erithreo marinos fluctus unicus sufficerit pulsus; quia tunc non murmure, sicut in deserto turbata erat Moysis manus, sed clamore precario populi præmunita virga; quæ propterea unico tantùm pulsu mare divisit, & sicca itinera per intimiora ejus aperuit viscera: scilicet virga Moysis precario destituta clamore ægrius faciliora patrabat, cùm longè difficiliora orationis adjuta præsidio faciliùs, ac citiùs superaret. Idque innuit Cyrillus apud
Glossam inquiens: *In Ægypto semel tantùm eadem virga, vel aëra, vel aquas diverberans ostentabat; nunc quia insultanti populo succumbens de fide aliquantulum deturbatur parum abfuit, quin Dominus negaret aquas*, quia in eremo Moysis virga licèt patrandis prodigiis data præsidio destituebatur orationis, ideo ei silex latices denegavit, & non nisi importuno, ac iterato pulsu diverberatus latices emisit. Appositè etiam D. Ambrosius ait loquens de Moyse: Num. 20.
*dicit ad eum Dominus: Quid clamas ad me? sonum ejus non audio, vocem ejus agnosco, silentium ejus, clamorem ejus in operibus deprehendo, clamabat populus, & non audiebatur, tacebat Moyses, & audiebatur:* expendenda sunt verba illa: *clamorem ejus in operibus deprehendo*, nimirum in maris discisso sinu, gremióque discerpto agnoscebatur orationis energia, quia primo ictu, primóque virgæ pulsu fluctus facto divortio suspensi hæserunt; sed ubi in eremo non auditur clamor, nec exauditur oratio, virgæ bina percussio est necessaria: in operibus elucet orationis efficacia, quia juvante oratione facilè perficitur, quod nonnisi ægrè forsan patraretur; quia populus in deserto In Psal. 118.

 obmur-

obmurmorat, non orat; silex non nisi ad
coe:cendam importunitatem repetiti pulsûs
latices emisit; secus quia Moyses ad litos
Erithrei non vociferatur, sed supplex orat,
ad primum virgæ nutum obtemperat mare,
fluctus dissociantor, & sicca aperiuntur iti-
nera in medio mari; quò inde conjiciamus,
quanta sit orationis efficacia, quanta pre-
cum energia, quam vel ipsa fluctuum volu-
mina testantur suspensa.

34. Non solùm oratio, quæ imminent pe-
ricula declinat, marinósque fluctus prodi-
gioso dissociat divortio. Verùm etiam
morbos omnes ab humano excutit corpore,
hostésque abigit tartareos hominem in cor-
poreis membris obsidentes. Adductus fue-
rat ad Apostolos lunaticus ille, cujus cala-
mitas frequenter dolorem parentibus inge-
rebat, & qoamvis pluries adnixi fuerint A-
postoli pervicacem Dœmonis pertinaciam
depellere, frustraneus tamen semper fuit eo-
rum adnilus, ut ipsi testati sunt: *Accesserunt*
Matth. 17. v.18. *Discipuli ad JESUM secretò & dixerunt:*
*Quare nos non potuimus ejicere illum?* oi-
mirum Petrus, & Joannes sacri Collegii Prin-
cipes, & in Christi Schola primas oecupan-
tes sedes adolescentem ab invisa dœmonis
obsidione liberare non valuerunt; tametsi
iidem claudo ex utero matris pedes potue-
rint resculpere, nervos consolidare, & gres-
Actor. 3. sum præbere: *In nomine JESUS Christi Na-*
*zareni surge, & ambula: & apprehensa ma-*
*nu ejus dextera allevavit eum, & protinus*
*consolidata sunt bases, & planta.*

35. Quid quòd Apostoli vitia potoerint na-
turæ corrigere, & obsidentem cacodœmo-
nem à corpore non valuerint abigere? an
quia liberare obsessum non singulari detur
prodigio? cum persæpe ad nutum imperan-
tis sacerdotis, id contingat. At si ita est;
cur ergo Petrus, & Joannes, qui mendico
claudicanti usum elargiuntur membrorum,
à dœmonis non liberârunt obsidione adole-
scentem? si facilius fuit, Dœmonem abi-
gere obsidentem, quàm pedem resculpere
claudicantem, cur Christi discipulis non pa-
ruit caeodœmon obsidens, quibus defectus
obedivit naturæ? Caosam indicat discrimi-
nis Basilius Seleuciensis inquiens: *Apostoli*
Orat. 28. *precationis opem non excutiunt, sed perpe-*
*tuis rerum usibus necessariam supplicationem*
*ostendunt*, postea subdit: *Orationis appen-*
*dix erat elaudi oratio, & caput ad oratio-*
*nem jacenti claudo inopinatum cursum attu-*
*lit;* nimirum promptiùs, & expeditiùs id
peregerunt, qood factu erat longè difficilius,
quia ubi oratio adest auxiliatrix, corporis
statim viget sanatio; cedunt enim invictæ
orationis viribus corporis infirmitates, mem-
brorúmque ægritudines: Christi Discipuli
ideo clandicantes pedes consolidârunt, quia
caput precum ferventi effusione munierunt:
mens enim præsidio fulta orationis non si-
nit gressum obliqnum; & non potest nisi
rectè ambulare, cujus gressus ab oratione
dirigitur; orârunt Discipuli, & pedes clau-
dicantis consolidârunt: cacodœmonem ve-
rò obsidione corpus prementem adolescen-
tis abigere non potuerunt, quia viribus tunc
orationis destituebantur testante Magistro
Christo: *hoc genus dæmoniorum in nullo po-* Marc. 9. v. 28.
*test exire, nisi in oratione, & jejunio.* Præ-
sidio igitur orationis, quæ difficiliora sunt,
faciliùs assequuotur Apostoli, qui viribus
destituti orationis, quæ factu sunt faciliora
minimè peragunt. Oratio est, quæ divinæ
quasi io terris omnipotentiæ vicaria mira
ubíque operator; pericula quæque declinat,
hostes prosternit, difficultates superat, tar-
tareas legiooes evertit, & ubique victrix tri-
umphat.

Neque ab aliis rebus mutuatæ vires 36.
quidquam præstant roboris, si orationi non
confœderentur associatæ; tametsi accepisset
Elisæus duplicem Eliæ Magistri spiritum,
imò & pallium, quo disceret proximi defe-
ctus obtegere, & mira simul operari, &
redux à Magistro in aërem rapto pervenisset
ad Jordanem, & aqnis pallium imposuisset,
noo tamen undas divisit fluminis; & tunc
impatiens moræ, ac desiderio frustratus,
iterum suscepto pallio cum aquas diverbe-
râsset parêre detrectantes indignatione qua-
dam succensus exclamavit: *ubi est Deus Eliæ* 4. Reg. 2. v. 14.
*etiam nunc; percussitque aquas, & divisa* Quæst. 28.
*sunt huc, atque illuc & transiit Elisæus:* quæ-
rit Abulensis hic, cur primo ictu aquas oon
diviserit, quas postea repetito verbere disci-
dit in binas partes; & responder, id dandum
esse orationis efficaciæ, coi ut pareant ele-
menta propriæ etiam obliviscuntur condi-
tionis, & naturæ; Jordanis revertitur re-
trorsum ad imperium orantis, mare ru-
brum sinum suum in binas discindit partes
ad precarium populi clamorem: & hic etiam
rapidi fluctus Jordanis facto divortio disso-
ciantur ad Eliæ pallii repetitos ictus, ait A-
bulensis: *Ut compelleretur orare ad Domi-*
*num non fuerunt divisa prima vice:* tametsi
Elisæus jure acceperit hæreditario spiritum
Eliæ, quia tamen non fuerat prima vice vi-
ribus munitus orationis; licèt Eliæ pallium
sensisset Jordanis, non tamen Elisæo paruit
verberanti, quia nondum assueverat obedire
nisi oranti; & cùm primum cœpit Elisæus
preces fundere, suas destitit Jordanis undas
effundere; didicerunt fluenta Jordanis iter
Elisæo aperire oranti, cui non obtempera-
verant diverberanti; quamdiu orationis o-
pem ad Jordanem sistendum non adhibuit,
percussos non valuit fluctus sistere; cùm verò
mentem ad Deum elevat, & propriis diffisus
viribus opem expostulat ab oratione, Jor-
danem dividit, & undas obedire gressibus
compellit: & qui duplici munitus spiritu
fluxis non potuit vorticibus imperare; ora-
tionis corroboratus præsidio potis fuit gur-
gitis coërcere rapiditatem.

Adeò validæ, & efficaces sunt orationis 37.
vires ad difficultates cunctas facilè superan-
das,

das, ut vel ipse Christus, ut nos erudiret, hisce voluerit præmuniri cum morte in crucis stadio luctaturus, & cum gehennalibus furiis pugnam initurus: ibi quamvis profundissimis confossus vulneribus, quamvis toto corpore saucius sanguinem funderet, quo & suas irrigaret ad victoriam palmas, & nostram coloraret ad gloriam purpuram, non tamen quamvis viribus destitutus, plagis confossus, vulneribus fractus, animi licèt integritate semper illæsa, arma unquam deposuit: sed perinde ac solidissima petra, non virgâ, ut silex in eremo, sed ferreis clavis in cruce percussa, si non uberes aquæ frigidæ latices fudit; sanguinis tamen undas effudit; quibus & nostrorum extinguerentur flammæ vitiorum; & sordes purgarentur conscientiæ, mentésque abstergerentur à fœditatibus cogitationum, quibus concupiscentia cœno suo nos maculaverat: sanguinem è sauciis corporis artubus effudit, quò avernalibus furiis naufragium appararet, & nobis portum adaperiret salutis: cùmque in hac pugna per plura vulnera ipsi inflicta multiplex jamiam aperiret os victoriæ epinicium sibi occiniturus, triumphali lamento tartareis insultavit legionibus, Patrique æterno animum remisit commendatum: *Clamans voce magna JESUS ait: Pater in manus tuas commendo spiritum meum; & hæc dicens expiravit:* Sed quid causæ, quòd spiritum emissurus clamet ad Patrem? an non frustranea videbatur ea commendatio in Patris manus, in cujus alto pectore fida servabatur custodia? ait Christus spiritum emissurus: *In manus tuas commendo spiritum meum*; non quia ipse commendari indigeret Patri, cui natura, & divinitate non erat suppar, seu inferior: sed ad nostram eruditionem, suósque docturus Discipulos id præstitit, quò nimirum discamus & nos, cùm extrema imminent vitæ discrimina suppetias ab oratione exposcere, cujus præsidio hostium insultus retundamus, & pericula quæque imminentia declinemus.

Lu. 23. v. 46.

38. Est siquidem oratio, quæ nobis ad victoriam texit coronam; Christi vulnera nostra vulnerârunt vitia; effusus cruor nostra delevit crimina; sanguinis rivi conscientiæ nostræ fœditates lavârunt; fentes Christi caput terebrantes è terra cordis nostri antiquum maledicti probrum eradicârunt; guttæ sanguineæ è toto corpore depluentes venena erant tartareis furiis, & nobis semina, quæ uberem spondérent gloriæ messem; & demum mors mox à Christo subeunda victoria erat consummata; cùm enim hostes prostrâsset, tartareas legiones profligâsset, & mortem ipsam sua morte vicisset; inclinat è summo crucis vertice in imum terræ caput aspecturus victor sub ejus pedibus gementes hostes, prostratas avernales legiones, superatum peccatum, & mortem devictam; ut inde nos doceret, orationem nostræ esse coronam felicitatis, quam propterea cum morte voluit Christus conjungere: *hæc dicens expiravit*, nimirum orans mortalitatem exuit, ut indueret immortalitatem: mortem igitur suam voluit Christus præsidio munire orationis, ut inde disceremus; ope illius destitutos, nec posse mortem vincere, nec immortalitatem enancisci, neque triumphis coronari; huc accersendus S. Ambrosius: *Caro moritur, ut resurgat: spiritus Patri commendatur, ut cœlestia quoque ab iniquitatis vinculo solverentur, & pax fieret in cœlo, quam terrena sequerentur:* captivos igitur extracturus ex nequissimo peccati hostisque tartarei famulatu preces fudit, victoriæ prodromas, & triumphorum conciliatrices; quo inde discamus, nullum sine oratione consummari facilè triumphum posse, nec de inimicis reportari trophæum. Luc. 23.

39. Quisquis hostes prosternere satagit propriis non fidat viribus, sed præsidio muniatur orationis, hæc enim ut clypeus ictus retundit hostiles, & ut vibrata tela, quæ DEO funduntur preces hostes sauciant, & prosternunt. Frustra victoriæ inhiat, & hostes nititur prosternere, qui viribus non fulcitur orationis. Contra Numinis armatas phalanges bella moverat Josue, qui tamen de cœlo sibi ascivit suppetias, & vix mentem sursum erexit in cœlum, cùm præcipiti fugæ se hostes dederint, & cum latebras timore perculsi quærerent, lapidum grando contortis veluti spiculis fugientes peremit: *Cùm fugerent filios Israël, & essent in descensu Bethoron, Dominus misit super eos lapides magnos de cœlo usque ad Azeca, & mortui sunt multò plures lapidibus grandinis, quàm quos gladio percusserant filij Israel*; quàm efficax, ac celer fuit Josuë oratio, quæ in cœlum statim ascendit, ut è cœlo victoria in terras descenderet: pugnavit è cœlo oratio, & expugnatura in terris Numinis hostes; grandines excussit lapideos, quibus fugientes, & latebras quærentes contereret: nimirum vel ipsum æther orationi militat, & elementa confœderantur; & licèt nox ingruens effugium fœdè fugientibus videretur spondere; oratio tamen quæ pugnatura in cœlum conscenderat, victoriam non distulit, sed diei cursum coërcuit, quo Josue solis statione clariores de Amorrhæis reportaret triumphos; occasuro siquidem soli inclamavit: *Sol contra Gabaon ne movearis; & luna contra vallem Aialon; steterúntque Sol, & Luna, donec ulcisceretur se gens de inimicis suis*, insolens prodigium! stetit Sol, ne staret ulteriùs Amorrhæus; Sol ipse exhibuit se stationarium militem, quò stativam in castris Amorrhæorum fortunam prosterneret; metam distulit diei atttingere, quò Dux fidelis inimicorum palmas ad postremum usque demeteret: passus est syderum princeps unius ducis voce vinciri, quo veri luminis, ac Numinis fugaret, everteret, vinceret perduelles; ascendit nimirum oratio ducis pugnaturi in cœlum, & descendit è cœlo in terram victoria: pugnavit contra Amorrhæum

Josue 10. v. 11.

Josue c. 10.

Sol ipse, stationarium agens militem; dimicârunt sydera; & cœli lapides veluti contorta tela deorsum eiaculantes, hostes prostrârunt, vicerunt & quamvis cœlum haberet sibi confœderatum, solémque sibi stationarium ad victoriam; non tamen fundere destitit preces, quo cœlum sanguinem effunderet Amorrhæi, & victoriam oratione clauderet insignitam.

40. Tametsi victoriam sibi de cœlo paratam cognosceret, licèt noverit decretum sibi de cœlo triumphum, adhuc tamen orationis Deo obtulit holocaustum: siquidem noverat, orationem felicitatis esse coronam, & contra violentos fortunæ flatus securam anchoram: oravit igitur Josue felicem victoriæ impositurus finem; & eò illustriorem, quò solem habuit insuetum spectatorem: sciìè D. Augustinus: *In divinis libris legimus solem ipsum stetisse, cum hoc à Domino Deo petivisset vir sanctus Jesus Nave, donec cœptum prælium victoria terminaret*; oratio igitur hostibus metum incussit, diei coërcuit cursum, luminaribus cœli addidit splendorem, victoriæ imposuit coronam, & victrici coronæ illustrius triumphi incrementum.

*Lib. 21. de Civit. cap. 8.*


41. Non solùm de hostibus externis pugnax triumphat oratio, sed etiam de internis contra rationem insurgentibus: súntque pravi affectus animi tum irascentis, tum concupiscentis rebellantis contra nobiliorem hominis portiorem motus; sunt pravi affectus interni hostes, qui nos lethaliùs sauciant, & inflictis invisibilibus vulneribus dirius cruentant, neque alia hisce internis vulneribus curandis aptior medela oratione; ait enim Philo. *Affectibus, seu animæ vulneribus oratio remedium est saluberrimum, quod legislator ante solis occasum admoveri vult, hoc est, priùsquam illustrissimus, maximúsque Dei splendor occidat, quem misertus nostri menti humanæ inserit: nam quamdiu in anima lucet lumen divinissimum, reddere debemus sermonem oppigneratum, seu vestem, ut homo recepta possessione propriam turpitudinem vitæ obtegat, & fruatur divino munere.* Oratio igitur est curandis ægritudinibus animi aptissimum pharmacum, sanandis internis vulneribus præsentissimum obobalsamum, & animi depellendis angoribus efficax remedium. Estque prælucens illa fax, quæ ad cœlestem patriam viam signat. Filii Israël post varios, prolixósque excursus eremi, ac deserti meandros, casúsque varios, terram tandem possessionis detritis premunt vestigiis; verum ex illis Judæorum turmis, tribus Joseph cæteris citiùs ad promissam appulit tellurem, eique ea sors felix contigit, quâ prior cæteris amænis illis potuit arvis frui, & opimis ditescere possessionibus: *Cecidit quoque sors filiorum Joseph ab Jordane contra Jericho.*

*De somniis.*

*Josue c. 16.*

42. Quærunt sacri Interpretes, cur præ cæteris tribubus, filiis Joseph fuerint possessiones donatæ, & sortes adscriptæ. Respondet Abulensis, quia id vel favoris, vel adolationis fucum habuit; licèt omnes tribus sortes adæquè mererentur, non tamen cæteræ fuerunt postulatæ, quia tribus Judæ, seu filiorum Joseph prior cæteris clamore precatio cœlum pulsavit, sibique donari expetiit promissam terram; ait Abulensis: *Tribui Juda primò data est possessio, quia ista prior cæteris petijt sibi dari hæreditatem, alijs nondum petentibus, assignata autem hæreditate petijt Tribus Ephraim, & similiter data est; similitérque dimidia Tribus Manassa, cætera autem nihil petierunt*: Oratio igitur fuit, quæ possessionem impertivit terræ promissæ: neque iter post tot discrimina, & viarum ambages potuisset feliciter consummari, si oratio illud non coronâsset, & promissionis tellurem aperuisset: neque enim sine oratione poterat hæc felicitas consummari, nec tot laborum potuissent degustari fructus; Ephraitæ, & Manassenses quia & ipsi suppetias poposcêre ab oratione, eadem fuerunt felicitate donati, ut inde conjiciamus, solam esse orationem, quæ ad terram promissionis, ad cœlestem patriam iter signat, viam pandit, feliciter introducit, & nostræ viæ coronat labores.

*Quæst. 1.*



DIS-

# DISSERTATIO XVIII.

## Oratio mente concepta probos fovet Affectus, pravos præfocat, felicitatem accersit, calamitates abigit.

### §. I.

*Oratio mente concepta duabus munita alis humilitatis, & charitatis cælos inscendit, & orantem DEO unit.*

1. Grad. 28.



Est oratio ait Climachus *familiaris conversatio & conjunctio hominis cum DEO*; neque ad hanc cum Numine conversationem, & familiaritatem assurgit homo, nisi gemina sit ala instructus humilitatis, & charitatis, ait enim S. Laurentius Justinianus: *harum remigio alarum usque ad interiora ingredimur velaminis, ubi Verbum in sinu residens paterno æterna virtute generatur*; & is ala munitur humilitatis, qui se indignum fatetur Dei conversatione, Numinis familiaritate; eò quia pulvis sit, & cinis: ala charitatis munitur, qui nil aliud appetit nisi summum bonum, quo duntaxat delectatur, studétque toto nisu assequi. Hæc autem cum DEO conversatio alia est externa, alia interna, illa vocalis, hæc mentalis; illa clamorosa, hæc taciturna; illa verbis exprimitur, hæc cogitationibus perficitur: illa ore profertur, hæc mente concipitur. Quæ verò ex his duabus orationibus ad statum conducat sanctiorem? respondet Joannes Gerson Parisiis olim libellorum Magister ad vitam ex virtute instituendam nil magis conducere, quàm attentam meditationem; cujus beneficio totus componitur internus homo; probi in eo foventur affectus; & pravi, si qui insurgunt, coërcentur: & homo meditationibus mysteriorum DEI addictus summo duntaxat studet bono adhærescere, quod enixim quærit: *Intellectus cogitabundus*, ait D. Augustinus, *principium est omnis boni*, hinc D. Paulus indicaturus quanti sit momenti oratio mente concepta, ait; *Orabo spiritu, orabo & mente; psallam spiritu, psallam & mente*, nimirum non tantùm mente, divina meditabatur mysteria, sed & spiritu etiam fervente, quia si fervor desit amoris, veluti spiritu destituta languet meditatio; quæ si vivificetur spiritu, seu amore, ac fervore simul incalescat, sursum perinde ac flamma avolat, & DEO adnectitur, cujus conversatione, & familiaritate fruitur, in qua nostra sita est beatitudo, quapropter David ait: *Beatus vir, qui in lege Domini meditabitur*, & hunc æquiparat arbori, quam fluenta irrigant aquarum, uberiores daturæ fructus ex tam benefico irriguo: subdit. *Et erit tanquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum dabit in tempore suo: & folium ejus non defluet, & omnia quæcunque faciet semper prosperabuntur*, fructus autem meditantis divina mysteria sunt vitæ æternæ, quos ut mens efferat, irriganda est fluentis meditationis; sicut enim arbores aquis irrigantur; ita mens hominis meditatione mysteriorum Dei: scitè S. Chrysostomus ait: *Quare nobis qui ab illo instituimur, vita est in precibus traducenda, ijsque mens perpetuò irriganda, non enim minùs, quàm arbores aquis illis indigemus universi. Nam neque illa possunt esse fructuosa, nisi humorem radicitùs obibant: neque nos pretiosissimas pietatis fruges fundere nisi precibus, ac meditationibus irrigemur.*

Marginal notes: De casto conn. cap. 22. — Psalm. 1. — Homil. 1. de precat. tom. 6. — [illegible] M. — [illegible] c. 14.

2. Cùm sit homo arbor inversa, ac sursum radices agat, eâ orationis aquâ irrigandus est, quæ non terram, seu pedes abluat, sed caput, & mentem irriget. Quòd si arbores cùm jam adoleverint, firmásque radices egerint, irrigatione non ampliùs indigent; homo tamen quò magis in DEI cultu adolescit, ac plantatus in domo Domini, altiùs radices agit; eò avidiùs fluenta expetit orationis, ac superæ irrigationis opem exigit: hisce fluentis mens irrigua flores virtutum omnium profert, simúlque fructus bonorum; quia sicut nullus est flos, qui irriguo destitutus humore non arescat; ita nulla floret in mente virtus, quæ si hac orationis non abluatur aquâ, non marcescat, & deficiat; est siquidem oratio veluti aqua, DEUS virtutum hortum irrigat, ut in ipso flores virtutum ado-

adoleſcant elegantiores, oleántque ſuavio-
res: & hæc fortaſſis etiam ratio eſt, cur
Regnum cœlorum grano parietur ſinapis,
quia ſicut hoc ſemen ſinui concreditum tel-
luris, ſi humore deſtituatur, non germi-
nat, ſed areſcit in lapide, ita cœleſtem bea-
titudinem non aſſequitur mens, quam aqua
non abluit meditationis.

3. Mirum ſanè, quòd cœlum veluti in
immenſum extenſum, & ſua amplitudine
complectens terrarum omnium tractus, ma-
rium fluida ſpatia, & aërem ubique per-
meabilem grano tam minuto æquiparetur:
*Simile eſt Regnum cœlorum grano ſinapis:*
ſed rectè ad noſtram doctrinam exiguo
huic pariatur grano, quia quò plus teritur,
eò ſuaviùs redolet ejus fragrantia, ut no-
tat Gloſſa interlinearis. Quàm bellè igi-
tur Regnum cœlorum grano pariatur ſina-
pis, quia nemo cœleſtem aſſequitur beati-
tatem, niſi beneficio attentæ meditationis
myſteria noſtræ fidei diu meditetur, ac
veluti terat, ac comminuat, ſicut enim
granum ſinapis, quò plus teritur, eò ſua-
vius olet; ita quò frequentiùs per attentas
meditationes myſteria fidei noſtræ, ac cœ-
leſtis patriæ volvimus, eò faciliorem nobis
ad ipſam viam ſternimus, & nobis ſuaviùs
divina ſapiunt.

4. Neque David divinæ legis adeò amans
fuiſſet, nec ejus cuſtodiæ tam appetens, niſi
*Pſalm. 118.* mentem ſuam aqua irrigâſſet meditationis,
cùm enim dixiſſet: *Quomodo dilexi legem*
*tuam Domine,* ſtatim reſpondet, cauſam hu-
jus dilectionis fuiſſe orationem mente con-
ceptam *tota die meditatio mea eſt*, quia
profectum, quem ab obſervantia hujus le-
gis anima fidelis percipit, meditabatur, qua-
propter aiebat: *lex Domini immaculata*,
*& convertens animas*, quia ſi hac irrige-
tur mens aquâ, florent in ipſa lilia caſtitatis,
& quavis abluta macula virtutum omnium
flores elegantiùs germinant: hinc longè ſa-
lubriùs eſſet homini, qui manè cùm è lecto
ſurgit, non manus aquâ, ſed mentem flu-
entis ablueret hujus meditationis; ſaniùs
eſſet aquâ orationis animam abluere, quàm
manus aquâ elementari abſtergere; utilius
foret orationem fundere ad mentem irri-
gandam, quàm latices effundere ad digi-
tos abſtergendos; ſcitè S. Chryſoſtomus:
*In Pſalm. 5.* *Cum ſurgis manum, & faciem lavas; ani-*
*mam autem immundam negligis. Neſcis,*
*quòd ſicut corpus aquâ; ita & anima ora-*
*tione mundatur?* ſi enim oratio ex puro cor-
dis fonte fuſa fuerit, mentem irrigat, quæ
& floribus ornatur virtutum, & fructibus
diteſcit meritorum: eſt enim oratio, quæ
ſecum bona omnia adfert, obices ſuperat,
& impedimenta diſrumpit ſalutis, idque pro-
*Lib. 2. cap. 2.* bat Marulus exemplo Severini, qui in
Pannoniæ finibus Abbas cùm Fabianum op-
pidum danubio adjacens fame torqueretur,
& penuriâ laboraret rei frumentariæ, eò
quia concreto frigoribus fluvio nequirent
frumentariæ rates fluxa itinera peragere;
fusâ oratione glaciem ſolvit, & vectoribus
lignis navigationem aperiens periclitanti
ſubvenit oppido. Non ſolùm oratio men-
tem irrigat, verùm & corpus reficit, cujus
egeſtati, abundè opitulatur; adeò be-
nefica eſt menti hæc orationis irrigatio,
ut eam non ſolùm abluat, à ſordibus pur-
get, verùm etiam virtutum omnium flori-
bus exornet: quia ubi oratio ſuas figit ra-
dices, ibi cæteræ germinant virtutes; quaſi uni
orationi ſingulæ virtutes, veluti ſuæ famu-
lentur reginæ; cui omnes ſuum exhibeant
obſequium, ut notat S. Chryſoſtomus in-
quiens: *Quemadmodum ubi Regina qua-* *Lib. 2. de Orando Deum.*
*piam ingreditur civitatem, neceſſe eſt, ut*
*omnis opulentia pariter ſequatur: ſic po-*
*ſteaquam deprecatio venit in animam,*
*omnes virtutes ſimul ingrediuntur.*

Væ igitur iis, qui hiſce meditationum
fluentis mentem negligunt irrigare, hi ſi- 5.
quidem areſcunt, & omni deſtituuntur or-
natu virtutum, neque Jeremias aliam hu-
jus internæ deſolationis cauſam adfert,
quàm meditationis neglectum, hujus irri-
gationis defectum: ait ipſe, *Deſolatione* *Cap. 12.*
*deſolata eſt omnis terra: quia nullus eſt qui*
*recogitet corde*, ſeu nullus, qui mente, di-
vina meditetur myſteria: & licèt adſit,
qui perfunctoriè cogitet, nullus tamen,
qui ſeriò recogitet, ſeu frequentiùs medi-
tetur, ac cordis ariditati iterata rigatione
occurrat; non dixit Jeremias, nemo eſt,
qui cogitet, *ſed nullus eſt, qui recogitet*
*corde*, quia recogitare, ſeu frequentiùs
meditari eſt ſalubris illa mentis irrigatio,
quæ virtutum flores promovet: unde E-
zechias in ſuo Cantico ait: *Recogitabo tibi*
*omnes annos meos in amaritudine animæ*
*meæ, Domine ſi ſic vivitur.* Fructus au-
tem hujus recogitationis, ſeu mentis ri-
gationis, eſt pravos omnes præſocare affe-
ctus, & probos fovere: unde ſubdit Eze-
chias: *Tu eruiſti animam meam, ut non*
*periret.* A periculis meditatio animam
eruit, quia ea nobis intus detegit, & quæ
orantibus erant clauſa aperit; quæ abdita
in conſpectum producit; quæ obſcura il-
luſtrat, quæ arcana revelat; eſt ſiquidem
meditatio veluti patens feneſtra, per quam
alterius mundi, ac futuri ſæculi diverſos
poſſumus ſtatus inſpicere, & præſentis pe-
ricula cavere. Eſt meditatio aperta veluti
feneſtra, per quam cœlum inſpicimus, & or-
cum deſpicimus; in illo diem videmus ſine
nocte; in orco noctem perpetuam omni de-
ſtitutam die: in cœlo Regnum invenimus,
in quo eſt omne bonum ſine ullo malo: in
gehenna ergaſtulum, in quo eſt omne malum
ſine ullo bono.

Eſt igitur meditatio nil aliud, quàm
attenta divinorum cogitatio probos exci-
tans, ac fovens voluntatis affectus, &
pravos

pravos rebellantis concupiscentiæ, vel animi
irascentis coërcens, & abigens: & tres ad
id muneris obeundum confluunt potentiæ,
memoria, intellectus, & voluntas, quæ
suam conferunt operam; idque solet à viris
asceticis oculis subjici, ac explicari exemplo
pistoris, cujus labor, ut sit expeditior, hunc
solet ordinem servare: primò massam fari-
naceam jam subactam in panes diversas re-
ferentes figuras efformat. Secundò massam
inde formatam ad libellam examinat. Ter-
tiò panes coquendos in furnum immittit:
hæc tria videntur animæ potentiæ præsta-
re, cùm vir asceta meditationi vacat: me-
moria enim materiam suppeditat, ac for-
mat; intellectus suis cogitationibus eam
ponderat, & ad libellam examinat ratio-
nis; voluntas piis suis affectibus eam ani-
mat.

7. Sunt autem duo meditandi genera, quo-
rum primum est, quo orans divino afflatus
spiritu passivè potiùs se habet, & de hoc
Cant. 2, v. 4. meditandi genere gloriatur cœlestis sponsus,
sibique adgratulatur sponsa: *Introduxit me
Rex in cellam vinariam*, nimirum se intro-
ductam dicit passivè, quia nisi cœlestis
sponsi gratia viam sternat, & introducat,
ingredi hanc cellam nemo valet: imò neque
sponsa fatetur, quódnam vini genus gusta-
verit, tametsi certum sit sponsum, ei non
propinâsse vappam, sed falernum mensa re-
giâ dignum: & huic liquori generosissimo
regia sponsi manu propinato primum solet
meditandi genus conferri, licèt quale in se
Psalm. 33. sit, satiùs experiri possimus, quàm explica-
re: hinc aiebat David: *Gustate, & videte,
quàm suavis est Dominus*, hanc enim suavi-
tatem rectius experientiâ, quàm verbis com-
mendat. Secundum meditandi genus est
cuivis hominum statui obvium, adeò ut ne-
mo possit se excusare, quòd non possit me-
ditari, eò quia litteras non didicerit, quia
etiam non cognoscentes litteraturam intro-
eunt in potentias Domini, à quibus nec
simplices, nec rudes, & illiterati excludun-
tur; imò gaudet Deus simplicium familiari-
Prov. cap. 3. v. 32. tate: *Cum simplicibus sermocinatio ejus*,
quapropter David divinarum avidissimus
meditationum non sibi aquilæ, sed colum-
bæ alas expetiit; non enim sermonis ele-
gantia, nec cogitationum subtilitas, sed
mentis simplicitas requiritur; nec est, quòd
debeat quis hac in re trepidare; non enim
meditatio hæc est artificiosa, elegans, ca-
lamistris compacta, argutiis intexta, erudi-
tionibus ornata; sed fervens spiritûs cum
Deo colloquium; linguâ, & exterioribus
sensibus modestè feriantibus, & mente in-
teriùs divina mysteria ruminante: & hoc
meditandi genus simplex plurimum secum
adfert utilitatis ad pravos quosque coërcen-
dos affectus, & probos ciendos, ac foven-
dos; & tantum interest discriminis inter
externam, & vocalem oris orationem, &
internam mentis deprecationem, sicut pa-
leam inter, & frumentum; precatio enim
exterior, quæ ore funditur à viris asceticis
paleæ comparatur; & interna meditatio,
quæ mente concipitur, ipsi frumento pa-
riatur.

Est igitur oratio, quæ mente concipi- 8.
tur non palea, quæ sua levitate huc, illúc-
que ad quemlibet venti flatum dimovetur,
& agitatur; sed frumentum solidum animæ
nutriendæ peraptum: verùm ut frumentum
hocce in cordis nostri tellure radices agat,
germinet, & ad optatos fructus incremen-
tum subeat culturâ indiget virtutum, cu-
jus beneficio promoveatur; non putrescit
cor si elevetur ad Deum; frumentum in in-
ferioribus neglectum facilè putrescit; om-
ne tamen ab ipso vitium arcetur, si ad su-
periora elevetur: quòd si frumento nostro
locum mutare satagimus, ne vitium con-
trahat in imis neglectum; quantò magis
frumentum spiritui innutriendo accommo-
datum debemus sursum elevare, seu men-
tem orantem sursum erigere; quòd si fru-
mentum corpori nutriendo datum, ne pu-
trescat ab ima elevamus humiditate, & in
superiora evehimus; quantò magis mens
nostra erigenda in Deum est? neque ad id
scalis, gradibus, funibus, aliisque machinis
ac instrumentis indigemus, nec ulla exter-
na ope; quia gradus, per quos sursum ascen-
dimus, nostrámque mentem erigimus, affe-
ctus sunt nostri cordis, voluntas nostra,
quæ viam nobis aperit, & sternit, quâ sur-
sum evehimur; amantes enim ascendimus,
& negligentes descendimus; tametsi terris
immoremur, cœlo tamen hæremus; si mens
nostra piis meditationibus sursum ascendat,
intellectus noster divina contempletur my-
steria; & voluntas Deum enixim quærat, &
diligat.

Avolat mens nostra in cœlum, quam- 9.
vis corpus à terra non elevetur, quia ut
mens sursum ascendat, sufficit solus affe-
ctus voluntatis; ut cor elevetur, sola de-
sideratur mentis elatio; sicut ut corpus le-
vetur, corporis requiritur mutatio, hinc
aiebat David: *Lætifica animam servi tui* Psalm. 85.
*quoniam ad te animam meam levavi, quo-
niam tu Domine suavis, & multæ misericor-
diæ omnibus invocantibus te*, quamdiu ani-
ma bonis hisce inferioribus adhærescit, tæ-
dio afficitur, amaritudine repletur, & le-
thali plerumque veneno inficitur; frustra
circuit, qui fontem dulcedinis in terra quæ-
rit, & perinde agit ac improvidus ille, qui
aucupari in intimioribus maris visceribus
volucres vellet, & in aëre pisces expiscari;
terrena omnia amaritudine infecta nullam
possunt veram dulcedinem exhibere, terre-
nis qui inhiat, quocunque se vertat, non-
nisi scandala, angores, calamitates, pericu-
la, ac tentationes invenit, ubi nulla secu-
ritas, quia undique imminent pericula.

Cor vera imbutum dulcedine non est, 10.
si immersum fluxis hisce inferioribus, ter-

renis adhærescat, à quibus nonnisi emersum, & sursum erectum quidquam potest veræ dulcedinis delibare: hinc David, tunc cor suum dulcoratum sentiit, cum ad Deum erexit; & tunc cor suum invenit, cùm ad pias divinorum meditationes advenit, aiebat ipse: *Quoniam inveni cor meum Domine, ut orarem ad te*: nimirum quia orationi vacavit, suum ad se cor vocavit, quasi destitutus oratione à se fugeret, & excors hisce hæreret inferioribus: & ideo quia excors, & miser sequi fugitivum satagebat, nec apprehendere potuit, donec clamaret ad Dominum: inveni Domine cor meum, ut Psalm. 39. orarem ad te: *Quoniam cor meum dereliquit me*, nimirum suavis est DEUS, & misericors pater, qui compatitur nostris infirmitatibus, & orationem à nobis expectar, non ut sibi aliquod accrescat commodum, sed ut nos perficiat, & nostro studeat emolumento.

11. Non detrectat divina Majestas cum hominibus conversari, quorum colloqiis maximè delectatur: sed id dandum est homini culpæ, quòd sua cum divina Majestate miscens mentis colloquia, irreverenter se gerat, & per futiles evagationes faciem subducat, & terga Numini vertat, à quo & ipse mente se avertit, & tunc minus oret, cùm intentiùs orare videtur: est enim ora- Lib. 3. de fide c. 24. tio ex Damasceno: *mentis elevatio ad Deum*, & quia per divagationes mens erecta præceps descendit ad creaturas, nec ampliùs elevatur ad DEUM, sed per fluxa hæc spatiatur inferiora, non ampliùs orat. Quòd si homo miscens cum alio amico colloquia, hic nec audire, nec respondere vellet collocutioni; nonnisi ægrè id loqoens ferret; amici enim divagatio ad alia, loquentem graviter læderet; & tamen tolerat DEUS tot corda precantium, & futiles res cogitantium, imò plerúmque etiam noxias, & fœdas, Deóque exosas. Oratio nostra mente concepta interna est ad DEUM locutio; cùm legimus, DEUS nobis loquitur, sed cùm divina meditamur mente DEUM alloquimur; & tamen nonnisi oscitantes, & fœdè divagantes nostra cum DEO colloquia miscemus: qui orat, non mentem in hæc inferiora deprimit, sed cùm Davide sursum elevat, & ab hisce fluxis, ac terrenis abstra- Psalm. 85. hit: *Ad te animam meam levavi*: nimirum quia divina illectus suavitate desipere ei cœperunt inferiora, quæ vana sunt, & oranti supervacanea: huic enim terrena desipiunt, cui Deus sapere incipit, & ideò sapit, ait David: *quia suavis, & multa misericordia omnibus invocantibus te*; suavis est, quia aversos à se, ope suæ gratiæ trahit ad se; mitis est, quia nostris compatitur infirmitatibus, proinde non solùm misericors, sed & multùm misericors; quia si nostra abundat iniquitas, divina superabundat misericordia.

## §. II.

*Nisi vacaturus orationi ostiū claūserit externorum sensuum, omnésque exclūserit evagationes, dulcedinem divinæ bonitatis non gustat; nec pios ullos fovet affectus.*

Adest DEUS invocantibus se, dummodo non perfunctoriè, non oscitanter, non divagantes eum invocent, sed corde humili, & mente intenta: hinc Moyses in rupe Taborea ad arcanam cum Christo admissus locutionem ait: *Cùm quæsieris ibi Dominum DEUM tuum invenies eum, si tamen toto corde quæsieris eum*, & Jeremias DEI vocem proferens ait: *Quæretis me, & invenietis, cùm quæsieritis me in toto corde vestro.* Plures sunt qui tametsi DEUM alloquantur, non tamen DEUM inveniunt, quia eum in toto corde non quærunt; nemo est, qui bonum suum non quærat, & tamen quia nescit, quale sit bonum suum, omni destituitur bono: tametsi omnes creaturæ propria potiantur bonitate, sintque aliæ aliis bonæ, habeántque singulæ bonum suæ integritatis, ac perfectiones suæ naturæ, non tamen ità sunt creaturæ bonæ, ut sua bonitate humanum valeant appetitum explere, ideóque nemo perfectè bonus, nisi solus DEUS, qui est fontalis origo totius bonitatis; proinde nostrum bonum à nobis quærendum solus est DEUS, quo si destituamur, omni bono privamur, & si eo solo potiamur, totam possidemus plenitudinem bonitatis. 12. Deut. c. 4. Cap. 29.

Hoc igitur bonum quærendum est, cùm orationi vacamus, & illud ut assequamur, necesse est studeamus futiles omnes excutere evagationes, quæ mentem à summo bono retrahunt; sunt & in creaturis bona inferiora, quæ aliis bona sunt: pecori enim bonum est implere ventrem, carere indigentia; somno, & quieti indulgere, sanitate frui, & tranquillè vivere: & hoc bonum suam habet mensuram à summo bono taxatam, & quidem valdè exiguam; & hoc bonum tantùm quærit qui hisce inhiat bonis inferioribus, & quia hoc bonum commune est brutis; non hominibus associatur, sed pecoribus adsciscitur: homo enim, cùm mente vigeat, spem suam nonnisi ad bonum bonorum omnium spem erigit, nec aliam sitit bonitatem, quàm quæ in fonte totius bonitatis ebibitur. Bonum igitur divinum est, quod nostram duntaxat potest sitim extinguere, & explere indigentiam: quia solus Deus est, ait David: *Qui satiat in bonis desiderium tuum*, non tamen hoc bonum assequimur, cum orantes mente vagamur per hæc inferiora creaturarum; sed cum sursum ascendimus, & à quovis obstrepente inferiori tumultu mentem elevamus: quapropter Isaias ad asse- 13. Psalm. 102.

ad assecutionem hujus boni homines invitaturus ait. *Venite ascendamus ad montem Domini, ad domum Dei Jacob, & docebit nos vias suas, & ambulabimus in semitis ejus:* dicamus igitur nostris intentionibus, cogitationibus, affectionibus, omnibúsque interioribus nostris: *venite ascendamus in montem Domini*, & interim futiles vagationes, molestæ curæ, venales servitutes, torquentes anxietates, exspectate hic ad hujus montis radices, cum asino isto corpore, donec Abraham cum puero Isaaco, ratio cum intelligentia montem conscendamus, nostrum mentale sacrificium offeramus, Deum adoremus, & inde huc revertamur; mentis enim evagationes sacrificio sunt obici, nec sinunt mentem sursum montem conscendere: hinc Christus suos edocens Discipulos modum coërcendi has evagationes ait. *Tu autem, cùm oraveris intra cubiculum tuum, & clauso ostio ora patrem tuum in abscondito.*

Isa. 2.

Matth. 6.

14. Vana enim, & otiosa est oratio, quæ ostium evagationibus aperit, si enim ad cordis orantis conclave omnibus patet ingressus, necessè est, fatiscat oratio, & deficiat obstrepente vagationum tumultu intercisa: ideóque, cùm oramus, necessè est, nostrum ingrediamur cubiculum, & ostium claudamus, à quo omnes curas, solicitudines, anxietatates, labores, ac pœnas etiam excludamus, ne ulli ad nos pateat accessus, qui nobis sit molestiæ, *cubile*, ait Augustinus, *est cor nostrum, ibi enim tumultum patimur mala conscientia, ideo requiescimus. quando bona conscientia est; ibi est cubile, ubi nos Dominus JESUS jubet orare: Tentator non cessat pulsare, ut irrumpat; si clausum invenerit cubile, transit.* Et infra subdit: *Hoc ostium veluti duas habet valvas cupiditatis, & timoris: aut cupis aliquid terrenum, & hàc intrat; aut times aliquid terrenum, & hàc intrat: timoris ergò, & cupiditatis januam claude contra Diabolum, & aperi Christo: valvas Christo aperit cupiendo regnum cœlorum, timendo ignem gehennalem. Per cupiditatem sæculi Diabolus intrat, per desiderium vitæ æternæ Christus intrat, per timorem pœnarum temporalium diabolus intrat, per timorem ignis æterni Christus intrat.*

In Psal. 31.

15. Habeat igitur cor nostrum valvas suas, quæ Christo aperiantur, & diabolo claudantur, ac importunæ evagationes arceantur, ne intus se ingerant. Quamobrem non est Deus quærendus inter hominum frequentias, inter negotiorum solicitudines, curarum anxietates, laborum defatigationes, & creaturarum tumultus, sed in cubiculo nostri cordis; in cujus secessu homo interior quiescit, & holocaustum Deo offert, ad quod nos etiam invitat Regius Vates, inquiens: *Sacrificate sacrificium justitiæ, & sperate in Domino*, quæ verba expendens D. Augustinus ait. *Ubi putes sacrificium justitiæ sacrificari, nisi in templo mentis, & in cubilibus cordis. Ubi autem sacrificandum est ibi & orandum Foris autem diximus esse omnia temporalia, & visibilia, quæ per ostium, seu per carnalem sensum in cogitationes nostras penetrant, & turba vanorum phantasmatum orantibus obstrepunt. Claudendum est ergo ostium, id est, carnali sensui resistendum, ut oratio spiritualis dirigatur ad Patrem, quæ fit in intimis cordis.*

Psal. 4.

Tom. 1. de Magistro, cap. 1. & tom. 4. lib 2. de serm Domini in monte cap. 3.

16. Nisi vacaturus orationi, ostium clauserit sensuum, omnésq; excluserit evagationes, vix pios ciere poterit affectus, eósque fovere, ac Deo firmiter hærere: est enim mens nostra globo persimilis, qui si è summo montis vertice in imum incipiat ruere, nullibi præcipitem suum sistit cursum, donec ad montis radices devenerit, ubi cùm primùm quieverit, nil ampliùs molitur fugæ: ita cor humanum nisi altiùs se se Deo immerserit, cadendi finem, seu divagandi terminum nunquam inveniet, & hàc, illácque præcipiti fuga jugiter volvetur: est enim mentis evagatio innata mentis inconstantia, quam ex pictoribus fuit, qui varijs coloribus eam oculis subijceret intuentium: Christum pinxerat, clavis affixum cruci, & utrinque ascetas, seu cœnobitas duos, qui submissis genibus procumbentes dominicæ passionis cruciatus meditabantur: ex ore unius una, eáque rectissima ibat linea ad Christi latus cruentum; cùm ex ore alterius plures effluerent lineæ per diversa excurrentes loca; alia in campos ibat, ubi flavescentes segetes fluctuabant; alia in sylvas, ubi venatus, & aucupia; alia in colles, ubi ad vindemiam maturi racemi è curvis pampinis pendebant; alia in horreum ducebatur ubi frumentum, ne vitium contraheret, volvebatur, alia in cellam descendebat vinariam, ubi vinum, cerevisia, & pomorum genus varium; alia demum Musæum ingrediebatur ad syngraphas lustrandas, codicillos volvendos: hæc orandi varietas in Cœnobitis discrimen prodebat inter orationem varijs discissam evagationibus; & ab hisce muscis immunem: primus enim ex illis cœnobitis benè inchoatæ orationi hærebat, quam interrumpi per futiles evagationes, non permisit; ideóque Christum solum cogitavit, & Christus omne illius pectus occupavit, alter verò, quia domi non erat, nec ostium clauserat cordis sui diversis evagationibus ingressum permisit, & orationem fœdè dimisit, cùm vagaretur ipse per camporum planities, per collium aprica, per opaca sylvarum, per cellas vinarias, & alia loca, ubi Deus non reperitur.

17. Isidorus Pelusiota audacissimæ temeritatis eum redarguit, qui Deum Patrem vocat, & nihil minùs aliud facit, quàm quod filium decet, qui divinam audet Majestatem accedere, & cogitationibus subinde etiam

impuris venerem, & oreum olentibus eandē offendit Majestatem: qui ad Dei præsentiam se sistit, & futilibus mentis divagationibus hàc, illàcque discurrit, velut terga vertit Deo, cum quo mente societatem init; quis impudentissimus hominum veniam exposcat, si ipse inexorabilis perstet; gladium stringat, si vel uno digitulo tangatur; cruentas cædes minetur, si uno, vel altero impetatur convicio, & ad minimas quasque injuriolas sæviat furibundus: est qui enixim Numinis roget bonitatem, cujus ope à quovis liberetur iminenti malo, cùm tamen peccandi non declinet occasiones, imò non obvias quærat, ea frequentans loca, ubi pudicitia graviter læditur, sobrietas naufraga petit, & castitas periclitatur: non est id divinam exposcere opem, à Deo expetere suppetias, ad pericula quæque prævavenda; sed est cùm Deo ludere, & jocari; plures plerumque orant, & tamen, quæ orent, ignorant, contra quos olim Deus gravissimè quæstus ait per
Cap. 29. Isaiam. *Appropinquat populus iste ore suo, & labijs suis glorificat me, cor autem eorum longè est à me.* Luscinia si moduletur, crocitantes inter corvos, non placet cantu incondito, interrupta, ac veluti extincta corvorum clamore melodia, & oratio mente concepta tot futilibus discissa, ac sauciata evagationibus Numini placere non potest.

18. Quòd si homo incipiat alium sibi amicum alloqui, & hic detrectet ejus respondere collocutioni, quin potiùs à secum loquente avertatur, & alia alijs loquatur; id nonnisi molestissimum obtingit amico loquenti, qui nonnisi ægrè fert hanc alterius inurbanitatem: ita loquitur ad cor nostrum Deus, cùm divina meditamur mysteria, & ei non respondemus, cùm vanis evagationibus ad alia divertimur, imò ab ejus locutione avertimur: hinc vir asceta se ipsum admiratus Deum alloquens ajebat: ah Domine! quantum patior, cùm stans in oratione, cogito de cœlestibus, & statim se mihi offert (ad meam dico confusionem) integer exercitus cogitationum, Venerem, & alias fœditates olentium, ad quarum accessum me mei pudet, & quamvis millenas potiùs paratus sim neces subire, quàm semel ijsdem assensum dare, totus tamen contremisco, cùm nitantur me à te avertere. Ideò
Tom. 2. de panoplia spirit. monet Ephrem Syrus. Ut arguat se ipsum homo, & ipse sibi dicat; *vis loqui cum Deo? attende tibi. Vis audiri, & exaudiri; teipsum priùs, quid loquaris; audi.*

19. Vetus est, & quidem utile monitum, ut ea agamus, quæ agimus; nimirum eâ solertiâ, & attentione, qua par est, & quam opus exigit: si oramus, attentè oremus; si divina meditamur, tota mentis solertia, ac attentione meditemur; quamvis oratio semper sit bona, in ea tamen prava est evagatio, ideóque Cyprianus commendans
Lib. de Orat. attentionem, ait. *Incumbere ad preces toto corde debemus, ut quidquam tunc animus, quàm id solùm cogitet, quod precatur, quod meditatur, qua autem segnities est alienari, & capi ineptis cogitationibus profanis, cùm Dominum deprecaris; quasi sit aliud, quod magis debeas cogitare, quàm quòd cum Deo loquaris: vis Deum esse memorem tui, cum tu ipse memor tui non sis?* Coërcendæ igitur sunt mentis vanæ evagationes, quæ nostram sauciant, & discindunt orationem. In id præsertim videtur studij cacodæmon incumbere; ut curis, ac solicitudinibus à divinis nos eripiat meditationibus, ut contigit Corbiacensi Monacho Leonardo, qui cum divina in templi angulo meditaretur mysteria, serpens è proximo exiliens foramine in Monachi sinum irrepsit, qui tamen tortuosam non expavit belluam, sed immobilis perstitit, donec integra meditationis hora fluxisset, elapso tempore Monachus insidiatorem ultro allocutus ajebat. Quid tibi vis hospes: si quid in me potestatis à Numine accepisti, jam nunc sum meo functus munere, tuas in me vires exere, tuæ me potestati neutiquam subducam: anguis verò sicut non potuit Monachum terrere orantem, & ab inchoata retrahere oratione, eum non læsit, sed statim confusus aufugit: plerumque solicitudines sunt, quæ mentem turbant, eámque à divinorum retrahunt meditationibus, quapropter Christus suos edocens Discipulos orandi modum ait. *Nolite ergò soliciti esse*, & D. Paulus hanc Ma- Matth. cap. 6.
gistri doctrinam, ut Philippenses edoceret, ait: *Nihil soliciti sitis, sed in omni oratione, & obsecratione petitiones vestra innotescant apud Deum*, quasi diceret, cum orationes funditis, nulla vos solicitudo angat, nullæ inquietent curæ, nec molestiæ vos premant, & quidquid vobis potest mali contingere, non vos turbet; & assignans rationem subdit, *Dominus enim propè est*, nimirum adest qui opem feret, qui vestras abiget molestias, ærumnas fugabit, calamitates excutiet, tormenta leniet, morbos sanabit. Cap. 4.

Otium est etiam omni studio declinandum: quia ab hoc uno veluti à putidissimo fonte rivuli omnes scaturiunt perversarum evagationum. Refert Cassianus apud priscos in Ægypto Ascetas satis vulgatum fuisse, ac solemne effatum illud: *Qui laborat ab uno Diabolo, otiosus verò à sexcentis, & innumeris exagitatur Diabolis*, quapropter D. Chrysostomus differens de norma ritè instituendi orationem ait: *Non dormientibus nobis dat auxilium Deus: sed laborantibus: nam adjutor non est otiosi, sed ejus, qui ipse quoque operatur:* non enim Deus solet sua impertiri beneficia gratiarum ludionibus, joculatoribus, otiosisque lurconibus, ac sycophantis; sed attentè orantibus, & ferventer divina mysteria meditantibus: qui cultura est ager destitutus, nec coloni labores sentit; sed otium experitur, non fructuum 20.

Lib. 10. collat. cap. 23.

Homil. 21. in epist. ad Ephes. prope fin.

mes-

messem spondet, sed urticas, & spinas profert, quibus tangenti obsit, non prosit colligenti: hoc otiositatis malum, eadem agri similitudine ostendit Salomon, inquiens: *Per agrum hominis pigri transivi, & per vineam viri stulti, & ecce, totum repleverant urticæ, & operuerant superficiem ejus spinæ.* Proverb, cap. 24.

21. Mentem otiosam agro pariaverim culturâ destituto, qui adulterinis fœtus seminibus nonnisi lappas, lolium, urticas, & alias sterilescentes, & noxias herbas progignit, neque ab hac mente ulli possunt fructus orationis sperari, quia ut ait Christus, loquens de hominibus etiam ascetis, & divino dicatis cultui, sed otio indulgentibus: *Cùm dormirent homines, venit inimicus homo, & superseminavit zizania*, Matth. cap. 13. quia ubi ager otiatur, & culturam respuit, non solum urticas, & spinas progignit; verùm etiam quamvis excultos, & probis fœtus seminibus, si colonus dormiat, venit cacodæmon, & zizania superseminat: tametsi vir asceta hortum cordis sui studio virtutis excolat, probis locupletet seminibus, si tamen otio indulgeat, accedit statim cacodæmon, & zizania superseminat, è quibus nonnisi futiles evagationes, quin & fœdæ cogitationes venerem, & oreum olentes pullulant, quia ut monet Cassianus. *Mens otiosi nil aliud cogitare novit, quàm de escis, ac ventre.* Lib. 10. collat. cap. 6.

22. Otium radix est, ex qua germinant cognata illa duo vitia, scilicet intemperans somnus, & ordo neglectus, nil enim otioso magis volupe, quàm in plures dies horas stertere, & in rebus agendis nullum servare ordinem, nullúmque tempus observare, cùm tamen utilis, & pernecessarius sit ordo in rebus administrandis, ut statæ sint horæ, quibus sit cubitum eundum, somno indulgendum, viribus reficiendis prandendum, laborandum, ac orandum: ubi enim hic ordo negligitur, ibi extorris fugit oratio: hoc otium ut perniciosissimum excutiebat David, qui tametsi gravissimis occupatus regni negotijs, septies nihilominus diurnas preces effundebat. *Septies in die laudem dixi tibi*, Psal. 118. imò & nocturnum interrumpebat somnum precibus vacaturus. *Et media nocte surgebam ad confitendum tibi.*

23. Confabulationes etiam, quæ orationem præcesserunt; evagationes, cùm quis orationi vacat, accersunt; mens enim supervacaneis plena colloquijs, & futilibus fœta speciebus, nonnisi vana cogitat, quæ animam à Deo divertunt; unde cavendum, cùm ad preces fundendas accedimus, vel ad divina cogitanda mysteria, ne prava cum hominibus præmittamus colloquia, ne confabulationibus mentem impleamus, quia ut ait Beda de templo Salomonis: *Multum juvat orationis puritatem, si in omni loco, vel tempore nos ab actibus temperemus illicitis: si semper ab otiosis sermocinationibus auditum pariter castigemus, & linguam: quæcunque enim sæpius agere, loqui, vel audire solemus, ea necessè est sæpius ad animam veluti ad solitam propriam suam recurrant sedem: & sicut sues immunda volutabra; & columbæ limpida solent frequentare fluenta: sic animum cogitationes impura inquinant, & sancta ad orationem excitant:* quæ enim ante orationem mens nostra suscipit, hæc eadem nobis orantibus per ingestionem recordationis occurrunt, proinde quales ante orationem fuimus, tales & orantes invenimur: fœcunda evagationum genitrix confabulatio est.

## §. III.

### *Huic oratio non dulcescit, qui pravorum affectuum amaritudine sentit se præoccupari, suósque sensus non coërcet.*

SUnt, quibus oratio non sapit, nec ullam in divinorum meditationibus experiuntur suavitatem; nec ulla perfunduntur 24.
dulcedine, eò quia animum habeant amaritudine plenum, pravisque exasperatum affectibus, irâ, tristitiâ, odio, invidiâ, aliisque, qui cùm non coërceantur, evagationibus noxijs habenas laxant, & felle aspergunt orationem; quæ si pura sit, tota est mellea. Si cor sit plenum felle pravorum affectuum; melle piarum meditationum impleri nequit, quin priùs felleum totum evacuet humorem, pravósque omnes excutiat affectus; cùm sit oratio interni spiritûs refectio, necessè est, omnem evacuet amaritudinem animos orantis, si melle cupit piarum meditationum nutriri, si melleam velit dulcedinem gustare: quapropter Christus pravo laboranti affectu, & ad altare accedenti munus oblaturo suum dixit. *Relinque ibi munus tuum ante altare. & vade priùs reconciliari fratri tuo*, Matth. c. 5. quia animus pravi affectus amaritudine infectus nil potest lapidæ orationis gustare: non alitur melle, qui fel priùs non evomit.

Orationis sacrificium ab illo haud debet Eliæ abludere, cum enim certaret sacrificando cum Baalis sacrificulis, ait de 25.
ipso sacer textus: *Ædificavit altare in nomine Domini, fecítque aquæ ductum in circuitu altaris, in quo ligna imposuit, divisitque membratim bovem lignis imponendum, jussitque omnem victimam perfundi aquis tertiò*, 3. Reg. c. 18. v. 32. & ipse Elias holocaustum fusis precibus adipatum instituens ait; *Domine Deus ostende hodie, quia tu es Deus Israël, & ego servus tuus exaudi me Domine, exaudi me.* Quid ni vix Eliæ oratio cœlum ascendit, & illicò ignis de cœlo descendit, qui absumpsit statim non victimam tantùm, sed ligna, lapides, & ipsam quoque aquam, scrobi effosso infusam, ut tanti magnitudo prodigij magis percelleret adstantiom oculos, mentésque ad veri Numinis reduceret cultum; nec præconcepta spes Prophetam fefellit, attoniti enim rei novitate adstantes

cor-

corpora humi sternunt, & supplices æterni Numinis potentiam, simul & cultum contestantur, & venerantur: hoc Eliæ sacrificium normam nos edocet orandi: cor enim viri ascetæ, & sacris addicti meditationibus altare est: congesta ligna prævia ad orationem dispositio, & ad meditationem præparatio, Victima est ipsa oratio Deo oblata, diffluentes aquæ evagationes sunt rerum exterarum, sed coërcitæ, at repulsæ: ignis è summo cœlo demissus fervor est, & ardor orantis, cujus adminiculo ascendit in cœlum oratio, & descendit in terram Dei miseratio: & sicut ignis è cœlo delapsus fluenta absumpsit aquarum, ita orantis fervor, mentisque meditantis ardor omnes excutit, abigitque alienas, ac importunas evagationes: quarum aliæ dicuntur negligentes, & tunc contingunt, cùm quis oscitanter, & remisso animo divina meditatur, suarum cogitationum pessimus custos; aliæ sunt voluntariæ cùm solo corpore sumus in templo, & mente divagamur in foro, spatiamur in campo, delectamur aucupio, occupamur venatu: & qui voluntarijs hisce evagationibus ostium aperit, pessimus est orator, ac malus arcis suæ præsidiarius miles, qui cùm venientes videat hostes, ostium non claudit, nec illis se se opponit. Aliæ sunt invitæ, quas orans, cùm primùm animadvertit in suam irrepere mentem, toto nisu eas excutit, non sine dolore, ac gemitu; & hic optimus est suæ arcis custos: tunc autem ostium hisce claudimus evagationibus, cùm meditantes oculos coërcemus, nec permittimus huc, illùcque divagari, sed composito corpore, vultúque ad modestiam coacto divina meditamur: & hoc est, quod nobis Christus injunxit. *Clauso ostio ora Patrem tuum*: parum siquidem est cubiculi ostium claudere, si non etiam januas exteriorum sensuum occludamus: gemini oculi duo sunt cordis ostiola, quæ claudenda sunt rebus fluxis, & terrenis, ut ad nos Christus ingrediatur, qui è cruce redidivus ad Discipulos suos ingredi voluit, non quidem patentibus, sed janais clausis. *Matth. c. 6.*

26. Idque fortassis causæ fuit, cur Deus Arcam à Noëmo fabrefactam liniri bitumine præcceperit æquè intrinsecùs, ac extrinsecùs, ne scilicet aliquid rimularum pateret, per quod aditum aquæ invenirent, & in arcam penetrarent. Quid ni, cùm in mundo fluxa sint omnia, in eo versamur, perinde ac in cataclysmo medijs exagitati fluctib'; Arcam quisque suam habet, proprium scilicet corpus, in quo ne mergamur rimulas omnes linire bitumine debemus, seu sensus omnes intrinsecos, & extrinsecos custodire, ne quid per ipsos mentem subeat nostram, ex quo detrimentum patiatur. *Genes. cap. 6.*

27. Noëmum igitur imitemur, si naufragij pericula cupimus declinare, & in Deo, in quo est vera quies, & mallacia, quiescere; rimulas sensuum præsertim externorum omni diligentiâ liniamus pice, seu coërceamus, quia plura prava exempla auribus, & oculis haurimus, quæ intus arcam nostri cordis penetrantia plurimum inferunt damni: quapropter viri in Ægypto ascetæ dicere consueverant; cœnobitas orationis amantes similes debere esse cæcis, mutis, & surdis, quia dum cœlestia meditantur cæcutire debent, ne terrena videant; imò & muti, ne ullos cum alijs sermones misceant, dum Deum alloquuntur; absurdissimum enim est, divina colloquia humanis discindere confabulationibus; imò & surdi esse debent, ne importunos audiant creaturarum strepitus, sed procul à terrenorum tumultu, cœlestibus duntaxat vacent. Et sicut Noëmus Numinis jussu Arcam à se fabrefactam non solùm extrinsecùs bitumine linivit, verùm etiam intrinsecùs rimulas omnes sedula obturavit curâ; ita vir divinis addictus meditationibus non solùm sensus externos, verùm, & internos necesse est, custodiat, præsertim imaginationem, & phantasiam, neque modicæ est artis phantasiam rabidum veluti canem vinculis alligare, ne cùm cœlestia meditamur suo latratu ab inchoato nos distrahat opere, & ne nos dente suo mordeat; plurimum enim oranti nocet imaginatio, & phantasia, nisi injecto fræno coërceantur; hinc etiam D. Bernardus lib. de interiore homine ait: Multarum rerum imagines, & phantasias clausis oculis video, easque invitus tolero, inde est, quod sæpe mihi nocuit mortifera delectatio, quæ ex recordatione præteritorum peccatorum nasci solet, sed maximè ex recordatione libidinis. Hæc enim pestis quò præ cæteris vitijs est mihi familiarior, eò ad nocendum proclivior, & ad repellendum difficilior, nam cùm eam repellere volo nolenti mihi se ingerit blandè onerosa, displicendo placens, & placendo displicens. Subtiliter intrat, & mentem occupat, & nisi subitò repellatur, allicit, & incendit, & quasi virus pestilentiæ per totum corpus paulatim se diffundit. Cogitationes pravas multiplicat, affectiones malas generat, delectatione illicita mentem afficit, & ad consensum pravitatis animum inflectit, omnesque animæ virtutes corrumpit. Hac peste cum adstrictus teneor, divelli ab ea vix possum, quoniam stimulos ejus confiteri, aut nescio, aut erubesco; tam subtiles, & turpes sunt. Audi ergo pijssime Deus confessionem meam, & respice ad pietatem tuam. Audi quàm sæpè de memoria mea te expulit irruens turba plurimarum cogitationum, quæ veluti plebs ad aliquod spectaculum solent effluere in cor meum. Ad sæcularia revocant, mundana inferunt, voluntaria ingerunt, illecebrosa contexunt, ipsóque in tempore, quo levare mentem meam ad te paro, inanibus cogitationibus infectus ad terrena, plerumque deijcior, cogitanda cogito, & cogitata recogito, & eadem iterum atque iterum replicare non cesso, ita mens mea semper mobilis, & nunquam stabilis, semper vaga, & quasi ebria per diversa distrahitur: hactenus S. Bernardus nobis exhibens *Cap. 27.*

bens futiles, ac fœdas mentis evagationes inter orandum, & nostram in ijsdem coërcendis socordiam.

28. Quantùm verò nobis inferant damni importunarum hæ turbæ divagationum, indicat idem D. Bernardus, cùm enim ipse matutinis interesset precibus singulari religionis sensu, cordisque devotione, vidit vir sanctus juxta singulos suorum Monachorum Clarevallentium Angelum stantem, & ea scribentem accuratione, ut videretur nec voculam unam, aut syllabam omissurus; quàm non solerter excerperet. Adstabant & alij Angeli diversa prorsus ratione scribentes; quidam enim auro verba exarabant; alij characteres argento liniebant; plures atramento; & nonnulli etiam aquâ suas literas efformabant oculos quasi effugientes; aderant & alij Angeli, nil penitùs scribentes, sed ex toto feriantes. Hanc visionem ad rem nostram explicat idem D. Bernardus. Quorum enim Angeli auro pingebant hi flagranti desiderio æstuabant, & ingenti fervore ad Deum mentem erigebant, precésque fundebant: hi enim, quæ orabant, mente ab omnibus terrenis evagationibus defœcata cogitabant, & isti verè orabant, & eorum oratio cœlos penetrabat, quia ut ait idem D. Bernardus: *Tunc veraciter oramus, quando aliundè non cogitamus*: quorum verò Angeli fuso argento characteres effingebant; eos indicabant, quorum intentio in divinis obsequijs erat quidem sincerissima, sed qui minùs prioribus in cultu arderent divino. Atramento, qui utebantur, eos indicatos voluerunt, quorum voluntas licèt non adeò depravata esset; modus tamen orandi, non ex sacro, & pio ardore, sed ex moris consuetudine prodibat. Qui verò aquâ calamos imbutos adhibebant in formandis characteribus, negligentes, ac tumultu cogitationum plenos prodebant; quique licèt corpore essent in Odeo; mente tamen alio evagabantur. Qui verò totaliter feriari videbantur, ij eos indicabant Monachos, qui Odeum non frequentabant. Plurimi interest inter orandum importunas excutere divagationes, & ex cogitationibus, ac voluntatis affectionibus bonas fovere, & malas repellere; id agere est, quod agimus; id cogitare, quod oramus, quia plerumque fateri cogimur, ac dicere, quod D. Bernardus nobis suggerit, inquiens: *In choro sum corpore, & in aliquo negotio sum corde. Aliud oro, & aliud cogito. Psalmodiæ sensum non attendo: sed mente vagus, habitu dissolutus, oculis attonitus huc, & illuc prospiciens, quæcunque ibi geruntur perlustro, & perspicio.*]

Lib. de interna domo cap. 48.

Lib. de interna domo cap. 32.

29. Ad frœnum importunis hisce, ac futilibus inter orandum mentis evagationibus injiciendum, pravósque omnes effectus opportunè compescendos proderit; debitis dispositionibus sacræ meditationi præludere; & ad eam præmissâ præparatione nobis viam sternere. Non enim temerè cœlestis sponsus se ad montem Myrrhæ iturum esse dicit, priùsquam collem thuris ascenderet; siquidem nomine thuris oratio symbolicè innuitur; & anima ad sacrum meditationis exercitium ritè disponitur, si mortificationem, per myrrham denotatam, ac præviam præparationem præmittat; & tunc ritè præmittitur præparatio, quando mortificationi assuescimus, & pravos quósque in nos affectus compescimus: *Eos enim familiariter Deus visitat*, ait S. Gregorius, *quos per mortificationem vitiorum ad alta proficere, & per mundas, ac utiles orationes suaviter redolere perspicit*: quòd si Moyses prohibitus fuit ad rubrum accedere nisi depositis calceis, nostrum id fuit documentum, cùm enim Moyses in deserto ad montem venisset Horeb, mysticum vidit ibi Rubum ardentem, & non conflagrantem, ad quem cùm propiùs accedere satageret, vocem audivit, quâ jubebatur calceos deponere. Quid calcei, nisi pravos cœnosæ concupiscentiæ indicant affectus? quos propterea accessuri ad Deum per sacras meditationes, necesse est, exuamus, quia quò quis remotior est, per pravorum affectuum abdicationem à mundi turbis, tantò propinquior fit Deo, ac divinorum capacior: Rubus ardens citra conflagrationem virum ascetam signat, sacris addictum meditationibus, in quo conjungi debent Rubus, seu virga ad compescendos insolescentes concupiscentiæ depravatæ affectus, & motus omnes voluntatis regendos ad normam rectæ rationis imperantis, quæ consona sunt æquitati: & ignis, qui illuminans ipsam indicat sacram meditationem, quæ plurimum impertitur nitoris, mentémque orantis intus illuminat: si igitur Moyses monitus fuit, ne ad rubum ardentem, & non flagrantem accederet nisi depositis calceis; multò minùs convenit, ut præsumamus per orationem cum Deo nos unire, nisi calceos pravorum affectuum, ac carnalium desideriorum deposuerimus.

Quæritur, cur rosa præ cæteris floribus fragrantior, teste Plinio, spinis nascatur circumsepta? germinat enim inclusa granoso cortice, quo mox intumescente, & in virides conos fastigiato, ac dehiscente paulatim se se pandit; tenuiores enim, ac virides utrinque surculos spargit, quorum internodia frequentes, ac teretes sepiunt spinæ, folia indidem profert geniculatim in oblongum rotunda, tactu aspera, distinguente medium nervo, venulisque ab eo fluentibus intersecta, & in summo margine crenis incisa, & quasi serrata per ambitum; surculorum fastigio imminet petiolus, seu peciolus florem sustinens, eique subjectum globulum, seu capitulum mordaci refertum lanugine. Calix inde protuberat, qui primo conclusus, & concolor virentibus, ac laciniosis fastigiatur alabastris, mox involucro tumescente sua intus 30.

Histor. natur. lib. 21. cap. 4.

incrementa subit; & tandem pompâ colorum penitus patefactâ uativo in calatho totam vernantium foliorum pompam rosa explicat, purpureo supernè colore perfusa, subalbis infernè ungoibus ad calicis umbilicum coactis; sed cur tot munitur, ac cingitur spinis rosa, si tam gratos exhalat ipsa odores: imò ideo suaviorem spirat fragrantiam, quia non minùs purpurâ vellitur in folijs, ac spinis armetur in caule. Quid ni orationis nostræ incensum suam cœlum versus non exhalat fragrantiam, nisi spinæ mortificationum eam præcesserint, nisi expuncti fuerint pravi omnes affectus.

31. Quærit S. Nilus, undénam oriatur, quod cum oratio adeò sit Deo grata, & suavis, siquidem per ipsam Deum alloquimur; cum Deo conversamur, societatem inimus, & sermones cum ipso miscemus; & cum Deo loqui, perinde est, ac gaudere; nihilominus nobis difficilis esse videtur, & tœdium ingerere, imò ut loquitur S. Bonaventura de profectu Religiosorum, quasi ligati catuli ad stipitem renitenti animo divinis insistimus. Et ratio hæc solet à viris asceticis adferri, quia tametsi oratio natura sua difficicilis non sit, est tamen nobis molestia mortifica, quæ prævia est ad ipsam dispositio: hoc idem contingit in rebus naturalibus, non enim difficultas sita est in forma introducenda, & & in dispositione præmittenda, in subjecto disponendo ad formam illam recipiendam; quot non adhibet ignis conatus, quò in virescente ligno humoribus scatente prævias ad propriam formam inducat dispositiones? calorem illi imprimit ad nativam abigendam frigiditatem, & quia per primos gradus humorem, quo scatet, non excutit, uberiora adhibet incrementa caloris, quò intimius ligni partes penetrat, pugnásque inir cum aquco, & hostili illo humore, qui ægriùs à sua patitur sede dispelli: sed perseverante ignis obsidione, & per additamenta caloris dato assultu, tandem humiditatem prosternit, ac vincit, quam per fumum adigit inde exilire: etenim priusquam ardere incipiat, quanta inde non exeunt, veluti è vaporario fumi volumina? quot strepitus non eduntur? quot crepitationes non audiuntur, & quot rumores trunci illius viror, non excitat? Verùm introductis mox prævijs dispositionibus flamma absque difficultate concipitur, & splendidè flagrat, lignúmque armis nativæ suæ humiditatis destitutum absumit, prosternit, nec cessat ignis in ipsum sævire, douec enectum, dejectum à sua natura, ac in cineres solutum videat. Haud dissimiliter, difficultas, quam in oratione experimur, in eo præsertim est sita, quia viror, & vigor pravarum affectionum difficulter à nobis superatur? sedem in nobis effrœnes appetitus fixerunt, neque à nobis, ut par est, à tali excluduntur sede, quia cùm debeamus pravos omnes præfocare affectus, eos potiùs fovemus, & hostibus contra nos insurgentibus vires suppeditamus, & arma ipsa subministramus; insolescunt æstuantes concupiscentiæ, nec eas extinguimus; insurgunt odia, & ea non cohibemus; exardescunt iræ, quibus frœnum non injicimus; invidiæ livent in corde, & eas non abigimus; prava desideria mentem occupant, & illa non excutimus; & ideo difficilis nobis videtur meditatio, & ardua cum Deo conversatio, quæ nonnisi dulcedinem sapit, & gaudium. Ideo difficilis nobis plerumq; videtur esse ingressus ad orationem mente concipiendam, quia imparati accedimus, & pravi affectus cor nostrum præoccupant, mentem exagitant, quam non sinunt cœlestia meditari, cum creaturis, ac terrenis adhæreant.

## §. IV.

*Non sapit Oratio mente concepta, quàm prævia dispositio non præcessit, pravósque non exutus affectus.*

Prævia mentis dispositio necesse est, ut præcedat orationem, ut hæc nobis dulcescat, ac sapiat; exemplo Noëmi, qui artifex fuit arcæ fluctibus innatantis diluvij; ut enim omnes vinceret difficultates manfurus in Arca, carcerem ferè annuum cum paucis suorum, feras inter sylvestres, & cicores toleravit, sepultus veriùs, quàm mortuos: hinc eluvione cessante sacrificium, suo instituit assertori, cui pergratum obtigit. *Odoratúsque est Dominus odorem suavitatis*: Arca symbolum fuit militantis ecclesiæ, quæ inter fluctus persecutionum, ac adversitatum incolumis semper servata fuit, adeò ut licèt potuerit procellis concuti, & fluctibus exagitari, nunquam tamen mergi, neque ad naufragium impelli: Noëmus cum tota sua familia fideles prodit, qui ecclesiam ingressi beneficio Baptismi ab aquis cataclysmi, à fluctibus procellosis, & ab æterno liberantur naufragio; sacrificium à Noëmo institutum symbolum est orationum, quas fideles fundunt Deo, quas si præcedat mortificatio, ac congrua dispositio, Deus exaudit ob odorem suavitatis, quem preces justorum cœlitibus exhalant. Interdum contingit, ut Codrus quispiam, vel Irus fame in stomacho tortus culinam ingressus opulentam carnis præsertim assæ, cùm hæc veru versatur, ad ignem totis eam hauriat naribus, sitque vel solus odor ei gratissimus, & hasce propterea narium delicias avidè trahat, quamvis vacuitas stomachi intrus clamet, & detrectet solo pasci odore, & fumo oppleri. Deus verò odoratus est Noëmi sacrificium, & pergratum habuit odorem suavitatis, quia summa se solicitudine præparaverat ad hæc religionis munia ob-

32. Genes. cap. 8. v. 21.

obeunda, ad hæc sacrificium ritè instituendum; siquidem priùs *ædificavit Noë altare* Gen. cap. 8. *Domino. Et tollens de cunctis pecoribus, & volucribus mundis obtulit holocausta super altare*, ad id autem multâ opus fuerat industriâ, & ingens desiderabatur præparatio, tam in aræ structura, quàm in animalium delectu, & ideo odoratus est Deus odorem suavitatis, seu placuit ipsi Noëmi sacrificium: Oratio, quam nos Deo fundimus, odorem non exhalat suavitatis, si prævia ei desit mortificatio; si congrua præparatio eam non præcedat, si pulveres terreni desiderij priùs non excutiantur; si pravi, qui contra nos iotus insurgunt affectus, non coërceamus; si tumultuantes in nobis passiones non compescamus; & mente à futilibus defœcata cogitationibus, sedata, & tranquilla; & a quovis interiori tumultu libera oraturi cubiculum cordis nostri ingrediamur.

33. Putat Plutarchus à Numa Pompilio Rege monitum illud profectum fuisse: *adoraturi sedeant* sedere autem quietem indicat, & nos cùm oraturi templum ingredimur, non sedeamus, sed genua flectamus, & quiescentes omnes excludamus cogitationum tumultus, quò attentiùs uni Deo incumbamus, cum quo nostra mentis colloquia miscere cupimus: sic orantes sedere dicimur adoraturi, & oraturi, & hoc pacto etiam David dicitur sedisse, seu orâsse curam Domino, 2. Reg. cap. 7. *David Rex sedit coram Domino*: oratio igitur, quam præparatio non præcedit, odorem non exhalat suavitatis, quæ Deo grata sit, quia præparationem à nobis exigit Deus. *Præparationem cordis eorum audivit auris tua Domine*, & inde monemur, ut preces inituri eas præparemur; idq; causæ, cur D. Paulus lavari velit puras manus in oratione, ut nobis insueret, cor nostrum purgari priùs à quovis debere sordescere affectu, ne mens divina meditatura ulli rei creatæ adhæreścat: nisi enim terrena quæque desideria, & pravos affectus abegerimus, vix oratio nostra eam exhalabit odoris suavitatem, quæ Deo sit placitura: cavenda est pix, si nolumus eâ sordescere, qui enim manu picem tractaverint, manu à sordibus immunem non servat. *Qui tetigerit* Eccl. cap. 13. *picem, inquinabitur ab ea.* Si cor nostrum terrenorum foveat desideria, & concupiscentiæ affectus; nonnisi terrena sapit, neque oratio ex tali proveniens corde ullam potest odoris suavitatem exhalare, quæ cœlitibus placeat; cor enim terrena tantùm sapiens nonnisi cœnosa potest effundere; eum enim vas quodlibet humorem fundit, quo repletur.

34. Evacuemus priùs cor nostrum terrenorum desiderijs, & affectibus, si impleri cœlesti volumus odore; configamus priùs carnes nostras Dei timore, pravas omnes concupiscentiæ affectiones frœno compescamus Psalm. 118. mortificationis. *Confige timore tuo carnes meas*, nimirum David orationis sacrificium instituturus, Deum enixim rogat, ut timore suo sancto carnes suas velit configere, seu concupiscentiæ affectos, & carnalia desideria è corde suo abigere; & tunc configimus Dei timore carnes nostras, cùm insolescentem lasciviam castigamus, exultantem concupiscentiam compescimus, rebellantis carnis motus reprimimus; odia, quæ intus fovemus, præfocamus; iras, quas in nos accendimus, extinguimus; amputanda priùs sunt gramina, eradicanda arbusta sterilia, & disponendus ager congruâ culturâ, ut proba excipiat semina, quæ uberem colono spondeant fructuum messem: nisi è tellure cordis nostri sterilescentem terrenorum desideriorum gramina evellamus, & sterilia pravorum affectuum arbusta, ac virtutum cultura terram nostram præparemus ad cœlestium donorum suscipienda semina vix optatos producet fructus. *Omnes homines* ait Isidorus Pelusiota, *ita sunt affecti, ut illis studeant, & opitulari, & attendere, quos viderint, nequaquam dormientes, nec ignavia deditos; sed qui ipsi se præparant, & instruunt, & prompti sunt ad officij partes peragendas, tu horum nihil facis, & tamen clamas, confige timore tuo carnes meas.* Lib. 4. epist. 82.

35. Qua igitur fronte tu postulare audes, ut dum ipse dormis, nullâque salutis tuæ curâ tangeris, insuperabile auxilium cœleste ad te advolet? cùmque voto tuo frustraris, id ægrè fers. Præcedant itaq; ea, quæ tuarum sunt partium; quæque à te exiguntur, & tunc demum ea, quæ sunt auxilij divini subsequentur. Accessuri ad Deum, ut ei placeamus, necesse est, exuamus priùs quidquid ei displicet, alioquin nec grati ei esse possumus, neque nostra oratio ipsi placere: si per lethales noxas, ab ipso nos avertimus, has priùs sacra exhomologesi abigamus, & lachrymis pœnitentiæ quidquid sordidi cor nostrum contraxit abluamus: oratio grata est, si ab amico prodeat, non ab hoste proveniat: non benè conveniunt digitis manus scabiosæ annuli gemmis illuminati; ita neq; est Deo grata laus, quæ è corde oritur lethalibus fœdo noxis: hinc David justos, & mundos, ac rectos corde ad orationem accersit. *Psallite Domino sancti ejus*, non invitat improbos, Psalm. 29. & nefarios homines vitijs indulgentes, sed sanctos virtutum culturâ splendentes. *Rectos decet collaudatio*, seu rectos corde, & Psalm. 32. eos, qui rectitudini student, rectè ambulant in lege Domini, neque per obliquatos tramites ab ea deviant: grata est illa oratio, quam cor purum, & mundum fundit, non quam os impurum effundit.

36. Hinc scitè in lege veteri moris erat, quò sacrificium pro peccatis cæteris præmitteretur, sicut censet Abulensis, quò omnium posteriora sacrificia grata, & accepta Quæst. 9. Exod. essent Deo, si fierent ab hominibus puris, ac justis, quique pro suis noxis jam satisfecerint;

cerint; priùs igitur sacrificium pro peccatis expiandis præmittebatur tanquam dispositio ad subsequentia; idque sacrificium orationis institututus, necessè est, agat; delicti enim si conscius sibi sit, vel per sacramentalem illud deleat confessionem, vel per concitatum in se dolorem, actúmque contritionis elicitum illud expiet, quo disponatur ad ritè instituendum subsequens orationis sacrificium. Si confessarium adire non sit commodum, saltem antequam oraturus divinam accedat Majestatem, dolorem in se concipiat, dicátque: ò benignissime Deus! ego te offendi per decem facilè millia pudendarum anteactæ vitæ actionum, quarum ita me modò pudet, ut verear comparere coram Majestate tua, & oculos ad te levare, cum nec obtutu illius me dignum cognoscam, doleo ex animo, quòd te offenderim, nec possum satis testificari dolorem, qui torquet peccatorem animum meum, eò quia te offenderit, habueritque contemptui; quia tamen bonitas tua peccatores non rejicit, si resipiscant, de tua confisus misericordia audeo, supplex à te veniam mearum exposcere noxarum. Téque enixim, & cum lachrymis rogo, & cùm eo intimiori, quô possum doloris sensu exoro, ut ignoscere velis sceleribus vitæ meæ, quæ abhorreo, detestor, quia injuriam tibi intulerunt, majestatem tuam læserunt, & per has exerrantes actiones dereliqui te fontem aquæ vivæ, averti me à te summo bono, ut cisternis adhærerem dissiparis, & cœnosas terrenarum voluptatum ebiberem aquas siti accendendæ magis, quàm extinguendæ aptas; & mihi efficacissimè propono opitulante imbecillitati meæ gratiâ tuâ confitendi de illis, serióque emendandi, & cruentas neces millies potiùs subeundi imposterum, quàm semel iterum Majestatem tuam delinquendo offendere, doleo dolore animi mei maximo, & penitissimo, quòd per summum tui contemptum pravos affectus cordis mei, divinæ antetuli Majestati tuæ, & te odi, qui solus dignus es amari; quia tamen miserationum tuarum non est finis, tuam ex toto corde exoro misericordiam, ac veniam posco mearum actionum, per quas me à Te averti eum protestatione inviolabili reparaturum me damna hæc honoris tui obsequijs meis: da igitur mihi gratiam, ut verè, & sincerè doleam, me offendisse te, qui es summè bonus. Nihil inferni timor, nec cœli amittendi metus in scelerum meorum detestatione loci habet, sed amor tui est, qui solus ante oculos meos obversatur, & maximè doleo; non quia mortem; & gehennæ pœnas mihi promeruerim, sed quia bonitatem tuam offenderim, quam summo debueram amore prosequi: nec aliam doloribus oppressi cordis propter delicta, & iniquitates meas habeo causam, quàm quia amo te, & imposterum te solùm amabo, neque ab amore tui me amplius divellent voluptatum lenocinia, concupiscentiæ illicia, mundi blandimenta; paratus potiùs omnia subire tormenta, & millies mori, quàm à te vel semel imposterum separari. Quòd si hæc doloris expressio nimis videatur prolixa expeditiùs, saltem dicat. Mihi summè displicet, quòd te summum bonum offenderim, & ex animo doleo, & supplex rogo à te veniam, statuóque firmissimè non ampliùs te offensurum: hoc præmisso peccatorum dolore, gratior est Deo oratio, & fluenta per pias divinorum meditationes ebibit divinæ dulcedinis.

Sunt ex serpentibus, qui fontes ac- 37.
cessuri ad sitim extinguendam, & latices puriores bibendos, venenum priùs ad marginem fontis deponunt, ne scilicet fontalis aqua, pura, & defœcata, veneno inficiatur: ita accessuri per gradus orationis ad fontem divinæ pietatis, necessè est colubros imitemur, virus omne peccati priùs deponamus, antequam bibamus, seu oremus; ut cum preces fundimus divina pietas latices suæ gratiæ in nos diffundat, quibus imbuta nostra oratio, grata fiat ad Deum precatio, scitè Clemens Alexandrinus. *Precatio cum Deo conversatio, &* Lib. 7. Stromat.
*collocutio est, ac proinde inter familiares, & amicos fieri debet, ac supponere deletam offensam*, non enim, qui per lethales noxas à Deo avertuntur, hi orantes exaudiuntur. *Scimus, quia peccatores Deus non* Joan. cap. 9.
*audit: sed si quis Dei cultor est, & voluntatem ejus facit, hunc exaudit:* & licèt publicanum Deus audierit rogantem, & exaudierit supplicantem, non tamen tunc suis perstitit in peccatis, sed humilis, & supplex veniam poposcit, pectus contudit, & culpas è conscientia abegit, quia eas confessus foras ejecit; & ideò, qui Deo erat exosus, ab oratione abiji Numini amicus, quia à culparum sordibus emundatus; beneficio enim orationis mortui peccato ad vitam resurgunt gratiæ.

Scimus tres à Christo Domino mortuos 38.
resuscitatos, scilicet filium Viduæ Naimiticæ, filiam Archisynagogi, & Lazarum fratrem Marthæ, & Magdalenæ. Quid quod in duabus primis resuscitationibus Christi, Evangelista orationis ad Patrem æternum directæ non meminerit? sed duntaxat in tertia Lazari quatriduani, ac jamjam fœtentis in sepulchro? S. Joannes hanc describens resuscitationem ait: *JESUS autem elevatis sursum oculis dixit: Pater! & infremuit spiritu: rursus fremens in se ipso:* cur igitur Lazarum in sepulchro quatriduanum revocaturus ad vitam reducem, æternum Patrem Christus orat, qui pro filio viduæ redivivo, & filia Archisynagogi resuscitanda nullas fundit preces? quia nimirum Lazarus peccatorem ænigmaticè repræsentabat ex insolita

con-

consuetudine in cœno sordescentem peccati; quia igitur Lazarus typum gessit peccatoris jam consuetudine nequitiæ inveterati, jámque mala consuetudine fœtentis, ideò non potuit ad vitam, seu ad statum gratiæ revocari, nisi beneficio orationis Christi efficaciter ad Deum Patrem fusæ; quia conversio peccatoris ad saniorum frugem opus est divinæ gratiæ, quam nobis merita Christi impetrant.

39. Divinam igitur oratio omnipotentiam videtur æmulari, ac esse ejusdem vicaria, in miris perpetrandis, mortuis resuscitandis; sed necesse est, ritè instituatur, ac prodeat è corde à pravo quovis affectu libero, & in mente concipiatur, ubi lilia castitatis, & rosæ charitatis florent: quia tametsi oratio ex se proba sit, & Numini in vota orantis flectendo apta, suas tamen deperdit vires, si mentis non oleat puritatem, & pravi affectûs exhalet fœtorem. Referunt Gemmarii diacostidem nobilem esse gemmam, & quidem ingentium virium, ac virtutum, has tamen in ore cadaveris deperdere. Quid ni, quamvis sit oratio gemma, eáque pretiosissima in ore tamen hominis impuri, vim omnem deperdit, quia ut ait Syracides: *Non est speciosa laus in ore peccatoris*, sordescit in sterquilinio gemma nobilis, & maculas contrahit in lutum projecta: & oratio quamvis ex se pellucida sit, ac splendens, si tamen è corde oriatur pluribus fœdo maculis deperdit, & ipsa suum nitorem, quia ut ait Bernardus: *Oratio cordis est, non labiorum. Neque enim verba deprecantis Deus intendit, sed cor aspicit orantis*, quod propterea, si culparum sordes contraxit, lachrymis necesse est abstergatur pœnitentiæ; si gramina, urticæ, & senticeta in neglecta ejus tellure germinârunt, falce amputanda sunt sinceræ resipiscentiæ; si probrum contraxit sterilitatis ager cordis nostri, excolendus est, & proscindendus vomere pœnitentiæ; locupletandus virtutum seminibus, & irrigandus fusæ orationis imbre: scitè S. Laurentius Justinianus, nos monens ut pravos exuamus affectus, & virtutum induamus ornatum ait: *depone iniquitatum fasciculos deprimentes; abjice à te cupiditatis onus: asperge maculas interiori aspectu, & lota anima facie atque veste induta nuptiali, securus accede ad ipsum, tuásque illi petitiones edicito.*

[Margin: Eccli. 15. 9. — Lib. de inter. domo cap. 48. — De casto conn. cap. 28.]

40. Orationis aquâ rigandus est ager cordis nostri, quo probrum exuat sterilitatis; abluenda est mens fusarum precum latieibus; fœcundanda est probitatis seminibus, & excolenda virtutum studio, si fructus & uberem expetimus messem è cordis nostri exculto agro: nisi enim ager præparetur, excolatur & probis seminibus fœcundetur optatos non dat fructus, sed jugiter probro laborat sterilitatis: ita oratio, ut quos cupimus fructus, producat, è corde prodire debet exculto virtutum exercitiis, & à quavis pravi affectus urtica soluto; alioquin quas in suppetias preces fundimus in nostram accersimus perniciem. Etiam Core, Datham, & Abiron, aliíque Hebræi Proceres numero ducenti, & quinquaginta secedentes à Moyse thura obtulerunt, preces fuderunt, variósque sparserunt odores; & tamen licèt oraverint, adhuc terra contremuit, & ejus undabunda superficies, ac si esset pelagus vento fluctuans, procellâ concitum, populum terruit universum; & cùm perduelles persisterent in sacrificio, in precibus fundendis, immani eliso sonitu, horrendo hiatu terra proprium disrupit sinum, os aperuit, quo statim ducentos quinquaginta viros unà cum uxoribus, liberis, totáque familia absorbuit, ac deglutivit: *Descenderúntque vivi in infernum; operti humo, & perierunt de medio multitudinis*; sublatis enim è vivis viris seditiosis, terræ hiatus iterum clausus fuit, ut ne vestigium quidem enormis illius stragis, ac perduellium superesset. Quid putas, fuit, quod Numen ad tantæ indignationis commoverit excessum, ut in tot capita sui populi funestâ illâ animadverteret strage? An quia oblata thura, fumigantia thuribula, ignes excitati in sacrificio Deo displicuerint? Non fumus thuribuli, non odor thuris, non flamma ignis Numinis accendit indignationem: sed cor sacrificia offerentium Deum ad iram provocavit; sed oratio perduellium Deo displicuit, quia è corde exibat malignantibus depravato affectibus contra Moysem; superbiæ contumacia cor orantium inflaverat; livor invidiæ corruperat; odii malignitas infecerat, & ideo preces ortæ ex corde pravis infecto affectibus adeò Numini displicuêre, ut nec earum expectaverit finem; quin gravissimè in perduelles animadverteret.

[Margin: Num. cap. 16. v. 32.]

Oratio quam cordis munditiès, & pravorum affectuum coërcitio non præcedit, neque è corde procedit ad divina colloquia ritè disposito, & præparato, Deum ad puniendum magis inducit, ac indurit, quàm emolliat, & flectat ad parcendum. Bias cùm mare trajiceret, & suborta procella navim exagitaret, fluctus quaterent, & ventorum impetus ad naufragium impellerent, viri qui in eadem navi aderant, profligatæ, ac deploratæ vitæ, cùm Numina ob sospitatem deprecarentur, clamorésque precarios in cœlum inciperent emittere: silete quæso socii, silete; dixit Bias, ne Numina vestros audiant clamores, nósque hic esse sentiant; quia nostris cùm fuerint irritati flagitiis, jubebunt marinos fluctus in nos acriùs sævire, & suo nos hiatu absorbebunt. Hoc idem retorqueri in Dathanum, Abironem, Corem, eorúmque Asseclas facilè potuisset: satiùs si vir aliquis probus, & amicus eis dixisset: tacete, silete, abstinete ab hisce sacrificiis, quæ Deo displicent, & ejus provocant indignationem. Ut igitur nostram probemus orationem, cor nostrum ab omnibus priùs expurgemus sordibus, à quovis depravati affe- 41.

ctus vitiò illud liberemus, sunt enim pravæ in corde nostro affectiones, meatus, ac subterranei cuniculi, quibus tartareus hostis cor nostrum adoritur, obsidet, & occupat.

42. Holophernes civitatem Bethuliæ suis ut subjiceret armis, eámque juris sui faceret aquæ ductus, per quos aqua in civitatem manaret, aliò diverti præcepit: & urbem procul dubio occupâsset, nisi divina Providentia, heroinam illam Juditham promovisset ad Holophernis caput amputandum: eodem tartareus Holophernes arcem cordis nostri expugnaturus nititur stratagemate; aquæ ductus, ac subterraneos nostrorum affectuum meatus explorat: & sicut ex affectibus alii sunt probi, hos veluti aquæ ductus diverti jubet, & everti; ne pellucidi divinæ gratiæ latices, & sancti Spiritus impulsus, inspirationes, & lumina in cor nostrum transmittantur. Alii sunt affectus pravi, & per hos veluti per subterraneos cuniculos studet in cordis nostri arcem penetrare, ac sibi subjicere; & hi meatus claudendi omninò sunt per pravorum affectuum coërcitionẽ, ad quod divinâ indigemus gratiâ, quam propterea enixim debemus exposcere, cùm ad orationem præparamur; ne cùm divina meditamur postea mysteria sint nobis molestiæ, nósque à colloquiis cum Deo divertant, nostrásque inficiant preces: siquidem frigent orationes ubi concupiscentia calescit; corruunt preces, ubi pravi insurgunt affectus, qui proinde ope divinæ gratiæ coërcendi sunt, ne nos diverent orantes: pravi, qui in nobis vigent affectus mentem à divinis abstrahunt, & per varias futiles divagationes ad terrena, plerumque etiam fœda, pertrahunt; turba pravorum affectuum, & futilium evagationum à plebe seditiosa haud abludit; hæc effræni subinde rapta impetu custoditas etiam fores urbis, & prætorii invadit, & clausas effringit; ita dixerim, seditiosorum affectuum, ac evagationum turbas in orantis cor irruere, & clandestinis tumultibus mentis tranquillitatem obnubilare, pacem infringere, quietem abigere, & omnia susdéque vertere, & evertere.

43. Quando igitur experimur, hos pravos affectus in nos insurgere, cùm vires nostræ parum nobis opitulentur, adferántque subsidii, Deus in auxilium vocandus est, & enixim rogandus, ut suam nobis suppeditet opem; & juvat tunc, oculos, & mentem in cœlum elevare, & Deum toto corde invocare, ut dignetur tumultuantes cordis nostri affectus compescere; probas, ac pias affectiones excitare, & precandi spiritum munifica sua largitate nobis impertiri. Idque nos Ecclesia edocet, quæ etiam suo nos præit exemplo; siquidem cuilibet precationi æquè nocturnæ, ac diurnæ, hoc semper consuevit exordium præmittere: *Deus in adjutorium meum intende, Domine ad adjuvandum me festina*, nec aliter matutinas suas orditur preces. Huc etiam pertinet illud Cypriani dicentis: *Sacerdos præfatione præparat fratrum mentes, cùm dicit sursum corda, ut dum respondet plebs, habemus ad Dominum, admoneatur, se nil aliud cogitare, quàm Dominum habere.* *De orat. Dominic.*

## §. V.

### *Nullum inter orandum pravis coërcendis affectibus frænum aptius DEI præsentiâ. Nullus ad probos excitandos fomes magis idoneus.*

Plures sunt, qui pias, & Deo gratas vellent preces fundere; sed quia ad id se minimè disponunt; ideo nec valent mentem inducere, nec effectum consequi: sciunt omnes etiam, qui primis sunt Philosophiæ rudimentis imbuti, omnem vim, & laudem virtutis in sola actione sitam esse; & habitus virtutum, sive à Deo nobis infusos, sive à nobis acquisitos data occasione, & opportunitate suas debere vires exerere, & in opus exire; est enim id primarium eorundem munus, ac probæ actionis principium; & simul potentiam, quam imbuunt, ac afficiunt, ad id disponere, ut certiùs, ac faciliùs operetur. Causa igitur cur non proficiamus in oratione, defectus non est cognitionis, aut desiderii, sed exclusio est dispositionis, & præparationis. Actiones, quibus unaquæque virtus, aut generatur, aut crescit in binas solent partiri classes: aliæ enim internæ sunt, aliæ externæ: quoad orationem ritè fundendam, externæ sunt sensuum custodia, oculorum coërcitio, corporis compositio, fuga præcedentium confabulationum, exclusio curarum, ac negotiorum. Internæ, quæ & perfectiores sunt, sola mente, & voluntate perficiuntur & præsertim in coërcendis pravis affectibus, probisque fovendis occupantur, ut etiam in Dei præsentia quærenda, quam oraturus suo altiùs imprimat animo; quia sicut absentibus non loquimur nisi per Epistolas, ita si sola mente loqui cum Deo volumus, necesse est, eum præsentem credamus, & cogitemus: sola enim Dei præsentia est, quæ verò nos lætitiâ perfundit, unde aiebat Regius Vates: *Lætificabis eum in gaudio cum vultu tuo.* 44. *Psalm. 20.*

45. Plures perfundi gaudio cupiunt, qui tamen rarò eo potiuntur, quia in solo vultu Dei vera efflorescit lætitia, & flos hujus veri gaudii enascitur; neque usquam legi potest jucundum hoc lilium, quàm in fœcundissimo divinæ præsentiæ campo. Ideóque qui Deum mente retinet, qui ante divinam Majestatem se sistit, gaudio perfunditur, & vera repletur lætitia, quia ut ait Augustinus: *Ubi enim bene erit sine illo, aut quando malè esse poterit cum illo*, ideóque si oraturi Dei præsentiam cogitamus, & interim pravi affectus nituntur nos vexare, tentationes quatere, & futiles evagationes mentem nostram à DEI præsentia retrahere; non sinamus, ab iisdem vinci, *Tract. 51. in Joan.*

vinci, sed totis viribus iisdem obsistamus, affectus pravos coërceamus, tentationes divexantes excutiamus; & evagationes à Deo retrahentes abigamus; non avellamur à facie ejus, & inimici machinæ dissolventur, ait
Psalm. 17. enim David: *Præ fulgore in conspectu ejus nubes transierunt, grando, & carbones ignis*, & *Providebam Dominum in conspectu meo semper, quoniam à dextris est mihi, ne commovear* Psalm. 9. *In convertendo inimicum meum retrorsum infirmabuntur, & peribunt à facie tua*, seu ut clariùs explicant Septuaginta Interpretes. *Cum reversi fuerint inimici mei retrorsum, impingent, & peribunt à facie tua*. Si cupimus esse à pravis affectibus immunes Numinis muniamur præsentia, si impetus tentationum retundere volumus, clypeum eis objiciamus divinæ præsentiæ; si repullulat fortassis vitium non excisum, sed tantùm succisum, gladio divini vultûs ejus radices excindamus: Deum meditemur, ut Ægypti obliviscamur cum
Psalm. 17. Davide: *Et ero immaculatus cum eo*, si esse volumus sine macula, esse nolimus sine DEO.

46. Petri navicula procellosis fluctibus diverberata periclitabatur, sed cùm primùm Magistrum JESUM recepit, periculum omne abegit, & malacia restituta est mari. Si mens nostra à Deo exulat, nonnisi in limo in-
Psalm. 133. figitur profundi: *Avertente autem te faciem turbabuntur, auferes spiritum eorum deficient, & in pulverem suum revertentur*: qui à Dei præsentia se subtrahit, nonnisi vias
Isaia 64. percurrit iniquitatis: *Non est Deus in conspectu ejus: inquinatæ sunt viæ illius in omni tempore*. Ita est: nonnisi præcipitia, & naufragia incurrunt à Dei vultu eliminati.
Lib. 2. in Matth. Appositè observat D. Hieronymus, Discipulos non ad nutum, sed ad imperium Magistri Christi ab eo abscessisse, quasi præscios ejus præsentiâ destitutos subsecuturæ tempestatis, ait Hieronymus: *Rectè quasi inviti à Domino Discipuli recesserant, ne illo absente naufragia sustinerent*, quia, nisi Numinis præsentia muniamur, fluctuant statim pravi intus affectus, perflant tum concupiscentiæ, tum irascentis animi venti procellosi, & procellæ intus excitantur, quibus virtus naufraga absorbetur, idque Isaias expertus ait:
Cap. 57. v. 17. *Ascendi ab eo faciem ejus, & indignatus sum, & abiit vagus in via cordis sui*, dignum est notatu, non dixisse Prophetam, indignatus sum, & ideo abscondi faciem meam: sed priùs asserit, faciem suam abscondisse, & postea indignationis furente affectu fuisse exagitatum; *abscondi ab eo faciem meam, & indignatus sum*; quia cùm primùm se à Dei præsentia subduxit, suam abscondens faciem à vultu Numinis ab ejus se subtrahens præsentia indignatur, seu turbulentiori irascentis animi turbatur affectu, inflammatur irâ: non enim irasceretur impius, si Numinis præsentiam in se retinere adniteretur.

Tamdiu ab ira Dei absumus, quamdiu in ejus præsentia adsumus; quia si à Deo non avertimur, nec ab ejus nos præsentia subducimus, nullus in nos pravus insurgit affectus, qui in nostram debacchetur perniciem; Dei præsentia nonnisi probos excitat, fovétque affectus, quos Dei absentia statim enecat; quinimò ipsemet affectus, qui ante Deum baculus est, quo innitimur; si à Dei præsentia nos subducimus, non solùm extinguitur, sed in serpentem deprehenditur degeneràsse.

Oratio tunc divinas demulcet aures, 48.
cùm in conspectu Dei funditur, David: *Clamor meus in conspectu ejus introibit in aures* Psalm. 17.
*ejus*, quia si oratio fit in conspectu Dei, seu si orans Deum præsentem sibi credit, aures Dei patent oranti, qui Deum flectit in sua vota, & impetrat quidquid exposcit; si petitum, assecutionem respiciat æternæ salutis; quapropter David, ne ejus oratio mente concepta suo frustraretur effectu, non aliter studebat eam fundere, quàm in conspectu
Dei: *Meditatio cordis mei in conspectu tuo* Psalm. 18.
*semper*, ideóque voti compos pravos omnes v. 17.
coërcuit affectus, & ne ampliùs insurgerent in sui perniciem concupiscentiæ æstus extinxit, & divinam legem religiosè custodi-
vit: *Servavi mandata tua, & testimonia tua*: Psalm. 118.
sed tam exactè Dei præcepta servavit, & ejus testimonia, ut neque latum unguem ab iisdem postea abscesserit: nimirum quia
Deum præsentem sibi semper aspexit: *Quia* Psalm. 168
*omnes viæ meæ in conspectu tuo*.

Quamvis videantur nobis excelsas rupes, 49.
alpésque impervias obesse, ne viam mandatorum Dei possimus decurrere; si tamen oratio nos præcesserit hæc veluti prævia fax tuta nobis ostendit itinera; quòd si in Dei præsentiam mentis oculos dirigimus, simúlque in ejus conspectu orationem fundimus, quam mente concipimus, montes difficultatum statim explanantur; & plana fiunt, quæ nobis videbantur aspera, & impervia,
idque expertus regius vates, aiebat: *Montes* Psalm. 96.
*sicut cera fluxerunt à facie Domini*: quinimò & Salvatoris præcursor Joannes Christi prædicaturus adventum, prædicat itidem prava in directa, & aspera futura in vias planas;
quia ut ait David: *Nam & si ambulavero* Psalm. 22.
*in medio umbræ mortis non timebo mala*, sed cur David ambulans per vias umbris, & tenebris obsitas, ubi pericula fiunt obvia mortis; ubi præcipitia patent ad interitum; se immunem dicit à quovis malo? nimirum quia quamvis in medio umbræ mortis ambularet, Deum tamen semper secum habuit præsentem, & comitantem, propterea subdit, *Quoniam tu mecum es*, quia si Deus adsit, tametsi mors sua in nos videatur tela ejaculari, ejus tamen ictus retundimus clypeo muniti divinæ præsentiæ: imò si DEO adsumus; etiam in sinu mortis vivimus: idque causæ, cur Regius Vates toto animo, & ardore divinam sitiret præsentiam Psalm. 26. *Tibi dixit cor meum: exquisivit te facies mea*:

*mea*: *faciem tuam Domine requiram*, quia Dei præſentia eſt, quæ nos ab omni eripit diſcrimine, & omnes in nobis coërcet noxios affectus in noſtram inſurgentes perniciem: Psalm. 30. *Eripe me de manu inimicorum, & à perſequentibus me*: eripimur verò ab inſidiis inimicorum, ſi Dei nos muniamur præſentiâ: quia tunc facies noſtra perinde, ac fax accenſa ſplendet, & laqueos videt, quos declinet; quapropter David enixim cupiens eripi de manibus inimicorum in ſuam perniciem inſurgentium ſubdit: *Illuſtra faciem tuam ſuper ſervum tuum.*

50. Inſidias pravorum affectuum non timerent orantes, ſi Dei facies, ſeu præſentia in eorundem refulgeret mente, rarò laberemur, ſi vultui Dei hæreremus, ſi ejus præſentiæ inſiſteremus, & ideò ad hanc Numinis præ- Psalm. 33. ſentiam ſuadens David orantes, ait: *Accedite ad Deum & illuminamini, & facies veſtra non confundentur.* Dei qui nititur præſentiâ, tametſi omnia circumfluctuent, & ut Psalm. 49. ait David: *In circuitu ejus tempeſtas valida,* quia ramen fluctus Deum non tangont, nec ei approximant, malaciâ fruitur, licet fluctus decumanis tumidiores ſuperbiant; tutus ſtat, quamvis cætera nutent, quieſcit tametſi reliqua agitentur.

51. Præcipuum igitur mentis orantis ſubſidium eſt Dei præſentia animo altiùs impreſſa, hâc enim veluti impenetrabili clypeo ictus omnes tartarei hoſtis retundit; ac veluti injecto fræno pravos quoſque inſurgentes affectus coërcet, inſoleſcentis concupiſcentiæ motus compeſcit, quin & tædium ipſum excutit, & omne abigit animi faſtidium: quapropter plurimum proderit, ſi oraturus mente avolet in cœlum, & medius inter Angelos ante DEI thronum ſe proſternat, ac ſuam petitionem ſupplex exponat; imò non ſolùm orantes in hanc Dei præſentiam noſtros debemus intuitus dirigere, verùm etiam in ſingulis aliis noſtris ſtudiis, & actionibus, ne devii declinemus à rectitudine; eſtque quod nobis Salomon Proverb. 3. v. 6. ſuadet: *In omnibus vijs tuis cogita illum, & ipſe diriget greſſus tuos*, ſi enim noſtros in Deum mentis intuitus direxerimus, ipſe etiam quaſi ex inito fœdere cum ſuis amicis oculos ſuos viciſſim nobis ſive laborantibus, ſive orantibus affigit, omneſque greſſus noſtros dirigit, idque expertus David dixit; *Providebam Dominum in conſpectu meo ſemper, quoniam à dextris eſt mihi, ne commovear*, quia David ſuos ad Deum mentis oculos jecerat, ita Deus ſuos in ipſum injecerat: hac enim viciſſitudine ſuos Deus ſibi devincit amicos. Cùm Chriſtus poſt devictam mortem è ſuo funere in cœlum aſcendiſſet è monte, duo ſtatim adſuêre Angeli; qui ad mirantes ejus Diſcipulos attentis oculis in Actor. c. 1. cœlum ſuſpicientes dixerunt: *Viri Galilæi quid ſtatis aſpicientes in cœlum*? quaſi dicerent cur tanta ſolicitudine oculos veſtros in cœlum erigitis, cur facies veſtras ad ſydera intenditis, quaſi triſtes de aſcenſu Magiſtri ad Patrem, ac obliti ſponſionis vobis obfirmatæ, cum vale dicturus vobis, dixit: *Ecce* Math. c. 28. *ego vobiſcum ſum uſque ad conſummationem ſæculi*, ſi vobiſcum eſt, & præſentem habetis, cur triſtes eſtis de illius in cœlum aſcenſu? Quid ni, id plerumque nobis contingit, qui altos ad cœlum gemitus emittimus, ac ſi Deus à nobis procul eſſet, qui nobis ſemper præſentiſſimus eſt: quòd ſi hanc Dei præſentiam ſeria perpenderemus cogitatione, longè utique attentiores in precibus ſive ore fundendis, ſive mente concipiendis eſſemus: ſi ſeriò cogitaremus, Deum Judicem intus in corde noſtro ſedere, ac attentiſſimè cogitationes noſtras ſingulas obſervare; non tam luridè preces funderemus, nec per incuſtoditos ſenſus futilibus mentis evagationibus oſtium aperiremus, nec tot pravorum affectuum tumultus internam nobis quietem abriperent: ſed quia nec Dei præſentiam, ſedulò perpendimus, nec ſenſus noſtros præſertim exteriores cuſtodimus; fit plerumque quòd mens inquieta, nullum, vel modicum colligat ex oratione fructum.

Ne pravi inſurgant intus affectus, qui 53. mentis noſtræ malaciam turbant, & internam pacem infringunt, neceſſe eſt, cuſtodiamus externorum ſenſuum atrium; quia ut nos Chriſtus Magiſter monet: *Cùm fortis* Luc. 11. *armatus cuſtodit atrium ſuum in pace ſunt ea, quæ poſſidet.* Quò tutior ſit arx ſolet exteriùs propugnaculis muniri, & interiùs multiplici præſidiario roborari milite. Diſponuntur utrinque excubiæ, ac vigiles milites; oſtia ſingula nocte clauduntur, ne quiſque poſſit ingredi, & ideò in pace ſunt tunc omnia intus in arce. Quid ni ut arx mentis noſtræ à ſua non dejiciatur tranquillitate claudendæ ſunt fores, & ſeriò invigilandum, ne hoſtiles rerum fluxarum ſpecies ingrediantur, ne ullus rerum externarum tumultus in nos inſurgat. Talis fuit turris Davidica, ex qua mille pendebant clypei, & armorum apparatus univerſus ingerebatur ad munimen; hæc autem turris ita munita, & minax ſymbolum prodit mentis orantis, quæ niſi ſibi invigilet, fores externorum ſenſuum cuſtodiat, clypeóque divinæ præſentiæ ſe muniat, ac Deo intimiùs uniat, vix à tumultuantium pravorum affectuum ſtrepitu immunis erit, nec pace gaudebit in arce mentis. Si ſuum Princeps fortis atrium ritè cuſtodiat, ſi arcem ſuam firmet propugnaculis, milites acceſſat, excubias diſponat, tormentis muros armet, fores claudat, & invigilet, ne quiſquam ingrediatur ignotus, omnia ſunt in pace, quæ in arce poſſidet; ſi tamen non bracteatus interſit atrio, ſed loricatus; non ſomnolentus excubias agat, ſed vigil ſingula exploret. Præ cæteris autem turris Davidis prolixa clypeorum ſerie monita exteriùs dicitur ad hoſtium aſſultus coërcendos, eorúmque tela eludenda: nos itidem oraturi Dei præſentiâ neceſſe eſt munia-

muſ

mur veluti clypeo ad pravos omnes eludendos affectos; quia si à Dei præsentia abscedimus, perinde ac evangelicus filius prodigus discedens à præsentia patris, depravatæ concupiscentiæ prosternimur affectu.

54. Prodigus adolescens abscesserat in Regionem non barbaram, sed longinquam; sed quia patris præsentiâ destitutus, & consiliis; quas è paterna domo divitias secum tulerat, abligurivit, uniones in glandes mutavit; splendentem byssum in detritam lacernam; equos in sues, auri splendorem in fœdam nuditatem; à pravo enim concupiscentiæ affectu spoliatus ornatu virtutum, lasciviarum fœditatibus coinquinatus cœpit egere; sed miserior fuit opulentia, quàm inopia: siquidem opibus diffluens, & onustus luxuriari cœpit; & egestate pressus desiit scortari. Sed quænam fuit hæc Regio, ubi tam ingens exorta tempestas criminum fuit juveni? An Medorum fuit ipse illecebris interceptus, vel Persarum gravatus scenis, vel lasciviis corruptus Ægyptiorum? Neque suis eum deliciis dementârunt Sybaritæ; nec Chij suis pateris excantaverunt; nec ei obstrepentibus tabulis illuserunt Rhodij; neque Attici per lenocinia epularum in suas pertraxerunt adolescentem casses. Quid igitur causæ cur adolescens unà cum patrimonio censum etiam prodigeret pudoris, libertatem amitteret, & famam fœdaret pravorum concupiscentiæ affectuum addictus vili famulitio? Causam hujus lapsus innuit Sacer textus: *Congregatis omnibus adolescentior filius peregrè profectus est in Regionem longinquam,* Luc. 15. scilicet discessit à domo paterna, se subtraxit à consiliis, & præsentia patris; ideóque, quamvis opibus onustus; quia paterna destitutus præsentiâ cœpit omnia prodigere, & pravis famulari concupiscentiæ affectibus. Cùm primùm à patris se præsentiâ subtraxit in Syrthes incidit Lybicas, in Brutiorum Scyllas, cœtus Britannicos, Siculósque Cyclopes: si à patris, seu Dei præsentia abes, habes vel in Attica, non Solones, sed Poliphemos; & in medio Tibure Sardiniam experiris; in scopulos impingis, vel Charybdes incurris si Numinis non fulciris præsentiâ. Hinc prodigus adolescens in se reversus, factique pœnitens, non mores incusat urbicos, non Provinciæ damnat lasciviam, non prava populi reprehendit exempla; sed solam à patre absentiam, originem dicit sui lapsus, & fœditatum, quas contraxit, ideóque resipiscens ait: *Surgam, & ibo ad patrem meum,* Luc. 15. quia tam prope ad Charybdim accessi, quàm procul à præsentia patris abscessi.

55. Tametsi sit Deus ubique locorum per essentiam, ut loquuntur Theologi, præsentiam, & potentiam; homo tamen à Dei præsentia se subtrahit, cùm ad alia suis divertitur cogitationibus. Quòd si Deus est ubique præsens, cur ad hunc unum non respicimus, cum oramus? cur non uni huic intendimus, cum preces ad ipsum fundimus? quid miseri vagamur, & per labyrinteas fallacias erramus, & Deo non hæremus, qui nobis est intimè præsens, & sine quo, nec vivere, nec esse possumus? ut ait Augustinus: *Non essem Deus meus, non omnino essem, nisi esses in me.* Tom. 8. in Psalm. 75. Dei præsentiâ qui munitur, futiles excutit mentis evagationes, pravos abigit affectus, & cacodæmonis omnes retundit impetus. Refert beatus Nilus de quopiam viro asceta, qui duas integras exegerat continuis precibus hebdomades; cacodæmones id ægrè tulisse, ac in id unicè toto nisu incubuisse studii, ut hanc firmam, ac inconcussam orandi constantiam, vel infringerent, vel saltem turbarent. Idque ut consequerentur stoream rapuerunt, cui & virum fundendis precibus assuetum imposuêre joci, lusûsque causâ; siquidem hominem ascetam, perinde ac avenam vanno eventillârunt; sed vir pius eò ferventiùs oravit, quo acriùs à tartareis vexabatur hostibus, qui nec tantillum potuerunt eum turbare, nec à precibus fundendis distrahere; nimirum vir asceta clypeo munitus divinæ præsentiæ inter fundendas preces omnes elusit cacodæmonis astus; quia ut ait Beatus Nilus; vir ille, non manu libellum, non orbiculos tunc versavit precatorios, sed Deum in pectore suo præsentem adoravit, ad quem unum oculos adjecit; & quia mentis cogitationes in Deum sibi præsentem fixit; propterea, veluti vulnus tartareo hosti inflixit; qui nullis molitionibus, nec ludicris valuit ascetam ab oratione abstrahere.

56. D. Basilius quærens qui fieri potest, ut in oratione mentis nostræ cogitationes foras non evagentur, respondet, id posse obtineri si orans certus sit, se Deum habere præsentem, & veluti Judicem, sedentem in suo corde, & diligenter observantem singulas nostras cogitationes: est enim Deus ubique locorum præsens, sed specialiùs in animo orantis. Quòd si mira est corpus inter, & animam copulatio, & adhæsio, adeò ut sit tota anima non solùm in toto corpore, verùm & in quavis ejusdem minima parte, & præsertim in corde, quod est fons, & radix vitæ; ita & Deus tametsi sit ubique præsens, specialiùs tamen in animo orantis, cui suam suppeditat opem. Imperator in terris præsens est in toto suo imperio, sed solùm per potentiam, at in conclave suæ aulæ, suóque in solio est per præsentiam, suámque naturam: Deus verò est ubique præsens non solùm per potentiam, verùm etiam per præsentiam, & essentiam, ut non possit ullus designari locus, ubi non sit intimè præsens. Idque causæ, cur eùm preces fundimus præsentiam Numinis debeamus attendere, & venerari.

# DISSERTATIO XIX.

## Oratio mente concepta, & ritè incœpta est laxamentum ab humanis ærumnis, & incitamentum ad probos Affectus.

### §. I.

*Mens nostra plerumque inter orandum arescit, quia DEO, ut par est, non adharescit.*

1. Lerumque mens nostra ideo inter orandum arescit, quia inutilibus cogitationibus à præsentia Dei avertimur, & ad alia extra Deum divertimur; ideòque & tempus terimus, & fructus orationis perdimus. Vel quia omni præviâ destituti dispositione oraturi Deum accedimus. Pericles Græcos inter oratores paucis secundus, ad dicendum è suggesto, sæpius à populo lacessitus, negavit se id facturum, eò quia imparatus esset: Erubescebat siquidem non præmisso studio, ac consueta dispositione concionem ex-tempore populo recitare, & quidem prudenter; quia ut ait Stobæus, Cogitatio est fons orationis, & ubi nulla vel indocta præcedit cogitatio, ibi nulla, quæ proba sit, haberi potest oratio. Idque causæ etiam cur Demosthenes Epicli exprobranti, quòd tanto studio meditaretur ad concionem proferendam, & tantùm impenderet temporis plurium scilicet dierum, dicturus ad populum per unicam horulam, responderit: Erubescerem sanè, si mihi, ac Reipublicæ cupiens prodesse, plurium dierum non præmitterem cogitationem, & studium. Quinimò postridie ad populum dicturus consueverat noctem totam præcedentem vigilare, ut tantò paratior prodiret, quantò exactiùs meditatus fuisset dicenda: & cùm Pythias ei objecisset, quòd ejus conciones olerent oleum; sobriè, ac modestè respondit, satiùs est, ut mea oratio oleum, quàm ut tua vinum oleat. Quòd si Demosthenes tantum adhibuit studii, tantúmque impendit temporis, ut se prepararet ad peritè loquendum ad populum: quanto majori studio deberemus nos cum Deo locuturi debitam præmittere præparationem?

Serm 26.

2. Hæc autem præparatio in eo præsertim sita dicitur, ut mente oraturus priùs ex pio aliquo libello materiam seligat, quam sit meditaturus, dein negotia, solicitudines, curásque omnes temporales procul à se abigat, secedâtque procul à quovis tumultu, rerúmque terrenarum strepitu, ut cum Isaia dicat: *Venite ascendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Jacob, & docebit nos vias suas, & ambulabimus in semitis ejus.* Hoc est intentiones, cogitationes, voluntates, affectus omnes, & omnia interiora mea venite, ascendamus in montem, vel locum, ubi Dominus videt, & videtur; interim curæ, solicitudines, animi molestiæ, anxietates, labores, servitutes expectate hic, donec ego cum puero, seu ratio cum intelligentia illuc properantes, postquam adoraverimus, revertamur ad vos. Abraham enim dilectum filium suum Isaacum immolaturus cum illo solo ascendit in montem Moram; famulis, & asinâ ad montis radices relictis. Perinde divinis vacaturus meditationibus amandatis omnibus alijs occupationibus id unicè sibi proponat, Deo vacare, & sibi, & ita se gerere, quasi nihil aliud in mundo esset præter Deum, & orantem.

Isaia 2.

3. Etiam Moyses acturus cum Deo in monte Sinai spatio quadraginta dierum, & totidem noctium densâ, ac conglobatâ fuit obtectus nube, ut nullum ad montis radices viderit ex populo ibi immorante, nec ab ullo fuerit ipse visus. Locuturus cum Deo per pias divinorum meditationes cæcutire debet, quò nil nisi Deum intueatur; imò & surdescere, ne obstrepentes terrenorum tumultus audiat, ut solis Numinis alloquijs aures præbeat, nec cum alio loquatur, nisi cum solo Deo; imò quasi mortuus esse debet mundo, ut soli Deo vivat, possitque cum Apostolo dicere *vivo ego jam non ego, vivit verò in me Christus.* Quòd si aliquam inde experiatur molestiam, eandem patienter ferat, ac in satisfactionem offerat divinæ justitiæ, quam pluries conversando cùm creaturis tum oculis, tum auribus, & linguâ offendit.

4. Hinc animæ orantis secessus, à quovis obstrepente creaturarum tumultu necessarius est, ut Christus exemplo fortiùs, quam verbo etiam nos docuit, cùm toties à turbis adoraturus, ac oraturus se subduxerit; & Apostolis postquam aliquamdiu vacâssent prædicationi,

& con-

& converſioni hominum ſeceſſum hunc in ſolitudinē præceperit. Divina meditaturus myſteria neceſſe eſt quodviſalind negotium, curam, & occupationem ſepponat, ne ad alia diſtrahatur: quòd ſi cùm morbo affligimur, quavis alia omiſſa occupatione, ac cura ſoli valetudini toto ſtudio incumbimus recuperandæ; quantò magis debemus exteriora quæcunque omittere negotia; vires animæ langueſcentis, pabulo ut reficiamus orationis? cùm anima corpori præſtet, ejúsque morbi, corporis infirmitatibus ſint periculoſiores? Nun unimur Deo, quin à creaturis ſejungamur, in id propterea debemus ſtudii incumbere, ut noſtram refecturi animam, eam ad intimam cum Deo perducamur unionem myſticam.

5. Neque hæc unio localis eſt, neque ſolius præſentiæ, quâ Deus ubique eſt per ſuam immenſitatem, quâ omnia replet ſpatia, nulque vacuum relinquit: neque eſt unio per gratiam ſanctificantem, quâ anima à noxis emaculata Dei reſtituitur amicitiæ, cujus etiam naturæ fit conſors: neque eſt unio per charitatem: ſiquidem prima harum unionum convenit etiam rebus animâ carentibus, ac omni deſtitutis ſenſu: Secunda omnium eſt juſtorum, imò etiam puerorum nondum ſeptennium, ſeu ante uſum rationis: tertia communis eſt omnibus probis, qui Deum quidem ardentiſſimè diligunt, ſed adhuc dono contemplationis, ac myſtica carent unione, quæ adeo abdita eſt, ut inexpertis ſit impervia, & explicatu difficilis, ſitque in ſolis animæ potentiis, intellectu ſcilicet, & voluntate; quatenus vir aſceta hiſce duabus munitus alis ſurſum avolat, & Deum attingit, cui conjungitur, non alio glutino, quam amoris; qui fructus eſt orationis mente contemplantis myſteria, & tantum huic myſticæ unioni ineſt dulcedinis, ut futuræ beatitatis quædam videatur eſſe prægustatio.

6. Beneficio hujus unionis internâ luce divinitùs infuſâ perfuſus intellectus Deum reſpicit, & in eo ut in fonte bonorum omnium propriam extinguit ſitim, ſéque plenè explet, reficitque; & quia in Deo ſolo cognoſcit eſſe omne bonum ab illo non divertitur voluntas, quò quærat aliud bonum: imò dicit cùm Petro Apoſtolo in monte Taboreo; *Bonum eſt nos hic eſſe:* quia ibi ſpiritus introducitur in cellam vinariam, ubi lætus ebibit ſobriam ebrietatem. Deſinit ibi deliciis amans anima, deficitque à ſe ipſa, & quaſi in priſtinum ſuum redacta nihilum in abyſſum elabitur æterni amoris, ubi ſibi mortua, ſoli Deo vivit, nil ſciens, nil ſentiens præter amorem, dicitque propterea cum ſponſa: *dilectus meus mihi, & ego illi;* & licèt in divina illa caligine videatur, ſe ipſam perdere; ſe tamen tunc invenit, cùm ita ſe perdit. Eſt igitur hæc myſtica unio, quâ beneficio mentis divina contemplantis myſteria vir aſceta evanſcitur beatiſſimos veluti divinæ bonitatis amplexus; eſt prægustatio ſummi boni, à quo ut à ſuo fonte reliquorum bonorum perenni ſcaturiunt rivuli omnes.

Hinc decor, & pulchritudo tota derivatur orantis, & contemplantis; & chariſmata cuncta S. Spiritûs, quibus ad miram exornatur pulchritudinem. Ab hac origine divinæ bonitatis, & myſtica animæ unione cum ſummo Bono omnis proficiſcitur ſplendor lucis; omnis internus radius, quo caligines abiguntur terrenorum deſideriorum, & tenebræ excutiuntur concupiſcentiæ, ac pravorum affectuum; & ardor ſuccenditur divini amoris, cujus ineffabili ſuavitate perfuſus ſpiritus terrena omnia faſtidit; divitias contemnit; honores nihili facit; dignitates vili æſtimat; & ſolùm in ipſo æſtuat inſatiabile cœleſtiom deſiderium. Et quamvis videantur hæc humanum noſtrum excedere captum, & obſtruſa potiùs involvere myſteria, ut tamen rectè ait Plato: *De rebus divinis credendum eſt filijs DEI, etiam ſi nullas afferant rationes:* non enim ut inutiles cenſendi ſunt, nec prorſus abjiciendi myſticorum libri, quamvis ſublimia tractent, & quæ noſtrum videntur captum excedere, quia id ſaltem ex iiſdem diſcimus, quatenus cognoſcimus, quàm longè à culmine verſemur Chriſtianæ perfectionis, nondum digni effecti, qui cum Moyſe ſacram ingrediamur hanc caliginem. Refert Gulihelmus Abbas S. Theodorici in vita S. Bernardi, ſibi infirmo in Monaſterico Clarevallenſi ſanctum Bernardum etiam valetudinarium expoſuiſſe canticum canticorum, in quo ait ipſe: *Cùm benignè, & ſine invidia exponeret mihi, & communicaret ſententias intelligentiæ, & ſenſus experientia ſua, & multa docere niteretur inexpertum, quæ nonniſi experiendo diſcuntur: & ſi intelligere non poteram; quæ ab ipſo apponebantur mihi; plus tamen ſolito intelligere me faciebant, quid ad ea intelligenda deeſſet mihi.* Lib. 1. cap. 12.

Quamvis videatur hæc myſtica unio explicatu difficilis, ſatiùs tamen eſt, ſi ejus experiamur utilitatém, & neſciamus definitionem; ſi ejus imbuamur ſuavitate, & deſtituamur cognitione. Quòd ſi hac interna non experiamur nos ſuavitate perfundi, non tamen recedere inde debemus: ſed cum Davide dicamus: *Exquiſivit te facies mea, faciem tuam domine requiram, ne avertas faciem tuam à me, ne declines in ira à ſervo tuo:* præproperum eſt, ac temerarium velle me corde immundo, mente fœdis evagationibus coinquinata Dei vultum videre, eique per amoris oſculum uniri: præſertim cum caligent oculi mei interiores à fulgore veritatis tuæ; & omnia interiora mea tumultuent contra me: nihilominus quamvis hac interna deſtituar ſuavitate, & mens mea veluti aridis oppleta arenis ſterileſcat, dicam tamen ſemper cum Davide: *Oculi mei ſemper ad Dominum,* & *Benedicam Dominum in omni tempore: ſemper laus* ejus 8. Pſalm. 26. Pſalm. 24. Pſalm. 33.

*ejus in ore meo*, & Psalm. 15. *Providebam Dominum in conspectu meo semper:* non enim vera vitæ sanctitas solatiorum dulcedine perfundi expetit; imò tunc oratio eò est nervosior, quò ab omni solatio remotior: nimis delicatæ est mentis has solatiorum dulcedines expetere, ac velle illis innutriri: hæc sensibilis dulcedo lac est cœleste, quod DEUS cui vult, impertitur, & quando vult affundit: tenellæ capellæ, fœtúsque recens in lucem editi solent lactea nutriri dulcedine; qui verò creverunt boves, vel arietes, nonnili herbas, & gramina per campos, montésque depascuntur: solet Deus lactea hac dulcedine tyrones præsertim perfundere, quos ad studia alliciat virtutum, adultos verò plerumque sterilescentibus pascit graminibus, quo malcula virtus magis exerceatur, ac nervosior fiat.

9. Quòd si Dei bonitas hunc suavem orandi gustum nobis instillet, non ab ejus debemus nos dulcedine subtrahere, sed cùm gratiarum actione dicere cum Propheta: *Paratum cor meum Deus, paratum cor meum:* & si iterum hanc nobis dulcedinem subtrahat, rependendæ adhuc sunt gratiæ, cum nos non ut infantes pascat, sed ut adultos, & robustos nutriat. Etiam inter aves, & animantes id consuetum à natura est, ac inditum parentibus, ut quamdiu eorum pulli deplumes sunt, & involucres cibum à genitoribus veluti præmansum, ac prima digestione concoctum accipiant. Pullos verò jam plumantes, & volatui aptos, ad volandum potiùs genitores provocant, quatenus ex se ipsis cum plumis sint induti, alis instructi, victum sibi quæritent. Perinde dixerim, Deum naturæ authorem, & gratiæ, eum viris ascetis, & virtutum culturæ addictis agere; non semper lacteam solatiorum dulcedinem ipsis suppeditat, nec eos vult sub maternis alis semper hærere. Eis plerumque subtrahit amygdalinum lac interni solatii, quò pati discant; & assuescant carere interno refrigerio, & consolatione, simulque se ipsos cognoscere, ac habere contemptui. Internum animi solatium viri ascetæ profectum in studiis virtutum non probat, sed destitutio omnis solatii; si hæc æquo animo toleretur, nec fit impedimento exercitiis orationis, & virtutum.

Genes. c. 21. De Isaaco ait Moyses: *Crevit puer, & ablactatus est, fecit Abraham grande convivium in die ablactationis.*

10. Quid quòd cùm moris fit apud Magnos Principes diem natalem nati Principis, festorum hilariis, pugnâ umbratili, choræis, aliisque id genus solatiis solemniùs celebrare; Abraham nullum nec convivium apparaverit, cum Isaacus ejus filius fuit in lucem editus, & tantùm illo die, quo infans ademptum sibi lac lugebat; epulum instituerit? nimirum ut inde sciremus, cœlites tunc gaudere, cùm viros vident ascetas ab uberibus consolationum avulsos, à lacte depulsos; solatiis exutos, miseriis obrutos, & calamitatibus depressos, & nihilominus neque latum unguem à divina voluntate dissentientes, sed tranquillè, ac toleranter omnia ferentes; hos enim Deus suis accenset amicis, quos erudit, ut filios: *Quem docebit scientiam, & quem intelligere faciet auditum? ablactatos à lacte, avulsos ab uberibus.* Isaia cap. 28.

11. Id summæ datur virtuti ad eam pervenisse æquanimitatem, quâ vir asceta mente hilari, & corde sincero dicere valeat, id mihi summum sit solatium, summúmque gaudium propter DEUM, & ad ejus voluntatis executionem omni carere solatio, quovis destitui gaudio. Vera perfectio non in perceptione magnæ dulcedinis sita est, neque in internæ consolationis affluentia, sed in eo, ut vir asceta se ipsum, & omnia pro DEI amore relinquat, & abneget, transfundátque propriam voluntatem integrè in divinam; & liber, tranquillúsque in singulis, quæ sibi obtingunt DEO semper adhæreat, ejúsque voluntati propriam semper resignet. Sunt, qui putant, se à DEO, derelictos, ac gehennalibus addictos cruciatibus, si sensibili devotione noverint se destitutos: & è converso DEO se existimant gratos, & acceptissimos, si sensibilem experiantur teneritudinem, ac devotionem in suis precibus, vel mente concipiendis, vel ore effundendis; quasi hilaris clamor ingens sit amor; sed falluntur, quia tunc plerumque est DEUS viris Ascetis proximior, cùm ab iisdem videtur magis distare: subtrahit interna solatia, ut majora inde eliciat meritorum incrementa; idque causæ cur homini sit plerumque utilior mentis ariditas, quàm cordis suavitatis abundantia; & melior interna tristitia, quàm cordis lætitia.

12. Id etiam ex ariditate æquo animo tolerata provenit utilitatis viro Ascetæ, quia tunc clariùs se agnoscit, suámque novit imbecillitatem, & ex se nihil posse; proinde enixiùs DEUM rogat, ut suam ei velit opem conferre, & gratiam impertiri, quâ in studio possit virtutum proficere, & præsertim in omnibus se ipsum divinæ voluntati integrè submittere: hæc enim sui ipsius submissio, ac resignatio divinæ voluntati argumentum est veræ devotionis, quia ut ait Blossius: *Vera devotio in sui ipsius submissione, resignatione, abnegatione, ac nihili pensione sita est potius; quàm in sensibili sapore, & dulcedine. Multis ad salutem utilius est ariditatem, & amaritudinem cordis sentire, quàm affectuosa desideria, & suavitatem. Ille DEO valdè placet, qui in ipsa sterilitate, & paupertate sua interna humiliter dicere novit; Domine licèt ego immundus sim, & omni consolatione indignus, te tamen non derelinquam, sed desolatus libenter ero juxta tuum beneplacitum, & permissionem:* voluntatis nostræ divinæ resignatio verior est, ac certior cordis devotio, quæ tametsi In Specul. Spirit. c. 5.

seu

sensibilis non sit, est tamen rationalis. Ea dicitur devotio rationalis, quando quis peccatum quodlibet odit, & execratur, ac paratâ semper voluntate Deum colit, & quæ Deo placere cognoscit, strenuè complectitur, ac peragit.

13. Annales Patrum Prædicatorum narrant, virum quendam cœnobitam, & ascetam, complures annos transegisse in exercitijs virtutum, sed postea ad tam mœstam animi siccitatem devenisse, ut quidquid ageret, tristissimum semper tædium experiretur, adeò ut nec oratio illi saperet, nec lectio placeret, nec meditatio quidquam ei adferret solatij, sed omnia ei insuavia, ac fellea essent; cùm interim alios videret alacres, ac bono esse animo. Nocte igitur intempestâ amaritudine repletus surrexit è lecto, & ante imaginem Christi cruci affixi se abijciens, fundénsque lachrymas, quibus totus madebat, conqueri cum Deo cœpit, eò quia cùm studijs incubuisset virtutum, & in omnibus cultum Deo exhibere, eique servire pro viribus studuisset, omni sit prorsus solatio destitutus; cum internis, & externis gaudijs alij perfundantur. Verùm hisce effusis querelis toto templo quasi jam ruituro fragor ingens intonuit: & dum cœnobita querulus anxiùs circumspicit, en adest horribili aspectu vir, qui perticam ferream vibrans trepidantem humo cœnobitam affixit, ubi jacuit semimortuus, & quasi rotâ contusus, maximísque intus doloribus lancinatus: cúmque manè horis antelucanis Odeum ingrederentur reliqui Cœnobitæ ex more horas matutinas soluturi, semimortuum humi jacentem repererunt, quem ad suum deculerunt lectulum, ubi per tres hebdomadas maximos tulit dolores, & adeò graviter olebar, ut non posset quispiam ei inservire, nisi obstructis naribus ob tetram, quam exhalabat fœditatem. Verùm cùm parùm convaluisset, & aliquid pristinarum resumpsisset virium, quibus repere potiùs, quàm incedere posset ad eundem se locum contulit, ut ibi vulnus sanaretur, ubi fuerat inflictum. Reversus igitur ad Christum in cruce pendentem, humi prostratus lachrymis madens culpam fatetur suam, & veniam enixim deprecatur, cúmque suas funderet preces; hanc sibi visus est vocem audire. Quid solatia quæris, cùm sis verme vilior? Quid tuis querelis meas tam anxiè aures pulsas? scias, solatiom non importunis petitionibus, sed iteratis humiliationibus quærendum esse. Idque cautiorem fecit virum Ascetam, qui imposterum suam voluntatem submissiùs divinæ resignavit.

❀ (o) ❀

## §. II.

### *Virum Deo, ac virtutum culturæ addictum non cordis consolatio, sed mentis desolatio probat, cum orat.*

NOn cordis solatium, sed voluntatis in Deum resignatio virum perfectum prodit: cujusvis solatij destitutio, mentisque ariditas, plerúmque plus prodest, quàm interna consolatio. Idque fortassis causa, cur etiam viri sanctissimi, & exercitijs summarum virtutum assueti hanc mentis fuerint ariditatem experti, David enim ajebat: *Anima mea sicut terra sine aqua tibi:* quia sicut ager à multo tempore non rigatus pluvijs, multiplici hiat æstu; rimulas contrahit, quibus videtur cœlo supplicare, opemque terræ petere; ita animus viri ascetæ siccitate, quandóque inarescit, idque expertus etiam D. Bernardus ait. *Exaruit cor meum, coagulatum est sicut lac, factum est sicut terra sine aqua, neque compungi ad lachrymas queo, tanta est duritia cordis, Non sapit Psalmus, non legere libet, non orare delectat, meditationes solitas non invenio.* Non tamen licèt quovis solatio destitutus, unquam desistit à cultura summarum virtutum, à Dei servitio, cùm nec latum unguem se à studio abstraxerit pietatis: quia sciunt viri ascetæ, & mascula sanctitate illustriores hisce solatiorum carentijs Deum virtutem experiri justorum, ut Israëlitas monuit Moyses Deuter. cap. 13. inquiens: *Tentat vos Dominus Deus noster, ut palam fiat, utrum, diligatis eum, an non in toto corde, & in tota anima vestra.* 14.

Psal. 142.

Serm. 54. in Cant.

15. Plerumque Deus, quos amat, omni destituit suavitate, omnem orationis gustum, ac meditationis saporem ejs adimit; ut de ijsdem experimentum sumatur, an ollæ duntaxat, & mensæ solius amici inhient; & num ob suum solum commodum Deo inserviant: scimus enim, Christum rarissimè suos in amœnum Taborei montis eduxisse Discipulos verticem; benè tamen frequenter, imò & quotidie eos in collem perduxisse Golgothæum: neque semper lac amicis suis propinat amygdalinum; persæpè felleum acetum potui immiscet, & per alternas vices solatur, & terret; visitat, & deserit; deijcit, & erigit, hinc D. Gregorius ait: *Rationem de occulto Dei consilio quærere nihil aliud est; quàm contra ejus consilium superbire. Cùm ergò factorum causa non deprehenditur, restat, ut sub factis illius cum humilitate taceatur, quia nequaquam sufficit sensus carnis, ut secreta penetret Majestatis. Qui ergo in factis Dei rationem non videt, & infirmitatem suam considerans, cur non videat, rationem videt; unde per Apostolum Paulum ad Rom. cap. 9. dicitur, ò homo! tu quis es, ut respondeas Deo?* Lib. 9. moral. cap. 8. & 9.

*nunquid dicit figmentum ei, qui se finxit: quid me fecisti sic? an non habet potestatem figulus luti ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam? quò autem secernit figmentum divini operis, eò semetipsum redarguit, ne contra manum resultet operantis: quia qui benignè, quod non erat, fecit; quod est injustè non defert:* hinc David cor suum paratum semper exhibens ad omnia tam prospera, quàm adversa eas ingeminavit voces, *paratum cor meum Deus, paratum cor meum:* scilicet non ad prospera tantùm, & jucunda, sed æquè etiam ad adversa, & aspera; æquè ad solatia, ac ærumnas; æquè ad gaudia, ac mœrores. Refert Blossius Divam Brigittam viduam à Christo interrogatam, cur turbaretur, & solicita esset, respondisse, eò quia varijs, noxiisque divexaretur cogitationibus, & divini judicij terror eam percelleret: cui Deus, ne timeas filia, hæc mea est justitia, ut sicut priùs delectabaris mundi vanitatibus contra voluntatem meam; ita nunc molestæ tibi sint perversæ cogitationes contra voluntatem tuam; & scias cogitationes pravas, quibus mens reluctatur purgationem esse animi, & in tentationum officina illustriorem cudi coronam: si eas prohibere non possis, quin te vexent, sufficit, si animo iisdem obnitaris, easdémque patienter toleres.

Psal. 56.

Monil. spiris, cap. 4.

16. Non obsunt tentationes, quibus voluntas nostra obnititur, sed prosunt; quatenus saltem nostræ imbecillitatis notionem nobis ingerunt: ut inde discamus non superbire, & neminem stare, nisi Dei virtute fultum. Et D. Gertrudæ Virgini dixit Christus: Vellem electis meis perutiusum esse, quòd eorum bona exercitia, & opera, mihi omnino placeant, quando ipsi proprijs mihi serviunt sumptibus. Hi autem proprio sumptu mihi serviunt, qui lactea interni solatij dulcedine destituti, & nullum sentientes devotionis saporem, adhuc fideliter consuetum mihi præstant servitium, suas frequentant orationes, studia non deserunt virtutum, exercitia non negligunt pietatis, confidentes de mea pietate; scias filia, quòd anima perseverans in humili, fidelique oratione adipiscitur omnem virtutem. Inde conijcimus orationis studium nullo modo negligendum esse, nec omittendum sive prosperis perfundamur, sive adversis opprimamur.

17. Solatium non quæreret homo, sed Dei exposceret miserationem, si consideraret, ait Bernardus: quid, quis, qualis sit, quid in natura, quis in persona, & qualis in vita; hæc tria, si consideret vir asceta, ipsum evehunt supra sydera, quia meditatio hæc omnia nobis detegit, quæ nobis clausa sunt; aperit, quæ abdita; in conspectum producit, quæ obscura; illustrat, atque arcana revelat: quinimò est hæc meditatio quasi patens fenestra, per quam alterius mundi, ac futuri sæculi diversissimos possumus status inspicere; nimirùm cœlum inspicimus, & orcum despicimus; seu locum illum aspicimus, ubi dies est sine nocte; lux sine umbra; & alterum despicimus, in quo nox est perpetua sine die, & caligines sunt sine ullo splendore. Neque meditari quid aliud est, quàm abditam scrutari veritatem, ac thesauros omnes sapientiæ, & scientiæ Dei, qui absconditi sunt filio Dei, ut se pauper illis locupleter. Beneficio hujus meditationis perpendet homo defectus omnes, ac imperfectiones, quibus à rectitudine deflectit, earúmque causas, & radices, & etiam media efficacia defectus proprios corrigendi, & hæc consideratio gravissimi est ponderis, cui propterea diligenter est incumbendum continuato plurium dierum studio.

Lib. de considere.

Rursus se ipsum vir hisce meditationibus assuetus inspicit, nimirum suas passiones, propensiones, pravos affectus, vitiatas intentiones, has ut eradicandas, & saniores inserendas; & ad id omnem adhibet conatum: virtutes etiam expendit speciales, ad quas peculiari stimulo, & interna propensione Deus allicit.

Rursus cogitat proprium institutum, & vocationem: quid divina præcepta injungant, quomodo hactenus ea observaverit, & qua ratione debeat imposterum se gerere, sibique proponit cordis excolere puritatem; eò quia, *Qui mundo sunt corde Deum vident*, ac æterna donantur beatitate; imò nec ei sufficit, nullam divinæ Majestati injuriam irrogare, sed ut eidem magis placeat, accuratè observar, industrias omnes, quæ sibi ad cuncta rectè peragenda præscripta sunt, ut quandam benè operandi emancipetur consuetudinem. Affectus in se excitat pudoris, & confusionis sui ipsius, dum se cognoscit in tam deploranda conditione constitutum, séque ipsum cognoscens accedit ad Deum, ut ægrotus ad Medicum, ut sordidus ad fontem misericordiæ, ut cæcus ad lumen æternum, ut pauper ad Regem cœli, & terræ; ut mancipium ad herum, à quo potest libertate donari; ut frigidus ad ignem, & ut peccator ad sanctum sanctorum; & inde fore speret, ut divina bonitas suo erga se amore, & meritis JESU Christi, & precibus Virginis matris, aliorúmque sanctorum pro se intercedentium, & affectu commiserationis sibi quasi condolentium à tam ærumnoso statu ipsum educat, sibique proponit integram sui ipsius reformationem, quæ in duobus præcipuè sita est; primò ut omnes pravos affectus propensiones, sive habituales, sive actuales, sibi à natura inditas, sive suo perverso usu comparatas radicitùs evellat. Secundò, ut prosequatur perfectionem, quam à se Deus exigit, eóque studio fiat vir secundùm cor ejus, & in omnibus, & per omnia se exhibeat ejus voluntati conformem, quæ duo perquam honesta sunt, utilia, ac jucunda, Deo grata, & homini consentanea. 18.

Matth. 5.

Quod

19. Quòd si negotia majoris momenti solent à viris Principibus injuncto inviolabili silentio cùm suis Consiliarijs tractari, & quidem nullâ admissâ interpellatione, & cum summo silentio; & nullum possit negotium gravius homini obtingere, quàm quod propriam respicit salutem, ideò tota attentione nititur illud peragere, & silentio; proinde locum ad hunc finem seligit à rerum terrenarum tumultu sejunctum, ut curis omnibus exclusis sibi duntaxat attendat; quia si harmonicus musicæ concentus in obstrepente tumultu non percipitur; neque quispiam est qui pingat, scribat, meditetur, vel alicui seriæ actioni incumbat in foro, ubi assidui sunt strepitus currunm, plaustrorum, ac rhedarum; jugésque hominum clamores; eò quia fieri non possit; ut in tanto strepitu terrenarum curarum, ac variarum cogitationum vocem audiat Dei interne blandè loquentis; unde studet locum seligere, in quo sejunctus sit è terrenarum obstrepente tumultu, dicente Osea Propheta. *Ducere te vult in solitudinem, ut loquatur ad cor tuum.* Cap. 2.

20. Quòd si adhuc ibi mentis irrepant evagationes, dummodo vir asceta causam adnitatur eis adimere, easque compescere; non sunt ipsi impedimento, quin fructum assequatur meditationis. Vulgatum est illud Plinij, Aquilarum pennas, alijs cæterarum avium immixtas eas devorare: quid ni? cogitationes nostræ ob pernicissimum volatum, quo huc, illúcque statim discurrunt, à volucrum pennis vix abludunt; & quia non unius duntaxat sunt generis, rectè eas dixeris, pennas esse promiscuas aquilarum, vulturum, Cycnorum, columbarum, passerum, ac Psytacorum; eò quia modò probæ, modò improbæ nostræ sint cogitationes, quæ propterea plurimum nobis negotii facessunt. Meditationes autem pias, ac probas cogitationes pennas dixeris aquilarum, cæteras aliarum alitum devorantes, quia ut appositè ait S. Hieronymus. *Una cogitatio felix est, cogitare de Domino, Dominus scit cogitationes hominum, quoniam vanæ sunt.* Lib. 10. nat. hist. cap. 1. In Psal. 93.

21. Consueverant prisci homines aquilam graphicè pingere, quæ rostro pectus sibi admorderet addito lemmate *semper ardentiùs,* virum ascetam virtutum cultorem, pijsq; addictum meditationibus designat hæc icon, quia quò frequentiùs divina meditatur, eò ardentiùs Deum diligit. Idque causæ, cur nunquam sit ab oratione desistendum, & quidem non solùm mente, & ore, sed etiam manu, & opere; quia ut scitè ait Cassiodorus. *Ipsius est perfecta oratio; cujus & causa clamat, & lingua, & actus, & vita, & sermo, & cogitatio,* & quia hæc omnia unà conjungere non modici est laboris, ideò Abbas Agathon interrogatus: quis omnium optimus simul, & gravissimus videretur esse labor? respondit rectè orare, in quo sensu fortassis dixit Hussæus Princeps Jobus: *Homo nascitur ad laborem, & avis ad volatum,* nec qnid aliud est hominis hic labor, quàm jngis oratio, cùm dicat Christus, *Oportet semper orare, & non deficere,* non quòd jusserit Christus assiduè nos genibus niti, ac indefessas cœlo manus attollere; sed ut semper oremus, vel saltem quid utile agamus; quia is benè orat, qui rectè agit; ipsa enim actio proba oratio est, licèt operosa sit, & practica. Rursus is dicitur jugiter in oratione perseverare, tametsi quod exposcit, non impetret; qui non desparat, nec conqueritur, eò quòd septennium jam, vel decennium precibus fundendis impenderit, nilque impetravarit; quia nunquam deficit, qui orare non desinit. In Psal. 140. Cap. 5. Luc. cap. 18.

## §. III.

### *Orationes jaculatoriæ, motúsque anagogici, sæpè & frequenter repetiti pravos quósque abigunt affectus, & probos fovent.*

22. D. Augustinus quærit, cur Christus multiloquium prohibeat, cùm tamen semper orare jubeat: & quæstionem solvit, inquiens: *Si non vis intermittere orare, noli intermittere desiderare. Continuum desiderium tuum continua vox tua est. Tacebis, si amare destiteris: frigus charitatis silentium cordis est. Si semper manet charitas, semper clamas, si semper clamas semper desideras, si desideras, requiem recordaris. Hinc semper orat, qui semper vitam beatam æternam desiderat.* Quòd si sensu fortassis magis accommodato Christi verba, quibus injungit nobis, ut semper oremus, velimus explicare, moraliter intelligenda sunt; si enim statis, & consuetis temporibus, & quidem passim mentem in Deum dirigamus, jugiter dicimur Deum orare, sunt enim, qui consuescunt ad pulsum horârum, vel salutationem angelicam recitare, vel mentem in Deum erigere, & amoris actum elicere; & hi dicuntur semper orare, & nunquam deficere, non quòd singulis momentis clament; sed quia passim, & statis temporibus id præstant, & quidem crebriter, seu ad singu los horarum pulsus, & & in hoc sensu explicat verba Christi D. Augustinus, inquiens: *Dicuntur fratres in Ægypto crebras quidem habere orationes, sed eas tamen brevissimas, & raptim quodammodo jaculatas, ne illa vigilanter erecta intentio per productiores moras evanescat.* In Psal. 98. Epist. ad Prob.

23. Hinc sunt etiam plures, qui frequentissimè has breves orationes, quæ ab ascetis jaculatoriæ audiunt, motúsque dicuntur anagogici repetunt, & hi jugiter dicuntur conversari cum Deo, possintque cum Apostolo dicere, *nostra conversatio in cælis est:* est siquidem oratio ascensus spiritûs ad

Deum

*Lib. 1. de orand. Deu.* Deum; *per quem ascensum*, ait Chrysostomus: *Societatem effugimus, quam cum brutis animantibus habemus, & cum Angelis copulamur*: hinc dicuntur etiam hæ perbreves oratiunculæ aspirationes, quatenus earundem adminiculis aspiramus ad Deum, & per eas aspirat Deus nostris conatibus; & quia cùm ad Deum aspiramus, nil nisi Deum spiramus; ideò per has mentis aspirationes ad Deum, non minùs fervor charitatis fovetur, quàm vita corporis aëris respiratione. Dicuntur etiam motus anagogici, seu sursum elevantes, quia beneficio earundem aspirationum à rebus terrenis abducimur, & ad beatam eum Deo evehimur unionem; vocantur itidem orationes jaculatoriæ, eò quia jaculorum instar, ac telorum velocissimè per aëra discurrentium in Deum veluti in scopum jaciuntur, ut ab eo dona cœlestia impetremus. Affectuum etiam donantur nomenclatione, quatenus sunt quædam cordis desideria, voluntatis proposita, per quæ Deo, ut summo bono adhæremus, & in Deum coto nisu tendimus; & quidem motu velocissimo, ac brevissimo tempore.

24. *Cap. 28.* Refert Jamblicus in vita Pythagoræ. Abaridem Hiperboreum Pythagoræ ævo nobilem, ac celebrem, aureum habuisse telum, quo vectus, perinde acsi Poëtico insideret pegaso celeriter aërem volitaret, dictus propterea Æthrobates scandens per æthera. Verùm hoc genere aurei teli longè potentiores, ac celeriores sunt alatæ, ac ignitæ mentis aspirationes, quas crebriter vir asceta elicit: tantæ enim sunt efficaciæ, ut eas elicientem in sublimè efferant usque ad thronum divinitatis: quapropter D. Antonius *Epistol. 11.* Abbas loquens de hisce motibus anagogicis, quibus viri ascetæ in eremo adsueverant, ait: *Anima, in qua habitavit ignis Dei similis est avi duabus prædita alis, quibus volat, & sursum per cæli aëra elevatur; etenim avi præ omnibus creaturis alæ peculiares sunt: alæ verò animæ Domino obsequentis sunt virtus, ignis Dei, quibus sursum ad cœlum volare valet, si autem his caruerit alis, minimè sursum elevari in aëra poterit, eumque fit illius expers, simìlisque erit avi fuit spoliata alis, quæ volare nequit.* Vult Antonius Abbas causam ascensionis sanctorum ad cœlum fuisse ignem invisibilem, calorem scilicet accensum in eorum cordibus; sunt enim aspirationes istæ veluti flammæ mente conceptæ, quibus anima viri ascetæ, quovis tempore sursum avolat, perinde ac flamma ignis elementaris sursum nititur, propriæ ut associetur sphœræ; & quamvis hujusmodi exercitationes illicò transeant, compensant tamen orationis perpetuitatem, quatenus earum fructus jugiter permanet; & continuatur oratio per probum desiderium in charitate fundatum: bonum enim desiderium semper dicitur orare, quia semper admittitur clamare.

Commendant has aspirationes mentis in Deum SS. Patres præserim D. Chrysostomus, ubi ait: *Dic in mente miserere mei Deus, & absolvisti precationem, qui enim dicit miserere, confessionem offert, & peccatum suum agnoscit, quia lapsorum est misericordiam inquirere. Qui dicit miserere mei remissionem delictorum accepit: qui enim misericordiam consecutus est, non punitur. Qui dicit miserere mei Regnum cælorum obtinuit, quem enim Deus miseretur, non à pœna solùm liberat, sed futurorum etiam professione dignatur*, & Tertullianus vocat hos motus anagogicos, *orationes sine agmine verborum*, quia non oris exigunt clamorem, sed voluntatis cupiunt amorem: & has mentis aspirationes frequentes fuisse apud viros probos, ex eo liquet, quia Nehemias interrogatus à Rege, priusquam responderet, mentem ad Deum sustulit ad Numinis thronum animi sui nuntio celerrimè delegato. Judith Holophernem prostratura comam apprehendit capitis ejus, & ex intimo corde ad Deum aspirans, dixit mente: *Confirma me Domine Deus in hac hora*, & S. Basilius suadet viro resipiscenti, & ad saniorem frugem nitenti venire, ut ad imitationem Cananææ identidem inclamet: *Miserere mei fili David*, & de S. Marcella scribit D. Hieronymus, Eam consuevisse pluries per horam repetere illud Psalmi: *In corde meo abscondi eloquia tua, ut non peccem tibi.* De sancto Malachia etiam refert D. Bernardus in ejus vita, consuevisse crebrò repetere illam aspirationem, quâ Thais olim meretrix edocta à Paphnutio Abbate Deum alloquens ajebat, *qui plasmâsti me, miserere mei*, Cassianus itidem ait, hunc modum orandi per crebras mentis aspirationes ad Deum frequantissimum fuisse apud ascetas, qui eremum incolebant, qui propterea sive floreas texerent, sive plantas excolerent, sive ligone terram verterent, sive comederent, ac iter haberent, jugiter orabant. Refert Reswidus in vitis Patrum, Abbatem Isaiam testatum fuisse, visum à se Monachum, cujus oratio, cùm manducaret, instar pellucidæ flammæ sursum ascenderet, & Abbas Macharius interrogatus de modo orandi, respondit, non esse opus clamore, sed amore; nec multum loqui, sed crebrò mentem sursum erigere: & de Moyse Æthiope, Principe antequam resipisceret latronum, ferunt quinquaginta singulis horis peregisse orationes. Paulus Monachus trecentas: & Theodoretus refert, Simonem Stylitam innumeras peregisse adorationes, adeò ut fuerit, qui aliquando mille ducentas quadraginta quatuor enumeraverit, omissis alijs ex nimia defatigatione, & hujusmodi perbreves aspirationes plurimum habent efficaciæ, ait enim Gilbertus Abbas, *Preces tacitæ multum*

Marginal notes (right): 25. *Homil. 4. de orat. 1.* — *De orat. cap. 1.* — *2. Cap. 4.* — *Cap. 13.* — *Exhortat. ad Baptis.* — *Epist. 16.* — *Collat. 10. cap. 10.* — *Lib. 5.* — *Serm. 2. Cant.*

*habent acuminis; privatim fiunt, sed privata non petunt; submissior est vox, sed mens intentior, verbis non eget, nec utitur oratio, quæ puro, & pleno fertur affectu:* Sunt enim hujusmodi anagogici motus ubera illa lacte fœta; quibus pii, ac probi nutriuntur affectus: quapropter D. Franciscus Salesius studium harum aspirationum, idem esse cum mystica theologica luculenter ostendit: quia sicut Theologia Scholastica Deum habet pro objecto, ita mystica nonnisi de Deo loquitur; hoc tamen triplici discrimine, quia scholastica theologia differit de Deo, ut Deus est; mystica verò, ut est infinitè bonus, & summè amabilis: illa de Deo loquitur cum hominibus, & inter homines; hæc de Deo cum eodem Deo: illa tendit ad Dei cognitionem, & facit Theologos, hæc fertur in amorem, & suos asseclas ardentes constituit; ac Theophilos.

*Lib. 6. de amore Dei, cap. 1.*

26. Tametsi hi motus anagogici in quovis loco facilè possint elici, faciliùs tamen seorsim à creaturarum strepitu; quia tunc attentiùs Deum alloquimur, & nobiscum Deus loquitur: hinc mulier victum necessarium Eliseo suppeditatura, ut debita sua per multiplicatum à Propheta oleum solveret, *Clauso ostio* vasis suis infudit oleum: si cupis solvere debita peccatorum tuorum, oleum divinæ gratiæ accipere, solus cum Deo sis. Eliseus filium Sunamitidis ad vitam revocaturus, ostium clausit, & solus cum puero fuit: si solum Deum admittas in corde tuo, ipse & spiritum suppeditabit: & vitam. Claudere autem ostium, perinde est, ac curas omnes solicitudines terrenorum, ac mentis evagationes prorsus excludere, & rem agere in solitudine; seu inter orantem solum, & Deum. *Clauso ostio,* ait Pascasius: *Deum orat, quisquis & quæ foris improbè se immergunt vi spiritus, & observationis custodia sundiciùs ne surrepant, repellit, Appetunt enim nostra interiora, & obstrepunt ad cordis ostium visibilia, & omnia, quæ hujus vitæ sunt temporalia. Propterea observandum, & totus interior homo intrinsecùs colligendus; quatenus cubiculum ingrediatur.* Claudimus igitur ostium oratori, si futiles evagationes, ne surrepant, coërceamus, si nostras à curis, rebúsque creatis subtrahamus cogitationes, & mentis nostræ intuitus, in solum Deum dirigamus.

*4. Reg. 4.*

*Lib. 4. in Matth.*

## §. IV.

### *Oratio tunc probis fovendis affectibus est aptior, cum seorsim à strepitu creaturarum attentiùs in solitudine Deo funditur, & intellectum imitatur.*

27. APpetun[illegible]or, & nostra interiora, & obstrepunt ad cordis ostium, visibilia, & omnia, quæ hujus vitæ sunt fluxa & temporalia, quæ propterea pulsant ostium, ut nostra ingrediantur interiora, nósque à summo divertant Bono, ideóque ut ostium ijsdem claudamus, necessè est, terrenorum cogitationes omnes excludamus à nostris interioribus, à mente nostra reijciamus, quò meditatio nostra attenta sit, & soli Deo intenta. Idque est, quod nos monet Magister Christus. *Tu autem, cùm oraveris, intra in cubiculum tuum, & clauso ostio, ora Patrem tuum in abscondito; & Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi.* Hoc autem cubiculum intra nos est, ubi nostræ claudumur cogitationes, éstque mens nostra, extra quam visibilium cogitationes, & vanæ per creaturas evagationes debent manere, ne orationi absurdè perstrepentes, attentionem disrumpant nostram, & in nostris interioribus tumultuent. Appositè Cyprianus ait: *Quæ autem segnitia est alienari, & capi ineptis cogitationibus, & profanis; cùm Dominum deprecaris, quasi sit aliud, quod magis debeas cogitare, quàm quod cum Deo loqueris? quomodo audiri te vis à Deo, & postulas, cum te ipse non audias? vis esse Deum memorem tui, cùm rogas; quando tu ipse memor tui non es?* Si mens orantis visibilium cogitationibus pateat illicò hæ ingrediuntur, & obstrepentes omnia inquietant, imò sus déque invertunt, mentémque ipsam ab orante rapiunt, & foras divertunt; & tunc orans veluti sibi surdus se ipsum non audit, & quasi intellectu destitutus, quæ mente concipit, non intelligit; & veluti elinguis fœde balbutit; ideóque oraturi necessè est recedamus à tumultu creaturarum, & ad solitudinem accedamus, ut alis muniti orationis sursum ascendamus, ac Deum alloquamur. *Sedebit solitarius, & tacebit, & elevabit se supra se:* siquidem in hac solitudine ait Origenes, *Aër est purior, cœlum apertius, familiarior Deus:* in hoc secessu à perstrepente creaturarum tumultu prorsus sejuncto, mentem habemus defœcatiorem, conscientiam puriorem, ac uberiorem rerum cœlestium notitiam, majorémque cum Deo congressum.

*Matth. 6.*

*Tract. de orat.*

*Jerem. Thren. 3.*

*Homil. 4. in Exod.*

Attentiùs, & ardentiùs tunc oramus, 28.
cùm quovis semoto obstaculo tota mente, & corde Deo hæremus, hâncque inter preces fundendas attentionem à nobis Deus exigit, ut nos audiat, & exaudiat. Si enim oratio adeò luridè funditur, adeò neglectè concipitur, ut nostram non mereatur audientiam, quomodò à Deo promerebitur obedientiam? Sit quisque suæ orationis arbiter, quod enim à se sibi non impetrat; qua fronte ab alio præsumpserit extorquere? Idque causæ cur plerumque hominum preces sibi sint vacuæ, & Deo nullæ; quia luridè funduntur, debita destitutæ attentione, & intellectu carentes: Oratio tunc

est efficax ad impetrandum, cùm tota est intellectus, quapropter Davidis oratio, ideo in spelunca efficax fuit, & cœlos penetravit, quia intellectu fulciebatur *Psalm.* 141. Præfigitur enim huic Psalmo titulus *Intellectus* David, cum esset in spelunca orans supremum Numen. Vocat orationem intelle-
1. Reg c 17. ctum ob attentionem, quâ in summo illo vitæ discrimine suas ad Deum preces fundebat; imò tanta erat mentis attentio, ac spiritus recollectio, ut oratio ipsa ab omni extera cogitatione defœcata in intellectum pia metamorphosi videretur conversa, ac perinde fuerit oratio Davidis, ac ejus intellectio.

29. Quòd si intimiùs percuncteris, quænam sit hæc Davidis oratio, quæ *intellectus* in titulo Psalmi inscribitur, præsertim cùm David Psalmum illum centesimum quadragesimum primum inchoet: *Voce mea ad Dominum clamavi, voce mea ad Dominum deprecatus sum*, audiendus est Augustinus, ubi ait: *Sufficeret voce, ad Dominum clamavi, fortè non frustra additum est mea voce, ad Dominum clamavi: quia multi clamant ad Dominum non voce sua, sed voce corporis sui. Homo ergo interior voce sua non strepitu labiorum, sed in affectu cordis clamet ad Dominum. Cogitatio sua clamor est ad Dominum. Voce mea ad Dominum clamavi, voce mea ad Dominum deprecatus sum. Quod dixit, clamavit, exposuit, cum dixit, deprecatus sum.* Is igitur voce clamat, qui cogitatione, mente, & intellectu suo ad Deum clamat, non voce corporis, sed sine strepitu labiorum, mentis attenta meditatione, & D. Chrysostomus expendens illud
In catena Græcorum Patrum. David, *voce mea ad Dominum clamavi, voce mea ad Dominum deprecatus sum*, opportunè ait: *Audis, quomodo ubique proponat duplicem clamorem, vocémque duplicem, & ad Deum invocationem? Duas enim hic virtutes discimus, scilicet summam animi alacritatem, & mentis intentionem, præterea hanc ipsius esse vocem.* Quisquis igitur Deum exorat mente aliorsum distractus, frustrà, ac temerè loquitur, neque quid dicat, audit, & licèt ad Deum clamet, non tamen voce sua, quia vox orantis debet esse vox intellectus: clamant & ipsa bruta, canunt aviculæ, obstrepunt, & sonos eduot animalia quæque, & tamen nullus eorum clamor oratio est. Sibilat anguis, pipat accipiter, gratilat anser, tetrinit anas, blaterat aries, gemit columba, grylissant coturoix, drensat cygnus, singultit gallina, trinsat hirundo, stridet merula, rogit leo, plausitat palumbus, loquitur Psythacus, pupillat pavo, coaxat rana, grunit sus, gemit turtur, oncat ursus, popissat upupa, orcant lynces, ululat lupus, musit capra; & nihilominus licèt suos clamores, suósque sonos edant, nullus tamen eorum clamor oratio est, quia bruta, & volucres intellectu destituuntur.

30. Sonus igitur, & clamor ab homine editus oratio non est, si intellectu, & attentione destituatur; perinde ac homo à cæteris per intellectum differt animantibus, cùm quibus habet commune dormire, comedere, bibere, ambulare, videre, audire, & ore clamores edere: ita clamor hominis; ut oratio sit, necessè est, id sit, per quod differt homo à brutis; quorum clamor oratio non est; & quia solo differt intellectu, debet clamor hominis, ut oratio fiat, intellectus esse ejusdem, quapropter rectè oratio Davidis in spelunca *intellectus* inscribitur, quia nisi clamor noster intellectum sapiat, apud Deum desipit: scitè Clemens Alexandri-
Lib. 7. Strom. nus causam assignans, cur Christiani in ecclesiæ exordio inter orandum manus in altum elevarent, ait: *Caput & manus in cœlum extendimus, & pedes excitamus in ultima acclamatione orationis; promptitudine, & alacritate spiritûs assequentes essentiam, qua apprehenditur intelligentia, & una cum verbo corpus à terra educere conantes, erectam, & elevatam animam desiderium meliorum cogimus in sancta progredi, magno animo corporis vinculum despicientes.* Appositè orantes fideles, precésque fundentes, manus, & corpus ab imo terræ ad cœlum educunt, tota mentis promptitudine, ac animi alacritate; quia fidelium oratio intellectus erat, qui cogitationum suarum alis statim sursum avolabat, & Dei assequebatur essentiam, ut ait Clemens. Essentia autem nonnisi intellectu apprehenditur; ut inde conijciamus fidelium, orationem, ideò potuisse divinam essentiam assequi, quia tota erat intellectus, tota mens, quæ propterea Dei assequebatur essentiam. Hæcque est illa intellectûs oratio, quæ cœli delicijs, ac paradiseis solatijs orantem perfundit, Deúmque flectit in sua vota, impetrans, quæ poscit.

31. Idque expertus David hanc nobis intellectûs persuadet orationem, inquiens:
Psal. 36. *Delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui:* quæ verba expendens, Theodoretus censet: nobis internam cum Deo conversationem præcipi, in qua mens hominis terrenis nulla, & cœlestibus tota effusa se se ad Numinis nutum accommodat, & qui ita orat; petitiones accipit cordis
In præfat. Psalm. 36. sui, ut ait D. Ambrosius, ubi inquirens, cur David non dixerit. Et dabit tibi petitiones tuas; sed cur expresserit, dicens: *Et dabit petitiones cordis tui.* Respondet, *quia lex carnis legi mentis frequenter repugnat: quæ autem interioris sunt hominis, qui renovatus est in spiritu, illas petitiones pio donat affectu*, & D. Augustinus addens Ambrosio ait: *Signanter accipe petitionem cordis tui, discerno petitionem cordis, à peti-*

*petitionibus carnis.* Plures orantes petunt, quorum tamen petitiones carnis sunt, non cordis; quia non quæ spiritum, & animæ salutem respiciunt, ea petunt; sed quæ commoda corporis concernuot, ea enixim postulant: ideóque & perperam petunt, quia petitio eorum, non est petitio cordis, sed carnis; rerúmque temporalium, ac corruptibilium.

12. *Dissert. 1.* Maximus Tyrius narrat, Regem Frigiæ nomine Mydam, auro jugiter inhiantem jussisse è vino fontem fluere, ad quem, cùm è proxima sylva cucurrisset satyrus sitibundus, suam extincturos sitim, promulside tam suavi liberaliùs maduit, quò vino gravis facilè se capi passus fuerit è Rege; qui captivo suo eblandiens petijt ab eo, quod sibi percharum foret acceptu, & Numini non arduum factu. Petijt igitur Mydas quia auri cupidissimus, ut quidquid in toto suo regno, è terra nasceretur, probatissimum fieret aurum. Eius votis satisfacturus temulentus sylvestris Deus ei concessit, ut quidquid pomorum, olerum, ac frumentorum in toto suo succrevisset regno purum putum aurum esset: sed ingente obortà fame coactus fuit Mydas auri appetens, stultissimum suum publicè damnare votum: propriæ enim illachrymatos felicitati, aurique opulentiæ, ac fatuæ petitioni; se Codro quovis pauperiorem, & præ fame deficientem agnovit, licèt in uberrima auri copia: inque se reversus non sylvestrem tantùm Deum, sed & reliquos Deos, Deisque omnes impensissimè rogavit, quò vellent regno suo pristinam impertiri paupertatem; & tantam auri opulentiam, suis ultrò concedere hostibus, quibus libenter tot auri acervos cedebat; sed inito Numina consilio ad Mydæ petitiones responderunt; habeat, ut nactus est, & sciat, Deos non in omnem horam mutabiles esse, neque inconstantiæ notâ redarguendos.

13. Plures sunt, qui inter orandum Mydæ imitantur apologum, plura fusis precibus exposcunt, fluxa tamen, & temporalia, quæ si impetrent, dona interpretantur, cùm tamen fallantur; supplicia enim sunt, non dona; & plura plerumque nocent impetrata, quæ non obfuissent denegata, Hinc etiam inter Ethnicos ajebat Socrates, cúm preces fundimus bonum aliquid, ac utile petamus, Quid verò sit hoc bonum, nobis utile meliùs Deus scit, qui dat; quàm nos, qui Deum rogamus, ut nobis detur: plerumque petunt homines insigniri dignitatibus, præfulgere honoribus, ac præeminentijs, ditescere opibus: & tamen divitiis cognata vitia plures perdiderunt: facultates enim, & opes plura millia hominum in otiū præcipitārunt: honores ex sublimioribus præeminentijs plures in imum detruserunt ignominiæ, & calamitatis: dignitates sexcentos corruperunt: hinc Matri filiorum Zebedæi enixim à Christo petenti, ut duo eius filij sederent in regno suo, unus ad dextram, & alter ad sinistram, respondit, *Nescitis, quid petatis*, eò quia dignitates, & præeminentias exposceret. Dei igitur arbitrio, ac beneplacito nos, cùm oramus, permittamus, sitque oratio nostra, & petitio conditionata, si Deus noverit, quod petimus, in profectum nostræ salutis cessurum.

Sunt qui Deum jugi clamore, & assiduis precibus quasi defatigant, petentes ut inimicis possint obsistere, eósque prosternere; sed id est potiùs mugire cum tauro, quàm gemere cum columba, & preces fundere: etenim quod in fabulis est: Taurus, & Camelus à Jove petierunt cornua, quæ tamen Camelus non impetravit, qui & aures etiam perdidit, quas Jupiter præcisas esse voluit: bos verò voti compos factus cornua obtinuit, sed eum suæ statim petitionis pœnituit: quia cum inermis liberior esset, ac expeditior ad cursum per sepes, & campos facilè pertransiret, & difficulter ab hominibus capi posset; enactis cornibus jugum sibi novit adnexuisse; ac miser plaustris trahendis, aratris ducendis obnoxius factus est. Plerumque qui iteratis precibus Dei aures pulsant, quasi non audiantur, minimè exaudiuntur; quia cum Camelo ea petunt, quæ sibi noxia forent. Alij verò cum tauro exaudiuntur quidem cùm se honoribus insignitos, dignitatibus cæteris præfectos, & divitijs affluentes vident, quæ tamen omnia plus eis obsunt, quàm prosint; hinc Seneca ait: *Sunt noxia quadam nocitura impetrantibus: quæ non dare, sed negare beneficium est. Sæpe enim noxia concupiscimus, nec dispicere, quam perniciosa sint, licet, quia judicium interpellat affectus. Sed cùm subsedit cupiditas, cùm impetus ille flagrantis animi, qui consilia fugat, cecidit, detestamur perniciosos malorum munerum authores. Ut frigidam ægro negamus, & lugentibus, ac sibi iratis ferrum: sic ea, quæ nocitura sunt impensè, ac submissè nonnunquam etiam miserabiliter rogantibus perseverabimus non dare. Sunt, qui dicant: Scio hoc illi non profuturum. Sed quid faciam? rogat, resistere precibus ejus non possum, ipse viderit de se; non de me queretur.* *Lib. 2 de benefic. c. 14.* Simili modo plerumque agunt homines orantes, Deum enim enixim rogant ea petentes, quæ sibi noxia sunt. Populus Israëlis in eremo importunis precibus carnes postulavit: & quamvis hæc petitio Numini displicuerit, annuit tamen Deus magis iratus, quàm propitius petenti populo; quia carnes ei potiùs exitio fuerunt. Deus enim persæpè importunis precibus postulatus dat, non ut beneficium, sed ut supplicium. Id unicum, cùm oramus, petendum à Deo est, ut quod cedit ad uberiorem suam penes creaturas gloriam, & animæ nostræ salutem, id velit nobis concedere; Dei gloriam

riam petimus, cùm ejus cultum in terris promoveri expetimus: nostram salutem exposcimus, cum læsæ conscientiæ veniam rogamus, vel uberioris gratiæ poscimus incrementum, & qui gratiam, sic ambit, simul etiam Dei gloriam expetit. Rursus is gratiam censetur petere, qui divinam enixim opem exposcit, quâ concupiscentijs, pravísque affectibus valeat obsistere, eósque coërcere, virtutes excolere; hæc sunt, quæ absolutè absque ambagibus, sine conditione peti possunt.

## § V.

*Quæ à Deo nostra audiuntur preces, multoties non exaudiuntur, quia per ipsas fluxa, & nobis nocitura petimus: & nonnunquam tunc exaudimur, cùm non exaudimur.*

35. Plures id tantùm petunt, quod expetunt, scilicet uberiora corporis commoda: & quia Deum non petunt, sed fluxa, & caduca, ideo hæc duntaxat expetunt, non Deum, à quo illa petunt; invocant Deum, sed non vocant Deum; quia petunt divitias, honores, dignitates, sanitatem; & alia id genus, quæ non Dei gloriam promovent, sed petentis commodum augent, & tunc, qui Deum invocant, creaturas vocant, quas expetunt; quisque vocat, & expetit, quod amat; & id invocat, quod in se vocat; invocat, quia aliquid vocat, ut veniat ad se. Deum plerumque quis invocat, non ut Deum ad se vocet, ut ad se veniat; sed ut perveniat ad se talis hæreditas, illa sæcularis dignitas, illa quantitas pecuniæ, de qua in judicio est controversia; sic Deum adjutorem invocat terrenarum cupiditatum, non exauditorem piorum desideriorum; ideóque importunis suis precibus ita orantes plerumque non flectunt Deum in sua vota, & ideo tristes sunt, quia non exauditi. Conqueruntur tamen, eò quia tametsi nil mali petierint, adhoc frustraneas fuderint preces.

36. Conqueritur ille non exauditus; eò quia non mortem inimici sui petierit, sed vitam proprij filij; & ait nil mali tunc petijsse; verùm quamvis sibi videatur non petijsse aliquid mali, id tamen fortassis petijt, quod nocentius filio superstiti fuisset, Deus enim misericors pueros rapit nondum septennes, ne malitia mutaret intellectum eorum: dicet tamen aliquis, filius meus jam adultus erat, & unicum collabentis meæ domus fulcrum; noveràm in ipso æstu concupiscentiæ, & juventutis raptum peccatorem fuisse, & ad id unicè enixim Deum rogavi, ut corrigeretur, si viveret: atque in hoc quidquam mali petij, imò & bonum, seu resipiscentiam peccatoris: verùm tametsi pater appetens vitæ filij Deum rogaverit, ut viveret, & resipisceret, meliórque fieret. Deus tamen noverat, quòd si vixisset, fortassis pejor futurus esset: & unde querulus pater potuit conijcere, quòd diuturnior vita filio profuisset ad resipiscentiam, & non potius obfuisset, ad acriores in gehenna pœnas subeundas ex noxis repetitis? Etiam David Solymorum Rex deposito diademate, abjecto sceptro, projectis gemmis, exutâ purpurâ, exclusâ regij splendoris quavis dignitate, secessit in solitudinem, & animo tristis, mente confusus, spiritu turbatus, & gemens, sacco indutus, cilicio cinctus, vultu squalidus, fletu madidus, cinere sordidatus filij sui parvuli gravissimè decumbentis vitam enixissimè à Deo petijt, cujus benignissimas aures querelis, ac lamentis diu pullavit; & tamen nil impetravit: quia nimirum non expediebat ei, & puero exandiri, & David tunc rem temporaneam, ac fluxam in proprium commodum petijt, non ea expetijt, quæ ad æternam salutem viam sternerent. Ergo dices, nil unquam temporale, ac fluxum erit fusis precibus à Deo petendum? cùm tamen Christus nos edocuerit, panem nostrum quotidianum petere.

37. Verùm non dixerim nil temporale esse unquam petendum a Deo, sed id ita peti debet, ut preces fundens, se Dei accommodet voluntati; & id petat, quod sibi, ac propriæ saluti, Deique gloriæ promovendæ magis expedit; neque lamentis, & querelis est Deus pullandus, cum optimè sciat, quid nobis magis congruat. Sic Christi Mater in nuptijs Canæ Galilææ non importunis precibus vinum efflagitavit, sed tantùm novorū conjugum expoluit tenuitatem. Leprosus non importunis precibus Deum rogavit, ut à leprâ purgaretur, ac pristinæ restitueretur corporis sanitati, sed tantùm, quod esset ei gratum, innuit. *Domine, si vis, potes me mundare:* Lazari sorores non gemitibus, suspirijs, ac lamentis ægrotantis fratris valetudinem petunt; sed id volunt Magistro Christo tantùm indicare: *Ecce quem amas, infirmatur.* Joan. cap. 11. Id autem non est importunè rogare, sed humiliter indicare. *Luc. 5.*

38. Docuit verò nos Christus panem petere quotidianum, sed inde nos non docuit petere quidquam periturum, quia panis iste quotidianus, ut habetur in contextu græco, ast panis supersubstantialis, seu divinus, & æternus. Quòd si de pane intelligatur corpori nutriendo, ac viribus reficiendis accommodato, hic petendus quidem est, sed ea modestia, ac moderatione, quâ Salomon eum petijt. *Tribue tantùm victui meo necessaria.* Et hoc est etiam petere aliquid spirituale, quia ut ait Isidorus Pelusiota, *Nil præter panem requirere, spiritualis procul dubio, ac præclara, & Philosophicæ mentis fuerit:* quia quotidianum duntaxat panem qui petit, id solùm exposcit, quo possit vivere, & Deo servire, ejúsque gloriam in terris magis, magisque pro-

*Proverb. cap. 30. v. 8.*

*Lib. 5. ep. 281.*

promovere; non tunc ad victum, & vestitum superflua petit, non panem selectissimæ farinæ, non vestem magni pretii, rarique artificii, sed id tantùm, quo vivere possit, & corpus obtegere, & quilibet hæc petens exauditur; non enim Dei providentia, quæ non sinit lilia agri defectu humoris arescere, neque volucres cœli, licèt non congregent in horreis, fame perire, subtrahet homini eum roganti necessaria ad victum, & vestitum, hinc Christus ait: *Respicite volatilia cœli, quoniam non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea, & Pater vester cœlestis pascit illa. Nonne vos magis pluris estis illis, & de vestimento quid solliciti estis, considerate lilia agri, quomodo crescunt, non laborant, neque nent, si autem fœnum agri quod hodie est, & cras in clibanum mittitur, Deus sic vestit: quanto magis vos modicæ fidei? Nolite ergo solliciti esse dicentes, quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur, hæc enim omnia gentes inquirunt. Scit enim Pater vester, quia his omnibus indigetis.* Cæterùm temporalia petenda quidem etiam sunt, sed sub conditione si ad nostram conducerint salutem, si nobis expediat exaudiri.

Matth. 6.

39. Quæ temporalia sunt, vult quidem Deus à nobis peti: non quod velit nos parcè petere, sed sub conditione, si quæ petimus sint nobis ad salutem profutura; non enim omnia, quæ petimus, nobis prodessent, si ea nobis concederentur: petit infans à suo parente panem, dat libenter pater, & petitioni satisfacit filij, cui panis prodest, & est nutrimentum: petit ulteriùs cultrum, negat pater, quia timet, ne infans cultro non tantùm panem scindat, sed etiam se vulneret: ita & nos plerumque cultrum petimus vulneris instrumentum, seu per fusas preces id exposcimus, quod si voti compotes essemus magis nobis obesset, quàm prodesset. Appositè S. Bernardus ait: Ad hoc tende, ad hoc conare, ut in Domino delecteris, & dabit petitiones cordis tui. Sed considera quòd petitiones cordis dixerit, quas approbat judicium rationis. Nec habes, unde causeris, sed unde magis tanto affectu in gratiarum actione verseris: Quandoquidem tanta super te cura est Deo tuo, ut quoties ignotans quæris, quod tibi inutile est, non te audiat super hoc; sed mutet illud utiliori dono. Sic & pater carnalis parvulo quærenti panem libenter porrigit, quærenti cultellum, quem non necessarium putat, non consentit, sed magis panem ei, quem dederat, frangit, vel per aliquem ministrorum frangi præcipit, ut nihil ille habeat periculi, nihil laboris. Addit. Pro necessitatibus animæ orandum nobis est, & frequentiùs, & ferventiùs, id est, pro obtinenda gratia Dei, animæque virtutibus. Sic & pro vita æterna tota pietate, & toto nobis orandum est desiderio; ubi nimirum corporis, & animæ plena, & perfecta sit beatitudo. Sit ergo oratio, quæ pro temporalibus est circa solas necessitates restricta; sit oratio quæ pro virtutibus est animæ ab omni impuritate libera, & circa solum beneplacitum Dei intenta; sit ea, quæ fit pro æterna vita in omni humilitate præsumens de sola (ut dignum est) miseratione divina. Hactenus D. Bernardus.

Serm. 5. in quadrages. de impl. modo orandi.

Sunt igitur temporalia etiam à Deo petenda, sed sub conditione, si nostræ saluti sint profutura; & non ut queruli, ac tristes simus, si petita non obtineamus. 40.

Refert Joannes Tauletus Vir è D. Dominici familia religiosissimus, duas puellas virgines iisdem inhabitâsse ædibus; alteram rerum difficilium, ac sublimium non ignaram sermonem de iisdem cum sociis semper miscuisse, adeò ut auditores in admirationem raperet. Alteram verò socordem, & negligentem, in temporalibus procurandis laudabili tamen simplicitate immersam totam fuisse, & in id unicè incubuisse studii, ut Deo, ac divinæ voluntati rebus in omnibus se ipsam perfectissimè extraderet, ac totaliter resignaret. Fuit autem hoc puellæ studium adeò gratum Deo, ut quidquid ferè puella suâ peteret simplicitate, ac conformi sua voluntate divinæ impetraret, pluresque propterea se, ac sua negotia, enixim ei commendarent; quatenus suis precibus optatum iisdem à Deo impetraret. Recepit puella in suam fidem negotium aliquod grave sibi concreditum, & pro cujus felici exitu preces fundere destinaverat: sed cùm postea fuisset oblita, nullam fudit orationem, & nihilominus negotium juxta votum illorum fluebat, qui puellæ precibus illud commendârunt, qui etiam ob prosperum successum ei uberrimas egerunt gratias; tacitè tamen admirabatur puella rubore suffusa, quòd non fuerit recordata pro eodem negotio sibi commendato preces fundere: & ad Deum alloquendum digressa aiebat: Mi amantissime Deus, quid hoc fieri dicam? ego segniter obliviosa eas gratiarum actiones non merui, quia promissis non steti, neque pro negotio mihi commendato preces ullas fudi. Cui Deus: non tristeris filia, quia licèt me per fusas preces tuas non rogaveris, tua tamen voluntas mihi sequebatur, & id exposcebat à me, quod oblita fuisti tuis precibus mihi commendare: nimirum simplex, & sincera voluntas Deo sufficit, dummodo suæ sit perfectè resignata: *Desiderium pauperum exaudivit Dominus, præparationem cordis eorum audivit auris tua.* Psalm. 10. v. 17.

Adeò pronus est Deus ad ea impetranda, quæ voluntate suæ conformi ab ipso petimus, ut nostras præveniat preces: adeò enim celeres sunt Deo aures, ut non solùm clamorem, lachrymas, & orationes, sed ipsam etiam orationis præparationem, ac veluti primos animi motus, ac nutus exaudiat: hinc Isaias cap. 65. v. 24. ait: *Eritque antequam clament, ego exaudiam,* hoc est adhuc illis loquentibus ego audiam: adeò 42.

enim propensus est Deus propitias præbere aures eorum petitionibus, qui perfecta in ipsum resignatinne petunt, ut petitiones etiam præveniat, & priùs, quod in animo est exposcendi, illud nobis concedat, quàm poscamus.

43. Sunt è converso qui tametsi plurimas, ingésque fundant preces ad aliquid obtinendum à Deo, illud tamen non impetrant; & quia divinæ se voluntati non conformant, inde innumeras propemodum querelas jaciunt in cœlum: aiunt Evangelia frequentibus abundare promissis, & Deum spondere ea concessurum, quæ ab ipso petimus: imò & nos invitat ad petendum: *Petite, & accipietis:* & hîc neminem excludi, nullum repudiari, dummodo homines quærant, invenient; si pulsent ipsis aperitur; si petant, accipiunt: & tamen ait ille: ego repetitis precationibus cœlum quasi defatigavi, Ecclesias plures freqnentavi, & meis precibus implevi; meos sanctos tutelares, annuos, & menstruos in meæ causæ patrocinium vocavi, & tamen pulsavi, & nemo mihi aperuit; quæsivi & nihil inveni; petivi, & nil obtinui. Verùm ideò Deus plerumque ad nostra non flectitur vota, nec nostris satisfacit petitis, quia quæ petimus, si nobis concederentur, tunc plus nobis obessent, quàm prodessent; sunt enim ut plurimum hujusmodi petita, quæ temporalia respiciunt, & nobis noxia sunt, tametsi ea nabis commoda credamus: & ideo quærelis aërem implemus, quia nostra voluntas non ea vult, quæ Deo placent; sed quæ sibi arrident, tametsi Deo, à quo petuntur, displiceant. Quòd si quæ petimus temporalia nobis non videantur, sed spiritualia, plerumque adhuc non exaudimur, quia negat Deus minora, ut majora concedat; cunctatur annuere, ut nostram adaugeat fiduciam, exerceat constantiam, & ut impensius ac sæpius petamus, ut inde majus meritorum eruamus incrementum.

44. Omnes ferè aliqua laborantes ægritudine enixim Deum rogant, ut pristinæ restituantur sanitati, non abnuit Deus, sed gratiam impertiri protrahit, ac diuturniores plurésque exigit preces, quibus plus acquirant meriti, meliúsque disponantur gradatim ad susceptionem gratiæ; etiam segetes nonnisi lento molimine è terra emergunt, succrescunt, adolescunt, & paulatim maturiunt. Seritur granum tritici, quod putris suscipit gleba, & occatio cohibet, ac veluti materno tellus gremio intus in sinu fovet, donec veluti emortuum, ac putrescens suo è funere spiritus hauriat recentis vitæ, incipiátque germinare, ac è terræ matris sinu emergere, spémque suæ viriditatis prodere, simúlque satum genus similitudine sui innuere, ut vel in ipso suæ stirpis exordio, cujus sit herba generis statim dignoscatur, & in herbis fructus licèt non editus appareat, suíque speciem prodat, ac noscatur, antequam nascatur. Mox paulatim emersum redivivum, ac virescens granum gradatim adolescit in fœnum, & pubescens in culmo assurgit, & incrementum subit. Mox ubi geniculata sa jam spica sustulerit futuræ frugi cunæ parantur, in qnibus granum formatur interiùs, tuetúrque involucris vaginæ, ne tenella ejus primordia, aut frigus lædat, aut solis æstus eanrat, aur ventorum inclementia exsiccet, vel imbrium vis sæva discutiat. Plura utrinque aculeata folia mirabili arte, & ad speciem grata surgant, & inter se se naturali colligatione, ac fœdere associantur, veluti hastati milites in excubiam, & tutamen spicæ jam sursum erectæ; & ne frugis numerosioris pondere curvetur ad interitum, quadam munitur fultura culmorum, vaginis culmus includitur, ut geminatis viribus frugem possit multiplicem sustinere, ne pondere impar curvetur in humum, vel frangatur. Hinc culmus spicam sustinet, quæ granum continet, vallóque cingitur aristarum, ut quasi quadam in arce custodiatur, ne famelicarum avium minorum morsus eam expilent, fructúsque diripiant.

Pari ratione nonnisi gradatim, & post multum temporis arbor fructus suos progignit: plantatur enim priùs in effossa tellure ubi radices agit, & quò profundiùs, eò sublimiùs extollitur, inde paulatim tenellam generat stirpem, quæ redeunte verna temperie frondibus, perinde ac capillis tegitur; ramos veluti brachia utrinque diffundit, ac multiplicat; vernat in florem, virescit in folia & incrementum subiens per annos aliquot adolescentiam agit; móxque incipit flores, postea fructus prodere lactandos pluviis, fovendos solari æstu, qui sensim maturitatem assequuntur, & dulcescunt: jámque ad optatam redacti maturitatem decerpuntur, ac colliguntur, & decerpti mensis inferuntur, ingerendi ori, ac gustandi. Ecce quot studia, quot temporum intervalla, quot labores donec vel messis ex segete, vel fructus ex arbore colligantur, ori ingerantur, ac gustentur. Pari pacto plures nonnunquam Deus moras exigit, ut è ligno vitæ suos nobis fructus porrigat, sed tamen illos nobis exhibet gustandos, eò dulciores, quò diuturniores; & interdum differt exaudire, ut uberiùs accipiamus, & promeritum augeamus. Pater sanitatis appetens ægrotantis filij vinum ei denegat, victúmque liberaliorem; & modicum tantùm ei impertitur cibi, quò nimirum pristinæ restituatur sanitati, ut copiosiora tum potûs, tum cibi valeat ei suppedire pristinæ restituto sanitati. Quòd si viri pii preces fundant, & petita non impetrent; exaudiuntur tamen; quia compensat semper beneficentissimus DEUS fusas preces uberiori incremento gloriæ, quinimò ut scitè ait D. Gregorius: *Eò magis sancti exaudiuntur ad meritum, quò minus exaudiuntur ad votum.* Lib 10 ral. c. 1

Non

46. Non negat nobis Deus, quæ fusis precibus ab eo petimus, sed vel in meliùs mutat, vel ad majus meriti incrementum, diuturniores exigit à nobis preces, & tunc non aufert à nobis, quod petimus, sed tantùm illud differt, quò utiliùs nobis contingat, fiátque tanto jucundius, quantò dilatum est diutiùs; diu enim desiderata, dulcius obtinentur, & citiùs data vilescunt. Quòd si quæ à nobis petuntur in profectum nostræ cedant perfectionis, geminandæ sunt petitiones, obsecrationes, instantiæ, quia tandem erit una dies datura, quod mille negârunt; semper enim exaudimur, dummodo vera, & constans sit nostra oratio dicente Christo Matth. 7. *Omnis qui petit, accipit*, quòd si non illud, quod petit; certè saltem aliud, quod oranti magis proderit.

47. Plerumque conquerimur eò quia preces nostræ non exaudiantur, & tamen uberiùs tunc fortassis exaudimur; licèt id nesciamus, quatenus Deus ob nostras, quas fundimus preces, à pluribus vitæ periculis nos subtrahit, vel suam impertitur gratiam, cujus ope proficimus uberiùs in studiis virtutum, quod in majorem cedit nostram utilitatem. Interdum non impetramus petita, quia non vult Deus noxia nobis dare, sed perutilia suppeditare. Si sciremus, quomodo Deus se ad preces hominum gerat, deprehenderemus, nullas hominum preces irritas esse, & vacuas fructu, habent enim nostri gemitus, nostra suspiria, nostræque preces alas suas, quibus se cœlo insinuant, aurésque demulcent Dei, qui cum ijsdem sibi complaceat; irritas, & vacuas non finit eas reverti, quia ut appositè ad rem nostram ait D. Bernardus: *Unum è duobus indubitanter sperare debemus, quoniam aut dabit nobis quod petimus, aut quod nobis noverit esse utilius; noli ergo vili pendere orationem tuam, quoniam ille, ad quem oras non vilipendit eam: sed antequam egrediatur de ore tuo ipse scribi eam jubet in libro suo.* Et licèt orantes non semper petita impetrent, aliquid tamen semper accipiunt, nec preces omni destituantur fructu; & ideo exaudiuntur, quia à Deo audiuntur; licèt, quod petunt, non accipiant; aliud enim est petita accipere, & aliud fusis precibus exaudiri; non accepit David, quod petijt, & tamen exauditus fuit à Deo, quia uberiora suscepit divinæ gratiæ incrementa. Cæterum viri ascetæ, Deique amici, solent quidquid rogant impetrare, quia ipsi quidquid Deus imperat, exequuntur; nec alia ijsdem voluntas, quàm illa Dei: si id optamus, ut Deus nostro se accommodet arbitrio, nostrísque se votis flectat, necesse est, ut priùs nos suæ resignemus voluntati, accommodemus arbitrio, flectamúsque in omne id, quod ipsi magis placet, ac ipse permittit: Vis exaudiri à Deo ait Regius Vates: *Delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui.* Si delectamur in Domino, hoc est, si toto corde, & pura mente eum diligimus, & ea petimus, quæ ejus cultum, vel animarum salutem concernunt; paratus semper est ipse dare nobis petitiones cordis.

Lib. de mira. cap. 6.

Psalm. 36.

## §. VI.

### *Oratio à viris pientissimis ad Deum fusa pravos interiùs excutit affectus, ac dæmonis tentationes; & illustres exteriùs de prostratis hostibus triumphos refert.*

Refert Guilihelmus Abbas in vita S. Bernardi lib. 2. cap. 3. Plures ipsum juvenes divitiis affluentes, eruditione præstantes, studio virtutum celebres, sanguinis nobilitate illustres fusis suis ad DEUM precibus, ac exemplo vitæ potiùs, quàm oris clamore ad religiosum suum traxisse institutum. Quos inter quidam fuit nomine Gaufridus de Perona Belga, qui post aliquot annos, exotámque à D. Bernardo mortalitatem in Clarevallensi Monasterio functus fuit officio Antistitis. Ægrè juvenis iste ad Cenobiticam agendam vitam trahebatur, & durum sibi videbatur Monachum induere: cúmque iter perageret cum D. Bernardo, & nonnisi sermones ab eodem audiret misceri, quàm de mundi contemptu; de rerum terrenarum fluxu, & vacuitate; déque solatio & interni animi tranquillitate, quâ hi fruuntur, qui in asceterijs procul à perstrepente creaturarum tumultu Deo inserviunt, pijs vacant meditationibus, cellæ gaudent solitudine, è qua ad cœlum sibi viam sternunt; non tamen juvenis quidquam inde hauriebat solatii; imò multa recursabant animo, facultates, amici, voluptates, & omnia mundi gaudia ab ipso præsertim in Belgio, & patria derelicta, quæ tristitiam augebant, præsertim vultus amicorum, qui pectore hærebant infixi: Hæcque tristitia cùm vel in ipsa Gaufridi fronte legeretur, & animadvertens Monachus D. Bernardi socius, Gaufridum vultu tristem, oculis in humum demissis, fronte exasperatum, ore impallescentem, eum interrogavit, quid id esset, quòd nullum proferret verbum, arvorum amœna non lustraret jucundis oculis, sed potiùs tristitiæ nubibus eos obduceret; cui Gaufridus: jam bene scio quali cogitationum mole mergar, & cur extincta sit in me omnis lætitia, evanuerit omnis hilaritas, nec quid aliud ulteriùs protulit: sed socius omnia retulit D. Bernardo, qui rem totam suavi comitate dissimulavit: sed cum ad templum quoddam viæ proximum pervenissent, illud ingressus est D. Bernardus preces eo intensiori, & ardentiori, quo potuit fervore fudit; Deúmque enixim rogavit, ut suam in Juvenem exerceret consuetam pietatem, quâ solet resipiscentes, & ad saniorem frugem transeuntes consolari; vellet propterea tristitiæ illius nubes excutere, cogitationes impor- 48

tunas

tunas abigere, affectus ad amicos, consanguineos, divitias, ac mundi commoda à juvene deserta cohibere; ne eidem molestias ulteriùs ingerant. Cúmque Bernardus preces funderet in templo humi prostratus, socius, & Gaufridus foris præstolabantur; hic tædij plenus innixus saxo obdormivit,& ubi suam Bernardus orationem absolvit,Gaufridus suo etiam somno finem imposuit, sed longè jam alios; excussis enim tristitiæ nubibus; abactis importunis cogitationibus, coërcitis pravis ad mundi commoda affectibus,& cacodœmonis superatis tentationibus, tantò hilarior cæteris fuit, quantò antea tristior, plus cæteris loquebatur; cúmque tam subitam æquè vultûs, ac animi mutationem socii observassent; fuit, qui eum notâ redargueret inconstantiæ, & levitatis, cui juvenis: ingenuè fateor, me mea vita tantam nunquam fuisse lætitiam expertum, mens jam mihi videtur mœstarum cogitationum excussis nubibus tota serena, dulcedinem sentio in corde, quam lingua nequit exprimere, & totus perfundor gaudio, idque causæ, cur hilaris gestiam, cur notâ redarguar levitatis; & spero fore ut imposterum non sim ampliùs tristis, hanc cordis lætitiam,mentis serenitatem, animíque hilaritatem Patris nostri Bernardi mihi à Deo impetrârunt preces. Exaudit igitur amicos suos Deus, cum ea petunt, quæ ad salutem pertinent animarum, ad resipiscentiam peccatorum, ad studia virtutum, In quo sensu SS. Patres explicant verba Christi: *Quodcunque volueritis, petetis, & fiet vobis.*

49. Petierunt viri pij plura à Deo, & petita illicò impetrârunt: opem divinam petiit D. Franciscus de Paula à Nauclero exclusus è navi, quia consueta careret pecuniâ, quam daret trajicienti; pallium suum in undis explicuit, & in eo veluti in tutissima navi Mamertini freti æstuantes fluctus scyllam inter, & charybdin unà cum socio trajecit: hoc idem fusis antea precibus præstitit S. Raymundus de Penniafort, qui ex Insula Balleari Majori Barcinonem reversurus strato super aquas pallio centum sexaginta milliaria sex horis confecit. Quid non impetrârunt preces justorum? B. Scholastica cum fratrem suum Benedictum nulla posset suasione retinere, repentinas à cœlo pluvias impetravit, Josue soli occasuro imperavit, ne moveretur, & orante Josue, simúlque imperante Sol suum coërcuit cursum, obediente Domino voci hominis *Josue cap.* 10. Adeò enim est oratio efficax, ut pugnet, qui orat, & victorias palmátque colligat, qui preces fundit, Josue enim Amalecitas orando fortiùs, quàm pugnando subegit. Moyses tunc hostium sanguinem fudit, & illos vicit, cùm orationes Deo effudit: occulta fuit pugna,sed victoria manifesta; appositè Chrysologus: *Per orationem Moyses fit Deus, & ad triumphos suos militare sibi omnia mandat elementa. Eiisaus etiam,*ut ait D. Ambrosius

Serm. 41.

(Serm. 86. *De Barbaris non timendis.*) *Non armis superabat hostes suos, sed oratione eos vincebat, Oratio enim longiùs vulnerat, quàm sagitta.* David cùm suâ non posset præsentiâ ob senectutem suos in castris milites juvare plus eos juvit absens precando, quàm fecisset præsens dimicando. Josophat Rex pientissimus pugnam initurus contra triplicem exercitum non tela jaculando, sed Psalmos cantando hostes debellavit, & victor surrexit, cùm oraturus se in humum prostravit: ita enim hostes Psallendo labefecit, ut ad unum omnes cæderentur, ut ne nuntius quidem cruentæ cladis superesset.

De Theodosio Augusto refert D. Augustinus, contra robustissimum exercitum orando magis, quàm feriendo, pugnâsse, & simul expugnâsse. Pari pacto Jaddus summus Hebræorum Sacerdos Alexandrum Macedonem fortiùs fusis ad Deum precibus, quàm evibratis jaculis fregit, & cruenta cæde profligavit. Jacobus Nisibites urbem Nisibin contra Saporem regem non alio defendit propugnaculo, quàm clypeo orationis. Basilius precibus, & sacrificiis Valentem Imperatorem terrefecit. S. Leo Papa Hunnorum regem, Dei flagellum Attilam sola coercuit, domuitque oratione. Marci Aurelij Cæsaris Christiana legio fusis precibus è cœlo pluvias ad sitim extinguendam impetravit, & fulmina ad hostes prosternendos. De Carolo V. opinio inolevit, eum in bello validiùs oratione præmissâ, quàm tormentariis globis immissis urbes expugnâsse, ac de suis hostibus strenuè triumphasse. Consueverat Imperator singulis diebus sacro interesse, duas fundendis precibus horas impendere; preces canonicas instar sacerdotis quotidie recitare; à cena iterum duas horas orationi dare, plerumque flexis genibus, adeo ut meliorem diei partem fundendis precibus transegerit; hinc ab hoc perenni orationis fonte rivi jugis felicitatis scaturierunt, ac felices tot bellorum exitus ab oratione Imperatoris suam traxisse originem, communis fuit opinio; ab ea enim dimanârunt tot insignes partæ victoriæ, ut Galli eum Herculi, Germani Carolo Magno, Itali Davidi, Scipioni Africano Siculi, Alexandro Magno Hispani, Turcæ Julio Cæsari, & Afri suo Hannibali æquiparaverint. Oratione enim viri pij mira semper fuerunt operati, & mala omnia, ac pericula imminentia evaserunt.

Tom. 5. de civit. Dei c. 26.

Zachæus oratione pestem Cæsareâ ejecit; Macharius Ægyptius cacodœmones ex humanis expulit corporibus, quod & plures alii præstitere; Simeon Stylites, & plures alij salientes fontes impetrârunt ad æstus sitis extinguendos. Abbas Theonas grassatoribus motum eripuit, ac veluti statuas immobiles consistere compulit. Abbas Besarion marinas aquas in dulcissimos sola orationis ope convertit latices ad sitim extinguendam, Imò & sola oratione Gregorius Neocæsariensis Thaumaturgus montem loco movit, & trans- 50.

transposuit; palodes siccavit; fluvium fixis terminis coërcuit; aridissimum scipionem virere jussit, & in arborem excrescere floribus, fructibúsque fœtam.

51. Quid non potest orationis efficacia? cùm rapidissimum solis cursum contra Gabaonitas inhibuerit, ac firmaverit, solisque pernicissimo motui frœnum injecerit. In milites Acabi bis ignem de cœlo in terras advocaverit. In horologio Acaz umbram decem lineis retrò egerit? Oratio fuit, quæ Samariam obsidione liberavit: Amalecitas, aliósque hostiles exercitus delevit: Sunamitidis filium ad vitam revocavit; Saræ domum à dœmone liberavit: famelicas leonum fauces conclusit, & esurientes belluas ad exhibitum sibi pabulum jejunare edocuit. Vim flammæ in fornace Babylonica coërcuit: ignis vortices in innoxium rorem permotavit. Centum, & octoginta millia hominum in Sennacheribi castris extinxit; imò decies centena millia Zaræ ducis interfecit: siquidem Zara Æthiops militiæ dux cum decies centenis millibus bellatorum, & curribus trecentis in aciem descendit Regem Azar oppugnaturus, sed Rex preces fudit, invocavitque Dominum Deum inquiens: *Domine non est apud te ulla distantia, utrum in paucis auxilieris, an in pluribus, adjuva nos Deus noster, in Te enim & in nomine tuo habentes fiduciam venimus contra hanc multitudinem, Domine Deus noster tu es, non prævaleat contra te homo.* Quid ni? tantæ fuit hæc orationis efficaciæ, ut tot centena millia militum non solùm territa, sed & fugata, & ad internecionem cæsa fuerint, ait enim sacer textus, *quia Domino cadente contriti sunt & exercitu illius præliante.* Quid non potest oratio? hæc ferrea Petri vincula disrupit, & carcerem reseravit. Homini claudo ad portam speciosam mendicanti pedum usum concessit. Publicano culparum veniam impetravit. Cornelio Centurioni fidem dedit. D. Augustinus expendens illud Psalmi centesimi tertii. *Qui respicit terram, & facit eam tremere; qui tangit montes, & fumigant:* ita de oratione, quam expressit afflictio, & lachrymæ evocârunt, eleganter scribit: *Montes superbierant, jactabant se, non eos tetigerat Deus, tangit illos, & fumigant. Quid est fumigare montes? preces Domino reddere. Ecce magni montes, superbi, montes ingentes non rogabant Dominum: sed rogari volebant, & superiorem non rogabant. Quis enim potens, & tumidus, & superbus in terra, qui dignetur humiliter rogare Deum; de impijs loquor, non de Cedris Lybani, quae plantavit Dominus, impius quilibet, & infelix anima rogare Deum nescit, & vult se rogari ab omnibus. Mons est, opus est, ut tangat illum Deus, & fumiget: quando cœperit fumigare, dabit Deo precem. tanquam sacrificium cordis. Fumigat ad Deum, deinde tundit pectus, incipit & flere, quia & fumus excutit lachrymas qui tangit montes, & fumigabunt.* Nimirum tacti à Deo montes dum ærumnas præsentiunt, precem Domino fundunt, quæ nomine fumi exprimitur: incipiunt enim tunc flere, quia fumus etiam lachrymas elicit, quibus imbuta oratio Deum emollit, ut in vota flectatur orantis.

2. Paral. 14.14.

Neque excutiendis afflictionibus, aptius potest instrumentum adhiberi oratione: hæc enim procellosos fluctus trajicientibus est portus; laborantibus solatium; ægrotantibus sanitas; afflictis levamen; ærumnosis lenimentum; caliginosis serenitas; obscuris lux; mœrentibus gaudium; & lugentibus lætitiam oppignorat, quia fletus orantis est emphasis impetrantis, quapropter S. Jacobus in sua Epistola canonica, præ cæteris sententiis, quas sparsim jactat in solatium afflictorum ait: *tristatur aliquis vestrum, oret,* nimirum, si adversitatibus vexetur, calamitatibus affligatur, ærumnis conteratur preces fondat, orationi vacet, quia oratio afflicti à lachrymis vim mutuatur impetrationis: non enim si calamitates nos premant, si ærumnæ nos affligant, si adversa nos pulsent, solatia debemus ab amicis quærere, sed beneficio orationis à solo Deo solamen expetere, ut tristitias excutiat, & lachrymas exsiccet: non enim permittit Deus vacuam esse orationem lachrymis afflictorum madidam: scitè D. Augustinus ait: *Absit ab oratione multa locutio. sed non desit multa precatio; si fervens perseverat intentio. Multum autem precari est eum, quem precamur, diuturna cordis excitatione pulsare. Nam plerumque hoc negotium plus gemitibus, quàm sermonibus agitur, plus fletu, quàm afflatu.* 52.

Cap. 5.

Epist. 121. ad Proham, cap. 10.

Cenlet Augustinus. multam in oratione precationem non consistere in diuturno precum multiloquio, quia orationis, & deprecationis negotium plus gemitibus agitur, quàm sermonibus; plus suspirijs, quam colloquiis, plus fletu, quàm afflatu, & plus pia mentis aspiratione, quàm fuso colloquio, dummodo aspirationes eliciantur non perfunctoriè, & festinanter; sed cum matura spiritus serenitate, & interiori harmonia; adeò ut revera sentiat anima, se DEUM quærere, ipsúmque velle in mente sua invenire, non alia de causa, nisi ut ipsum diligat toto corde, totisque viribus. Ad quod prodest interdum puras manus ad cœlum levare Cavendum tamen, ne cùm hujusmodi perbreves eduntur aspirationes, mens extra se vagetur, quia sola voce prolatæ sterilescunt. 53.

# DISSERTATIO XX.

## Oratio eò ad impetrandos probos Affectus est efficacior, quò in rogando est humilior.

### §. I.

*Quò profundiùs oratio humilitate demittitur, eò altiùs virtute, & sanctitate evehitur, ac pios affectus excitat.*

1. A oratio altior evehitur, citiùsque cœlos penetrat, quæ è corde prodit humili: *Oratio humiliantis se nubes penetrabit, & donec propinquet non consolabitur, & non discedet, donec aspiciat Altissimus:* Eccles. 35. quia cùm orans se coram Deo deprimit, tunc ejus oratio sursum erigitur; & cùm ad abyssum descendit sui nihili, supra nubes ejus oratio conscendit, nec illac sistit, sed altiùs avolat, donec ad solium Dei propinquet: neque descendit, donec Altissimus aspiciat, seu donec Deum flexerit in sua vota, & quod exposcit, impetret: hinc David cùm afflictionibus premeretur, ærumnis quateretur, tristitiis opprimeretur, solatium à solo poscebat Deo mediante

Psalm. 141. oratione: *Voce mea ad Dominum deprecatus sum. Effundo in conspectu ejus orationem meam, & tribulationem meam ante ipsum pronuntio.* Quid quòd David tam diris obrutus calamitatibus Deum, solum fusis precibus advocet auxiliarem? clamavit ad Dominum, seu enixim eum rogavit, ut beneficio clamoris suppetias impetraret; fuit enim clamor orantis, & vox deprecantis, quia ut ait D. Chrysostomus in Catena Græcorum Patrum: *Non enim omnes voce clamant, nec ad Deum, neque voce propria. Qui enim clamat adversus inimicos, non edit vocem hominis, sed feræ, & serpentis. Qui est negligens, non audit quæ dicit, proinde non clamat ad Deum, sed temerè, & frustra loquitur. Qui mentem non excitat, quamvis valde vociferetur, hic rursus non clamat:* quia clamor orantis attentus esse debet, & ardens: si enim ardore destituatur frigescit, & humi repit, neque solatium impetrat.

2. Hinc David non solùm effundit in conspectu Dei orationem suam, sed etiam tribulationem suam ante ipsum pronuntiat; nimirum infirmitatem ostendit Medico, à quo sanitatem hauriat: non tantùm David oravit, sed & attentissimè exoravit, cùm tribulationem suam ante Deum pronuntiaret, pergit Chrysostomus: *Hic est enim fructus afflictionis: duo enim habet hæc commoda, unum quidem quod studiosiores faciat, & attentiores: alterum autem, quòd ea quoque justa sit causa, ut audiamur: non enim dixit justitiam meam, sed tribulationem meam ante ipsum pronuntio;* Loc. cit. & ideò quia humilis Davidis oratio cœlum ascendit, ad ipsum descendit Dei miseratio; humilis fuit Davidis oratio cùm non allegaverit in suis precibus obsequia DEO antehac exhibita, virtutis studium, quo eximiè præcellebat, nec reliquas inculpatæ vitæ sanctitates, tametsi omnibus innotescerent: non enim dixit *justitiam meam, sed tribulationem meam ante ipsum pronuntio:* reticet studia virtutum, exercitia justitiæ, insignia sanctitatis, ornatum innocentiæ, & reliquas, quas ipse excoluerat virtutes; & tantùm proprias exprimit ærumnas, quibus obruitur; tribulationes, quibus premitur, *tribulationem meam ante ipsum pronuntio,* quia is verè ad Deum clamat, qui voce humili Deum rogat, qui in oratione tribulationem suam ante Deum pronuntiat. Est humilitas orationis, vigor impetrationis, efficax energia, quapropter David ait: *Dilexi* Psalm. *quoniam exaudiet Dominus orationem vocis meæ. Quia inclinavit aurem suam mihi.* DEUS autem tunc dicitur aurem suam inclinare, quando nos submissè clamamus, seu corde humili Deum rogamus, & toto cordis affectu opem ab eo exposcimus: scitè S. Basilius: *Quorsum verò Deus loquenti aurem inclinabat, nisi ut faceret, quod facere solemus erga eos, qui submissè loquuntur propè admovendo aures, ut ex propinquo sensu audiamus id, quod quis loquitur.* In Psal. 11.

3. Inclinat igitur Deus aurem suam submissè, & humiliter oranti, non ut suam audiendi prodat difficultatem, sed ut nostram loquendi in oratione indicet infirmitatem: si-

qui-

quidem vix muſſitare incipimus, vix ore verba proferimus, vix noſtræ mentis cogitationes incipiunt, furſum ad Deum mitti; & ſtatim deorſum ob infirmitatem ruunt, humique repunt, eò quia mens orantis diſtrahatur, & ad creaturas deſcendat; & tunc piiſſimus Deus imbecillo homini non valenti altiùs loqui, eò quia ſit viribus deſtitutus, ſe inclinat; ut ægrè expreſſas ejus preces proximâ aure benevolentiùs recipiat, citiùs audiat, ſimùlque exaudiat, impetrétque orans petita. Appoſitè S. Hieronymus afferens cauſam, cur Deus oranti dicatur aurem ſuam inclinare, ait: *Quia nos parvi ſumus & humiles, & non poſſumus nos extendere, & exaltare; propterea Dominus inclinavit aurem ſuam, & dignatur exaudire nos.* Inclinat igitur Deus aurem ſuam orationi humilium, quia nimirum humiles ſuæ puſillitatis bene conſcii non poſſunt ſe protendere, & quia humiles non inflantur, nec ſuperbia extolluntur, proinde piiſſimus Deus ſe illorum precibus inclinat, ac demittit, ut audiat, & exaudiat.

4. Adeò efficax eſt humilis oratio, ut cœli violentiam ſuperet, eóque potiatur, ait Chriſtus: *Regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud:* dicitur autem Regnum cœlorum vim pati, quia proprium eſt Angelorum, ac cœleſtium ſpirituum: unde vie quaſi dicitur cœlo inferri, quando terreni homines nituntur eo potiri. Sed quænam eſt hæc hominis violentia, quâ vim cœlorum Regno infert, & violenter nititur homo illud rapere? Non alia eſt hæc vis tam efficax, & potens ut cœlum adoriatur, eóque potiatur, niſi humilis oratio, ſi enim oratio è corde prodeat humili, ſi fletu madeat, tot bellicis globis, quot lachrymis videtur quaſi cœlum violenter expugnare; & per ſubmiſſam humilitatem veluti per ſubterraneos cuniculos viam ſibi ad occupandam cœli arcem aperite; eleganter D. Ambroſius ait: *Vim facimus Domino non compellendo, ſed flendo; non provocando injurijs, ſed lachrymis exorando; non blaſphemando per ſuperbiam, ſed per humilitatem mærendo. O beata violentia; quæ non indignatione percutitur, ſed miſericordia condonatur. Beata violentia, quæ vim patienti bonitatem elicit, & utilitatem tribuit inferenti.* Quò profundiùs oratio humilitate deprimitur, eò altiùs evehitur: dum oculos in cœlum elevare erubeſcit; cœlum in ſua vota inclinat.

5. Abrahamus demiſſis precibus ſupplex decertat cum Angelo Dei vices in terris gerente: *Quia ſemel cœpi, loquar ad Dominum meum cùm ſim pulvis, & cinis*, ſeu ut habet textus Hebræus, *Cœpio, vel geſtio loqui ad Dominum, tametſi ſim pulvis, & cinis*, ſeu ut vertit Vatablus, *quamvis ſim viliſſimus, & abjectiſſimus*, & quia oratio Abrahami, ſe dejecit in pulverem, ſplendentia in cœlis ſupergreſſa eſt ſydera, & ad Numinis pervenit thronum, limites exceſſit naturæ, & Dei aures demulſit, eleganter Baſilius Seleucienſis: *quando Abraham ſuo illud ſermoni prætexuit: ſum pulvis, & cinis, tunc naturæ agnitione, naturæ terminos eſt meritò ſupergreſſus*; cognovit ſe cinere, & pulvere compactum, & humilis demiſit ſe in cœnum, quò agnitione naturæ terminos ſupergrederetur naturæ, & è cognitione ſui cœni ad fruitionem cœli admitteretur, quia humilis oratio cœli penetrat altiora, & gratior Deo obtingit.

Genes. 18.

Orat. 18.

6. Aſcenderat Phariſæus in templum oraturus; fuerat & Publicanus Phariſæum ſecutus; non tamen auſus eſt templum ingredi ſacro illo ſe loco indignum exiſtimans; imò neque oculos in cœlum elevare, ſed humilis, ac confuſus proprium pugnis pectus tundebat, & Deum enixim rogabat, ut vellet ſibi ſuam gratiam erogare, ſéque propitium exhibere afflicto, & reſipiſcenti peccatori: aſcendit hæc humilis Publicani oratio ad Deum, à quo in ipſum ejus deſcendit miſeratio: *Et Publicanus à longè ſtans nolebat nec oculos ad cœlum elevare: ſed percutiebat pectus ſuum dicens: Deus propitius eſto mihi peccatori: dico enim vobis deſcendit hic juſtificatus in domum ſuam ab ille.* Humilis Publicani oratio cœlum conſcendit, & vim ejus ſuperavit: cum enim Publicanus non auderet oculos ad cœlum elevare, tunc expertus eſt, cœlum ad ſe inclinari, eóque potiri: quia quò oratio deprimitur humilior, eò altior evehitur, & dum propriam fatetur imbecillitatem, inconcuſſâ munitur firmitate; cum viribus ſe deſtitutam dicit, tunc ad victoriam armatur, & ad cœli expugnationem animatur, ſcitè D. Bernardus ait: *Regnum cœlorum vim patitur: vim faciebat Publicanus ille, qui dum non auderet oculos ad cœlum levare ipſum cœlum ad ſe potuit inclinare:* hoc eſt humilis oratio cœlum invadit, vim ejus ſuperat, intus penetrat, & cœli divitias diripit, vi tamen DEO gratiſſima.

Matth. 18. v. 13.

Serm. de quatuor modis orandi.

7. Secus oratio Phariſæi templum ingreſſi vacua receſſit, quia ambitione inflata, geminatum jejunium in Sabbatho, profuſas eleemoſynas, virtutum ſtudia jactavit, ideóque humi repit. Pulchrè S. Baſilius Seleucienſis conferens has duas orationes Phariſæi, & Publicani ait: *Inverſus eſt ordo, apparuit Publicanus juſto Phariſæo juſtior, idque juſti Judicis judicio. Commutata rerum eſt natura in altum faſtu elatus dejicitur; ad ima vergens per ſententiam erigitur. O Publicanum clementiæ mercatorem! O Publicanum, qui de portu felicitatis rectè vectigal petit! O Peccatorem qui ad libertatem & ſanctitatem viam adaperuit! docuiſti vectigalium redemptionem, juſtitiam valentiorem: non deſiiſti vectigal poſcere, dum Chriſtum ipſum vectigalem feciſti.* Scilicet demiſſa, & humilis oratio Publicani erubeſcentis, vel ſolos oculos ad cœlum elevavit, & Chriſtum non invenit vectigalem, ſed ſibi fecit, quia veniam accepit, & beneficia pro-

Orat. 35.

pitiationis petitæ pectoris tunsione suscepit; sicque Deum sibi fecit vectigalem, quem humili precum fusione rogaverat sibi propitium. Secus superba Pharisæi oratio, quia Pharisaico supercilio arroganter intumuit, vacua dimittitur propria tantùm inanitate plenissima; cùm demissæ Publicani preces ultra humanum fastigium invaluerint; & quò humilitate depressiores, eò fuerint ad impetrandum efficaciores; & quò humiliores, eò altiores naturæ terminos supergressæ fuerint, Deúmque ipsum sibi vectigalem constituerint, ut ait Basilius: *Non desisti vectigal poscere, dum Christum ipsum vectigalem fecisti:* quasi Christus vectigal solvat humilium precibus, quia nimirum non sinit, eas vacuas abire cùm semper aliquid ex petitis impetrent, instar quasi vectigalis, quod humilium debeatur orationi: quapropter David commendans hanc in fundendis precibus humilitatem ait: *Subditus esto Domino, & ora eum:* exigit David ab orantibus morigerum obsequium, quo Numini subjiciantur: sed ubi textus latinus ait: *subditus esto Domino*, hebræus habet *Sile Domino*: quod Aquilia vertit: *Tace Domino, & expecta eum.* Psalm. 36.

8. Sed quid est tacere, & silere Domino, simúlque eum orare? per silentium lingua præpeditur, quæ per vocem orantis expeditur; silentium linguam coërcet, cui vox orantis habenas laxat; silentium vincula linguæ injicit, quæ prolata oratio disrumpit; nimirum orationis silentium totum fit vocale, quia humilis oratio à DEO auditur, & simul exauditur, ideò vocalis est taciturnitas: appositè Hugo Victorinus in annotationibus in psalmos ait: *Quid est aliud DEUM orare, nisi mente humili atque devota ad ejus misericordiam semper respicere? propterea enim non dixit tibi: ora eum hoc, sive illud; sed tantùm ora eum; quia nihil aliud à te, quàm affectum bonum exigit: quia tuam necessitatem etiam te non loquente cognoscit; cùm ergo oras, quem petas potiùs, quàm quid petas cogitare tibi dulce sit.* Postea subdit: *Ille DEO subjectus esse renuit, qui aliquid de sua virtute posse præsumit: Ora eum, ut subditus Deo sis de te non præsumendo, sed ejus auxilium expetendo.* In Psalm. 36.

9. Qui igitur orans subjicitur DEO, & humilis orat, nihil de se posse præsumit: ideóque subditus est Domino, quem mente humili orat; qui vacuus, & humilis per fusas preces ad DEUM accedit, beneficiis plenus ab eodem recedit, seu impetrat, quod exposcit, tacendo efficaciùs, quàm loquendo; quia per taciturnitatem humiliatur oratio, quæ per loquacitatem pharisaicam ambitione inflatur: quia enim inflata oratio de se præsumit; vacua tempus insumit.

10. Secus demissa orantis humilitas orationis est sublimitas, & energia, vigórque impetrationis, quapropter David ait: *Respexit Dominus in orationem humilium*, seu ut interpretatur Pagninus *in oratione Myrica*, vel juxta aliorum interpretationem *in oratione Cicadæ*, sed quomodo fieri potest, ut oratio humilium stridori parietur Cicadæ? Illa aures demulcet; quas stridor cicadæ molestissimè pulsat; illa paucis plura exprimit, iste continuato strepitu nil dicit; illa blandè se insinuat, iste aures penetrans caput offendit; illa pietatem movet; iste fastidium excitat; illa flectit animum in sua vota, iste exasperat in sui perniciem, cùm plerumque ad cicadæ abigendum stridorem ipsa quæratur ad internecionem. Cur igitur non pariatur oratio cantui potiùs alaudæ, acanthidis; vel lusciniæ? quarum suavissimo cantu solent homines delectari? rectè stridori potiùs cicadæ, quàm acanthidis, & lusciniæ suavissimo cantui comparatur oratio, quia alaudæ, merulæ, acanthides, & lusciniæ, aliæque id generis aviculæ cantatrices ad solam oblectationem modulatos suos edunt sonos, quos nunc continuato spiritu trahunt in longum, nunc inflexo variant, modò conciso distinguunt, intorto copulant, revocato promittunt, & ex inopinato infuscant etiam secum tacitè obmurmurantes; sonúmque semper immutantes, nunc lenem, modò gravem, acutum, vibrantem, summum, medium, imum. Verùm varias hasce cantuum suavitates ad solam produnt oblectationem, adeò ut cùm primùm turbantur statim silentes cessent, taciturnæ tristentur, & mœstæ sileant. Secus cicada tore palcitur, mensibúsque æstivis totos strides dies, & infracta constantia suos à manè ad Vesperam producit stridores, quibus vicinum aëra implet: ita homo humilis, ac submissus adæquè cicadæ pariatur: quia tametsi cœnosus, ac pannosus videatur, vilis sit, & abjectus; quia tamen in suis fundendis precibus adeò constans est, ut nulla adversitas ab iisdem eum distrahat, & æquali constantia enixim DEUM semper roget, eúmque laudet, ideóque ejus oratio est, ad quam DEUS respicit; *Respexit Dominus in orationem humilium:* alii verò perinde orant, ac canunt alaudæ, merulæ, acanthides, ac lusciniæ; scilicet, dum prospera iisdem arrident, cùm omnia ad nutum fluunt, cum eventus fausti contingunt, cum veris ridet amœnitas: quæ omnia si tollantur, vox siler orantis, in quo languent, tacéntque omnia: isque causæ, cur DEUS in humilium orationem respiciat, & cicadæ stridorem aliarum cantatricum aviculárum præferat concentui. Psalm. 101.

11. Tunc oratio est Deo gratior, ac firmior fundatur, quando ærumnæ orantem premunt,

munt, calamitates affligunt, adversa diverberant. Hussæus Princeps Job, quia inter dilabentes domûs parietes firmibs Deo hærebat; & pecore omni abacto, liberis sepultis priùs, quàm mortuis; omnibúsque bonis spoliatus adhuc hilaris, ac inconcussa pectoris firmitate Deum non fronte turbata, sed mente hilari orabat, inquiens: *Sit nomen Domini benedictum*; ideo hæc oratio (Job. 1.) humilis, & in calamitatibus edita plùs Deo placuit, quàm decem millia precationum in prosperis: fuit Jobi oratio constans cicadæ stridor; cùm non tacuerit, tametsi calamitatibus obrueretur, adversitatibos premeretur, ærumnis vexaretur, & hanc orationem commendans D. Chrysostomus, loquens de patientia Jobi, appositè ait: (Hom. 1. de [illegible] 4.) *Universa Job amisit, magis autem universa invenit. Cuncta enim læta amitens, lætitiæ radicem non amisit; amisit lyram, sed artifex remansit; Christus in cruce Cytharadus, imò & ipsa Cythara non ut ficta Orphei musica ad se potentissimè traxit non amicos solùm, sed & inimicos; non solùm vivos, sed & mortuos, traxit rupes, traxit solem, omnémque syderum comitatum. Quid extinctum Apostoli lugetis? Cytharam perdidisti, sed artifex remansit. Orando perseverate. Oratio Christum de cælo traxit, oratio illum corpore vestivit. Illum in solitudine cibus oratio, in morte pharmacum fuit. Oratio vobis, & citharam amissam, & ipsum etiam artificem restituet redivivum. Oratio in luctu suavissima cælitibus est musica.*

## §. II.

*Oratio lachrymis afflictionum madida, & ærumnis pressa, promptiùs Deum in vota flectit orantis; Dæmones fugat, & veluti roscidus imber animam irrigat è qua flores pullulant omnium virtutum, ac venustatum.*

12. Viri pij plus oratione in afflictionibus edita meruerunt, quàm in prosperis, & cum omnia ad votum ijsdem fluerent; & Samuel nunquam tantam promeruit laudem, quàm cùm in afflictione sua ferventissimè oravit, ac in oratione perseveravit: siquidem à suo populo graviter offensus, & de suo principatu tam turpiter dejectus, nec pusillanimis succubuit, nec iratus excandoit, nec elatus infremuit; sed prudens, & patiens totum se contulit ad orandum, & ejus oratio grata adeò Deo fuit, ut plurimum inde obtinnerit solatij, quia contra adversa validissima sunt orationes arma, quibus propterea usus fuit Moyses à populo murmurante gravissimè provocatus. *Quid faciam populo huic? Adhuc paululum & lapidabit me.* (Exod. cap. 17.) Ezechias Regum optimus à Rege Asyriorum litteris iniquissimis lacessitus ad hæc convicia retundenda clypeum adhibuit orationis. *Ascendit in domum Domini, & expandit manus coram Domino, & oravit in conspectu ejus.* (4. Reg. c. 19.) Sara Tobiæ uxor ab ancilla convicijs sauciata acerrimis, ab alio non petijt pharmacum curandis vulneribus aptum, quàm ab oratione Tobiæ cap. 3. v. 10. *Perrexit in superius cubiculum domûs suæ, & tribus diebus, & tribus noctibus non manducavit, neque bibit, sed in oratione persistens cum lachrymis deprecabatur Deum:* hoc idem suo fortiùs nos voluit Christus edocere exemplo, quàm verbo; cùm à Juda & satellitibus ad internecionem quæsitus, & cruci affixus Patrem enixim exoravit, ut occidentium excusaret ignorantiam; hinc David repræsentans Christum ait. *Adversum me loquebantur, qui sedebant in porta, & in me psallebant, qui bibebant vinum; ego verò orationem meam ad te Domine.* (Psal. 68. v. 13.)

Si igitur calamitates nos premant, ærumnæ obruant, & adversa quæque in nostram insurgant perniciem, nil ad mala quæque imminentia declinandum validius est oratione, de qua Chrysostomus ait: *Oratio ecclesiæ est murus, qui rumpi non possit, munimentum inconcussum; Dæmonibus quidem formidabile, pijs verò tutum, ac salutiferum:* (Lib. 2. de orand. Deū.) Marci. 12. Non valuerunt Apostoli cacodæmones è corpore hominis obsessi abigere, cùm tamen Christus, vel unico tantùm verbo eos expulerit, cúmque Discipuli secretò Magistrum Christum interrogâssent, quare non potuerint ipsi cacodæmonem ejicere, respondit. *Hoc genus in nullo potest exire, nisi in oratione, & jejunio:* (Marci 9.) est siquidem oratio adeò efficax, ut vel Dæmones ipsos ad fugam compellat, ac tartareas prosternat legiones, quis igitur hisce orationis armis non se muniat, quibus tartarum ipsum exarmare valeat? quis hoc non se tegat clypeo ad hostiles ictus elodendos, & vibrata contra se tela retundenda? quia ut ait Chrysostomus: *Jugis infirmitas hostis oratio est. Cæterum ipse contra se tela ministrat, qui hostem precum instantiâ non fatigat.* (Serm. de Moyse.) Improbitas tartarei hostis nostris est precibus defatiganda, ejus pervicacia nostris orationibus infringenda; tametsi enim potentior sit, ac perniciosior hostis, precum tamen robore debilitatur, quia ut ait Chrysostomus: *Nostra oratio infirmitas est hostis*, cujus (In Matth. cap. 17.) vires infringit, oratio enim dæmones fatigat, tartareas legiones dissipat, quia ut ait Chrysostomus, *oratio terribilis est dæmonibus, contra quos nil est homine probo orante potentius:* Oratione siquidem quasi fulmine è summo cælorum excusso percussus dæmon prosternitur. Hinc non solùm internos debellat oratio hostes; sed internos, ac pravos affectus, qui in nostram intus insurgunt perniciem prosternit, verùm externos, seu Dæmones, quos oratio acriter torquet. Conquerebatur D. Paulus Corinth.

13. eò quia pravo concupiscentiæ affectu intus pulsaretur: *Datus est mihi stimulus carnis meæ Angelus Satanæ, qui me colaphizet, propter quod ter Dominum rogavi, ut discederet à me*, sed si stimulus est carnis, quomodo Apostolus eum vocat Angelum Satanæ? & cur se dicit colaphizatum, si iotus potiùs concupiscentia suis ei blandiebatur lenociniis? communiter siquidem censent Interpretes, stimolos carnis, seu motus fuisse concupiscentiæ ad illicita excitantis, seu libidinis tentationes: concupiscentiæ igitur stimuli carni infiguntur, quam veluti gehennali flammâ ignominiosè ustulant: sed si stimuli carnis impuras accendunt intus flammas, cur se colaphizari dicit Apostolus? quia nimirum contumeliosè intus pulsabatur, ideóque stimulis illis, quibus minimè assensum præstiterat, se graviter dehonestari, ac veluti opprobriosè colaphizari existimabat.

14. Sed si ejusmodi tentationibus Paulus stimulatur, cur à Deo non compescitur dæmon iste, qui Paulum colaphizat? quia scilicet oratio Apostoli tormentum erat cacodæmoni, & plus cruciatuum ei inferebat, quàm ipse carnis stimulis damnum inferret Paulo: appositè S. Bernardus ait: *Gravis equidem est nobis inimici tentatio; sed longè gravior est illi nostra oratio.* Pergravis, & probrosè molesta fuit Paulo tentatio, quâ se colaphizari ajebat, quam propterea iteratis ad Deum precibus excutere satagebat: non tamen Deum in sua vota flexit, licet genu ad ipsum oraturus pluries inflexerit; quia plus torquebatur malus Angelus fusis precibus Pauli, quàm Paulus vexaretur ita à Dæmone colaphizatus: veluti colaphus fuit Paulo Dæmonis tentatio, sed Pauli oratio crux fuit hosti tentanti; imò, & alia gehennalis pœna precibus ardentiùs inflammata; ideóque permisit Deus Apostolum obscœnis quati, ac colaphizari tentationibus, ut ejus precibus graviùs Dæmon torqueretur.

Serm. 9. in Dedicat. Eccles.

15. Si igitur tartarei hostes in nostram insurgunt perniciem, si totum moveant Acheronteum exercitum in nostra damna; ad eorum coërcendos impetus una sufficit oratio, si illâ ritè muniamur; hæc enim, & arma nobis suppeditat, & manus nostras ad prælium edocet, & ad victoriam nobis viam sternit. David ærumnis obrutus, calamitatibus oppressus, ac veluti inimicis sævientibus resistendo impar, orationem sibi accersivit adjutricem; & præsidium feliciter invenit: scilicet, & arma, quibus muniretur, & pugnandi artem, quâ hostes prosterneret, ait ipse, *qui docet manus meas ad prælium: & posuisti ut arcum æreum brachium meum:* nimirum de orationis gymnasio manus edoceri ad pugnas ineundas, & palmas victrices colligendas, censent plures Interpretes: & Patres Græci in paraphrasi apud Corderium exponunt, *qui docet manus meas ad prælium: seu ad preces manus expandens superro inimicos meos:* docere manus potenti eruditione ad præliandum, perinde est, ac ad preces manus expandere, & inimicos prosternere, adeò ut in orationis gymnasio edoceantur manus ad prælia, corroborentur brachia ad pugnas cum tartareis hostibus, tyrannisque ferocientibus, & victoriam ipsa magistra oratio suis oppignoret discipulis, quos erudit: appositè Tertullianus ait: *Illuc Christiani suspicientes manibus expansis, quia innocuis; capite nudo, quia non erubescimus; sine monitore, quia de pectore oramus, sic itáque nos ad Deum expansos ungula fodiant, crux suspendat, ignes lambant, gladij guttura detruncent, bestiæ insiliant: paratus est ad omne supplicium ipse habitus orantis Christiani*, quia oratio cruciatus quósque sopit, tormenta obtundit, dolores coërcet, & ipso fuso cruore per hiantia corporis vulnera purpuram sibi apparat ad triumphum; imò vel ipse orationis habitus mox subsecuturæ victoriæ obses est, victoriámque auspicatur felici triumphorum augurio: quo pacto oratio manus docet ad prælium, instruit ad triumphos, erudit ad epinicia; quia dum ad preces extenduntur, victoriæ auspicium habitu spondent orantis; quasi adhuc imbecilles essent manus ad prælium eruditæ; nisi vel ipse habitus orantis Christiani sublatâ manuum expansione victorias non redoleret.

Psalm. 17.

In Apologet. cap. 30.

Est igitur oratio fortissimum contra tartareas legiones præsidium, quia ut ait D. Bernardus de modo benè vivendi. *Ipsa est, quæ diaboli jacula submovet, ejusque tela exsuperat, & dæmonibus omnibus malis prævalet.* Quia manus orantis non solùm ad prælia docet; sed ad victorias instruit, nil enim oratione fortiùs ad dæmones prosternendos, & ad bona quæque imperranda. Oratio, ait Climacus, si ipsius naturam, seu qualitatem spectes, est familiaris conversatio, & conjunctio hominis, cum Deo; sed si ejus efficaciam attendas, oratio est mundi conversio, Dei reconciliatio, peccatorum propitiatio, pravorum affectuum frænum, proborum desideriorum fomes, propugnaculum contra impetus afflictionum, scutum contra ictus dæmonum; ipsa virtutum est scaturigo, divinarum gratiarum conciliatrix, profectus spiritualis, animæ nutrimentum, mentis illustratio, caliginum dissipatio, tristitiæ solutio, iræ diminutio, odij extinctio, spei alimentum. 16.

Serm. 49.

Immo eodem oratio munere fungitur in Anima, sicut nervus in corpore: Job describens hominis formationem ait: *Nonne sicut lac mulsisti me, & sicut caseum me coagulasti? pelle, & carnibus vestisti me: ossibus, & nervis compegisti me*, scilicet ex varijs membris, partibúsque corpus finxit hominis; in ipso enim partes quædam mollescunt in carnem; aliæ in pellem extenduntur; quædam in ossa durescunt; & aliæ lentescunt in nervos; quapropter homo carnibus 17.

Cap. 10.

bus quasi veste interula indutus; pelle postea veluti externo pallio obtegitur: & tota humani corporis moles, ossibus nititur veluti suis fundamentis stabilita, ac columnis fulta; & in hac mole nervi, veluti quædam vincula partes singulas simul nectunt, constringunt, copulántque: appositè Lactantius ait: *Deus Solidamenta corporis, quæ ossa dicuntur, nodata, & adjuncta invicem nervis alligavit, & constrinxit;* hoc autem munus, quo nervi in corpore funguntur humano, peritè ad officium transfert orationis D. Chrysostomus, inquiens: *Quòd qui animi nervos preces appellaverit, mihi profectò verè dicere videatur. Etenim ut corpus opinor nervorum beneficio constat, currit, stat, vivit, compactúmque est, iisque incisis omnes corporis numeri dissolvuntur: sic animi per sanctas preces, & conglutinantur, & constant, cursúmque habet pietas facilè in hoc stadium:* & sicut nervosus est, & fortis, qui oratione fulcitur; ita enervis, & languidus, qui illâ destituitur; quia sicut corpus nervorum beneficio constat, ita anima orationis sustinetur fulcimento; sintque propterea preces animæ, perinde ac corpori nervi, quapropter Syracides ait: *Et erunt sibi compedes ejus in protectionem fortitudinis, & bases virtutis, & torques illius in stolam gloriæ*, ubi Vatablus explicat: *Compedes ejus erunt tibi præsidio validissimo, solidóque firmamento, & ejusdem nervi honorifico amictus.*

Lib. de opif. Dei c. 7.

Homil. 1. de precatione tom. 6.

Ecclesiast. 6.

18. Vera igitur sapientia fundamentum dicitur virtutis, protectio fortitudinis, ornamentum gloriæ, est autem sapientia oratio, cui virtutes omnes innituntur suæ veluti basi, quapropter S. Chrysostomus ait: *Precatio, seu radix, & basis cæteris omnibus substernitur, neque secus, ac navem, & domum ea, quæ substrata sunt, validam reddunt, ac ne solvatur, continent: ita nostram vitam, orandi studium, & continet, & ubique firmam reddit*, & expressiùs æquiparans orationem fundamento, quo domus nititur, ait: *Quod in domo est fundamentum, hoc in anima est deprecatio: hanc ubi primùm, ceu basim, & radicem in anima fixerimus, tunc oportet diligenter superstruere pudicitiam, mansuetudinem, justitiam pauperum.*

Lib. de orando Deum.

Lib. de orando Deum.

19. Hinc patet, quanta sit orandi necessitas, cùm fundamentum sit, cui nitimur; fulcrum, quo sustinemur; & radix, ex qua singulæ pullulant virtutes, sicut enim radix necessaria est, ut vigor, viror, sapor, & quidquid boni est ad arborem transmittatur; perinde oratio necessaria est, ut virtutes in nobis vigeant, succrescant, floreant, fructúsque producant optatos: imò idem dixerim esse orationem animæ, ac corpori respirationem, quâ si destituatur, desinit, ac emoritur; anima enim, quæ orationi non vacat, veluti viribus destituta deficit, & in æternæ mortis versatur discrimine: imò quod anima est corpori, hoc oratio est animæ; quia sicut corpus sejunctim ab anima, quovis destituto motu corrumpitur, & fœtet: ita si beneficio destituatur anima orationis, veluti mortua languescit, sordes contrahit, & per vitiorum corruptelas malè olet: è contra, sicut corporis virtus frequenti exercitationis beneficio incrementum subit, & suo destituta consueto exercitio minuitur, deficit, ac labitur: ita orandi dissuetudo naturalem dissolvit virtutem, & supernaturales vires imminuit, ac virtutum omnium cultura corruit, quia sicut esculentis, & poculentis reficitur, alitúrque homo exterior; ita pijs orationibus pascitur homo interior, ac enutritur. Rubiginem contrahit gladius, si jugiter in vagina otietur: & spiritus vitijs inficitur, nisi fusis precibus irrigetur.

Utilis imber est oratio, & sicut tellus 20.
nisi imbre rigetur, sterilescit; ita & hortus cordis nostri, nisi fusis precibus irrigetur flore destituitur virtutis, fructúque boni operis; hinc Ennodius in vita D. Antonij Monachi ait: *qui id mihi operis injunxisti, adjuva orationem titubantem, & siccitatem styli sanctarum precum imbre locupletam.* Non solum oratio cordis nostri siccitatem irrigat, verùm & quamlibet abstergit fœditatem, abluítque maculam, ut enim moris olim fuit, quòd spongiâ mensæ lavarentur convivæ, omnem è manibus maculam depósituri, priùsquam mensæ sederent; ita est mens spongiâ orationis abstergenda, antequam ad mensam accedat Eucharisticam; ut quod de ecclesia dixit S. Joannes Chrysostomus, id ad quamcunque animam transferatur, ait ipse. *Non vides famulas mensas spongiâ lavantes, & domum mundantes, & discos mensæ imponentes? hoc fit per preces, per clamorem preconis. Tanquam spongiâ lavemus ecclesiam, ut in munda ecclesia sint omnia proposita, ut nulla sit macula, nulla ruga.* Imò non solùm oratio mentem irrigat, siccitatem abigit, sordes abstergit, verùm etiam vulnera, si quæ nobis fuerunt inflicta præsentissimo pharmaco sanat; idque peritissimus medicus nos edocet Laurentius Justinianus, inquiens: *sicut nullum medicamentum proficit, donec ferrum latet in vulnere, & extracto ferro prodest vulneri: ita oratio non prodest, quamdiu voluntas versatur in scelere, vel odium proximi manet in mente, sed si scelus abigatur, si odium excutiatur, oratio inflicta vulnera lenit, ac sanat.* Non enim oratio prodest, si odio inficiatur, vel alio pravo affectu deturpetur: utilis est oratio, non quam ostentatio indicit, sed quam charitas fraternitatis commendat; non quæ solis verbis ampullatur, sed quæ operibus inoculatur.

Homil. 3. in epist. ad Ephes.

Cap. 5. de orat.

Enixim cœlestis sponsus faciem concu- 21.
pierat sponsæ aspicere, & vocem ejus audire. *Ostende mihi faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis, vox enim tua dulcis,*

Cant. 2.

&

*& facies tua decora.* Mirantur tamen aliqui sacri Interpretes, eò quia Sponsus decoram vocet faciem sponsæ, ac venustam, quam tamen nigram esse, & multa caligine illinitam ipsamet fatetur, inquiens: *nigra sum.* Rursus vocem sponsæ dulcem dicit, quâ tamen nil magis absonum, ac inconditum, rusticúmque audivit sponsus, cùm repulsam inurbanè passus à sponsa fuerit. Verùm Chaldæus Paraphrastes deflectens sententiam ad morales sensus explicat: *Ostende mihi aspectum tuum, & opera tua recta; fac me audire vocem tuam: quoniam vox tua suavis est in oratione, & aspectus tuus pulcher in operibus bonis,* tametsi nigra sit sponsa, ejus vox insuavis, ejus tamen oratio plena suffunditur suavitate, & adeò grata vox est orationis, quæ sibi asciscit pulchritudinem bonorum operum, ut omnem excutiat à voce absurditatem, & à faciæ invenustatem; dicátque propterea sponsa, *nigra sum, sed formosa,* quia oratio bonis associata operibus faciei accersit pulchritudinem, vocíque impertit suavitatem, quâ sponsus allicitur ad faciem sponsæ aspiciendam, vocémque ejus audiendam; venustas puellæ in facie præsertim splendet: justorum autem facies, quia orationem bonis adnectit operibus venustatem, accersit gratissimam; quia per bona opera venustas conciliatur, & facies bonis operibus condecoratur: imò non solùm facies decorem induit, sed etiam vestimenta per
Cant. 4. bona opera suaviter olent. *Odor vestimentorum tuorum sicut odor thuris.* Per vestimenta opera designari, asserit Beda,
Cap. 29. quaproter Job ait: *Justitiâ indutus sum, & vestivi me sicut vestimento:* dicuntur autem hæc vestimenta olere thus, quia ex eo procedunt, quod quis in oratione concepit: siquidem justorum opera fœtus sunt orationis, quinimò ipsa sancta opera orationes sunt ad Deum, ad quem non minus clamat opus bonum, quàm oratio; appositè S. Gregorius: *Odor vestimentorum tuorum sicut odor thuris. Quid per vestimenta hæc nisi sancta opera designantur, quibus præcedentium malorum turpitudo operitur, ne videatur? Thus verò per significationem pro oratione ponitur. Benè igitur odor vestimentorum ejus sicut thuris esse perhibetur, quia in omnibus operibus suis orat:* Ecce quàm suavem spirat odorem nexus orationis cum operibus, est enim nexus iste, qui omnem conciliat venustatem, infundit gratiam, impertit odorem, quô Deus ipse allicitur.

21. Imò adeò arctus est orationis nexus cum bonis operibus, ut bona opera bibula sint orationis, & hæc bonis operibus sit implantata, sitq; propterea ipsum opus bonum
Luc. 18. oratio, in quo sensu dixit Christus. *Oportet semper orare:* hoc est rectè semper operari, ut enim ait Beda: *Semper orat, qui semper secundùm Deum operatur,* & quia nemo potest se excusare, quod non possit rectè operari, cùm operatio suam hauriat bonitatem à directione in ultimum finem, seu Deum, cui debita est omnis nostra actio, & operatio: ita neque potest se excusare, quòd non possit semper orare, cùm teneatur omnia opera sua in Deum dirigere, qui sicut plenum habet jus, & dominium in omnes creaturas, quarum est ipse Conditor; ita jus in omnes nostras habet actiones, & operationes, quæ propterea si ad ipsum, ut ad suum finem dirigantur, bona sunt, & munere funguntur orationis, quia ut rectè Beda: *semper orat, qui semper secundùm Deum operatur,* idque causæ, cur etiam Apostolus fidelibus suasit, ut Ad Ephes. 6.
semper orarent: *orantes omni tempore,* quia cùm teneamur semper benè operari, jugiter etiam tenemur orare, quapropter scribens ad Thessalonicenses, ait: *Sine intermissione orate,* seu nunquam desistite, Ad Thessalonicens. 5.
nunquam vacate à bonis operibus; & tunc aures suas in preces justorum inclinat Deus, & oculos super justos dirigit, quapropter David, *Oculi Domini super justos, & aures ejus in preces eorum:* nimirum ad hominum preces, non solùm aures, sed etiam Psalm. 33.
oculos aperit Deus, quia orationibus justorum maximè delectatur, pulchrè Salvianus. *In oculis affectus aspicientis ostenditur: in auribus semper exaudientis largitas demonstratur.* Per oculos igitur vis Lib. 2. de provident.
Dei benefica, seu benevolus ejus erga orantes designatur affectus, quia nostris precibus, si ijsdem bona respondeant opera, delectatur Deus, & non solùm oculos in has preces dirigit; sed & aures inclinat, ut eas non solùm audiat, sed etiam exaudiat.

Sunt tamen, qui conqueruntur, quòd non perperam operantes, & plurimum orantes, non tamen sibi videantur audiri, & exaudiri. Verùm hi quidem orare sibi videntur, sed tam luridè, ac oscitanter, ut balbutire potiùs, quàm orare dicantur; ut enim silens Moyses clamavit ad Dominum, sic isti exclamantes Deo silent. Frigus enim charitatis ait Augustinus, silentium est cordis; & nisi cor caleat, frustra os clamat, habet oratio suam vocem, quæ tamen: nisi è corde puro, & amore calente proveniat, inconditus potiùs est clamor, hinc David ait. *Intende voci orationis meæ Rex meus, & Deus meus,* sed cur dixit, *Rex meus, & Deus meus,* nonne satis erat, dixisse *Deus meus,* cur addit *Rex meus?* quia nimirum nisi Deum oremus, & pro Deo, ut Rege, cui per bona opera inserviamus, silemus, dum psallimus. 23.
Psal. 5.

❈ (o) ❈
❈

§. III.

## §. III.

*Magister Christus in horto Gethsemani, ut in erudito gymnasio veram nos edocet orandi normam, ne vacua sit oratio, nec inermis; sed bellet vincat.*

24. MOdum orandi docuit nos Magister Christus; oravit, enim ipse positis genibus, seu prono, ac supplici gestu, ut discamus, omnem abigere superbiam, excutere vanum tumorem: ajunt enim Evangelistæ Matthæus, Marcus, & Lucas describentes orationem Christi in horto Gethsemani: *Positis genibus procidit super terram in faciem suam, & orabat, ut si fieri posset, transiret ab eo hora: & dixit Abba Pater, omnia tibi possibilia sunt, transfer calicem hunc à me, sed non quod ego volo, sed quod tu, & oravit tertiò eundem sermonem.* Positis itaq; genibus: primo *procidit in terram*, suam in Patrem ostensurus reverentiam. Secundò *in faciem suam*, submissionem proditurus suam, ac humilitatem. Tertiò, plena, & cum totali resignatione sui ad Patrem preces suas fudit; *orabat, ut si fieri posset*, nimirum non fuit oratio Christi absoluta, sed conditionata, si Deo Patri placeret eum exaudire, cujus duntaxat voluntatem exequi cupiebat. Quartò addit *Abba Pater* ostensurus summum suum affectum, quo Patrem prosequebatur, cùmque orabat. Quintò suam in divinam potentiam declaraturus fiduciam subjungit, *omnia tibi possibilia sunt.* Sextò conformitatem propriæ voluntatis ad voluntatem Patris, ut ostenderet, pergit: *non quod ego volo, sed quod tu;* demum *oravit tertiò eundem sermonem*, ut nos doceret in fundendis precibus perseverantiam: Deus enim plerumque cunctatur dare, ut nostram augeat fiduciam, & constantiam, quâ in precibus effundendis perseveremos; vel non exaudit, ut melius quid accipiamus, vel saltem merita augeamus: est, qui profusissimis precibus propagationem fidei catholicæ in partes Infidelium; vel etiam conversionem Hæreticorum petit, & hoc quidem non obtinet; sed suum ipse prometitum auget, quia ut apposite D. Gregorius, *Eò magis sancti exaudiuntur ad meritum, quò minùs exaudiuntur ad votum.*

Lib. 19 Moral. cap. 25.

25. Non aufert Deus, quod sæpe fusis precibus rogatur, sed differt, quò nostra augeatur perseverantia; & tantò jucundiùs fiat, quantò dilatum est diutiùs; est vulgata parœmia: *diu desiderata dulciùs obtineri, & citiùs data vilescere.* Cæterum non solet Deus vacuas dimittere, quæ ad ipsum preces funduntur: semper orantes aliquid accipiunt, si non petita; alia saltem quæ oranti magis prosunt: unde Augustinus. *Et quando non vobis datur, quod petitis, exaudimini, sed nescitis; fit in vobis charitas, & securi estote.*

Tract. 10. in Epist. 1. c. 3. in Joan.

Deus non dat ea à nobis petita, quæ nobis noxia fore novit; & ne frustraneæ fiot nostræ preces, alia impetritur, quæ nobis fuot perutilia; præsertim auxilia suæ gratiæ, quibus pravos coërcemus affectus, qui intus nos pulsant, occasiones declinamus peccandi; & in studio proficimus vitutum, ac æternam consequimur salutem, quæ nobis utilior est quocunque alio à nobis petito; id sentiamus, nullum ad Deum emissum gemitum è cœlo ad nos redire vacuum, habent suas suspiria nostra alas, quibus se cœlo insinuant, neque inde revertuntur, quin aliquid secum deferant nobis utile. Hoc certum sit, orationem justi semper exaudiri, semper à Deo admitti, & nunquam vacuam dimitti; hoc vocandus D. Bernardus, inquiens: *Quæ fidelis, & humilis, & fervens oratio fuerit, cælum sine dubio penetrabit: unde certum est, quòd vacua redire non poterit. Nam unum ex duobus indubitanter sperare debemus, quoniam aut dabit nobis, quod petimus, aut quod noverit esse nobis utilius. Noli ergo vilipendere orationem tuam; quoniam ille, ad quem oras, non vilipendit eam: sed antequam egrediatur de ore tuo, ipse scribi eam jubet in libro suo.* Serm. 4. in quadrages.

26. Orandum igitur semper est attentè, prolixè, & ardenter, sed tunc præsertim cum aliquod à Deo speciale accipimus beneficium; vel cùm prospero successu res nostræ fluunt. Alaudæ quoties aliquid in agro pabuli reperiunt, assolent statim in sublime avolare, ac dulcissonos suos edere cantus in laudem sui Altoris: has imitemur aviculas canoras, non se nobis gratiosiorem exhibeat Alauda; nobis à Deo impertita beneficia, nostris studeamus obsequijs compensare; debitas ei gratias rependamos, in sublime alis nostrarum cogitationum avolemus, seu mentem elevemus in Deum, eique dicamus: *hoc à Te munus est, tibi gratias agimus.* Orationis præsidio tunc etiam muniri debemus, quoties ardui aliquid aggredimur; id nos edocuit Magister Christus, qui cum discipulos sibi delegit, totam noctem pervigil preces fudit: res ardua erat duodecim eligere concionatores, qui Christi legem per orbem universum, seu evangelium prædicarent, ac propagarent, proinde oportuit ope fultus orationis voluit Christus arduum hoc opus inchoare; non quia ipse non cognosceret, quos eligeret; sed ut nos erudiret, nil aggredi arduum nisi præmisso orationis munimine. Neque castissima vidua Judith ardoum illud facinus, quod meditabatur, caput amputare Holophernis animosius auspicata est, quàm precibus Deo fusis, quibus & viriles animos, viresque tantas à Deo impetravit, ut imbellis fœmina bellicosissimum valuerit strategum exercitûs Assyriorum debellare, ac prosternere, obsessámque vindicare Betholiam; & licèt plerumque carnifices ipsi multorum suppliciis celebres in cæde talium virorum trepident, oréque impallescant; Juditha, quia orationis innixa præsidio, brachio intrepido stre-

strenuum Principem jugulavit: steterat vidua fœmina ante lectum orans cum lacrhymis, & labiorum motu in silentio, vocéque penitus submissa dicens: *Confirma me Domine Deus Israël, & respice in hac hora ad opera manuum mearum, ut quod credens per te posse fieri cogitavi, perficiam.* Quid oratio vires dedit, animos suppeditavit, manum direxit, & caput amputavit Holophernis, & Bethuliam servavit. Judith cap. 13. v. 7.

27. Contra utrosque hostes animæ, & corporis arma suppeditat oratio, imò pugnat etiam, & vincit: si enim de bellis, hostibúsque internis, seu pravis affectibus, ac cacodæmonis agatur tentationibus, nullo armorum genere expugnantur faciliùs, & prosternuntur feliciùs, quàm oratione; mentis in cœlum elevatio, hostium internorum est tuta prostratio; sunt preces fervore, & amore calentes armatura, quâ ad victorias munitur spiritus, quem pugnantem protegunt, & inexpugnabilem efficiunt: pravi enim affectus, si oratio ferveat, perinde ac caligines ad solis accessum fugantur, dissipantúrque, & ictus cacodæmonum hoc orationis clypeo retunduntur: si enim enixim humiliter, & ferventer Deum oramus, hoc solo scuto frustrantur impetus Dœmonis, hoc gladio discinduntur ejus insidiæ, hoc arcu prosternuntur ejus legiones: idque causæ est D. Paulus, nos velit præmonitos hac armatura orationis, qua nequissimos pravorum affectuum possimus impetus coërcere, ac diabolicas dissipare insidias, palmásque victrices colligere, ait Apostolus: *Induite vos armaturâ Dei, ut possitis stare contra insidias diaboli, induti loricam justitiæ, calceati pedes in præparationem Evangelij pacis: in omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignita extinguere: & galeam salutis assumite, & gladium spiritûs, quod est verbum Dei per omnem orationem, & obsecrationem orantes in omni tempore:* suadet nobis Apostolus, ut preces fundamus omni tempore, quibus tartareos hostes confundamus, pravósque affectus, qui in nos iurus insurgunt, expugnemus: quia si simus orationis induti armaturâ, tartarei hostis tela retundimus, pravorum affectuum assultus coërcemus, & dum mens orat, manus victorias, palmásque demetit. Ad Ephes. 6.

28. Quòd verò non solùm oratio hostes prostrenat, qui in nos intus insurgunt, animæque insidiantur, verùm etiam externos vincat inimicos nostra nitentes corpora prosternere, nil frequentiùs nos sacer textus edocet; erenim innumeros propemodum Amalecitas non gladijs Israëlitæ expugnârunt, non proprijs viribus superârunt, nou armis everterunt; tametsi Hebræi gladios rotarent, telorum nimbos, saxorúmque procellas evibrarent, non tamen, quidquam deperdiderunt Amalecitæ virium, neque animo ceciderunt; imò valentiùs, fortiúsque contra Hebræos obstiterunt, quos & viribus destituebant, & inflictis vulneribus cruentabant. Tunc autem cæperunt Israëlitæ prævalere contra Amalecitas, cum Moyses in montis verrice preces ad Deum fudit: fusio precum, confusio fuit pugnantium Amalecitarum; manus levabat supplices Moyses in Deum, & Amalecitæ victi in humum cadebant enecti; cùm Moyses preces funderet, visi sunt Israëlitæ hostium sanguinem effundere; cùm Moyses supplices remitteret manus, vires etiam remittebantur militibus Israëlitis, & cùm Moyses manus ad Deum extenderet in oratione, vis quædam inexpugnabilis imprimebatur Israëliris, & deficiente orationis ardore, manuúmque elevatione, deficiebat, & virtus ipsa bellica in Israëlitis, quæ eò uberiora incrementa subibat, quò ferventior erat Moysis oratio, & valentior manuum elevatio. *Cùmque elevaret Moyses manus, vincebat Israël; sin autem paululum remisisset, superabat Amalech.* Exodi 17. n. 11.

29. Moysis igitur manus in oratione extensæ hostium enervabant brachia, viribus Amalecitas destiruebant, animósque iisdem adimebant, ne vincere possent: prostrati fuissent Israelitæ ab Amalecitarum armatis, ac irruentibus turmis, nisi Moyses eorum ictibus clypeum objecisset orationis, cujus inexpugnabili firmitate ictus omnes retunderet, & assultus coërceret. Tametsi nondum id temporis usus extitisset tormentarij pulveris, oratio tamen Moysis persimilem visa est fumum effundere, quo oculi obcœcarentur Amalecitarum; una siquidem Moysis oratio magis valuit ad victoriam, quàm plura centena millia armatorum.

30. Hostium non timet arma, non pavet impetus, qui orationis clypeo munitur; hoc enim clypeo tectus ictus retundit adversariorum, & de hostium phalangibus gloriosè triumphat. Imò tanta est vis orationis, ut quasi vicaria videatur esse omnipotentiæ divinæ, à qua suas mutuatur vires; hæc enim invicta Amazon, tametsi manus cum Angelo conserat, adhuc feliciter triumphat. *In fortitudine sua dejectus est cum Angelo, & invaluit ad Angelum, & confortatus est,* loquitur Propheta de Patriarcha Jacobo luctante cum Angelo; sed quibus armis homo terrenus, natura enervis, viribus pœnè destitutus, fragilis corpore potuit contra virtutem Angelicam vires suas exerere, & contra fortitudinem superiorem invalescere? certè non alijs armis nisi quæ ipsi suppeditavit oratio; non alijs viribus, nisi quas à precibus mutuavit: subdit enim Propheta; Osea. 12.

ste-

*flevit, & rogavit eum.* Angelus indefessis luctatur viribus; Jacob orationis armis munitus, vires, quibus homo destituitur, ut Angelum superaret, ab oratione obtinuit: *Invaluit Jacob ad Angelum*, ait D. Thomas. *Si quaras, quare sic luctabatur: ad demonstrandam scilicet efficaciam fortis, & fiducialis orationis.* Precaria, qui munitur hac omnipotentiæ vicaria, etiam contra Angelicas vires fulcitur, & gloriosiores de Angelis ipsis reportat triumphos: appositè D. Ambrosius de Barbaris non timendis ait: *Arma nostra sunt, quibus nos Salvator instruxit, oratio, misericordia, ac jejunium. Jejunium enim meliùs, quàm murus tuetur; misericordia faciliùs liberat, quàm rapina; oratio longiùs vulnerat, quàm sagitta. Sagitta enim nonnisi conspectum percutit Adversarium. Oratio autem etiam longiùs positum vulnerat inimicum.*

Gen. 32. Conf. · Serm. 86.

31. Josuë trajecto Jordane progressus in agrum è castris vix milliario Jerichunte distantibus, dum loca omnia, situsque lustrat urbis Jerichuntinorum jussu Numinis excidendæ, locúmque expugnationi opportunum cum circumspiceret, spectabilem se ei obtulit Angelus viri armati specie, acinace districto terribilis, qui pugnæ, belliq; simulacra ciebat; (is erat Michaël tutelaris gentis hebrææ præses) à Deo auxiliator submissus, qui sub initium haud agnitus, deinde quisnam esset, aperuit Josuë, quem de urbe oppugnanda instruxit. *Cùm esset Josuë in agro urbis Jericho levavit oculos, & vidit virum stantem contra se evaginatum tenentem gladium, perrexítque ad eum, & ait Noster es, an adversariorum? Qui respondit nequaquam, sed sum Princeps exercitus Domini, & nunc venio:* scilicet in vestrum auxilium. Ab eo Josuë omnem didicit rationem capiendæ Jerichuntis, non armis tamen, nec bellicis machinis, nec murorum scalis, aut incursu alio militari; sed sacra quadam pompa. Præmiserat enim tum in omnes universim Chananæos, tum in Jerichuntinos præcipuè terrorem quendam insuetum Deus, quo perculsi, simulque consternati, Rex, optimates, cives, & quotquot ex suburbijs undique Jerichuntem confluxerant, dejectis armis fugæ potiùs studebant, & quomodo possent evadere, quàm quidquam de pugna cogitarent: nulli Jordanis ad ripam aderant defensores, nulli pro portis vigiles, nec stationarij milites, nullæ in muris excubiæ; neque propugnatores in mœnibus.

Josuë 5. v. 13.

32. Hæc inter Josuë partim ab Angelo, & mox ab ipso Numinis oraculo plenius ex arca præmonitus septiduum indicit exercitui, quo semel quotidie digressi castris Jerichuntis mœnia circumirent. Antecedebant armatorum plus quàm sexcenta millia, formidabile absque dubio spectaculum Jerichuntinis clausis, accrepidantibus intra mœnia urbis fuit: sequebatur Arca sedes Oraculi sacerdotum humeris gestata, aliiq; septem sacerdotes succedebant singuli buccinas, quas Jubilæas dicunt, inflantes. Claudebat agmen promiscua multitudo carnibus, tubisque militaribus perstrepens. Hic fuit quotidianus ordo, quo per sex continuos dies Josuë urbem Jerichuntinorum exteriùs circumivit. Die septimo pro concione præmonitis, quid fieri præterea vellet; jussit, ut buccinarum sonitum reliquis præcedentibus diebus productiorem ederent, prædixit captum iri Jerichontem. Addebat tamen, ut urbis captæ prædam auream, argenteam, æneam, ac ferream in sacrarium meminissent inferri templi; exterorum nec abriperet quispiam quidquam, nec attingeret; sed ut urbem à Numine diris, & excidio destinatam tractarent. Ferro viros, fœminas, armatos, inermes, senes, infantes, puberes, impuberes cum brutis, ac jumentis delerent; urbem reliquam incedio darent, ac cineris sempiternum tumulum efficerent.

Urbs igitur pendens animi ex futurorum expectatione, cùm jam antehac singulos ad circuitus stupido metu trepidâsset, eò postremò fluitare formidine, & animo cadere urgentioribus cœpit ex causis: timebant intus Jerichuntini, quos & Josuë exteriùs terrebat, cùm septimo die, dato per ipsum signo sub ipsum septimum Arcæ circumductum: horrendus per tot millia Hebræorum tam armatorum, quàm inermium tollitur adversus urbem in cœlum clamor à circumjacentibus undique montibus ferali echo repercussus: Murique simul ad tubarum clangorem, ac turbarum clamorem ex omnibus partibus non arietibus impulsi, non ballistis bellicis diverberati, sed Angelorum occultis viribus labefacti subsidunt, corruuntque in exteriores pomœrij fossas, quæ per delabentium saxorum congeries impletæ, planam, facilémque in urbem aperuêre viam, quâ Josuë statim potitur. En quibus fuit Josuë auxilijs protectus? invadens urbem jussit populum per edictum clamoribus cœlum pulsare. *Dixit Josuë ad omnem Israël vociferamini.* Tametsi Angelicis fuerit Josuë instructus armis; orationis tamen exambivit auxilia; quia si gladius proximos, oratio etiam dissitos convulnerat: *Omni populo vociferante muri illicò corruerunt.* O quàm validæ sunt orationis vires etiam ad urbes solo æquandas! ad hostes prosternendos! Angelus gladio armatus contra Jerichontinos pugnat; populus orationibus clamat; muri corruunt, urbs expugnatur, non machinis bellicis, sed fusis precibus; non ferro militum pugnantium, sed oratione turmarum deprecantium; corruunt muri, non ferro diruti, sed clamore eversi; urbs capitur, non armorum violentiâ, sed orationis potentiâ: *populo vociferante, muri illicò corruerunt.* 33.

34. Oratio animos dedit, vires suppeditavit,
muros urbis evertit, fossas explanavit, in-
gressum aperuit, & victoriam perfecit. Mi-
lites in castris tuba vocat, impellitque ad
pugnam: sed oratio tuba est, quæ dum
muta sonat, & tacita clamat, Deum vocat,
& ad ferendum pugnantibus subsidium vide-
tur quasi adigere. Quamvis sint hostes nu-
mero, & viribus majores, quamvis vide-
antur humana virtute inexpugnabiles, si ta-
men tuba canat orationis, si precum clamor
Numinis aures pulset, cedunt, & cadunt ho-
stes; neque enim Deo audienti, & exau-
dienti voces, & clamores precantium resistere
possunt omnes eorum adversarij. Hinc
contra Madianitas congressurus Gedeon so-
los trecentos milites secum defert, sed unde
in Gedeone tanta audacia, ut tam exiguo
numero præsumat Madianitarum aggredi,
& prosternere exercitum? nimirum contra
plura millia hostium solùm trecenti proce-
dunt pugnaturi, quia hos oratio ad victo-
riam erudierat, & eorum manus palmas
Iudic. 7. legere docuerat. *Dedit illis tubas in manibus.* Tubæ in manibus, seu fusæ
preces arma fuerunt, quibus Gedeon cum
solis tribus trecentis tot millia prostravit
Madianitarũ: tubæ in manibus districti fuêre
gladij, quibus hostes profligârunt; scuta,
quibus eorum tela retuderunt; vires,
quibus victores in universum armorum ge-
nus irruerunt. Adsit orationis tuba, mens
rectè sonet in auribus Dei, preces cœlum
pulsent, Deum invocent, ac veluti com-
pellant, ut subsidium adferat, & statim
in promptu erit divinum auxilium, & eum
cœlesti ope palmæ germinabunt ad victo-
riam eò vegetiores, quò fuso hostili cruore
non minùs, quàm effusis precibus fuerint
irrigatæ. Monet Deus per Moysem popu-
Numer. 10. lum. *Si exieritis ad bellum, in terra ve-
stra clangetis, ululantibus tubis, & erit
recordatio vestra coram Deo vestro, ut e-
ruamini de manibus inimicorum vestro-
rum:* hoc est, si deprecati fueritis Deum,
si orationes fuderitis ad ipsum, Deus eruet
vos de manibus inimicorum vestrorum:
quinimo, si preces fuderitis Deo, sanguinem
effundetis inimicorum: hæcque causa, cur
Gedeon suis trecentis militibus priùs preces
Iudic. 7. indixerit Deo fundendas, *Clamate Domino.*
Fundantur in cœlum preces, ut hostilis effun-
datur in terris sanguis; audiantur in cœlo
tubæ clangores, seu orationis clamores, ut
audiatur in terra militum virtus, hostium
vel fuga, vel interitus; & parta à Deo, &
orantibus victoria.

35. Elisæi Minister visis eminus Syriorum
castris mente consternitur, & animo cadit;
& Elisæi, ac suam salutem largis deplorat
4. Reg. 6. lachrymis *Heu! Heu! Heu Domine, quid faciemus?* Propheta ministrum muli-
ebriter deplorantem solatur, majores pro
se copias promittens. Vidit puer, *& ecce
mons plenus equorum, & curruum igneorum
in circuitu Elisai:* sed non propterea absce-
dit timor, nec excutitur è vultu pallor,
nec cessat terror præcordia pulsare. Quid
tunc Elisæus? ut omnem è puero abigat ri-
morem, extinguat terrorem, & instillet
animos, sciens, quanta sit orationis effica-
cia ad timores omnes excutiendos, qui ex
irruente concipiuntur hoste auxilia ab ora-
tione poposcit. *Porrò Elisæus oravit ad* 4. Reg. 6.
*Dominum, dicens: Percute, obsecro gen-
tem hanc cæcitate: Percussitque eos Dominus,
ne viderent.*

Opitulante oratione pavor omnis abi- 36.
gitur, equi ungulâ montes quatientes,
bellicósque sonitus edentes nullum ampliùs
incutiunt timorem, neque puer pavet spu-
mantia equorum ora, laxatis frœnis si-
mul hinnire conantia; & pugnis præluden-
tia. Sed esto per imprudentiam timor
puerum solicitet; cur Elisæus terrorem
sopituros ad orationem accurrit? an unius
deprecatio timorem excutiet, quem tot
Angelorum acies non sedant? ita est,
quia valentior, fortiórque est oratio ad
terrores excutiendos, timorésque fugan-
dos viribus etiam Angelicis: terrore per-
culsum noverat Elisæus puerum, quamvis
cinctum Angelorum castris, ideóque ut
omnis timor procul abscederet orationis
præsidio puerum munit, sciens esse ora-
tionem hostibus ineluctabile fatum, &
orantibus inexpugnabile munimentum?
appositè D. Ambrosius in præfatione ait:
*Sanctus Elisæus hostes suos non armis su-* Serm. 86.
*perabat, sed oratione vincebat. Nam
cùm idem Ministro suo ad depellendum ejus
timorem plures adesse diceret defensores,
nec metus ab illo posset auferri, tunc ora-
vit ad Dominum:* Tametsi Angelorum au-
xilia Elisæus non haberet contemptui, ne-
que de cœlesti præsidio diffideret, suppe-
tias adhuc ab oratione poposcit; quæ va-
lentior Angelis citra omne dubium timo-
rem omnem excuteret, hostium audaci-
am coërceret, & à puero trepidante om-
nem abigeret timorem, quasi præ Ange-
lorum copijs sit oratio efficacior ad timo-
rem omnem extinguendum, terrorémque
excutiendum. Ubi enim deprecatio pug-
nat, arma silent etiam Angelorum. Cœle-
stis militiæ armatæ Angelicæ phalanges flam-
mas in Syrios ejaculabantur; sed Elisæus
preces fundebat: quia non hostes armis
superare speraret, sed oratione vincere:
fortior enim hæc est, quocunque exer-
citu, omnibúsque armatis militibus.

Qui oratione se munit, Deo se u- 37.
nit, ac armat, & hostium phalanges non
timet, sed fortiter vincit, prosternítque
gloriosè. Pugnaturus David, Deum vi-
detur adsciscere sibi commilitonem, quò tu-
tior fiat de victoria, ait. *Apprehende arma,* Psal. 34.
*& scutum, & exsurge in adjutorium mihi.*
Deum

Deum rogat, ut in suum exurgat adjutorium, vires adaugeat, animos infundat, manus ad pugnas erudiat, & ad victoriam instruat, unde securus de victoria priùs epinicion sibi pangit, quàm classicum canat: *In DEO faciemus virtutem, & ipse ad nihilum deducet inimicos nostros*, appositè D. Basilius in scholiis explicans hunc textum ait: *Providentiam imploramus; per hanc enim solam inimicos nostros vincere poterimus*, nimirum per solam implorationem divini subsidii hostes suos securus deprædicat prosternendos, & ad nihilum redigendos; quia ubi oratio pugnat, ibi hostes omnes expugnat, neque quidquam est, quod possit, huic bellatrici Amazoni obsistere: tantum valet divinæ fortitudinis imploratio, ut secura sit victoriæ impetratio; sentiunt statim hostes, quantum valeat divini nominis imploratio: utinam discerent Deum noscere, cujus viribus nequeunt obsistere. Palmas qui legere in campo Martio cupiunt, discant priùs preces fundere, quàm hostilem sanguinem effundere.

Psalm. 107.

## §. IV.

### *Oratio, quæ in castris, ac pugnis Deum exposcit adjutorem, orantem efficit triumphatorem.*

38. Victoriæ tributariæ sunt orationi, quæ Deum exposcens adjutorem, orantem efficit triumphatorem: est enim Deus, qui vires, animum, & bellicam fortitudinem tribuit pugnantibus; terrorem hostibus incutit, vires adimit, & ad cedendum adigit. Neque David alio adjutore tot illustres de prostratis suis hostibus detulit victorias, quàm Numinis auxilio: *Interfeci universos inimicos tuos à facie tua*, quia nimirum tu adfuisti, ut me juvares; facies tua animos suppeditavit, & vires. Fuit David tot victoriis insignitus, Bethlehemio oriundus oppido ex tribu Judæ, Patrem habuit Isai, seu Jesse virum rusticanum, sed agri divitem, & copiosum, ex septem fratribus natu minimus pascendis gregibus à Patre admotus. Adolescentem tametsi assuetum ducendis, pascendisque gregibus præ cæteris commendabant, & oris venustas, & formæ dignitas, & peritia cytharæ pulsandæ, vocisque suavitas, quâ jam tum inter montium pascua, sylvarúmque recessus compositos à se plures Psalmos metrica concinnitate modulabatur; plectróque ad barbiti fides: ea tamen erat mascula munitus fortitudine, animóque generoso, ac forti; ut æquè manus ad pulsus cytharæ, ac ad pugnas cùm feris adhiberet.

2. Reg. cap. 7.

36. Prima siquidem pugnarum rudimenta fuerunt, sylvestres feras ovilium vastatrices manibus discerpere, ut de ipso dixerit Syracides *cum leonibus quasi cum agnis; & cum ursis, quasi cum ovicula victor luderet*: ferocissimas siquidem bestias ovium cædem intentantes, aut è caulis etiam cum præda revertentes, ultrò prior ipse velocissimo persequebatur cursu, & comprehensas manibus nudis arrepto mento, juguló que dilacerabat: hæcque certaminum rudimenta præludium fuerunt illius cum Philisthæo Goliatho periculosissimi certaminis singularis, quod David ætate vicennio paulò major inivit. Turbantibus enim pro inveterato odio Philisthæis, ac arma in Hebræos moventibus, David ex aula Saulis, ubi psaltem, & cantorem egerat, remissus ad sua fuit pascua, eò quia gregibus pascendis assuetus, armis tractandis minus idoneus haberetur. Philisthæi igitur, & Hebræi in duobus collibus sua posuerant castra subjectæ duntaxat vallis divortio sejunctis; ambo quidem parati ad pugnam, si fortassis aliquis prior in interjectam vallem certamen conserturus descenderet, quod mutuis etiam clamoribus sæpe per diem poscebant.

40. Cúmque jam per quadraginta dies bellum excitaretur magis, quàm gereretur, neutris aleam tentantibus; tandem ex parte Philisthæorum moræ impatiens quidam vir staturâ giganteâ nomine Goliathus, viribus corporis, armísque bellicis ferox in medium prosiliit, & truculenta voce Hebræos lacessivit ad pugnam; si quis esset intèr ipsos, qui auderet ad singulare certamen secum descendere, símulque de imperio utriúsque gentis dimicare; cùmque minas & convicia arroganti supercilio, fastúque barbaro quotidie jactaret, nemo fuit ex Hebræis, qui suæ gentis dedecus vellet sanguine abstergere, tametsi Saul Rex plures spopondisset divitias, ac perampla tributa; imò etiam filiæ Regiæ conjugium ei, qui ad ineundum singulare illud certamen se permoveri pateretur: vox enim minax Goliathi, corporis vastitas, oris truculentia terrorem animis incusserant Hebræorum, quò nullus auderet cum ipso pugnare, quamvis promissa præmia Regis Saulis ad talem ineundam pugnam allicerent. E rure venit eo ferè tempore in castra David missus à Patre cum commeatu ad fratres, cúmque Goliathus consueta ferocia, ac probrosa lacesseret Hebræos insultatione, eò quia nullus inter tot millia militum esset, qui secum cominùs congrederetur, suæque genti vel æternam servitutem victus, vel imperium afferret victor.

41. Miratus David non magis ferocem hostis superbiam, quàm imbellem suorum consternationem, intellectísque præmiis, quæ Rex Saul victori promiserat; spiritus concepit Deo plenos, & ad pugnam paratissimos; quod tamen cùm observâsset Eliabus fratrum natu maximus jussit, eum cum objurgatione ad sua reverti pascua; inconsultámque suam ferociam in tuendis gregibus ad cæteros opiliones ostentare, ut cùm adhuc esset quasi puer, ea cogitaret tractanda, quæ puerilem adhuc sapiunt ætatem. Ve-

rùm David interno quodam stimulatus impulsu, quo invitabatur ad pugnam illam singularem cum Goliatho ab incepto non destitit, suggetente Deo animos, & vires suppeditante. Cúmque res delata fuisset ad aures Regis, sistitur coram ipso adolescens, cui Rex objicit certaminis imparitatem, & inexpertam militiam contra veteranum bellatorem, tumidúmque debellatorem; sed Dadvid fronte hilari, vultúque jucundo respondit, plures difficiliores fuisse à se in campo victorias relatas contra leones ferocientes, ursósque truculentos, & ipsum non terreri, imò & contemptui habere jactatas totidem Goliathi minas, ferocientem Martem magis in lingua loquaciori, quàm in manu præliante gestantem. Delectatus Saul hac adolescentis bellica fortitudine, ac spiritus magnitudine, pugnam poscenti permittit; & ut humana cum divinis conjungeret præsidia, armis ex armamentario suo depromptis jubet adolescentem præmuniri, magis id patientem, quàm optantem, cum Numinis fiducia firmiùs, quàm ferro, & chalybe obarmaretur: & cum hisce corporis munimentis plus sibi impedimenti inesse, quàm subsidii sentiret; exutâ catafractâ aliis noluit armis muniri, quàm pastoritiis, & ruralibus, baculum secum sumpsit, peram, fundam, & quinque lapides de torrente selectos, quibus in vallem descendit pugnaturus cum Goliatho, qui juvenculum intuitus, inermem, nullóque bellico apparatu formidabilem, & in quo debellando plus pudoris, quàm gloriæ esse cognosceret, indignabundus jussit è suo abscedere conspectu, eúmque imbellem canem vocavit, qui tametsi latrare posset, non tamen mordere; proinde statim unde venerat, ut reverteretur, eum monuit; nisi mallet pedibus proteri in frusta illicò discerpi, & corvis dari in pabulum, imò contumelias etiam ausus fuit in Deum injicere Hebræorum.

42. Verùm cum David minas Goliathi quasi cum risu repelleret post velitationem verborum ad decretorium certamen venitur, animis utrinque spectantium varia suspensis exitûs expectatione: Philisthæi certa victoriæ spe alebantur, & jam epinicion, priusquam certamen iniretur, sibi occinere audiebantur. Interea Goliathus in valle interjecta toto corpore catafractus adolescenti Davidi minax obviabat, sed David ocyus silicem tapir è pera, imponit fundæ, librárque ictu tam destinato, & à Numine directo, ut excussus mediam Philisthæi Goliathi frontem feriret & fracto cerebro fixus hæreret fronti, adeout mactati bovis instar in humum prostratus victus, & enectus eeciderit Goliathus terror hebreæ gentis, & propugnaculum Philisthæorum; David superstans jacenti, arreptóque ejus gladio caput amputat, quod lætus, ac victor ad Regem detulit Saulem: eo spectaculo fracti animo Philisthæi in effusam se statim fugam dedêre agnoscentes, Deum pugnâsse pro parte Hebræorum; sed persequentibus Hebræis, & terga cædentibus eam effuderunt sanguineam stragem, ut in uno Goliatho, omnes Philisthæi censerentur periisse. Sed quibusnam armis David tam insignem detulit de Goliatho victoriam, & de Philisthæis triumphum? certè non armis ferreis, quæ deposuit antequam singulare iniret certamen; sed armis orationis, quia loricatus fiducia in Deum non timuit minas Goliathi, non enim fiduciam suam collocaverat in armis Psal. 43. *Non enim in arcu meo sperabo, & gladius meus non salvabit me*: sed in Dei auxilio, orationibus, precibus, & suffragiis implorato erat spes Davidis, cùm dicat: *In Deo laudabimur tota die, & nomini tuo confitebimur in sæcula.*

Qui animo sunt generosiores, viribúsque robustiores, ac disciplina militari celebriores duces, minùs sibi fidentes, in orationis subsidio, precúmque ope, bellorum eventus felices locare solent, & vires à Deo exposcere, & obtinere, cui & victoriam tribuunt: David enim, ut non sibi, sed Numini victoria de prostrato Goliatho tribueretur non loricatus, nec catafractus, sed inermis descendit ad singulare certamen, & mirantibus, ac stupentibus utrinque omnibus ipse solus imperterritus silice è funda excusso molem prostravit Giganteam, eò quia spem certam victoriæ in Numinis auxilio posuerat, quia ut ait Augustinus: *Non aliter prosternitur inimicus nisi Dei auxilio. Qui suis pugnat viribus, antequam pugnet, prosternitur*: & D. Chrysostomus, de David & Goliatho apposité ait: *David dixit ad eum: tu venis ad me fidens in gladio, ego in Deo; tu terrenis armis dimicas, ego cœlestibus pugno; tu in lancea, ego in fide; tu in clypeo, ego in pace; tu venis ad me in armorum virtute, ego in potentissimo adjutore; denique in te tua arma vertentur, in te tuus gladius exeretur. Dei est hæc pugna, Dei erit & ipsa victoria.* 43.

*Serm. 5. de verbis Apostoli*

*Homil. de David.*

Furtum se committere sciat strategus ille, qui suis viribus victoriam tribuit, non Deo: nisi Deus pro dimicantibus pugnet, imbecillis est omnis potentia, fractæ vires, infirma bellica virtus; neque sibi bellator victoriam arroget, quæ à Deo solo, vires, & animos suppeditante prodit. Satis gloriæ datur hominibus, si Deus eis victoriam comparet; próque eorum tutela dignetur pugnare: ad invictum Ducem Josue Deus sic loquitur: *Ejeci eos de locis suis duos Reges Amorrhæorum non in gladio tuo*: tametsi Josue bellica loricatus fortitudine, & mascula virtute præditus hostiles exercitus fuerit adorsus, eósque pugnavetit, & expugnaverit; non tamen ejus gladius, sed Dei virtus fuit, quæ Reges profligavit, & victrices lauros pugnanti Josue comparavit, ut notat Abulensis inquiens: *Non est sensus, quod Israelitæ non pugnaverint contra Reges illos* ; 44.

*Josue cap. 24. v. 12.*

*In dict. cap. 24. Josue.*

pugna-

*pugnaverunt enim, & deleverunt eos; sed non in potestate gladij, & arcûs. Est sensus, quod non faciebant hoc, quia essent fortiores viribus, aut plures Cananais, sed magis è contrario; erant enim Cananai robustiores, & plures.* Ideò Josuë duos Amorrhæorum Reges prostravit, quia Dei causam gessit, & non sibi delatas victorias tribuit, sed Deo, ab exercitu suo comparatas: Deus enim à Josue invocatus adfuit, virtutem pugnantibus brachiis daturus, virésque hostibus adempturus. Neque gloriæ suæ detrahit, nec suorum militum præfectus ille exercituum, qui victorias delatas de hostibus deletis in Deum refert, suimque in authorem gloriam refundit: solus enim Deus est, qui vincit, quapropter per Moysem ait: *Non quia cunctas gentes numero vincebatis vobis junctus est Dominus, & elegit vos, cùm omnibus sitis populis pauciores; sed quia diligit vos Dominus*, hinc David loquens de victoriis, quas Israelitæ de fractis, cælisque hostium exercitibus retulerunt, & de Provinciis, regnisque armorum vi occupatis ait: *Nec enim in gladio suo possederunt terram*, non quòd armati non pugnaverint Israelitæ, non quòd non institerint, & se turmatim explicuerint, aciésque hostiles à latere aperto non circuierint, sed quia vires ad pugnam, & victoriam à Deo sumpserunt; ut, & victoriam, quâ de prostratis hostibus triumphârunt, ait enim Basilius: *Armati quidem pugnârunt, & suis armis hostes expugnârunt, verùm opus ipsum non erat armorum, sed Dei, qui exercitus eorum ducebat.*

Deut. 7.

Psalm. 3.

b Psalm. 3.

45. Imbecilles sunt semper armatorum vires, inanis omnis bellica industria, & vanus præliantium numerus, nisi Deus precibus rogatus vires addat, animos suppeditet, & pugnas ad victoriam dirigat. Oravit suo in cubiculo imbellis vidua Judith, & precibus armata in aciem prosiliit, & ad Holophernis tentoria intrepida se contulit, caput ejus amputavit, & obsidione cinctam Bethuliam vindicavit; caputque supra obsessæ urbis muros appendi jussit; quid ni? pavent ad aspectum jugulati Ducis hostiles exercitus, qui trepidantes, timidæ se dant fugæ: irruunt à tergo Israelitæ ex urbe prodeuntes, insequuntur fugientes, quos cruenta clade prostrârunt. Certè hæc Judithæ victoria nonnisi eius tribuitur precibus, quæ à Deo eam impetrârunt: *Dominus revocavit me vobis gaudentem in victoria sua*: vocat hanc victoriam Dei, cui tantùm tribuit, non sibi, eò quia sciverit, Deum sibi vires, & animos suppeditâsse, cum repetitis precibus, ac jejuniis divinum suum petierit auxilium. Deo igitur est victoria referenda, qui vires suppeditat, arma dirigit, animos ministrat, hostibus terrorem incutit, virésque adimit; ipse est Deus exercituum, qui docet manus pugnantium ad bellum, & digitos etiam fœminarum colo tractando assuetos erudit ad prælium; eique proinde soli tribuenda est victoria, cùm ad eam comparandam vires suppeditet, & manus doceat: contra hostiles incursus invocatus semper adest Deus suam præstiturus opem.

Judith. 13. v. 20.

Patriarchæ Jacobo patriam repetenti cœlestes exercitus occurrunt in sui gratiam obarmati: *Fuerunt ei obviam Angeli Dei, quos cùm vidisset ait: Castra Dei sunt hæc*: ecce qualia Patriarchæ ad patriam reduci adfuêre præsidia, quales armatorum exercitus ei obviârunt, non ut expugnarent, sed propugnarent, ac defenderent: asserit Lippomanus angelicas copias Jacobo apparuisse, ne scilicet fraterno occursu terreretur: *Fiebat* ait Lippomanus, *hujusmodi apparitio ad consolationem viri Dei, cui imminebat subitus terror ex occursu fratris illi jam denuntiandi.* Lippomano assentitur Anselmus Laudensis, qui explicans hunc exercitum à Patriarcha patriam repetente visum ait: *Multitudo Angelorum, qua militia cælestis nominabatur, apparuit Patriarcha, quibus confortatus non metueret fratrem, securus eorum auxilio*: non potuit Jacob valentiori defendi exercitu, neque satellitio muniri nobiliore. Verùm tametsi Angelicis vallatus cohortibus adhuc Jacob trepidat, & fratrem timet Esau, qui sub fratris larva interiùs agitabat hostis consilia; hinc non contentus Angelorum præsidio ad arcem confugit orationis, ut non bene sopitam, sed adhuc fumantem iram, ac deflagrantem invidentiam inoffensè evadat, inquiens, *Erue me de manu fratris mei Esau, quia valdè eum timeo*, nimirum tutiores ad fraternam iram evadendam suppetias non speravit, quàm ab oratione. Jacob igitur, quamvis angelicis stipatus armis, Angelorum munitus cohortibus orat, magis fidens piæ orationis viribus, quàm angelicis armis. Nec fallitur quia beneficio orationis fratris sibi captat benevolentiam, & pericula eludit: oratio fuit, quæ iram extinxit fratris; eius reconciliavit amorem, excitavit benevolentiam: *Currens itaque Esau obviam fratri suo, amplexatus est eum.* Esau sui oblitus fratrem suum Jacobum læto excipit vultu, fraternóque constringit amplexu, & inveterato deposito odio, amicitiæ fœdere iura fraternitatis arctiùs stabilivit; neque ad fraternum amorem Esau emollitus fuit Angelorum terrore, sed fratris fusis precibus, quibus veluti benefico imbre flammas omnes exitialis odii extinxit, & ignem excitavit fraterni amoris, ut enim respondet Lippomanus: *Artificio spiritus format efficacissimam orationem, benevolentiam captat*: oratio, quam Jacob fudit, non terror, quem Angelorum armatus exercitus incussit, Esau odium extinxit, amorem conciliavit, captavitque benevolentiam; ut inde discamus, quoties hostes imminent ad internecionem, ad præsidium recurrere orationis, quamvis enim utilissima nobis sit Angelorum tutela, orationis tamen usus est nobis pernecessarius, cùm Jacob quamvis cœlestibus instructus

46.

Genes. 32.

Genes. 33.

ctus copiis, exercitu fultus Angelorum, adhuc fratris vereatur iram, & oratione armatus ejus gratiam sibi conciliet: *artificio spiritus format efficacissimam orationem, & benevolentiam captat.*

47. Fundendæ tunc etiam sunt preces, cùm carnis illecebræ ad castitatem labefactandam nos alliciunt, vel exitiale odium ad fratris effundendum sanguinem; & generatim quoties nos pravus aliquis affectus intus pulsat, & ad delinquendum contra divinam legem nos provocat. Quoties periculum imminet lædendæ conscientiæ rogandus est Deus, ut sua nobis auxilia opituletur, hæc enim est hominis obligatio, opem à Deo exposcere, & precibus prævenire, ne lethali culpa se à Deo avertat, & ne sinat se vinci à dæmonis suggestione, imò ne incidat in tentationem, cùm id poscamus qootidie in dominica oratione: *Et ne nos inducas in tentationem*, quia cùm tentatio urget, & pravi affectus intus excitantur de propria confidere libertate non vacat præsumptione; & confidere de solo auxilio ordinario sufficiente stolida est dementia: ad gravem enim, & præsertim diuturnam vincendam tentationem, auxilio indigemus extraordinario, quod enixim à Deo rogemus quo muniti imminens fœdandæ conscientiæ periculum amoliamus.

Matth. 18.

48. Quòd si tempestas oriatur in mari, fluctus navim diverberent, ventorum impetus ad naufragium impellant; nemo est ex nautis æquora illa procellosa trajicientibus, qui in tali vitæ discrimine, alicui ex Cœlitibus non se commendet, ac divinum humilibus precibus exposcat auxilium, eò quia salus corporis periclitetur, & naufragium immineat. Quanto magis ad declinandum æternum animæ naufragium, quando procellosi concupiscentiæ æstus intus mentem exagitant, & per tentationum impulsus ad peccandum lethaliter, nósque avertendum à summo bono pertrahunt, debemus preces fundere, & divinam implorare opem, ne in illo procelloso concupiscentiæ æstu periclitemur? imò ex Angelico Doctore D. Thomæ ad fundendas preces, implorandúmque divinum auxilium, tunc utroque jure divino, & naturali tenemur, cùm in periculo versemur peccandi: tunc utrinque trahimur, à Deo ne divinas leges transgrediamur, & à cacodæmone, vel pravis affectibus, ut ab iisdem avertamur; & tenemur Deo præcipienti observantiam suarum legum parère, & pessimas Cacodæmonis suggestiones procul abigere.

49. Rursus si adversa nos premant, si res nostræ ad votum non fluant, divinam debemus exposcere opem, quâ obices removeantur, & qui nobis contrarii sunt, ac in nos exasperati mitescant, nósque fraterna complectantur charitate; exemplo Davidis, qui cùm prolixa calamitatum serie vexaretur, Deum oravit inquiens: *Beatus cujus Deus Jacob adjutor ejus, spes ejus in Domino Deo ipsius.* Cur si David invocat Deum, simul non nominat, Abrahamum & Isaacum! solius enim Jacobi filii meminit, *Beatus cujus Deus Jacob*, cur non dicit Beatus, cujus Deus Abraham, Isaac, & Jacob? quia nimirum Isaaci filius Jacob, cùm adversis premeretur, fraterno odio ad internecionem insequeretur, variisque pulsaretur contrarietatibus fusis ad Deum precibus divinam impetravit opem, quâ adversa quæque superavit, & quæ imminerent pericula declinavit. Duos Isaacus ex Rebecca filios susceperat majori natu nomen Esau erat, & minori Jacob; & quamvis ambo gemelli essent, seu eodem editi partu, habitu tamen corporis, & indole animi perdissimiles fuerunt: Esau enim naturâ ferocior, ac ingenio agresti, ruri addictos, venationibus assueverat; Jacob verò natu minor ingenio facilis, moribus elegans, ac mitioribus assuetus fuit studiis, aptiórque animi culturæ per virtutum præsidia, quàm corpori exercendo. Cùmque contigisset, ut pulticulam ex lente pro ævi illius simplicitate Jacob comederet, superveniens Esau ex rurali itinere defessus, ac fame pressus portionem poposcit pulticulæ illius, quâ posset & famem abigere, & vires reficere: sed Jacob totus intentus, quomodo posset jura primogenito debita, quæ sibi nascendi sorte vindicaverat Esau, emancipsci; pultem eâ conditione concedit, si sibi natalem vellet prærogativam cedere: quamvis ad inopinam petitionem turbaretur sub initium; cupiditate tamen gulæ illectus, juribus cessit primogeniti, & simul cum vili lenticula principatum decoxit familiæ, dignitatem Sacerdotii, pinguiorem paternæ hæreditatis portionem, & quidquid bonorum cum fausta patris precatione jungebatur. Idque causæ fuit, cur Esau exitiali odio fuerit postea Jacobum fratrem insecutus; ejúsque propterea iras effugiturus, simúlque uxorem è sanguine, ac terra cognata ducturus, auspice Deo è Chanaane in Mesopotamiam ad Labanum avunculum contenderit, & quidem paupertimus viator, bacillum pro omni supellectili secum deferens. In itinere Deum impensissimè sibi conciliare adnitens, suppetias exposcit ab oratione, quâ Deum enixim rogat, ut velit sibi esse propitius: *Si fuerit Deus mecum, & custodierit me in via, per quam ego ambulo, & dederit mihi panem ad vescendum, & vestimentum ad induendum, reversúsque fuero prosperè ad Domum patris mei, erit mihi Dominus in Deum.* Genes. 28. v. 20.

Vacua non fuit Jacobi oratio, quæ enim poposcit, impetravit. Septem dierum itinere exacto in agrum Harani proximum pervenit, ubi sciscitanti à pastoribus de familia avunculi sui Labani se se obtulit ejus filia Rachaël, in qua cùm oris venustate, ac juvenili ætate flos decertaret pudicitiæ, cúmque Rachaël greges duceret ad sitim aqois extinguendam, lapisque puteo impositus accessum negaret ad aquam hauriendam; Jacobus 50.

bus puellæ gratiam sibi conciliaturus saxum revolvit, & copiam bibendi pecori fecit. Rachael interno suffusa gaudio, festinato pede ad patrem venit Labanum, nuntiatura consanguinei juvenis adventum, cui Labanus statim obviavit, & gratissimum sibi nepotem in suas introduxit ædes, omníque humanitate eum coluit, hospitium simul, & profugium obtulit; imò & spem nuptiarum cum una ex filiabus fecit. Curæ gregis universi Jacob præficitur à Labano, in quo exercitio integrum septennium desiderio potiundæ Rachelis impendit solicitus pastor, nuptias empturus à socero tali famulatu. Labanus verè sicut erat parcus in promissis, ita & fallax fuit in fide promissi: siquidem vafrè substituit pro Rachele Liam filiam natu majorem, sed venustate minorem, præsertim cum lippitudine laboraret oculorum: hinc Jacob alterum servitutis septennium pro Rachelis nuptiis spondet Labano; quo expleto petitâ à socero facultate patriæ revisendæ, cùm tota familia iter arripit, cui tamen Esau frater cum quadringentis armatis viris occurrit in patriam reduci, hostiliter excepturus inermem. Quid in hisce adversis aget Jacob fraternum odium declinaturus? Deum enixim rogat, ut velit fraternum odium à se avertere, & in tanto discrimine ab
Genes. 32. omni eum periculo eruere: *Deus Patris mei Abraham, & Deus Patris mei Isaac: Domine qui dixisti mihi, revertere in terram tuam, & in locum nativitatis tuæ, & benefaciam tibi. Minor sum cunctis miserationibus tuis, erue me de manu fratris mei Esau, quia valde eum timeo.* Quid ni his precibus Deum sibi propitiavit, immutavitque fratris animum, & Esau exuens omnem ferociam, non ampliùs odio insequitur fratrem in patriam reducem, sed amore prosequitur; non belli vulnera ampliùs meditatur infligere, sed pacis oscula figere; non cogitat venientem fratrem expugnare, & prosternere; sed fraterna charitate amplecti, ac humanissimè cum illo agere: hos pravos affectus odii, & invidiæ in Esau sola coërcuit oratio, quæ in eodem amorem pariter excitavit, & gaudium.

## §. V.

*Differt plerumque DEUS concedere petita, ut merita exaugeat petentium. Vel non exaudit, quia noxia essent, quæ petuntur.*

51. SI adversa nos premant, si ærumnæ, & calamitates nos vexent, si omnia nostra sus, déque nobis videantur verti, orationem exposcamus adjutricem; ipsa à quovis nos eruet periculo, & adversa in prospera mutabit: si enim precibus fundendis assueverimus ad vota fluent, quæ exposcimus. Audio tamen quosdam querulos objicientes plures esse; qui tametsi pre-

cibus nil temporis impendant, adhuc tamen felices sunt, & omnia iisdem prosperè obtingunt & res suas ad vota fluunt. Verùm quamvis Deus nonnunquam id permittat; hi tamen propriæ felicitatis adjutorem accersunt cacodæmonem: hujus rei documentum insigne dedit populus Israëlis: Moyse siquidem absente, & colloquente cum Deo in montis vertice; turbæ ad montis radices tumultuantes, armillas, aureásque inaures, & alia mundi muliebris ornamenta eo animo congessêre, ut Aaron è nobili metallo Deum cuderet; cúmque non potuisset Aaron precum importunitati obsistere, quasi indignabundus; & quodam impatientiæ impetu congestum aurum in fornacem injecit, eóque liquato vitulus exivit conflatilis. Sed quo artifice in solitudine illa vitulus ille aureus cussus, & formatus fuit? quibus aurificinæ instrumentis? Sunt qui asserunt, aurum ab Aarone in fornacem conjectum à Diabolo aurifice fuisse in vitulum formatum, idque conjiciunt ex Aaronis verbis: *Projeci illud in ignem, egressúsque est hic vitulus.* Quid ni sunt qui parcè laborant, parciúsque orant, quibus tamen singula prosperè contingunt ope cacodæmonis. Exodi. 32.

Alii è converso diuturnis franguntur laboribus, anguntur solicitudinibus, teruntur in opificiis, frequenter orant, sacris intersunt, & tamen vix quidquam prosperi ipsis obtingit; sed isti qui nihil sine precibus aggrediuntur, Deum habent protectorem, qui persæpè differt concedere petita, ut merita exaugeat petentium. Vel non exaudit orantes in hac vita, ut uberiori præmio eos in alia cumulet. Vel ideo non exaudit, qnia quæ à nobis petuntur, magis nobis obessent, quàm prodessent, appositè D. Augustinus: *Si verè Deum invocasti certus esto, quia id fortè quod volebas temporaliter, ideo non dedit, quia tibi non proderat. Ædificetur in hoc cor vestrum fratres, cor Christianum, cor fidele: ne incipiatis tristes facti veluti fraudati desideriis ire in indignationem contra DEUM. Non expedit adversus stimulum calcitrare. Recurrite ad scripturas. Exauditur Diabolus, & non exauditur Apostolus; exaudivit eum, quem disponebat damnare, & non exaudivit eum, quem volebat sanare. Nam æger petit multa à Medico, non dat Medicus, non exaudit ad voluntatem, ut exaudiat ad sanitatem Ergo Medicum tuum pone DEUM, pete ab illo salutem, & salus tua ipse erit; vis, ut det se tibi? quòd si quid vis habere, non vult ipse ut habeas, ut se tibi det. Impedimenta remove, ut intret ad te DEUS. & si voluntati nostræ non dat, saluti dat Tu cum patientia salutem expecta. Quibus te medicamentis curet, ille novit, quibus sectionibus, quibus ustionibus, ille novit: tu tibi ægritudinem comparâsti peccando, ille ut sanet vult non solùm fovere, sed secare, & urere.* 52.

Tomo 8. in Psalm. 85.

53. Negat plerumque Deus, quæ petimus, quæ si nobis concederet, plus adferrent nocumenti, quàm commodi; vel negat minora à nobis petita, ut majora nobis concedat; vel cunctatur annuere, quò orantis constantiam exerceat, augeátque fiduciam, vel non statim exaudit, ut impensiùs, sæpiúsque petamus: vel quæ nos petimus, non dat; quia nobis obessent, quæ tamen compensat cum aliis, quæ nobis prosunt, licèt à nobis non expectentur, quia fortassis non innotescunt, ut notat D. Augustinus ubi ait: Quando non dat, ideo non dat, ne obsit, quod dat. Neque enim aliquid injustum petebat Apostolus, quando rogabat, ut auferretur ab eo stimulus carnis, Angelus Satanæ; & tamen rogavit, & non accepit, quia tempus adhuc erat exercendæ infirmitatis. Petiit Jobum tentandum Diabolus, & accepit, Attendite fratres mei, magnum mysterium discendum, repetendum, tenendum animo, nunquam obliviscendum propter abundantiam in isto sæculo. Quid dicam? revera comparandus Apostolus Diabolo? Apostolus rogat, & non accipit, Diabolus petit, & accipit; sed non accepit Apostolus propter perfectionem suam, accepit Diabolus ad damnationem suam. Denique ipse Job accepit sanitatem in opportunitate; dilatus est enim, ut probaretur; & diu sedit in pulvere, & rogabat Deum, ut auferretur à Deo ista; & Deus non auferebat. Citiùs Diabolum exaudivit ad eum tentandum, quàm ipsum Job ad sanandum. Ideo, concessus est iste tentandus, ut eo probato esset ille cruciandus. Discite ergo non murmurare adversus Deum: & quando non exaudimini, ne deficiat in vobis, quod scriptum est. Per singulos dies benedicam te. Quare ista dico fratres? ne quis quando fortè non fuerit exauditus aliquid justum petens à Deo, non minuatur animo, non deficiat: expectent oculi ejus ad escam, quam ille dat in opportunitate. Quando non dat, ideo non dat, ne obsit, quod dat. Qui verò injustum aliquid petit in pœnam suam exauditur. Hactenus Augustinus.

In Psal. 114.

54. Cæterum oratio semper prodest, & plurimum adfert commodi mente præsertim orantibus, quia hæc semper est potior ad pravos affectus coërcendos, & probos excitandos, ac fovendos: quantum enim distat corpus vivum ab exanimo, tantum interjicitur discriminis inter orationem mentalem & vocalem; si enim fit purè vocalis, & in sola exteriore pronuntiatione sita, tunc interiori caret anima fructu devotionis, proinde & vita spiritualis attentionis; quæ si accesserit, tunc vocali mentalis adnectitur, & ex utraque fit oratio mixta: quia preces, quæ voce proferuntur, mente etiam aguntur; idque contingit, cùm quis animo præsens adest orationi, & coram divina Majestate intelligit se versari, quia tunc externis precationibus adjungitur interna mentis exercitatio, ac conformatio, tam attentæ cogitationis, quàm devotæ, piæque affectionis; quia verbis sensus, & sensui respondet affectus.

55. Quæ verò purè mentalis est oratio ea simpliciter meditatio, vel contemplatio dicitur, inter quas id interest discriminis, ut meditatio certa via, ac methodo progrediatur adhibito discursu intellectûs de rerum divinarum, sacrorúmque Mysteriorum causis, effectibus, circumstantiis; ut pios voluntatis affectus nitatur excitare, eósque fovere. Contemplatio verò, ut eam definit D. Thomas, est simplex intuitus veritatis absque varietate discursuum, cum summo tum admirationis, tum amoris, ac pij desiderij affectu. Ad hanc autem contemplationem vir asceta non pervenit, nisi post diuturnum, eúmque multiplicem antegressæ meditationis usum. Duplex à viris asceticis solet contemplandi ratio plerumque usurpari, ab iis præsertim, qui meditandi laborem difficulter sustinent. Una consistit in applicatione sensuum interiorum animi, quibus respondent externi, & tunc contingit, cum imaginamur personas intueri, ac circumstantias omnes rerum, quæ geruntur, & gustare, ac olfacere, quanta sit suavitas, & dulcedo animæ imbutæ divinis carismatibus: & hisce internis quinque mentis sensibus, quibus imaginamur, Christum videre, ejus verba audire, ejus suavitatem olfacere, dulcedinem gustare, & ejus virtutem veluti tangere; quinque respondent eximiæ virtutes; visui fides, auditui obedientia, odoratui spes; gustui devotio, & tactui charitas. Alia exercitatio nuncupari solet oblatio mysteriorum, quæ abundè Christi vita, & gesta nobis exhibent. Materiam meditandi nobis etiam suppeditant pleraque alia, præsertim notitia sui, si seriò cogitet homo quis sit: qui enim se ipsum nosse cupit, necesse est se ipsum sibi proponat cum omnibus suis miserrimis indigentijs, imò & vitiis, quæ corrigat, noxis, quas abstergat.

2. 2. q. 180. art. 3.

56. Humana etiam vita, m ndus, ac innumeræ mundi fallaciæ ube em meditandi segetem nobis exhibent; si expendamus, quanta sit vitæ non solùm b evitas, sed & fragilitas, vanitas, ac inani as; siquidem unico mortis afflatu omnis tum dignitatum, tum divitiarum, : voluptatum vigor avolat, extinguitur, : quæ diu steterunt, momentò corruunt ac vanissimi hominum conatus, vanæqu cogitationes, quibus mentem implebant, i triste nihilum ex-tempore relabuntur, & t ac memoriam subit quod aiebat David: *erit memoria eorum cum sonitu*, quasi m ipso pulsu æris campani: excitat hic on.s defuncti memoriam, sed mox peri uram, & ipsam uno cum sonitu. M ditationis materia

Psalm. 9.

tetia sunt etiam quatuor hominum novissima, Mors, Judicium, Infernus, & Paradisus, & qui hoc trajicit mare oceanum, initium quidem videt, non tamen finem; neque extremos terminos, quia æternitas nullo clauditur limite, nullo absolvitur fine.

Sunt etiam pleraque alia, quæ uberrimam meditandi materiam nobis suppeditant, præsertim divinæ naturæ attributa, quæ sicut sunt excellentimssia, & incomprehensibilia, ac superiora cæteris fidei nostræ mysteriis; ita longè maximam vim obtinent ad inflammandam in animis pietatem, succendendum amorem, & alios probos affectus excitandos.

## §. VI.

### *Vita, & Passio JESU Christi per symbola sensibilia uberrimam nobis suppeditant orandi materiam, piósque omnes excitandi, & fovendi affectus.*

57. EA est animæ nostræ conditio quamdiu in ergastulo corporis detinetur, ac sensibus alligatur, ut ad res divinas per se proximè nequeat immediatè se promovere, sed indigeat manuductione petita ex sensibilibus, quatenus per symbola corporea sensim ad altissima divinitatis perducatur arcana: inter hæc autem corporea symbola sensus nostros exteriores ferientia principem obtinet sedem Redemptoris nostri humanitas hypostatico nexu copulata divinæ personæ Verbi increati: est enim Christi humanitas organum Deitatis, & quidem necessarium ad nostram peragendam salutem: hinc ait Christus de se ipso: *Ego sum ostium, per me si quis introierit, egredietur, & ingredietur, & pascua inveniet.* Christus enim, quà homo est ostium ad se ipsum; & quà Deus per mysteria ejus humanitatis patet nobis aditus ad excelsissima Deitatis arcana. Unde Joannes ait: *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti JESUM Christum.*

Joan. 10.

Joan. 17. 3.

58. Sunt hæc duo mysteria SS. Trinitatis, & Incarnationis Verbi divini, duo prima fundamenta, quibus cætera nituntur, utrumque enim uberrimam nobis suppeditat meditandi segetem, & præsertim, quæ ad Incarnationem Verbi pertinent, & vitam Christi, quæ per res sensibiles fortiùs nos movet; est enim tota Christi vita aptissima meditandi materia sumpto exordio à Nazarethanis mysteriis virginem inter, & Archangelum Gabrielem peractis: fuit enim Gabriel à Deo legatus ad virginem Christi Domini delectam matrem ex Regia stirpe Davidica Mariam Josepho ejusdem familiæ desponsatam, cui in domo Nazarethana divini conceptûs rationem significaret, & ejus assensum peteret: inde deveniendum est ad stabulum, & gramineas cunas nascentis Christi, & considerandum, quomodo edicto Cæsaris Augusti de persolvendo censu quavis disrupta mora obtemperaverint Joseph, & Virgo Mater: quomodo ipse æterni Patris filius, & Deus, ipse infans ex obedientia nasciturus, æquè ac moriturus; nondum egressus de utero materno, jam egrediatur de terra, & cognatione sua. Quomodo Joseph, & Maria exclusi fuerint à diversorio, & in stabulum se receperint rigente brumâ. Quomodo illic inter bruta animalia orarent ambo sponsi, ac plures horas in altissima mentis extasi transegerint; & Deipara infantem JESUM verum Deum, verúmque hominem enixa fuerit sine doloris sensu, absque læsione virginitatis. Quomodo mox in lucem editum, qui lucis erat Author, humi jacentem supplex adoret, ulnis amplectatur, sinu foveat, fasciis stringat, & cùm aliæ non essent cunæ, in præsepio eum reclinet vagientem. Quomodo ejus sponsus Joseph tota spiritus recollectione in genua procumbens prolixiùs eum adoret. Quomodo jumenta proprio halitu rigorem temperent frigoris, ac suo famulentur Conditori: *Cognovit bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui.* Tandem quomodo è cœlo empyreo Angelorum phalanges ad DEUM suum adorandum advolaverint, pacémque hominibus annuntiaverint: *Facta est multitudo militiæ cœlestis laudantium DEUM, & dicentium: gloria in altissimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.*

Isaiæ 1. v. 3.

Luc. 2. v. 13.

59. Inde devenitur ad octavam Dominicæ nativitatis, sanguine circumcisi infantis purpuream, & considerandum est, quomodo octavo die circumcisus fuerit puer JESUS exemplo singulari tum obedientiæ, quâ supremus legislator se legi Mosaycæ subdidit; tum humilitatis, quâ insultam originalis peccati notam in innocentissima sua, ac divina carne voluit quasi proprio delere sanguine, licèt illud non contraxisset: tum patientiæ, quâ non ut cæteri infantes, expertes rationis; sed maturus judicio, & cùm plena cognitione inflictum sibi vulnus, ejúsque cruciatûs acerbitatem sensit; & charitatis immensæ, quâ divitias divini cruoris lachrymis permixtas æterno Patri litavit ad hominum salutem, ac totius humani generis redemptionem; quomodo de cœlesti gymnade nobilis agonista nudus in arenam descenderit, non alio perunctus oleo, quàm suo sanguine; quomodo lapis angularis lapideo recisus cultro, adeo illum retuderit, ut imposterum inutilis fieret; quomodo præproperâ hâc sanguinis emissione, & purpureo imbre probrum deleverit sterilitatis in nostri cordis inculta tellure; quomodo per hæc sacrificii sui prima libamina initiatus fuerit Sacerdos cum nondum posset è gutture loqui, cœperit voce san-

sanguinis è terra clamare, nova bella indicens, eò quia venerit gladium mittere, quem primùm impulit in se ipsum. Quomodo
Luc. 2. v. 21 fuerit ei nomen JESU impositum: *Vocatum est nomen ejus JESUS*, quod erat impositum à cœlesti patre, quod nomen Salvatoris proprio voluerit sibi sanguine comparare; & quidem tanti emere, quanti potuisset mundum redimere. Quomodo restitutos postea fuerit Virgini Matri puer JESUS de inflicto vulnere, & sanguinis effusione tenerrimè compatienti, ac filio collachrymanti, præsertim cum unicam ejus acerbissimi cruciatûs causam nostra sciret esse peccata. Quomodo Virgo Mater filium suum unigenitum suavi amplexu foveat, lachrymas detergat, plagam curet, præputium, & divinum sanguinem, quem noverat summi esse pretii, summâ reverentiâ repositum asservet.

60. Inde sequitur Regum adoratio, & considerandum est, quomodo æternus Pater filii sui obscurum illustraturus natalem non hebræos tantùm pastores è propinquis collibus, & campis accersiverit, verum etiam Reges Magos ab extremis Orientalis Orbis plagis exciverit, & quidem novâ stellâ, de qua vaticinatus fuerat Balaam, sed magis interiore illustratione permotos, quâ superatis omnibus difficultatibus, & iter aggressi Jerosolymam regem ipsum Herodem adierunt intrepidè, & ea, quam Reges decet, magnanimitate, ac fide, quærentes natum Regem:
Matth. 2. v. 2. *Ubi est, qui natus est Rex Judæorum.* Quomodo sine ulla mora rursus iter arripuerint, & præeunte iteratò stellâ vehementer fuerint exhilarati. Quomodo hæc stella, quasi ignea lingua pro tacente Verbo perorans divini amoris nova phænomena primis indiderit Astrologis. Quomodo divinum Solem in terris ortum novus Phosphorus in cœlo splendens indicaverit. Quomodo cœlestis sponsus procedens de thalamo suo proprios Hymenæos novâ tœdâ è cœlo adductâ nobilitaverit.

61. Quomodo Magi in Bethlehem appulerint, & natum infantem læti adinvenerint:
Matth. 2. v. 11. *Invenerunt puerum cum MARIA Matre ejus.* Quomodo nusquam Mater sejungatur à filio, & ubi est JESUS, ibi & MARIA adsit, Puerum invenerunt cum Maria Matre ejus, filium enim habet propitium, qui ejus Matrem sibi conciliat. Quomodo Reges relictâ aulâ, caulam ingrediantur, & animis, corporibùsque prostrati, infantem JESUM in Matris gremio adoraverint; & oblatis muneribus describentes, quem colerent; thesauros suos in gremio MARIÆ abjecerint, eique obtulerint, & quamvis alienis opibus non esset indigus, oblata tamen sibi munera, non recusaverit; quia cum mortuos esset curaturus, non decuit myrrhâ carere: & quia sperare jam cœperat amorem hominum, oblatum sibi aurum suscepit; ut etiam thus, quia cùm venisset ignem in terras mittere, debuit suavitas odoris bonorum operum, ac orationum tandem in cœlum conscendere. Quomodo Magi auro natum infantem fuerint Regem professi; thure DEUM; & myrrhâ mortalem. Tandem quomodo postquam satisfecerint propriæ pietati, ac religioni cogitaverint de redeundo, ac repetendo Herode, sed in somnis admoniti per aliam viam reversi fuerint interno suffusi gaudio; eò quia natum in terris DEUM viderint.

Tota igitur Christi vita ubertimam semper nobis suppeditat meditandi materiam, ut post Regum adorationem, in templo infantis JEsu oblatio. In Ægyptom fuga repentina. Herodis furor, & cruenta innocentum puerorum cædes: ut etiam quomodo Christus fuerit à marre nutritus, in Judæam reversus. Docuerit in templo, Baptizatus fuerit à Joanne. Per annos triginta summa humilitate latuerit. In montem secesserit, & jejunus per quadraginta dies, & totidem noctes oraverit. Discipulos in mari Tiberiadis delegerit. In nuptiis Canæ Galileæ primum effecerit miraculum, & aquam in vinum mutaverit. E templo ementes, & vendentes ejecerit. Nicodemum docuerit. Samaritanam erudierit. Reguli filium pristinæ restituerit sanitati. Discipulos orare docuerit. Leprosum mundaverit. Servum Centurionis curaverit. Socrum Simonis sanaverit. Capturam piscium Petro dederit. Subortam in mari tempestatem sedaverit, fluctùsque compescuerit, & ventos quiescere jusserit. Paraliticum sanaverit. Emorthoissam è fluxu sanguinis liberaverit. Non habentem hominem in probatica piscina curaverit. Dœmones ab obsessis abegerit. Filium viduæ suscitaverit. Morbos varios curaverit. Ex quinque panibus, & duobus piscibus quinque millia hominum exsaturaverit. In Taboreo monte gloriam suam Discipulis ostenderit. Adulteram absolverit. Hydropi laborantem sanaverit. Parvulos benedixerit. Leprosos plures mundaverit. Lazarum quatriduanum, ac jam fœtentem in tumulo suscitaverit, ac redivivum jusserit è sepulchro surgere. Passionem suam prædixerit. Unguento se deliniri permiserit à peccatrice Magdalena. Victor, ac triumphans cum palmis fuerit Jerosolymam ingressus. Ficulneam infructuosam excidi jusserit, & vineam locari solertiori agricolæ. Ultimam cœnam instituerit celebraturus pascha cum Discipulis suis. Pedes laverit Discipulorum. Oraverit in horto 62.

horto Gethsemani, ac sudore, sanguineo maduerit.

63. Quomodo proditus fuerit à Juda signo osculi, & vinctus à satellitibus, ductus ad Annam primum, postea ad Caipham. Deinde sistitur Pilato, & illuditur ab Herode, reducitur ad Pilatum, flagellis cruentatur columnæ alligatus, spineâ redimitur coronâ, & flagellis cæsus ostenditur populo; inde adjudicatur morti, educitur ad crucifigendum, spoliatur vestibus, cruci manibus, pedibúsque figitur, elevatur in cruce, blasphematur à militibus, emittit spiritum; inde deponitur de cruce, sepelitur. Descendit ad inferos. Resurgit à mortuis. Sub specie hortulani apparet Magdalenæ. Sub forma peregini obviat Discipulis euntibus in Emaus. Apparet Thomæ, sanátque ejus incredulitatem. Ascendit in cœlum, & mittit Spiritum Sanctum.

64. Selectâ meditationis materiâ præmittenda est oratio præparatoria, quâ petimus à Deo gratiam, ut omnes vires nostræ, & operationes sincerè ad illius gloriam, & cultum tendant, donec tempus meditationi impendendum effluat, cùm animæ nostræ profectu, fructúque spirituali; proinde enixim Deum rogamus, ut gratia sua velit cor nostrum à perversis, ac inanibus emundare cogitationibus, mentem continere, ne divagetur; illustrare intellectum, inflammare voluntatem, nósque ad se rapere, quò majori fervore possimus Deo vacare! non enim oratio nostra solùm ab humana pendet arte, & industriâ, sed potissimum à benignissimo Sancti Spiritus afflatu, atque impulsu: est enim oratio donum Dei, & non tam contentioso labore, ac pertinaci hominis studio, quàm puritate mentis, & & humilitate, ac gratuita Dei benignitate comparatur. Præmissâ hâc præparatione, sequitur primum præludium, quod versatur in compositione, ac descriptione loci, in quo res, quæ meditationi subjicitur, gesta fuit: si enim Christi Domini nativitatem velimos meditari; per vim imaginatricem formandus est locus, seu stabulum Bethlehemiticum, in quo natus fuit Christus, ac positus medius inter bruta animalia, & revocandæ sunt omnes circumstantiæ loci, temporis, personarum, quomodo fuerit à diversorio exclusus, & à Virgine Matre editus in præsepio; quomodo hyemaverit in campis amor, & cœlestem hospitem malè materiatum tugurium exceperit; non enim quidquam præter tuguria potuit in terris invenire, qui cœlum reliquerat; quomodo secesserit in suburbanum antrum paritura Virgo cum Sanctissimo Conjuge Josepho, eò quia virginitas, & sanctitas nondum consueverint urbes incolere. Quoad circumstantiam temporis consideratur, quod hyems erat, & quidem summa, seu tempestas perfrigida, & intempesta nox hiberna frigora geminaverit, quomodo vagierit natus in terris Deus; & frigore tremuerit nudulus noster amor; quomodo aggrestes paleæ infantis JESU attactu purpura evaserint nobiliores; quomodo ingesta gramina tenello fuerint substrata capiti. Posterius præludium continet varios affectus pios, quos in meditatione eiemus, præsertim in nativitate Christi amorem excitamus, quo singulari teneritudine infantem natum prosequimur, & simul compassionis, eò quia omni terreno destitutus commodo natus fuerit, rigente brumâ, media hyeme: ot ah! parcite rigidiora frigora, parcite tenellum adurere puerum, quem satis divinus calor adussit. Parcite gelidi ventorum turbines, nivea, ac mollicella perflare corpusculi membra: non sunt vestri juris nivea hæc membra, quæ non hibernum sydus adduxit, sed amoris æstus læto coëgit prodigio. Parcite glaciales animæ genas vagientis pueri eventilare.

Sin verò meditationis materia sit de resurrectione, excitatur lætitia, & gandium. 65.
Si de passione affectus tristitiæ; si de peccacis confusio, lachrymæ, angor, & pœna. Si de virtutibus vehemens, ac ardens excitatur desiderium eas imitandi; non enim in incertum divagari, sed ad certum scopum debet meditatio collimare: quemadmodum in omni arte, ac disciplina, quâ aliquid efficitur, præit in intentione finis, quem artifex sibi proponit assecutione obtinendum: perinde in meditatione certa debet esse ratio, ad quam omnis ratiocinatio, ac cogitatio referatur. Et pro varietate materiæ, quæ meditationi subjicitur, varij semper sunt affectus excitandi compassionis, & congratulationis, in rebus enim tristibus affectus excitatur compassionis, in lætis congratulationis.

Si causam disquirimus dominicæ incarnationis, & deprehendimus, hanc nostra 66.
fuisse peccata, inde affectum doloris, & compunctionis excitamus: dum enim in peccatorum nostrorum odium, dolorem, ac detestationem incendimur, ac interiore mentis compunctione, & contritione conficimur, jam fructum colligimus nostræ meditationis. Si cogitemus causam Christi passionis, & mortis, nostram fuisse salutem, ac redemptionem, eò quia injuriæ à nobis per peccatum in Deum illatæ tantæ fuerint attrocitatis, ac gravitatis, ut si rigor justitiæ, ac summa æquitatis ratio servanda sit, non alius, quàm Dei filius factus homo suo possit cruore nostras abolere culpas, nostramque purgare conscientiam, inde excitamus affectus spei, & gaudij spiritualis, ut etiam gratitudinis, quâ tam benefico Salvatori, quantas animo possumus gratias rependimus de impertitis nobis tot, & tam magnis beneficijs; si recogitemus præsertim, qua voluntatis propensione, quo charitatis ardore, ea contulerit immerentibus. Excitamus etiam affectum admirationis considerantes divinam

nam in primis Majestatem personæ Salvatoris filii Dei, rerum omnium Conditoris, tum ejus omnipotentiæ vim tot excellentibus patefactam miraculis, cui se se omnia subdiderunt elementa.

67. Præ cæteris autem affectibus amor semper principem occupat sedem; hunc enim affectum infinita, ac inexhausta Salvatoris charitas, ubique se se efferens facilè potest accendere, quia sicut ignis ignem, ita & amor gignit amorem, quem excitamus in Redemptorem nostrum, si eum consideremus, ut nostrum Assertorem, Liberatorem è satanico famulitio; Præceptorem, Medicum, Advocatum, Consiliarium, pastorem, amicum, patrem, sponsum animarum nostrarum, imò ut authorem naturæ, & gratiæ, justificatorem, glorificatorem, & finem nostrum ultimum, seu nostram beatitudinem: nostrum propterea Salvatorem totis viribus, totáque contentione tenemur tunc diligere.

68. Ne tamen mente orantibus id contingat, quod Hebræis usu venit in deserto, nimirum quod aliquando desipiant ex assiduitate divinorum Mysteriorum ipsum cœleste manna, plures parandi sunt modi hoc manna condiendi, quibus esuriem nostram spiritualem provocemus; & in primis, si unum seorsim non videatur Mysterium sapere, plura possunt intellectui exhiberi simul, vel successivè unum post aliud, ut omnia possit decurrere, & modicum quid ex omnibus delibare; quemadmodum enim mensæ divitum pluribus solent ferculis institui, & obsoniis, è quibus omnibus possit Conviva, prout ipsi magis libuerit aliquid delibare, vel unum certum, quo se plane saturet, deligere valeat; perinde mysteriorum hæc Redemptoris ditissima mensa plura numerò, varia, ac genere diversa spiritualium quoque sensuum ubertate feracissima suppeditat fercula; ut quisque cibum eum mentis seligat, qui jucundissimus, ac proficuus maximè videtur sibi esse.

69. Quòd si intellectus divinis mysterijs perpendendis videatur minus idoneus, ac veluti sterilescere, tunc proderit non multa mente percurrere, sed pauca meditatè legere, atque ex libris asceticis agentibus de Christi passione, aliisque divinis mysterijs, præsertim de quatuor novissimis, mundi contemptu, aliquem seligere, & ex eo duos, vel tres, aut quatuor, vel pauciores versus legere, & quod oculis hauritur, mente evolvere; hoc enim pacto initiatur animus rerum cœlestium gustulo: & sic orantes gallinas imitantur, quæ ad temperandos sitis æstus, ubi pauculas aquæ guttulas sorbuerunt, mox caput attollunt, reducunt, bibúntque denuo, & iterum illud erigunt, iterúmque submittunt aliam haurituræ guttulam, quam erecto capite in stomachum demittunt. Pulchrè D. Bernardus: *Hauriendus sæpe est de lectione serie affectus, & formanda oratio, qua lectionem interrumpat, & non tam impediat interrumpendo, quàm puriorem continuò animum ad intelligentiam lectionis restituat. Lectio sine meditatione arida est; meditatio sine lectione erronea, oratio sine meditatione est tepida.* Hoc enim pacto lectio orationem fovet, & oratio lectionem vivificat. Quòd si adhuc intellectus sterilesceret; præsentem saltem sibi imaginetur Deum, & ea quâ potest majori reverentia mysteria legat Christi patientis, & per motus anagogicos, brevésque orationes jaculatorias, Deum enixim roget, ut velit sibi suam impertiri gratiam, illustrare, ac corroborare intellectum, inflammare voluntatem suo amore, memoriam fœcundare, ut ritè possit, ea quæ suggerit meditari: ut scribit magnus Antonius Abbas. *Anima, in qua habitavit ignis Dei, similis est avi duabus prædita alis, quibus volat, & sursum per cœli aëra elevatur. Etenim avi præ omnibus creaturis alæ peculiares sunt: alæ verò animæ domino obsequentis sunt virtus ignis Dei, quibus ad cœlum sursum volare valet, si autem his caruerit alis, minimè sursum in aëra se elevare poterit, cùm sit illius ignis expers; similisque erit avi suis spoliatæ alis, quæ volare nequit.* Epist. 11.

Epist. ad frat. de monte.

70. Causa igitur ascensionis creaturæ in Deum fuit ignis invisibilis, calor scilicet amoris divini, quo solet cor fervescere, & quo deficiente, nemo sursum ascendit, sed humi tantùm repit. Sunt autem motus anagogici perbreves aspirationes, seu quædam orationes jaculatoriæ, sive sola mente conceptæ, sive mente simul, & ore prolatæ, quibus vir asceta, in quovis loco, & tempore assuescit, ut semper oremus, & nunquam ab oratione deficiamus: cùm enim instabilitas naturæ nostræ, quamplurimæ corporis curæ, & aliæ occupationes sæpe nos distrahant, motus isti anagogici compensant perpetuitatem orationis; quia tametsi momento fiant, & transeant, jugiter tamen permanet eorum fructus, ac continuatur oratio, continuatione boni desiderij in charitate fundati: siquidem desiderium, & omnis alius probus affectus semper orat, quia semper clamat ad Deum ipse sinceri amoris affectus: est hujusmodi oratio, per quam anima ad Deum ascendit; societatem effugit, quam cum cæteris hominibus, brutisque habet animantibus, & cum Angelis copulatur: vocantur etiam hujusmodi motus anagogici aspirationes ad Deum, quia nonnisi ad Deum aspiramus; & nihil nisi Deum spiramus; & per hos motus fervor charitatis non minùs, quàm vita corporis aëris respiratione sustinetur, hinc Cassianus describens instituta Monachorum ait: *Utilius censent, breves orationes, sed creberrimas fieri. Non enim multitudine versuum, sed mentis intelligentiâ delectantur Cœlites*, & D. Chrysostomus ad populum Antiochenum ait: *Breves, & frequentes orationes fieri* Lib. 2. instit. cap. 10. Homil. 49

*fieri Christus, & Paulus praeceperunt parvis ex intervallis. Nam si sermonem in longum extenderis in negligentiam, frequenter lapsus multam Diabolo subrependi facultatem dederis, & supplantandi, & abducendi cogitationem, ab his, quæ dicuntur. Sin verò continuas, & crebras orationes facias, totúmque tempus interpolans, repetita orationis frequentiâ facilè poteris modestiam exhibere, & ipsas orationes cum multa facies solertia.* Et hæ piæ aspirationes crebriùs repetitæ sunt, quæ cœlum penetrant, & divinam in terras trahunt dulcedinem, quâ cor perfunditur orantis, ait enim Aelredus, (Homil. de duobus Discipulis.) *Hac devota suspiria tam gratiosa sunt in oculis ejus, qui scrutatur renes, & corda, ut non possit diu abscondere multitudinem dulcedinis suæ, quam abscondit in mentibus diligentibus se*, & hujusmodi motus vocantur à Tertulliano *de orat cap* 1. Orationes sine agmine verborum: & hunc orandi modum per hujusmodi motus anagogicos nos etiam edocuit Christus Salvator, cum in horto Gethsemani hæc ad Patrem verba iteravit: *Pater, si possibile est, transeat à me calix iste, veruntamen non mea, sed tua voluntas fiat*: & pendens in cruce pluries easdem repetebat aspirationes, dicens: *Pater ignosce illis, quia nesciunt, quid faciunt. Pater in manus tuas commendo spiritum meum.* Hinc familiaris etiam fuit D. Francisco motus ille anagogicus *Deus meus, & omnia*: (Epist. 16. ad princip.) D. Basilio illud Cananææ *Miserere mei filij David.* S. Marcellæ referente D. Hieronymo illud Psal. *In corde meo abscondi eloquia tua, ut non peccem tibi.* Thaidi resipiscenti illud, quod didicit à Paphnutio Abbate, *qui plasmâsti me, miserere mei*: Alij etiam illud consueverunt repetere pluries per singulas horas: *Domine ad adjuvandum me festina.* Alij frequentissimos solent actus amoris, & gratiarum actionis singulis diebus elicere. Hisce enim motibus anagogicis veluti vibratis jaculis confodiuntur tartarei hostes, excutiuntur tentationes, quæ nos pulsant; & mens nostra divino accenditur amore, pijs repletur cogitationibus, & anima amoris nexu Deo unitur; convenit enim hujusmodi exercitium ijs præsertim, qui animam jam à vitijs expurgârunt, & in via illuminativa, culturâ virtutum, & exercitio meditationis profecerunt; siquidem postquam anima beneficio orationis mente conceptæ ab affectu sæculi fuerit abducta, cœperitque intus pio æstuare desiderio, relicto quovis alio exercitio ad pias hasce transit aspirationes; quæ propterea cordis exigunt puritatem, rectitudinem intentionis, perfectam abnegationem, ac mentem defœcatam ab imaginibus, ac idolis treaturarum, imò requirunt etiam fugam curiositatum, ac inutilium sermonum, vanarúmque occupationum; & etiam desiderium semper proficiendi, voluntatem liberam, & expeditam à quavis terrena delectatione; quia quælibet, vel minima inordinatio, & quicunque tenuissimus affectus erga aliquam creaturam; ut etiam quævis levior offensa, & distractio exterior ad mundi fluxa moram injicit animæ properanti ad unionem cum Deo.

Neque ad hos anagogicos motus eliciendos sagax requiritur ingenium, nec 71.
mentis acumen, neque multiplex cognitio, sed cordis puritas, mentis simplicitas, probíque affectus ardor mediante ope divini Spiritûs, qui super humiles, & parvulos requiescit. Nunquam expleri potest anima, nisi Deo impleatur, nunquam potest exsatiari, nisi dulcedine perfundatur divini amoris; unde Augustinus ait: *Fecisti nos Domine ad te, & inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te*: (Lib. 1. confess. cap. 1.) seu donec altissimo amoris nexu summo copuletur Bono. Cæterum quando eliciuntur hujusmodi motus anagogici, dirigenda est intentio orantis ad finem eorundem: est autem hujusmodi finis animæ purificatio, cordis emundatio, ac per pios affectus inflammatio, quâ divino ardeat amore, & soli Deo adhæreat, quia fructus, & finis orationis ex sententia D. Bonaventuræ est Deo adhærere, unúmque cum eo fieri spiritum per liquefactionem purissimi amoris, ac speculationem divinæ cognitionis, & absconsionem in Dei voltu ab omni mundanorum strepitu, per excessum beatæ fruitionis, quâ omnes animæ potentiæ, virésque omnes simul collectæ uni duntaxat adhærent vero, & summo Bono; ad id Deus potentias animæ nostræ indidit, ut non hæ rebus mergerentur terrenis, sed ut pijs aspirationibus Deo inhiarent, eíque soli hærerent. Ab hisce anagogicis motibus transit plerumque asceta ad statum altissimæ contemplationis, & à vinculis terrenorum affectuum, & à fallacijs sæculi expeditus, lucéque superna perfusus dicit cum David, *Illuxerunt coruscationes tuæ orbi terræ, vidit, & commota est terra*; (Psalm. 76.) sunt siquidem aspirationes veluti subitaneæ illustrationes, quibus subinde mens ad superna plenè elevatur.

Quia verò natura nostra instabilis est, 72.
& mutationibus obnoxia, varijsque cogitationibus assueta facilè ab hisce deficit pijs aspirationibus, & ad externa, vel invita dilabitur, quam mentis imbecillitatem expertus D. Augustinus, ita conqueritur, Deum alloquens: (Lib. 10. confess. cap. 9.) *Aliquando intromittis me, in affectum multum inusitatum introrsus, at nescio quam dulcedinem, quæ si perficiatur in me, nescio, quid erit, quod vita ista non erit. Sed recido in ærumnosis ponderibus, & resorbeor solitis, & teneor, & multum fleo, sed multum teneor. Tantum consuetudinis sarcina digna est. Hic esse valeo, nec volo; illic volo, nec valeo miser utrobique.* In id igitur, vel maximè incumben-

bendum studij, ne mens hàc, illácq; evagetor affectu inordinato. Ab hisce igitur piis aspirationibus asceta transit ad sublimem contemplationem, quæ propterea est mysticorum functio, habëtque pro objecto ipsum Deum, & consistit in quadam abstractiva visione, suavi, tranquilla, & amabili, æternæ veritatis, quam mens sine discursuum varietate sincerè aspicit, & penetrat, non sine ingenti amore, & admiratione; ex tali enim cognitione licèt lumine caliginoso fidei innixa accenditur amor, & vicissim ex amore sua subit cognitio incrementa. Amor siquidem ignis est ille beatus, qui intus lucet, in intellectu, quem illuminat, & ardet in voluntate, quam inflammat, ut hæc summo duotaxat Bono adhæreseat, & quò intimiùs ei unitur, eò acriores in corde succendit amoris flammas; ex quibus crescit desiderium videndi Deum; nec quiescit, donec ei inseparabiliter adhæreat, cui per amorem inhiat, quia ut scitè Clemens Alexandri- 4. Stromat. nus. *Non cessabit, qui quærit, donec inveniat; cum autem invenerit, admirabitur, admirans regnabit, regnans requiescet.*

73. Neque aliud est contemplatio, quàm rerum divinarum, quæ nos latent, consideratio, seu veritatis indagatio: Mysticè verò sumpta ab ascetis dicitur esse terminus meditationis, seu considerationis, & est quædam visio veritatis quæsitæ, & inventæ: seu *est liber quidam, & perspicax certúsque Dei intuitus, rerum cœlestium admirationem inferens, & in amorem desinens, & ex amore procedens:* dicitur autem intuitus, non ei similis, quo beati in cœlesti patria Deum intuentur, sed minori lumine, & quidem caliginoso fidei subnixo; unde dicitur potiùs intuitus, ab quia mens non indigeat discursu inquirente veritatem, sicut in meditatione; quia contemplatio opus est intelligentiæ veritatem simpliciter absque discursu inspicientis: vocatur autem liber intuitus ex parte hominis, eò quia liber esse debet à peccatis, ac inordinatis affectibus, cursque supervacaneis, imò debet etiam ex parte actûs esse intuitus liber, ut faciliùs animus à rebus terrenis expeditus, quasi avis in aëre perniciori, ac liberiori motu feratur, quocúnque Deus illum trahit: imò est etiam liber ex parte objecti, quatenus asceta illud contemplatur nudum, ac prorsus liberum ab imaginibus sensibilibus: dicitur etiam perspicax intuitus, seu clarus, & apertus in lumine fidei. Imò est etiam certus, quamvis non excludat fidei obscuritatem, quia per contemplationem de rebus divinis eò certiores reddimur, quò clariùs eas perspicimus: & hic intuitus admirationem excitat; quia tametsi objecta, quæ contemplamur, nobis innotescant, insueto tamen modo nobis proponuntur, quo stupenda, & mirabilia nobis videntur. Demum dicitur in amorem desinere, & ex amore procedere, quia contemplatio suam trahit originem ab amore Dei, & in amorem desinit, quamvis enim propriè sit actus intellectus, suas tamen habet radices in voluntate: quatenus ex Dei amore ad ejus incitamur contemplationem: & quia finis respondet principio; etiam finis contemplationis est in affectu, quia dum in visione rei amatæ delectamut, ipsa delectatio magis excitat amorem.



DIS-

# DISSERTATIO XXI.

## Jejunium probos quosque affectus excitat, fovet, & nutrit, improbos excutit, abigítque.

### §. I.

*Quæ indulgentia gulæ in Protoparentibus damna invexit; coërcitio cibi, & potiùs reparat, ruinásque inductas restaurat.*



1. Quemadmodum indulgentia gulæ in prima fœminarum Eva affectus omnes depravatæ concupiscentiæ, & effrœnis irascibilis concitavit in homine contra nobiliorem ejus partem, quam nituntur tumultuantes pravorum affectuum insurgentes turbæ quatere, labefactare, & prosternere: ita gulæ coërcitio per injectum jejunij frœnum naturam hominis collapsam restaurat, labefactam resarcit, viribus destitutam corroborat, ac felicem veluti, ac pacatum innocentiæ statum redintegrat; siquidem jejunium vitia coërcet, pravas naturæ propensiones cohibet, bestiales appetitiones compescit, & quæ in homine erant omnia sus déque per gulam eversa, jejunium pristino restituit statui, & turbata tranquillat: & damna omnia per gulæ indulgentiam invecta reparat. Condiderat Deus Protoplastos ad imaginem suam, animum eis impertierat immortalem, eúmque instructum non rerum duntaxat naturalium omnis generis, sed earum quoque, quæ supra naturam sunt scientiâ, & cognitione, addiditque dona supernaturalia gratiæ, quibus ab ipso ortu Deo grati, familiares, amici, filij, justi, & sancti constituerentur. Dedit & corpus vividum, robustum, sanum, vitali succo vegetum, membrorum omnium compage, & sensuum perfectione absolutissimum, & eximiâ venustate præditum, interitûs immune, nulli vulneri, dolori, ægritudini, morti obnoxium: in alimenta mensam eis proposuit terrarum omnium longè, latéque diffusum, ac frugiferum orbem. Adjunxit beneficium primigeniæ innocentiæ, spiritum scilicet liberum, ac sui juris, ac arbitrij, & cui affectus omnes, & appetitiones, ac cupiditates obtemperabant; quâ in felicitate postquam plura sæcula decurrissent, & cum senescere sensim cœpissent, deficientem ætatem redintegrare potuissent vitali pomo, & tandem in cœlum sine funere transferendi fuissent, ac æternâ donandi beatitate.

2. Verùm ab hoc felicitatis statu gula eos dejecit. Præceperat eis Deus ne de fructu arboris scientiæ boni, & mali comederent, ut recordarentur superiorem esse, qui possit eis præcipere, & quidem sub interminatione amittendæ felicitatis, mortísque incurrendæ; adeò ut si præceptum transgrederentur, jus deperderent immortalitatis, ac cœli, & non tantùm sibi, sed etiam toti posteritati sui generis. Sed cùm solitario incessu per paradisiacas amœnitates divagaretur Eva; & consisteret, sicut eam animi libido pepulerat, ad arborem scientiæ boni, & mali pendulis fœtam fructibus: adfuit & ibi serpens ejusdem arboris circumvolutus ramis, qui veluti fratrer sororem affatur, ac subdolâ fucatæ eloquentiæ illecebrâ, mulieris priùs sibi benevolentiam captat, cui virus propinat pestiferæ cupiditatis excellendi supra humanum fastigium, eique suadet, simúlque persuadet gustum arboris vetitæ: & tunc mulier exhibitum sibi prohibitæ stirpis pomum, oculis lustrat, ejúsque colore delectatur, manum admovet, tangitque, & dentibus etiam mordet, conterit, & deglutit; illicóque ad maritum accedit, cui dulcedinem, saporem, ac singularem virtutem pomis insitam arboris scientiæ boni, & mali, pluribus commendat, ac laudibus excipit; virúmque mortis metu tergiversantem muliebri vafritie pellicit; qui tandem, ut uxori placeret, maluit Deo displicere; & oblatum à fœmina pomum gustare, ac in stomachum demittere. Sed quia jejunij præceptum uterque conjux fuit transgressus; quò gulæ indulgeret; irrequieta statim legis membrorum rebellione cœperunt intus insurgere in corpore amborum pravi omnes affectus cum concupiscibiles, tum irascibiles; capútque attollere contra spiritum, & præ cæteris eos aggressus est furor erubescendæ libidinis, cujus turbulento sensu exagitati jejunii transgressores, vultûs confusione propriam cœperunt nuditatem erubescere, quam ut obtegerent, sibi subligaria frondea de foliis connexis ficuum consuturi in proximum densarum arborum recessum, se abdiderunt, obnoxii insultibus pravorum omnium affectuum, corporis molestiis,

lestiis, ærumnis, ægritudinibus, & animi præsertim angoribus. Plures enim tumultuaria rebellione intos insurrexerunt affectuum turbæ, quæ inflictis vulneribus animi integritatem fregerunt, & potentias fœdè sauciârunt: multiplex enim fuit vulnus; quorum primum inflictum voluntati fuit inordinatus amor sui, rerúmque externarum, ac fluxarum; quô fit, ut omnes, quæ sua sunt, enixim quærant, & ex hoc putidissimo fonte nonnisi perniciosissimi scaturiunt rivuli, quos recensens D. Augustinus ait: *Mordaces curæ, perturbationes, mærores, formidines, insana gaudia, discordiæ, lites, bella, insidiæ, iracundiæ, inimicitiæ, fallacia, adulatio, fraus, furtum, rapina, perfidia, superbia, ambitio, invidentia, homicidia, parricidia, crudelitas, nequitia, luxuria, petulantia, impudentia, impudicitia, fornicationes, adulteria, incesta, & contra naturam utriúsque sexus tot stupra, atque immunditiæ, quas turpe est etiam dicere, & quidquid talium malorum, & tamen de vita hominum non recedit, ab hoc inordinato sui amore, suam trahit originem.* Lib. 22. de civit. cap. 22.

3. O quàm malè carptum malum gustavit Eva, quô unà cum malorum omnium plena colluvie, mortem etiam deglutivit! fuit certè hæc indulgentia gulæ Pandoræ pixis, ex qua tot scelerum portenta, tot morborum supplicia, tot calamitatum afflictiones, & mors ipsa proruperunt. Hæc enim jejunii violatio fuit, quæ nos paradiso exexclusit, & in hanc lachrymarum vallem, in hoc exilium, in hoc mare procellosum ejecit, ubi venti vehementes, fluctúsque ingentes nos quatiunt, & quotidiana naufragia obruunt. Ex hac vomica pravarum omnium cupiditatum, affectuúmque malignantium purulentia ebullit; ex hoc camino vitiosæ naturæ fumus jugiter ascendit, & veluti è gehennali vaporario fœdæ libidinis scintillæ ejectantur, & quas primi homines meruerunt pœnas, easdem diffuderunt in omnes posteros, quódque unus deliravit, plectuntur omnes. Tametsi magnum non fuerit, unicum duntaxat carpsisse pomum, & injuncti jejunii arboris scientiæ boni, & mali violâsse præceptum; maximum tamen fuit in amœnissima illa, & in omnes paradisi arbores libertate excepta una; ne ab hac unica quidem, mortis interminatione, à legislatore mille titulis reverendo, vetita, manum, & dentem abstinuisse; & quia primus homo Deo non paruit, sibi iliadem malorum omnium accersivit.

4. Ex hac jejunii violatione oriuntur ea omnia incommoda, quæ intus experimur, nimirum difficultas in cultura virtutum, & fuga vitiorum, cùm enim finis hominis naturalis quantum ad voluntatem sit honestè vivere juxta dictamina rectæ rationis, est virtus juxta naturam, cui vitium adversatur: & res omnes insita sibi propensione faciliùs moventur ad ea, quæ propriæ naturæ sunt consentanea, & nonnisi difficulter ad ea, quæ eidem repugnant; quapropter soli homines ob violatum jejunii præceptum in protoplastis, ut ait Siracides. *Lætantur, cùm malè fecerint, & exultant in rebus pessimis:* Proverb. cap. 2. Idque causæ, cur plures hominibus infligantur pœnæ, ut vel inviti coërceantur à vitijs; ait Augustinus. *Quid enim sibi volunt multimodæ formidines, quæ cohibendis parvulorum vanitatibus adhibentur? Quid Pædagogi, quid Magistri, quid ferula, quid lora, quid virga, quid disciplina illa, quâ scriptura sancta dicit. Dilecti filij latera esse tundenda: ne crescat, indomitus, domaríque jam durus, aut vix possit, aut fortasse non possit? quid agitur his pœnis omnibus, nisi ut debelletur imperitia, & prava cupiditas refrænetur, cum quibus malis in hoc sæculo vivimus.* Lib. 10. conf. cap. 35.

Secundum incommodum, quod ex violato jejunio experimur, est ingens segnities 5. in iis; quæ ad beatè, & honestè vivendum pertinent, quia cum beatitudo sita sit in perfecta virtute, quam difficulter enanciscimur; ratio postulat, ut toto studio in hanc incumbamus virtutum culturam, quarum floribus ornemur, & fructibus pascamur. Quòd si, qui magnum adhibent studium, non absque labore virtutum sibi comparant ornatum; certè de ijs, qui nullum adhibent laborem, res est prorsus deplorata. Et quidem pudor est, plerósque studia negligere virtutum, nec quidquam cogitare de beatitudine æterna, & tantùm his fluxis, & interitui obnoxijs inhiare: hæc enim segnities, hic torpor suam è violato jejunio à Protoplastis ortum trahit. Tertium est immoderata solicitudo in coacervandis divitiis, possidendis dominiis, captandis lucris; qui enim bona negligunt, non peritura, & quæ nonnisi in Deo, qui est summum bonum indeficiens, reperiuntur, ii præ cæteris attentiores sunt in comparandis sibi caducis bonis; quæ pereunt; in acquirendis inanibus titulis, qui solum fumum emittunt lachrymis eliciendis aptum; in pluribus auri, argentíque ponderibus coacervandis, quæ animam premunt: quam calamitatem non SS. Patres duntaxat deplorant, verùm etiam ipsi Ethnici. *O curas hominum, ò quantum est in rebus inane!* Juvenal. Satyr. 2. Quartum est perversitas humanæ voluntatis, quæ ad Deum colendum tardissima est, & paratissima ad inhærendum rebus hisce fluxis, quæ sensum alliciunt. Quintum inconstantia, instabilitas, & pugna quædam humanæ voluntatis, siquidem res cæteræ creatæ, sive superiores, ut Angeli, sive homine inferiores, ut pecudes: & cætera animantia semper idem volunt, appetunt, vel nolunt; quatenus bonum sibi consentaneum prosequuntur; & malum, quod apprehendunt, sibi noxium fu-

fugiunt: ſecus homines eandem rem nunc
Lib. 8. confeſſ. cap. 9. volunt, & modò nolunt; & modò nec volunt, nec nolunt: ſcitè Auguſtinus. *Ego cùm deliberabam, ut ſervirem Domino Deo meo, ſicut diu diſpoſueram. Ego eram, qui volebam, ego qui nolebam. Neque plenè volebam, neque plenè nolebam; ideo mecum contendebam, & diſſipabar à me ipſo, & ipſa diſſipatio me invito quidem fiebat; nec tamen oſtendebat naturam mentis alienæ, ſed pœnam meæ.* Sextum eſt faſtidium proprij ſtatûs, & impatientia; quod ſanè argumentum eſt corruptionis humanæ voluntatis, proditque hominem nunquam eſſe ſua ſorte contentum. Proprium eſt ægrotantium nunc unum velle, nunc alium cibum: ſed omnes faſtidire, quapropter D. Gregorius ait:
Homil. 36. in Evangel. *Non nati in hujus peregrinationis ærumnæ huc faſtidioſi jam venimus, neſcimus, quæ deſiderare debeamus*, & nonnullis interjectis ſubjungit: *Faſtidio ergo noſtro tabeſcimus, & longa inedia peſte fatigamur.* Septimum eſt propenſio ad malum, & ad bona commutabilia viciſſitudinibus obnoxia, quæ ab illis tantùm benè æſtimantur, qui illa nihili æſtimant.

6. Non ſolùm ob violatum jejunium à Protoplaſtis ſauciata fuit in homine voluntas; verùm etiam utraque pars inferior tum concupiſcens, tum iraſcens, ex quibus effrœnes exiliêre affectus, tumultuârunt paſſiones in ſuperioris perniciem, adeò ut ſcripſerit Apoſtolus.
Ad Rom. 7. *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati, quæ eſt in membris meis*: & tam dirè torquebatur, ut optaret liberari à morte illa per gratiam JESU Chriſti; ſubdit enim: *Infelix homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Quantum violati jejunij noxa in Protoplaſtis intulerit damni, ex eo conijcitur, quia concupiſcentia contra rationem pravos omnes ſuos concitaverit affectus; & quantum ſint imbecilles vires rationis poſt violatum jejunium ad eoſdem depravatæ concupiſcentiæ coërcendos affectus, ſatis apertè teſtantur exempla Samſonis,
81 Salomonis, & Davidis, qui miſerè concupiſcentiæ ſuccubuerunt aſſultui; quamvis primus fortitudine, ſecundus ſapientiâ omnibus præcellerent, ac tertius fortitudini, ac ſapientiæ ſanctitatem etiam, & pietatem penitus ſingularem adjunxerit. Teſtantur pleraque alia exempla, quæ quoties in ſcripturis ſacris leguntur, horrorem incutiunt legentibus. Teſtantur innumeræ propemodum hiſtoriæ profanæ referentes, plurimos adeò ingenti turpiſſimarum voluptatum conflagrâſſe incendio, ut pœnè ad inſaniam redacti fuerint. Teſtantur denique novæ, ac inſoleſcentes libidinum adinventiones, quibus concupiſcentia hominum longè ſuperat illam brutorum; quia ut probat Plutarchus in opuſculo, quòd bruta ratione utantur: hæc nonniſi quibuſdam anni menſibus ſtimulari ſe ſentiunt à concupiſcentia ad libidinem propter individuorum propagationem, & ad propriæ ſpeciei conſervationem; cum homines toto anni tempore ſingulis menſibus, imò & diebus, noctibúsque ſtimulos ſentiant, rebellantis concupiſcentiæ, quibus ad Venerem jugiter illiciuntur; nimirum poſt violatum à Protoplaſtis jejunium, adeò concupiſcentia contra rationem rebellavit, ut jugiter bellum ei indicat, nitatúrq; jugiter eam proſternere, ſus déque evertens intùs, ſi quæ in ipſa ſunt pia deſideria: ſecus quia bruta nulla fuerunt jejunij præcepta transgreſſa, non adeò acriter in ipſis inſurgit concupiſcentia, nec ſemper, ſed ſtatis duntaxat temporibus urgente neceſſitate ſpeciei; proliſque propagandæ: & inde clarè conijcimus, nonniſi ob violatum à protoplaſtis jejunium ſuos concupiſcentiam depravatos concitâſſe affectus contra portionem in homine ſuperiorem, ac nobiliorem.

Quàm verò turpe ſit carnis ſe ſinere ſpurcitijs coinquinari ex eo facilè conijcimus, 7.
quod vel nudum luxuriæ nomen propria non carere ignominia edixerit Apoſtolus præcipiens; ut quæ hujusmodi ſunt, nec nominentur in nobis. Hinc pudor ille, quo homines etiam ingenui ſuffunduntur, ſi ſemel aliquod luxuriæ peccatum ab ijsdem patratum alijs innotuiſſe ſuſpicentur; neque Protoparentes hoc fuerunt pudore affecti, niſi poſtquam ob violatum jejunium concupiſcentia in ipſis rebellavit contra rationem, ut peritè notavit
S. Ambroſius, inquiens, *Adam, & Evam nonniſi intemperantia provocante pudor cognovit. Quamdiu autem manſit in illis intemerata parcitas, manſit, & impolluta virginitas; & quamdiu jejunaverunt ab interdictis epulis; tamdiu & à pudendis jejunavêre peccatis. Fames enim amica virginitatis eſt; inimica laſciviæ; ſaturitas verò caſtitatem prodigit, nutrit illecebram.* Serm. 37. de quadrageſ. Coërcendi itaque ſunt rebellantis concupiſcentiæ impetus, cohibendi effrœnes pravorum affectuum motus, frœno præſertim temperantiæ, & jejunij; & ne inſoleſcentes concupiſcentiæ affectus rationi recalcitrent, bellum eſt gulæ indicendum, & contra ejus vitium certamen ineundum; per gulam enim ex nimio cibo, & potu mens hebetatur, ratio obnubilatur, vires animi proteruntur, & ipſa concupiſcentia acriùs inſurgit contra ſpiritum, fortiórque pugnat contra rationem.

Per gulam mala plurima intrant in hominem, 8.
ſi enim dederis hominem multo repletum cibo, vinóque madidum, hunc exhibebis ventri indulgentem, mente ſtupidum, viribus languidum, ad venerem pronum, virtutibus excolendis ineptum; ſcurrilitate, & loquacitate diſſolutum; rixis, & contentionibus fractum, vitijs, ac immunditijs coinquinatum; ſiquidem gulæ vitium ſequuntur abliguritio rerum familiarium, auri, argentive diſſipatio; bonorum alienatio; prolixa morborum ſeries; & demum mors ipſa graviori ciborum ſarcina accelerata; ut paucos enumeres infirmos, quos gula ad ægritudinem

non adegerit; paucósque ante senium decessisse, quibus gulæ intemperantia ad sepulchrum viam non straverit; secus si noxijs humoribus ex nimio cibo, & potu congestis corpus careat, tentari quidem à morbo potest, non subigi.

9. Non meum est consilium, quo ventri subtrahantur alimenta, cùm sciam, reficiendum esse corpus animale, esse restaurandas deperditas vires; ac reparandum, quod ex humido radicali calor innatus sua absumpsit voracitate; ac propterea sciam hominem, quotidiano esse indigum cibo, & potu; sed id unum assero, latere hic dolum, ac concupiscentiæ laqueum, quo sæpè homo gulæ indulgens irretitur, qui obtentu necessitatis, negotium solet adumbrare voluptatis: paucis est natura contenta, frugalitas in esculentis, & poculentis eam plus juvat, ac corroborat, quàm illa ferculorum varietas, & copia, quâ divitijs affluentes delectantur: frugalitas vires erigit, copia opprimit; ad famem propellendam non est opus, ut appares integrum venaticorum canum exercitum, qui campos, sylvásque discurrant, qui clades coturnicum, phasianorum, attagenum, perdicum, cervorum, damarum sylvestrium, aprorum, ac leporum coacervent; panis sufficit etiam filigineus: ut etiam ad sitim exstinguendam, non est necessè, natent penuaria falernis; neque ut vinum, qui siti æstuat, refrigeratum nive ebibat, aqua è proximo fonte hausta ad id sufficit, diversa enim vini genera, & omnia Apicij condimenta infelicis luxuriæ sunt incitamenta, quibus propterea præferenda est sobrietas, usúsque cibi, qui parabilis sit, & ubíque occurrens; indiget enim corpus alimento, non cupedijs; cibo non lautitijs; si enim ventri, quis indulserit, fomenta adijciet rebellanti concupiscentiæ, quæ friget sine Baccho, & Cerere.

10. Non solùm violatum à Protoplastis jejunium concupiscentiam excitavit in homine contra ejus nobiliorem partem, verùm etiam effrœnes omnes irascentis animi affectus. Licèt irascendi facultas ad hunc unicè finem indita homini fuerit, ut imperanti in eo rationi tanquam miles armatus obediret, efferque quasi nervus quidam animi, ut loquitur D. Basilius in oratione de ira, præbens robur, fortitudinem, ac constantiam ad res benè gerendas juxta rectæ rationis dictamina; per violatum tamen à Protoplastis jejunium eam contraxit ægritudinem, ut plerumque non solùm imperio non obsequatur rationis; verùm etiam toto impetu insurgat contra portionem superiorem, & hominem intus exagitet, rabie torqueat, iracundiâ inflammet, & audaciâ perdat. Quòd si appetitus irascens cum homine adoleverit, fit monstrum rabidum, turbulentum, & execrabile, & quod ipsum hominem eriam ad insaniam adigat, & suimet cognitione destituat, avidúmque constituat armorum, sanguinis, ac suppliciorum; homo enim irâ percitus proprij oblitus decoris, flagrat oculis, spumat ore, quatitur manibus, fœdatur vultu, contrahitur labijs, nutat capite, vacillat pedibus, agitatur brachijs, stridet dentibus, tumescit venis, & toto corpore indecora circumfertur jactatione. Quid turpius, quàm in homine iracundiâ æstuante intueri minaces gestus, complosas manus, percussum pectus, evulsos crines, & scissa etiam propria vestimenta? quàm enim hæc indigna sint homine, ex eo potest facilè quis conjicere, quia homo irâ percitus quasi exuerit humanitatem, naturam videtur omni ferâ rabidiorem induere. Quòd si tam fœda, tam sordida, ac homine indigna est extima irascentis imago; qualis erit intus animus, in quo ira efferveścit, & fovetur?

Scio, finxisse Poëtas Averni monstra flammas utrinque spargentia, gehennalibus ignibus exæstuantia, serpentibus obliquatis, ac venena evomentibus succincta, horridóque mugitu obstrepentia: ab hisce monstris neque latum unguem putârim abludere mentem irati hominis; si enim ex vultu, qualis sit intus homo, conijcitur; ex hac extima hominis irati specie, nonnisi animum omni ferâ truculentiorem dijudicare possumus. Reliqua, quæ in homine stabulantur vitia possunt in abdito enutriri, ne foras se prodant, sed ira velut erumpens Megæra è gehennali specu, utráque manu flammantes tædas quatit, & moræ impatiens in faciem exit, & qualis sit intus homo, statim exteriùs prodit per oculos irâ flagrantes, per labia spumis fœda, per vultum ferali igne accensum, per brachiorum agitationem, dentium stridorem. Alia vitia certis quibusdam coërcentur limitibus, sed iræ nil est intactum, inaccessum nihil: imò eam appetitus irascens contraxit imbecillitatem, post violatum à Protoplastis jejunium, ut à rebus minimis, nulliúsque momenti, ac roboris miserè vincatur, ac fœdè prosternatur; & muscæ, vel culices, quæ iram non merentur, bilem tamen excitent nostram. An non pudor est, hominem à rebus hisce minimis vinci? 11.

Quòd si damna omnia vellemus hic prætexere, quæ humano generi ira intulit, vix spisso volumine possent ea describi; quis solo æquavit tot florentissimas urbes? quis tot cruenta bella indixit, horrendas occisorum strues congessit, sanguinis flumina effudit, nisi ira, quâ homines miserè exarserunt? reliqua animantia propriæ speciei individua tuentur, quò diutiùs conserventur: solus tamen homo homini ex ira necem molitur, ejus sanguinem sitit, ac cædibus cupit exsaturari: & hi omnes depravati affectus ob violatum à Protoplastis jejunium rebellârunt contra præstantiorem, nobiliorémque hominis partem. Præceptum enim, quo ab esu pomi Protoplastos Deus Conditor avocaverat, quandam fuisse jejunij figuram scitè adnotavit S. Chrysostomus, qui ieiunii præ- 12.

iud. l. in tonf. preceptū in pomi abstinentia Adamo iniuncta agnoscens ait: *Deus cùm ab initio hominem condidisset, & sciret, quòd hoc remedio ad animæ salutem multum haberet, statim, & in principio hoc mandatum Protoplasto dedit dicens; de omni ligno, quod est in paradiso comedendo comedes; est etiam dicere hoc comede, & hoc ne comedas jejunij figura est.* Vult Chrysostomus; primum præceptum homini à Deo injunctum observationem fuisse jejunii: & quamdiu in primis hominibus duravit observantia jejunii, tamdiu affectus tum concupiscentis, tum irascentis animi fuêre rationi obsecuti; quamdiu enim viguit in ipsis jejunium; floruit castitas, adolevit virginitas, succrevit amor; quievêre odia, invidiæ, tristitiæ, iræ, timores, indignationes, & carnis fomites, ac reliqui affectus famulitio addicti rationis, quos solum jejunium intra limites injunctæ sibi servitutis coërcuit: pulchrè Joannes Eusebius: *Adamo, ut contineret eum Deus in obedientia sua, promulgavit primogenitam jejunij legem, & unigenitam illius felicissimi status, ut magis nobis commendaret amabilem abstinentiam, quasi quæ sufficiens esset innocentiam custodire, & reliquas dotes, ac virtutes, & quæ aptum redderet hominem ad audiendum Deum, eique adhærendum. Non alij nutrici confidit Dominus filium suum Adamum dilectum, & Beniaminum nisi jejunio, in cujus manus fidelissimas commisit illum, ut nutricius hominis esset, & Pædagogus obedientiæ. At fracto jejunio statim Adam fugit vocem Dei tam procul ab adhæsione divina, ut non solùm ad Deum non vellet accedere, & quærere, sed Deum quærentem se fugeret.*

lib. 3. c. 12.

13. Quòd si efficax fuit jejunium ante Protoplastorum lapsum, & aptum affectibus animi tum irascentis, tum concupiscentis intra suos detinendis limites, ut nonnisi ad imperium moverentur rectæ rationis, cui obsequerentur: cur post Adæ lapsum, non erit etiam utile, aptúmque iisdem rebellantibus affectibus coërcendis? rem hanc urget S. Chrysostomus inquiens: *Cùm ante plagam remedium utiliter demonstratum est, multò magis sauciatis appetendum est, ut præstet vulneribus sanitatem:* si qua enim Christiana virtus apta est depravatæ hominis naturæ reformandæ, ac veluti felici, ac pacato innocentiæ statui restituendæ maximè id præstat jejunium, quod vitia comprimit, concupiscentiam cohibet, iras extinguit, odia sopit, luxurias coërcet, tristitias discutit, timores abigit, invidias delet, spem fovet, amorem nutrit, pia desideria excitat, & igniculos ingerit ad omnem sanctitatem, ac veluti paradisiacam, ac cœlestem restaurat vitam. Est jejunium mors vitiorum, vita virtutum, imò ut ait S. Julianus Archiepiscopus Toletanus in suis commentariis in Nahum: *Est jejunium pars corporis, decus membrorum, ornamentum vitæ, fomes castitatis.*

## §. II.

*Jejunium non solùm est fomes virtutum, nutrimentum castitatis, vitæ innocentia, & mors vitiorum omnium; verùm etiam corporis decus, ac membrorum ornatus.*

Esse jejunium fomitem castitatis, & vitiorum mortem, nemo est, qui id eat inficias; at esse jejunium partem corporis, ac decus membrorum, vix ex millibus unus, qui id sibi persuadeat; cùm sciant omnes per jejunium vires imminui, membra extenuari, vultum impallescere, membra conteri, & absumi, & totum corpus squalore obduci. Sed falluntur, qui tam sinistrè, & absonè judicant de jejunio; non enim debilitat, sed corroborat; non deterit, sed auget; non absumit, sed nutrit; non squalorem inducit, sed venustatem adducit; non viribus destituit, sed robur adauget; non enim jejunium est gladius interimens, sed panis confirmans; non venenum corrodens, sed cibus corroborans. 14.

Anima enim epulatur, cùm corpus ieiunat, tunc vegetior virtutes excolit, cùm corpus diuturniori atteritur ieiunio: animæ epulum ieiunium est, proinde; qui animæ vult consultum iri, animam corpori præferat, animam corporis abstinentiâ alat, animam ieiuniis nutriat, quia ut appositè S. Chrysostomus: *dolet in jejunijs caro, sed epulatur anima. Quid melius in nobis anima, vel corpus? anima non dolet cum corpore, nutritur autem, & hoc pulchrius, & melius:* scilicet cum corpus ieiunat, epulatur anima; quæ ieiunat, cum corpus ferculis indulget. 15. Serm. de jejunio.

Imò non anima tantùm, verùm & corpus ipsum fit beneficio ieiunii venustius, ac vegetius, ídque testantur Daniel, & eius socii, qui cum leguminibus tantùm vescerentur, ac stata & consueta observarent ieiunia, adeò decoram formam, venustam faciei elegantiam, & liberaliorem eis speciem ieiunium conciliavit, attulitque inedia diuturnior, ut de ipsis dicat sacer textus in Daniele: Non sunt inventi tales de universis ex omnibus adolescentibus, qui ad hoc nutriebantur, ut Regi ab intimis cubiculis essent. Non fuit juventus tam venusta, tam grata Nabuchodonosoris oculis, quàm illa Danielis, asseclarúmque eius. Ex quo liquat, ieiunium non esse gladium, qui enecet; sed cibum, qui nutriat; non esse venenum, quod rodat, sed nutrimentum, quod corroborat; non esse squalorem, qui devenustet, sed naturale pigmentum, quod ornat: *est igitur jejunium,* ut ait S. Julianus: *pars corporis, & decus membrorum:* nulla enim uberior venustas, nulla speciosior pulchritudo habetur, quàm quæ ex ieiunio oritur, adeò enim est homini beneficum ieiunium, ut non solùm animum tranquillet, ac tumultuantes æstus deprava- 16. Cap. 1. v. 19.

tos affectus in utroque animo concupiscente, & irascente coërceat, verùm etiam corpori venustatem conciliet, & vires suppeditet, ac pristinum veluti innocentiæ, ac felicitatis statum instauret.

17. Idque causæ, cur Moyses, cùm Idololatriam populi hebraici patienter tulerit, iras Dei tranquillaverit, ac rem totam pacatè composuerit: cùm postea populus gulæ delicias postulaverit: *Da nobis carnes, ut comedamus*; usque eo spes omnes abiecerit Moyses, ut à munere regendi populi implacabilis se voluerit abdicare: *Non possum solus sustinere omnem hunc populum, quia gravis est mihi; sin aliter tibi videtur obsecro interficias me.* Quid? quod Moyses adeo acriter populo irascatur carnes exposcenti ad corporis vires reficiendas, famémque stomachum corrodentem abigendam! An non longè gravius, ac detestabilius fuit crimen idololatriæ, quando populus post tot signa, ac portenta visa in Ægypto à Numine fieri per virgam Moysis; post tot miracula, & illustrem egressionem ab Ægyptiaco jugo dirissimæ servitutis; post maris rubri divorria, ac sicca itinera per ejus sinum; post epotos frigidos, ac salubres latices è duro silice bis Mosaycâ virgâ percusso exilientes; post Manna è summo cœlo omnes ferculorum delicatiores sapores secum deferens, ac cupediarum lenocinia; quibus palato suaviùs eblandiretur, adhuc perierit ab Aarone Mosis fratre sibi conflari ex puro puro auro, fuso virulum, cui ut Numini sua quisque obsequia præstaret, cultúmque daret? Quid? quòd Moyses, postquam Aaron eius frater, imperii consors, ac religiosi alioquin animi importunis, & nefariis postulationibus se adigi passus fuerit, ut ex pretiosis inaurium ornamentis certatim oblatis idolum sub virulina specie conflari fineret, ad exemplar scilicet simulacri Ægyptii, quod bovinâ effictum formâ, Apidis, Serapidis, Osiridis nomine ab ea gente coleretur, non irâ justè conceptâ excanduerit? Quid? quòd cum populus manus bubulino capiti elevaret, genua flecteret, thura adoleret, victimas mactaret, veluti libertatis vindici, ac Deo assertori, non tamen Moyses ad impium sacrificium indignatur, neque irascitur populo? cum tamen implacatus non desinat in populum furere carnes exposcentem, gulæque deliciarum appetentem. Quid? quod ob levem intemperantiam gulæ subirascatur Moyses aliàs mitissimus; succenseátque populo usque ad proprii muneris abdicationem, postulans etiam à Deo sui interfectionem; cum tamen ob idololatriam mitiùs agat cum populo petente sibi idolum cudi? Num gula gravius est crimen idololatriâ? An gulæ deliciæ graviorem Numini inferunt injuriam, quàm thura vitulino capiti exhibita? An gravius Numen lædit, cupedias ori admovere, quàm thus idolo adolere, & genua eidem incurvare?

Tertulliani pulsaverat ingenium hæc difficultas, unde de Hebræis carnes exposcentibus in deserto, delicti exaggerans gravitatem ait: *Nam & primus populus primi hominis resculpserat crimen.* Nimirum gulæ vitium protoplastorum recudit delictum, quod omnium criminum, malorúmque omnium fuit compendium, fonsque pravorum omnium affectuum, qui contra rationem insurrexêre: siquidem ex illo uno gulæ vitio, quo Adam, & Eva divinum violârunt præceptum, omnia in mundo prodière mala, omniúmque scelerum portenta, calamitates omnes, ærumnæ, cædes, morborum agmina, concupiscentiæ, fœdæ libidines, irascentis animi desperationes, iræ, timores, & reliqui depravati affectus. Est igitur gulæ vitium, quod primi hominis resculpit crimen, recudit delictum; siquidem inflammat ad luxum, accendit iras, perniciosa fovet odia, invidias alit, prava desideria concipit, concupiscentias ritillat, vitiis favet, virtutes enecat, concupiscentiæ passiones concitat, provocátque contra rationem; & quia tot malorum agmina non secum idololatria trahit, neque originale Protoparentum resculpit delictum: ideo Moyses meritò populo succensuit indulgenti vitio gulæ, cui non irascebatur thura offerenti capiti vitulino, ac idolo: quamvis sit idololatria delictum criminosius, & crimen longè gravius: non tamen adeò ægrè illud tulit Moyses, sicut gulæ vitium: quia isto, non illo peccatum recudebatur originale, quod puridissimus est fons, ex quo rivuli exitiales malorum omnium scaturiunt. 18.

Verùm si gulæ vitium originale Protoplastorum resculpsit peccatum, beneficum jejunium illud interstingnit teste eodem Tertulliano inquiente: *Salutem æmulo modo reaccendit inedia, quia si gula peccatum resculpit originale, & concupiscentias reaccendit ad delicta; è contrario benefica jejunij inedia vitia compescit, studium promovet virtutum, hominémque ad felicem innocentiæ statum restaurat, amulóque modo, quod gula vitium destruxit reædificat inedia; quæ propterea iram cohibet, effrænes lasciviæ impetus coërcet, linguæ audaciam comprimit, vitia compescit, prava desideria extinguit, odia reprimit, iras sopit, tristitias excutit, timores abigit, & hominem virtutibus excolendis, omnique sanctitati promovendæ idoneum reddit; idque perinde est, ac æmulari statum felicissimum illum paradisiacæ innocentiæ; quæ enim saturitas vitia excitat, hæc inedia compescit; & quæ gula damna invexit, hæc jejunium reparavit; hæc enim est æmulatio saturitatem inter, & inediam, ut contrario modo procedant.* Advertamus ait Augustinus *Serm. 2. dominica 1. quadrages.* quanta sit inter jejunium, & saturitatem distantia, inter ventrem vacuum, & pulmones epulis distentos. Moyses, quia jejunavit, Dominum vidit. Populus, quia manducavit, & bibit, 19.

Exodi 32.

Num. 11.

Lib. advers. Psych. c. 5.

Loc. cit. cap. 3.

bibit, idola fabricavit. Impetrraverunt unius hominis jejunia, quod totius populi saturitas desperaverat. Princeps humani generis Adam, quamdiu jejunavit in paradiso fuit, ubi verò præceptum jejunii violavit, ejectus est de paradiso. Ejecit ergo nos de paradiso cibus; sed reducat esuries, redocat jejunium, semper enim juncta est saturitati lascivia. Sancto Eliæ jejunanti etiam elementa famulata sunt. Videte charissimi, quanta sit Dei clementia erga jejunantes. Hactenus Augustinus; cui consona Echo respondet D. Basilius loquiens: Uno temporis momento ob gulam populus ille per maxima prodigia Dei cultum edoctus, in Ægyptiacam idololatriam turpissimè devolutus est. Ex quo si utrumque simul conferas, videre licet, jejunium ad Deum ducere, delicias verò salutem perdere. Quid Esau inquinavit, servúmque fratris reddidit, nónne esca una, propter quam primogenita vendidit? Samuelem verò nónne per jejunium oratio largita est matri? Quid fortissimum Samsonem inexpugnabilem reddidit? nónne jejunium, cum quo in matris ventre conceptus est? Jejunium concepit, jejunium nutrivit, jejunium virum effecit. Quod sanè Angelus matri præcepit, monens quæcunque ex vite procederent, ne attingeret, neo vinum, nec siceram biberet. Jejunium Prophetas genuit, potentes confirmat, atque roborat. Jejunium Legislatores sapientes facit, animæ optima custodia, corporis socius securus, fortibus viris munimentum, & arma, Athletis, & certantibus exercitatio. Hoc propterea tentationes propulsat, ad pietatem armat, cum sobrietate habitat, temperantiæ opifex est: in bello fortitudinem affert, in pace quietem docet, Nazareum sanctificat, sacerdotem perficit, ita Basilius.

Basil. l. de jejun. non quisq.

20. Sed si Deus rerum Opifex hominem condiderat, ut cæteris creaturis corporeis præcelleret, virtutum præstantia, spiritus nobilitate, imperii regimine, rationis excellentia, & animæ similitudine cum Deo, cur cùm esset homo corporeus, cibisque indigeret ad corporis nutritionem eosdem cibos æquè homini præsidenti, ac subjectis animantibus assignavit Deus? *Ecce dedi vobis omnem herbam afferentem semen super terram, & universa ligna, qua habent in semetipsis sementem generis sui, ut sint vobis in escam, & cunctis animantibus terræ, omníque volucri cæli, & universis, qua moventur in terra, & in quibus est anima vivens, ut habeant ad vescendum.* Miratur hanc ciborum distributionem æqualem hominibus, & brutis Junilius, quia si homo est præstantior, ac nobilior cæteris animantibus, cur etiam delicatior ei cibus non assignatur? cùm immortalis sit homo factus; cur terrenum cum animantibus morti obnoxiis commune sumit alimentum? cur idem cibus æquè immortali, & rationali homini, ac mutis pecudibus apponitur? ergo non pluris æstimatur dignitas spiritualis animi Angelorum excellentiæ proximiùs accedentis? ergo non pluris fit generosa similitudo, quam homo contraxit in animæ potentiis, & in natura longè præstantiori, ac digniore illis cæterorum animantium? verùm tametsi Deus longè pluris æstimaret hominem, quem ad similitudinem sui condiderat, quia tamen voluit eum præesse cæteris terræ animantibus: *Ut præsit piscibus maris, & volatilibus cæli, & bestijs, omnique reptili, quod movetur in terra:* & voluit jejunium præsertim ab iis servari, qui cæteris præsunt, quos fortiùs erudiant exemplo, quàm verbis; ideo non solùm rerum Conditor Deus Protoparentibus, eundem assignavit, cum cæteris animantibus cibum; verùm etiam speciali præcepto iisdem inhibuit; ne de fructu arboris scientiæ boni, & mali comederent, sub comminatione mortis incurrendæ; ut tamdiu eximerentur à morte, quamdiu præceptum servarent jejunii, & communi cum subjectis sibi animantibus cibo vescerentur.

Genes. 1. v. 29.

In Hexam.

Genes. 1. v. 26.

Idem igitur cibus à Deo assignatur Præsuli, ac ejus subditis; tametsi natura, & conditione, homo cæteris præcelleret animantibus; quia licèt nobiliori hominum naturæ delicatior deberetur esca, quàm brutis animantibus: superiori tamen nobilior non congruit cibus, quàm aliis subjectis: non enim superiori delicatior convenit cibus, quàm inferioribus: ut inde discerent, qui cæteris præsunt, vel alios docent, aut à præsidentiæ se abdicare sublimitate, vel eandem cum subditis pati ciborum qualitatem. Non rectè plenè fatur, & corpore obesus alios edoceret jejunii observantiam, & ab esculentis, poculentisque abstinentiam: exempla validiùs erudiunt, quàm verba; hinc ad nostram instructionem Christus jejunio, & solitudine inchoandæ à se prædicationi prælusit, quia nil ita impedit prædicationis officium, quàm si is, qui verbum Dei ad populum è suggesto dicit, in ciborum effundatur illecebras: rarò enim est sanitas mentis, ubi est satoritas ventris: *JESUS autem plenus spiritu sancto egressus est à Jordane, & agebatur in spiritu in deserto diebus quadraginta, & tentabatur à Diabolo, & nihil manducavit in diebus illis, & consummatis illis postea esurijt. Dixit autem illi Diabolus, si filius Dei es, dic lapidi huic, ut panis fiat.* Cùmque fuisset cacodæmon miratus Christi in deserto abstinentiam, eum credidit supra hominem fuisse naturam sortitum, proinde petiit divinitatis signum, *si filius Dei es, dic lapidi huic, ut panis fiat:* simul enim notam petiit divinitatis, & cibum ingessit humanitatis, quo diuturnum jejunii temperaret rigorem, panc scilicet è duritie lapidis eruto. 21.

Luc. cap. 4.

Nulla utuntur dæmones validiori machina ad evertendum virtutis fundamentum, quàm gulæ vitio. *Certamen nostrum* (ait 22.

D. Am-

Cap. 1. & 2. D. Ambrosius de Elia, & Jejunio) *Jejunium est, jejunavit Salvator, & sic tentator ad eum accessit; & primum gula direxit spiculum dicens, si filius Dei es, dic lapidi huic, ut panis fiat. Ille cibum velut escam laquei prætendit, Dominus jejunium prætulit, ut laqueos tentatoris, ut vincula dissolveret.* Non multis interjectis subdit, *Magna est jejunij virtus. Tam speciosa ejus militia est, ut jejunare delectaret, & Christum. Tam valida, ut homines ad cælum erigeret.* Postea deprædicans ieiunii excellentiam subiungit. *Elias jejunus filium viduæ ab inferis resuscitavit: jejunus pluvias ore deposuit: jejunus ignes de cælo eduxit: & quadraginta dierum jejunio divinam acquisivit præsentiam. Tunc denique plus meruit, quando plus jejunavit: jejuno ore statuit fluenta Jordanis, & redundantem fluminis alveum repentè siccatum pulverulento transmisit vestigio. Meritò illum dignum cælo judicavit sententia, ut cum ipso raperetur corpore; quoniam cælestem vitam vivebat in corpore, ac superna usum conversationis exhibebat in terris. Quid est enim jejunium, nisi substantia, & imago cælestis?* hactenus D. Ambrosius.

## §. III.

### *Homo jejuniis assuetus non solùm fælicem æmulatur innocentiæ statum, à quo Protoparentes per gulæ indulgentiam exciderunt; verùm & naturam induit Angelicam.*

23. QUæsunt sacri Interpretes, cur Joannes Baptista homo cum fuerit, Angelus tamen dicatur à Christo dicente de Joanne: *Ecce ego mitto Angelum, meum:* si Joannes naturam induit humanã, cur Angelicæ consors factus naturæ dicitur? an non longo distant intervallo ambæ naturæ humana, & Angelica? illa materiei concretione onusta corruptioni abnoxia est, ac interitui; hæc verò à quavis discreta corporis crassitie nullam sentit defectionis vicissitudinem; illa à sensibus dependens exterioribus, ac iuternis phantasmatum imaginibus in rerum efformandis iudiciis fallitur plerunque, & fallit; hæc per species obiectorum sibi à Deo conditore inditas intelligens; res omnes, ex quibus mundus coalescit universus dilucidè, ac citra omnem falsitatis suspicionem attingit; illa inconstans quod heri enixim voluit, petiit, habuitque in deliciis, hodie fastidit, respuitque; hæc firmitate inconcussa obiecto quod semel elegerat, iugiter adhæret; illa ob immersionem in materiei cænositate, nonnisi post multos exantlatos labores, fusos sudores, absumptúmque oleum, rerum naturas, ac proprietates vera assequitur notitiã, & ægrè ratiocinando infert ex præmissis quibusdam principiis; hæc nullo negotio, nullo temporis intervallo sagacissimè prævidet, & obvios quosque difficultatum nodos explicatissimè dissolvit; imò cognitione matutina in Deo veluti in politissimo candoris speculo vegeti coloris flore vividiùs resomnes cognoscit; & tam felix est in ipsis cognitionis constantia; ut naturæ Angelicæ non minus ab hac intelligentia cessare liceat, quàm plantis, aut animalibus ab actûs vitalis perpetuo quodam ministerio; cùm naturæ Angelicæ ipsa intellectio pro vita sit. Demum quid infeliciùs homine, quem Pindarus vocat *umbra somnium*; Sophocles *vanum simulacrum*; Herodotus *calamitatem ipsam*; Philemon *occasionem miseriarum*; Homerus *caducum folium*, & *imbecillitatis exemplum*; Stagirites *temporis spolium*; Plato *lusum fortunæ*; Socrates *mutationis imaginem*; Diogenes *invidiæ, & calamitatis trutinam*; & Aristoteles *scopum ærumnarum*, eò quia sit homo omnibus fortunæ telis expositus; subjectus miseriis, obnoxius ærumnis, nilque sit homine imbecillius, nil infirmius. Secus Angelus mens est ab omnibus cœnositatis nubeculis defœcatissima, & quædam veluti ex sempiterni luminis, accensis facibus desumpta scintilla: natura est illi pura, subtilis, quam nulla corporis figura delineat, nulla materiæ labes infuscat, nullus corruptionis nævus inficit: est enim Angelus mens pura, non tamen ex eo delibata igne, quo sydera splendent, volant, ac cœlestes torquentur axes; sed excitatissimi spiritus vigor, tantò expressiùs ad æternæ pulchritudinis exemplar conformatus; quantò de ejus primigenio fonte propiùs respergitur, & uberiùs scaturit; est in Angelo omnium ornamentorum insignis quidam decor, honorúmque immortalis affluentia, quam in suum Conditorem gratissimæ voluntatis ingenuitate refundit: si igitur tanti intervalli discrimine distat ab Angelo homo, cur Christus Joannem Baptistam, cùm homo esset Angelum dixerit? *Ecce ego mitto Angelum meum:* quia nimirum jejuniis in eremo assuetus naturam supergressus humanam, angelicam induerat cibo non indigentem, nec potu, ut appositè notat D. Ambrosius inquiens: *In deserto Joannes vacavit jejuniis, & ideo, qui vita humana possibilitatem continentiã supergressus fuerat, non homo, sed Angelus æstimatus est*, quasi enim parum esset, hominem jejunio felicem æmulari innocentiæ statum, vitámque exprimere cœlestem, ac beatitate donatam; hominem inediæ assuetum adeò jejunium sublimat, ut felici metamorphosi in Angelum transmutet: ut etiam notavit S. Cyprianus asserens, jejunium januam esse, per quam nobis ad virtutum culturam, ac cœlestem patriam aditus patet, ait, *quotquot viros virtutum videmus, sine jejunio non legimus ascendisse, nec aliquid magnum molitos fuisse, nisi prius abstinentia præcessisset. Quanta res jejunium! Angelos ex hominibus facit.* Lib. 1. de Elia & jejunio cap. 3. Lib. de jejunio.

24. Quia igitur gulæ indulgentia homines è paradiso expulit, & in baratrum detrusit miso-

miseriarum; jejunii observantia, damna reparans, quæ gula induxit, homines jejuniis addictos è cœno eripit vitiorum, & pristinæ restituit innocentiæ, ac virtutum ornatui: si enim jejunium cum gulæ deliciis conferamus, illud ad Deum ducit, cum gula nonnisi ad miserias perducat; quid enim Esau à jure exclusit primogeniti, & in famulitium dejecit fratris natu minoris? Nonne esca, quâ ut gulæ indulgeret primogenita vendidit? Quid jejunio præstantius, ejus enim virtute munitus Samson bellator evasit invictus, & debellator strenuus: jejunium enim, cum quo in matris ventre conceptus fuerat, eum inexpugnabilem reddidit: Samuel virtute jeiunii sterilescente ab alvo matris felix fuit in lucem editus: ieiunium Prophetas genuit, potentes corroborat, sapientes facit, arma athletis, & certantibus suppeditat ad tartareos hostes prosternendos, ac eorum assultus propulsandos, ut notat D. Basilius inquiens:

*Homil. 1. de jejunio.*

*Quid fortissimum Samsonem inexpugnabilem reddidit? nónne jejunium, cum quo in matris ventre conceptus est? Jejunium concepit, jejunium nutrivit, ieiunium virum effecit; quod sanè Angelus matri præcepit, monens, quæcunque ex vite procederent, ne attingeret, non vinum, non siceram biberet.* Hinc rerum conditor Deus primis hominibus in statu innocentiæ, tametsi donis supernaturalibus muniti essent, frœnum ieiunii imposuit, quo discerent, rectè semper incedere, & nunquam à veritate deflectere. Quòd si in paradiso ieiunium fuerat necessarium, quantò magis hominibus ex illo felicitatis statu deiectis: si ante inflicta vulnera utile fuit ieiunii pharmacum; multo magis, postquam natura pluribus plagis sauciata concupiscentiæ est obnoxia illecebris, carnisque stimulis, quibus præceps trahitur ad peccatum: si nondum bello voluptatum insurgente arma ieiunii necessaria fuêre primis parentibus, ut in arce paradisiacæ felicitatis subsisterent, multo magis postquam rebellantes concupiscentiæ, ac irascentis animi affectus per voluptatum illecebras, & vitiorum turmas bellum nobis indicunt, movéntque, ut nos à cœlesti etiam excludant patria.

25. Tamdiu Protoplasti in arce paradisiacæ felicitatis immorati fuerunt, quamdiu ieiunium in eodem servârunt; cùm primum hoc fuerunt transgressi; fuêre & ipsi ab illo felicitatis statu eiecti; nil est retundendis satanicis assultibus efficacius ieiunio, nil servandæ innocentiæ aptiùs ieiunio, hoc enim prosternitur tartareus hostis. Quærit D. Augustinus, cur Prophetæ Eliæ Deus panem duntaxat, & frigidam miserit, & non plenum prandium sicut Danieli esurienti in leonum spelunca? si enim Elias longum erat iter suscepturus, uberiori videbatur obsonio indigere, quo vires reficeret, ac labores itineris, faciliùs posset superare: & respondet Augustinus: *quia sciebat Deus Prophetam suum tentantem Diabolum aliter superare non posse, nisi ieiuniis eruditus insidiantis inimici tentamenta depelleret.* Non cacodæmonis tantùm retunduntur scuto ieiunii tentamenta, verùm & pravorum affectuum in nostram intus insurgentium perniciem impetus: beneficio siquidem ieiunii coërcetur concupiscentia, compescitur ira, & caro in spiritum rebellans cohibetur; est enim finis ieiunii carnis mortificatio, concupiscentiæ compressio, ac divinorum beneficiorum impetratio, ac ad orationem purgatio, & præparatio. Est enim utilis oratio, sed utilior cum ieiunio, oratio enim ieiunio munita pharmacum est omnibus vitiorum morbis congruum: hæc omnem animi ægritudinem sanat, conscientiæ labes abstergit, castitatem fovet, concupiscentiam cohibet, vitiis bellum indicit, contra omnes noxas validissimè pugnat, & pugnans vincit, vincens triumphat. Assumitur enim ieiunium ad coercendam concupiscentiam, ut qui sunt Christi, carnem suam cum vitiis, & concupiscentiis crucifigant, corpúsque suum in servitutem redigant, ut monet Apostolus: Quapropter fideles monet, ut æquè vigiliis, ac ieiuniis assuescant, ne castitatis florem corrumpant. *In omnibus exhibeamus nosmet ipsos, sicut Dei ministros in vigiliis, in ieiuniis, in castitate.*

*Tomo 10. serm. 65. de tempore.*

*Ad Galat. 5.*

*2. ad Corinth. 6.*

Prodest ieiunium mentis purgationi, ut hæc à terrenæ concretionis labe defœcata, rerum divinarum contemplationibus, ac virtutum omnium culturæ sit aptior. Orationem enim promovet ieiunium. Hinc Raphaël è cœlo missus, ac Socius, ductórque per longa itinera Tobiæ iuniori ascitus, & confecto itinere cum personam deposuisset, quam in via gesserat dixit utrique Tobiæ occultè: *Benedicite Deum cæli, & coram omnibus viventibus confitemini ei, quia fecit vobiscum misericordiam suam. Etenim Sacramentum Regis abscondere bonum est: Opera autem Dei revelare, & confiteri honorificum est:* Cúmque Tobias senior Angelum interrogâsset, quodnam hoc Sacramentum esset? & quænam hæc opera? respondit: *bona est oratio cum ieiunio; & eleemosyna magis, quàm thesauros auri recondere:* nimirum ea est orationis efficacia, quæ si gemino eleemosynæ, & ieiunii corroboretur subsidio, possit rectè rebus, ac thesauris pretiosissimis accenseri, & tunc oratio fulta ieiunio, adipata inediâ, farta abstinentiâ, illo est pretiosior thesauro, qui in arca asservatur reconditus. 26.

*Tobiæ cap. 12.*

*Tobiæ cap. 8. v. 8.*

Est oratio ieiunio munita duplex, interior una, seu mente concepta, de qua dixit David Psalm. 26. Deum alloquens: *Tibi dixit cor meum exquisivit te facies mea,* & alibi: *Et meditatio cordis mei in conspectu suo semper,* & alibi: *Et in meditatione mea exardescet ignis.* Hæcque oratio sola mente concepta non sita est in suspensione omnis actus, neque passivè duntaxat se habet; neque in sola consistit speculatione, sicut nec 27.

*Psalm. 18.*

*Psalm. 38.*

in solo actu voluntatis, sed in utrisque, seu in actibus intellectus, & voluntatis ad Dei cultum, & honorem relatis; seu in consideratione rerum divinarum, & nostræ indigentiæ, ac inopiæ, Deique amore, rerúmque æternarum desiderio, aliisque piis affectibus, & hujus orationis mente conceptæ supremus gradus est contemplatio, quâ anima evecta supra terrena phantasmata sine inquisitione rationis, absque vago variarum cogitationum discursu Dei naturam, perfectiones, attributa liberè considerat; & in iisdem defixa penitùs mentis acie, casto, & ardenti amore Deo conjungitur, quem complectitur, & in quo unicè delectatur, & hunc supremum orationis gradum definiens S. Augustinus ait, Esse *sanctam quandam ebrietatem alienatæ mentis ab infra labentibus temporalibus æternam lucem sapientiæ contuentis:* neque ad hunc orationis gradum pertingunt nisi purgatæ, ac ab omni vitiorum labé defæcatæ animæ, quæ diuturna pœnitentia pravos animi affectus, ac naturæ corruptæ dissidentes passiones coërcuerunt, ac propriæ voluntatis studiis, ac affectibus, se se omni vitiorum labe exuerunt: non enim qui socordiâ depressi, ac mundi hujus simulacra circumferentes pravis suis adhuc famulantur affectibus assurgunt ad eum, qui posuit tenebras latibulum suum; ad Deum enim non assurgimus nisi à creaturis distrahamur; imò nec sufficit sola divinorum mandatorum observantia, ut quis ad summum illum orationis gradum perveniat, sed ulterius necesse est variis exerceatur virtutum studiis; labores plures subeat, insignia exerceat pietatis opera, & præsertim in quibus evangelicas beatitudines Magister Christus constituit: idque symbolicè nobis significari typo duarum uxorum Jacob Liæ scilicet, & Rachelis explicat D. Augustinus, qui vult Liam interpretari *laborantem*, & Rachelem *visum principium*; seu Verbum, ex quo videtur principium. *Actio ergo humana, ac mortalis vita, in qua vivimus ex fide multa laboriosa opera facientes incerti, quo exitu proveniant ad utilitatem eorum, quibus consulere volumus ipsa est Lia, prior uxor Jacob* ait Augustinus; & per hoc infirmis fuisse oculis commemoratur, quia ut ait Siracides: *cogitationes mortalium timidæ, & incertæ providentiæ nostræ.*

*Lib. 1. contra Faustum cap. 42.*

*Lib. 22. contra Faustum cap. 22.*

28. Spes verò æternæ contemplationis Dei habens certam, & delectabilem intelligentiam veritatis ipsa est Rachel, quæ & pulchra specie, ac venusta vultu dicitur. Hanc amat omnis piè studiosus, & propter hanc servit gratiæ Dei, quâ peccata nostra, quamvis fuerint sicut coccinum, tanquam nix dealbabuntur. *Laban* Pater Rachelis interpretatur *dealbatio*, cui servivit Jacob propter Rachelem; neque enim se quisquam convertit sub gratia remissionis peccatorum servire justitiæ, nisi ut quiete vivat in Verbo, ex quo videtur principium quod est Deus: ergo propter Rachelem, non propter Liam. Num quis tantùm amaverit in operibus justitiæ laborem actionum, atque passionum? Quis eam vitam propter se ipsam expetiverit? Sicut nec Jacob Liam, sed tamen sibi nocte suppositam in usum generandi est amplexus, & fœcunditatem ejus expertus: Dominus enim eam, quia per se ipsam diligere non poterat; primò ut ad Rachelem perveniretur, tolerari fecit, deinde propter filias commendavit. Ita verò unusquisque Deo utilis servus sub dealbationis peccatorum suorum gratia constitutus quid aliud in sua conversione meditatus est? quid aliud corde gestavit? quid aliud adamavit, nisi doctrinam Sapientiæ? quam plerique se adepturos, & percepturos putant, statim ut se in septem præceptis legis exercuerint, quæ sunt de dilectione proximi, id est Honora patrem, & matrem. Non mœchaberis. Non occides, Non furaberis, Non falsum testimonium dices. Non concupisces uxorem proximi. Non concupisces rem proximi. Quibus quantum potuerit observatis, postea quam homini pro concupita, & sperata pulcherrima delectatione doctrinæ per tentationes varias, quasi per hujus sæculi noctem tolerantia laboris adhæserit, velut præ Rachele Lia inopinata conjuncta sit, & hanc sustinet, ut ad illam perveniat, si perseveranter amat, acceptis aliis septem præceptis: ac si dicatur ei servi alios septem annos pro Rachele, ut sit pauper spiritu, mitis, lugens, esuriens, sitiénsque justitiam, misericors, pacificus. Vellet enim homo, si fieri posset, sine ulla tolerantia laboris, quæ in agendo, patiendóque amplectenda est, statim ad pulchræ, atque perfectæ Sapientiæ delicias pervenire: sed hoc non potest in terra morientium, quod & Jacob videtur significâsse, cum dixit: *Non est in loco nostro consuetudinis, ut minores ante tradamus ad nuptias:* hinc subdit Augustinus: *prior est in recta hominis eruditione labor operandi, quæ justa sunt, quàm voluptas intelligendi, quæ vera sunt,* hactenus D. Augustinus loc. cit. *Genes. 29.*

29. Assumitur etiam jejunium ad pellendos Dæmones, eorundem tentationes superandas, suggestiones pravas retundendas, & opitulante Numine ad triumphos deferendos, quapropter Christus ait: *Hoc genus non ejicitur, nisi per orationem, & jejunium.* Vel ad Deum promerendum, & colendum sicut Anna Prophetissa, de qua dicitur non discessisse de templo, & Deo inserviisse jejuniis, & obsecrationibus nocte, & die; huc etiam pertinet, quod narratur: *Ministrantibus illis Domino, & jejunantibus dixit illis Spiritus sanctus: segregate mihi Saulum, & Barnabam, in opus, ad quod assumpsi eos, tunc jejunantes, & orantes, imponentésque eis manus, dimiserunt illos;* ut inde disceremus nullum aggredi opus præsertim arduum nisi præmissis jejunio, & oratione, sunt enim veluti geminæ præviæ faces accensæ, quæ inter caligines, noctémq; hujus vitæ nobis iter ostendunt, & ad

*Matth. 20.*

*Act. Apost. cap. 13.*

ad concupitum perducunt terminum: assumi etiam solet jejunium orationis subsidio corroboratum ad exposcendam veniam, Deúmque placandum, hinc Joël ait Deus: *Convertimini ad me in toto corde vestro, in jejunio, & in fletu, & in planctu.* (Joël. 2.) Ammunitis, Moabitis, & Syris congregatis, ut pugnarent contra Josaphat, quem unà cum Judaico pupulo prosternerent; Rex totum se cuntulit ad rogandum Dominum, & prædicavit ieiunium universo populo, ut habetur in scripturis. (Lib. 2. Paralip. cap. 20.) Et ieiunium Josaphatū defendit, hustiúmque impetus coërcuit, ictúsque retudit. Esther aditura Regem Asuerū, quem precibus suis averteret à cruenta clade Judæurum parata ab Amano gentis Judaicæ infensissimo huste, ieiunium Judæis omnibus in Susam commurantibus indici iussit, & ipsa unà cum suis ancillis ieiunare pariter decrevit. Propitiando Numini nil ieiunio aptius, hoc enim delectatur Deus, hoc ipsi præ cæteris placet si præsidio muniatur orationis, & abstinentiam secum trahat, non sulum ab esculentis, & poculentis; verùm etiam à vitiis. Id fuerunt experti Ninivitæ, quia enim orbs illa ob patrata scelera mox evertenda nun solùm infantulorum cunis, sed & iumenturum præsepiis jeiunia indixit, & iustam Numinis conceptam iram declinavit, & Deum per ieiunium habuit propitium, quem per patrata scelera nuverat sibi iratum: & quidem ieiunium gratum esse Deu nemo est, qui ambigat, cùm & primis hominibus illud indixerit, & Magister Christus suus edocuerit fideles: (Matth. 6.) *Tu autem cum jejunas unge caput tuum, & faciem tuam lava, ne videaris hominibus jejunans, sed patri tuo, qui est in abscondito.*

30. At si delectatur Christus ieiunio, crapulis lætatur satanicus hostis, qui nullis potioribus armis hominem adoritur, quàm ieiunii violatione, cibique ingestione, hinc ieiunanti Christo in eremo dixit dæmun: (Matth. 4. v. 4.) *Dic ut lapides isti panes fiant*, quia cùm vidisset eum ieiuniu communitum desperavit ullam posse de ipsu victuriam referre, & quem impastum, ac ieiunum timuit; sategit cibo aliquo repletum lacessere, ac expugnare; & eò visus est cacodæmoni Christus expugnatu difficilis ieiunio loricatus, ut miraculum etiam exposceret, quû munimine ieiunii eum expoliaret, ut pulchrè notat Chrysologus inquiens: (Serm. 13.) *signum panis petit, qui signum jejunij pertimescit. Signum panis petit, ut jejunij tremendum sibi refugiat signum:* viderat satanicæ nequitiæ arma omnia curruisse, ubi agnoverat ieiunia observari; ideóque enixim petit, ut lapides panes fiant, quibus ieiunii observantia disrupta quasi fracto clypeo validiùs posset eum aggredi, & per cibum prosternere, quem per ieiunium vincere desperaverat: nuverat enim cibum exuberantem, putùmque nimium, esse prudentiæ nubilum, spiritûs imbecillitatem, rationis caliginem, mentis soporem, luxuriæ fumentum, & erruris illicium; & è cuntra ieiunium esse spiritûs munimen, fidei vexillum, castitatis propugnaculum, sanctitatis trophæum, murum spiritûs, & contra ictus omnes cacodæmonis impenetrabile scutum; frœnúmque pravis umnibus affectibus coërcendis peraptum: ieiunium sanitatem tum animæ, tum corporis tuetur, quam saturitas destruit; ieiunium serenitatem mentis advehit, quam saturitas abigit, & obnubilat; ieiunium cordis tranquillitatem accersit, quam repletio excludit; ieiunium virtutibus favet, & saturitas nunnisi vitia fovet, hinc Ambrosius ait: *Quis deterioravit domum suam jejunio? quis imminuit facultates? cui non suspecta luxuries? cui non venerabilis abstinentia? cujus torum appetivit parsimonia? cujus pudorem non læsit ebrietas? Jejunium continentiæ magisterium est, pudicitiæ disciplina, humilitas mentis, castigatio carnis, forma sobrietatis, norma virtutis, purificatio animæ, miserationis expensa, lenitatis institutio, charitatis illecebra, senilis gratia, juventutis custodia. Jejunium est bonum itineris viaticum, bonum totius vitæ. Qui grave dicunt jejunium esse, respondeant, quis jejunio defecerit? Multi in prandio, plerique dum vomuerunt epulum, fudêre animam. Quod postremò animal jejunium sibi causam fuisse mortis ingemuit? Per escam laqueus non cavetur, in esca hamus latet, & cibus deducit in foveam, cibus inducit in retia, cibus visco etiam aves alligat, volantes deponit ad mortem. Jejunium sobrietas mentis est, hoc vigent sensus, in hoc judicia tractantur. Jejunium custodit Disciplinam, luxuriam sequitur copia. Jejunium quietem diligit, luxuria inquietitudinem. Obsonator est, qui antequam sol luceat, fores alienas pulsat & tanquā bellum immineat, excitat dormientes. Turbatum vides, anhelantem avertis, interrogas, quæ causa perturbationis sit: Posco, inquit, dominus meus, ubi vinum melius, ubi sumen mollius, ubi phasianus pinguior; ubi piscis recentior veneat.* (Tom. 4. lib. de Elia. & jejunio cap. 5)

31. Stomachi repletio, ventrisque satietas, mentis inducit vacuitatem, ac virtutum dissulvit studia, huminémque saturum à statu deiicit huminis, qui per gulæ indulgentiam obbrutescit, cum per ieiunii observantiam angelicam sublimaretur in naturam, idque haud obscurè subindicat Clemens Alexandrinus (7. Stromat.) asserens, ieiunium esse ænigma, quu humo significatur, inquiens sententiosè, *Novit ipse jejunij ænigmata*, sed quale sit huc ieiunii ænigma explicatu sanè videtur difficile: scio, ænigma nil minùs significare, quàm quod magis videtur indicare; adeò ut tota laus ænigmatis abstruso sit sensûs, & significati occultatiu. Sed si virtutem pensemus ieiunii, facile quid homu ieiunans significet deprehendimus, cùm enim ieiunium studia iuvet virtutum, castitatem foveat, spiritum nutriat, animam reficiat, concupiscentias coërceat, carnis lenocinia cohibeat, iræ impetus retundat, & interiorem hominem componat, iuxta dictamina rectæ rationis, quibus homo vivit ut homo, operatur ut homo, loquitur ut homo, &

cogitat ut homo, professò ænigma ieiunii hominem subindicat sobrium, & quem nulla ciborum sarcina gravat, nullum esculentorum pondus premit, nulla poculentorum affluentia obruit, sed stomacho vacuo, ventre inani, mente serena salubrior viget, operatúrque ut homo; adeo ut homo ieiunans ænigmaticè hominem subindicet cogitantem, loquentem, & operantem, quæ hominem decent, proinde pulchrè dixit Clemens Alexandrinus: *Novit ipse jejunij ænigmata*, quia homo ieiunus verum adsignificat hominem, quasi anceps hæsisset, num homo sarur & gulæ indulgens sit homo, & num potius in bruti degeneret naturam: ait enim Gregorius Nazian, Orat. pro S. Basilio: *Saturitate ad eos abiverat, qui ad brutam naturam propiùs accedunt, quorumque servilis, atque in terram prona vita est.*

## §. IV.

### *Ubi saturitas est ventris; ibi sanitas exulat mentis: & heluones in bruta degeneres fœdè pravis inserviunt Affectibus.*

32. Heluones qui ut comedant, vivunt; non ut vivant, comedunt, sensim in belluinam desciscunt naturam, morésque induunt brutorum: siquidem ciborum nimietate mentis hebetatur acies, extinguitur lumen, infringitur vigor, sopitur ratio, cuios usu homo destitutus fœdè obbrurescit, ac è sana mente deiectus, à natura abalienatur hominis, cuius est ratione duci; hinc Clemens, vacat gulæ indulgentiam, gutturis insaniam inquiens: *Insania circa guttur*, quia saturitas quasi usque ad guttur hominem insaniâ replet, sitque propterea comessatio, quædam hominis dementatio, quâ à vero deiicitur hominis statu, & greges inter pecudum, usu destitutus rationis deiicitur: imò homo ciborum ingurgitatus congestâ sarcinâ, multóque madidus vino; non potest non vitiis omnibus coinquinatus moribus esse profligatissimis, quia sicut ieiunium ænigma est, quo sanctitatis indicatur excellentia, & interioris hominis ad normam virtutum omnium restauratio: siquidem, ut ait D. Chrysologus: *Jejunium scimus esse Dei arcem, Christi castra, castitatis signum, sanctitatis tropbæum, & quod Joannem inter natos mulierum fecit esse majorem.* Ita gulæ intemperantia ænigmaticè significat hominem moribus perditissimis, vitiisque fœculentissimis deformem; quia ut loquitur Clemens Alexandrinus: *His, qui ad luxum mensarum propensi sunt, præest Dæmon, belua maximus, quem ego non vereor appellare ventridæmonem, seu cobabitantem dæmonem*; quia nimirum heluones, qui in sympostiis gulæ indulgent, cibis stomachum opplent, multóque madent vino, ventridœmonem intrinsecùs nutriunt, & cacodœmonem intus obsidentem alunt; sitque propterea immodica ciborum ingurgitatio dœmonis habitatio, & sicut per saturitatem attrahitur dœmon; ita

Lib. 2. Padagog. cap. 1.

Serm. 2.

7. Strom.

per inediam abigitur: neque satanicis hostibus profligandis ulla sunt arma servatis ieiuniis aptiora: apposité Tertullianus ait: *Adversus duriora dæmonia jejunijs præliandum. Quid enim mirum si eadem operatione spiritus iniquus educitur, quâ sanctus inducitur*, nimirum stomachi vacuitas cordis dilatat spatia sancto replenda spiritu, quæ ciborum ingurgitatio occludit; & concupiscentiæ aperit, accendítque fornaces, in quibus vitia æstuant, hominémque intus exagitant, maligno veluti spiritu sus déque interna omnia vertente, ac invertente, ut notat Tertullianus *lib. de jejunio adversus Physcb, cap. 16.* ubi explicans illud D. Pauli: *Quorum Deus venter est* ait de comessationis idololatria, *Deus tibi venter est, & pulmo templum; & aqualiculus altare, & Sacerdos coquus, & sanctus Spiritus nidor, & condimenta carismata, & ructus prophetia. Apud te agape in cacabis fervet, fides in culinis cales, spes in ferculis jacet*: sicque paucis prægnantibus verbis totam graphicè describit Tertullianus heluonis religionem, cujus Deus aliud non est, quàm venter; hinc non mirum si in capite primo dixerit, comedones Paraclito controversiam movere, inquiens de heluonibus. *Hi Paracleto controversiam faciunt*, quia nimirum ciborum satietas sancto est inimica Spiritui, cujus gratiæ videtur renunriâsse.

Lib. de jejunio cap. 8.

3. ad Philip. v. 19.

Idque causæ Jobo fuit, perniciem timendi toti familiæ, eò quia ejus filii per instructa convivia gulæ indulgerent: *Cúmque in orbem transissent dies convivij, mittebat ad eos Job, & sanctificabat illos, consurgénsque diluculo offerebat holocausta pro singulis; dicebat enim, ne fortè peccaverint filij mei, & benedixerint Deo in cordibus suis*: tametsi Jobi filii per instructa convivia, ac mutuæ benevolentiæ obsequia fraternam religiosè charitatem foverent, verebatur tamen S. Job, ne reciprocis indulgentes conviviis, vitiis coinquinarentur, & benedicerent Deo in cordibus suis; sed si filii erant in conviviis Deo benedicturi in cordibus suis, quid Jobus timet? id enim timerur, quod in nostram cedit perniciem, & malum quodpiam secum advehit; & si Deo benedicere bonum est, & in nostram hæc benedictio vergit salutem, quid Jobus rimet? quam ob causam angitur? si ejus filii simul convivantes sint Deo in cordibus suis benedicturi? Non me latet, verba hæc Jobi non modicam sacris Interpretibus difficultatem ingerere, ac explicatu censeri difficillima. Sunt tamen qui appositè ad rem nostram, illud *benedixerint* asserant perinde significare, ac valedicere, & sensus sit: *ne fortè peccaverint filij mei & vale dixerint Deo in cordibus suis*. Qui enim vale dicit amico ab illo discedit, séque ab ejus præsentia sejungit: & per peccatum avertitur homo à summo bono, discedit à Deo, à quo per lethalem noxam prorsus elongatur, ideóq; rectè præmiserat Jobus, *ne fortè peccaverint filij mei*, qoia peccantes vale dicunt Deo, à quo se avertunt, in qoo sensu

33. Job. 1. v. 5.

con-

congruè explicantur verba Jobi; timuit enim pius pater, ne ejus filii esculentis, & poculentis indulgentes, & voluptatis deliniti peccarent, & Deo benedicerent, seu valedicerent, discederéntque à summo Bono, à quo se per peccatum averterent; cùm non lateret S. Jobum, cupediarum delicias, ciborum ingurgitationes facilè hominem à Deo avertere, ideò timuit, ne ejus filii per frequentata convivia à Deo abscederent, se à summo Bono avertentes, per peccatum aliquod, *ne fortè peccaverint filij mei*, quia comessator, ventri faciliùs adhæret, quàm Deo, & menti.

34. Quòd si per gulæ delicias avertitur homo esculentis satur à suo Numine: per jejunium, ac stomachi vacuitatem promptiùs ad ipsum fit conversio; gaudet enim Deus stomacho jejuno in homine, adeò ut solum jejunium adeo sit Deo gratum, ut ipsum solum sufficiens sit ornatus in homine, quo Verbo divino hospitium apparat. Sunt, qui non abs re quærunt, cur ut æterni Patris filius Caro fieret in utero Virginis, fuerit ipsa virgo omnibus ornata gratiis, instructa cœlestibus favoribus, cumulata donis; fuerítque propterea à Gabriele Archangelo salutata gratiâ plena, seu tota oppleta, ut nil vacui in ipsa esset: & idem Verbum divinum latens in speciebus Eucharisticis, ac hominum pectora ingressurum, tot in nobis non exigat virtutum ornatus, nec gratiarum plenitudinem, cùm tamen Eucharistia, ut notat D. Chrysostomus, extensio sit Incarnationis.

35. Quòd si cùm primùm æterni Patris Filius primam inchoaturus incarnationem in Virginis utero, eam sibi apparat habitaculum omni ornatu venustum; cùm gratiis omnibus non solùm Virginem voluerit cumulare, verùm & præservare ab originali reatu, eámque prævenire, ne debitum proximum contraheret illud incurrendi: cùm tamen sub Eucharisticis speciebus nostra ingressurus pectora, tantùm munditiem exigat à noxa lethali, & scopâ salutaris pœnitentiæ purgatam velit conscientiam nostram à gravibus delictis: cur igitur, si Dei filius uterum ingressurus Virginis tot gratiarum prærogativis eam insignivit, tot donorum cumulis locupletavit, tot virtutum honestamentis exornavit, ut in ea habitaculum sibi pararet, quod ipsi placeret; cur nunc sub Eucharistico velamine nostra ingressurus pectora non uberiora ornatuum incrementa à nobis exigit? Dixerim id fortassis obtingere, quia aliquid in homine ad sacram accedente synaxin inveniat, quod ornatuum suppleat defectum, vicésque quasi gerat gratiarum omnium; sed quid erit in homine hoc tam insigne supplementum? Respondet Strabus Fuldensis *jejunium* id præstare, quod ab ecclesia exigitur ad sumendam Eucharistiam; explicans enim illud Jonæ: *adhuc quadraginta dies, &c.* ait, *hoc numero Moyses, & Elias, & ipse Christus jejunaverunt: Hic numerus nobis indicitur ad præparandas animas nostras ad esum corporis Christi.* Vult igitur jejunium quadragesimale ea mente ab ecclesia institui, ut præparatio, & ornamentum sit ad dignè sumendam Eucharistiam in paschatis solemnitate, hinc Tertullianus emphaticè ait: *Ipsa natura enuntiabit, quales nos ante pabulum, & potum in virgine adhuc saliva exhibere consuevit*, hoc est non solum quadragesimale jejunium prævia est dispositio ad paschalem communionem; verùm & virginitas salivæ, seu os jejunum, quod cum nullo sit cibo violatum *virgineâ* dicitur *salivâ* imbui, quasi jejunium Virginis matris videatur prærogativam æmulari ob excellentiam, qua insignitur jejunium. *Lib. advers. sui physis. cap. 6.*

Hinc non immeritò miratur D. Chry- 36.
sostomus, jejunium perinde, ac hostem cædes minitantem, ac humano sanguini inhiantem timeri; adeò ut cùm tempus accedit quadragesimalis jejunii, hoc veluti hostem sibi infensum christiani exhorrescant, ventrémq; stabiliant, stomachum oppleant, hilaria celebrent, bacchanalia agant, comessationibus, & potationibus se muniant, & in id duntaxat videantur studii incumbere, ut ciborum immodico congestu se repleant, & potûs frequentiori haustu madeant, quasi hominis stomachus urbem illam æmuletur, quæ hostis metuens obsidionem vario se commeatu instruit, ne obsidione vallata quidquam ipsi desit. Non ita moris fuisse apud primævos Orientis ecclesiæ fideles meminit D. Maximus, qui refert ad quadragintadiale jejunium precibus, ac mortificationibus se primos illos fideles præparâsse, quo nimirum ventrem prævia assuetudine iam dispositum ad esuriales dies adferrent, ait D. Maximus: *Nonnullorum est consuetudo advenientes quadragesimæ dies devotiori jejunio prævenire*, *Homil. in die cinerum sub init.* non igitur timorem ullum debet Christianis jeiunium incutere, quod ab ecclesia ad medelam fuit etiam à primis temporibus institutum: quadragesimalis enim jeiunii meminerunt quarti, & quinti sæculi Patres, veluti observantiæ, quæ per totam ecclesiam iam inoleverat, & cuius lege Christiani omnes tenerentur; neque sua ætate primum, sed retroactis sæculis institutum iam fuisse, ac in ecclesia universim observatum præsupponunt ut certum; adeò ut quadragesimale ieiunium ex Apostolorum traditione servaverit semper ecclesia, & à fidelibus servari jusserit, eò quia Christus Dominus suo nos illud edocuerit exemplo; ac discipulos suos post mortem, & resurrectionem suam ieiunaturos prædixerit. *Nunquid possunt filij sponsi lugere, quamdiu cum illis est sponsus? venient autem dies, cum auferetur ab ejs sponsus, & tunc jejunabunt*, *Matth. 9.* hinc Concilium Nicenum *can. 9.* Quadragesimalis jeiunii veluti rei in omnibus christiani orbis partibus cognitæ, atque observatæ meminit. Synodus Laodicena quadragesimam supponit non recentis esse institutionis, sed antiquæ traditionis, & in quinquagesimo

canone statuit, ut non oporteat in quadragesima in ultimæ septimanæ quinta feria jejunium solvere, totámque decere quadragesimam cum veneratione transire; magisque conveniat omnem quadragesimam districto venerari jeiunio. Primi etiam, & secundi sæculi Patres huius in ecclesia jeiunandi consuetudinis meminerunt, ut S. Zeno Antistes Veronensis, & Martyr, qui floruit anno christiano ducentissimo tempore Galieni Imperatoris, hic in sermone de quatuor temporum jeiunio ostendens ieiunii utilitatem ait: *Si infantes ab innatis vermibus ue infestentur, non ejs Saccharum, non mel, sed amarior, quam horreant, potiuncula, ijsdem propinatur, ut amarore illo necentur, & eijciantur vermes. Quid caro nisi vermium popina? In carne crescunt, & animantur peccata: animatos hos vermes jejunium in se amariusculum extinguit, & enecat.*

37. Comparat ieiunium amaræ potiunculæ vermibus extinguendis pueris propinatæ: quia caro nostra spiritui rebellis, perinde, ac contumax infans reluctatur, respuitque hanc jeiunii salubrem amaritiem; & tamen vermes vitiorum extinguit jeiunium, pravósque enecat affectus, animæ internecionem molientes, ac spiritui insidiantes; sunt enim hi pravi affectus concupiscentiæ, seu carnis vermes, qui nonnisi absynthio mortificationis enecantur, nonnisi ciborum subtractione, ac ieiunii telo consodiuntur, quia ut scribit Apostolus. *Si spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis.* D. Augustinus priscorum Patrum nitidissima gemma loquens de quadragintadiali ieiunio, ait. *Quadragesima sanè jejuniorum habet authoritatem, & in veteribus libris ex jejunio Moysis; & Eliæ, & ex Evangelio, quia totidem diebus Dominus jejunavit, demonstrans evangelium non dissentire à lege, & Prophetis. In qua ergò parte anni congruentius observatio quadragesima constitueretur, nisi confini, atque contigua dominica passioni? quia in ea significatur hac vita laboriosa, cui opus est continentia:* & alibi in quæstionibus super Exodum ait: *Non enim frustra quadraginta dies jejuniorum sunt constituti, quibus Moyses, & Elias, & ipse Dominus jejunavit: & ecclesia præcipuam observationem jejuniorum quadragesimam vocat, unde & in hebræo de Ninivitis apud Jonam Prophetam scriptum perhibent, quadraginta dies, & Ninive subvertetur: & per tot dies accommodatos humiliationi pœnitentium, ac jejunijs impetrâsse Dei misericordiam.*

Ad Roman. cap. 8.

Tom. 2. epist. 119. ad Januarium cap. 14.

Tom. 4. lib. 2. quæstion. super Exodum quæst. 110.

38. Nequissima fuit urbs Ninive, extorres quasi damnaverat virtutes, ac in exilium egisset studia honestatis, vitiis dumtaxat, ac depravatis indulserat affectibus, præsertim concupiscentiæ; petulantia triumphabat in vitiis, quorum fœdissima proluvies in omnes propagata cives, mores corruperat, studia virtutum abegerat, & animos in cœnosam libidinum paludem dejecerat. Pueri adhuc in tenella ætate pravis parentum exemplis, vel in ipso materno gremio jacentes vitiis videbantur præludere, & priùs corrumpebantur moribus, quàm causam cognoscerent corruptionis, & antequam scirent esse vitia, vitiis inficiebantur, & à minimis initiis procursus ad montes fiebat; perinde, ac scintilla cum incremento subit; res parva, & ferè nullius momenti censetur scintilla, quæ tamen, si fomitem comprehenderit, quamvis parvus sit ignis, excrescit in incendium, & urbes æquè, ac latissimos saltus, regionésque consumit: & quia tota urbs vitiis coinquinata nonnisi sceleratè facta coacervabat, & ex prava consuetudine flagitia flagitiis addebat, ut malitia duntaxat triumpharet fœdo quidem, ac sordido aspectu; decrevit Deus ad eam Jonam Prophetam, à quo urbs ad saniorem frugem, & ad vitæ melioris studia revocaretur. Ivit Propheta, sed quia quadraginta dierum inducias addixit, quibus lachrymis pœnitentiæ contractas possent cives vitiorum labes eluere, & vitia pœnitentiæ flagello abigere, non solùm ex domibus privatorum, verùm & ex tota urbe, Rex omnibus jejunium indixit, & quidem in cinere, & cilicio inquiens. *Homines & jumenta, & boves, & pecora non gustent quidquam, nec pascantur, & aquam non bibant.* Rex verò, qui legem tulit, eandem subiit sacco, & cilicio indutus, cineréque obductus jeiunium inchoavit, & mox post illum cæteri, eò quidem libentiùs, quò Rex exemplo iisdem præiret. Quid ni, cum obtemperâssent Regi cives, ac sua scelera jejunio, & cilicio mulctâssent, resiliit à superiore illo severiore proposito Deus, cuius bonitas est retractare sententiam, si impius mentem mutet. Jonæ 3. *Et vidit Deus opera eorum, quia conversi sunt de via sua mala, & misertus est Deus super malitiam, quam locutus fuerat, ut faceret eis, & non fecit.*

Jonæ 3. v. 7.

Sed cur dicitur Deus vidisse opera eorum? cur potiùs non commemorat commune civium jeiunium? præsertim cùm non solùm hominibus, verùm & jumentis indictum fuerit? quod enim hominibus indicatur jejunium, id moris est ad Numinis iram avertendam; sed quòd pecudes, ut jumenta, in quibus ratio non viget, legi obstringantur jeiunii, insuetum saltem id fuit, & cur non potiùs huius insueti ieiunii meminerit Deus, ut inde cumicere possemus, placuisse solemne illud ieiunium Deo, qui propterea sententiam urbis subvertendæ retractaverit? Theophilactus hanc solvens difficultatem ait, respexisse Deum opera Ninivitarum, & non jeiunium; quia licèt hoc plurimum ad veniam impetrandam valuerit, non tamen fuisset per se solum sufficiens, quod Deum propitium redderet, nisi Ninivitæ etiam mores correxissent, & bona opera exhibuissent: si enim victum Ninivitæ tantùm à se abdicâssent, & non vitium, nil 39.

for-

fortassis obtinuissent, quia jeiunium nisi immune sit à vitiis suam deperdit efficaciam.

40. Parum prodest carni subtrahere esculenta, & poculenta, & vitiis suppeditare fomenta; id enim perinde est, ac exteriùs virtutem excolere, & intus vitium enutrire: & tunc etiam virtus in scenam accitur. Sunt histriones, & scenici, qui exteriùs virtutis honestamento videntur insigniri, cùm tamen improbis affectibus, fœdisque concupiscentiis intus famulentur, pulchrè Chrysologus. *Illa justitia, quæ est hypocrisis, justitia non est, mentitur oculis, fallit aspectum, videntibus illudit, decipit audientes; seducit turbas, trahit populos, famam vendit, emit clamorem, fit saeculo, Deo non fit.* Histrio regiam in theatro personam agens pretioso ornatu fulgens exteriùs, regium præfert splendorem, proditque Principis Maiestatem, cùm tamen plerumque interiùs sordeat infamis: qui exteriùs jeiunium simulant, & quod corpori subtrahunt alimenti, vitiis intus nutriendis uberiori compensant fomento, hi histriones sunt, quia exteriùs virtutem ostentant, & intus pravitatem fovent.

Serm. 9.

41. Muris fuit, qua olim victimarum examinarentur præcordia, ut sacrificia placerent, quia si interanea, seu exta victimarum exesa fuissent, aut depravata; victima tunc utpote vitiata reiiciebatur, quia Deo minùs placeret; hinc Tertullianus aiebat: *Ei offero optimam, & majorem hostiam, quàm ipse mandavit, orationem de carne pudica, de anima innocenti, de Spiritu Sancto profecta.* Non est oblatio Deo grata, si exteriùs thus adoleatur, & intus concupiscentiæ æstus nutriatur; illudere est, non sacrificium Numini offerre. Arabicæ arboris lachrymas exteriùs in acerris consecrare, & intus depravatis affectibus inservire, id perinde est, ac externo odore internum fœtorem obtegere; non Arabicæ arboris sunt lachrymæ quærendæ, quæ Numini consecrentur; sed fletus è corde extorquendi, ut lachrymæ ab oculis fluant; hæ sunt, quæ suaviter olent, quia lachrymæ vitia non contegunt, sed extinguunt. Israëlitæ non solùm aquam effundunt, sed etiam coram Numine. *Hauserunt aquam, & effuderunt in conspectu Domini*, sed si nil Numinis subterfugit præsentiam, si nil divinæ perspicaciæ potest oculos effugere, supervacaneum videtur nonnisi in conspectu Domini haustos effundere latices? Sed non vacua mysterio fuit effusio: Effuderunt aquam, non ut oculos fallerent, sed ut peccata delerent, ut notat Caietanus, inquiens: *Quod autem dicitur in conspectu Jehovah, ad testimonium spectat, quod in veritate intus se habebant, quemadmodum foris effundendo aquam significabant.*

In Apologet. cap. 30.

Lib. 1. Reg. cap. 7.

ibid.

43. Non igitur frustranea fuit effusio illa in conspectu Domini: quia persæpe interior affectus ab actu dissidet exteriori, qui oculos fallit, ideóque Ninivitæ non contenti, victum à se abdicâsse, vitium etiam per bona opera intus exercita, verósque resipiscentiæ actus abigere, ac prorsus extinguere voluerunt; & sicut publicum fuerat urbis illius scandalum, ita & publicum voluit exemplum præbere, ut ægritudini curandæ responderet pharmacum adhibendum; non enim debet quis studiis incumbere virtutum, ut intuentium alliciat aspectum, plausúmque lucretur evanidum, *Is enim*, ut ait Chrysologus, *Præmium non quærit in futuro; obcæcat oculos, & non videns vult videri: propter quam cæcitatem Christus præsenti sic inchoat in præcepto. Attendite, hoc est, ne gestiatis, attendite ne justitiam vestram faciatis coram hominibus.* Prima jeiunii nostri cura sit à vitiis intus abstinere à concupiscentiæ illecebris voluntatem retrahere, & pravos omnes prorsus excutere affectus. *Jejunium, quod est contra vitia*, ait Chrysologus, *prima virtus est nobis, in arce pectoris collocetur, quia illo in interioribus præsidente, vitia nos quatere in interioribus non valebunt*, pravi, qui contra nos intùs insurgunt affectus vires deperdunt, si pectus nostrum jeiuniis deprehenderint communitum. Olim arietem asperrimum, ac bellicum instrumentum muris evertendis, ac urbibus expugnandis scimus adhibitum; sed jeiunium valentior virtutis aries, si in pectore collocetur, pravos quósque prosternit affectus, qui non ampliùs nos quatiunt, sed jeiunio corruunt ipsi expugnati, quia sicut aqua maculas abstergit, ita jeiunium æstus concupiscentiæ extinguit, & quas per pravos affectus contraximus, labes eluuntur.

Serm. 9.

Serm. 7.

## § V.

### *Coërcendis pravis omnibus affectibus nullum frænum aptiùs jejunio, quo carni alimenta subtrahuntur.*

43. Reprimendis carnis nequitiis nil ieiunio fortius, quia dum corpori subtrahuntur alimenta, suo destituitur concupiscentia fomento, & quò plus caro conteritur ieiuniis, eò paratior fit, ac expeditior ad parendum spiritui: experimur nucum arbores repetito lapidum iactu ad fertilitatem provocari; asini tarditatem fustibus stimulari; marini aselli duritiem malleis diverberatam amolliri; equi refractarii incessum lentiorem calcaribus incitari; negligentiam famuli virgis emendari; projectam mancipii licentiam compedibus frangi, pueri insolentiam colaphis corrigi. Perinde carnis petulantia, sicut nux, vel asinus incessu tardus, vel equus cespitator, vel famulus insolens frœno, calcaribus, virgisque est coërcenda, & præsertim ieiunio, quo esculenta ei subtrahuntur, ne insolescat, unde Syracides. *Cibaria, & virga, & onus asino: panis,*

Ecclesi. cap. 33. v. 25.

*panis*, *& disciplina*, *& opus servo*, famulatur caro spiritui, victus ei debetur, sed tenuis, ac modicus, quò sustentetur, non insolescat: scitè Seneca ad rem nostram scribit:
Epist. 8. *Hanc ergo sanam, & salubrem formam vitæ tenere memento, ut corpori tantùm indulgeas, quantum bonæ valetudini satis est. Duriùs tractandum est corpus, ne animo malè pareat, cibus famem sedet, potio sitim extinguat, vestis frigus arceat, domus munimentum sit adversus infausta corpori.* Necessaria tuendæ valetudini corporis rectè conceduntur indigentiis; sed superflua pravè indulgentur. Refert Nicephorus ab Evagrio Macharium Anachoretam fuisse in eremo revisum, cùmque Evagrius ex itineris fatigatione sitis contraxisset æstum, frigidam, quæ conceptum calorem temperaret ab Anachoreta petiit; sed Macharius ad illum vultu placido, frontéque serena ait, fili mi, contentus esto hac umbra, plures enim sunt viatores, qui intentiori æstuant calore, & illâ carent. Plures etiam sunt, qui æquora traiicientes hoc destituuntur solatio. Tunc Evagrius sicut vir erat mitissimi ingenii contentus oblatæ sibi umbræ ad lætam compositus tranquillitatem de temperantia cœpit sermones miscere, ac de excellentia huius virtutis fusiùs disserere. Cui tandem Macharius, hæc quæ dixisti, vera sunt, & ipsemet fui expertus; nam totis viginti annis nunquam panem, aut frigidam, aut somnum ad satietatem admisi, nunquam cibo tametsi rudi, & neglecto stomachum replevi, neque corpori indulsi, sed panem siliceinum ad modicum libellæ pondus comedi, & aquam ad mensuram parcissimam bibi: & cum fatigatione cogerer parieti acclinis exiguum duntaxat somni partem sumpsi ad labentium virium restaurationem. Non delicatioribus duntaxat esculentis, & poculentis pretiosioribus virtus labefactatur temperantiæ, sed etiam cibo rudiori, si hoc supra tuendæ valetudinis exigentiam stomachus oneretur.

Lib. 11. histor. ecclesi. cap. 43.

44. Jejunium verò, ut ab abstinentia distinctum, afflictio debet esse, & maceratio corporis; quapropter Esthera *lib. 1. cap. 8.* Commendans jejunium iniungit, ad id esse hoc instituendum, ut corpus suum inde sentiat incommodum, & afflictum parère discat spiritui, & non insolescere, ait ipse. *Et prædicavi ibi jejunium juxta fluvium Abava, ut affligeremur coram Domino nostro, & peteremus ab eo viam rectam nobis.* Quòd si jejunium esse debet afflictio, etiam in faba, cicere, ac olere possunt leges infringi jejunii, fabas enim, & cicer ita subinde condimus, ut nullam inde corporis sentiamus afflictionem, quin potiùs gulæ illecebram. Etiam ab Israëlitis præ manna cepæ esuriuntur, & allia; Gulæ luxuries etiam in olere regnat; & in cepis, fabisque triumphat, & Bacchus ipse, subinde vel in pisis debacchatur; neque ludit duntaxat inter legumina voluptas, sed etiam continentiæ illudit: æquè enim de parcitate triumphat, polluta gramine, ac aromatibus palludata; & licèt suos, olim gula triumphos explicaverit in pateris, succinisque Persarum: hodie etiam in Asceteriis, ac intimioribus solitudinis recessibus videtur subinde lascivire in fictilibus, & in cotyla triumphare Diogenis. Plures nunc minus jejunant, eum magis sibi jejunare arbitrantur; gliscit enim voluptas in olere, imò & repit in vimine; quòd si luxuriare licet in lente; qualem non aget gulæ luxus in polline triumphum? Si enim jeiunantium cœnas lustremus non macies, & horror mensarum nobis obiicitur, sed delicatioribus in epulis luxus, rubet ibi mullus, fumat accipenser, quibus, ut sapidiùs vellicetur guttur suorum acrimoniam aromatum suppeditat India; & voluptatis subsidia ipso etiam reclamante Neptuno ab extremis Eoi orbis partibus transvehuntur.

Non ita suis eum Levitis jeiunavit Esdras, eum jeiunium prædicaverit, quo jeiunarent coram Domino. Prima enim virtutum in viris divino addictis cultui, jejunium est, sed ardua virtus, & rara, vel in asceteriis, si ad id assumatur, quo corpus affligatur, & caro spiritui prorsus subiiciatur, ne insolescat per depravatos, qui in appetitu tum irascente, tum concupiscente consurgunt affectus: etiam Prophetæ pœnas violati jejunii dedêre. Jacuit Propheta à leone discerptus, quia licèt Regem, & terruerit, & afflixerit, sibi tamen imperare, haud potuit, quin panem, & aquam præcepto præferret sibi iniuncto. *Quia non obediens fuisti ori Domini, & comedisti panem, & bibisti aquam, non inferetur cadaver in sepulchrum Patrum tuorum:* & tamen hic deceptus fuerat à sene, qui se monitum aiebat ab Angelo de eo excipiendo, ac reficiendo. Quòd si is, qui manducat invitus, imò & deceptus, adhuc à leone discerpitur ob non servatum jeiunii præceptum; qualia non manebunt eos supplicia, quos gulæ illecebræ ad epulas pertrahunt? rara est avis, quæ objectâ sibi escâ non alliciatur ad rete, aut viscum; vel non solicitetur ad laqueos. 45.

Reg. lib. 3. cap. 13.

Una duntaxat gulæ voracitas victimis Abrahæ fuit insidiata, tametsi per ipsas transierit ignis innoxius, & clibanus fumans nihil attulerit damni. *Cum ergo occubuisset sol, facta est caligo tenebrosa, & apparuit clibanus fumans, & lampas ignis transiens inter divisiones illas:* & tamen Abraham, qui nec flammas discurrentes timuit, neque fumantis clibani volumina; à vulneribus expavit, ab avibus timuit, quas abegit, licèt rogum non extinxerit, nec clibanum abiecerit: si flamma victimis absumendis est aptior, cur Abraham non potiùs fategit flammas extinguere, quàm aves abigere? an victimis nocentior alauda, vel ficedula, aut lu- 46.

Genes. 15. cap. 17.

luscinia esse potuit igne, quem Abraham neque extinxit, neque excussit? Quòd si magis timuit in Holocausto suo à volucribus, qui à flammis non extimuit; unde tantus, vel in volucre æstus, & tantum in igne frigus? quia nimirum volucres gulæ illecebrâ trahebantur, ideóque expavit Abraham gulæ rapacitatem; licèt ignis haud timuerit voracitatem: rapacitas gulæ erat vitium; voracitas naturæ indoles, ideóque Abraham volucres abegit, ne victimas rostro
Genes. 15. v. 11. discerperent. *Descenderúntque volucres super cadavera, & abigebat eas Abraham.* Sed ex qua causa descendisse feruntur aves super cadavera, non super holocaustum? an quia avium expressurus voracitatem vates iis est usus omninibus, quibus ingluvies nititur, quò liberiùs grassetur etiam in victimas? Gulæ vitium adeò cæcutit, ut à laniena aram non distinguat, mistímque dapes simul, & hostes coacervet. Ubi gulæ dominantur illecebræ, ibi nonnisi enecta suspiciuntur cadavera, mox in stomacho veluti cœmeterio sepelienda: nil ibi sanctum, nil purum, sed omnia turpia, ac fœda.

47. Non obscurum hujus dedit fœditatis documentum puer filiorum Heli; qui capturus è sacrificiis adipem nunquam fertur
1 Reg. c. 2. v. 15. hostias nominâsse. *Veniebat puer sacerdotis, & dicebat immolanti: da mihi carnem, ut coquam sacerdoti: non enim accipiam à te carnem coctam, sed crudam*, sanctitatem dehonestat sacrificii, religionem deturpat victimarum, quas carnem vocat, non victimas sacrificio, & altari destinatas, cùm esset eas voraturus ipsum puduit victimæ, & ejus carne exsaturari. Quid ni in templo voluptatis etiam ipsa holocausta, vel caro sunt, vel cadavera; quòd si gulæ inurbanitas in victimas sævit altaris, ut palati serviat illecebris, quid non aget intemperantia? Ignis nonnisi post illis occasum in sacrificium intulit, & hostias non absumpsit, sed læsit. Aves verò quas gulæ illecebræ traxerunt ad altare statim in holocaustum irruêre. Quid a gulæ intemperantia tutum, cum vel ipsæ victimæ tutæ in ara non sint?

48. Ubi gulæ pruritus palatum titillat, ibi pretiosiora quæque, & sanctiora venum, pessúmque dantur; quò gulæ satisfiat, & ventri. Etiam in domo Isaaci Patriarchæ jura primogeniti viliori venduntur pretio, quò gulæ indulgeatur, & benedictio uni despondetur pulmento: tanta est epularum aviditas etiam in domo Patriarcharum, in Asceteriis Religiosorum, in regia sanctitatis!
Genes. 27. *Fac mihi pulmentum sicut velle me nosti, & affer, ut comedam, & benedicat tibi anima mea, antequam moriar*, scilicet nisi senis Isaaci propositum eluisset Rebecca, genus Abrahæ à tempore illo ad Christum usque transmissum fuisset ab Esau; sed ne Christus natus esset ex aliena Moabitarum gente, seu ex sacrilega Chanaam stirpe, Numinis providentia fuit, ut Jacob Rebeccæ industriâ ab Isaaco benediceretur loco Esau. Cecidit in Jacob sors, quam Pater Esau destinaverat, & benedictionem, quam sylvester aper erat impetraturus, hædus extorsit domesticus. Mirum tamen, quòd non pudor, qui in genis efflorescebat Jacob; non innocentia, quæ in vultu radiabat; non modestia, quæ in oculis splendebat; non amor filialis, qui in corde flagrabat; non religio, quæ in toto corpore eminebat benedictionem omnium gentium, in Jacob transtulerit, sed pulmentum, quod in patina fumabat. *Quos cum oblatos comedisset, dixit ad eum: accede ad me, & da mihi osculum fili mi.* Genes. 27.
Nimirum Dei agnus uni hædorum Jacob debebatur, & unus fuit ex ijs, quos pascere sponsa delectabatur: *Egredere, & pasce hedos tuos ò pulcherrima mulierum*: quasi fuisset sponsa una cum hœdis suis Deum ipsum mercatura; qui enim è filijs Abrahæ primus afferet pulmentum parentibus, is primogenitus enuntiabitur. Itaac ultimo confectus senio dixit ad Esau primogenitum filium. *Sume arma tua, & egredere foras*, Genes. 27. v. 3.
sed quò primogenitus gentis à Deo delectæ, ac initiatæ progreditur, *sume arma tua, cúmque venatu aliquid apprehenderis, fac mihi pulmentum, ut comedam:*

Quid quòd arma Dei exercituum profternendis hostibus assueta, nunc feris insidientur in sylvis, ut enecentur in venatu? 49.
an non sunt illa arma, quæ tametsi Abraham non adhibuerit in holocausto detinente Angelo brachium, ne Isaaci caput amputaret, ijs tamen usus fuit, cum deletis quatuor Regibus captivum Lothum reduxit ad suos? Itane arma illa Patriarcharum, quibus justorum profligabantur oppressores; quibus in libertatem asserebatur innocentia; quibus stirps Dei propugnabatur, ac religio tuebatur, mox in aprurum transferuntur venatum, & arma Dei exercituum, venationis illecebris destinantur? & fiunt instrumenta voluptatis, quæ insignia fuêre sanctitatis: Deíque pugnantis arma contra innocentiæ oppressores, fiunt contra feras in sylvis instrumenta hominis venatoris? Quid si irruerent Arabes, sævirent Chaldæi, insilirent Elamitæ; quibus militarent armis filij Abrahæ, quibus stirps Servatoris propugnaretur? siquidem Patriarcharum armamentaria hostibus olim assueta propulsandis, nunc hinnulis insequendis, ac feriendis retunduntur; & assueta venatui, non militiæ, non triumphis apparandis, sed pulmentis comparandis tractantur. Ea est voluptatis erugo, quâ arma adoreis assueta, languescant ollis opplendis. Quamdiu arma Israëlitarum jejunium absterlit; & ollæ pulmentum non infecit, palmas gladius Patriarcarum demessuit, & victorias sibi cudit.

in solo actu voluntatis, sed in utrisque, seu in actibus intellectus, & voluntatis ad Dei cultum, & honorem relatis; seu in consideratione rerum divinarum, & nostræ indigentiæ, ac inopiæ, Deique amore, rerúmque æternarum desiderio, aliisque piis affectibus, & hujus orationis mente conceptæ supremus gradus est contemplatio, quâ anima evecta supra terrena phantasmata sine inquisitione rationis, absque vago variarum cogitationum discursu Dei naturam, perfectiones, attributa liberè considerat; & in iisdem defixa penitùs mentis acie, casto, & ardenti amore Deo conjungitur, quem complectitur, & in quo unicè delectatur, & hunc supremum orationis gradum definiens S. Augustinus ait, Esse *sanctam quandam ebrietatem alienata mentis ab infra labentibus temporalibus æternam lucem sapientiæ contuentis*: neque ad hunc orationis gradum pertingunt nisi purgatæ, ac ab omni vitiorum labe defæcatæ animæ, quæ diuturna pœnitentia pravos animi affectus, ac naturæ corruptæ dissidentes passiones coërcuerunt, ac propriæ voluntatis studiis, ac affectibus, se se omni vitiorum labe exuerunt: non enim qui socordiâ depressi, ac mundi hujus simulacra circumferentes pravis suis adhuc famulantur affectibus assurgunt ad eum, qui posuit tenebras latibulum suum: ad Deum enim non assurgimus nisi à creaturis distrahamur; imò nec sufficit sola divinorum mandatorum observantia, ut quis ad summum illum orationis gradum perveniat, sed ulterius necesse est variis exerceatur virtutum studiis; labores plures subeat, insignia exerceat pietatis opera, & præsertim in quibus evangelicas beatitudines Magister Christus constituit: idque symbolicè nobis significari typo duarum uxorum Jacob Liæ scilicet, & Rachelis explicat D. Augustinus, qui vult Liam interpretari *laborantem*, & Rachelem *visum principium*; seu Verbum, ex quo videtur principium. *Actio ergo humana, ac mortalis vitæ, in qua vivimus ex fide multa laboriosa opera facientes incerti, quo exitu proveniant ad utilitatem eorum, quibus consulere volumus ipsa est Lia, prior uxor Jacob* ait Augustinus; & per hoc infirmis fuisse oculis commemoratur, quia ut ait Siracides; *cogitationes mortalium timida, & incerta providentia nostra.*

Lib. 1. contra Faustum cap. 42.

Lib. 22. contra Faustum cap. 22.

28. Spes verò æternæ contemplationis Dei habens certam, & delectabilem intelligentiam veritatis ipsa est Rachel, quæ & pulchra specie, ac venusta vultu dicitur. Hanc amat omnis piè studiosus, & propter hanc servit gratiæ Dei, quâ peccata nostra, quamvis fuerint sicut coccinum, tanquam nix dealbabuntur. *Laban* Pater Rachelis interpretatur *dealbatio*, cui servivit Jacob propter Rachelem; neque enim se quisquam convertit sub gratia remissionis peccatorum servire justitiæ, nisi ut quietè vivat in Verbo, ex quo videtur principium quod est Deus: ergo propter Rachelem, non propter Liam. Num quis tantùm amaverit in operibus justitiæ laborem actionum, atque passionum? Quis eam vitam propter se ipsam expetiverit? Sicut nec Jacob Liam, sed tamen sibi noctè suppositam in usum generandi est amplexus, & fœcunditatem ejus expertus: Dominus enim eam, quia per se ipsam diligere non poterat; primò ut ad Rachelem perveniretur, tolerari fecit, deinde propter filias commendavit. Ita verò unusquisque Deo utilis servus sub dealbationis peccatorum suorum gratia constitutus quid aliud in sua conversione meditatus est? quid aliud corde gestavit? quid aliud adamavit, nisi doctrinam Sapientiæ? quam plerique se adepturos, & percepturos putant, statim ut se in septem præceptis legis exercuerint, quæ sunt de dilectione proximi, id est Honora patrem, & matrem. Non mœchaberis. Non occides. Non furaberis. Non falsum testimonium dices. Non concupisces uxorem proximi. Non concupisces rem proximi. Quibus quantum potuerit observatis, postea quam homini pro concupita, & sperata pulcherrima delectatione doctrinæ per tentationes varias, quasi per hujus sæculi noctem tolerantia laboris adhæserit, velut præ Rachele Lia inopinata conjuncta sit, & hanc sustinet, ut ad illam perveniat, si perseveranter amat, acceptis aliis septem præceptis: ac si dicatur ei servi alios septem annos pro Rachele, ut sit pauper spiritu, mitis, lugens, esuriens, sitiénsque justitiam, misericors, pacificus. Vellet enim homo, si fieri posset, sine ulla tolerantia laboris, quæ in agendo, patiendóque amplectenda est, statim ad pulchræ, atque perfectæ Sapientiæ delicias pervenire; sed hoc non potest in terra morientium, quod & Jacob videtur significâsse, cum dixit: *Non est in loco nostro consuetudinis, ut minores ante tradamus ad nuptias*: hinc subdit Augustinus: *prior est in rectâ hominis eruditione labor operandi, quâ justa sunt, quàm voluptas intelligendi, quæ vera sunt*, hactenus D. Augustinus loc. cit.

Genes. 29.

Assumitur etiam jejunium ad pellendos Dæmones, eorundem tentationes superandas, suggestiones pravas retundendas, & opitulante Numine ad triumphos deferendos, quapropter Christus ait: *Hoc genus non ejicitur, nisi per orationem, & jejunium*. Vel ad Deum promerendum, & colendum sicut Anna Prophetissa, de qua dicitur non discessisse de templo, & Deo inservisse jejuniis, & obsecrationibus noctè, & die; huc etiam pertinet, quod narratur: *Ministrantibus illis Domino, & jejunantibus dixit illis spiritus sanctus: segregate mihi Saulum, & Barnabam, in opus, ad quod assumpsi eos, tunc jejunantes, & orantes, imponentésque eis manus, dimiserunt illos*; ut inde disceremus nullum aggredi opus præsertim arduum nisi præmissis jejunio, & oratione, sunt enim veluti geminæ præviæ faces accensæ, quæ inter caligines, noctémq; hujus vitæ nobis iter ostendunt, & 29.

Matth. 20.

Act. Apost. cap. 13.

ad

ad concupitum perducunt terminum: assumi etiam solet jejunium orationis subsidio corroboratum ad exposcendam veniam, Deúmque placandum, hinc Joël ait Deus: Joël. c. 2, 12 *Convertimini ad me in toto corde vestro, in jejunio, & in fletu, & in planctu.* Ammonitis, Moabitis, & Syris congregatis, ut pugnarent contra Josaphat, quem unà cum Judaico populo prosternerent; Rex totum se contulit ad rogandum Dominum, & prædicavit ieiunium universo Lib. 2. Paralip. cap. 20. populo, ut habetur in scripturis. Et ieiunium Josaphatū defendit, hostiúmque impetus coërcuit, ictúsque retudit. Esther aditura Regem Asuerū, quem precibus suis averteret à cruenta clade Judæorum parata ab Amano gentis Judaicæ infensissimo hoste, ieiunium Judæis omnibus in Susam commorantibus indici iussit, & ipsa unà cum suis ancillis ieiunare pariter decrevit. Propitiando Numini nil ieiunio aptius, hoc enim delectatur Deus, hoc ipsi præ cæteris placet si præsidio muniatur orationis, & abstinentiam secum trahat, non solum ab esculentis, & poculentis; verùm etiam à vitiis. Id fuerunt experti Ninivitæ, quia enim orbs illa ob patrata scelera mox evertenda non solùm infantulorum cunis, sed & iumentorum præsepiis jejunia indixit, & iustam Numinis conceptam iram declinavit, & Deum per ieiunium habuit propitium, quem per patrata scelera noverat sibi iratum: & quidem ieiunium gratum esse Deo nemo est, qui ambigat, cùm & primis hominibus illud indixerit, & Magister Matth. 6. Christus suos edocuerit fideles: *Tu autem cum jejunas unge caput tuum, & faciem tuam lava, ne videaris hominibus jejunans, sed patri tuo, qui est in abscondito.*

30. At si delectatur Christus ieiunio, crapulis lætatur satanicus hostis, qui nullis potioribus armis hominem adoritur, quàm ieiunii violatione, cibique ingestione, hinc ieiunanti Matth. 4. v. 3. Christo in eremo dixit dæmon: *Dic ut lapides isti panes fiant*, quia cùm vidisset eum ieiunio communitum desperavit ullam posse de ipso victoriam referre, & quem impastum, ac ieiunum timuit; sategit cibo aliquo repletum lacessere, ac expugnare; & eò visus est cacodæmoni Christus expugnatu difficilis ieiunio loricatus, ut miraculum etiam exposceret, quô munimine ieiunii eum expoliaret, ut pulchrè notat Chrysologus inquiens: Serm. 13. *signum panis petit, qui signum jejunij pertimescit. Signum panis petit, ut jejunij tremendum sibi refugiat signum:* viderat satanicæ nequitiæ arma omnia corruisse, ubi agnoverat ieiunia observari; ideóque enixim petit, ut lapides panes fiant, quibus ieiunii observantia disrupta quasi fracto clypeo validiùs posset eum aggredi, & per cibum prosternere, quem per ieiunium vincere desperaverat: noverat enim cibum exuberantem, potùmque nimium, esse prudentiæ nubilum, spiritûs imbecillitatem, rationis caliginem, mentis soporem, luxuriæ fomentum, & erroris illicium; & è contra ieiunium esse spiritûs munimen, fidei vexillum, castitatis propugnaculum, sanctitatis trophæum, murum spiritûs, & contra ictus omnes cacodæmonis impenetrabile scutum; frœnúmque pravis omnibus affectibus coërcendis peraptum: ieiunium sanitatem tum animæ, tum corporis tuetur, quam saturitas destruit; ieiunium serenitatem mentis advehit, quam saturitas abigit, & obnubilat; ieiunium cordis tranquillitatem accersit, quam repletio excludit; ieiunium virtutibus favet, & saturitas nonnisi vitia fovet, hinc Ambrosius ait: *Quis deterioravit domum suam jejunio? quis imminuit facultates? cui non suspecta luxuries? cui non venerabilis abstinentia? cujus* Tom. 4. lib. de Elia, & jejunio cap. 8 *torum appetivit parsimonia? cujus pudorem non læsit ebrietas? Jejunium continentiæ magisterium est, pudicitiæ disciplina, humilitas mentis, castigatio carnis, forma sobrietatis, norma virtutis, purificatio animæ, miserationis expensa, lenitatis institutio, charitatis illecebra, senilis gratia, juventutis custodia. Jejunium est bonum itineris viaticum, bonum totius vitæ. Qui grave dicunt jejunium esse, respondeant, quis jejunio defecerit? Multi in prandio, plerique dum vomuerunt epulum, fudêre animam. Quod postremò animal jejunium sibi causam fuisse mortis ingemuit? Per escam laqueus non cavetur, in esca hamus latet, & cibus deducit in foveam, cibus inducit in retia, cibus visco etiam aves alligat, volantes deponit ad mortem. Jejunium sobrietas mentis est, hoc vigent sensus, in hoc judicia tractantur. Jejunium custodit Disciplinam, luxuriam sequitur copia. Jejunium quietem diligit, luxuria inquietitudinem. Obsonator est, qui antequam sol luceat, fores alterius pulsat & tanquam bellum immineat, excitat dormientes. Turbatum vides, anhelantem averteris, interrogas, quæ causa perturbationis sit: Poscit, inquit, dominus meus, ubi vinum melius, ubi sumen mollius, ubi phasianus pinguior; ubi piscis recentior veneat.*

Stomachi repletio, ventrisque satietas, 31. mentis inducit vacuitatem, ac virtutum dissolvit studia, hominémque saturum à statu deiicit hominis, qui per gulæ indulgentiam obbrutescit, cum per ieiunii observantiam angelicam sublimaretur in naturam, idque haud obscurè subindicat Clemens Alexandrinus 7. Stromat. asserens, ieiunium esse ænigma, quo homo significatur, inquiens sententiosè, *Novit ipse jejunij ænigmata*, sed quale sit hoc ieiunii ænigma explicatu sanè videtur difficile: scio, ænigma nil minùs significare, quàm quod magis videtur indicare; adeò ut tota laus ænigmatis abstrusio sit sensûs, & significati occultatio. Sed si virtutem pensemus ieiunii, facilè quid homo ieiunans significet deprehendimus, cùm enim ieiunium studia iuvet virtutum, castitatem foveat, spiritum nutriat, animam reficiat, concupiscentias coërceat, carnis lenocinia cohibeat, iræ impetus retundat, & interiorem hominem componat, iuxta dictamina rectæ rationis, quibus homo vivit ut homo, operatur ut homo, loquitur ut homo, &

cogitat ut homo, profectò ænigma ieiunii hominem subindicat sobrium, & quem nulla ciborum sarcina gravat, nullum esculentorum pondus premit, nulla poculentorum affluentia obruit, sed stomacho vacuo, ventre inani, mente serena salubrior viget, operatúrque ut homo; adeo ut homo ieiunans ænigmaticè hominem subindicet cogitantem, loquentem, & operantem, quæ hominem decent, proinde pulchrè dixit Clemens Alexandrinus: *Novit ipse jejunij ænigmata*, quia homo ieiunus verum adsignificat hominem, quasi anceps hæsisset, num homo satur & gulæ indulgens sit homo, & num potius in bruti degeneret naturam: ait enim Gregorius Nazian. Orat. pro S. Basilio: *Saturitate ad eos abiverat, qui ad brutam naturam propiùs accedunt, quorumque servilis, atque in terram prona vita est.*

## §. IV.

### *Ubi saturitas est ventris; ibi sanitas exulat mentis: & heluones in bruta degeneres fædè pravis inserviunt Affectibus.*

31. Heluones qui ut comedant, vivunt; non ut vivant, comedunt, sensim in belluinam desciscunt naturam, morésque induunt brutorum: siquidem ciborum nimietate mentis hebetatur acies, extinguitur lumen, infringitur vigor, sopitur ratio, cuius usu homo destitutus fœdè obbrutescit, ac è sana mente deiectus, à natura abalienatur hominis, cuius est ratione duci; hinc Clemens, vocat gulæ indulgentiam, gutturis insaniam inquiens: *Insania circa guttur*, quia saturitas quasi usque adguttur hominem insaniâ replet, fitque propterea comessatio, quædam hominis dementatio, quâ à vero deiicitur hominis statu, & greges inter pecudum, usu destiturus rationis deiicitur: imò homo ciborum ingurgitatus congestâ sarcinâ, multóque madidus vino; non potest non vitiis omnibus coinquinatus moribus esse profligatissimis, quia sicut ieiunium ænigma est, quo sanctitaris indicatur excellentia, & interioris hominis ad normam virtutum omnium restauratio: siquidem, ut ait D. Chrysologus: *Jejunium scimus esse Dei arcem, Christi castra, castitatis signum, sanctitatis trophæum, & quod Joannem inter natos mulierum fecit esse majorem.* Ita gulæ intemperantia ænigmaticè significat hominem moribus perditissimis, vitiisqoe fœculentissimis deformem; quia ut loquitur Clemens Alexandrinus: *Hu, qui ad luxum mensarum propensi sunt, præest Dæmon, belluo maximus, quem ego non vereor appellare ventridæmonem, seu cohabitantem dæmonem*; quia nimirum heluones, qui in symposiis gulæ indulgent, cibis stomachum opplent, multóque madent vino, ventridœmonem intrinsecùs nutriunt, & cacodœmonem intus obsidentem alunt; fitque propterea immodica ciborum ingurgitatio dœmonis habitatio, & sicut per saturitatem attrahitur dœmon; ita

Lib. 2. Pædagog. cap. 1.

Serm 8.

7. Strom.

per inediam abigitur: neque satanicis hostibus profligandis ulla sunt arma servatis ieiuniis aptiora: appositè Tertullianus ait: *Adversus duriora dæmonia jejunijs præliandum. Quid enim mirum si eadem operatione spiritus iniquus educitur, quâ sanctus inducitur*, nimirum stomachi vacuitas cordis dilatat spatia sancto replenda spiritu, quæ ciborum ingurgitatio occludit; & concupiscentiæ aperit, accenditque fornaces, in quibus vitia æstuant, hominémque intus exagitant, maligno veluti spiritu sus dèque interna omnia vertente, ac invettente, ut notat Tertullianus *lib. de jejunio adversus Physch. cap. 16.* ubi explicans illud D. Pauli: *Quorum Deus venter est* ait de comessationis idololatria, *Deus tibi venter est, & pulmo templum; & aqualiculus altare; & Sacerdos coquus, & sanctus Spiritus nidor, & condimenta carismata, & ructus prophetia. Apud te agape in cacabis fervet, fides in culinis calet, spes in ferculis jacet:* sicque paucis prægnantibus verbis totam graphicè describit Tertullianus heluonis religionem, cujus Deus aliud non est, quàm venter; hinc non mirum si in capite primo dixerit, comedones Paraclito controversiam movere, inquiens de heluonibus. *Hi Paracleto controversiam faciunt*, quia nimirum ciborum satietas sancto est inimica Spiritui, cujus gratiæ videtur renuntiâsse.

Lib. de jejunio cap. 4.

1. ad Philip. v. 19.

Idque causæ Jobo fuit, perniciem timendi toti familiæ, eò quia ejus filii per instructa convivia gulæ indulgerent: *Cúmque in orbem transiissent dies convivij, mittebat ad eos Job, & sanctificabat illos, consurgénsque diluculo offerebat holocausta pro singulis; dicebat enim, ne fortè peccaverint filij mei, & benedixerint Deo in cordibus suis:* tametsi Jobi filii per instructa convivia, ac mutuæ benevolentiæ obsequia fraternam religiosè charitatem foverent, verebatur tamen S. Job, ne reciprocis indulgentes conviviis, vitiis coinquinarentur, & benedicerent Deo in cordibus suis; sed si filii erant in conviviis Deo benedicturi in cordibus suis, quid Jobus timet? id enim timetur, quod in nostram cedit perniciem, & malum quodpiam secum advehit; & si Deo benedicere bonum est, & in nostram hæc benedictio vergit salutem, quid Jobus timet? quam ob causam angitur? si ejus filii simul convivantes sint Deo in cordibus suis benedicturi? Non me latet, verba hæc Jobi non modicam sacris Interpretibus difficultatem ingerere, ac explicatu censeri difficillima. Sunt tamen qui appositè ad rem nostram, illud *benedixerint* asserant perinde significare, ac valedicere, & sensus sit: *ne fortè peccaverint filij mei & vale dixerint Deo in cordibus suis*. Qui enim vale dicit amico ab illo discedit, séque ab ejus præsentia sejungit: & per peccatum avertitur homo à summo bono, discedit à Deo, à quo per lethalem noxam prorsus elongatur, ideóq; rectè præmiserat Jobus, *ne fortè peccaverint filij mei*, quia peccantes vale dicunt Deo, à quo se avertunt, in quo sensu

32.

Job. c. 1. v. 5.

con-

congruè explicantur verba Jobi; timuit enim pius pater, ne ejus filii esculentis, & poculentis indulgentes, & voluptatis deliniti peccarent, & Deo benedicerent, seu valedicerent, discederéntque à summo Bono, à quo se per peccatum averterent; cùm non lateret S. Jobum, cupediarum delicias, ciborum ingurgitationes facilè hominem à Deo avertere, ideò timuit, ne ejus filii per frequentata convivia à Deo abscederent, se à summo Bono avertentes, per peccatum aliquod, *ne fortè peccaverint filij mei*, quia comessator, ventri faciliùs adhæret, quàm Deo, & menti.

14 Quòd si per gulæ delicias avertitur homo esculentis satur à suo Numine: per jejunium, ac stomachi vacuitatem promptiùs ad ipsum fit conversio; gaudet enim Deus stomacho jejuno in homine, adeò ut solum jejunium adeo sit Deo gratum, ut ipsum solum sufficiens sit ornatus in homine, quo Verbo divino hospitium apparat. Sunt, qui non rabs re quærunt, cur ut æterni Patris filius Caro fieret in utero Virginis, fuerit ipsa virgo omnibus ornata gratiis, instructa cœlestibus favoribus, cumulata donjs; fuerítque propterea à Gabriele Archangelo salutata gratiâ plena, seu tota oppleta, ut nil vacui in ipsa esset; & idem Verbum divinum latens in speciebus Eucharisticis, ac hominum pectora ingressurum, tot in nobis non exigat virtutum ornatus, nec gratiarum plenitudinem, cùm tamen Eucharistia, ut notat D. Chrysostomus, extensio sit Incarnationis.

15 Quòd si cùm primùm æterni Patris Filius primam inchoaturus incarnationem in Virginis utero, eam sibi apparat habitaculum omni ornatu venustum; cùm gratiis omnibus non solùm Virginem voluerit cumulare, verùm & præservare ab originali reatu, eámque prævenire, ne debitum proximum contraheret illud incurrendi: cùm tamen sub Eucharisticis speciebus nostra ingressurus pectora, tantùm munditiem exigat à noxa lethali, & scopâ salutaris pœnitentiæ purgatam velit conscientiam nostram à gravibus delictis: cur igitur, si Dei filius uterum ingressurus Virginis tot gratiarum prærogativis eam insignivit, tot donorum cumulis locupletavit, tot virtutum honestamentis exornavit, ut in ea habitaculum sibi pararet, quod ipsi placeret; cur nunc sub Eucharistico velamine nostra ingressurus pectora non uberiora ornatuum incrementa à nobis exigit? Dixerim id fortassis obtingere, quia aliquid in homine ad sacram accedente synaxin inveniat, quod ornatuum suppleat defectum, vicésque quasi gerat gratiarum omnium; sed quid erit in homine hoc tam insigne supplementum? Respondet Strabus Fuldensis *jejunium* id præstare, quod ab ecclesia exigitur ad sumendam Eucharistiam; explicans enim illud Jonæ: *adhuc quadraginta dies*, &c. ait, *hoc numero Moyses, & Elias, & ipse Christus jejunaverunt: Hic numerus nobis indicitur ad preparandas animas nostras ad esum corporis Christi.* Vult igitur jejunium quadragesimale ea mente ab ecclesia institui, ut præparatio, & ornamentum sit ad dignè sumendam Eucharistiam in paschatis solemnitate, hinc Tertullianus emphaticè ait: *Ipsa natura eis enuntiabit, quales nos ante pabulum, & potum in virgine adhuc saliva exhibere consuevit*, hoc est non solum quadragesimale jejunium prævia est dispositio ad paschalem communionem; verùm & virginitas salivæ, seu os jejunum, quod cum nullo sit cibo violatum *virginea* dicitur *salivâ* imbui, quasi jejunium Virginis matris videatur prærogativam æmulari ob excellentiam, qua insignitur jejunium. Lib. advers. Psych. cap. 6.

Hinc non immeritò miratur D. Chrysostomus, jejunium perinde, ac hostem cædes minitantem, ac humano sanguini inhiantem timeri; adeò ut cùm tempus accedit quadragesimalis jejunii, hoc veluti hostem sibi infensum christiani exhorrescant, ventrémq; stabiliant, stomachum oppleant, hilaria celebrent, bacchanalia agant, comessationibus, & potationibus se muniant, & in id duntaxat videantur studii incumbere, ut ciborum immodico congestu se repleant, & potûs frequentiori haustu madeant, quasi hominis stomachus urbem illam æmuletur, quæ hostis metuens obsidionem vario se commeatu instruit, ne obsidione vallata quidquam ipsi desit. Non ita moris fuisse apud primævos Orientis ecclesiæ fideles meminit D. Maximus, qui refert ad quadragintadiale jejunium precibus, ac mortificationibus se primos illos fideles præparâsse, quo omnium ventrem prævia assuetudine iam dispositum ad esuriales dies adferrent, ait D. Maximus: *Nonnullorum est consuetudo advenientes quadragesima dies devotiori jejunio prævenire*, non igitur timorem ullum debet Christianis jejunium incutere, quod ab ecclesia ad medelam fuit etiam à primis temporibus institutum: quadragesimalis enim jejunii meminerunt quarti, & quinti sæculi Patres, veluti observantiæ, quæ per totam ecclesiam iam inoleverat, & cuius lege Christiani omnes tenerentur; neque sua ætate primum, sed retroactis sæculis institutum iam fuisse, ac in ecclesia universim observatum præsupponunt ut certum; adeò ut quadragesimale jejunium ex Apostolorum traditione servaverit semper ecclesia, & à fidelibus servari jusserit, eò quia Christus Dominus suo nos illud edocuerit exemplo; ac discipulos suos post mortem, & resurrectionem suam jejunaturos prædixerit, *Nunquid possunt filij sponsi lugere, quamdiu cum illis est sponsus? venient autem dies, cum auferetur ab ejs sponsus, & tunc jejunabunt*, hinc Concilium Nicenum *can. 5.* Quadragesimalis jejunii veluti rei in omnibus christiani orbis partibus cognitæ, atque observatæ meminit. Synodus Laodicena quadragesimam supponit non recentis esse institutionis, sed antiquæ traditionis, & in quinquagesimo cano- 16 Homil. in die cinerum sub init. Matth. 9.

canone statuit, ut non oporteat in quadragesima in ultimæ septimanæ quinta feria jejunium solvere, totámque decere quadragesimam cum veneratione transire; magisque conveniat omnem quadragesimam districto venerari jejunio. Primi etiam, & secundi sæculi Patres huius in ecclesia jejunandi consuetudinis meminerunt, ut S. Zeno Antistes Veronensis, & Martyr, qui floruit anno christiano ducentissimo tempore Galieni Imperatoris, hic in sermone de quatuor temporum jejunio ostendens ieiunii utilitatem ait: *Si infantes ab innatis vermibus ne infestentur, non ejs Saccharum, non mel, sed amarior, quam horreant, potiuncula, ijsdem propinatur, ne amarore illo netentur, & ejiciantur vermes. Quid caro nisi vermium popina? In carne crescunt, & animantur peccata: animatos hos vermes jejunium in se amariusculum extinguit, & enecat.*

37. Comparat ieiunium amaræ potiunculæ vermibus extingnendis pueris propinatæ: quia caro nostra spiritui rebellis, perinde, ac contumax infans reluctatur, respuitque hanc jejunii salubrem amaritiem; & tamen vermes vitiorum extinguit jejunium, pravósque enecat affectus, animæ internecionem molientes, ac spiritui insidiantes; sunt enim hi pravi affectus concupiscentiæ, seo carnis vermes, qui nonnisi absynthio mortificationis enecantur, nonnisi ciborum subtractione, ac ieiunii telo confodiuntur, quia ut scribit Apostolus. *Si spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis.* D. Augustinus priscorum Patrum nitidissima gemma loquens de quadragintadiali ieiunio, ait. *Quadragesima sanè jejuniorum habet authoritatem, & in veteribus libris ex jejunio Moysis; & Eliæ, & ex Evangelio, quia totidem diebus Dominus jejunavit, demonstrans evangelium non dissentire à lege, & Prophetis. In qua ergò parte anni congruentius observatio quadragesimæ constitueretur, nisi confini, atque contigua dominicæ passioni? quia in ea significatur hæc vita laboriosa, cui opus est continentia:* & alibi in quæstionibus super Exodum ait: *Non enim frustra quadraginta dies jejuniorum sunt constituti, quibus Moyses, & Elias, & ipse Dominus jejunavit: & ecclesia præcipuam observationem jejuniorum quadragesimam vocat, unde & in hebræo de Niniviti apud Jonam Prophetam scriptum perhibent, quadraginta dies, & Ninive subvertetur: & per tot dies accommodatos humiliationi pœnitentium, ac jejunijs impetrâsse Dei misericordiam.*

Ad Roman. cap. 8.

Tom. 2. epist. 119. ad Januarium cap. 14.

Tom. 4. lib. 2. quæstion. super Exodum quæst. 119.

38. Nequissima fuit urbs Ninive, extorres quasi damnaverat virtutes, ac in exillum egisset studia honestatis, vitiis duntaxat, ac depravatis indulserat affectibus, præsertim concupiscentiæ; petulantia triumphabat in vitiis, quorum fœdissima proluvies in omnes propagata cives, mores corruperat, studia virtutum abegerat, & animos in cœnosam libidinum paludem dejecerat. Pueri adhue in tenella ætate pravis parentum exemplis, vel in ipso materno gremio jacentes vitiis videbantur præludere, & priùs corrumpebantur moribus, quàm causam cognoscerent corruptionis, & antequam scirent esse vitia, vitiis inficiebantur, & à minimis initiis proeursus ad montes fiebat; perinde, ac scintilla cum incrementum subit; res parva, & ferè nullius momenti censetur scintilla, quæ tamen, si fomitem comprehenderit, quamvis parvus sit ignis, excrescit in incendium, & urbes æquè, ac latissimos saltus, regionésque consumit: & quia tota urbs vitiis coinquinata nonnisi scelerate facta coacervabat, & ex prava consuetudine flagitia flagitiis addebat, ut malitia duntaxat triumpharet fœdo quidem, ac sordido aspectu; decrevit Deus ad eam Jonam Prophetam, à quo urbs ad saniorem frugem, & ad vitæ melioris studia revocaretur. Ivit Propheta, sed quia quadraginta dierum inducias addixit, quibus lachrymis pœnitentiæ contractas possent cives vitiorum labes eluere, & vitia pœnitentiæ flagello abigere, non solùm ex domibus privatorum, verùm & ex tota urbe, Rex omnibus jejunium indixit, & quidem in cinere, & cilicio inquiens. *Homines & jumenta, & boves, & pecora non gustent quidquam, nec pascantur, & aquam non bibant.* Rex verò, qui legem tulit, eandem subiit sacco, & cilicio indutus, cineréque obductus jeiunium inchoavit, & mox post illum cæteri, eò quidem libentiùs, quò Rex exemplo iisdem præiret. Quid ni; cùm obtemperâssent Regi cives, ac sua scelera jejunio, & cilicio mulctâssent, resiliit à superiore illo severiore proposito Deus, cuius bonitas est retractare sententiam, si impius mentem mutet. Jonæ 3. *Et vidit Deus opera eorum, quia conversi sunt de via sua mala, & misertus est Deus super malitiam, quam locutus fuerat, ut faceret eis, & non fecit.* Jona 3. v. 7.

Sed cur dicitur Deus vidisse opera eorum? cur potiùs non commemorat commune civium jejunium? præsertim cùm non solùm hominibus, verùm & jumentis indictum fuerit? quod enim hominibus indicatur jejunium, id moris est ad Numinis iram avertendam; sed quòd pecudes, ut jumenta, in quibus ratio non viget, legi obstringantur jeiunii, insuetum saltem id fuit, & cur non potiùs huius insueti ieiunii meminerit Deus, ut inde conjicere possemus, placuisse solemne illud ieiunium Deo, qui propterea sententiam urbis subvertendæ retractaverit? Theophilactus hanc solvens difficultatem ait, respexisse Deum opera Ninivitarum, & non jeiunium; quia licèt hoc plurimum ad veniam impetrandam valuerit, non tamen fuisset per se solum sufficiens, quod Deum propitium redderet, nisi Ninivitæ etiam mores correxissent, & bona opera exhibuissent: si enim victum Ninivitæ tantùm à se abdicâssent, & non vitium, nil 39.

for-

fortassis obtinuissent, quia jeiunium nisi immune sit à vitiis suam deperdit efficaciam.

40. Parum prodest carni subtrahere esculenta, & poculenta, & vitiis suppeditare fomenta; id enim perinde est, ac exteriùs virtutem excolere, & intus vitium enutrire: & tunc etiam virtus in scenam accitur. Sunt histriones, & scenici, qui exteriùs virtutis honestamento videntur insigniri, cùm tamen improbis affectibus, fœdisque concupiscentiis intus famulentur, pulchrè Chrysologus. *Illa justitia, quæ est hypocrisis, justitia non est, mentitur oculis, fallit aspectum, videntibus illudit, decipit audientes; seducit turbas, trahit populos, famam vendit, emit clamorem, fit saeculo, Deo non fit.* Histrio regiam in theatro personam agens pretioso ornatu fulgens exteriùs, regium præsefert splendorem, proditque Principis Maiestatem, cùm tamen plerumque interiùs fordeat infamis: qui exteriùs jeiunium simulant, & quod corpori subtrahunt alimenti, vitiis intus nutriendis uberiori compensant fomento, hi histriones sunt, quia exteriùs virtutem ostentant, & intus pravitatem fovent. *Serm. 9.*

42. Moris fuit, quo olim victimarum examinarentur præcordia, ut sacrificia placerent, quia si interanea, seu exta victimarum excelsa fuissent, aut depravata; victima tunc utpote vitiata reiiciebatur, quia Deo minùs placeret; hinc Tertullianus aiebat: *Ei offere optimam, & majorem hostiam, quàm ipse mandavit, orationem de carne pudica, de anima innocenti, de Spiritu Sancto profecta.* Non est oblatio Deo grata, si exteriùs thus adoleatur, & intus concupiscentiæ æstus nutriatur; illudere est, non sacrificium Numini offerre. Arabicæ arboris lachrymas exteriùs in acerris consecrare, & intus depravatis affectibus inservire, id perinde est, ac externo odore internum fœtorem obtegere; non Arabicæ arboris sunt lachrymæ quærendæ, quæ Numini consecrentur; sed fletus è corde extorquendi, ut lachrymæ ab oculis fluant; hæ sunt, quæ suaviter olent, quia lachrymæ vitia non contegunt, sed extinguunt. Israëlitæ non solùm aquam effuderunt, sed etiam coram Numine. *Hauserunt aquam, & effuderunt in conspectu Domini*, sed si nil Numinis subterfugit præsentiam, si nil divinæ perspicaciæ potest oculos effugere, supervacaneum videtur nonnisi in conspectu Domini haustos effundere latices? Sed non vacua mysterio fuit effusio: Effuderunt aquam, non ut oculos fallerent, sed ut peccata delerent, ut notat Caietanus, inquiens: *Quod autem dicitur in conspectu Jehovah, ad testimonium spectat, quod in veritate intus se habebant, quemadmodum foris effundendo aquam significabant.* *In Apologet. cap. 30.* *Lib. 1. Reg. cap. 7.* *Ibid.*

43. Non igitur frustranea fuit effusio illa in conspectu Domini: quia persæpe interior affectus ab actu dissidet exteriori, qui oculos fallit, ideòque Ninivitæ non contenti, victum à se abdicâsse, vitium etiam per bona opera intus exercita, verósque resipiscentiæ actus abigere, ac prorsus extinguere voluerunt; & sicut publicum fuerat urbis illius scandalum, ita & publicum voluit exemplum præbere, ut ægritudini curandæ responderet pharmacum adhibendum; non enim debet quis studiis incumbere virtutum, ut intuentium alliciat aspectum, plausúmque lucretur evanidum, *Is enim*, ut ait Chrysologus, *Præmium non quærit in futuro; obcæcat oculos, & non videns vult videri: propter quam cæcitatem Christus præsenti sic inchoat in præcepto. Attendite, hoc est, ne gestiatis attendi, ne justitiam vestram faciatis coram hominibus.* Prima jeiunii nostri cura sit à vitiis intus abstinere à concupiscentiæ illecebris voluntatem retrahere, & pravos omnes prorsus excutere affectus. *Jejunium, quod est contra vitia*, ait Chrysologus, *prima virtus est nobis, in arce pectoris collocetur, quia ille in interioribus præsidente, vitia nos quatere in interioribus non valebunt*, pravi, qui contra nos intùs insurgunt affectus vires deperdunt, si pectus nostrum jeiuniis deprehenderint communitum. Olim aristem asperrimum, ac bellicum instrumentum muris evertendis, ac urbibus expugnandis scimus adhibitum; sed jeiunium valentior virtutis aries, si in pectore collocetur, pravos quósque prosternit affectus, qui non ampliùs nos quatiunt, sed jeiunio corruunt ipsi expugnati, quia sicut aqua maculas abstergit, ita jeiunium æstus concupiscentiæ extinguit, & quas per pravos affectus contraximus, labes eluuntur. *Serm. 9.* *Serm. 7.*

## § V.

*Coërcendis pravis omnibus affectibus nullum frænum aptiùs jejunio, quo carni alimenta subtrahuntur.*

43. Reprimendis carnis nequitiis nil ieiunio fortius, quia dum corpori subtrahuntur alimenta, suo destituitur concupiscentia fomento, & quò plus caro conteritur ieiuniis, eò paratior fit, ac expeditior ad parendum spiritui: experimur nucum arbores repetito lapidum iactu ad fertilitatem provocari; asini tarditatem fustibus stimulari; marini aselli duritiem malleis diverberatam amolliri; equi refractarii incessum lentiorem calcaribus incitari; negligentiam famuli virgis emendari; projectam mancipii licentiam compedibus frangi, pueri insolentiam colaphis corrigi. Perinde carnis petulantia, sicut nux, vel asinus incessu tardus, vel equus cespitator, vel famulus insolens fræno, calcaribus, virgisque est coërcenda, & præsertim ieiunio, quo esculenta ei subtrahuntur, ne insolescat, unde Syracides. *Cibaria, & virga, & onus asino: panis,* *Eccles. cap. 33. v. 25.*

*panis, & disciplina, & opus servo*, famulatur caro spiritui, victus ei debetur, sed tenuis, ac modicus, quò sustentetur, non insolescat:scitèSeneca ad rem nostram scribit: *Hanc ergo sanam, & salubrem formam vitæ tenere memento, ut corpori tantùm indulgeas, quantum bonæ valetudini satis est. Duriùs tractandum est corpus, ne animo malè pareat, cibus famem sedet, potio sitim extinguat, vestis frigus arceat, domus munimentum sit adversus infausta corpori.* Necessaria tuendæ valetudini corporis rectè conceduntur indigentiis; sed superflua pravè indulgentur. Refert Nicephorus ab Evagrio Macharium Anachoretam fuisse in eremo revisum, cúmque Evagrius ex itineris fatigatione sitis contraxisset æstum, frigidam, quæ conceptum calorem temperaret abAnachoreta petiit; sed Macharius ad illum vultu placido, frontéque sereno air, fili mi, contentus esto hac umbra, plures enim sunt viatores, qui intentiori æstuant calore, & illâ carent. Plures etiam sunt, qui æquora traiicientes hoc destituuntur solatio. Tunc Evagrius sicut vir erat mitissimi ingenii contentus oblatæ sibi umbræ ad lætam compositus tranquillitatem de temperantia cœpit sermones miscere, ac de excellentia huius virtutis fusiùs differere. Cui tandem Macharius, hæc quæ dixisti, vera sunt, & ipsemet fui expertus; nam totis viginti annis nunquam panem, aut frigidam, aut somnum ad satietatem admisi, nunquam cibo tametsi rudi, & neglecto stomachum replevi, neque corpori indulsi, sed panem silicineum ad modicum libellæ pondus comedi, & aquam ad mensuram parcissimam bibi: & cum fatigatione cogerer parieti acclinis exiguum duntaxat somni partem sumpsi ad labentium virium restaurationem. Non delicatioribus duntaxat esculentis, & poculentis pretiosioribus virtus labefactatur temperantiæ, sed etiam cibo rudiori, si hoc supra ruendæ valetudinis exigentiam stomachus onetetur.

Epist. 8.

Lib. 11. hist. eccles. cap. 43.

44. Jejunium verò, ut ab abstinentia distinctum, afflictio debet esse, & maceratio corporis; quapropter Esthera *lib. 1. cap. 8.* Commendans jejunium iniungit, ad idesse hoc instituendum, ut corpus suum inde sentiat incommodum, & afflictum parère discat spiritui, & non insolescere, ait ipse, *Et prædicavi ibi jejunium juxta fluvium Abava, ut affligeremur coram Domino nostro, & peteremus ab eo viam rectam nobis.* Quòd si jejunium esse debet afflictio, etiam in faba, cicere, ac olere possunt leges infringi jejunii, fabas enim, & cicer ita subinde condimus, ut nullam inde corporis sentiamus afflictionem, quin potiùs gulæ illecebram. Etiam ab Israëlitis præ manna cepæ esuriuntur, & allia; Gulæ luxuries etiam in olere regnat; & in cepis, fabisque triumphat, & Bacchus ipse, subinde vel in pisis debacchatur; neque ludit duntaxat inter legumina voluptas, sed etiam continentiæ illudit: æquè enim de parcitate triumphat, polluta gramine, ac aromatibus palludata; & licet suos, olim gula triumphos explicaverit in pateris, succinsque Perlarum: hodie etiam in Asceteriis, ac intimioribus solitudinis recessibus videtur subinde lascivire in fictilibus, & in cotyla triumphare Diogenis. Plures nunc minus jejunant, cum magis sibi jejunare arbitrantur; glisçit enim voluptas in olere, imò & repit in vimine; quòd si luxuriare licet in lente; qualem non aget gulæ luxus in pollice triumphum? Si enim jejunantium cœnas lustremus non macies, & horror mensarum nobis obiicitur, sed delicatioribus in epulis luxus, rubet ibi mullus, fumat accipenser, quibus, ut sapidiùs vellicetur guttur suorum acrimoniam aromatum suppeditat India; & voluptatis subsidia ipso etiam reclamante Neptuno ab extremis Eoi orbis partibus transvehuntur.

45. Non ita suis cum Levitis jejunavit Esdras, cum jejunium prædicaverit, quo jejunarent coram Domino. Prima enim virtutum in viris divino addictis cultui, jejunium est, sed ardua virtus, & rara, vel in asceteriis, si ad id assumatur, quo corpus affligatur, & caro spiritui penitus subiiciatur, ne insolescat per depravatos, qui in appetitu tum irascente, tum concupiscente consurgunt affectus: etiam Prophetæ pœnas violati jejunii dedêre. Jacuit Propheta à leone discerptus, quia licèt Regem, & terruerit, & afflixerit, sibi tamen imperare, haud potuit, quin panem, & aquam præcepto præferret sibi injuncto. *Quia non obediens fuisti ori Domini, & comedisti panem, & bibisti aquam, non inferetur cadaver in sepulchrum Patrum tuorum:* & tamen hic deceptus fuerat à sene, qui se monitum aiebat ab Angelo de eo excipiendo, ac reficiendo. Quòd si is, qui manducat invitus, imò & deceptus, adhuc à leone discerpitur ob non servatum jejunii præceptum; qualia non manebunt eos supplicia, quos gulæ illecebræ ad epulas pertrahunt? rara est avis, quæ objectâ sibi escâ non alliciatur ad rete, aut viscum, vel non solicitetur ad laqueos.

Reg. lib. 3. cap. 13.

46. Una duntaxat gulæ voracitas victimis Abrahæ fuit insidiata, tametsi per ipsas transierit ignis innoxius, & clibanus fumans nihil attulerit damni. *Cum ergo occubuisset sol, facta est caligo tenebrosa, & apparuit clibanus fumans, & lampas ignis transiens inter divisiones illas:* & tamen Abraham, qui nec flammas discurrentes timuit, neque fumantis clibani volumina; à vulneribus expavit, ab avibus timuit, quas abegit, licèt rogum non extinxerit, nec clibanum abiecerit: si flamma victimis absumendis est aprior, cur Abraham non potiùs satagit flammas extinguere, quàm aves abigere? an victimis nocentior alauda, vel ficedula, aut lu-

Genes. 15. cap. 17.

luscinia esse potuit igne, quem Abraham neque extinxit, neque excussit? Quòd si magis timuit in Holocausto suo à volucribus, qui à flammis non extimuit; unde tantus, vel in volucre æstus, & tantum in igne frigus? quia nimirum volucres gulæ illecebrâ trahebantur, ideóque expavit Abraham gulæ rapacitatem; licèt ignis haud timuerit voracitatem: rapacitas gulæ erat vitium; voracitas naturæ indoles, ideóque Abraham volucres abegit, ne victimas rostro
Genes. 15. v. 11. discerperent. *Descenderúntque volucres super cadavera, & abigebat eas Abraham.* Sed ex qua causa descendisse feruntur aves super cadavera, non super holocaustum? an quia avium expressurus voracitatem vates iis est usus nominibus, quibus ingluvies utitur, quò liberiùs grassetur etiam in victimas? Gulæ vitium adeò cæcutit, ut à lanienà aram non distinguat, mistímque dapes simul, & hostes coacervet. Ubi gulæ dominantur illecebræ, ibi nonnisi enecta suspiciuntur cadavera, mox in stomacho veluti cœmeterio sepelienda: nil ibi sanctum, nil purum, sed omnia turpia, ac fœda.

47. Non obscurum hujus dedit fœditatis documentum puer filiorum Heli; qui capturus è sacrificiis adipem nunquam fertur
1 Reg. c. 2. v. 15. hostias nominâsse *Veniebat puer sacerdotis, & dicebat immolanti: da mihi carnem, ut coquam sacerdoti: non enim accipiam à te carnem coctam, sed crudam*, sanctitatem dehonestat sacrificii, religionem deturpat victimarum, quas carnem vocat, non victimas sacrificio, & altari destinatas, cùm esset eas voraturus ipsum puduit victimæ, & ejus carne exsaturari. Quid ni in templo voluptatis etiam ipsa holocausta, vel caro sunt, vel cadavera; quòd si gulæ inurbanitas in victimas lævit altaris, ut palato serviat illecebris, quid non aget intemperantia? Ignis nonnisi post illis occasum in sacrificium intulit, & hostias non absumplit, nec læsit. Aves verò quas gulæ illecebræ traxerunt ad altare statim in holocaustum irruêre. Quid a gulæ intemperantia tutum, cum vel ipsæ victimæ tutæ in ara non sint?

48. Ubi gulæ pruritus palatum titillat, ibi pretiosiora quæque, & sanctiora venum, pessúmque dantur, quò gulæ satisfiat, & ventri. Etiam in domo Isaaci Patriarchæ jura primogeniti viliori venduntur pretio, quò gulæ indulgeatur, & benedictio uni despondetur pulmento: tanta est epularum aviditas etiam in domo Patriarcharum, in Asceteriis Religiosorum, in regia sanctitatis!
Genes. 27. *Fac mihi pulmentum sicut velle me nosti, & affer, ut comedam, & benedicat tibi anima mea, antequam moriar*, scilicet nisi senis Isaaci propositum elusisset Rebecca, genus Abrahæ à tempore illo ad Christum usque transmissum fuisset ab Esau; sed ne Christus natus esset ex aliena Moabitarum gente, seu ex sacrilega Chanaam stirpe, Numinis providentia fuit, ut Jacob Rebeccæ industriâ ab Isaaco benediceretur loco Esau. Cecidit in Jacob sors, quam Pater Esau destinaverat, & benedictionem, quam sylvester aper erat impetraturus, hædus extorsit domesticus. Mirum tamen, quòd non pudor, qui in genis efflorescebat Jacob; non innocentia, quæ in vultu radiabat; non modestia, quæ in oculis splendebat; non amor filialis, qui in corde flagrabat; non religio, quæ in toto corpore eminebat benedictionem omnium gentium, in Jacob transtulerit, sed pulmentum, quod in patina fumabat. *Quos cum oblatos comedisset, dixit ad eum: accede ad me, & da mihi osculum fili mi.* Genes. 27.
Nimirum Dei agnus uni hædorum Jacob debebatur, & unus fuit ex iis, quos pascere sponsa delectabatur: *Egredere, & pasce hædos tuos ò pulcherrima mulierum*: quasi fuisset sponsa una cum hœdis suis Deum ipsum mercatura; qui enim è filiis Abrahæ primus afferet pulmentum parentibus, is primogenitus enuntiabitur. Isaac ultimo confectus senio dixit ad Esau primogenitum filium. *Sume arma tua, & egredere foras*, Genes. 27. v. 3.
sed quò primogenitus gentis à Deo delectæ, ac initiatæ progreditur, *sume arma tua, cúmque venatu aliquid apprehenderis, fac mihi pulmentum, ut comedam:*

Quid quòd arma Dei exercituum prosternendis hostibus assueta, nunc feris insidientur in sylvis, ut enecentur in venatu? 49.
an non sunt illa arma, quæ tametsi Abraham non adhibuerit in holocausto detinente Angelo brachium, ne Isaaci caput amputaret, iis tamen usus fuit, cum deletis quatuor Regibus captivum Lothum reduxit ad suos? Istæ arma illa Patriarcharum, quibus justorum profligabantur oppressores; quibus in libertatem asserebatur innocentia; quibus stirps Dei propugnabatur, ac religio tuebatur, mox in aprorum transferuntur venatum, & arma Dei exercituum, venationis illecebris destinantur? & fiunt instrumenta voluptatis, quæ insignia fuêre sanctitatis: Deíque pugnantis arma contra innocentiæ oppressores, fiunt contra feras in sylvis instrumenta hominis venatoris? Quid si irruerent Arabes, lævirent Chaldæi, insilirent Elamitæ; quibus militarent armis filii Abrahæ, quibus stirps Servatoris propugnaretur? siquidem Patriarcharum armamentaria hostibus olim assueta propulsandis, nunc hinnulis insequendis, ac feriendis retunduntur; & assueta venatui, non militiæ, non triumphis apparandis, sed pulmentis comparandis tractantur. Ea est voluptatis ærugo, quâ arma adoreis assueta, languescant ollis opplendis. Quamdiu arma Israëlitarum jejunium absterfit; & ollæ pulmentum non infecit, palmas gladius Patriarcatum demessuit, & victorias sibi cudit.

50\. Saul ut innumera propemodum inimicorum evertat castra suis indicit aciebus jejunia, quæ dum inscius Jonatas temeravit, aufugit è manibus victoria: *Extendit summitatem virgæ, quam habebat in manu, & intinxit in favum mellis*: gustavit inscius jejunii Jonatas paululum mellis, & victoriam è suis abegit castris, quia ubi jejunium violatur, ibi arma hebetantur; & qui vincunt jejuni milites, pasti prosternuntur, quia jejunium arma instruit ad victoriam, & palmas, quæ satietas contundit ad excidium, & cupressus, apposite D. Ambrosius. *Intelligimus, quòd Saul hostes non tam virtute militum, quàm militum abstinentia superabat. Denique unius culpa cunctis confertur ignavia, & unius delicto cunctis generatur infirmitas. Deficit enim virtus in exercitu, ut in observatione jejunij.* Saulis exercitus jejunio loricatus impetus coërcuit hostiles, vires infregit, sed cum cœpit jejunium frangi, vel ab ipso inscio Jonata, fractus etiam cadebat exercitus, viribúsque destituebatur, & unus Jonatas pransus à toto exercitu victoriam fugavit: palmæ enim victrices jejunis amant manibus tractari; quia saturæ nonnisi ferales deferunt cupressus: quia si jejunium arma suppeditat ad victoriam, satietas iisdem spoliat ad interitum.

1\. Reg. cap. 14.

Serm. 25.

51\. Moyses è montis cacumine descendens jejunus populum adiuvenit, hàc, illàcque circum erectum vitulum prandentem, & armis destitutum. *Videns Moyses populum, quòd esset nudatus*: scilicet, quòd armis careret, quia tunc cœpit contra hostes armis carere, dum conviviis repleri incepit; tunc è manibus arma abjecit, cùm violato jejunio esculenta in stomachum dejecit, & poculenta, quibus maduit; pulchrè S. Chrysologus. *Moysem divini fervoris fecit lumine perlucere, quando comessatio, & ebrietas Israëliticum populum simulacrorum tenebravit erroribus.* Nimirum effulsit Moyses splendido nitore, quia jejunus; sorduit populus, quia pransus: Moyses jejunio armatus aureum contrivit idolum, vitulum humi prostravit, ac in cineres redegit: populus quia esculentis gravatus, & poculentis madidus vitulum, quem fœdè conflavit, fœdiùs coluit, & adoravit; jejunium splendorem addidit Moysi, satietas caligines effudit, quibus populus obtenebresceret. Sicut igitur clypeo muniti jejunii de prostrato hoste triumphos legimus, eò vegetiores, quò diuturniori farti sumus jejunio: ita satietas arma nostra retundit, & vel nostros pravos affectus contra nos armat: & dæmon omnia videt nequitiæ arma corruisse, ubi agnoscit religiosè observari jejunia; & tunc nos expugnat, cum pransos cognoscit; nos prosternit, cùm saturos nos adoritur; ait enim Chrysologus.

Exod. 32. v. 25.

Serm. 12.

*Capit ille satietatem, voluptatem percipit, expletur epulis, quando nos luxus solvit, libido stimulat, pompa rapit, impellit ambitio*, nostris lætatur cacodæmon crapulis, tunc ad pugnam nos lacessit, cum ad sympòsia perducit; tunc nos prosternit, cùm saturos nos novit, & congestis esculentis gravatos: & ubi caro nostra incipit insolescere, ibi adversarius hominum manus ad palmas extendit: è contra, si in arce detineamur jejunii, nec lacessere nos audet, nec adoriri, quia jejunii arx non facilè expugnatur, nec subruit; siquidem inconcussum abstinentiæ propugnaculum hostiles frustratur assultus, eludit conatus: scitè Chrysologus dicit. *Jejunium fratres scimus esse Dei arcem, Christi castra, murum spiritûs, vexillum fidei, castitatis signum, & sanctitatis trophæum.*

Serm. 12.

Serm. 12.

## §. VI.

### *Nullus hostium est homini nocentior, quàm sua ipsius caro; quæ nisi per esculentorum subtractionem compescatur, pravos omnes affectus in suam obarmat perniciem.*

Non exteros tantùm vincit jejunium hostes, sed & pravos intùs insolescentes affectus cohibet, cum caro esculentorum subtractione infringitur; quò enim caro molliùs enutritur, eò nequiùs nobis eblanditur; efferatur enim, cùm mulctatur; mitescit verò, cùm conteritur; est enim caro perinde ac equus indomitus, qui popismis non placatur, sed solo frœno coërcetur. Quisquis carnem flectere ad obsequia cupit, caveat, ne suaviùs eam tractet, quò enim lautiùs nutritur, eò sæviùs calce ferit, summque excutit sessorem: hinc Daniel Abbas vigorem corporis, animi ajebat languorem esse; quò enim delicatiùs fovetur corpus, eò acriùs ferocit contra spiritum; bellua est, quæ beneficiis non cicuratur, sed magìs ferocit: & tunc tantùm mitescit, cùm verberibus excipitur, castigatione maceratur, jejuniis conteritur; tunc enim rationi obsequitur, ejus dictaminibus non recalcitrat, & frœno jejunii cohibita, flectitur in obsequia spiritus, hinc D. Paulus ait: *Castigo corpus meum, & in servitutem redigo.* Nullus hostium est hominibus nocentior, quàm ipsis sua caro; homo nefarius potest quidem alterius famam conviciis denigrare, honorem proripere, pecunias surripere, imò & vitam adimere; sed tamen vitam immortalem, æternam beatitudinem nunquam potest nolenti eripere: at verò caro plerumque famam, honorem, divitias, ac beatitudinem surripit. Neque Philisthæi sua unquam fortitudine, ac virtute Samsonem spo- 52.

1\. Corinth. cap. 9.

spoliâssent, nisi Dalilam in illum immisissent; hoc est, nisi carnem in ipsum acuissent: est enim hæc illa cacodœmonis malesuada conciliatricula, quæ blanditiarũ illecebris vulnera infligit, cum oscula figit; & venenũ propinat, cum suam exhibet dulcedinem gustandam; & quamvis Ratio de calice Babylonicæ mulieris bibere detrectet, & conscientia renuat, eò quia haustus sit divinis repugnans legibus; caro tamen adeò suis prævalet blandimentis, adeò suis trahit illecebris, ut ad necis haustum persuadeat.

53. Est caro, quæ semper molitur spiritûs perniciem, ac internecionem, adeò ut omnia spiritus damna ab una ei inferantur carne, quapropter D. Paulus disserens de extremo judicio scribit. *Omnes vos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis prout gessit, sive bonum, sive malum.* Sed cur Apostolus propria corporis tantùm nominat, & non propria animi, cum spiritus nobilitate naturæ, ac virium præstantia, potentiarũmque excellentia longè corpori antecellat? quia nimirum, si corpus detrectet spiritui parêre, eique debita exhibere obseqnia, sed illi potiùs adversetur, & ea expetat, quæ dictaminibus rectæ rationis contraria sunt, actum tunc est de spiritu: quia ejus nequitia pia quæque animi desideria abigit, pias excutit cogitationes, & quidquid boni ab ipso concipitur, fœdè corrumpit; ac proinde spiritûs pernicies ab una oritur rebellantis carnis nequitia, à qua virtutibus denudatur, probis affectibus spoliatur, ac pijs destituitur desideriis; perinde ac uxor assueta luxui, mundíque illecebris, ac pompis bona omnia mariti symposiis abligurit, vestiúmque luxu decoquit, lusu æquè, ac luxu pecunias dissipat, & pitissatiunculis furtivis scrinia, totúmque domesticum ærarium exhaurit. Miser tunc est infelix maritus non tam propriâ, quàm uxoris culpâ. Quid ni? spiritus connubium cum carne inivit, sed plenum dissidiis, ac contrarietatibus: si enim spiritus velit frugi esse, caro tunc lautiora expetit convivia: si ille promptus est orationi vacare; hæc in forum illum ducit, & procul à templo per plateas circumducit: si ille eleemosynas vult pauperibus elargiri, eorum opitulaturus indigentijs; hæc manum retinet, arctátque, ne pecuniæ luxui inservientes ad manus transferantur pauperum: si ille studiis virtutum vult incumbere; hæc quia cane, & angue pejor, illa odit; solatia, ac delicias in mundi illecebris exhibet; si ille carnis macerationem, corporis afflictionem intendit, hæc luxui æquè, ac luxuriæ inhiat; sunt propterea, ut ait Apostolus propria carnis mundi illecebris indulgere, voluptatum sectari lenocinia; lusu, ac luxu æquè delectari, labores declinare, mollia quærere, curiosa investigare, lautiùs edere, largiùs bibere, hilariter ludere.

2. Corinth. cap. 5.

54. Hæc sunt propria corporis, quibus spiritus seducitur, & in omne trahitur vitiorum genus; tametsi connubium cum carne spiritus contraxerit, nullum tamen habet spiritus hostem carne deteriorem: & quamvis nil possit caro, si ope destituatur spiritus, nec colorum elegantias videre, nec cantuum harmonias audire, neque odorum suavitates olfacere, neque ferculorum saporibus deliciari, neque tactuum lenociniis demulceri, imò nec pedes, aut manum movere; neque stare, ac vigere; cùm corpus spiritu destitutum exanime corruat, deficiat, corrumpatur, fœteat; ac in cineres redigatur: ea tamen laborat caro ingratitudine, quâ licèt omnem suum ornatum corporis, oris venustatem, oculorum splendores, frontis serenitatem, genarum flores, vigorem membrorum, viriúmque firmitatem à solo mutuet spiritu, huic tamen nonnisi perniciem molitur, ac interitum. Coërcenda igitur est huius interni hostis petulantia, cohibenda ejus audacia; ejúsque contumacia, ac insolentia frœno compescenda jejunii; est enim caro, quæ jugiter ad ea nos trahit, quæ spiritui sunt noxia: frequenter in congressibus, pugnísque vincimur, quia nostra nos caro prodit, quæ propterea jejuniis terenda est, ne in nostram insurgat perniciem; abstinentiâ enim, & jejunio potissimum hic hostis enervatur, coërcetúrque, ne insolescat in spiritum, qui eò sublimior attollitur, quò magis caro deprimitur; vires ille acquirit, cùm ista enervatur; surgit ille, cùm cadit ista; triumphat ille, cum ista expugnatur; integer viget spiritus, cùm caro jejuniis, flagrísque frangitur, hinc illæ Pauli voces. *Cùm infirmor, tunc potens sum*, hoc est, quantò corpus jejuniis, vigiliis, laboribus, ac pœnitentiis atteritur, tantò spiritus vegetior surgit ad culturam virtutum.

2. Cor. 12. v. 10.

55. Redux è Labano socero in patriam Jacob in itinere cis amnem intentus noctè intempestâ precibus fundendis, spectabilem habuit sub diluculum Angelum tutelarem virili tamen specie, à quo ultrò ad luctam provocatur. Congreditur in arenam Jacob cum adversario, manum confert manui, pedem pedi, ea virium contentione, brachiorum agilitate, ac totius corporis nervositate, ut cœlestis colluctator palmam videretur ei concessisse; Angelus enim veluti fortiori cessurus, *tetigit nervum femoris ejus, & statim emarcuit*, nimirum ostensurus suo Antagonistæ, quis esset, cum quo certamen iniisset, os ei femoris luxavit, nervúmque distorsit. Non tamen Jacobi virtus huic succubuit dolori, imò magis se colligens, injectis ambobus brachiis in adversarium, arctò implicat complexu, strictiúsque detinet, donec illucescat aurora, & cognoscens tunc luctationem illam cum Cœlite commissam fuisse, subeunte animum metu, ne parum reverenter fuisset homo cum cœlite lu-

Genes. cap. 32. v. 25.

luctatus, petiit ab Angelo in signum illibatæ benevolentiæ, ut sibi benediceretur, velitque adesse præsidio in proximo præsertim cum fratre congressu. Cui Angelus. *Quoniam si contra Deum fortis fuisti, quanto magis contra homines valebis?* (Genes. 32. v. 28.) cessit luctator cœlestis luctanti Jacobo palmas. Sed hîc anceps hæreo, quomodo Jacob vicisse in lucta dici potest, cùm membro fuerit mutilatus? cum Antagonista os femoris luxaverit, nervúmque ei distorserit? Imò hæc est luctantis Jacobi victoria, nervum femoris fuisse distortum, carnem fractam, & femur attritum; tunc enim vincimus, cùm carnem enervamus, tunc orantes epinicion canimus, cum carnis pangimus epicedia. Vicit Jacob cœlestem luctatorem, quia carnem edomuit, & diuturno itinere, & abstinentia attrivit, sitique subjugavit, cúmque jejunio munitus carnem prostrâsset, facile ei fuit è pugna victor assurgere.

56. Scimus plures bella gentibus movisse, eásque cruenta clade vicisse, in plurésque provincias exteras suam propagâsse jurisdictionem, ut olim Romani bellatores, qui gentium debellatores suum per totum propemodum terrarum orbem extendere armorum vi dominium potuêre; quos tamen scimus, pugnas carnis non vicisse; legimus plures pectora, & corda dedisse mundi voluptatibus, carnis blanditiis, ac voluptatum lenociniis in patria, qui tamen in castris terga nunquam dedêre hostibus; & qui integri stetêre in castris Martis, in pugnæ campis; fracti cecidêre in carnis gynæceo, in castris voluptatum, ac concupiscentiæ illecebris; & victores gentium, vitiorum fuêre captivi: qui steterunt inter cruentatos gladios, fævientes acinaces, fœdè corruerunt enervati inter lenocinantis voluptatis blandimenta; qui Regnis, ac longè, latéque diffusis Provinciis armorum terrorem incussêre, concupiscentiæ demulcentis victi blanditiis, ludibrio fuêre carni; jejuni contrivêre hostium acies in campo, & lautè in patria pransi ciderunt ipsi à vitiis debellati; qui bellicam fortitudinem jejuno stomacho nunquam exuerunt, crapulati suarum castra virtutum dissolverunt; & jacuerunt prostrati epoto vino, qui intrepidi steterunt effuso sanguine. Quid quòd pasti ab imbelli vincuntur carne? qui jejuni adversas acies contrivêre; & bellica fortitudine corroborati hostibus fuêre terrori, qui enervatæ carni fuerunt ludibrio? quid hoc, nisi quia quoties fercula stomachum opplent, virtus evacuatur, & quoties caro lautiùs enutritur, ac corroboratur, suis spiritus destituitur viribus? nam ut scitè Chrysologus. (Serm. 41.) *Quoties ciborum cruditas vitalia deijcit, infirmat stomachum, corrumpit sanguinem, vitiat humores, succendit choleram, extremum febris gignit incendium; toties æger mentem perdit, amittit sensum, fertur desiderijs, urgetur contrarijs, salutaria respuit, quærit noxia, fugit curam: tunc Medici studio parant abstinentia remedio subvenire*: nimirum jejunii remedio subvenitur, ut damna restaurentur, quæ saturitas invexerat; ut sanet jejunium, quod satietas læserat; & subtractio ciborum submoveat, quæ ferculorum ingestio damna induxerat.

Quòd si ad sanandas corporis infirmitates, 57. quas ciborum satietas invexit, ex terreni Medici consilio subtrahuntur gulæ ea ciborum lenocinia, quæ palatum demulcere consueverant; quantò magis ad morbos animi curandos, ad vitia abigenda, quæ contraximus per insolentiam carnia, obediendum est cœlesti Medico nobis hanc ciborum indicenti subtractionem? *si pro temporali cura*, subjungit præcitatus Chrysologus: *ægri Medicis obediunt, servant arduam parcitatem; quare pro sempiterna salute sit durum Christo moderatis obedire jejunijs? corpus gubernare mensurâ? mentem regere parcitate? sensum sobrietate frangere*, qui solari radio sursum è cœnosis, locisque palustribus trahuntur halitus, hi simul congesti in aëre, coactique in nubes, soli ipsi postea nitores abripiunt, aërem fœdant, & offusâ caligine cœlum, terrámque obscurant; imò insolescentes obmurmurant repetito tonitru, irascuntur coruscantibus fulgetris, cædes, necésque minantur fulminibus, quæ subinde è disrupto excutiunt sino in turrium ruinas, domorum incendia, hominum strages: dixerim idem præstare, quæ è putrescentibus in stomacho congestis cibis, ac malè olentibus cruditatibus sursum ascendunt in caput exhalationes: hæ siquidem mentis serenitatem turbant, solem rationis obnubilant, procellas cient, & pluvias distillationum perniciosarum effundunt; quæ plerúmque humores corrumpunt, hominémque interimunt.

68. Neque damna ista aliter avertuntur, quàm per ciborum subtractionem, ac jejunii observantiam, quapropter monet nos Syracides, ne simus avidi in omni epulatione, (Ecclef. cap. 37.) *Noli avidus esse in omni epulatione, & ne effundas te super omnem escam*: parùm refert stomachum repleri hoc, vel illo cibo; sed multum refert nullo gravari, & gulæ appetitui frœnum iniicere jejunii, quia ut pulchrè ait D. Gregorius. (Lib. 30. moral.) *Non cibus, sed appetitus in vitio est. Unde & lautiores cibos, plerúmque sine culpa sumimus, & abjectiores non sine reatu conscientiæ degustamus*, & consonat D. Augustinus, qui expendens illud Apostoli. (Ad Rom. 14.) *Noli propter escam destruere opus Dei*, ait: *Non propter porcum, sed propter pomum mortem primus homo invexit: & Esau primatum suum non propter gallinam, sed propter lenticulam perdidit.* Gulæ appetitus nobis insidiatur, non in pretiosis tantùm cupedijs, sed etiam in

vilium escarum illecebris; ideòque totis viribus, totóque conatu debemus insolescenti gulæ frœnum injicere jejunii; subtractio enim ciborum gulæ coercet appetitum, & carnis compescit petulantiam, concupiscentiæ extinguit æstus febriles, de quibus etiam
Ad Rom. 7. Apostolus conquerebatur: *Scio quia non habitat in me bonum.* Quod si in carne non habitat bonum, utique malum, sed quod malum? nisi concupiscentia? hæc enim dum serpit in carne, accenditur in venis, æstuat in corde, ossa penetrat, medullas pervadit, & in æstum febrilem, in vitiorum phrenesin tandem erumpit; est enim concupiscentia pravorum affectuum genitrix, vitiorum mater: & sicut concupiscentia vitia fovet, ita gula concupiscentiam excitat; gula enim dum cibum apparat, ad crapulam perducit, dum haustum propinat, ebrietatem suadet; somnum offert, quo inertiam alat; ventrem onerat, ut mentem evacuet; dat carni totum, ut animam bonis omnibus destituat; quamobrem cum nonnisi damna invehat gula, & nonnisi spiritûs perniciem moliatur, coërcenda est jejunii frœno, ut possit spiritus æstus extinguere concupiscentiæ, impetus cohibere passionum, phrenesin declinare vitiorum.

## §. VII.

### *Jejunium non solum corroborat ad pugnam, verùm etiam arma suppeditat ad palmam; & de triumphatis pravis affectibus, aliisque adversariis epinicion sibi occinit.*

59. SI pravi tum concupiscentis, tum irascentis animi affectus in nos insurgunt, si tentatio intus nos pulsat, si tartareus hostis nobis insidiatur, jejunio nos muniamur; quo loricati, abstinentiæ clipeo muniti eorum possimus impetus eludere, ictúsque obtundere. Etiam Magister Christus quadraginta dies, & totidem noctes traduxit impransus, & incœnatus; sed quid obsecro, opus habuit tanto jejuniorum apparatu, tantáque inedia? quia nimirum pugna cum cacodæmone triplici ineunda erat congressu: sed quid tam prolixis opus fuit jejuniis ad tartareas omnes prosternendas legiones? nunquid jejunio destitutus palmas non collegisset victrices? potuisset quidem dæmonem vicisse, tametsi jejunio non munitus cum ipso pugnâsset, sed nonnisi jejunio loricatus pugnare, & expugnare dæmonem voluit, qui contra Christum latrare tantùm potuit, non mordere; ut vim nobis jejunii innueret, in dæmonum retundendis conatibus, excutiendis tentationibus, malignísque omnibus abigendis spiritibus, scitè D.
Tom. 3. lib. 4. comment. in Luc. Ambrosius: *Vide arma Christi, quibus tibi, non sibi vicit. Videte ergo, quæ jejunij virtus sit, quantam homini suo præstet gratiam, quod tantam præstet alteri medicinam: quemadmodum proprium sanctificet hominem, quod ita purificet alienum. Mira enim res est, alter jejunat, & alteri prodest jejunantis utilitas; ergo fratres abstinentiæ arma minimè deponamus, & quadraginta dierum jejunia sine intermissione curemus. Hic est enim perfectus numerus ad vincendum. Dominus enim Diabolum posteaquam quadraginta diebus jejunavit, evicit, non quod non & ante jejunia eum vincere potuisset; sed ut ostenderet nobis, tunc nos diaboli posse esse victores, cum per quadraginta dies victores jejunando desideriorum carnalium fuissemus; eum autem, qui hunc numerum consecratum gula intemperantiâ violasset, tanquam imbecillem, & miserum facilè ab inimico posse superari. Priùs sit homo sui victor, ut possit esse victor alterius.*

Intra nos insurgunt inimici, ut nos expugnent, nos gulæ illecebris hostes nutrimus; quatenus pravis concupiscentiæ affectibus fomenta suppeditamus; & arma quibus nos expugnent ministramus: Nisi enim gulam priùs edomuerimus frœno abstinentiæ, nisi priùs libidinosos concupiscentiæ æstus jejunio extinxerimus; non est, cur victoriam de prostratis speremus inimicis. Jejunium est illa virtus bellica, quæ quosque prosternit hominis hostes, & de qua dixit David: *In DEO faciemus virtutem, & ipse ad nihilum deducet inimicos* Psalm. 107.
*nostros:* si Christianus Athleta oleo inungatur jejunii, sarcinis spolietur carnis; humilísque fusis precibus Dei exposcat opem, tutus potest in arenam descendere, sibique victoriam spondere; tantum enim valet divinæ fortitudinis imploratio à corde procedens jejuno, ut tutò adjutricem accersat Numinis manum; unde David jejunus divinum implorans auxilium ait, *Ut sciant, quòd hæc sit manus tua:* ubi D. Basilius in scholiis, *quid est, quòd hæc sit manus tua? quod auxilium hoc tuum sit, quod tuum sit adjutorium?* ita est preces, quas jejunium effundit propitiam semper habent divinam omnipotentiam, cui tributariæ sunt victoriæ.

Contra Philisthæos de repentè coactus 60.
pugnare Rex Saul, adhuc virtutum studiis addictus, ac pietatis culturæ assuetus, cum fundendis consuetis precibus non superesset tempus, jejunium subrogavit, quo suos munitos voluit milites: *Maledictus vir, qui* 1 Reg. 14. num. 24.
*comederit panem usque ad vesperam.* Quid quòd Saul adeo arctum, rigidúmque suis indixerit militibus jejunium? cum abstinentia vires potiùs frangat, quàm augeat; & stomachus jejunus non sinat cætera corporis membra suas exerere vires, nec manus gladium validè tractare, nec ad victoriam instruere? Sed Saul sibi propitium cupiebat

Numen, quod in patrocinium suum obstri- ctarus, ieiunium indixit, quò militum pectora ciborum sarcinis vacua promptiùs sursum piis aspirationibus evolarent, Deúmque pro se pugnantem obligarent. Quid ni pugnavit Rex Saul ieiunus, sed non ieiunavit è victoria; nullo ciborum pondere gravatus non cecidit, sed inconcussa semper firmitate stetit, bellavit invictus, suósque victor debellavit hostes, apposité D. Ambrosius. *Bonus sanè Rex, qui hostes suos non tantum armis, sed devotione vincebat, & plus dimicabat religione, quàm telis.* Abstinentiæ eb esculentis, & poculentis annexa semper est victoria, jeiunium militibus vires non adimit, sed addit; & jeiunantes non fiunt infirmiores ad pugnam, sed redduntur ad palmam fortiores. Deum observantiâ jeiunii tecolentes piè obstringunt, ut suppetias afferat, hostes fuget, suisque cultoribus victrices palmas impertiat.

Serm. 1. post prim. domin. quadrages.

61. Suis fidit armis, confidit viribus Iniricatus gigas Philisthæus, sed David bellicis abjectis armis, solóque munitus jeiunio, ac in Deum fiduciâ, gigantem aggreditur sine gladio, sine telo, & uno lapidis iactu, & ictu tumidum in valle gigantem posternit: symbolum fuit ieiunii lapis è funda excussus, eò quia omni destitutus nutrimento; cùm non vegetet lapis, ut planta, nec comedet ut homo. Solum igitur ieiunii symbolum gigantem prostravit, qui terrorem toti incusserat Judæorum genti. Si igitur ieiunium corporis videatur vires frangere, DEUS enimum, & fortitudinem pugnantibus auget, terrorémque hostibus incutit, quos vel solo ieiunii signo prostetnit, suis cultoribus victoriai collaturus. Jure quidem meritò de victo, obtruncatóque gigante triumphavit ieiunii armis munitus; gladiúmque prostrati hostis arripuit David victor, ac suspendit in tabernaculo Domini; ut inde penderet trophæum, unde cum Numinis auxilio venerat victoria.

62. Erret quisquis sit exercitus ductor, qui in multitudine militum fidit, vel in sola armorum præstantia victor sperat è bello prodire: de prostrato hoste non triumphet, nisi ieiunio,& oratione munitus,&Deum ducem exercituum propitium habeet, unde David:

Psalm. 43. *Non enim in arcu meo sperabo, & gladius meus non salvabit me.* Tametsi David miles esset strenuus, plure millie hostium prostraverit, latósque pessim campos Philisthinorum seuciis strevetit cadaveribus, cladibúsque cruentis campus operuerit; non tamen armis suis, nec bellicæ suæ virtuti, nec suorum militum fortitudini, victoriem tribuit; *non enim in arcu meo sperabo:* ubi quærit D. Basilius: *Et quare illis armis es usus, si nihil in illis collocâsti spei? quoniam Deus ita præcepit, ob eam causam utor illis, verùm totum me in illum conjicio.* Devid igitur, quem fama tubæ per singulos terrarum tractus invictissimum promulgaverat bellatorem, neque in propria virtute bellica, neque in suis, suorúmque armis speravit; nec iisdem fidit, sed in solo Deo confidit, cuius suppetias precibus, & ieiuniis implnraverat, ideóque statim subdit: *In Deo laudabimur tota die, & nomini tuo confitebimur in sæcula.*

Christi pugiles in arenam descensuri non solùm impedimenta vestium par est, deponant; verùm & oleo inungantur pietatis, & misericordiæ. Quia tametsi ieiunium vires addat, animos suppeditet, non tamen solum pelmas colligir nisi per pietatis, & misericordiæ officia Dei impetraverit beneficia: etiam abstinentia febrim extinguit in corpote, quæ tamen arefacta membre ex febtili incendio non restaurat, nisi laxo suffundantur unguento, ac blandis rigentur fomentis: tametsi ieiunium animi excludet ægritudines, vitiorum excutiat morbos, carnis amputet passiones, fomente exsiccet criminum, causásque propellat scelerum, non tamen si misericordiæ destituatur unguento, si rivo privetur pietatis perfectam invehit menti selutem. Sanat quidem ieiunium, quæ per pravas affectus fuerunt nobis vulnere inflicta; sed vulnerum cicatrices absque balsamo pietetis, sinè oleo misericordiæ non obliterat dicente Christo: *Date eleemosynam, & ecce sunt vobis omnia munda.* Jeiunium gremina eredicat prevarum propensionum, quæ in cordis nostri tellure radices egerunt, senticeta divellit vitiorum, spinas dissipet criminum, sed pietatis cultura, misericordiæ exercitium est, quod probrum abigit sterilitatis, & beneficio culturæ uberem fructuum spondet messem: quod anima est corpori; hoc pietas, & misericordia constat esse ieiunio; & sicut spiritu destitutum, corpus emottuum cadit, vitium contrahit, & putrescit: ita ieiunium ex pietate vivit, & ex misericordia viget, hinc clamat Deus: *Misericordiam volo.* Demus ergo Deo, quod ipse à nobis exigit, demus, quod ipse petit à nobis; si velimus è DEO nobis dari, quod petimus: ieiunium igitur sine misericordia emoritur, sine pietate deficit, & sine implorata Numinis ope ieiunat.

63.

Luc. 11.

Osea 6.

64. Fames potiùs est ieiunium evaritiæ, si operibus destituatur misericordiæ; cupiditate est plenum, si pietate sit vacuum. Sunt qui ventrem cibis exonerant; ut arcam pecuniis onerent; jejunant ventre, & avaritiæ desideriis implentur mente. Agro exculto vomere, sed nullis fœto seminibus jejunium parieverim miseratione, at pietate destitutum: caret quidem seminibus ager excultus, sed nullo fœtus semine; caret gramine, & ab omni eo fit liber, quod negligentiæ detur vitio; sed ager, quamvis cultus sine semine sterilescit, & impensus in

in sola culcota labor ad nullam bonam pervenit frugem; ita jejunium animam quidem excolit, gramina succrescentia pravorum affectuum divellit, vitiorum eradicat senticeta, spinas abscindit depravatæ concupiscentiæ, sensus purgat, cor mundat, mentem serenat; sed sine seminibus misericordiæ, & pietatis, nullam spondet fructuum messem, nec vuarum vindemiam.

65. Ille semina spargit misericordiæ, qui eleemosynas elargitur pauperibus; hic seminat inopi, sed metit sibi, de quo David: [Psalm. 111.] *Dispersit, dedit pauperibus, justitia ejus manet in sæculum sæculi*: quia seminantes in lachrymis hujus vallis, in gaudio metent cœlestis Libani: dicuntur autem in lachrymis seminare, qui pauperum fletibus opitulantur: Semina nostri jejunii lachrymis rigentur resipiscentiæ, ut concupitos nobis fructus producant; exsiccantur jejunii virtutes, arescunt jejunantium messes, nisi benefico imbre pietatis, & misericordiæ rigentur. Quod si cœli pluviæ terræ fœcundant semina; pauperum lachrymæ cœli rigant vireta; sitit cœlum roscidas has lachrymarum pluvias, quas tamen jejunii virtutes comites pietas, & misericordia exsiccent, seu ab oculis lugentium pauperum abstergant, quas sursum transmittant in cœlum, cujus campus nostrarum virtutum appetit culturam: ager enim cœlestis est, quem misericordia nostra arat, pietas occat, justitia seminat, non aliâ coloni manu quàm pauperis: quod enim manus pauperis suscipit, ibi metit, ibique uberem colligit segetem: semina qui serit misericordiæ, fructus colligit cœlestis gloriæ: misereatur, misericordiam qui consequi spectat; pietatem exerceat, qui eam quærit; pauperum manus impleat, qui cœlesti oppleri gloria appetit.

66. Tria sunt, quibus virtus innititur, oratio, jejunium, misericordia, quod à Numine oratio petit, id jejunium impetrat, & misericordia accipit; jejunium orationem vivificat, & misericordia jejunio vitam impertitur; qui ergo orat, necesse est, jejunet, & qui jejunat, opera exerceat misericordiæ: qui jejunat esurientem pascat pauperem, & quæ gulæ propria subtrahit alimenta, hæc esurientis suppeditet indigentiæ. Improbè ille petit, qui quod aliis negat sibi expostulat: jejunium, quod comites sibi ascíscit orationem, & misericordiam cœli penetrat arcem, quam piâ etiam rapit violentiâ: hæc est illa flexanima oratrix, quæ DEUM flectit in sua vota: horum trium suffragio, fit Moyses in terris, quasi alius DEUS, cujus & vices agit, & ad triumphos suos militare jubet elementa ipsa; mari imperat, ut per scissa divortia in proprio sinu pulverulenta Israelitis aperiat itinera, & obsecutum mare pectus suum discidit, unde fluctus suos retraxit, profunda siccavit, undas in sublime stantes coërcuit, ne fluerent. Quid ni jejunio, & pietati debetur, si ad solum Moysis nutum pluit cœlum, germinat terra, quiescunt venti, maturiunt segetes, splendent nocturnæ cimeriæ, nube præambula signantur diurna itinera, nubium velamento temperantur solares æstus; percussa bis petra Moysis virgâ frigida sitientibus dat fluenta, & quasi è gemino vulnere non sanguinem ad mortem mittit, sed pellucidos latices ad vitæ solatium emittit.

67. Beneficio jejunii, orationis, & misericordiæ, immunis, & exemptus à communi naturæ tributo solvendo fit Elias, nescius mortis, qui terras deserens cœlos ingreditur, & Angelis ascíscitur, hospésque terrenus cœlestes possidet mansiones. Per harum exercitia virtutum humanitatem quasi visus est Joannes exuisse, & naturam induisse Angelicam, quia jejunium corpus velut excorporat, & hominem humanitate spoliat, quem veluti divinitate vestit. Jejunium si corporis opulentiam extenuat, si crassitiem extinguit, corpus in spiritum demutat, aurésque divinis colloquiis percipiendis aptat, & dum per ciborum abstinentiam os claudit, mentem ad divina aperit; & cujus aciem cibus obtundit, jejunium exacuit. Sedebat Elias ad torrentem Carith semel, & iterum pastus, & cœli alites, quò ipse aleretur abundè ministrabant: *Corvi deferebant ei panem, & carnes mane, similiter panem, & carnes vespere, & bibebat de torrente.* [Lib. 3. Reg. cap. 17. v. 6.] An non invidenda Prophetæ felicitas, qui cum sedeat absque ulla solicitudine, sine labore, torrens suos ei propinat latices, quibus sitim extinguat, & volucres cœli panes, carnésque manè, & vesperè ei deferunt? poculenta torrens, & esculenta aligeri sedenti Prophetæ suppeditant.

68. Verùm quia torrentis instar fluxa est quævis mundi felicitas, post modicum temporis fluxum exsiccatur torrens, abiguntur bajuli corvi, sitit Propheta, neque latices in toto torrentis alveo reperit, quibus sitis temperet æstus; fames stomachum corrodit, & viscera torquet, nec corvus adest, qui esculenta ministret: quid? quod jejunium inchoat Elias, & dum os esculentis claudit, & poculentis, Numinis aperit colloquiis? pane, & carnibus pastus à Numinis excluditur consortio, ad cujus familiarem consuetudinem admittitur jejunus; repleto stomacho mens divinis erat vacua luminibus, quæ tamen jejuno, & vacuo stomacho cœlesti repletur favore, illustratur luce: *Post dies autem siccatus est torrens, non enim pluerat super terram. Factus est ergo sermo Domini ad eum dicens: surge, & vade in Sarepta Sydoniorum*: [Lib. 3. Reg. cap. 17.] nimirum tunc tantùm DEI vocem audit, & divino fit dignus colloquio, non cum cibis afflue-

affluerct, non cùm esculentis stomachum, virésque corporis reficeret, non cùm torrens frigidam ei propinabat ad sitim extinguendam; sed dum corvus aliò avolavit, & absuit, dum unda aufugit, & torrens exsiccatus, neque aquæ guttulam in toto suo alveo detinuit in sitientis Prophetæ solatium.

§ 69. Tametsi Elias esculenta, & poculenta in ea duntaxat mensura sumpsisset, quæ naturæ satisfaceret exigentiæ, nec virtutem læderet temperantiæ; voluit tamen DEUS, tunc cum Elia suos miscere sermones, eúmque sua dignari familiaritate postquam corvus absuit, & unda fugit, & Elias jejunium inchoaverat: quia voluit DEUS nos erudire, jejunos aptiores fieri Numinis percipiendis eloquiis, mysteriisque divinis agnoscendis: idque cùm adnotâsset Tertullianus observans, quòd Eliam jeiunum Deus alloquitur; & expendens, quòd ambulaverit in fortitudine cibi illius quadraginta diebus, & quadraginta noctibus usque ad montem DeiOreb, ut habetur in libro Regum ubi additur. *Cùmque venisset illuc, mansit in spelunca, & ecce sermo Domini ad eum, dixitque illi: Quid hic agis Elia?* & postquam quadraginta dies, & totidem noctes ieiunâsset, DEUM habuerit contubernalem, cuius alloquio fuerit dignatus, & familiari delectatus commercio, appositè ait Tertullianus: *Ipse quadraginta diebus, & noctibus vacuo ventre, arido ore pervenit in montem Oreb, ubi cùm in spelunca divertisset, quàm familiari congressu DEI exceptus est? Quid tu Elia hic? multò amicitior ista vox, quàm Adam ubi es? illa enim pasto homini minabatur, ista jejuno blandiebatur:* nimirum dum Adam pomum comedit, sordet nudus; dum Elias ieiunat pallio honestè obtegitur: cùm Adam gulæ indulget, minis è paradiso abigitur; Elias ieiunio gulam coërcens cum Numine alloquitur: Adam cum cibum deglutit, mortem sibi ascifcit; Elias à cibo abstinens, vocem audit authoris vitæ: Adam malè carptum malum dum momordit lethale vulnus sibi, totique suæ posteritati inflixit; Elias à cibo abstinens divinos ad se favores accersivit: Adam pomo pastus malorum omnium iliadem in posteros effudit; Elias stomacho ieiunus, omni oppletur cœlesti gaudio ex divino colloquio: Adam vetitum cibum quia comedit, pastus vocem audivit DEI minantis. *O Adam ubi ubi es?* Elias impastus, & ieiunus verba audit Numinis blandientis, *quid hic agis Elia?* Sed quid? quod dum à sacerdote DEUS consulitur responsum non redditur: *Non respondit ei in die illa:* cur rogatus DEUS responsum signanter hac in die denegat? quia nimirum hac in die violatum à Jonata ieiunium fuerat, ut observat D. Ambrosius inquiens: *Nec belli finis imponitur, neque Regi responsum propheticum datur.* Ideo cœleste denegatur responsum, quia religiosi ieiunii violatur præceptum: hinc coniicimus, quàm sit expediens, ac necessarium à cibis abstinere, ac ieiunium servare, cuius beneficio Numinis utimur consuetudine; nil enim est, quod à DEI, colloquio magis impediat, quàm satietas, quæ mentem retundit, divinísque recipiendis illustrationibus minus aptam efficit.

*3. Reg. c. 19.*

*Adversus Psych. c. 6.*

*Serm. 25.*



DIS-

# DISSERTATIO XXII.

## Satietas ventris, oppressio est mentis, quæ suis obeundis officiis minùs idonea pravos quosque fovet affectus.

### §. I.

*Mens quò in conviviis est lætior, eò & ad nequitiam pronior, & ad improbos affectus expeditior.*

1. CUm Patriarcha Jacob unà cum suo commeatu in Ægyptũ proficisci moliretur, se totum sentiit timore perculsum, simúlque internam audivit vocem sibi loquentem: *Noli timere, descende in Ægyptum.* (Gen. 46.) Quænam præconcepti huius timoris causa Jacobo fuit? certè ne filii in Ægyptum descendentes veri Dei cultum fortassis desererent, infamis siquidem id temporis fuit Ægyptus profano idolorum cultu: Ægyptii siquidem abundantes frumento, deliciis affluentes, cupediis gulæ indulgentes, voluptatibus, ac cacodœmoni famulabantur: & illa annonæ copia, quæ oculos aperire debuerat, ut cœlum intuerentur; eosdem claudebat Numini, & terræ aperiebat voluptatibus, proinde iure merito timuit Patriarcha, ne inter idololatras viventes filii à cultu desciscerent veri Numinis. Ubi enim esculentorum copia populos replet, facilè mores corrumpuntur. Hinc Hebræi, cùm postea ad terram promissionis venirent, absente Moyse duce, vitulum adoraverunt, ut Deum; eò quia viderint in Ægypto boves adorari; quasi Numina, præsertim bovem illum; quem Apim vocabant, *Et fecerunt vitulum in Oreb, & adoraverunt sculptile.* Terræ igitur opulentia, & Regia abundantiæ, ad quam domus Jacobea vocabatur, causa fuit, cur Jacob in Ægyptum proficisci extimeret: siquidem inter opes, regales delicias, & dapes religio periclitatur, & ipsi probi mores corrumpuntur.

2. Idque etiam causæ, cur nulla circa filios cura se angi senserit Jobus, dum greges pascerent, reique vacarent domesticæ: qui tamen dum conviviis assueverunt, paterna viscera cœperunt, & ipsum torquere: nitebatur Jobus filios avocare à luxu in epulis, ac frequentioribus conviviis; fundebat preces, & per Nuntios proba mittebat consilia timens: (Job. 1.) *Ne fortè peccaverint filij mei, & benedixerint DEO*, tunc enim magis peccatis obnoxios, ac prævaricationi proximos censuit, cum comessationibus indulgerent, & epulis: tunc preces Jobus fudit, quia noverat uberiori inter epulas indigere Numinis ope, ne mores corrumperent, & religionem labefactarent: hinc Isaias conquestus de populo deliciis, & epulis affluente ait: *Cythara, & lyra, & timpanum, & tibia, & vinum in convivijs vestris, & opus Domini non respicitis*, (Isaiæ 5.) ubi Hugo Cardinalis addit: *augmentum luxuria, & omnium sensuum in convivijs vestris.*

3. Ad convivia turmatim currunt vitiorum cohortes, ut animos pervertant, mores corrumpant, & à cultu veri Numinis avertantur, qui deliciis affluunt, & ciborum lenociniis indulgent; unde addit Isaias: *Opus Domini non respicitis, nec opera manuum ejus consideratis:* convivia enim oculos claudunt, ne suos in Deum dirigant obtutus; & ad vitia aperiunt, quibus adhærescant immodicè pasti, & epoti; qui solertes propterea sunt ad vitia, & ignavi ad Dei opera peragenda, seu ad cultum Deo præstandum; socordes sunt, qui omnem adhibent solertiam, ut deliciis affluant, & vitiis vacent. Vinum enim quod in conviviis profunditur, viam emollit ad omnia vitia, ut per itinerum lubricitatem vino madidi præcipites ruant in vitiorum omnium baratrum. Esculenta, quibus opplentur convivæ, obices injiciunt, quibus studia impediunt virtutum, & accessum ad DEUM.

4. Timuit igitur Jacob in Ægyptum descendere cum tota familia, ne convivia Ægyptiorum filiis suis nocerent, siquidem ad convivia accedere, perinde est, ac allidi in scopulos, & in syrtes impingi, fœdúmque pati naufragium; hinc de iis, quorum Deus venter erat, & gulæ indulgentia totum studium ait Apostolus Judas in sua Epistola: *Hi sunt in epulis suis macula, convivantes sine timore*, (Cap. unic. n. 12.) seu ut interpretatur Joannes Gangnæus: *Hi sunt in convivijs vestris tanquam confragosa in*

*mari saxa, & cavernosa rupes:* & sicut navis æquora trajiciens, ventorúmque impetu quassata, si in saxa, rupésque allidat, disrupta obruitur fluctibus; ita quandiu marinos, amarósque hujus vitæ fluctus trajicimus, latent in conviviis scopuli, latent saxa; suas habent & convivia syrtes; suas & falerna charybdes; naufragium vix declinat, hæc qui non devitat in conviviis saxa; rupésque cavernosas. Quæ funduntur, propinantúrque in conviviis vina fluctus sunt marinis perniciosiores, suos obtegunt scopulos, suásque obducunt cavernosas rupes, in quas ratio allisa fœdè naufragatur; appositè Salmeron explicans textum D. Judæ Apostoli ait: *Eleganter igitur istos impostores cavernosas rupes appellat Apostolus, quia simulata amicitia intrepidè Christianorum convivia adeunt, ac nisi prævideantur, & observentur, periclitari, & naufragari faciunt consentientium animas; quia inter edendum multos evomunt errores, ex quibus multi audientes maculantur.*

5. Ubi stomachus in improborum conviviis esculentis gravatur, ibi mens erroribus facilè inquinatur, qui inter fercula sæpe deglutiuntur melle conditi; ubi plures spumantes propinantur calices ebrietatis, ibi & venena facilè hauriuntur iniquitatis; & qui multo madent vino pluribus etiam fœdantur noxis; qui pluribus opplentur escis vacui fiunt virtutibus: satietas non corpus tantùm aggravat, sed & mentem hebetat, concupiscentiam accendit, luxuriam nutrit, & pravis omnibus affectibus fomenta suppeditat, quibus acriùs in pernicieim insolescunt convivarum. Incauti inter epulas sensus esse solent, mens lætior, sed ad nequitiam pronior: voluntas voluptatibus immersa, sed pravis desideriis obsessa, adeò ut etiam à viris alioquin piis, si non invigilent, vitia in epulis hauriantur: & ubi timor DEI perit, & audacia viget, gaudétque victrix, nil sperandum nisi virtutis extinctio, & Numinis oblivio; quapropter Apostolus Judas describit hos ventris famulos, & escis inservientes: *convivantes sine timore*, & ubi DEI timor abigitur, vitia quæque accersuntur: divino qui timore destituuntur, in omne necesse est proruant scelus, & in scopulos, rupésque cavernosas impingant ad naufragium; perinde, ac navis æquora trajiciens si clavo destituta sit, & ventorum impetu rapta, collisa facilè in scopulos perit.

6. Latet igitur anguis in esca, latet philtrum in epulis, latet venenum in vino, quod blandè transmittitur in stomachum, sed fœdè evaporat in caput, ubi mentem obnubilat, ejúsque aciem obtundit, ne DEUM ipsum videat, à quo plerumque per temulentiam se avertit: hinc pedissequa saturitatis, oblivio solet Numinis esse, & ut monuit Salomon: *Anima saturata calcabit favum*, hoc est homini epularum voluptibus delinito, & esculentis oppleto desipit virtutum dulcedo, quam propterea pede detetit, quia è capite cecidit, pulchrè Hugo Cardinalis: *Anima saturata delicijs sæculi, calcabit favum, id est dulcedinem cœlestis patriæ.* Qui usque ad caput epularum, ac cupediarum oppletur irritamentis, hic gulæ exosculatur delicias, & pede temerario cœlestis patriæ gaudia proterit, favósque pietatis spernit, & exultæ virtutis dulcedinem fastidit. Secus qui gulæ delicias contemptui habet, & esurire magis studet, quàm escis repleri, hic nonnisi studiis delectatur virtutum, & vel ipsa mundi amara ei dulcescunt; hinc Salomon: *Anima esuriens amarum pro dulci sumit*, seu ut explicat Hugo: *Anima esuriens justitiam, adversa sæculi, tentationes Diaboli, molestias carnis, etiam ipsam mortem pro dulci obtinendo, pro beatitudine habenda sumet spontaneè, & pro dulci, seu pro Christo, qui dulcis est gustantibus ipsum juxta illud Psalm. 33. Gustate, & videte, quoniam suavis est Dominus, vel pro dulci sumet, id est tanquam dulce. Sancti enim esuriunt justitiam, & non solùm patienter, non solùm libenter, sed & gaudenter pro Christo tribulationes patiuntur*, quia quæ mundo amara sunt, palato cœlestibus assueto deliciis dulcescunt, & ipsum mundi absinthium virtutis condimento sapit. Quæ mundo dulcescunt, amara sunt virtutum cultori, quia ut opportunè Philo: *Cæcum sensum voluptas fallit, quo minus res percipiat, siquidem vetat, ne se ad mentem, à qua regi poterat, recipiat, regatúrque ab ea, seducens illum ad sensibilia, suisque illiciens operibus.*

Prov. 27. num. 7.

Lib. 2. legis allegor.

7. Fallit voluptas sensum, quia quæ noxia sunt, ita à voluptate sensui exhibentur, ut eidem sapiant, & dulcescant venena. Illicitur quidem cæcus à blandula voluptate, sed mox ab hac captus oculos aperit, quo propriam videat confusionem, intueatúrque ignominiam. Cùm primum Jonatas mellea illectus dulcedine, jejunium violavit, oculos etiam aperuit, quo voluptatis captus dulcedine suum videret errorem, simúlque sentiret, quem mundi voluptas suis asseclis exhibet amarorem: *Convertit manum suam ad os suum, & illuminati sunt oculi ejus.* Quid, quod favi dulcedo, & mellea mundi voluptas oculos aperiat, quos potiùs claudere consuevit? & quænam fuit hæc oculorum illuminatio, quæ à degustata favi dulcedine emanavit? Nimirum illuminantur oculi, ut reatûs sui confusionem Jonatas videat, & qui voluptatis dulcedinem secutus fuerat, amarorem mox experiretur confusionis. Scitè Rabanus apud Glossam: *Illuminati sunt oculi Jonatæ non ad videndum*

Lib. 1. Reg. cap. 14.

*dendum, sed ad discernendum, quia vetitum tetigerat, unde confundatur:* non viderat Jonatas melleam mundanæ voluptatis dulcedinem larvatam esse, ac mortis amaritudinem obtegere; sed mox deglutita dulcedine oculos aperuit, quatenus expertus fuit confusionis amarorem sub dulcedinis larva latitantem: brevis fuit illa dulcedo, quæ tamen prolixam solet mortem maturare: ingemiscit mox Jonatas confusus, quod avidè expetiverat cæcus: dum enim mellea alliciebat voluptas, confusio latebat fellea; quæ tunc larvam exuit, cùm deglutita fuit favi dulcedo, & violata ieiunii religio: virgam, ut lanceam manu tractaverat Jonatas, cuius summitatem veluti mucronem mellea delinivit dulcedine, quam ori admovit, labris applicuit, & palato ieiunii violatore
1.Reg.c.14. deglutivit: *Extendit summitatem virgæ, quam habebat in manu, & intinxit in favum mellis, & convertit manum suam ad os suum.* Si virga Jonatæ lancea fuit; quid? quod sub mellea dulcedine spiculum lateret lethali infligendo vulneri aptum; mel labra alliciebat, & spiculum mentem feriebat; arridebat favi dulcedo, sed ferri acies vulnera infligebat; gaudebat de gustato favo palatum ieiunii transgressor; sed haustam cum melle noxam lugere adigitur Jonatas, cùm ei oculi aperiuntur: ipsa enim voluptas gulæ sensum, quem illicit, lædit; & quem dulcedine afficit, veneno inficit. Pulchrè
Lu.sitat. Philo: *Certè unusquisque sensus voluptatem execratur, ut inimicissimam, ac infensissimam.* Est enim revera hostis sensui; id inde colligitur, quòd saturati voluptate imodicà, nec videre, nec audire, nec olfacere, nec gustare, nec tangere sincerè possumus Oculi gulæ illecebris debilitantur, vinóque depravantur nervi, corporis vigor cruditatibus deficit, & exundans humor sensuum pervertit instrumenta, & inde dolor nascitur, unde sapor provenit: unde voluptas oritur, inde virtus emoritur, Jonatas sub melle, & cum melle labris admovit spiculum, & cum melleam gustavit dulcedinem inflicti sibi vulneris sensit dolorem.

## §. II.

### *Gula indulgentia affectuum probitatem corrumpit, & sapientiam abigit, quam jejunij vacuitas accersit, ac fovet.*

8. MEntem hebetat satietas, sensus fallit, & probos quosque vel abigit, vel corrumpit affectus, quos ieiunii vacuitas reficit, ac fovet, mentémque redintegrat, ac Sapientiæ restituit. Quæsie-
Job. cap.20. rat Jobus, ubinam posset Sapientia inveniri: *Sapientia ubi invenitur? & quis est locus intelligentiæ?* Sunt qui solicitè hunc quærunt Sapientiæ thesaurum, quo ditescant, sed Sapientiam minimè inveniunt, si in choreis, & tripudiis; in symposiis, & diversoriis; in conviviis, & cauponis, eam quærant: siquidem in triclinio ad epulas, & pocula neque unum sui impressit vestigium; neque in conclavi ad abacum, chartulas lusorias sui patitur umbram induci; neque in cellis vinariis ad plenos vini Opimiani cados, plenaque pocula sui permittit effigiem intueri; sed quò eundum, ut Sapientia tanto quæsita studio inveniatur? an in aulis, Regúmque palatiis? sed nec ibi invenitur; neque in cubiculis, ubi ad speculum Judicem faciei venustas examinatur, & vestium vanitas oculos delectat; nullibi hæc reperitur Sapientia in terris, ubi corporis deliciis homines inhiant, ubi gulæ indulgent voluptatibus: *Non invenitur in terra suaviter viventium*, ubi præcipua cura, & Job. cap.28. v.13. princeps studium est de cute fovenda, de ventre opplendo, non de mente purganda: ubi enim in symposiis certatur poculis, ubi in tricliniis heluones gulæ delicias expiscantur, ubi in aula choreis, & otio vacatur, ibi certè Sapientia non invenitur; quia ubi saturitas ibi intemperantia; & ubi intemperantia mentem corrumpit, Sapientiam abigit.

Non igitur Sapientia in diversoriis, cauponis, tricliniis, symposiis, conviviis 9. reperitur, sed in secessu ab istis, in domorum latebris, ubi preces funduntur, colloquia cum Deo miscentur, lachrymæ conscientiæ expiatrices eliciuntur, pectus tunditur, jejuniis caro conteritur, & spiritus fovetur; pergit Job: *Trahitur sapientia de* Job. cap.28. *occultis:* neque aliud est Sapientia, quàm timor Domini. *Ecce timor Domini ipsa est Sapientia; & recedere à malo intelligentia.* Hinc etiam Salomon cùm optimè nosset Sapientiam non inveniri in discis, poculis, mollibus, ac deliciis ait: *Cogitavi in corde meo abstrahere à vino carnem meam, ut animum meam transferrem ad Sapientiam, devitarémque stultitiam.* Abstrahere à vino, subtrahere gulæ delicias, jejuniis insolentiam carnis compescere, ac effrœnes concupiscentiæ affectus coërcere, hæc viam sternunt ad Sapientiam, quæ in symposiis, diversoriis, & tricliniis non reperitur.

Joannes Baptista hanc in eremo quæsivit Sapientiam, & invenit, sed quia à gulæ 10. abstinuit deliciis: *Magnus coram domino* Luc. cap.1. *vinum, & siceram non bibet:* eam invenit v.15. Jacobus Apostolus, sed nunquam usus est balneo, nunquam unctus oleo, nunquam novaculâ obrasus, nec carnes comedit, nec vinum, aut siceram bibit: eam invenerunt Daniel, Ananias, Azarias, & Misaël, sed quia lautiores aulæ cupedias, & delicata respuerunt fercula, & fontis frigidam Regio prætulerunt vino: eam invenit Paula Romana, sed jejuniis addicta, adeo ut nec in morbo quidem ad cordis solatium, viriúmque refectionem à regula abscesserit jejuniorum, quibus assueverat, nec ullis Medicorum imperiis adigi potuit, ut modicum

ebiberet vini: Invenerunt Sapientiam alii plerique, sed ieiuniis addicti: quia ieiunium, dum corpus atterit, eius pinguedinem excutit, crassitiem imminuit; spiritum fovet, aptúmque Sapientiæ invenienda efficit: scitè Seneca: *Adjice nunc quod majori corporis sarcina animus eliditur, & minùs agilis est, itaque quantum potes circumscribe corpus tuum, & animo locum; laxâ ciborum copiâ subtilitas animi impeditur.* Epist. 15.

11. Quod si corporis opimitas animi impedit functiones; subtilitas, & vacuitas, quæ beneficio ieiunii invehitur, spiritum expedit. Corporis enim saginâ hebescit animus, obrutescit ratio, obtunditur mentis acies: & gulæ deliciis assueti ab hominis desuescunt moribus, & ventri famulantes brutorum in gregibus adsciscuntur. Quod igitur ex indulgentia gulæ de mente excidit, ieiunii vacuitate, seu fœnerata est compensatione instaurandum. Esculentis qui gravantur, & poculentis madent, mente æquè, ac ventre monstrosè distenti, virtutum studiis, meotisque functionibus inidonei, vitiis duntaxat famulantur, & miserè se torquent; cùm esculentorum pondere pressi proni fiunt ad concupiscentiarum aucupanda lenocinia, & solius carnis in cœnosa vitiorum palude expiscandas illecebras.

12. Nil virtuti nocentius, nilque lethalius, quàm satietas, quæ stomachum premit, & innocentiam opprimit. An non Adam sola gulæ indulgentiâ se ipsum, suósque posteros a felicitate exclusit paradisiaca? modico pomi cibo, vilique pretio, quo gulæ indulgeret, suam, suorúmque innocentiam vendidit, simúlque mortem sibi, & suis coëmit; homicida igitur totius humani generis sola fuit gulæ indulgentia, cui ut satisfacerent Protoparentes, se & suos posteros omnes interemerunt; fuit gula, quæ inlibatum momordit pomum; vetitum gustavit cibum; unde fuit gula Pandoræ pixis, ex qua cuncta scelerum portenta, supplicia omnia; fames, quæ rodunt; bella, quæ interimunt; pestes quæ absumunt; dolores, qui lancinant, ac millenæ calamitates, ærumnæ, cædes; ac morborum omnium agmina proruperunt in perniciem, eruciatus, & mortem hominum: cum gula pomum momordit, homines omnes exclusit è paradiso, & fatali morsu unà cum pomo mortem deglutivit primus homo, simúlque homines omnes è paradiso extorres eiecit in hoc lachrymarum procellosum mare, ubi ventus pravorum affectuum ad naufragium nos urgent; fluctus decumanis tumidiores nos pulsant, & quotidiana mortis naufragia absorbent. Fuit gula, ex qua veluti ex fœculenta vomica statim pravarum omnium cupiditatum ebullit purulentia; & ex gulæ avernali camino exiliit vitiatæ naturæ fumus, quæ cæca ignorantiæ caligine mentem offundit, lumen imminuit rationis, & per inflicta vulnera potentias omnes interiores viribus destituit, quò imbecilliores minus rebellanti concupiscentiæ resistant. Ex hac gulæ fornace fœdè eiectantur libidinis scintillæ, & lethales accenduntur concupiscentiæ flammæ, quibus innocentia perit, & virtus cinescit.

Quòd si Phalaris pauculas ob ficus fertur, plures crucis supplicio interemisse homines. Una Protoparentis gula ob unius pomi morsum innumeras hominum myriades suppliciis damnavit, nunquam finiendis: & quamvis magnum fortassis non fuisset, unicum carpsisse pomum; maximum tamen fuit delictum, in amœnissima illa paradisiaca regione, ac amplissima libertate comedendi fructus cæterarum omnium arborum, unicâ duntaxat exceptâ, quæ memoriam Numinis superioris refricaret, eiusque præceptum oculis obiiceret pomis suis à DEO vetitis; ut quamdiu ab esu abstinerent fructûs arboris illius; tamdiu persisterent in in illo innocentiæ statu, in quo DEUS primos homines condidit; adhuc divinum voluisse præceptum transgredi. Gula igitur hominem è paradiso ejecit, è throno exclusit felicitatis, & in barathrum protrusit omnium calamitatum: quòd si gula lethale nobis inflixit vulnus; medeiam nobis abstinentia suppeditet, quâ vulnera cureotur, quæ per gulæ illecebras inflicta fuerunt: si gula venenum in nostram perniciem deglutivit; antidotum, quod nobis ieiunium propinat, hilares hauriamus; æmulo eodem modo, quod per escam exciderat de homine, per abstinentiam, restauratur; & quam gula felicitatem perdiderat, ieiunium resarcit. 13.

Dum corpus ieiunat, mens probitate saginatur, & homo jeiuno corpore impastus Deo oppletur, & particeps fit Numinis consuetudinis. Etenim Moyses legem scriptam accepturus à DEO ieiunus ascendit in montem densa caligine obductum, ac tetra cinctum in vertice nube; sed inter caligines divinus Moysi splendor illuxit, & DEI fruitur consortio: *Ingressúsque Moyses medium nebulæ ascendit in montem, & fuit ibi quadraginta diebus, & quadraginta noctibus*, quo tempore in illo montis secessu à populorum leiunctus tumultu, cum Deo meruit sermones miscere, legémque in gemina lapidea tabula imprimere, quò vel ipsa lapidis duritiescorda populorum emolliret in eius observantiam, ac pertinaciam contunderet. Additur, Moysem quadraginta illis diebus nil comedisse, bibisse nihil, sed Dei sermone pastus fuit, supernoque splendore suffusus, & DEI gloria saginatus. Nimirum quia Moyses per diuturnam illam quadraginta dierum, & totidem noctium inediam corpori vires imminuerat, ut quasi videretur corpus ipsum exuisse, intus mente uberiùs saginatus; ideo quasi extra corpus impransus, & incœnatus meruit Numinis frui consortio, & inchoatam de inedia gloriam di- 14. Exodi 34. Deut. cap. 9.

vino

vino consummare colloquio: eleganter D. Chrysologus ait: *Moyses ipse dierū quadraginta jejunio, ita humano defæcatus est, & exinanitus à corpore, ut totus divinitatu mutaretur in gloriam, & adhuc in nostri corporis obscuro toto fulgeret lumine deitatis: neque intueri eum mortalium visus posset, qui substantia Dei diu pastus, omnia mortalia sibi oblitus fuerat adjumenta.* Id jejunium præstat hominibus beneficii, quod in corpore degentes, corpore quasi exuat, quos divinitatis induat gloriâ. Eam adfert inedia utilitatem, quia evacuata carne, cœlestibus repletur mens beneficiis, & depravatæ concupiscentiæ excussis affectibus pia suggerit desideria, quibus per terrenorum contemptum, depositâ esculentorum farcinâ, ac corporis pondere feliciùs, ac faciliùs ad superiora homo jejunus conscendit, abjecto ciborum gravamine, quo deorsum trahebatur inter concupiscentiæ, mundíque illecebras; quibus indulgent, qui gulæ famulantur. Jejunium quadragenarium Moysem in corpore degentem, ita corpore exinanivit, carne evacuavit, carnisque defœcavit affectibus, ut totus gloriâ fuerit divinitatis perfusus, ac in cæca humani corporis caligine, ac tetra nube lumine coruscaret Numinis. Quàm utilis est homini jejunanti inedia, quæ fœditates omnium pravorum affectuum evacuat, carnis concupiscentias extinguit, vitiorum stimulos obtundit, libidinum illecebras abigit, & tota percollata pravorum affectuum scoria, mentem depurat, cœlesti lumine illustrat, ac præcoqua cœlestis patriæ perfundit beatitate.

15. Jejunium igitur ab ecclesia non solùm abstinentiæ studio nobis indicitur, neque solis castigandis corporibus, vitiis relecandis, mentibus defœcandis, conscientiis expurgandis traditur; verum etiam ut eò uberiùs spiritus intus divinis saginetur beneficiis, quò exterius corpus per vacuitatem jejunii viribus destituitur. Plura secum semper attulit commoda quadragenarius numerus, quem, & Moyses in montis fastigio, & Christus in eremo, & fideles in ecclesia sacris consuevére jejuniis impendere, vel aliis piis consecrare operibus: etenim cum mundus in illis humani generis primordiis vitiorum cœno sordesceret, totúsque scelerum fœteret corruptione, quâ omnis caro corruperat viam suam, & squalore perfusus, horrorem vel ipsis cœlitibus incuteret, quos iniquitatis suæ fumosa caligine infuscare videbatur: has quas mundus sordes contraxerat, nonnisi quadragenarii numeri beneficio pluviæ de summo cœlo delapsæ diluerunt. *Factúmque est diluvium quadraginta diebus super terram, & multiplicata sunt aquæ, & elevaverunt arcam in sublime à terra*, nimirum Deus expiaturus terram, imbres effudit per dies quadraginta, & totidem noctes, ut mundus, qui ob patrata scelera perire debuerat, mox tenatus tam benefico baptismate, numero gauderet hoc quadragenario, quem non naturæ adscriberet beneficio; sed naturæ authoris tribueret gratiæ; & nostri baptismatis, quò terra nostri corporis primigenia fœdata labe diluitur, suam prælibaret originem: homines enim, quos pravi affectus ad malorum omnium perpetraxerant baratrum, & perditos perduxerant ad mortem: hos ad vitam jam renatos quadragenarius jejuniorum numerus virtutum extradit culturæ, quâ suaviùs cœlo oleant. Meritò igitur ecclesia continuata quadraginta dierum suis injungit jejunia fidelibus, ut ad fontem valeant salutis feliciùs pervenire.

Vide, quàm sit beneficus quadragenarius numerus, Exodi 16. Imber de cœlo delapsus per totos quadraginta annos populum in sterilescente eremo pavit; & quæ terra denegaverat alimenta; cœlum imbre pacifico abundè suppeditavit; probrúmque sterilitatis, quo tellus illa laboraverat, cœlestis pluvia abstersit, & populum recreavit. Numer. 13. Quadraginta diebus exploratio promissæ terræ missa divinitus fuit, quò sacer numerus ad terras cœlitus promissas populum evocaret Israëliticum. Quid? quòd etiam quadragenarium nobis ecclesia injungat jejunium, cuius beneficio fideles ad cœlestem perducat patriam? Jejunium Eliam elevavit ad cœlum, & purificato per inediam corpore ignei currûs excipit obsequium. Jejunium enim, quæ ad corpus pertinent imminuit, ut per corporis vacuitatem spiritus vegetior fiat, ac plenior pinguescat, donis saginatus divinis. 16.

## §. III.

### *Per ventris vacuitatem vigor mentis convalescit, & probi omnes affectus foventur vegetiores.*

17. Exorta lethali fame post eam sterilitatem, quæ acciderat in diebus Abrahæ, proficisci deliberaverat Isaac ad Abimelechum Palæstinorum Regem in Gerara. *Apparuítque ei Dominus, & ait: ne discedas in Ægyptum, sed quiesce in terra, quam dixero tibi.* Sed cur Patriarcharum amatissimo inhibuerit Deus, ne in Ægyptum proficisceretur? cùm de fame propulsanda ageretur? & tellus, quàm Isaacus tunc incoleret, probro laboraret sterilitaris, & consuetam denegâret Messoribus annonam, & annuum cultoribus stipendium? & Ægyptus frugum abundaret copiâ, & insitâ sibi fœcunditate uberrimam daret messem, & superfluentem annonam suppeditaret? An Deus famelico Isaaco descensum inhibuit in Ægyptum, ut esculenta, quibus corrodentem tamen fedaret, voluerit denegare? Nimirum jussit Deus, ut maneret in Palæstina Isaacus, quamvis fructibus destituta, annonæ indiga, & fame propemodum oppressa; non quòd Patriarchæ Deus abundantiam

dantiam invideret terræ, cui copiam cœlestium dederat beneficiorum; sed ut Patriarcha stomacho vacuo mentem repleret desideriorum, quibus non Ægyptiacæ copiæ, sed promissæ sibi terræ inhiaret abundantiæ; verebatur quasi Deus, ne si Isaacus ex jejuna, & vacua frugum Palæstina in Ægyptum descendisset frugum copiâ redundantem, gulæ indulsisset deliciis; & ingesta in stomacho esculenta, veluti è vaporario fumos in caput emitterent, quibus mens caligaret, nec amplius de promissa sibi tellure quidquam cogitaret: scitè Oleaster in præfatum textum ait: *Ne descedas in Ægyptum, timet Deus suis loca amœna, & abundantiam, quoniam novit homines etiam justos facilè amœnitate loci delectari, erat enim terra Ægypti fertilis, & quæ suâ abundantiâ, & copiâ facilè posset allicere Isaac, ideò noluit illum illuc descendere.*

Genes. 26. v. 2.

18. Verebatur igitur, ne in feraci Ægypto, omnique fructuum abundantiâ onusto, mens Patriarchæ sterilesceret, nec ullum ampliùs produceret desiderium promissam sibi tellurem invisendi, cùm tamen in sterilescente, ac jejuna Palæstina feracissimus esset Isaac in piis hisce eliciendis desideriis. Nolebat igitur Deus per abundantiam Ægypti Isaacum possessionem deperdere terræ sibi promissæ, ideóque maluit Patriarcham habere jejunum, ac famelicum in Palæstinæ sterilitate, quàm saturum in Ægypti abundantia: jejunium Palæstinæ ventrem evacuabat, sed mentem probis implebat desideriis; promissæ terræ Palæstinæ inedia stabiliebat possessionem, eámque jejunium firmabat. Quàm benefica est sterilitas, quæ vacuitatem inducens ventris, opulentiam advehit mentis? quæ stomachum inanitate vacuat, & spiritum probis opplet affectibus? Cœlestis patriæ promissionem nostrum stabilit jejunium, & ventris vacuitas, mentis oppignerat abundantiam. Amœnissimæ, ac fœcundissimæ terræ promissionis jejunium promovet sponsionem, & inedia itinera aperit, vissque sternit; ducitque sterile jejunium, quò abundantia exundat, & fructuum copia exuberat. Noluit igitur Deus Isaacum ex jejuna Palæstina in saturam, ac plenè pastam Ægyptum descendere, ne in frugum copia, & dum corpus esculentis pinguesceret, mens sterilis promissæ telluris oblivisceretur. Pulchrè Oleaster subdit: *Est etiam hujus rei alia ratio: quoniam nolebat eum perdere possessionem concessa sibi terra.*

Loc. cit.

19. Jejunium est, quod veram spondet abundantiam, quod ad copiam perducit cœlestis patriæ. Etiam populus Israëliticus dum in captivitate Babylonica jejunus premeretur inopiâ, felicem reditum in patriam, & felicem inibi telluris feracitatem auguratur. Satiùs semper, ac tutiùs regionem incolere jejunam, ac sterilescentem, quàm deliciis affluentem. Nota est veteris Apologi læta narratio. Ficedula curiositatis causa è vineis alas explicuit per sylvarum incultos tractus, ibi Turdo obviavit, labruscæ insidenti, & amaras æquè, ac degeneres vellicanti baccas, cúmque id ficedulæ insulsum omnis, ac aridum videretur ientaculum, miserata Turdi conditionis eum alloquens, dixit: quid mi Turde arbores hasce infœcundas vellicas? quid amarum hocce deglutis fruticetum, quid opacata hæc loca fructibus destituta, umbris oppleta, & sylvestribus duntaxat fœcunda arboribus incolis? si me velis sequi per alias te Regiones ducam feracissimas, domesticis consitas plantis, fructibus omnibus abundantes, & deliciis affluentes, quibus & terræ arridet amœnitas, & aëris ridet serenitas, & soli feracitas ficus, uvásque abundè suppeditat. Persuaderi haud ægrè se passus fuit Turdus labruscas vellicare assuetus, tandem Ficedulam præeuntem secutus est; & post pluries repetitos volatus, in quandam appulêre planitiem aliquot suspensam collicolis, ubi vites racemis onustæ spumantem exposcebant vindemiam, & arbores frugiferæ pendulos omnis generis fructus abundè ministrabant, & autumnus uberem in universis collibus fructus suos veluti apertis nundinis exhibebat: in subjecta planitie, quæ ad oculorum oblectamenta, animíque laxamenta, surgebant plantæ, suis etiam ditescebant fructibus, & proceræ luxuriabant arbores, quarum comæ dulcissimis zephirorum flabellis leniter ventilatæ placidissimo murmure aures demulcebant. Aderant innumerabiles propemodum avicularum gratissimæ turmæ, quæ liquidissimos cantus tenui gutture effundentes repetito plausu Regionis videbantur amœnitatem commendare, non sine incredibili voluptate adstantium, quorum intimos sensus dulcissoni cantus permulcebant. Sed cum Turdus curiosior circumspiceret per totam illam, ad omnem consitam amœnitatem, regionem exhibentem quidquid ad gulæ votum possent aviculæ desiderare; & observaret, hic aves haud ignotas viscatis virgis infeliciter se implicare, ac veloci in crucem suffixas non posse pristinam repetere libertatem; alibi plures retium insidiis captas; illic plures è fallaci fune pendulas, in alio loco quasdam etiam visco bacillo implexas, vel etiam decipulâ clausas; propriæ consulens Turdus incolumitati alas pernici volatu fugæ explicuit, & amicæ ficedulæ grates rependens valedixit, simúlque suis deliciis; ratus tutiùs, melliusque esse, labruscas in sylvis vellere, imò & esurire, quàm in tam frequentibus vitæ periculis fructibus vesci dulcibus, ac deliciis affluere. Ex quo Apologo conicimus, tutiorem semper esse victum tenuiorem in Asceteriis, locisque à mundi deliciis sejunctis, quàm dapibus delicatioribus, & exquisitissimis oppleri, gulæ deliciis deliniri, quæ obique insidias tendunt laqueos apparant, mortémque accersunt. Qui sapit, non de-

dedignatur cum turdo pericula circumspicere, quæ cibi, potúsque intemperantem usum comitantur, & cum turdo repetere: malo millies inediam, famémque pati; quàm selectissimis me farcire dapibus, & valetudinem graviter lædere, vitámque præcidere.

20. Sicut satietas valetudini est noxia, ita jeiunium eíque tuendæ efficacissimum est pharmacum: hinc Gallenum Medicum decimo quóque die jeiunium sibi indixisse tuendæ valetudins gratiâ refert Cœlius Rhodiginus; & Hypocratem Medicorum Principem ad annos centum, & quadraginta vitam protraxisse; & cum interrogaretur, quo pharmaco, respondit, quia nunquam satur è mensa surrexi. De Galleno Traiani, & Antonini Imperatorum archiatro ferunt, ad extremam pervenisse senectutem, vitámque protraxisse ad annos centum, & viginti, eò quia nunquam satur è mensa surrexerit, nunquam se in cibum, potúmque effuderit, quin aliquod semper superfuerit edendi, ac bibendi desiderium, quia sicut satietas corpus premit, & vitam opprimit, ita sobrietas, & jeiunium vires anget, & vitam protrahit, hinc etiam Ecclesiasticus dixit, *qui abstinens est, adjciet ad vitam.* Socrates eatenus iucundè semper comedit, & frigidam hausit, quia neutrum præstitit, nisi esuriens, ac sitiens, dicens optimum condimentum singulis optandum ferculis famem esse, quæ esculentis omnibus saporem impertitur absque ulla ærarii diminutione, sine ullo impendio, quòd si ex illo Medicorum axiomate, *quod sapit, illud nutrire dicitur:* nil sapidiùs, ac utiliùs nutrit, quàm ipsa inedia, quæ saporem esculentis omnibus impertit.

Lib. 10, cap. 12.

21. Esurienti æquè delicatiores sapiunt cibi, ac rudiores: hinc Pompeio ægrotanti, cum Medicus turdos præscripsisset eo quidem tempore, quo capi non possent, nec comparari; & suggerente amico apud Lucullum inveniri posse: itane reposuit ægrotus, nisi deliciis esset Lucullus assuetus, non posset Pompeius vivere? Et rejecto Medico, turdisq; contemptis cibis voluit parabilioribus uti. Mascula fuit hæc Pompei virtus, quæ nullis permisit ciborum deliciis vitam affluere. Sicut ciborum satietas noxia semper est valetudini, ita & immodica potûs ingurgitatio: plures sunt, qui vinum haurientes, mox & ipsi à vino exhauriuntur; bibones omnes vinum exhaurit, quos & mergit: lubricum æquè ad vitia, ac mortem merum iter apparat, & qui siccandis assuescit calicibus, è virtutibus expungitur catalogo; nisi priùs bibendi correxerit studium, pravámque extinxerit consuetudinem: vix dabis potulentum, quin, & hunc vitiis videris indulgentem.

22. Tellus, quæ jugi madet pluvia, cœnosam contrahit fœditatem, corruptas exhalat evaporationes, quæ sursum avolantes, & simul congestæ, ac in nubes spissatæ solem arripiunt, aërem inficiunt, & insolescentes cædes minantur terræ matri, & clades repetito tonitru, excussisque fulminibus; ex stomacho vino jugiter innatante, sursum in caput ascendunt putrescentes halitus, qui & mentem obnubilant, & lumen imminuunt rationis, & totum inficiunt caput; ex quo distillationes veluti pluviarum stillicidia in corporis perniciem demittuntur. Terra, quæ semper madet, degenerem prolem, spinas, lolium, ac ranas parit, & educat: & homo vino madidus nitores extinguit virtutum, & vitiorum accersit caligines. Effrœnes concupiscentiæ affectus non coërcet, qui frequentioribus poculis exsiccandis assuescit.

Qui carnem in rectæ rationis obsequium flectere satagit, huic necesse est, corpus jejuniis conterat, fame maceret, siti exsiccet; quia caro perinde, ac contumax puer nonnisi à plagis sapere discit: neque ullus est ferulâ opportunior Pædagogus pervicaciæ retundendæ. Studiis, qui sunt addicti virtutum proficere vix sperent; nisi fami, & siti tolerandæ prius assueverint, ne carnis gravedo obicem iniiciat: hinc Plato mensæ assuetus frugali, quam nonnisi frustum panis, & pauculæ olivæ instruebant, suppeditante fonte suos latices ad sitis æstus temperandos, sæpiùs cùm sitiit, aquam antliâ hausit, sed haustam mox effudit; & urgente siti, cum iterum hausisset, denuo exercendæ virtutis causâ haustam effudit, ut & se ipsum vincere disceret, & carnis appetitus imperio subigere rationis: hinc prodiit vulgatum illud apud Platonem: *ubi nulla sui est victoria, ibi & nulla virtus:* omnium est etiam Ascetarum effatum; cupienti vitiis obsistere, necesse est, coërcendæ carni per inediæ frœnum assuescat; & per escarum subtractionem fomitem pravis deneget concupiscentiis. Tartareus hostis vaferrimus quamdiu hominem novit immodicis assuetum epulis, ac intemperantiæ deditum, tamdiu de ipso tutam sibi victoriam sponder: & à cane haud abludens, qui non facilè abigitur, dum laniena patet, carnésque bubulæ, vervecinæ, ac vitulinæ, vel ovinæ venum exponuntur oculis prætereuntium; ita avernalis Cerberus quamdiu carnem nostram omni ciborum genere distentam videt, liberale sibi pollicetur pabulum, & per saginatum corpus de jeiuno spiritu sibi facilè triumphum spondet. 23.

Nemo est ex hominibus, qui non appetat vitam ad ultimum usque senium incolumeo, ac ab omni immunem ægritudine protrahere; plurimi omnes faciunt sanitatem, plurimi, & longævitatem; sed paucissimi sunt, qui sanitati tuendæ verum aptent pharmacum, plures traduntur præ- 24.

ceptiones,

ceptiones ; quibus corporis sanitati studeant , vitæque consulant longiori : alii inveniuntur , qui in pharmacopoliis pixides omnes aperiunt , ollas lustrant subcudes, & vasa omnia vitrea , lignea , cuprea , stamnea , & argentea sus , déque vertunt, ut pharmacum obtinendæ sanitati aptum , remediúmque vitæ longiori producendæ reperiant , quod tamen minimè inveniunt ; quia pharmacum valetudini tuendæ , ac vitæ protrahendæ jejunium est, & abstinentia ; hinc Siracides ait : *Noli avidus esse*
Eccles. cap. 37. *in omni epulatione , & non effundas te super omnem escam :* & causam addens subdit : *In multis enim escis erit infirmitas ;* non erraret , qui assereret ; quavis die plura centena hominum emori , qui ad plures annos vitam protraxissent , si minùs avidè comedissent , si stomachum ingestis ferculis non gravassent , si tam frequenter immodico haustu non maduissent. Medicinas , qui fastidit, & pharmaca declinare cupit , huic opus est , morbos fugiat, quos ut effugiat , necesse est ab immodico cibo , & potu abstineat , mensámque semper deserat , fame non penitus exsatiata , nec siti extincta , quia ut
Eccles. 37. v. 32. ait Siracides. *In multis escis erit infirmitas , & aviditas appropinquabit usque ad choleram.*

25. Copiosa mensa misera est valetudo , & perpetua saturitas valetudinem obruit ; stomachus, qui plures , eósque varios cibos recipit , plures etiam , ac varios morbos nutrit ; qui & valetudini insidiantur, & mortem accersunt præmaturam , quia
Cap. 37. v. 34. ut ait Siracides. *Propter crapulam multi obierunt , qui autem abstinens est , adjiciet vitam :* nulli dubium, quin plura centena millia hominum immodicus cibus ad sepulchrum traxerit, quos inedia ad longiorem perduxisset vitam : si enim parciùs pransi fuissent , moderatiùs cœnâssent , siti assuevissent , ac frequentiùs esurire sustinuissent, in ævum prolixius vitam protraxissent , quia ut ait Siracides , *qui abstinens est, adjiciet vitam* , hoc est, qui escæ adimit , annos plures vitæ addit , verúmque sit ; eum plus comedere , qui minus comedit ; & eum è contra minus comedere, qui plus comedit ; quia immodestatus cibus stomachum aggravat , qui cruditates contrahit, humores corrumpit , æstus febriles accendit, & mortem accersit, quâ comedere cessat : qui si parciùs comedisset, diu vixisset , plúsque comedisset ; qui igitur diu vivere cupit, plúsque comedere is parcè comedat, stomachum beneficio jejunii evacuet , cruditatibus , vitiatis humoribus obicem iniiciat abstinentiæ.

26. Commune inter Philosophos habetur axioma ; quo omne agens agendo dicitur pati, quia dum suas exerit vires, necesse est, aliquid contrahat lassitudinis , imò quò efficaciùs agit , eò plus debilitatur : Videmus limam in ferrum agere , multúmque ei de propria adimere substantiâ ; sed aliquid etiam sui limam in ferrum agentem deperdere experimur; ita enim agendo atteritur, ut ampliùs in ferrum nequeat agere : pari pacto calor innatus in cibos , succósque demissos in stomachum agit ; cibus enim priùs ore conteritur, mox in stomachum demittitur , & hunc ibi calor innatus , succúsque digestivus excipit, subigit , ac coquit , sed tunc æquè calor innatus, ac succus ille digestivus aliquid patitur detrimenti , & nonnihil deperdit vitium , quia omne agens agendo repatitur. Quòd si cibus durior sit, crassior: pravæque digestionis, ac copiosior sumptus stomachum magis aggravat ; & calor innatus, succúsque radicalis plus patiuntur, virésque propterea, quas exerunt, labefactant, plúsque sentiunt detrimenti ; quia naturalis calor ; perinde ac ignis inter humentia, ac viridia ligna suffocatur, & digestivus itidem succus succumbit , neque, quem inchoaverat, laborem absolvit : & ex hac ciborum indigesta affluentia cruditates generantur, doloresotiuntur, & ex uno putido fonte æstus febriles in sanguine, vertigines in capite, & omnia morborum genera scaturiunt , quæ totum inficiunt corpus ; & stomachus ipse plerumque atteritur, viribúsque destituitur, ut nec unum sorbile recens ovum potis ampliùs sit digerere. Hinc dixerim, nullum esse in humano corpore morbi genus, quod ab hac ciborum ingluvie, à gulæ indulgentia suam non trahat originem. Pluries ex imperitia , vel quia gulæ subtrahere nolumus , nec ab illis abstinere immodicis ferculis , quæ morborum in nostri corporis tellure jaciunt semina; morborum causas, ac culpas in aërem refundimus ; in mentis immodica studia ; in locum , quem inhabitamus ; in curas , quibus detinemur ; in negotia , quæ gerimus ; & tamen nullam in gulæ indulgentiam morborum conjicere volumus causam , quia palato detrahere , quod ipsi arridet , nolumus. Non est aër, non locus, non studium, causa morborum, & fractæ valetudinis ; sed cibus , qui per os ingreditur, hic valetudinem inficit, humores corrumpit , febres accendit, & mortem accersit.

## §. IV.

*Gulæ intemperantia non solùm pravos omnes affectus fovet , verùm etiam per accersita morborum agmina nostra insidiatur vita.*

NOn inficias eo à nimiis laboribus corpus frangi , curisque assiduis noxam contrahere ; sed partim, hæc 27.
minora , plerúmque afferre valetudini detri-

trimenta, quàm sint, quæ per immodica esculenta ingeruntur damna; idque apertissimè testatur Gallenus Medicorum facilè Princeps: fatetur enim, omnem aliam intemperiem, sive ortam ab æstu solis, sive à rigente bruma, sive à ventorum insalubri flatu, sive ab immodica corporis exercitatione parum sibi damni attulisse, eò quia in esculentis, & poculentis, quæ per os ingrediuntur, & in stomachum demittuntur, debitam semper servaverit temperantiam, ratus cibi, potissque satietatem, Lernæam illam esse hydram stabulantem in stomacho, perinde ac in palude cœno corrupti cibi fœda, & haustu vini semper madida; & ex qua non septena tantùm morborum capita pullulant, sed quidquid noxii obtingit valetudini, id à gulæ intemperantia suam censet originem trahere: corporis igitur, qui valetudini studet, necesse est, contra gulæ vitium certamen ineat, quia vitium gulæ non solùm vitiis cæteris pabulum suppeditat; sed & morbos omnes in humano corpore excitat; sitque propterea gulæ vitium ita homini exitiale, ac perniciosum; ut non solùm corporis moliatur necem, sed quod deteriùs, & longè graviùs etiam animæ intentet interitum: siquidem morti tum corporis, tum animæ, nos hoc vitium gulæ initiavit, nosque cum Protoplastis è peradiso exclusit, & in exilium ærumnarum protrusit, mortique priùs damnavit, quàm vitam inchoaremus: primi enim parentes pomi interdicti esu omnes homines priusquam gignerent, interemerunt.

8. Nostræ jugiter gulæ vitium vitæ insidiatur, nos viribus destituit, nos proterit, nos conculcat, & non solùm in corpus sævit; sed etiam in animum crudelescit: ex immodico siquidem cibo, & potu non solùm oriuntur in corpore morborum omnes series, secum trahentes mortem graviorum ciborum sarcinâ acceleratam, cùm pauci sint infirmi, quos vitium gulæ ad ægritudinem non adegerit, plusque propterea interemerit gula, quàm gladius: verùm etiam oriuntur in anima stupor, languor, tœdium rerum spiritualium, quas mens ex nimio potu fastidit: ex hoc putido fonte scaturiunt scurrilitates, convicia, dissolutiones, rixæ, contentiones, & immunditiæ omnes, quibus virtutes corrumpuntur, & vitia propagantur, ac vigent.

9. Tametsi modicum nobis natura fuerit corpus impertita; vincimus tamen etiam Elephanti edacitatem, aliorúmque vastissimorum animalium aviditatem: videmus unicam duntaxat sylvam pluribus enutriendis Elephantibus aptam, & sufficientem; cum tamen indulgenti vitio gulæ nutriendo impar esse videatur orbis totus: non enim ejus implendo ventri videtur sufficere, quidquid volat in aëre, natat in aquis latet in sylvis: si enim ejus ingrediamur, culinas, obviant statim nobis concursantes plures inter ignes coqui, famulorum turbæ, ancillarum sudantes cohortes: hic strages videmus animalium, illic cumulatos piscium acervos, alibi natantia vino penuaria; ibi ingenti solicitudine, ac singulari arte disponuntur fercula, inferuntur patinæ, & luxus omnis in epulis promovetur: & pro palmari opplendo stomacho suis deliciis spoliantur elementa quæque: & id datur homini vitio, cùm sit natura paucis contenta, & modico cibo, frustóque siliginei panis fames sedetur, & fontali aqua sitis promptiùs extinguatur, quàm immodico vini haustu. Metiatur, qui gulæ indulget, corpus suum, suúmque consulat stomachum, statim deprehendet, necessarium ei non esse, quod mensuram excedit, & naturæ paucis satisfieri, cum luxuriæ nil sufficiat.

Facilè omnem cibi, potúsque superfluam curam quisque abiiceret, si non ciborum in gulam spectaret ingressum, sed vitæ 10.
consideraret exitum, ac præmaturam mortem per ciborum immodicam ingestionem acceleratam. Citiùs emoritur corpus, multiplici exoticarum epularum varietate nutritum, ceditque fœdissimis in pabulum vermibus, quibus escam præparat, cùm carnem lautiùs nutrit; multipliciter in nutriendo corpore plerúmque peccamus, quantitate scilicet, quatenus plus in stomachum alimenti ingerimus, quàm depulsio famis exigat, quàm natura cupiat, & valetudo exposcat: & cùm plus æquo oneratur stomachus, calor nativus defatigatur, & suss, quas exerit, vires infringit, & succus radicalis obruitur: cúmque nativus calor coquendis, ac digerendis tot variis esculentis ordine ingestis tumultuario minimè sufficiat; necesse est, plures ingenerari, & adesse cruditates, quibus humores corrumpuntur, sanguis vitiatur, ac plurium morborum series accersuntur. Vel peccamus ciborum qualitate, cùm cibos naturâ suâ præsalsos, vitiosos, pravæ pinguedine fartos, vel plus æquo duros, aut excedentes in qualitatibus, frigoris, & caloris in ventrem deiicimus, non alia ratione, nisi quia gulæ arrident, & placent palato, quâ de causa etiam fungos, cucumeres, & telluris ejectamenta, quia gulæ sunt irritamenta in deliciis habemus. Vel in modo delinquimus, cùm cibum licèt, ex se probæ nutritioni aptū malè mandimus, & integros bolos raptim deglutimus, & plura fercula uno, eódemque fermè tempore integra traiicimus in stomachum, ubi propterea sanitatem frangunt: & quamvis fercula illa pro integro prandio non essent immodica, nec proinde valetudini noxia, quia tamen peccatur in modo comedendi, plus cibus adfert detrimenti, quàm utilitatis.

Nec desunt, qui mortem accerserint 11.
præmaturam, eò quia hocce deliquerint in modo,

modo. Refert Capitolinus, Antoninum Pium in cœna caseum avidiùs devorâsse, & nocte insequenti doluisse stomacho, altera die æstuâsse febri, & tertia fuisse morte correptum. Ex hoc delicto in modo ita præcipitanter comedendi habentur putredines, corruptio sanguinis, vitia humorum, & ægritudinum omnium fœda origo; destruitur valetudo, corrumpitur sanitas ex ciborum intemperie: est siquidem sanitas in humano corpore contemperata humorum, ac qualitatum proportio, quâ nativus calor, & insitum frigus; siccitas quoque, & humiditas æquali ita gradiuntur passu, ut neutrum ab altero superetur; sin verò humiditas superfluat, siccitatem totam extinguit, & per infractam humorum harmoniam oritur ægritudo: pari pacto, si calor innatus, vel humidum radicale cæteras excedat qualitates, necesse tunc est, non multùm distet morbus. Sunt etiam ex physicis non pauci, qui putant vinum generosum plurimum stomacho prodesse, cruditates in ipso concoquere, ciborum digestionem juvare, calorem insitum corroborare, & totam instaurare naturam, qui tamen potiùs videntur cæcutire; cùm crassissimè errent: est hæc opinio scopulus ille; in quem dictim vino fluctuantes impingunt, & miserè naufragantur.

32. Alii quamvis haustum vini improbent in juvenibus, approbant tamen in senio jam confectis, in quibus aiunt labefactam naturam instaurare, deperditas vires reficere, stomachum frigidum calefacere, & feliciùs in ipso congesta alimenta concoquere. Sed putârim vitio potiùs gulæ hallucinari, quàm vera ratiocinari Philosophia: Vinum quò generosius, innatum calorem non incrementat, sed deprimit, suisque destituit viribus, & stomachus præsertim senio, vel morbo debilitatus, ac frigidus nobili non juvatur falerno, generoso non instauratur vino, quin potiùs depravatur, affligitur, ac labefactatur. Vera Philosophia id docet, ut inter continens, & contentum, recipiens, & receptum detur proportio, quæ propterea desideratur inter stomachum recipientem, & continentem cibos, & inter hos in stomachum receptos, & contentos: non enim debet stomachi capacitas superari à ciborum superfluitate, neque qualitates ciborum, eas debent stomachi excedere: cùm enim debeat cibus in stomacho concoqui, & ad id necessarius sit calor nativus, qui agendo patitur, procul dubio si generosioris meri calor stomachi superet calorem; hic vino coquendo minus est aptus; plúsque impendit temporis, plúsque atterit virium, & quia in senio confectis calor nativus flaccescit, ac diminutus languet, minus potis erit æquè ad cibos excedentes coquendos, ac generosiori vino digerendo aptus; non enim modica flamma ollæ carnibus, vel leguminibus oppletæ par est coquendæ, quia olla uberiorem exigit ignem.

Pugnat igitur generosi vini calor cum insito calore stomachi, & si calor stomachi debilior sit, faciliùs succumbit, ac ex tinguitur. Non igitur vinum generosum senio confectis, & quibus stomachus friget, prodest; quin potiùs obest, si immodicum fuerit ob inæqualitatem recipiens inter, & receptum injectam; quin potiùs stomacho debili, lymphatum congruit vinum, modicúmq; cibi, & quidem tenuis, facilisque concoctionis. Hanc tamen veritatem ægrè audiunt, qui gulæ indulgent, sentientes vinum generosum præsertim Creticum, vel Chium stomachi cruditatibus coquendis aptissimum esse, & calori deficienti in senibus corroborando; imò asserunt, phlegmata pectoris non alio efficaciori solvi pharmaco, quàm vino generosiore, cui propterea læti indulgent: sed plerúmque putantes stomachum juvare, caput lædunt, & totum corpus perdunt. Frigus enim in senescentibus inquilinum, tam violento vini igne non tollitur, neque calor stomacho insitus corroboratur; sed potiùs expugnatur, & opprimitur, penitúsque extinguitur; quia vini calorem fortiùs agentem superare nequeat, nec ipsum concoquere; proinde fit ei necesse succumbere, ac deficere: calefaciunt igitur generoso indulgentes vino stomachum, sed nativum extingunnt in eo calorem, simúlque animam extrudunt; idque causæ, cur quotidie innumeri moriantur. 33.

Qui falsa ducti opinione ad tuendam valetudinem multo madent vino, eóque generoso, hi procul dubio suis se beneficiis blandè jugulant, & stomachum ita calefaciunt, ut totum corpus refrigerandum extradant sepulchro. Stomachus sive à senio, vel morbo, aut natura imbecillitatem contraxerit, plurimum à vino generoso contrahit noxæ, calor enim immodicus vini fractas non reficit stomachi vires, sed eas opprimit; & qui nobilitate vini stomachi deficientes vires putant resarcire; hi deplorabili ignorantia se ipsos destruunt, quia dum corpus fovere credunt, illud interimunt. Hinc scitè Franciscus Vallesius, qui fuit Philippi Secundi Hispaniarum Regis Archiatrus de sacra Philosophia, ait: Jam nihil arbitror, quàm senibus caloris augendi gratiâ vinum abundanter, meracúmque præcipuè indulgere. Quantò enim vinum calidius est per se se, tantò majori ventris, ac viscerum omnium calore opus est, ut superetur: alioquin à minori acescit, crudúmque succum auget; unde & calorem naturalem suffocat, & morbos innumeros parit, ac mortem accersit. Quare vinum esse lac senum non valdè probo: censeo potiùs senibus lensim esse dandum dilutius usque dum in extremo senio constitutis toto vino detracto, detur pro eo mulsa, aut aqua decocta. Satiùs enim est permittere calori naturali sensim venire ad naturalem interitum, quàm vino obruere: & senectam facere miserabiliorem, ac breviorem. 34. Cap. 29. à fin.

Vult

Vult igitur Vallesius, vinum tantò dilutius esse bibendum, quantò provectior est ætas; adeò ut adultiori senio aqua in potum substituatur vino, quò major inter senilem stomachum, & potum naturalis fiat proportio; & inter præstantis vini ignem, & flaccidi stomachi frigus nulla est proportio. Noxium igitur, quia inæquale, est connubium, quo stomachus debilis vino copulatur generosiori: non ritè conveniunt, qui conditione non sunt in conjugio pares; hinc plures fortassis vinum extinguit, quàm mare absorbeat.

35. Cerevisiæ per Germaniam assueti, si ægrotent, optimum sibi pharmacum persuadent exhiberi, si vinum ebibant generosum, & hi duplici falluntur errore; partim quia stomachi debilitas per epotum vini non instauratur calorem; partim quia stomacho non assueto magis noxius est vini nobilis, ac generosi haustus: hinc errant mercenarij præsertim, qui malè valentes totam, quam ex suis laboribus congesserant pecuniolam, impendunt in vino sibi comparando, quasi panaceam acquirerent morbis omnibus abigendis accommodatam. Et quamvis vix contrarium possit ipsis persuaderi, eò quia experiantur ex haustu nobilioris vini Hungarici, Rhenani, Moselani vires restaurari, & stomachum calefieri: falluntur tamen, quia hæc vini, quæ censetur virtus, vires instaurans, & stomachum corroborans, exiguo duntaxat durat tempore, antequam pugnam ineat cum innato calore, à quo necesse est, coquatur, ac digeratur, & tunc vinum, quod pharmacum putabatur, lethale fit venenum, quod humores corrumpit, & modicum stomachi calorem, cum quo pugnam init, premit, opprimit, & extinguit. Huc accersendus Hieronymus Cardanus, qui ait: Vinum ventriculo amicum ob id plerique existimârunt, quòd aqua illi primùm sit inutilis; deinde quod en vires non parum foveantur, & natura instauretur. Gravior etiam potus aiunt, melior est, quia concoctiones magis juvat, suáque caliditate intemperiem frigidam, & cruditates ventriculo familiares emendat. Sed non sic se res habet, sed veluti immoderata, quæ utiliora videntur, brevi tempore in successu aggravant, offenduntque: ita osus vini potentis hæc omnia habet, quæ diximus. Vinum potens longo usu ventriculum enervat, & ex toto destruit; Jecur excalefaciendo cogit cibum erudum trahere, & ipsum inflammando sitim excitat, & & obstructiones parit: unde qui potenti utuntur vino omnes brevi, nisi præpinguem habeant ventriculum tabescunt. hactenus Cardanus, qui etiam obiicientibus sibi generosiore vino plures corroborari stomacho, & viribus, respondet: quòd si qui à potentibus vinis juvari videntur; hoc non ob aliud contingit, quàm vel ob consuetudinem, vel quia humor crudus ad venas promptiùs digeritur, malúmque cum fœnore commutatur, non extinguitur, & docet Cardanus: etiam vinum generosum exurere jecur, quo malo nihil est dirius, quia quod semel est ustum, nunquam magis restituitur, quàm caro, quàm lignum, quàm panis adustus. Deinde vinum viribus pollens humores crudos deducit ad intima, & ex iis lapides generat.

*Lib. 2. de sanit. tuend. cap. 11.*

*Lib. 4. de tuend. valetud. cap. 26.*

Hoc idem sentiunt clarioris notæ Medici, inter quos Cechius insignis Medicus, ac medicæ facultatis in gymnasio Bononiensi primarius moderator, hic enim in suo opere medico *consult.* 71. ait. Illud unum hic silendum non est, vinum generosum, & potens languenti ventriculo nocentissimum esse, si largiùs potetur; ægrè enim admodum superatur. Cui adhærens Alexander Petronius Archiater Gregorii XIII. summi Pontificis *lib.* 5. *de sanitate tuenda cap.* 5. ubi vinum potens improbans, & aquâ dilutum seni præsertim suadens bibendum, ait: homines, & animalia cætera, præsertim verò pisces, qui aquâ passim utuntur, ferè perpetuò sani, quæ eorum est natura, degunt; longióremque vitam homines, qui aquam, quam qui vinum potant, sæpe numero sortiuntur, hæc ille. Quòd si quid ipsemet experiar hac in re, ingenuè fatear, dicam; à prima adolescentia vino assuevisse multa tamen aqua diluto; cúmque subinde gravarer stomacho, & aliquando adhibuerim vinum generosum nulla coërcitum aqua, ut mihi prodesset, & si quæ essent in stomacho cruditates congestæ, citiùs excoquerentur; me prorsus deceptum novi, quamvis enim post haustum vini sentirem calefieri stomachum, ac vires quodammodo instaurari, non post tamen multum temporis incrementum sentii gravedinis; & acriùs semper ac antea stomacho dolui post haustum vinum, quamvis in modica quantitate; eò quia aquâ, ut moris mihi erat, dilutum non fuerat. Mirum dictu, sed quod verè pluries sui expertus; quoties postea gravabar stomacho, non ampliùs vinum adhibui, sed aquæ pane adusto, & adhuc calente in eam injecto, quo eius cruditas corrigeretur, plenum haustum, sensi stomachum statim recreari, cessare gravedinem, & corporis vires instaurari; neque per plures annos etiam supra viginti amplius usus sui pharmaco ob stomachi gravedinem, sed quoties aliquid in stomacho ingestæ cruditatis experiebar sola dieta, seu parciori cibo, & pura aqua usus sum cum ingenti meo commodo; & quamvis continuis addictus studiis, totísque dies in iisdem impenderim, nullum sentii capitis dolorem, nullam ampliùs in stomacho gravedinem, & beneficio dietæ æquè in cibo, ac potu valetudinem meam, quamvis gracilem ad seniles protraxi annos: & mentirer, si aliud mihi contigisset, quàm ingenuè hic fassus sum: in id circa cibum, & potum semper incubui studii, ut non plus in stoma-

stomachum demitterem, quàm calor insitus posset facilè concoquere, ne mihi impedimento esset prandium ad studia pomeridiana: cibum enim censui ita sumendum, quò vires reficerentur, non opprimerentur: cibus enim æquò copiosior ingestus, & stomacho minimè attemperatos naturam non reficit, sed eam interficit; hinc S. Chrysostomus ait: *Cibus si plus, quàm concoqui potest, sumatur, morbis corpus infestat. Unde enim podagra? unde pendula, rigidáque corpora, nonne ab immodicis cibis?*

*Homil. 31. in cap. 15. Act. Apost.*

37. Quæ ex immodico cibo impura sunt corpora, quò plus nutriuntur, eò magis læduntur; quia cibus præter naturam plus ingestus, omnia accersit morborum agmina; & licèt alimenta optimi dicantur esse succi, si tamen excesserint, frigidos, & ipsa morbos procreant: hinc Castro Durandus celebris in Italia Medicus in suo thesauro sanitatis, de bonitate, & vitio alimentorum agens de phasiano ait: alitem esse laudatissimæ carnis, succíque optimi, excrementi paucissimi, ac propterea cæteris præferendum eduliis: sed si quis plus æquo comedat, non modicum infert detrimentum, imò & podagræ movet fluxiones: & ut non noceat, id dat consilii, ut parcè quis de phasiano comedat, partémque potiorem pauperi mittat ægroto. Probum sanè Medici consilium? quod ita saluti prospicit corporis, ut eam non negligat animæ, quæ suum etiam haurit commodum ex eo, quòd potior pars phasiani pauperi detur ægrotanti; quia tunc, qui se ab illa abstinet, indigentiæ opitulatur pauperis, sibique merita incrementat. Alimenta igitur quamvis optimi sint succi, ac probatæ substantiæ, si exigentiam excesserint naturæ, & stomacho fuerint gravamini, non prosunt, sed obsunt comedentibus, frigidósque excitant morbos, quia quævis immodica repletio semper perniciosa est, & vitæ insidiatur hominum, quorum potiorem numerum immodica interficit repletio, quæ naturalem perinde suffocat calorem corporis, ac magna lignorum strues modicum accensum ignem: etiam oleum nutriendæ flammæ aptum, si plus, quàm par sit, lucernæ infundatur, lumen extinguit: non enim suam aliunde trahunt originem stomachi cruditates, ventris dolores, jecoris intemperies, nervorum luxatio, viscerum obstructiones, quàm à victu immoderato, hic enim dolores cit, fluxus commovet, lienem obstruit, compagines afficit, calculos in renibus coquit, morbos procreat melancholicos, humores corrumpit, sanguinem vitiat, ægritudines parit, nauseam inducit, & aliorum excitat profluvia.

❋ (o) ❋
❋

## § V.

### *Jejunium instar panaceæ non animi tantùm ægritudines, pravósque omnes affectus corrigit: verùm etiam morbos singulos corporis propulsat; firmámque invehit valetudinem.*

Quia contrariorum eadem dicitur ratio esse; si immoderata alimentorum in stomachum injecta ingestio Hydra Lernæa est malorum omnium: jejunium, & abstinentiam dicas, ægritudines omnes propulsare, & temperantiam medicinarum omnium præstantissimam esse, ipsámq; sanitatis matrem: unde Chrysostomus appositè ad rem nostram ait: *Magis autem, si rem diligentiùs intueris, & sanitatis, bonæque habitudinis partem invenies: atque si meis sermonibus derogas fidem, de his filios percunctare Medicorum, ipsíque eadem manifestiùs explicabunt, qui abstinentiam matrem sanitatis appellant,* cum omnia morborum agmina suam ab immodica repletione originem trahant, rectè cuiusvis ægritudinis curatio suum à jejuno, & abstinentia exordium ducit, quia ut scitè nos monet Siracides. *Qui abstinens est, adjciet vitam,* quia abstinentia sanitatem fovet, & vitam protrahit: hinc qui jejuniis, & abstinentiis assueverunt, longævos scimus fuisse. In Ægypto Hilarius quamvis natura gracilis, corpore tenuis, viribúsque quasi destitutus, annos tamen quatuor supra octoginta vixit, eò quia nunquam pranderit, & nonnisi modicam, eámque tenuissimam dietim post solis occasum cœnulam sumpserit. D. Hieronymus Bethlehemiticâ sua in specu nonagenarius vixit, sed jejuniis assuetus. S. Romualdus in Italia, licèt pœnitentiis fractus, vitæ austeritate imbecillis centum, & viginti annis inter homines vixit, sed perpetuis addictus jejuniis. S. Franciscus de Paula in Gallia annos natus nonaginta mortalitatem exuit cœlesti donandus beatitudine, sed quia perpetuis jejuniis carnem afflixit, ab esu carnium abstinuit, à lacticiniis omnibus abhorruit, vitæ quadragesimalis perpetuus, ac rigidissimus observator. Simeon Stylites ad decimum supra centesimum annum vitam protraxit, sed studio abstinentiæ, & curâ perpetui jejunii. Paphnutius, & Macharius in Ægypto ad annum fermè centesimum vixêre, sed quia frugalis, ac tenuissima mensa eis necessaria duntaxat ad vitæ sustentationem exhibuit. Quòd si plenum vellem cathalogum texere eorum, qui beneficio jejunii diu vixêre, nunquam finem facerem: sicut si eos recenserem, quibus ciborum saturitas præmaturam accersivit mortem, & sepulchrum aperuit. 38.

*Tom. 5. homil. 1. de pœnit.*

*Eccles. cap. 37.*

39. Non solùm viri religiosi, culturæque addicti virtutum beneficio abstinentiæ, ac jejunii ad extremam usque senectam vixêre. Verùm & viri Principes alias deliciis, & opu-

opulentiis dediti: Aurelianus Imperator per sexaginta sex annos nullum unquam fertur pharmacum sumpsisse; neque ex incisa vena sanguinem emisisse, quia instar pharmaci, imò & universalis panaceæ morbis omnibus coërcendis fuit, per horam quotidiè obambulare exercendi corporis causâ, mensa frugalis, & singulis mensibus diem unam totaliter jejunam transigere, sine omni cibo, absque ullo potu. Cæsar Augustus sceptrum Romani imperii per annos quinquaginta sex feliciter fuit moderatus, & vitam protraxit ad annum septuagesimum septimum: hujus autem incolumitatis causam testatur Suetonius eam fuisse, quia cibi minimi, ac vini parcissimus fuit. Scimus, Platonem annos vixisse octoginta, sed quia frugaliter prandere consueverat, & nocte incœnatum ire dormitum. Hermodium viribus propemodum destitutum, & a phthisi graviter infestatum beneficio abstinentiæ, sobriæque dietæ ad annum vixisse centesimum. Democritum, & Hippocratem victûs frugalitate, haustúsque abstinentiâ quintum supra centissimum attigisse vitæ annum. Gallenum centesimum vigesimum tuisse vitæ annum assecutum, non tamen quia egregiè comedit, & laxiùs potavit; sed quia severè jejunavit, & arctè abstinuit; constat enim de Galleno, eum nil crudi, nil fructuum, haud pomorum comedisse, & de mensa nunquam expleta fame semper surrexisse, & id beneficii plures alii à jejunio, & abstinentia obtinuerunt, qui tamen non Numini, sed valetudini, vitæque jejunârunt productiori. De Zenone Cittico refert Suidas, nonagenarium obiisse cibo adeò abstinentem, ut pluries inediâ videretur deficere, abieritque in adagium Zenonis continentia; vir que jejuniis assuetus audiretur Zenone continentior.

40. Est igitur abstinentia tuendæ valetudini pharmacum præstentissimum; hæc enim superfluitatem humorum exsiccat, vitia sanguinis corrigit, æstus febriles extinguit, dolorum punctiones retundit, torquentes podagras coërcet, ut refert Ludovicus Granatensis de quodam viro oppulento, qui cum per plures annos chiragrâ, & podagrâ laborâsset, aliorúmque propemodum omnium membrorum esset usu destitutus, & ab hoste insidiatore in arctam fuisset turrim injectus, & in arctissimo illo carcere totum quotidianum obsonium fuisset ipsi frustulum panis, & aquæ palustris modicus haustus, fueritque usus hisce gulæ lautitiis per annos quatuor integros; & cum per rerum temporalium vices ex arcto illo tandem fuisset ergastulo ereptus, sanus è turri foras exiliit, nec ullas ampliùs sensit chiragræ molestias, nec podagræ dolores, egeritque propterea turri, & fami summas gratias, & præsertim jejunio, & abstineatiæ, cujus beneficio se à molestijs illis morborum noverat ereptum: imò addit Granatensis flexis genibus quotidianas preces Numini effudisse, ac Deo supplicâsse pro illius incolumitate, à quo in arctas illas latebras sibi tam salutares fuerat injectus: neque cessavit abstinentiæ benedicere, ejúsque laudes, ac beneficia commendare. Hoc idem de quodam Pechio podagrico etiam narratur, qui cum annis novendecim arctiori abditus in specu pane solo, & frigida vixisset, podagram omnino abstersit, ac expulsam per reliquum vitæ semper habuit, nec ampliùs molestiis podagræ se sensit obnoxium.

Sobrietas mensæ medicina est cæterarum præstantissima, morbísque omnibus excutiendis è corpore humano magis accommodata; hocce pharmacum tuendæ valetudini opportunum natura ipsa bruta edocet animantia, quæ non plus cibi deglutiunt, nec haustûs sumunt, quàm necessitas exigat ad famem propellendam, sitímque extinguendam. Serpens graviore obrepente senecta pellem exuturus vetustam, novámque quasi juventam induturus diebus plurimis jejunare dicitur, & ab omni prorsus abstinere cibo, & potu, vegetiórque beneficio abstinentiæ è suis exilire cavernulis; leo, & lupus si stomachi sentiunt gravedinem ad morbos præcavendos pharmaco utuntur abstinentiæ, nilque comedunt, donec famis acrimonia eos ad sumendum cibum stimulet. Quos igitur saturitas perdit, hos abstinentia restaurat. Quas non invexit in mundo gulæ indulgentia ærumnas? quas non induxit calamitates? traxit ruinas? fuit enim gula Adamo, sui & totius humani generis ruina, cui præcipitium aperuit, cum Adam pomi morsui gulam adaperuit; & ab hac vitiata vomica mala omnia foras eruperunt, sitque propterea gula miseriarum omnium janua, ægritudinum fons putidissimus, vitiorum radix corrupta, pravorum omnium affectuum incentivum, virtutum sepulchrum, valetudinis fovea: gula enim Esau jure spoliavit primogenituræ; Israëlitas interemit, & plures per singulas mundi partes miserè perdidit; hinc Annæus Seneca scribens ad quendam equitem Romanum Lucilium nomine, hominem scilicet divitiis æquè affluentem, ac commodis omnibus assuetum, sibique amicitia arctè devinctum, cui inculcans præ cæteris abstinentiam, ait: *Quid magni est mi Lucili si ostrea, & boletos, si perdices, & capros, si meleagrides, & phasianos, si testudines peldatas, si castrorum caudas, si ursorum ungulas, si cerebrum Jovis non desideres? tunc mihi rem magnam feceris si panem nigrum, ac sordidum non rejeceris, si tibi ipse persuaseris herbas, & olera non pecori solùm crescere, sed & homini; si denique parvo contentus esse didiceris.* Epist. 110.

Plus enim advehit corpori incommodi ciborum ingestio, quàm totiùs corporis ad virium usque defectionem fatigatio, cùm enim cibi tametsi optimæ substantiæ, succíque exquisiti, si plus æquo ingerantur, crudi, ac indigesti remaneant; & stomachus, deliciis 42.

fartus pavonum, caponum, anatum sylvestrium, attagenum, aliarúmque exquisitarum avium cupediis, quibus coquendis calor non suppetit, cruditatibus oppleatur, ex quibus frequentes oriuntur ægritudines, necésque properatæ, quarum potior causa est luxus in epulis, ciborúmque ingurgitatio: hæc enim concupiscentias etiam fovet, pravósque affectus gignit, & nutrit: quòd si cani ringenti, dentésque minanti baculus ostenditur, quo abigatur; si ollæ despumanti ignem subtrahimus, ne jusculi substantiam effundat; si equo recalcitranti pastus minuitur, quò ad obsequia flectatur; perinde insolescenti per pravos affectos carni cibus subtrahendus est, & potus, ut edometur, ac imperio obsequatur rationis; stomacho saturo vix quidquam sapit, & epularum etiam fastidit cupedias, quia satur, quia ingestione ciborum gravatos; cui vacuo etiam olus nullo rigatum oleo, nec fartum butyro sapit, quò Numinis sapientissimi admiremur providentiam cum sinceriorem edendi voluptatem, & bibendi delicias in fame posuerit, & siti: hinc Salomon ait: *Anima saturata calcabit favum, & anima esuriens amarum pro dulci sumet.* Prov. c. 27.

43. Quid? quod voluptas, quam DEUS cibo indidit, & potui, seu fulcris, quibus humana sustentatur, ac nititur vita, non in meliori consistit organorum dispositione, non in epularum cupediis, nec implumium avium deliciis, sed in quovis obvio, eóque etiam vili obsonio? neque referat, quâ arte sit illud paratum, quo cacabo concoctum, sed an famelicis fuerit faucibus receptum, idque suos edocuit Monachos D. Bernardus, Hi cùm passim conquererentur, quòd fercula ad prandium, cœnámque semper eadem essent, nec saperent utpote omni destituta condimento: ex industria D. Bernardus coquum extra monasterium misit, non reversurum nisi nocte; cúmque tempore prandendi nil adhuc esset paratum, & culina adhuc tota frigeret, iterum conqueruntur cum Abbate, eò quia prandium non sit paratum, & coquus abierit; quibus S. Pater, vos Religiosi estis culturæ virtutum, & studiis addicti; æquum est, ut patientiam exerceatis, donec revertatur coquus: interim Monachi impransi chorum, & Ecclesiam frequentârunt, divina officia persolverunt, ac DEI laudes, & quidem tristes, vocibúsque submissis, utpote quæ è jejuno prodirent stomacho. Nocte tandem accessit coquus prandium simul, & cœnam paravit, fercula exhibuit consueta, comedunt Monachi, quibus præest D. Bernardus, & post cœnam coquum laudant, exhibita ipsis fercula, quæ comederunt; eò quia ipsis singulariter saperent, & optimis fuerint parata condimentis, rogâruntque Abbatem, ut juberet, coquum similia semper parare Monachis fercula, quibus tunc D. Bernardus; non plus adhibuit coquus diligentiæ, non plus impendit condimenti in parandis epulis; sed vos vestram addidistis famem, & cum ipsa condimentum apposuistis, ideóque sapidiora sunt visa, quæ consueta fuerunt vobis fercula apposita.

Nullum saporandis epulis condimentum aptius fame; hæc si adsit etiam viro nobili frustum sapit plebei panis; hinc viro agrum excolenti plus sapit olus insulsum, panísque ater, quàm nobili deliciis farto perdix, & phasianus; quia ille famis condimento suum aspergit obsonium, quô cupediæ viri opulenti destituuntur; quò enim edendi necessitas est major, eò uberius est voluptatis incrementum; esurienti, & sitienti panis plebeus, & aqua ex proximo excepta amne ad delicias sapiunt, quia bibere & famem sedat, & sitim extinguit. Satur verò quamvis pisces è singulis maris finibus, fluviis, ac lacubus evocet, è cœlo aves detrahat; apros, damásque sylvestres è nemoribus & montibus eripiat, diversa vini genera, & omnia Apicij condimenta accumulet, non tamen hæc illi sapiunt, sicut aranti rustico panis siliceus, & aqua fontalis; quia hic tenui suo, ac rudi obsonio condimentum addit famis, quod suis lautitiis stomachus satur subtrahit: nil enim est tam lautum, quod repletio stomachi non reddat insipidum; & nil est tam insuave, quod delicatum fames non faciat; avium cupedias fastidit satur, & jejuno frustulum panis plus sapit, quàm exotica Epicuro fercula; idque experiuntur, qui fame torquentur, vel siti exæstuant. 44.

Darius Persarum Rex ab Alexandro Macedone pugnâ victus, ac fugatus ingentem è fuga, prolixóque itinere, ac labore sitim contraxerat, cúmque ad conceptos in visceribus æstus refrigerandos aquam petiisset, neque fons ullus proximus pellucidos posset latices ministrare; pallustrem aquam turbidam, quæque plurimum contraxerat ex otio vitii in galea propinatam tanta ebibit voluptate, ut fassus fuerit deferenti, se nunquam suâ vitâ voluptuosiùs bibisse; quia ut ait Cicero libro ultimo Tusculanarum quæstionum *nunquam sitiens biberat*, totam voluptatem propinatæ sibi aquæ sitis injecerat, quam cum antea non fuisset expertus frequenti, eóque pretioso semper haustu madidus, voluptatem non senserat; quam frigida ingerit, cum bibentis extinguit sitim. Idque etiam contingit in fame sedanda: refert Plutarchus, Regem Artaxerxem fractum itidem in prælio, ac fugatum, commeatum omnem perdidisse, ac diuturna pulsatum fame tanta voluptate frustum panis hordeacei, & paucas aridas ficus comedisse, ut dixerit, se nunquam tantam fuisse in prandio voluptatem expertus; fames nimirum gulæ addiderat irritamentum. Viris religiosis in asceteriis strictioris observantiæ, ideo plus sapere esculenta solent, quàm viris principibus lautissima prandia, aliisque in sympositis luxus, quo delectantur in epulis; quia istis 45.

copia

copia & saturitas nauseam pariunt; illis verò sobrietas, ac frequens jejunium cibos, quia paucos, condiunt; idque in mea pluries Congratione expertus sui; ex nostris legibus mensa est nobis frugalis, prandium totum tres absolvunt missus, æquè vulgares, ac exigui, primus quem præambulonem dicimus, ut plurimum minutalia continet pridianæ carnis, quæ ne pereant secundis, vel tertijs mensis apponuntur, vel exta bibulina, aut ovina; vel fructus quos temporum varietas exhibet præsertim in Italia, aliisque regionibus; missus secundus est offa, vel jusculum; claudit prandium frustillum bubulinæ carnis mane lixæ, nocte vel assæ, vel frigidæ; totidem enim nocte nobis apponuntur missus, nisi quod alternis vicibus loco anteambulonis, missúsque prodromi lactuca, vel aliud olus cenam inchoat, quam offa ex perpetuo farre hic Monachij in Germania, ubi per triginta annos immoror instruit, & frustillum carnis assæ claudit. Ultra jejunia ab Ecclesia indicta, addimus jejunium Adventus Domini, & ob præcipuam reverentiam erga Salvatoris nostri passionem jejunium sextæ cujusque feriæ; ut etiam ab esu carnium abstinemus singulis diebus Mercurii per totum annum, quadragesimæ initium ponimus feria secunda ante cineres, & pluribus alijs per annum diebus jejunium nobis speciale servamus; & hisce diebus, quibus ab esu carnium abstinemus diebus Mercurii, & Sabbathinis abstinemus itidem à piscibus, vel nonnisi rarò apponuntur, & hi ex vilioribus; duo ova, offa ex legumine, & pulmentum, vel aliquot pruna, aut alij fructus prandium apparant, cœnam rarò ova initiant; frequenter olus, Diebus veneris, quia nocte unicus tantùm apponitur missus, continens olus ex consuetudine coctum; mane additur quartus ex pisce vilioris pretij, vel apponuntur passeres, vel asellus marinus, piscibus pretiosis semper exclusis, nisi à nostris Benefactoribus missi ex eleemosina fuerint: hac frugali mensa nostrates valetudinem tuentur, & qui apponuntur cibi ipsis sapiunt; quia ubi stomachus vacuitate potiùs, quàm gravedine laborat omnia ei fercula sapiunt, quæ stomachus plenus fastidit.

46. Dionysius Siciliæ tyrannus assuetus gullæ indulgere, & ingestis ciborum cupediis ventrem implere, coquum Syracusis ad se accersens, gravi eum reprehensione pulsavit, eò quia in pridiana cena vix ulli missus sapuissent; idque coquorum obtigisse negligentiâ. Verùm coquus cum accularetur non aspersisse fercula ullo gulæ irritamento, eáque præparâsse absque condimento, studuit verba condire, & non sine sale ingeniosus respondit Regi: si fas est mi Rex conjectare facilè dixerim, quid pridianæ cœnæ defuerit ferculis, cui Rex dic: tum coquus: aromata ni fallor, defuêre; tum Rex coquo succensens ait, quid tu blateras? num culinæ nostræ non satis habent aromatum? tum coquus subridens, ita est: non satis regiæ culinæ aromatum habent Spartanorum. Hisce si non destituerentur saperent procul dubio, quæ mensæ regiæ è culinis mittuntur fercula. Sunt autem aromata Spartana, ad quæ coquus allusit, labor, & fames. Spartani enim non priùs consueverant mensæ accumbere, quàm multùm laboraverint, & esurire cœperint, erat enim vulgata apud Græcos parœmia: famem præter se ipsam cibis omnibus munifica largitate omnia impertiri condimenta; quibus vel ipsa insipida sapiunt, & amara dolcescunt. Stomachus satur cibos quosque etiam pretiosiores, ac aliàs palato gratos, fastidit; esurienti etiam frustum prædurì panis silicinei dulcescit, & sapit; quia ubi Spartana non desunt aromata, ibi cibus quivis suo non destituitur condimento, quo palato arrideat, & gulæ satisfaciat. Sunt qui tota die palatò irritamenta & dulcia dentibus in stomachum injicientes, veluti jam pransi, & cœnati, prandium, cœnámque adeunt, quibus propterea non sapiunt, quæ ipsis fercula apponuntur.

Nullum saporandis ferculis fame aptius condimentum, Spartano hoc aromate cibus quivis, quantumvis vilis, ac rusticanus egregiè sapit: aiebat propterea Socrates; optimum ciborum omnium condimentum una est fames; & frigidi exilientis fontis latices plus ei ingessère deliciarum, quàm alijs vinum falernum, Creticum, vel Chium; Socratici enim potûs sapidissimum condimentum sola erat sitis, cui frigida quæque sive à fonte, sive ex amne, vel torrente hausta dulcescit, & sapit. De Constantino Imperatore refert Ammianus Marcellinus nunquam publicè excreâsse, nunquam nares emunxisse, quia sobrietatis studiosus excrementorum superflua ejectamenta vix admiserat in stomacho: & nihilominus ab exercitu Persarum cæsus, & in fugam actus, esuriénsque ob diuturnos in itinere superatos labores exhibitum sibi ab anu quadam in casa rusticali panis frustum, eâ comedit appetentiâ, eóque gustu, ut dixerit nunquam tragemata, & bellaria sic ipsi sapuisse; quia nimirum panis ille rusticanus Spartanis erat tunc aromatibus inspersus, nec Imperator unquam sic esurierat. Sapiunt cibi omnes, ac dulcescunt esurienti, quod & David asseruit inquiens: *Cibavit eos ex adipe frumenti, & de petra melle saturavit eos:* Quid? quod Psaltes hebræus adstruat melle de petra stillante saturos Israëlitas? scimus quidem petram Moysis virgâ percussam frigidos statim exhibuisse latices, quibus sitientis populi extinguerentur æstus: neque de mellea scaturigine è rupe, vel silice, ulla fit in sacro codice mentio. Quid igitur? quòd David aquam è silice eductam melleam dicat, ac melle saturatum populum? quia tametsi sola aqua è percussa petra fluxerit; quia tamen ex prolixo itinere defatigatis, sitique æstuantibus populis hæc aqua opportunissimè scaturiit è silice

47. (margin, beside "Nullum saporandis ferculis")

Psalm. 80. v. 17.

silice, sitientium æstibus extinguendis perupta, ideo sitienti, ac bibenti populo non fontana aqua, sed mel dulcissimum videbatur, quo & sitim extingueret, fractas ex itinere vires restauraret, totámque naturam reficeret; *& de petra melle saturavit eos.* Petræ durities,seu labor exantlatus,& fames accersita molles educunt latices, qui mellei scaturire videntur.

## §. VI.

*Hypocrita,quem per jejunium corpori cibum subtrahit,vitio suppeditat, quod lautius nutrit, quia sub larva virtutis vitium fovet.*

48. FAlluntur,qui concedentes jejunium præsentissimum esse pharmacum superfluis humoribus excutiendis, ac ægritudinibus dissipandis opportunum, censent perquàm amarum esse, palato nimis ingratum. Qui amarum dixerint jejunium, quod famem accersit ciborum omnium optimum condimentum? Palato esurienti non sola mellita grata sunt; verùm etiam panis avenaceus inhianti cibus sapidior est; quàm homini jam saturo artolagana, scitamenta mellita, nebulæ dulciariæ, cupediæ selectiores, bellaria dulciora, tragemata rariora, quia ubi jejunium, & fames; ibi cibi condimentum suavissimum. Nec mirum, si stomacho saturo non sapiunt fercula etiam delicatiora, cùm panis avenaceus stomacho vacuo dulcissimè sapiat: palato siquidem, & stomacho jam præoccupato quidquid accessorij obtingit cum illud minimè natura exigat, sed potiùs eidem reluctetur,non potest nisi nauseam movere, quàm palatum allicere. Tametsi ægroto fercula proponantur delicatiora optimè cocta, & saporis eximij; imò & primæ laudis cupediæ; non tamen ægroto sapiunt, quin potius cupedias illas nauseat: quia nimirum fauces, lingua, gustatus ægrotantis succu inficiuntur corrupto,& vitiato præoccupantur humore; proinde non mirum si etiam delicatiora fercula ægrotanti non sapiant: non quòd suis fercula destituantur deliciis, suis careant irritamentis, sed quia vitiato humore fauces, & gustatus præoccupantur ægroti, cui propterea nil sapit, & oblatos sibi cibos fastidit. Secus Rusticellus, qui diurnos in terræ cultura labores superavit, nocte ad propria reversus mapalia, offam exoculatam,olus confectum, nec alio rigatum liquore ad palati irritamentum, quàm ab ipsa fame suppeditato, avidissimè comedit cum pane avenaceo,& quidem tantis deliciis, ut totis digitis catinum everrat, quos lambit, ac penitus prærodit; nimirum oleri huic confecto, vel offæ exoculatæ optimum suppeditat fames condimentum: ideóque rusticello volupe est olus comedere; quod saturo stomachum moveret, & nauseam cieret: quod sapit, verè illud,& nutrit; & cum deliciis deglutitur.

Non igitur amarum est jejunium pharmacum, imò dulcescit, cum famem accersat, quæ omnium condimentorum optimum est: est non solùm pharmacum corporis morbis curandis idoneum; sed etiam animi ægritudinibus excutiendis peraptum; dummodo sit pharmacum purum, & simplex, absque mixtura aliorum liquorum, quorum accessu solet pharmacum vires suas frangere, ac sua destitui virtute; hoc est, dummodo jejunium sit simplex, sincerum juxta illud Matth. ubi Christus ait: *Cum jejunatis nolite fieri sicut hypocritæ tristes: exterminant enim facies, ut videantur ab hominibus jejunantes.* Tunc enim suam deperdit jejunium venustatem, quia à sua abscedit simplicitate, & sub larva impallescentis jejunij, vitium fovetur hypocrisis; quod subtilissimum est malum, latens venenum, irrepens per viscera virus, virtutis fucus, tinea sanctitatis. Reliqua vitiorum agmina suas proprias nituntur vires exerere, armis pugnare, & palam, quos impetunt, expugnare; proinde faciliùs caveri possunt,quia aperto marte, quos expugnare nituntur, semper aggrediuntur. Hypocrisis verò subducta manu venenum spargit, tecto gladio vulnus infligit, paliata hostilitate, ut minùs timeatur bellum indicit, ipsa enim adversa simulat, prospera fallit; quæ animo molitur, extimo vultu mentitur, & sub larva sanctitatis virtutum omnium flores corrumpit; jejunium jejunio perimit; eleemosynam eleemosynâ interimit; pietatem pietate inficit, justitiam justitiâ prosternit; charitatem charitate extinguit: hypocrisis enim singulas excolit virtutes, quibus tamen laqueum injicit,& priùs suffocat, quàm foveat; ideóque hypocritæ in id totam jejunii curam ponunt, ut faciem emacient, totóque vultu impallescant, quo hominibus in extima cuticula videantur jejunantes; student abstinentiæ, cujus larvâ vultui impositâ interna contegunt vitia: nimirum facies exterminant suas, quia omnia eradicant virtutum ornamenta. 49.

Hypocritæ facies si spectetur, est inculta; si cutis neglecta; si vultus tristis; si genæ impallescunt; si frons sordescit; si oculi lachrymis madent; & totus aspectus defloratus, deploratus in luctu, & squalore deflorescit, quò laudes hypocritæ aucupentur inter homines, cùm apud Deum fructum jejunii totum perdiderint. Ingreditur Hypocrita abstinentiæ fluctus, undas trajicit continentiæ, amarum enavigat pœnitentiæ pelagus, non tamen salutis appellit portum, quia hypocrisis in vitii scopulum illisa fœdum patitur naufragium, neque ex tali enavigatione per fluctus lachrymarum, per amaros pœnitentiæ sinus ullum sibi lucrum comparat, sed solam mercatur vanitatem, quâ totus labor fit inanis; abstinentia umbram imitatur vanidam, ac omni substantiæ merito 50.

rito

rito destitutam, propterea monet Christus, *Tu autem cum jejunas unge caput tuum, & faciem tuam lava, ne videaris hominibus jejunans:* non enim Magister Christus vult, comam capitis ieiunantis illecebroso redundare unguento, neque faciem odorato nitescere lavacro, vel fucato splendescere colore, sed ieiunantes erudit, ut faciem discant lavare suam, seu detergere pulverulentas hypocrisis maculas, fictósque pallores excutere; & retia ementitæ virtutis humanæ captandæ laudi prætexta discindere: vult Christus habitu prandentis ieiunium celari Christiano, ne videatur hominibus ieiunans, ne scilicet vanas inde laudes aucupetur: facies enim mœrore deiecta, & genæ ieiunio impallescentes avidiùs appetunt ab hominibus commendari, quàm delicatis ferculis exsatiari. Qui verè ieiunat, ab humanis gaudet etiam laudibus ieiunare, ne vitium sibi faciat de virtute, nec mendacium de veritate, nec de remissione peccatum. Hypocrita enim, quem corpori cibum subtrahit, hunc vitio suppeditat, quod lautiùs nutrit. Foris virtutem simulat, cùm intus vitium foveat. Larvâ abstinentiæ extimam tegit vultûs cutem, & quæ mente intus vitia fovet, largiùs enutrit.

51. Non sufficit, si sola cutis extima impallescat; si solus aspectus ieiunet, nisi etiam affectus, & mens intus à vitiis se abstineat: nisi agricola aratrum obduratæ impresserit telluri, nisi sulcum defoderit, sentes exciderit, gramina evulserit, ac proba sparserit semina; messem non speret; si agros circumeat, externâ duntaxat terræ delectatus superficie, tempus prodigit, & absque spe fructus horis antelucanis è suis exit mapaliis agriculturæ onustus instrumentis, quæ tamen otiantur, & rubiginem contrahunt: ita Hypocrita ieiunans, quia culturâ virtutum gramina non evellit vitiorum, nec sulcos bonorum operum defodit, neque semina proborum desideriorum emittit, sed totus est in externa cutis superficie, quæ hominibus obiecta potest ab iisdem laudem aliquam extorquere; ideò operam, & tempus perdit absque spe ulla fructûs. Jeiunium tellurem nostri corporis proscindit, duritiem frangit, sulcos defodit; sed id non sufficit ad optatam fructuum messem, nisi & semina spargantur bonorum operum.

52. Virtus est, quæ vires, robúrque ieiunio impertitur: alget ieiunium, nisi pietate foveatur; deficit, nisi castitate corroboretur; corruit, nisi charitate sustineatur. Respuit ieiunium corporis cibum, sed pasci appetit nutrimento pietatis: haustum vini renuit ieiunium, sed potu pietatis rigari exposcit: os claudit esculentis, & poculentis; sed cor aperit virtutum incrementis intus recipiendis: quia id est virtus ieiunio, quod verna tempèries telluri, antea vel præalta nive sepultæ, vel gelida compede in famulitium detentæ glaciatæ hyemis: & sicuti verni tepores ab intimis terræ visceribus foras evocant herbarum germina; quibus & prata virescunt, & colles lasciviunt, & campi spem produnt subsecuturæ messis: perinde virtus; & præsertim, quæ in pauperes effunditur eleemosyna, ieiunium efflorescere facit, ac in cœlestem messem fructificare: si quæ proba iacit ieiunium semina probi desiderii, hæc virtus fovet, promovet, alit, quò efflorescant, ac optatos æternæ salutis adferant fructus.

Jeiunium culturâ destitutum virtutis eos imitatur terræ tractus, qui nullo proscissi aratro, nullóque sulco defossi, vel prorsus sterilescunt; vel nonnisi sentes, & vepreta, aut vitiata producunt gramina. 53. Quod aratri cultura est terræ, id virtutis exercitium præstat ieiunio: quod est oleum lucernæ, idem & pietas ieiunio; quia perinde pietas splendorem promovet ieiunii, quod continentiæ irradiat claritate; ac olei pinguedo lumen lucernæ pascit, facitque in noctis solatium illucescere. Imò quod Sol est diei; hoc eleemosyna, quâ ieiunans indigentiæ pauperum opitulatur, dicitur esse ieiunio; quia sicut solares radii diem secum advehunt, devehúntque, pullúsque nocturnis cimeriis, ac mœroribus diurna promovent gaudia, ad cantus aves provocant, ad propria exercitia homines vocant, ad consuetos labores agricolas invitant, flores pingunt, germina fovent, fructus coquunt ad probam maturitatem, & totam reficiunt naturam: ita virtutum exercitia ieiunii sanctitatem promovent, eámque veris illustrant nitoribus, ornántque honestamentis; quia ut ait S. Chrysologus: *Sicut jubar solis clariorem perficit diem, & totam nubium dispersit obscuritatem: sic eleemosyna jejunij sanctificat sanctitatem, totámque cupiditatis mortem lumine pietatis excludit:* (Serm 8.) & paucis interiectis subdit: *Est jejunium vitiorum mors, vita virtutum, pax corporis, decus membrorum, vita ornamentum, robur mentium, vigor animarum, murus castitatis, propugnaculum pudicitiæ, gymnasium sanctitatis, schola meritorum, Ecclesiastica via viaticum salutare, Christiana militia invictus principatus.* Sed hæc ieiunium non præstat, nisi virtutum etiam accesserit cultura; repit enim humi, & in sola hæret cutis superficie, nisi alis fulciatur virtutum, quarum beneficio sursum evehitur, & quibus destitutum, humi iacet squalidum.

Tunc ieiunium prodest, tunc mentem fovet, spiritum farcit; si quod abstinentia gulæ subtrahit ieiunantis; misericordia manui elargiatur indigentis: est manus pauperis Abrahæ sinus, qui non solùm pauperem suscipit Lazarum, sed & pauperibus opitulantes; est cœli thesaurus, qui quod suscipit, ne pereat in terris; in cœlis serit cum fœnore multiplicandum; idque causæ cur Servator 54.

nobis suadeat thesaurizare in cœlis, & non divitias in terris possidere congestas: *Thesaurizate vobis thesauros in cœlo*, neque utilius thesaurizamus, quàm cùm pauperibus opitulamur; quia quidquid manus pauperis accipit, hoc Christus in cœlesti deponit thesauro, ingenti usura nobis compensandum. Damus pauperibus fluxa, & accipimus solida; damus corruptioni obnoxia, & accipimus cœlestem gloriam nunquam perituram; damus terræ detrimenta, & cœli accipimus incrementa; damus nummorum metalla, & accipimus regni cœlestis immortalia; damus temporalia, & nobis distribuuntur æterna; damus nummum, & accipimus regnum; damus terram, ut possideamus cœlum; damus granulum arenæ, guttam aquæ, micam panis, & totam accipimus beatitatem: cum igitur ieiunamus manui demus pauperis, quod gulæ subtrahimus; demus indigentibus paucula, ut nobis summa tribuantur: nil enim uberiori fœnore nobis fructificat, quàm quod manus pauperis à nobis accipit: est manus pauperis ferax tellus, quæ quas accipit pecunias veluti semina fovet, nutrit, & multiplicata restituit. Pulchrè D. Chrysologus: *Da pauperi ut des tibi, quia quidquid pauperi dederis, tu habebis: quod pauperi non dederis, habebit alter.* Serm. 8.

55. Id possidemus, quod pauperi donamus, & ea perdimus, quæ nobis reservamus. Monet tamen nos Christus, ne cùm manus pauperum eleemosynis opplemus inflatis buccis, tubâ obstrepamus: *Cum facis eleemosynam noli tubâ canere ante te, sicut Hypocritæ faciunt.* Sed cur tenuem clamorem, exiguúmque strepitum quo largiens eleemosynam satagit ab aliis observari, & inde laudem aucupari, clangenti æquiparat tubæ? cùm hæc ad prælia vocet, ad pugnas invitet, & ad cruentas clades spargendas suadeat? scitè clamor Hypocritæ eleemosynam elargientis buccinæ pariatur clangori: *cum facis eleemosynam, noli tubâ canere ante te, sicut Hypocritæ faciunt*, quia clamor ille est veluti clamor, buccinæ; obstrepens eleemosyna hostilis est tuba fundendo sanguini aptior, quàm nummis in manus pauperum effundendis; est eleemosyna illa clamorosa, lethalis, non vitalis; seditionis vernula, non pietatis alumna; & quæ vitium fovet, virtuti non favet: quia est potius nundinatio vanitatis, quàm commercium charitatis. Hinc Magister Christus hanc vanam à nobis excutiens ostentationem, ait: *cum facis eleemosynam noli tubâ canere ante te, sicut Hypocritæ faciunt in synagogis, & in vicis, ut glorificentur ab hominibus Amen dico vobis receperunt mercedem suam.* Eos redarguit, qui in compitis, in plateis, in triviis, in hominum frequentiis, populorum conventu eleemosynam elargiuntur, quâ plausus nundinentur, misericordiam vendant, sibique magis populi encomia captent, quàm pauperum opitulentur indigentiæ. Matth. 6.

56. Rapax, & avara, non munifica, & benefica est hæc eleemosyna, quæ cum popularem aucupetur auram, verecundiæ non subvenit pauperum; quæ cùm sibi gloriam captet, aliena potiùs detegit dedecora, pompam suæ gloriæ è gemitu extorquens inopum, & in pauperum angustiis famam dilatans suæ ostentationis. Pauperum indigentiis ita opitulemur, ut tubâ non canamus, singulos vocantes qui adsunt, quibus, quæ damus, innotescant: nuditas est quidem in quovis loco tegenda, victus esurienti exhibendus, & haustus sitiendi porrigendus, sed ut opus misericordiæ soli innotescat Deo, & non hominibus; etiam in plateis, triviisque suum reperit pietas secretum, si ita det, ut dare non videatur. Magister Christus non synagogas, non vicos, non plateas, non loca culpat; sed modum redarguit elargientis eleemosynam, cùm largitio magis studeat largitoris famæ propagandæ, quam pauperis fami exsaturandæ; & Deus nostra de cordibus, non de manibus facta metitur. Quid quòd cùm homo nummos elargitur pauperi, ut Deo fœneret testes accersat homines? Qui quo fine cor manum adhibeat ad elargitionem eleemosynæ minimè vident? testes adhibent cæcutientes, & propterea id perdunt, quod testibus munitum volunt: eleemosyna solùm coram illo fiat, qui solus est misericordiæ remunerator, & testis, & qui dicit: *Esurivi, & dedistis mihi manducare:* si hac fuerit virtute nostrum jejunium fultum, sursum conscender, & ponderosa ciborum sarcina vacuum, promptius cœlos penetrabit, & ad Numinis accersetur colloquia. Matth. 25.

57. Hinc Moyses Numen allocuturus quadraginta esuriales dies præmisit, quibus viam sibi sterneret ad Numinis solium. Quinimò etiam Elias ad secretum cum Deo sermonem admittendus, dies itidem quadraginta jejunus traduxit, quo ad Dei usque solium accessit, & cum Deo jejunus fuit sermocinatus. Sara enectis septem maritis septies vidua superiùs tandem cubiculum ingressa: *tribus diebus, & tribus noctibus non manducavit, neque bibit, sed in oratione persistens cum lachrymis Deum deprecabatur:* Tobiæ *cap. 3. v.* 10. jejuna ingressa est secessum cubiculi; jejuna fuit triduo ibi immorata; jejuna preces fudit, lachrymas effudit, & quod jejunium petiit, jejunium impetravit. Saul præliaturus contra Philisthæos toti exercitui, plebique universæ jejunium indixit: *Maledictus vir, qui comederit panem, usque ad vesperam; & non manducavit universus populus panem*, imò cùm in proximo nemore mel publicum flueret, seque oculis exhiberet transeuntium ea strictâ religione servatum fuit jejunium, ut nullus militum ausus fuerit, vel unum digitum eo tinctum lambere, cùm Saul non suis fideret viribus, sed à servati jejunii religione victoriam speraret. 1. Reg. c. 14.

58. David pugnaturus contra hostium phalanges non alio voluit clypeo muniri, quàm jejunii religione, jejunavit enim, priusquam pugnam iniret, cùm omnibus

suis

1. Reg. cap. 1. suis militibus, quos secum duxerat: *Et planxerunt, & jejunaverunt usque ad vesperam super Saul, & Jonatam, & super populum Domini.* Obsidione cincta premebatur Bethulia, aderat Holophernes Dux Assyrius cum ingenti exercitu; urbémque ad deditionem adegisset, nisi populus, civésque obsessæ urbis jejunium, & orationes accersivissent in propugnaculum urbis: *Clamavit omnis populus ad Dominum instantia magna, & humiliaverunt animas suas in jejuniis, & orationibus, ipsi, & mulieres eorum.* Judith, cap. 4. 8.

## §. VII.

### *Si suas oratio jejunio vires junxerit, aequè de prostratis intùs pravis affectibus, ac de debellatis exteriùs hostibus gloriosè triumphat.*

59. EO efficacior est oratio ad Deum flectendum in vota orantis, quò è pectore prodit magis vacuo: tantò efficaciùs os precibus aperitur, quantò religiosiùs esculentis clauditur, & poculentis. Alis cæterarum virtutum nostrum sit instructum jejunium, orationibus muniatur, à consortio distrahatur vitiorum, & tunc quidquid petierit, impetrabit. In lege veteri quoties ob res majoris momenti rogandus erat Deus, ut propitius esset; orationi additum semper fuit jejunium, ut hoc preces fartæ viatico validiores essent ad impetrandum: oratio si jejunii destituatur viatico viribus deficit, quod cum oratione junctis viribus de prostratis hostium phalangibus eò illustriores defert triumphos, quò diuturniora protrahuntur cum precibus jejunia. Judic. c. 20.

60. Pugnaturi Israëlitæ adversus Beniamitas Deum consulvere, quis toti esset exercitui præficiendus? & voce divinitus è cœlo delapsa præ cæteris delectus est Judas, qui ducem agens totius exercitus excitatis animis, totisque viribus irruit in Beniamitas; pugnatur utrinque; tela mittuntur; turmatim Israëlitæ aciem Beniamitarum à latere aperto circumeunt, feritur cæsim, punctim, sanguis effunditur, cæduntur à redintegratis Beniamitarum turmis Israelitæ; quorum viginti duo millia cæsi, & enecti cadunt: sed altera die cogitant Israelitæ de prælio instaurando majoribus copiis, animisque erectioribus, & initium daturi à Deo, quem propitium haberent, ad domū priùs conscenderunt orationis, ibi flexi in genua fleverunt coram Domino usque ad noctem, preces fuderunt, & enixim Deum rogârunt, ut suam vellet ipsis opem dare, quâ inlolescentes ob partam victoriam retunderent Beniamitas; & iterum ne inconsulto in pugnam irruerent Deum interrogârunt, an essent secundò pugnaturi, & vocem audierunt sibi dicentem: *Ite ascendite, certate.* Hocce divino munitus jussu Israelitarum exercitus in aciem denuo progreditur, & concitato impetu primas nititur Beniamitarum acies disrumpere, & ordines frangere; sed isti ea steterunt firmitate, ut pauci duntaxat ciciderint; primísque instauratis lineis tanta cæde in Israelitas fuerunt Beniamitæ debacchati, ut disruptis, confusísque Israelitarum ordinibus cæsi ex istis ceciderint octodecim millia, fugæ se dantibus cæteris: qui tertiò conscenderunt ad domum orationis, & pridianis lachrymis, ac precibus, jejunia etiam addidêre: *Jejunaverunt die illo usque ad vesperam*, & Deum tertiò consulvêre, num essent arma resumenda, & denuò contra Beniamitas pugnandum? & respondit Deus: *Ascendite cras enim tradam eos in manus vestras.* Iterum jejunio loricati, lachrymis madidi, præmissísque precibus irruerunt tertiò contra Beniamitas, quos tandem cruenta clade vicerunt cæsis Beniamitarum millibus quinque supra viginti: nimirum oratio quamvis maderet lachrymis, quia tamen adhuc jejunii destituta viatico, eas exerere vires non cœpit, quas de prostratis Beniamitis victoria exigeret. Judic c. 20. Judic. c. 28. v. 35.

61. Plura quidem potest oratio, sed si suas jejunio vires junxerit, tutam de prostratis hostibus sibi victoriam spondet. Scimus, Moabitas, & Ammonitas ingentes contra Regem Josaphat conduxisse exercitus. Rex verò sicut tot hostibus impar, suppetias ab oratione petiit, quam supplex Deo fudit, & jejunio quod religiosè servavit: *totum se contulit ad rogandum Dominum, & prædicavit jejunium universo Juda.* Ecce jejunio loricatus Josaphat, lachrymisque veluti athletico oleo inunctus Moabitas, & Ammonitas excitatis animis adoritur, primóque impetu hostium ordines disrumpit, acies Moabitarum confundit, omnésque hostiles exercitus fus, déque evertit, ut hostiles copiæ contra se ipsas pugnantes mutuis se vulneribus cruentarent, & enectis cadaveribus terram totam opplerent; neque superfuerit quisquam qui necem evaderet, triduúmque integrum impenderent Josaphati milites in colligendis spoliis ob prædæ multitudinem: Quòd si miles sine gladio, vel lancea sine cuspide dicitur oratio esse sine jejunio; hoc tamen munita hostes frangit, palmas colligit, & de parta victoria sibi epinicion occinit. 2 Paralip. cap. 20. ver.

62. Etiam Esther Regina sciens quantæ sit virtutis, quantique roboris oratio juncta jejunio, & animadvertens populi sui proximum interitum; imminenti fatali discrimini avertendo, preces adhibuit, & jejunium religiosè servavit. Judæi omnes cruenta cæde delendi erant, & Regis decretum in omnium ipsorum jugulum iam subscriptum, imò & plerisque in locis, vel promulgatum, vel affixum: citabantur iam Judæi, & in carceres tetriores trudebantur. Esther Mardocheum cohortata, ut imminenti periculo, malóque extremo mederetur, *Vade*, inquit, *& congrega omnes Judæos*,

Esther c. 4. v. 16. *deos, quos in Susam repereris, & orate pro me. Non comedatis, & non bibatis tribus diebus, & tribus noctibus, & ego cum ancillis meis pariter jejunabo.* Non solùm toti populo Esther triduanum ieiunium indixerat; verùm & ipsa cum toto suo gynæceo religiosissimè ieiunavit, & hebræos omnes ieiunium ab iminente morte eripuit; ieiunium decretum regium delevit, gladios, & laqueos contra Hebræos paratos in adversarios retorsit.

63. Quoties in veteri lege grave aliquod occurreret, vel instituendum, vel avertendum; ieiunia, & orationes Patres illi præmittebant, quibus propitium haberent Numen: quo pacto Moyses, bis quadragintadiale ieiunium strictissimè servavit nullo in stomachum demisso cibo, nec instillato liquore: Deut. cap. 9. *Perseveravi in monte quadraginta diebus, ac noctibus, panem non comedens, & aquam non bibens propter peccata vestra, quæ gessistis contra Dominum, & eum ad iracundiam provocastis, timui enim indignationem, & iram illius, qua adversum vos concitatus, delere vos voluit. Et exaudivit me Dominus etiam hac vice.* Jejunium junctis sibi orationis viribus Numinis brachium detinuit, ne scelera mulctaret populi; jejunium nudatum gladium divinæ vindictæ potens fuit iterum in vaginam recondere, & populum servare. Elias jussi obsecutus Angeli pane subcinericio, & frigidæ haustu detritas instauravit vires, & quamvis modicè refectus; 3. Reg. c. 19. *In fortitudine tibi illius quadraginta diebus, & quadraginta noctibus usque ad montem Dei Oreb ambulavit:* & post diuturnum illud jejunium ad familiare cum Deo admissus fuit colloquium,

64. Id verò notatu dignum, quòd in vertice Taboris montis Magister Christus transfiguratâ specie propriam suis Discipulis gloriam ostensurus, Moysem duntaxat, & Eliam socios sibi adsciverit, ut qui æmulatores fuerunt quadragintadialis jejunii, consortes etiam fierent gloriæ, quia hæc pedissequa est ieiunii. Juditha virtutum studio fœminarum laudatissima fertur ieiunâsse singulis diebus vitæ suæ exceptis festis: Judith. cap. 8. v. 6. *Jejunavit omnibus diebus vitæ suæ præter Sabbatha, festa domus Israel,* & ideò Holophernem prostravit, omnémque Asyriorum exercitum fugavit, & Bethuliam à pertinaci hostili obsidione vindicavit: ieiunium enim, & oratio animos in Juditha excitârunt, vires ei suppeditârunt, pedes per castra Asyriorum direxerunt, Hebræam Amazonem ad papilionem duxerunt Holophernis eius manum armârunt gladio, brachium corroborârunt, & addito impetu caput amputârunt Holophernis. Esther per triduum impransa, & incœnata preces fudit, & quidquid petiit, impetravit. Sata Tobiæ *cap. 3.* per triduum totum ieiuna preces fudit, & Deum in sua vota flexit. Tobias itidem impransus domo exivit relicto convivio iam parato sepulturam impertiturus mortuis, imò & eò fuit in defunctos liberalior, quò exigenti stomacho per negata esculenta, & poculenta extitit avarior; excultæ enim virtutis est clamanti stomacho, & corrodenti fami escas negare, & ideo charus fuit Deo, gratus hominibus, & quæ à Numine petiit, obtinuit.

Princeps Husseus Jobus patientiæ speculum, tolerantiæ exemplar, virtutum Magister in fimo quasi in throno sedens amicis adstantibus, septem diebus, & totidem noctibus strictissimè ieiunavit, ne scilicet, quidquam deesset exempli ad omnigenam patientiam exercendam, cùm non solùm cruciatus corporis, ulcera cutis, membrorum vulnera absque ulla querela, sine mentis turbatione pertulerit, sed & latratus viscerum, morsus stomachi, famis, sitisque cruciatus imperterritus sustinuerit, & ideo ieiunio loricatus, viribúsque præmunitos orationis; hostiles tartarei hostis delusit assultus, confregit impetus, obtudit ictus, quia ad stigios prosternendos hostes nulla sunt arma aptiora ieiunio, & oratione. 65.

Hinc etiam David Regum sanctissimus adeò fundendis precibus, ieiunisque servandis assuevit, ut cœlesti potiùs videretur aurâ refici, quàm terrena nutriri escâ, nil enim in ipso frequentius, quàm impransum, & incœnatum preces nocte intempesta, & insomni fundere: *Humiliabam in jejunio animam meam: Operui in jejunio animam meam:* alibi *Genua mea infirmata sunt à jejunio:* alibi *Media nocte surgebam ad confitendum nomini tuo:* Et cùm vires deficerent corporis, genua labarent, vultus pallesceret, corpus attenuaretur; vegetior erat spiritus, ac expeditior ad preces fuodendas, ad Numinis obsequia, ad virtutum exercitia, ad opera charitatis. 66. Psalm. 34. Psalm. 68. Psalm. 108. Psalm. 118.

Rex Achabus tametsi impius cùm primùm tamen ad ieionium veluti ad asylum confugit, salutem invenit, quam in ciborum lautitiis perdiderat. Josaphat Regum pientissimus præmissis precibus, & ieiunio de prostratis hostibus gloriosiores retulit triumphos. Rex Jeconias cum toto populo ieionium observat, & voti compos, quod petit, impetrat. Daniel cum tribus suis sociis priscæ suæ legis religiosa observat ieiunia, & vegetior apparet, facie venustior, ac viribus robustior. Ezechiel Propheta iussu Numinis corpus diuturnis attenuat ieiuniis, eius vires frangit, & ideo prophetico insignitur spiritu: *Cibus tuus, quo vesceris erit in pondere viginti stateres in die; à tempore usque ad tempus comedes illud: & aquam in mensura bibes.* Esdras Sacerdos etiam de se ipso ait: *Et prædicavi ibi jejunium juxta fluvium Ahava, ut affligeremur coram Deo nostro, & peteremus ab eo viam rectam. Jejunavimus autem, & rogavimus Deum nostrum per hoc, & evenit nobis prosperè:* & alibi hoc idem confirmans ait: *Sedi, & flevi, & luxi diebus multis, & jejunabam, & orabam ante faciem Dei cæli,* & ideo quæ petiit, impetravit. Prædicavit ieiunium non aliis tantùm, sed & sibi, non ut audientes duntaxat vigor ieiunii affligeret, sed ut & ipse eiusdem fieret afflictionis particeps, *Prædicavi ibi jejunium, ut affligeremur* 67. Ezech. c. 4. Esdra cap. 8. Lib. 2. c. 1.

*affligeremur:* hoc est, non ut populus tantum incommoda sentiret jejunii, sed & ipse etiam ejus experiretur intus in stomacho morsus; ideóque non dixit, ut populus affligeretur, sed *ut affligeremur.* Præstantissima est ratio hæc legum scribendarum, ut legislator ipse aliis indicens jejunium, non calamo tantùm indictum gulæ bellum, vel sola voce promulget, sed etiam proprio gutture confirmet, exemplo muniat, & observantiâ stabiliat, ideóque Esdras ait: *Prædicavi ibi jejunium, ut affligeremur:* exemplo scilicet fortiùs, quàm verbo maluit populum erudire, & non arborum frugiferarum imitari radices, quæ gemmare, virere, florere, & fructus parere faciunt ramos, quibus, & succos suppeditant, & alimenta transmittunt, cùm sint ipsæ luto involutæ, humo sepultæ, & probro notatæ sterilitatis.

68. Affligitur Esdras cum populo, *Prædicavi jejunium, ut affligeremur*, quia cibi subtractio, afflictio est corporis; & nisi affligatur corpus, non jejunat stomachus, ideóq; cum pauci afflictionem [illegible]ant, rari etiam sunt, qui religiosi sint jejunii servatores; etiam in sacco, & cinere plerumque ita fabam, & cicer condimus, ut suis etiam perfundatur olus deliciis: etiam Israëlitæ præ manna cepas, & allia esurîere Ægypti irritando gutturi aptiora; quid? quòd etiam in olere luxus triumphet, & in cicere Bacchus interdum debacchetur? neque semper in olere, & legumine voluptas ludit; sed ibi etiam continentiæ illudit; gula enim æquè de parcitate triumphat olere palliata, quam de luxu aromatibus paludata.

68. Plerumque ita conditur gramen, ut palato plus arrideat, quàm ficedulæ, vel perdicis illecebra, sed tunc minus jejunamus, cum arctius videri volumus jejunantes: gliscit enim etiam in olere voluptas, & suos etiam in legumine triumphos agit. Non ita cum Levitis suis jejunavit Esdras Babylone digressus, cùm dixerit: *Et prædicavi ibi jejunium juxta fluvium Ahava, ut affligeremur coram Domino:* prima Levitarum virtus observantia fuit jejunii, & carnis afflictio, hæc autem duo simul jungere rarum est, & arduum; cùm & rara sit avis, quæ esca non solicitetur.

70. Tanta est epularum aviditas, ut etiam ipsa Asceteria, regiam sanctitatis, & domus Patriarcharum ingrediatur, & inficiat. Etiam in domo Isaaci primogenitura hastæ subiicitur licitante voluptate, & Patriarchæ benedictio uni illigatur pulmento: *Fac mihi pulmentum, sicut velle me nosti, & affer, ut comedam, & benedicat tibi anima mea, antequam moriar;* & nisi lenis Isaaci propositum Rebeccæ industria elusisset, genus Abrahæ ad Christum usque transmissum fuisset ab Esau, & mundi Salvator ex aliena Moabitarum gente natus fuisset. Sed benedictionem, quam aper venatione captus erat impetraturus, hœdus cicur Rebeccæ studio extorsit. Non enim pudor, qui efflorescebat in ore Jacob; non innocentia, quæ splendebat in vultu; non religio, quæ flagrabat in pectore; sed pulmentum, quod fumabat in patina benedictionem omnium gentium transtulit in Jacob. *Quos cum oblatos comedisset, dixit ad eum: accede ad me, & da mihi osculum fili mi*, sicque debemus agnum Dei, non apro Esau, sed hœdo Jacobi: hinc est, quòd sponsus suam invitet sponsam ad hœdos pascendos. *Egredere, & pasce hœdos tuos ò pulcherrima Jerusalem*, quia per hœdum agnus Dei ad nos pervenit. Esdras igitur, ne sui Levitæ gutturi indulgerent, jejunium indixit: & rectè, quia munus erat Levitarum sacra contrectare vasa, à quibus propterea propellenda erat gulæ indulgentia, quæ genitrix est luxuriæ; ne Levitæ lascivirent, opus fuit, jejunarent: libido enim ex gulæ deliciis oritur, & solo moritur jejunio. Ophni, & Phinees sacerdotibus puer sacrificiorum excoquebat adipem, & ideò Scortis, & impudicitiis, se fœdârunt, *dormiebant cum mulieribus:* insiliit in templum gula, & insecuta est in cubiculum libido; fores templi aperuit gula, sed pudoris januas clausit, & castitati; ne domus ingrederentur Sacerdotum: neque fœditates Sodomorum ab alio putido fonte exilierunt, quàm ex gulæ irritamentis, & stomachi repletione; adeò ut ex abundantia iniquitas prodierit perditæ gentis illius. *Ecce hæc fuit iniquitas Sodomæ sororis tuæ superbia, saturitas panis, & abundantia:* parum refert pretiosis, vel vilibus cibis gulæ indulgeatur: etiam Israëlitæ ceparum, & alliorum appetentes, pluries in eremo fuerunt exfornicati. Venus enim non solùm delectatur perdice, & pavone, verùm etiam olere, & legumine, cùm suo etiam gutturi dent irritamenta. Etiam Lothus cùm primùm cœpit vino madere, flos castitatis exsiccatus in eo periit, & inter filias uxorem nactus turpitudinem hausit in vino. *Dederúntque Patri suo bibere vinum. Et ingressa est major, dormivítque cum Patre.*

Genes. 27. — Genes. 27. v. 26. — 1 Reg. 2. 22. — Ezechiel. cap. 16. — Genes. 19.

## §. VIII.

### *Ea est Gulæ indoles, ut nisi jejunii fræno coërceatur, per guttur intus Venerem instillet, & improbos omnes excitet affectus.*

71. FAlluntur, qui è mari tantùm dicunt Venerem natam, etiam è musto emergere Lothus didicit; non tam Venus privigna est Neptuni, quàm Cereris filia. Ea est gulæ indoles, ut per guttur intus venerem instillet, quæ concupiscentiam, ejúsque pravos affectus excitet; neq; prima in mundo fœminarum concupiscentiam sensisset, nisi per gulam Venerem deglutiisset. *Vidit itáque mulier, quòd bonum esset lignum ad vescendum,* (Genes. 3.)

*dum, & tulit de fructu illius, & comedit; dedítque viro suo, qui comedit*, sed statim irrequietâ legis membrorum rebellione, corpus amborum cœpit in spiritum caput attollere, & præ cæteris eos aggressus est furor erubescendæ libidinis, cuius ipsi turbulento sensu exagitari cœpti, erubuerunt confusi propriam nuditatem, quam ut obtegerent in arbustum densiùs concessêre, propriam etiam soli subducturi inter umbras verecundiam; sibíque subligaria frondea ex connexis ficuum consuerunt foliis.

72. Vidit è solario David lavantem se Betsabeam, & quia post meridiem, & benè pransus oculos in fontem injecit, æstus hausit concupiscentiæ, & frigidis illis in laticibus flammas accendit, quibus castitas in fonte cinefacta periit. Vix Judas benè pastus Thamarem per translucidum velum aspexit, & statim impuro exarsit igne. *Quam cùm vidisset Judas, suspicatus est esse meretricem, operuerat enim vultum suum, & ait, dimitte me, ut coëam tecum:* libido enim per gulam intus in viscera serpit. Concupiscentiam fovet, qui gulæ, per cupediarum delicias, luxúmque ferculorum favet. Nullus sævior hostis concupiscentiâ, hominem impetit; & huic vires suppeditamus, cum gulæ indulgemus; quò corpus vegetiùs nutritur, eò insolescit concupiscentia actior, quæ nonnisi oratione, & jejunio coërcetur; ac conteritur. Nova est hæc bellandi ratio, quâ qui occursuri sunt hostibus, non armis instruuntur, sed viribus destituuntur; non brachiis corroborantur, sed membris debilitantur; & tamen eò fortiùs in hostes irruunt, eósque prosternunt, quò diuturniori jejunio conficiuntur; macilentiori inedia extabescunt, & prolixiore fatigantur oratione.

Genes. 38.

73. Imò non ad solam intus insolescentem concupiscentiam prosternendam arma suppeditant oratio, & jejunium, verùm etiam ad hostiles quósque exterorum hostium retundendos impetus: etenim Samson à vino abstemius, imò & stomacho vacuo leonem discerpsit. Abstinens Saulis exercitus à melle, quod proximum nemus abundè exhibebat jejunus saturos prostravit Philisthæos. David cinere pro pane saginandus Goliathum gigantem vicit in valle; quid? quod leguminibus, & oleribus innutriti Babylone pueri auream spreverint Nabuchodonosoris statuam? sævientem non timuerint tyrannum? imò & ardentem vicerint fornacem? quòd si David munitus pastoritiâ fundâ, saxóque excusso carneam gigantis turrim solo æquavit; hi tres pueri Babylone nullâ instructi fundâ, nullo muniti saxo, sed solo obarmati jejunio auream statuam, Regem sævientem, & flammam vorantem vicerunt, quia ad certamen se se jejunio instruxerant. *Dentur nobis legumina ad vescendum, & aqua ad bibendum*, secus multò Holophernes vino madidus capite diminutus à fœmina debellatur: & ab epularum luxu Balthasar ad lugendum proruit ludibrium, dum nox eadem eum, & regno spoliavit, & vita. Quid? quòd in aula Pharaonis Joseph petulantiam fœminæ coërcuerit. *Dormi mecum. Qui relicto pallio fugit*; victoriam partam in generosa fuga non aliunde exortam putamus, quàm à vacuo stomacho, à jejunio, quod adolescentem ad victoriam armaverat inter aulæ illecebras, fuit Joseph abstinentiâ commendatissimus, *Benedixitque dominus domui Ægyptij propter Joseph, nec quidquam aliud noverat nisi panem, quo vescebatur:* sumitur autem hoc loco panis pro victu, quo inde coniiciamus adolescentis parsimoniam, qui cum universis præesset substantiis Domini, ea tantùm in proprium adhibebat usum, non quibus luxuriaretur, sed quibus duntaxat viveret: nec quidquam aliud noverat nisi panem, quo vesceretur; & tunc validiores jejunium vires suppeditat; quando ferculorum inter delicias, esulentorum inter copias abstinendo triumphat. Sic filios Prophetarum, quorum vitæ genus durissimum fuisse novimus, propè fluenta Jordanis habitâsse liquet; ubi scilicet frugum feracitas, annonæ ubertas, & naturæ illecebra ad luxuriam usque effundebatur. *Eamus usque ad Jordanem, & tollant singuli de sylva materias singulas, ut ædificemus nobis ibi locum ad habitandum*; nimirum filii Prophetarum jejunaturi regiam deligunt ubertatis, quasi jejunâsse parum juvisset, nisi inter illecebras jejunâssent.

Daniel. 1. v. 12.

Genes. 39.

Genes. 39. cap. 5.

4. Reg. cap. 6. v. 2.

84. Idque fortassis causæ, cur rerum Conditor non in abdito interdictam scientiæ arborem, sed in medio satam paradisi voluerit, quò utrinque, & aspici posset, & tangi non deberet; neque plantam rudi duntaxat cortice vestivit, sed & pomorum locupletavit ubertate, & filiorum pompâ ad illecebram ornavit, ut quò importuniùs se abstinentibus ingereret, eò fortiùs à jejunantibus repelleretur. Neque abstinentiæ exercuisset virtutem, si ignorantiæ induxisset caliginem, si in angulo paradisi arbor latitâsset, quæque hominum fugisset aspectum: at quia in paradisi meditullio implantata protoparentibus fiebat statim conspicua, vitu erat pulchra, virescentibus foliorum comis luxurians, vivido succo efflorescens, ac nitoris, iisque à natura ad singularem elegantiam pictis dives erat fructibus, quibus onusta, curvescentibus ramis manus lectrices alliciebat; si Protoplasti neglecto serpentis suasu ejus abstinuissent fructu, si illicientem pomi colorem sprevissent, tum revera jejunâssent, quia inter fructuum delicias, & illecebras copiæ abstinuissent. *De fructu verò ligni, quod est in medio paradisi, præcepit nobis Deus, ne comederemus*: duplicata fuisset corona, si simul vidissent, & abstinuissent.

Genes. 2. v. 2.

Ge-

75. Geminatos ideo discerptus Leo Samsoni triumphus dedit, quia non tam rugientem belluam, quàm allicientes racemos eo splendidiùs vicit, quò religiosiùs à sibi inhibita spumante vindemia abstinuit. *Cùmque venissent ad vineas oppidi apparuit catulus leonis sævus.* Quid? quod inter vineta pugnæ theatrum, & pugili arena aperitur? quia inter racemorum illecebras, fructuum in ubertate abstinere debuit. *Quidquid ex vinea nascitur, non comedas.* Tametsi æquè ab haustu vini, ac esu uvæ Samson prohiberetur, non propterea vinearum pampinos declinavit, sed botros inter, & racemos incedens spectatorem se præbuit voluptatis, quâ frui non poterat; ideóque inter fructuum ubertatem, & illecebras, spumantes inter vindemias abstemius, & jejunus illustriùs de coërcita gula triumphavit, quàm de prostrato leone victor surrexerit: ubi Samson vineas ingressus, quia inter botros, racemósque ab esu abstinuit, se ipsum vicit; & jejunio loricatus, quia se uvis non pavit, ungues non expavit leonis, quem victor discerpsit; sed ubi botro abstinuit, favo saginatur. Arduum est, ac superatu difficile sitire in vindemia, & ab esu in vineis abstinere racemorum; sed dulcius fuit de discerpti leonis faucibus mellis dulcedinem prælibasse, ac nectar de tabo collegisse.

Judic. 14. v. 6.

Judic. 13. v. 13.

76. Hinc etiam Christi prodromus Joannes ad ripas Jordanis omni fructuum genere opulentissimas, omnique circumvestitas amœnitate, severioris pœnitentiæ aperuit theatrum; quò nimirum gratior fieret abstinentia in fructuum ubertate, & pretiosior luctus in cristallo, fortiúsque in ubertate jejunium. *Et venit in omnem regionem Jordanis, prædicans baptismum pœnitentiæ*, & cur ad fugam illecebrarum, ad neglectum deliciarum, ad interitum voluptatum, gulæque supplicium non potiùs exesas selegit Caucasi rupes, quàm omni luxuriantes amœnitate Jordanis ripas? lascivientibus jugiter vestitas herbis, jocantibus ornatas floribus, omnigenis onustas fructibus? nimirum Joañes Baptista non in vepreto, sed in viola dolorum Orchæstram maluit sibi aperire, quò fructuum ubertas, occasio foret virtutis; & fructuum copia validiùs abstinentiam exerceret; quò fortius jejunium gulæ illecebras vincit; eò fit Deo gratius; quia jejunavit Moyses neglecta manna, eum Deo sermones miscuit, ejúsque tabulæ digito Dei vivi obsignantur, eique excubat cœlum, militant elementa, obediunt marini fluctus, obsequuntur duriora saxa, ad cuius imperium etiam liquescunt in latices; sed quid? quòd Elias tametsi quadragenario jejunio emaciatus solus erraret in sabulo sine duce, absque socio, omníque destitutus solatio Deum vix aspicit nulla hæreditaria luce aspersus? si neuter comedit, cur Elias etiam perinde, ac Moyses Deum non alloquitur? nimirum, quia licèt uterque jejunâsset, & neuter comedisset, Elias tamen pro consectando Numine, aquæ, panisque subsidium admiserat sub Junipero; cùm Moyses è cœlo pluvium circa tentoria manna neglexerit, quo à Numine foveretur, ac reficeretur; illustriùs de gulæ illecebris triumphavit Moyses abstinens post degustatum manna, quam Elias, qui à mensa jejuna ad prolixum iter accinxerat. *Respexit, & ecce ad caput subcinericius panis, & vas aquæ.* Moysis victoria iden illustrior fuit, quia gulæ inter illecebras difficilius fuit inviolatam jejunii servare religionem.

Luc. 3. v. 3.

Lib. 3. Reg. cap. 19.

77. Simile contigit Achabi Regis, & Samuelis Sacerdotis luctui. Achabus, cum primùm humiliato incessit capite, cinere aspersit comam, & pulvere frontem fœdavit, Dei fulgura in pluviam vertit. *Quia humiliatus est mei causâ, non inducam malum in diebus ejus.* At illachrymanti Samueli calamitatibus Saulis, uberésque fundenti lachrymarum pluvias dicitur. *Usquequo tu luges Saul, cùm ego projecerim eum?* Quid? an Achabi suspiria lachrymis præferuntur Samuelis? an Regis concissus saccus spinoso sacerdotis cilicio anteponitur? An pluris jejunium æstimatur tyranni, quàm Prophetæ abstinentia? humiliavit suum Achabus caput, & Numen in sua vota flexit; lachrymas fudit Samuel, & duram non emollivit Saulis fortem; quia scilicet Achabi saccus uberiùs, fortiúsque squaluit in purpura, quam Samuelis luctus in Ephod: uterque flevit, ambo jejunârunt; sed ille in throno, hic in spelunca; inter aulæ illecebras ejulavit Achabus, & inter sentes solitudinis luxit Samuel: & jejunium eò est fortiùs ad impetranda, quæ petit, quò de illecebrosis gulæ voluptatibus luculentiùs triumphat; illustrior semper est abstinentia in repudio voluptatis, & neglectu vanitatis; is enim verè jejunat, qui non vanæ gloriolæ, sed Deo jejunat; pallor jejunantis ad popularem sibi captandam laudem, non fructus prodit abstinentiæ, sed aucupium fit insolentiæ; & dum venter exinanitur, mens turget, & aurâ pascitur chamæleontis escâ: quòd si neminem dixeris auram cœnare, hâc tamen chamæleon vescitur, & non chamæleon tantùm; sed & qui lugubminibus parcè vescuntur, medullis saginantur aurarum. *Exterminant facies suas, ut appareant hominibus jejunantes:* non vanitate homines tantum nutriuntur; sed & aurâ, qui cibo abstinent, plerumque vescuntur.

3. Reg. cap. 21. v. 29.

1. Reg. cap. 16. v. 1.

Matth. 6. v. 16.

78. Ad id jejunium instituitur, & assumitur, ut per esculentorum subtractionem vitia coërceantur, non foveantur; & quamvis omnis generis noxæ precibus deleantur, & eleemosynis; fortiùs tamen jejunio teste Angelico Doctore inquiente: *Cum jejunium ad culparum deletionem, & cohibitionem, & ad mentis in spiritualia elevationem valeat*, præsertim si voluntarium fuerit, & nulla

2. 2. q. 147. art. 3. in conclus.

*Psal. 35.* nulla imperatum lege, quâ de causâ David ajebat: *Voluntariè sacrificabo tibi*, seu non spectato præcepto, à cupediis abstinebo esculentorum, ac gulæ appetitum Numini immolabo; hinc audivit à Nathano sibi dici, *2. Reg. c. 12.* *Dominus transtulit peccatum tuum.* Non solùm delendis omnis generis noxis aptum est jejunium, sed & avertendis irati Numinis flagellis accommodatum, idque illustri edocuerunt Ninivitæ documento, erat Ninive urbs amplissima, cuius dimensio inclusis suburbiis ad latitudinem extendebatur triduani itineris, testibus enim Tolomæo, & Strabone amplior erat Babylone, & laxior cæteris ævi illius urbibus, hanc igitur urbem ingressus Jonas Propheta populum terrere cœpit vocibus illis timorem gentibus omnibus incutientibus. *Adhuc quadraginta dies, & Ninive subvertetur*, quæ tamen minæ conditione fulciebantur, nisi subversionem istam populi pœnitentia prævertat. *Et crediderunt viri Ninivitæ, & prædicaverunt jejunium*, censet, Chrysostomus triduanum fuisse hocce jejunium æquè diurnum, ac nocturnum, & eâ religione servatum, ut tnto triduo nec homines, nec pecudes quidquam degustaverint alimenti, nec potûs hauserint: quid? jejunium contractas à Ninivitis noxas delevit, Numinisque flagellum avertit, populúmque servavit incolumem. *Et vidit* *Jona cap. 3.* *Deus opera eorum, & misertus est super malitia, quam locutus fuerat, ut faceret eis, & non fecit*, scilicet Ninivitæ, quia gulæ illecebris assueverant, libidinúmque voluptatibus indulserant, fœdísque sceleribus Deum læserant, ac justissimam provocaverant ad iram; flagellum arripuerat Deus, scelera puniturus: sed ubi cives omnes per indictum sibi jejunium, gulæ, cui indulserant, frœnum injecêre abstinentiæ; manum Deus retraxit, flagellum abscondit, hinc D. Gregorius. *Homil. 16. in evangel.* *Quia paradisi gaudiis per cibum cecidimus, laborare debemus, in quantum possumus, ut per abstinentiam resurgamus. Caro latâ traxit ad culpam; afflicta reducat ad veniam.* A jejuniis possemus supersedere, si protoplasti iejunâssent in paradiso; sed os, quod illi ad morsum aperuerunt pomi, debemus nos escis claudere; *ideo jejunamus*, ait D. Gregorius Nazianzenus, oratione in Pasthate, quia *non jejunavimus*; ideo frœnum abstinentiæ iniicimus gulæ, quia per inhibitam indulgentiam ejus laxavimus guttur: ideo fame, & siti gulæ inhibemus voluptatis blandimenta; quia palati in pomo vetito quæsivimus irritamenta.

79. Una gulæ voluptas omnes nostras vitiavit voluptates; & solius gulæ vitium cætera omnia accersivit vitia, fame, & siti nunc coërcenda; appositè Seneca. *De vita beata c. 11.* *Multos ostendam voluptatibus obsessos, in quos fortuna omnia munera sua effudit, quos fatearis, necesse est esse malos. Aspice Nomentanum, & Apicium terrarum, ac maris bona conquirentes, & super mensam recognoscentes omnium gentium animalia. Vide hos eosdem è lectis suis spectantes popinam suam, aures vocum sono, spectaculis oculos, saporibus palatum suum delectantes.* Hi omnes, quia gulæ addicti deliciis vitia nutriunt, quibus proprium farciunt corpus, & vitiis omnibus famulantur, quia inserviunt gulæ illecebris; cum adblantur palato cæteris inserviunt sensibus; aures demulcent sonorum harmoniâ; naribus eblandiuntur totius Arabiæ penu; oculis adulantur objectorum multiplici elegantia; molli amictu corporis membra fovent; ut in quorum singulis dominetur voluptas, quâ proniora sint ad inserviendum vitiis. Nisi fame, & siti voluptas coërceatur, & carnis petulantia per subtractionem cibi, & potûs enteratur; insolescunt pravi in nos affectus; & tametsi mutuis dissidiis inter se dissentiant, omnis tamen obliviscuntur divortii; & exitiali fœdere simul coëunt in perniciem spiritus, & ubi caro esculentis est saginata, iisdem pabulum suppeditat: non enim pravi, qui in nos affectus insurgunt mutuis semper discordant divortiis; ita enim sunt concordes sibi, & nobis pugnaciter obstant, ut amoris consensus lethalis odii sit parens; & eadem cupidine gloriæ, quâ contemnimur contemptores etiam contemnamus, & eodem vitio, quo lædimur, alios offendamus, pulchrè Eusebius ait: *Divortium animorum facit consensus vitiorum, unius avaritia alterius odit avaritiam; superbia superbiam offendit: in alieno exemplo se ipsa damnant vitia. At si displicet factum alienum; displiceat, & apparatus. Ineruditio affectuum omnium est malorum proscænium.* *Lib. 4. de orat. voluntat. cap. 13.*

Ex hac autem consensione pravorum affectuum omnis instruitur humanæ vitæ tragœdia; cor enim hominis in Dei parandum, & ornandum aulam, caulam facimus ferarum mutuò se dilaniantium: quia insurgentes depravatæ concupiscentiæ affectus, quos plurimis escis saginata caro fovet; rugientes veluti leones in animo irascente, & sævientes quasi pantheræ in appetitu concupiscente in nostram insurgunt perniciem, & dum inter se se pugnant, nos fœdè expugnant: quid enim in homine ferocius cupidine, avaritia, ambitione, invidia, de æmulationis igniculo accensis, si semel laxatis habenis intus debacchentur? Unicum iisdem coërcendis frœnum superest famis, & sitis, quibus caro tot passionibus exæstuans, tot subsultibus insolescens, & tot nefariis appetitionibus ebria cohibetur, & conteritur. Rebellantis appetitus æquè irascentis, ac concupiscentis affectus compescimus, si per subtractionem escarum carnis frangamus pervicaciam: neque iras furentis Jezabelis evasisset Elias, nisi jejunium, quo se munierat, ejus objecisset minis, tunc enim non amplius 80.

ampliùs corvus opulentam Prophetæ mensam apparavit; sed Angelus exiguum panem alendæ vitæ vix supparem attulit. *Ecce ad* 3. Reg. 19. v. 5. *caput suum subcinericius panis:* quòd acutè observans Tertullianus *lib. adversus Phys. cap. 6.* ait: *Minitantem Jezabel fugiens post unicum pabulum, & potum, quem ab Angelo expergefactus invenerat, & ipse quadraginta diebus, & noctibus vacuo ventre, arido ore pervenit ad montem Oreb:* nimirum fames, & sitis Prophetæ Jezabelem exarmârunt, eiúsque impetus retuderunt.

## §. IX.

### *Escarum subtractio ea restituit virtutum decora, quæ per ingestam gulæ escam nobis vitium abstulerat.*

81. Damna, quæ gula mundo intulit, hæc fame, & siti instaurantur; quòd si per gulæ, & incontinentiæ vitium mors fuit mundum ingressa, beneficio jeiunii ad vitam resurgimus; quia dum corpus affligitur spiritus corroboratur; dum caro minuitur, virtus augetur; dum stomachus languet, Diabolus effugatur; quòd si homo per gulæ incontinentiam deliquit, fas est per jeiunii abstinentiam damna resarciat sibi illata, ut monet Tertullianus, inquiens: Advers. phys. cap. 4. & 5. *ut primordiale delictum expiaretur majoris abstinentiæ operatione. Nam & primum populus, primi hominis resculpserat crimen, pronior ventri, quàm Deo deprehensus:* & nonnullis interiectis subdit. *Eadem ventri prælatione deploratur: erat eosdem duces suos, & Dei arbitros, quos desiderio carnis, & recordatu Ægyptiarum copiarum exacerbabat.* Scilicet gula primordiale induxit delictum: & Israëliticus populus haud absimili, edatis gulæ prælatione primi homini resculpserat crimen, quod jeiunium expiat; & escarum subtractio ea addit, quæ per ingestam gulæ escam nobis vitium subtraxerat; corporis enim ægritudines, morbíque animi nullo valentiori pharmaco, quàm inediâ curantur, unde Tertullianus. *Ultrò cibum* Ibid. cap. 3. *pro veneno deputarem, & antidotum famem sumerem, per quam purgarem mortis à primordio causam.*

82. Creaverat sapientissimus rerum Conditor Deus hominem ad suimet imaginem. Genes. 1. v. 27. *Creavit Deus hominem ad imaginem suam, ad imaginem Dei creavit illum:* sed postquam Protoplasti gulæ indulserunt, & violato jeiunio morsu pomi inhibiti mortem deglutierunt, interiori gratiæ statu statim deperdito, hanc etiam Dei obliterârunt similitudinem, & Adam statim Numinis audit Ironiam. Genes. 3. v. 22. *Ecce Adam, quasi unus ex nobis factus est:* hanc tamen Numinis imaginem, quam gulæ incontinentia delevit, sola potest inedia resculpere; quia ut scitè notat Tertullianus. *Tanta est circumscripti* Advers. phys. cap. 6. *victus prærogativa, ut Deum præstet homini contubernalem, parem reverà pari. Si enim Deus æternus non esuriet, ut testatur per Isaiam, hoc erit tempus, quo homo Deo adæquetur, cum sine pabulo vivit:* censet Tertullianus Dei imaginem, quam delictum abolevit, jeiunium resculpere.

83. Quæsierant primi homines in escis sapientiam, à quibus nonnisi ignorantiam hauserunt. Et qui spontè fortassis non fuissent in exitium ituri; per gulæ irritamenta, & cacodæmonis insidiosam suasionem miserè corruerunt; & scientiam quærentes caliginibus obviârunt ignorantiæ; cùm jam dudum invidia cacodæmonem torqueret, eò quia homo natura sibi inferior, conditione imbecillior, corporis sarcinâ gravatus, tanta in paradiso locatus frueretur felicitate, maiori etiam donandus in cœlo, cuius ipse possessione, cum suis asseclis deturbatus erat; serpentem animal præ cæteris sagax ingressus; & ex eius gutture vaferrimè suasionis pangens eloquentiam, Evæ suasit vetiti sibi pomi esum, quo scientia ditaretur boni, & mali: quid? mulier nactura totius boni, malíque desponsatam scientiam, manu pomum prohibitæ stirpis sumit, oculis lustrat, animo delectatur, & demum malè carptum malum dentibus invadens, rata in pomo beatitatem etiam Numini invidendam deglutire, fructum gustavit, quem, & in stomachum demisit, & ne sola violatrix esset divini præcepti, ad maritum statim cucurrit, cui insignem pomis illis virtutem insitam commendat; saporem, & dulcedinem laudat, instátque, ut velit & ipse experimento verum probare, & approbare.

84. Heu lugendum facinus! ne mulieri displiceret, maluit Adam Numini non placere, & oblatum sibi ab uxore pomum momordit, gustavit, deglutivit, sed unà cum pomo mortem etiam devoravit, quæ per gulæ hiatum ingressa statim fuit mundum: & una gulæ incontinentia Numinis in homine obliteravit imaginem; affectus utriúsque appetitus irascentis, & concupiscentis excitavit contra spiritum; & irrequieta legis membrorum rebellione cœpit corpus in perniciem animæ insolescere; concupiscentia suo æstu eius exsiccare virtutes, & appetitus irascens omnia sus déque vertere, & singula evertere animi ornamenta: scientiam boni, & mali esurierunt Protoplasti. *Eritis sicut Dij, scientes bo-* Genes. 3. v. 5. *num, & malum:* & quasi sapientia negotium esset gulæ, & ventris, non mentis; tibi, & non jeiunii, hanc fœdè perdiderunt, cum avidè quæsierunt in esca. Quamdiu enim vacuo ventre jeiunium servârunt, tamdiu oppleta sapientiæ thesauris mente in apice perstiterunt felicitatis, à qua miserè corruerunt, tùm primùm vetita pomi esca in stomachum cecidit: eleganter Tertullianus *Nunc si temerè rationes castigati à Deo vi-* Adversus physic. cap. 6. *ctus,*

*ctus, & castigandi propter Deum à nobis ad primordiorum experimenta revocabimus, conscientiam communem consulamus; ipsa natura enuntiabit, quales nos ante pabulum, & potum in virgine adhuc saliva exhibere consueverit, rebus duntaxat sensus agendis, quo divina tractantur, si multò pollentioris mentis, si multò vivacioris cordis, quàm cùm totum illud domicilium interioris hominis escis stipatum, vinis inundatum, decoquendis jam stercoribus æstuans, præmeditatorium efficitur latrinarum, in quo planè nihil tam in proximo superest, quàm ad lasciviam sapere.*

85. Studia igitur sapientiæ esca impedit, non expedit; hiantis gulæ flatus lumen extinguit scientiæ, non accendit; ventris indulgentia, mentis evertit ornatum: non bene sibi Protoplasti consuluêre, cùm scientiam nacturi boni, & mali escam deglutierunt, quâ ventrem gulæ deliciis onerarent, & mentem scientiæ incremento ornarent: impler esca ventrem, sed mentem evacuat sapientiâ; & si ieiunasset venter, non corruisset è mente totus scientiarum ornatus; consultiùs egissent Protoplasti, si ventris studuissent vacuitati; inedia enim scientiarum fovet disciplinas, quas ingluvies opprimit; ieiunium mentis exacuit aciem, quam esca retundit; abstinentia mentis accersit serenitatem, quam ciborum ingestio abigit, vel fœdè turbat: non in cibo, & potu, sed in ieiunio, & inedia reperitur sapientia, ut innuit Tertullianus. Ubi loquens de sapientia Moysis ieiunantis, ait: *Ceterum, cui cor evectum potiùs inventebatur, quàm impinguatum; quadraginta diebus, totidémque noctibus supra humanæ naturæ facultatem jejunium perennavit spirituali fide virtutem subministrante; & vidit oculis Dei gloriam, & audivit auribus Dei voces, & corde conjecit Dei legem. Cum quidem nec ipsum Moysem Deo pastum, inediámque ejus nomine saginatam; constanter contemplari valeret, pinguior populus*, quia Moyses ventre vacuo montis inclusit fastigia, mentem Deo implevit; & divinâ pastus sapientiâ ao erat lumine circumfusus, ut pastus populus nequiret intuitus oculorum in ipsum figere, quin cæcutiret; perinde ac cùm solem aspicimus, è fonte illo luminoso nonnisi rivulos haurimus caliginum. — *Loc. cit.*

86. Mira igitur est ieiunii virtus, quæ damna resarcit gulæ; & quam Dei imaginem esca delevit, inedia in abstinentiæ officina resculpit. Adamum gulæ illecebris ad transgressionem divini præcepti adductum quæsivit Deus. *Vocavítque Dominus Deus Adam, & dixit ei, ubi es?* Quid? quòd Deus, cui omnia patent, suntque præsentia, nilque sit, quod eius fugiat oculos, ab eius possit se præsentia subtrahere, Adamum quærat, quasi à se absentem, & solerter petat, ubi sit? *Adam ubi es?* quis potest à Deo se abscondere, si divina immensitas omnia replet loca, ubique adest? nimirum gula Adamum fecerat à Deo absentem, aon Deum ab Adamo distantē: qui per violationem præcepti gulam aperuerat prohibitæ sibi escæ, & accessum sibi clauserat ad Deum; à quo propterea aversus distantem se constituerat: sed quos gula absentat à Deo, hos ieiunium statim præsentat, scitè Eusebius Emissenus, loquens de Moysis ieiunio, ait: *Sed & beatum Moysem per quadragenarium continuata abstinentia sacrificium cœlestis colloquii legimus acquisivisse commercium. Hoc ideo legimus, ut intelligamus hominibus per purificationem jejunii vicinitatem Dei, præsentiamque conferri*: nimirum quos escarum illecebræ absentant à Deo, hos continuata ieiunia Numini præsentant; ut qui per culpam distant, per impetratam beneficio ieiunii veniam Numini adsint. Hanc per gulam Dei absentiam, & per ieiunium præsentiam eleganter innuit Tertullianus, qui loquens de ieiunio Eliæ ait: *Dehinc minantem Jezabel fugiens Elias post unicum pabulum, & potum quem ab Angelo expergefactus invenerat, & ipse quadraginta diebus, & noctibus vacuo ventre, arido ore pervenit in montem Choreb, ubi cum in spelunca divertisset, quàm familiari congressu Dei exceptus est. Quid tu Elia hic? multò amicior ista vox, quam Adam ubi es? illa enim pasto homini minabatur, ista jejuno blandiebatur.* — *Gen. 3. v. 9.* — *Homil. in jejun. quadrag.* — *Advers. phys. sic. cap. 6.*

87. Primus homo, quia gulæ indulsit illecebris, quia stomachum oppievit escâ sibi inhibitâ, nolens, ornamenta, quibus insigniebatur, evacuavit; séque non nudum tantùm, sed & inermem novit. *Cùm cognovissent se esse nudos, consuerunt folia ficus, & fecerunt sibi perizomata*: gula, quæ ventrem implevit, mentem evacuavit; imò & corpus nudavit, cùm priùs non se Adam novisset nudum. Perperam igitur in edulis frutice vestes quærunt nudi, qui in esu pomi nuditatem invenerant: vestes, quibus etiam ad ornatum operimur, non in esca invenimus, sed in inedia, quapropter aiebat David: *Et operui in jejunio animam meam*, seu ut explicat S. Paulinus epist. 10. *Induebat se cilicio, & operiebat in jejunio animam suam, ut eam spiritali saturitate contegeret: unde discimus vestimentum animæ, illud esse jejunium, quo ab omnibus lege divina vetitis abstinemus*, quia enim nunc post Adæ peccatum non sola gula peccat, sed & cætera membra, omnésque in homine facultates, ac potentiæ per voluptatum illecebras ab honestamentis deflectuunt virtutum, & à summo se bono avertunt, ideò non soli gulæ indicendum est ieiunium, sed, & reliquis membris, sensibus, ac potentiis in homine, ut quæ per delicta intulerunt damna, per religiosa ieiunia instaurent, & instaurata deperditam Numinis imaginem resculpant. — *Genes. 3. v. 7.* — *Psal. 68.*

Indi-

88. Indicendum est jejunium oculis, ut à curiosis abstineant aspectibus, & modestiæ fræno petulantiores coërceantur intuitus. Indicendum est jejunium auribus, ne perversè prurientes fabulis, verbisque otiosis, & quod deterius proximi pascantur detractionibus. Indicendum est linguæ jejunium, ut à conviciis, contumeliis, futilibus sermonibus, verbisque abstineat scurrilibus, & silentii fræno pruritus temerè loquendi compescatur. Indicendum est jejunium manibus, ut abstineant à pravis operibus, ne quidquam agant, quod Numini displiceat; ne quidquam tangant, quod castitatem labefactet. Indicendum est jejunium intellectui, quò à pravis, ac lascivientibus abstineat cogitationibus, nilque intus volvat, quod pudicitiæ sit noxium; damnúmque sit proximo allaturum. Indicendum est jejunium voluntati, ne ea velit, quæ divinæ sunt dissona legi, quæque Numini displicent, ne odia foveat, prava desideria concipiat, turpes amores excitet, profana gaudia non admittat. Indicendum est jejunium memoriæ, ne in ea refricentur, quæ divinum possunt honorem lædere, & proximo esse damno. Indicendum est jejunium toti animæ, ut hæc jejunet à vitiis, concupiscentias coërceat, iras compescat. Hoc est salubre illud jejunium, quo anima reficitur, spiritus pinguescit, proba desideria aluntur, mens serenatur, & studia virtutum mirificè promoventur; quia ut eleganter D. Chrysologus de jejunio: *Jejunium singulari cultu evellit vitia, eradicat crimina, ad fructus bonos agrum parat mentis, & corporis. Jejunium est sanctitatis hostia, sacrificium castitatis. Jejunium virtutum navis, portat quæstum vitæ, lucrum salutis advectat. Jejunium nobis aperit cœlum, nos intromittit ad Deum:* & aliquibus interiectis loquens de virtute jejunii in Moyse ludit: *Moyses ad triumphos suos militare sibi omnia mandat elementa, jubet mare discedere: durari undas, profunda siccari, cœlum pluere.* Ad eius imperium dat frumenta, ventos spargit, carnes emittit, & Deus præeunti Moysi iter ostensurus noctem splendore solis illustrat, solem nubis temperat velamento; & Moyses ipse petram percutit, ut de recenti vulnere frigida sitientibus det fluenta. Moyses jejunus dat terris legem cœli, scribit vitæ formam, figit terminos disciplinæ. Elias beneficio jejunii mortem nescit, relinquit terras, cœlos orans intrat, convivit Deo, consociatur Angelis, & hospes terrenus supernas possidet mansiones. Virtute jejunii Joannes quasi humanitatem exutus Angelicam ducit in carne vitam, vivitque Angelus in corpore, cœlestis in terra, sublimis in imo. Et nos, si volumus Moysis gloriâ, Eliæ vitâ, Joannis virtutibus insigniri, omniúmque sanctorum meritis ditescere, insistamus orationi, vacemus jejunio.

Serm. 41. & seqq.

Hisce duobus si fuerit Christianus munitus, impetus contundit satanici hostis, Jacula peccati, diaboli tela, carnis nequitiam, concupiscentiæ æstus, vitiorum cuneos, mundi machinas, voluptatum laqueos, illecebrarum insidias; & arma mortis non timet, sed infringit, dissipat, & abigit; ita ferè D. Petrus Chrysologus.

89. Est enim jejunium, quod virtutes fovet, & vitia enecat; proba excitat desideria, & pravos excutit affectus; Dei accendit amorem, & pravæ concupiscentiæ æstus extinguit. Jejunio plus discit spiritus studia esurire virtutum, quàm corpus escarum sarcinam; fiátque sitis corporis pium animæ desiderium, ac æstus, quò non iam fontium latices, nec generosum sitiat falernum, sed fontem vivum, è quo gratiarum omnium scaturiunt rivuli, quibus & sitis nostra expletur, & fames exaturatur. *Beati, qui esuriunt, & sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur.* Quid? quòd D. Lucas nullam hic mentionem suggerat de iustitia? dicátque: *Beati, qui nunc esuritis, quia saturabimini;* cùm enim D. Matth. loquatur de siti iustitiæ satis apertè desiderium animæ, & sitim spiritûs indicat, & D. Lucas, cùm iustitiæ non meminerit, de fame videtur loqui, quâ stomachus vacuus escas appetit, quibus vires reficiat. Sed licèt loqui videatur de fame corporali, satis tamen apertè spiritualem subindicat ipsa saturitas, quæ si stomachum aggravet, plus adfert incommodi, quàm utilitatis, & quia hæc saturitas beatitudinem accersit, *beati, qui nunc esuritis, quia saturabimini*, utique saturitas est, quæ mentem reficit, & quâ spiritus beatur; ideòque esuries, de qua D. Lucas loquitur, tametsi corporalis esse videatur, refunditur tamen in spiritualem, in quam dirigitur, ut iodicat D. Matthæus, sítque propterea sensus: Beati verè sunt, qui voluntariis jejuniis macilenti, diuturna inedia enerves, sterili abstinentiâ impallescentes, cibum esuriunt, & potum, sed spiritu; hoc est non tam carnali necessitate, quàm virtute spirituali; quasi corporalis esuries, ac sitis fames sit, ac sitis spiritûs; quia corpus tametsi jejuniis fractum, abstinentiis enervatum, non escas esurit corporeas, quibus vacuitatem repleat stomachi, sed justitiam, quâ spiritum recreet: non esculenta, & poculenta appetit, quibus ventrem farcinet; sed fomenta virtutum, quibus mentem reficiat; siquidem per corporalem esuriem, & sitim spiritus jejunantis virtutes esurit, & Deum sitit, ut appositè scribit D. Hieronymus ad Cælantiam, inquiens: *Qui probabiliter, ac scienter abstinentia virtutem tenent, eò affligunt carnem suam, quò animæ frangant superbiam: ut quasi de quodam fastigio contemptus sui, atque arrogantia descendant ad implendam Domini voluntatem. Ideóque à varijs ciborum desiderijs mentem retrahunt, ut totam eius vim* occu-

Matth. 5. v. 6.

Luc. 6. v. 21.

Epist. 14.

*occupent in cupiditate virtutum. Jámque minus iejuniorum, & abstinentia laborem caro sentit, animâ esuriente justitiam.*

90. Esuries itáque corporalis, beneficio instituti ieiunii famem acuit spiritûs, sitimque accendit mentis, quæ propterea non esculenta esurit corporea, nec poculenta sitit terrena, sed virtutes, quibus anima refecta pinguescat: esuries jeiunii, solam esurit justitiam, & pia metamorphosi ventris esuries, fames fit mentis; & sitis corporis pium spiritûs desiderium, quo fontem sitit aquæ vivæ: jeiunantes à vatiis ciborum desideriis mentem retrahunt, *ut totam ejus vim occupent in cupiditate virtutum:* nimirum, cum homo terrestris fame corporis esuriret voluptates, sitiret vitia, quæ nunquam valent satiare, nunquam reficere; beneficio jeiunii non amplius corpore, sed spiritu justitiam esurit cupiditate virtutum. Est igitur ieiunium quoddam ad culturam virtutum incitamentum, famem excitans, & sitim accendens iustitiæ; mens enim nulla indigesti stomachi cruda evaporatione infecta clariùs, quæ sint salubriora eius nutrimenta videt, & ea appetit. Lætum cœlum, & serenum caput in eo conspicuatur; quia sicut si palustres terræ vapores, ac humescentes exhalationes sursum non avolant, aër non turbatur, & cœlum nulla fœdatur nubium macula, sed sua ridet serenitate jucundum: perinde humana intelligentia, quamvis in se spectata studiis virtutum, sacris meditationibus, precibus fundendis, æternis intimiùs penetrandis apta sit, ac expedita; quia tamen corpus, quod inhabitat, tam inæqualis est valetudinis, ut variis sit mutationibus obnoxium, & modò plumbea prematur gravedine, modò volatili sublevetur agilitate, nunc immodico æstu flammescat, & aliàs frigescente otio torpescat; modò esculentis onustum in ima detrudatur; & nunc escarum depositâ sarcinâ agiliùs moveatur; ideo spiritus corporis inquilinus plurimum juvatur, vel impeditur ex prava, vel proba corporis habitudine; vulgatum enim est apud ascetas: venter, si plenus fuerit, non orat, non studet, non laborat, non meditatur, sed otiatur; quia homo latur voluptatibus, est pronior studiis ventris, quàm mentis; & libentiùs garrit, confabulatur, ridet, otiatur, quàm meditetur, preces fundat, studeat, aliáque mentis munia obeat; in sublime non erigitur mens hominis, cuius venter ingestis gravatur escis.

91. Idque vel ab ave ediscimus prædatoria in ardearum aucupiis: si enim falco benè pastus sit, volatui est minus aptus, neque alarum remigio ardeam assequitur; quæ conijciens ex volatu falconis gravedinem tuta sursum avolat, quò difficulter falco pastus ascendit, ideóque neque unguibus ardeam tenet, neque rostro discerpit, nec configit. Hinc hoc aucupandi genus necesse est ut esurialis præcedat, alioquin nihil agitur, caditque unà cum volucre pasto tota venatica voluptas, quæ à pridiano tota dependet ieiunio; quod si non præcesserit, neque voluptas subsequitur. Non secus dixerim, si homo abstinentiam oderit, neutiquam in sublime se se attollit, neque divina, & cœlestia mente assequitur; si ventre sit plenus, onus corporis eum deprimit, & escaria sarcina mentem impedit, ne sublimiùs avolet: congesta esca suo pondere totum hominem deorsum trudit, non sursum promovet; hinc saturitas deiicit, quem in altum inedia evexisset. Sursum avolavit Elias, qui ad secretum etiam cum Numine admissus fuit colloquium, sed priùs dies quadraginta impransus, & incœnatus transegit; perinde ac si jejunium illud præceptum ei è cœlo fuisset: sursum ascendit Elias, & toto mentis volatu ad Deum pervenit, sed eius viatica fuerunt frigida, quam fons publicus ei obtulit, & panis subcinericius. *Et ambulavit in fortitudine cibi illius quadraginta diebus, & quadraginta noctibus usque ad montem Dei Oreb. Cúmque venisset, illuc mansit in spelunca, & ecce sermo Domini ad eum.* Sursum volârunt in lege evangelica hi omnes, quos ecclesia sanctorum adscripsit cathalogo, sed quia nullo esculentorum pondere pressi, & stomacho vacuo mente expedita, perniciori volatu in sublime nitebantur. 3. Reg. cap. 19.

Hinc jeiuniis præ cæteris assuevêre Apostoli, & cum ipsis eorum Magister Christus, qui quadragintadiale jejunium nulla in stomachum demissâ escâ, nec instillato liquore absolvit, qui cum discipulis esurire, & sitire voluit, adeo ut ad acriores famis latratus sedandos, eos spicas vellere jusserit, & mandere. D. Petrus Apostolorum Princeps teste D. Gregorio Nazianzeno ferè semper jeiunavit, esurivit, solis lupinis asse comparatis se refecit. Matthæus Evangelista referente Clemente Alexandrino carnibus abstinuit, & solis oleribus vitam sustinuit, ne penitus laberetur. Jacobus Alphæi filius frater Domini illibatæ virginitatis cultor, summarum studiosus virtutum, vigiliis, precibúsque fundendis assuetus; vino, & sicerâ semper abstinuit, & non solùm genua, verùm & frontem ipsam cameli callo asperitate obductam fecit jugi corporis ad pavimentum allisu, referente Chrysostomo, & cum ætatem ad annum nonagesimum sextum protraxisset è summo templi fastigio deorsum præcipitatus æterna exsaturatus est beatitate; quia esurialem in terris vitam duxit. Joannes Baptista præcursor Christi non solùm perpetuum sibi indixit jejunium, sed tam parum cibi, potúsque sumpsit, ut de ipso dixerit Christus. *Venit Joannes, nec manducans, neque bibens.* 92. Orat. de pauper. amor. Matth. cap. 11. v. 18.

93. Anna Phanuelis filia jejuniis, & orationibus Deo jugiter inservivit, assidua fundendis precibus in templo, tametsi viribus destituta, corpore gracilis, jejuniis con-

Luc. cap. 2. v. 37. emaciata: *Jejunijs & obsecrationibus serviens die, ac nocte non discedebat de templo.* Et ita primi omnes exorientis Ecclesiæ fideles jeiuniis assuevêre, & orationibus, ut gemina hac alâ fulti in sublime avolarent, ad Deum tenderent, eique soli adhærerent. Jejunio, & oratione obatmati ad victoriam pugnârunt contra vitia, & tartareas expugnârunt legiones: nec ullum è tot cœlitibus, quos Ecclesia Deo peperit, reperias, qui non studuerit carnem jejuniis edomare, ventrem inediâ debilitare, & mentem oratione corroborare: insolescit enim caro, si elcis foveatur; & petulantiam exuit, si ieiuniis coërceatur; est enim ieiunium probatissima, ac saluberrima corporis castigatio; & oratio mentis in Deum promptior elevatio, si viribus sit fulta ieiunii: hinc de S. Asella scribit
Epist. 15. D. Hieronymus, quam direxit ad Marcellam, quòd cum per totum anni cursum iugi pascaretur ieiunio biduo, triduóque permansit absque ullo cibo, & potu, & in quadragintadiali ieinnio suam ita huius fluctuantis vitæ traiectionem instituit, ut omnes penè hebdomades vultu lætante ieiunio coniungeret, & huius beneficio ieiunii perveniret ad senectam ab omni prorsus corporis ægritudine immunem; adeò ut non doleret capite, non laboraret stomacho; nec viscerum cruciatus sentiret; nec sicca humus, in qua cubabat iacentia membra inficeret; nec sacco asperata cutis fœtorem, nec sordes, sitúmque ullum contraheret; sed sano corpore, animo saniori solitudinem putaret delicias; eremi vepreta hortorum flores; & inter senticeta huius asperioris vitæ lilium virginitatis cœlitibus excoleret gratius, & Numini odoratiùs, cui tam iugi adhæserat oratione, ut in genibus cutem in duritiem camelorum præ orandi frequentia occalluisse deprehensum fuerit.

## §. X.

*Nisi ager corporis nostri culturâ jejunii exerceatur, flores virtutum in nobis non vernant, nec fructus meritorum ullam spondent messem.*

94. QUotquot Christianarum virtutum ex celluerunt studio, hi abstinentiæ, ac jeiunii frœno carnem edomnerunt, ejúsque concupiscentias coërcuêre, ut observat D. Basilius de laudibus jeiunii inquiens; *Omnes sanctos quotquot fuerunt ad vitam Deo dignam per jejunium fuisse institutos reperies:* hinc scimus, Nicolaum Myrhensem Episcopum ab incunabulis priùs assuevisse jeiunare, quàm vagire, statis enim Mercurii, & Veneris diebus semel duntaxat lac sugere consuevit, & innocentiam, quam cum lacte suxit, beneficio ieiunii incontaminatam semper servavit: scimus, Stephanum Presbyterum Constantinopolitanum priùs cœpisse ieiunare, quàm extra maternum uterum vivere; siquidem mater eius gravida ab omni abstinuit vini haustu, carnisque, & lacticiniorum esu, & ubi ex medicorũ consilio horum aliquid admisit, quasi id nausearet Stephanus, statim mater revomuit: quin Stephanus in lucem editus nonnisi matris ieiunæ ubera suxit, neque ulla vi adigi potuit, ut è matre pasta aliquid sumeret lactis; & à pueto ita ieiuniis assuevit, ut adultior semel duntaxat in die corpus reficeret, idque vespere post solis occasum; nec alias tunc gustavit epularum delicias, quàm rusticanas herbulas iniecto sale, & aquâ lixas; quinimò sacerdotio initiatus etiam salem tenni ademit obsonio, & bis duntaxat per totam hebdomadem stomacho pauculas indulsit decoctas herbulas, quibus labentes corporis vires reficerentur. Adultior verò solitudinis secessum petens, nonnisi herbas crudas in cibum adhibuit; & iussus enervato stomacho aliquid suppeditare roboris, ac vino uti, Stephanus ut simul iubenti pareret sacerdoti, & ab insolita ieiunandi consuetudine non abscederet, unam duntaxat vel alteram vini guttulam in peramplam immisit hidriam frigidâ plenam, quo verè assereret, parum in potu vini adhibuisse: ex eadem obedientia diebus festis paucas ficus solis æstu exsiccatas in diurnam admisit alimoniam, excluso tunc quovis alio obsonio; & hac vivendi methodo annum ætatis attigit septnagesimum tertium nulla ægritudinis molestia vexatus, nullo capitis dolore tortus.

Fuerunt, & alii plures sanctitate illustres, qui ab abstinentia materni lactis suam inchoârunt sanctitatem. Sisinnius Episcopus Thaunensis diebus Mercurii, & Veneris vix natus à materno lacte abstinuit. Edmundus Cantuariensis Archiepiscopus quavis feria sexta per totum vitæ cursum præter aridum panem, & exiguum frigidæ haustum nil gustavit. Ivo illustris ille Pater pauperum omnibus pervigiliis, quò ieiunii legem religiosè servaret, pane, & aqua duntaxat cœnavit, prandio penitus omisso. Et plures alii recensentur, quos sol nunquam vidit comedentes, & qui nonnisi vespere post occasum solis parum, vel leguminis, vel herbarum, aut fructuum stomacho, concesserunt. D. Hilarius annorum septuaginta senex neque diebus festis quidquam alimenti antequam Sol occideret demisit in stomachum, & eius fercula lentes fuerunt, & hæ non coctæ, sed aquâ maceratæ, vel herbarum aliquid cum frustulo hordeacei panis. Imò ab anno ætatis saxagesimo tertio usque ad octogesimum panem etiam ademit gulæ, cuì tantùm insculum ex coctis herbis extractum indulsit. 95.

D. Antonius Abbas, nonnisi vespere post occasum solis, parum comedit vilioris panis cum modico fontis haustu, cui obsonio ad totam lautitiem modicum addidit salis, & plerumque totum biduum, triduúmque 96.

que teste Athanasio omni cibo abstinuit. Scimus D. Paulo Eremitarum Principi unicam arborem palmæ indumentum æquè, ac alimentum suppeditâsse usque ad annum ætatis sexagesimum, & ab hoc ad centesimum decimum tertium dimidiati panis fragmentum quotidie corvum eidem attulisse, & integrum duntaxat panem subministrâsse, cum magnum Antonium hospitio excepit, cui tunc Deus duplicavit annonam. Scimus Epesium Anachoritam in eremo nunquam per annos quadraginta interdiu comedisse, sed tantùm cum vespere inciperent sydera illucescere modicum obsonii ad detritas corporis vires reficiendas sumpsisse. Scimus D. Elpidium Abbatem in solitudine rerum divinarum vacantem meditationibus solis diebus dominicis, & mercurii modicum sumpsisse alimenti. Scimus D. Hieronymum in Bethlehemitico secessu repugnantem spiritui carnem hebdomadarum inedia subjugâsse, & id præstitisse, quia ei volupè fuit ita assuevisse. Scimus Sabam Abbatem religiosissimum ex ex hebdomadæ diebus quinque sine cibo, & potu transegisse, & quinque duntaxat dactylorum nucleos, modicumque aquæ reficiendo stomacho adhibuisse. Scimus D. Wolfganum tribus in hebdomada diebus ab omni cibo, & haustu abstinuisse, & reliquis nonnisi caules elixos cum frustulo hordeacei panis comedisse. D. Liphardum nonnisi unicâ hordeacei panis unciâ admisisse in totius prandii, & cœnæ apparatum. Simeonem Stilitem totis hebdomadibus assuetum ieiunio eò inediæ exercitatione pervenisse, ut testibus Theadote, & Evagrio viginti octo annis totidem quadragesimas absque omni cibo traduxerit D. Theodorum Siceotem à natali Domini JESU usque ad dominicam palmarum prorsus inpransum, & incœnatum vitam duxisse, paucis duntaxat pomis, vel oleribus adhibitis die solis. D. Zuërardum per triduum frequenter ab omnibus abstinuisse esculentis, & poculentis. D. Equitium reclusum, virum admirandæ abstinentiæ, ac miræ pœnitentiæ ferreis ad nudum corpus catenis constrictum, & aspero indutum cilicio totam obsonii lautitiem sumpsisse hordeaceo, eòque sicco pane cum paucis dactilis, & totum quadragintadiale jejunium solis herbarum radicibus absolvisse. D. Nicolaum à Tolentino à septimo ætatis anno per mediam hebdomadæ partem cibum omnem rejecisse, & annis triginta abstinuisse ab esu carnium, ovorum, & piscium, & reliquos dies solo pane, & aqua corporis vires instauràsse.

97. Neque defuerunt ex imbecilliori sexu fœminæ sanctitate insignes, quæ per servata jejunia escas corpori adimerent, quò spiritus virtutum obsonio fartus lautiùs pinguesceret. Constat, S. Cæciliam biduanis, & triduanis ieiuniis vegetiorem prodiisse. S. Theodoram totis hebdomadibus ab omni abstinuisse alimento. S. Genovefam ab anno ætatis decimo usque ad quinquagesimum bis tantùm quavis hebdomade diebus Jovis & Solis modicum sumpsisse obsonii. & totam prandii lautitiem fabarum. exhibuisse pulmetum cum frustulo hordeacei panis. S. Agnetem de Monte Politiano quindecim annos solo pane, & aqua jejunâsse. S. Claram Assisiatem geminam quot annis integram exegisse quadragesimam solo pane, & aqua. Et quotquot jejuniis assuevêre, hos tartareos hostis pugnare quidem potuit, sed non expugnare, quia jejunio lnricati omnes cacodæmonis ictus retuderunt, & tartareos elusêrunt astus, coërcuerunt conatus, frustrârunt impetus.

Refert Gellius, Lucium Sullam in terra Attica oppugnâsse Piræum, cujus defensioni aderat Archelaus, qui turrim prope mœnia ligneam construi curaverat, è cujus fastigio faciliùs obsidentibus hostibus incommoda adferret. Eduxit Sulla copias, & omni, qua potuit industria connisus est, turrim illam sibi objectam, ac noxiam adiecto igne incendere. Accessêrunt Sullæ copiæ, ligna subdidêre, ignem admoverunt, sed quamvis flammæ turrim cingerent, non tamen eam combussêre. Causa verò, cur turris expugnari non potuerit, ea fuit, quia Archelaus omnem turris materiam alumine obliniverit, ideóque licèt ex omni latere flammæ crepitarent, & subjecta ligna arderent, non tamen turris valuit flammas concipere, nec quidquam pati damni. Mirati fuêre Sullani milites hanc ligneæ turris invictam pertinaciam, quâ Sullæ conatus omnes frustravit, astúsque bellicos elusit. Quid ni? caro nostra non secus ac lignum abiegnum flammis concipiendis concupiscentiæ pronum pravorum affectuum igniculis facilè corrumpitur. Verùm si lignum hocce nostræ carnis abstinentiæ obliniatur alumine, suas concupiscentiæ flammæ vires deperdunt, nec quidquam possunt illi damni adferre, quia jejunium æstus extinguit concupiscentiæ, flammas sopit animi irascentis, & pravos quosque affectus compescit. 98. Lib. 15. noct. Att. cap. 1.

Hujus jejunii virtutis, & efficaciæ illustre dedit documentum Mulier quædam decora facie, nobilis genere, venusta vultu, ac divitiis affluens, quam cùm sibi in uxorem delegisset, eamque duxisset vir honestus, ac congestis ex mercatura divitiis præ patriæ suæ divitibus opulentior, & per aliquot jam annos cum ea maritali vixisset affectu; secretiùs hic suam alloquens sponsam dixit: tu scis dilectissima sponsa, quomodo industriâ negotiationis, & ope mercaturæ divitiarum incrementa nostrum repleverint ærarium: quia verò negotia mea id necessariò exigunt, ut rationes exigam ab iis, qui mecum in mercatura res suas agunt, debeo à patria abscedere, & quidem fortassis per aliquot annos, sed quia vereor ne acerba nimis mea tibi obtingat absentia, ideò quale sit tuum desiderium, vellem sincerè mihi exploratum faceres, quia à te separari nisi per mortem, nec possum 99.

possum velle, neque velim posse. Ad hæc sponsa lachrymis madida respondit, tametsi nonnisi gravissima tua possit mihi absentia obtingere, quia tamen tibi utile visum est hinc abscedere, mihi placet, quod concepisti, nec aliud possum velle, quàm quod tu. Age igitur prout tuis negotiis magis congruum tibi visum fuerit: sed tunc sponsus: unum, tamen vereor, & quod tui causa expaveo, est, quia plures hujus civitatis juvenes sciunt, te fœminam venustam esse, ac pulchritudine decoratam, hinc timeo, ne, si me absentem audierint, laqueos tuo apparent pudori, téque in sui amorem pertrahant. Quòd si to maritalem fidem violares oblita pudoris, me etiam interficerent. Tunc sponsa non est, mi dilectissime sponse, quò ita verearis, cùm parata sim vitâ potiùs defungi, quàm tibi non esse fidelem, nec unquam præter te, ullum admissura ero amasium. Abivit sponsus sola cum famula reliquit domi sponsam, quam ubi juvenes loci noverunt, domi solam, ut eam ad nequiorem suum allicerent amorem, cœperunt nocturnis horis ante ejus domûs fores ludos instituere amatorios, resonantibus cantilenis, ac musicis instrumentis, quibus nitebantur cor mulieris avertere, quæ tamen servatura sponsionem datam sponso fores clausit, & fenestras omnes, quin oculos etiam, & aures; cúmque novissent juvenes se inutiliter tempus terere, cessarunt à venereis illis illiciis.

100. Verùm post non multum temporis, cum inciperet Mulier injectum oculis frœnum laxare, juvenem quendam vidit aspectu venustum, formâ amabilem, qui cùm frequenter per talem transiret plateam, mulier quadam stimulata curiositate ab ancilla petiit, quisnam esset juvenis ille, qui tam frequenter ante suam domum pertransiret, cúmque audivisset juvenem esse professione doctorem in utroque jure, insigni dotatum scientiâ, nondum matrimonio ligatum, cœpit impuro æstu mulier in eum exardescere, cui insidias paratura tempore, quo consueverat per plateam transire ad fores domus Mulier cœpit descendere cultu corporis, & vestium ornatu splendidior, juvenem pertranseuntem priùs salutatura, & postea cum ipso locutura, ac amatorios tandem cœpit miscere sermones, ac suum juveni prodere amorem, quin petiit etiam ut posset cum ipso domi immorari. Juvenis verò conjiciens mulieris pravum amorem, ut erat vir prudens, & culturæ præsertim castitatis addictus de modo cœpit cogitare, quo nequissimum illum in muliere æstum extingueret; respondítque propterea velle quidem votis suis adnuere, sublato tamen priùs quodam repagulo, haud difficulter removendo. Dixit igitur fœminæ non posse ei tam cito satisfacere, eò quia cum degeret in Academia studiorum causâ, contigerit, quòd studiosi seditionem suscitaverint, in qua quidam vulneribus saucii fugerunt, & alii etiam enecti ceciderint, & ipsum ut periculum evaderet vovisse virgini matri per biennium castitatem, & jejunium, in pane solo, & aqua singulis diebus mercurii, veneris, & saturni; & ne tantæ liberatrici ingratus existeret, vellet priùs votum persolvere: & sexaginta adhuc illi superesse dies jejunii, quòd si nimis prolixum fœminæ visum fuerit tempus, subdidit juvenis, fui ego consultus quendam virum Theologum, qui mihi respondit, posse me dies jejunii continuare per singulos septimanæ dies, donec numerus fuerit adimpletus. Quòd si hi sexaginta dies adhuc tibi videantur nimii, possumus illos simul dividere, ut tu triginta dies tibi assumas jejunandos, & totidem ipsemet, quo fiet, ut infra triginta dies sim ego solutus, & tuis liberiùs possim votis annuere, mihíque etiam satisfacere, cum te unicam depeream; ita dixit vir castitatis cultor, non quia cogitaret aliquid mali cum fœmina perpetraturum, sed ut ægritudini mulieris pharmacum adaptaret rigidioris jejunii in solo pane, & frigida, quâ inciperet, & ipsa frigere, æstúsque impuros extinguere.

Inchoavit igitur mulier trigintadiale jejunium. Interim juvenis post triduum ad eam revertitur visurus, num inchoatum jejunium continuaret, Perhumanissimè excepit mulier juvenem suum intrantem cubiculum, sed juvenis tantùm eam monuit, ut constanter ageret, ac inchoata jejunia compleret. Post aliquot dies reversus iuvenis observavit mulierem ex inedia vultu impalluisse, æstúque minori de pravo suo amore secum sermones miscere, eique tamen impensius suasit, ne ab inchoatis ieiuniis desisteret, donec totus numerus absolvatur. Rediens tertiò, die iam sexta decima ab inchoato ieiunio, eam invenit adeo viribus destitutam, vultu emaciatam, & toto corpore imbecillem, ut vix assurgere potuerit, ut ex consuetudine ingressuro iuveni amasio obviaret; quinimò beneficio frigidæ, adeò cœpit sanguis in ea frigere, & impudici amoris æstus ita extingui; ut pluribus licèt circumamicta vestibus, non tamen adhuc posset calescere. Cúmque fuisset juvenis eam consolatus, ac discessisset; die vigesima quarta iterum ad mulierem revertitur, sed non amplius stantem, sed in lecto languentem sine viribus, & absque ullo prorsus æstu amoris impudici, quo iuvenem deperierat. Quod cùm iuvenis animadvertisset, fœminam interrogavit, num inter frigentia membra, adhuc fervidum in ipsum sentiret amorem. Tunc mulier ad se reversa, & simul intelligens pharmacum sibi curandæ nequioris amoris ægritudini à iuvene amasio sibi adaptatum, cœpit verecundiâ tota confundi; & firmiter sibi proposuit eidem morbo imposterum idem se accommodaturam pharmacum.

Est igitur ieiunium alexipharmacum non solùm anodynum, relaxans, & cathárticum;

cum; verùm etiam egregiè exteriorium, quidquid enim sordium voluptas impura concrahit, id ieiunium extergit. Quòd si nulla alia suppeteret causa ieiunandi frequentiùs, hæc una saltem semper sufficeret, eò quia sit jejunium pharmacum impuros extinguens æstus, & sordes carnis extergens. Præ cæteris siquidem corporis castigationibus, nulla est, quæ insolescentis carnis ita coërceat petulantias, quàm jejunium; quod ad debitam modestiam revocat corporis membra, quæ ritè componit. A jejuniis discit caro non ferocire, sed rationi obedire, hinc aiebat D. Hieronymus, Ardentes dæmonum sagittas jejuniorum frigore esse restinguendas: & revera si abigendus sit canis, non ei exhibendæ sunt carnes, sed echinata est illi clava ostendenda: si olla ebulliat, non ligna sunt ei submittenda, sed potiùs amovenda, & ignis subducendus: si equus ferociat, minuendum est ei pabulum, subtrahenda avena; si caro insolescat, jejunium est illi indicendum, & inediæ alexipharmaco atterenda, quapropter
1. Corinth. cap. 9. D. Paolus ait: *Castigo corpus meum, & in servitutem redigo, ne fortè cum alijs prædicavero ipse reprobus efficiar.* Quid ni licèt D. Paulus usque ad tertium cœlum raptus fuerit, laboribus exhaustus, plagis, & carceribus emaciatus, studio virtutum insignis, adhuc tamen contremiscit, ne carn insolescat, quam propterea conterit, ac compelcit inquiens: *Castigio corpus meum.* Non tamen hujusmodi castigatio, fuit cruenta flagellatio, humi cubatio, vel cilicii asperitas, sed ut censent Ambrosius, & Chrysostomus, jejunium fuit, quo & rebellantes concupiscentiæ æstus extinxit, & pravos quosque corporis motus compescuit.

103. Jejunium igitur fuit Apostolo Paulo corporis castigatio, & alexipharmacum, quo ægritudines curavit concupiscentiæ. Quòd si Doctor gentium, Medicus animarum hoc pharmacum adhibuit, propriis curandis rebellantis concupiscentiæ morbis, non est, quò debeamus nos hoc idem horrere pharmacum, quod Medicus, & verbo, & exemplo nos edocuit. Carnis nequitiæ, & fraudes non indulgentiâ corriguntur, sed sola abstinentia abiguntur. Hinc appositè D.
Serm. 12. Chrysologus: *Cibus parvus de cælesti sumatur annona, terreni luxus copia non quaeratur, in potulis sobrietatis mensura servetur, vires ebrietas non enervet, jejunio muniamur, & sic instituti indicamus bella peccatis, statuamus criminibus pugnam, conflictum vitijs nuntiemus, securi de victoria: quia nec arma celestia hostes poterunt superare terreni*, & paulo infra subdit: *Jejunantibus nobis Diabolus esurit, qui nostris semper saturatur ex culpis*: & Serm. 13. commendans virtutem ieiunii ait: *Nunc est tempus, quo gula cum jejunio, abstinentia cum crapula, cum luxuria castitas, cum perfidia fides, pietas cum impietate, patientia cum furore, cupiditas cum libertate, misericordia cum avaritia, humilitas cum superbia, sanctitas cum reatu Christo remuneratore confligit.* Vult enim ieiunium vitia prosternere omnia, & virtutes promovere; quia vires quas carni ieiunium adimit, easdem aucto fœnore spiritui addit, & Christi pugil jeiunio munitus habet, quo hostem prosternat, & inconcussam prodat fortitudinem: idque fortassis causæ fuit, cur cœlestis Nuntius sponsurus Samsonem, Matri abstinentiã indixerit, simùlque prædixerit eam parituram filium virorum fortissimum, qui captivitatis iugum contereret, qui virtuti, ac libertati consuleret, quia nimirum in sinu conceptus abstinentiæ: *Cave ne bibas vinum, ac siceram, nec immundum quidquam comedas, quia concipies, & paries filium, cujus non tanget caput novacula, erit enim Nazareus Dei ab infantia sua, & ex matris utero, & ipse incipiet liberare Israel de manu Philisthinorum*, Necessum fuit, ut abstinentia eum conciperet, ac conceptum in sinu foveret, qui de prostratis Philisthæis victrices erat palmas deportaturus. Lib. Judic. cap. 13.

Viros fortes captivitatis depulsores, & libertatis assertores ieiunium concipit, fovet, ac munit, instruitque ad fortissima bella. Imò tantæ est ieiunium virtutis, ut vel contra mortem ipsam prævaleat. Cum iniecisset Elias claustra nubibus, & Regis propterea fuisset indignationem veritus, mortem declinaturus occulta deserti loca petiit; postea Sareptam adiens cum morte certamen iniit, eámque Elias vicit, ac prostravit, cùm demortuum puerum iussit resurgere: *Reversa est anima pueri intra eum, & revixit.* Sed quibúsnam armis fultus Elias è deserto prodierit mortem prostraturus in Sarepta? si minas Regis veritus trepidavit, & in desertum aufugit, cur tam intrepidè mortem aggreditur, eámque expugnat, ac spolia rapit in puero mortuo jusso ad vitam resurgere? fortitudinem hanc, quâ Elas cum morte pugnavit, eámque expugnavit, jeiunium suppeditavit, jeiunium arma dedit, & ad bellum Numinis pugilem instruxit; siquidem in deserto pane duntaxat siligineo, & quidem nonnisi semel in die alebatur: & in Sarepta exigua etiam polenta, vel placenta, & solâ frigidâ contentus fuit: *Fac de ipsa farinula subcinericium panem parvulum, & affer ad me.* 104. 3. Reg. cap. 17. v. 22.

Tametsi iniecisset Elias claustra nubibus, Regis adhuc verebatur indignationem, quia nondum jeiunio loricatus. Cum verò in deserto, & Sarepta armis se munivisset jeiunii, tunc nec mortem ipsam ampliùs expavit, quia corpus non pavit, quia ubi jejunium viguit, parsimonia effloruit, prævaluit Elias etiam in mortem: invictas enim suppeditat jeiunium vires, quibus non de morbis tantùm animi, sed & de ipsa corporis morte triumphat inedia: appositè D. Basilius Seleuciensis ait: *Contra homines mors invicta per Eliam vinci didicit, ac lingua* 105. Orat. 12.

*qua Prophetica vim passa lugubrè cecinit.* Dum Elias in deserto vires per jejunium adimit corpori, spiritum ad pugnas, & victorias corroborat; dum in Sarepta solo pane subcinericio, & aquâ contentus corpus debilitat, nec mortem ipsam expavet, quam bene pransus timuit; cum Regis indignationem declinaturus in desertum aufugit.

Nulli igitur dubium, quin ingluvies plurima humanæ naturæ ingerat detrimenta, quæ abstinentia restaurat; cibus enim vires abscindit, dum humores in languorem corrumpit: abstinentia verò dum noxios coquit humores corporeas reparat vires; licèt Elias pransus mortem expaverit, mors tamen cessit Eliæ jejuno. Jejunium ait Chrysologus: *pugnat contra vitiorum turmas, contra acies criminum, contra informes concupiscentiarum formas, contra dæmonum totas aëreas, totas diffusas, & innumeras legiones*; imò & Elias contra mortem ipsam prævaluit jejunus in Sarepta, quam timuerat pastus in minis irati regis; quando ventrem pavit, mortem expavit; quam jejunus prostravit cum demortuum adolescentem ad vitam revocavit. Serm. 12.



# DISSERTATIO XXIII.

## Castitatis culturâ reliquæ germinant virtutes, & probi omnes affectus efflorescunt; flaccéntque pravi.

### §. I.

*Sicut luxuria omnium turpitudinum accersit dedecora; ita castitas omnium virtutum promovet honestamenta.*

1. 

Perinde ac Luxuria fœcunda est parens vitiorum, pravosque omnes fovet, nutritque affectus; ita castitas reliquis fœta virtutibus non nisi probos enititur affectus; pravósque abigit; est enim Promus ille condus, à quo bona omnia in animi cella reconduntur ad incrementum Christianæ virtutis. Quia si luxuria omnium dedecora flagitiorum accersit, ait enim D. Gregorius Nazianzenus: *Non enim peccatum illud solum, quod circa corpus admittitur, fornicatio dicitur, sed quodvis aliud flagitium*; id siquidem Libidinis est proprium reliqua agglomerare vitia: è converso castitas singula promovet virtutum decora; est enim castitas per se reliquarum virtutum ingens, ac necessarium ornamentum, quo sublato virtutes cæteræ suo destituuntur decore, privantur ornatu, ac deflloratæ jacent in squalore. Ammianus Marcellinus censet id virtutibus reliquis castitatem præstare, quod cæteris membris in corpore humano facies, cujus decore totum corpus splendescit, & citat Bachylidis Lyrici Poëtæ dictum, quod Julianus crebrò usurpare consueverat. Ut egregius pictor vultum speciosum effingit: ita pudicitia celsiùs consurgentem exornat, hunc facit tetrasticon illud. Orat. 31. Lib. 24.

*Ut cum de statua facies formosa revulsa est,*
*Non decus in reliquo corpore truncus habet,*
*Sic reliqui mores spreti sine honore jacebunt*
*Ni sint ornati laude pudicitia.*

2. Si igitur est luxuria vitiorum, ac improborum affectuum putida sentina; castitas virtutum omnium est radix, ac proborum affectuum fœcunda parens. Castitatem qui excolunt, virtutum floribus ornantur, ac suaviter olent morum probitate: cultrix castitatis fuit Susanna, sed virtute floruit, piisque affectibus ita Numini adhæsit, ut non siverit per senum illicia ab ipso sejungi parata mori potiùs, quàm fœdari; non enim mœchi eò insaniores, quò seniores solicitaverunt solùm pudicitiam; sed etiam damnaverunt; & castitatis cultricem, quam osculis corrumpere non valuerunt, saxis impetere sategerunt; non solùm lilium spinis obsepiverunt in horto, dum spiris lacertorum pudicam implicârunt viraginem: verùm & pudoris tenacem traxerunt ad tribunal, ut quæ in horto non potuit fœmina blan-

blanditiis emolliri, ac flecti ad illicita, saxorū duritie frangeretur ad necem in tribunali.

3. Naufraga petiisset in lilio cultrix castitatis, ni ultrix impuritatis sacra adfuisset Nemesis, quæ senum coërcuit impudentiam, & mulieris vindicavit innocentiam; Latuerunt senes impuro amore insanientes veluti angues in herba, quò inter vireta, venenum evomerent in perniciem pudicitiæ; quòd si fœmina deliciis affluxisset in laticibus, senibúsque adhæsisset, ab iisdem lapillis fuisset pretiosis ornata, non lapidibus onerata. Evâ certè sanctior fuit Susanna cùm in Pomario se falli non sivit; quamvis mœchi non immortalitate eam allicere, ac fallere studuerint, sed dura lapidum morte corrumpere; nimirum cum Susannæ castitate didicerunt inter vireta Pomarii, & reliquæ florere virtutes, probique mores suaviùs olere. Eva uni succubuit Angui allicienti ad pomi vetiti delicias, quibus vel ipsam invasit Divinitatem, rapinam arbitrata æqualem fieri DEO, non tamen æquitate, sed crimine, ac pomi rapina: Susanna verò in Pomario ne offenderet Divinitatem Angues geminos ad illicita suadentes non ungue more Herculeo discerpsit, sed amore pudicitiæ suo compressit lilio. Quid? quòd sæviorem fuit procellam Susanna in fonte passa; quàm Jonas fluctuante in æquore; unum hic cetum invenit, veluti in naufragio portum, in quo tutus viveret, & psalleret; cum Susanna geminos in fontis blandiente malacia, ac pellucidis laticibus cetos expaverit, quibus si adhæsisset, exitium incurrisset; quia si licuit Prophetæ Numen in Monstro implorare; eierâsset Susanna Deum, si vel uni fuisset ex-senibus eblandita. Efferata certè fuit senum insania, quæ castitatis cultricem, aut lascivire coëgit ad scelus; aut mori adegit ad infamiam; sed Susannæ castitas nivibus pudicitiæ, & impuros extinxit ignes, & frigere, simúlque rigere fecit senes, qui exarserant in libidinem; quia ubi lilium olet castitatis, pravi omnes abiguntur affectus. Nulla est senectutis glacies tanta, quæ ad solem fœmineæ venustatis non regelascat, imò non excandeat, flammásque concipiat ad externi nitoris repercussum.

4. Venustas muliebris ni lilio efflorescat castitatis in sentinam degenerat fœditatis. Dispiciamus & ovium vellera, & serpentum exuvias; gregum villi, quia incompti, & impexi nil præseferunt venustatis, sed quia villi sunt ovium; integumenta habentur, ac præsidium innocentiæ: secus anguium nitens corium, ac discolor cutis, quia symbolum prodit fucatæ mulieris, non nisi veneno prælndit, & exitio. In anguium cutem diceres Zeuxim, vel Apellem totam profudisse colorum supellectilem; ac venustatem; imò & mundum ipsum mulierem in cerastarum corio superbire, cum ibi smaragdus virêre videatur, purpurascere Amethystus, rutilare pyropus; tam elegans est in serpente colorum illecebra, ut & iridem collo præseferat, lucémque auream vibret è squamis: verùm ubi blanditiis videtur mitiùs illicere; & pompâ venustatis suaviùs eblandiri, ibi toxica evibrat nocentiora in illecti exitium; latent sub gemmis venena; non fulgor est ille arridentis; sed fulgur interimentis; non discolor iris solari præludit splendori, sed Arcus noxius venenata evibrat tela, quibus ferales accersit Libithinæ umbras; nitor est sed lethalis, venustus est serpens, sed exitialis; incedit enim anguis veluti trabeatus, sed solo afflatu interimit: ab hac serpentiva venustate; nec latum unguem dixerim abludere muliebrem speciem, quæ hoc cerastarum depicto corio venena evomit, nisi lilium in ipsa efflorescat castitatis; flos est castitas, qui si excolatur, extima negligitur species; sed pulcriùs intus virtus floret, ac suaviùs olet; & non ampliùs anguem æmulatur, sed agnum imitatur; cujus & lacte pascimur, & vellere tegimur; quia exculta castitas animi nobis ornamentum suppeditat, ac cæterarum promovet incrementa virtutum. Ab hac una radice feliciter pullulant cæterarum flores virtutum, & visus est Salomon innuisse, cum dixit: *o quàm pulchra est casta generatio cum claritate*; est castitas cæterarum virtutum generatio, quia earundem est fœcunda parens, fons, & origo proborum omnium affectuum: sicut luxuria generica quadam nomenclatione malitia nuncupatur, eò quia origo sit malorum omnium, ac pravorum affectuum fons putidissimus; ita cum sit contrariorum eadem ratio; castitas à plerisque Sanctis Patribus simpliciter sanctitas dicitur, eò quia fons sit, ex quo singuli scaturiunt sanctitatis rivuli. Sap. 4. v. 1.

5. Idque causæ, cur Apostolus ad Thessalonicenses, præ cæteris culturam commendet castitatis, quâ sanctificamur; addens percharam esse Numini hanc virtutem inquiens: *Hæc est voluntas DEI sanctificatio vestra*, seu ut nos contineamus, & virtutem excolamus castitatis: neque quidquam aliud per sanctificationem Apostolus innuit, quàm ipsam pudicitiam: tametsi ad sanctificationem pertineant charitas, justitia, humilitas, patientia, & reliquæ morales virtutes; unicam tamen per sanctificationem significat castitatem, quia ab hac ona veluti à fœcundissima radice flores pullulant, germinánque reliquarum virtutum: ait enim Apostolus: *Hæc est voluntas DEI sanctificatio vestra, ut abstineatis vos à fornicatione, ut sciat unusquisque vestrum vas suum possidere in sanctificatione, & honore, non in passione desidery*: apertè indicat Apostolus, sanctificationem nostram abstinentiam esse à 1. Cap. 4.

se à fornicatione, quatenus ex cultura castitatis reliquæ in nobis efflorescunt virtutes.

6. Hinc sponsa lectulum suum floridum vocat, seu omnigenis ornatum floribus: *Lectulus noster floridus*, quia castitatis lilio olebat, & ideo floridus, quia castus: sponsi enim, qui pascitur inter lilia, inhiabat amplexibus, & quia castè diligebat, virtutum omnium floribus suum exornavit lectulum, *Lectulus noster floridus*: sed cur sponsa lectulum diminutè vocat, & non lectum? an quia laxiores quorundam conscientiæ, quæ elephantos capiunt, & camelos ob laxitatem, cui adhærent, rarò floreant? quò enim conscientia Deum reveretur, & quibusdam veluti scrupulis plerumque coarctatur, eò amœniùs floribus vernat, & elegantiùs ornatur virtutibus. Non lectum amat, sed lectulum cupit, quæ sponsa est castitatis cultrix; placent ei angustiæ, displicent laxitates; lectulum tantùm quærit, ut quieti indulgeat, non ut otio vacet, nec voluptates quærat. Placet sponsæ lectulus, sed floridus, seu qui lilia oleat, & cæteris virtutum floribus ornetur: differt sanè sponsæ lectulus à croce sponsi: ille floridus suaviter olet, hæc spinis circumsepta cruore madet; ille floridus convestitur, hæc clavis perforatur; ille candore albescit liliorum, hæc purpurâ rubescit effusi cruoris: sed ubi in lectulo sponsæ florent lilia; in cruce sponsi vernant purpureæ rosæ, quia nimirum ubi castitas efflorescit, ibi charitas exardescit, ac cæteræ vigent virtutes.

Cant. 1.

7. Idque videtur fuisse Joanni ostensum in Apocalipsi, ubi divinæ sedis describens apparatum, similem dicit visioni smaragdinæ: *Iris erat in circuitu sedis similis visioni smaragdinæ*: sed cur Numinis thronum iridi æquiparat, & smaragdo? cur non potiùs pellucido adamanti ob inconcussam firmitatem? vel ignitis piropis ob amoris flagrantiam? An visioni smaragdinæ similem dicit, quo in smaragdi virore spem concipiamus, beatitatem enanciscendi? sed cur iridi smaragdinæ comporatur? *Iris erat in circuitu sedis similis visioni smaragdinæ*. Quódnam latet hic mysterium, cum iris ex smaragdo potiùs, quàm ex alia quapiam gemma refeatur constructa? perspicuum est, iridem discolorem plures in sua colorum varietate gemmas referre. Cùm iris apparet, arcus quidam ingens efficitur in aëre, qui speciem præsefert venustissimam, & aspectu jucundissimam, ac cogitatu mirabilem, laudatúrque ob id in sacris litteris, & in tesseram reconciliationis, ac symbolum fœderis à Numine usurpatur, quasi Deus in iride pacis symbolo arcum suum clavo appendat nubis, ne tela bellorum ulteriùs ejaculetur, sed quis non miretur in arcu appenso colorum elegantiam, ac miram varietatem? cùm cecinerit Poëta de iride. *Mille trahens varios*

Apoc. 4. v. 3

*adverso sole colores*. Suspicimus in ea colores varios cerulenm, viridem, purpureum, luteum, igneúmque non minùs admirabili naturæ arte permistos, quàm confusione quadam distinctos, alios ex aliis nexos nullins oculi decipiente commissura, quæ à simillimis incipiens in dissimillima desinit: & tanta est eorundem perspicuitas, vis, & elegantia; ut eorum gratiam nullus è lapidibus pellucidus nitor, nullus vermiculorũ, conchiliorúmque sanguis exæquet. Si igitur non solùm virorem smaragdi iris præsefert; verùm, & reliquarum gemmarum nitores, cur potiùs visioni smaragdinæ, & non adamantinæ similis dicitur? quia nimirum smaragdus symbolum est castitatis, quæ semper viret, & suo virore jugiter floret: prætulit unum smaragdum cæteris gemmis laconismi studiosus, quia solam exprimens castitatem, cæteras non reticet virtutes ejusdem veluti pedissequas; scitè Cornelius à lapide expendens illud Joannis in Apocalipsi ait: *Iris instar smaragdi symbolum est virginitatis, quæ semper viret, & suo virore splendescit instar smaragdi*. Hinc Poloni symboli involucro expressuri virginitatem, quam S. Casimirus ab incunabulis intemeratam servaverat, eámque sub ultimam vitæ periodum constanter illæsam asseruerat, dum gravi correptus morbo mori potiùs selegit, quàm castitatis temerare candorem, iridem posuerunt, quâ symbolicè hanc indicarent virtutem S. Casimiri addito lemmate *sum quasi iris* alludentes nimirum ad hanc smaragdinam iridem, quam Joannes refert à se visam in circuitu sedis, seu Numinis throni. Est igitur smaragdus symbolum castitatis, ex qua veluti è suo fonte cæteri omnes scaturiunt virtutum rivuli.

In Apoc. cap. 4. v. 3.

Apoc. 4. v. 3

8. Idque causæ, cur S. Ephren in Asceterio suis enixim Monachis hujus commendaverit virtutis culturam inquiens: *Serva frater castitatem corporis tui, quam si in charitate Christi custodieris, omnem facilè virtutem perfectè exercere, & assequi poteru*. Neque sponsæ venustas, ac multiplex pulchritudo ab alio virtutis flore, quàm ab uno castitatis lilio dicitur à sponso derivata: *Ecce tu pulchra es amica mea, Ecce tu pulchra es: oculi tui columbarum*. Ideo non semel, sed geminato præconio pulchra effertur sponsa, quia oculos præsefert columbarum, quæ pudicitiæ, ac castitatis ob candorem plumarum habentur symbolum: hæc si vigeat virtus cæteræ eidem consibulantur; sponsæ oculi columbarum dicuntur, quia oculi sunt simplices, defœcati à quovis nævo: licèt pulcherrima sit, omnémque excludat maculam, non tamen nævos in aliorum oculis, & vultibus indagat, si latcant; vel si prostent, non fastidit; quia simplicitas è radice progerminans castitatis alienos potiùs tegit, quàm exploret nævos: quæ sine cultura castitatis solius corporis venustatem jactat mulier, aliorum promptiùs fœ-

Tom. 2. de virg. cap. 8.

Cant. 1.

blanditiis emolliri, ac flecti ad illicita, faxorũ duritie frangeretur ad necem in tribunali.

Naufraga periisset in lilio cultrix castitatis, ni ultrix impuritatis sacra adfuisset Nemesis, quæ senum coërcuit impudentiam, & mulieris vindicavit innocentiam; Latuerunt senes impuro amore insanientes veluti angues in herba, quò inter vireta, venenum evomerent in perniciem pudicitiæ; quòd si fœmina deliciis affluxisset in laticibus, senibúsque adhæsisset, ab iisdem lapillis fuisset pretiosis ornata, non lapidibus onerata. Evâ certè sanctior fuit Susanna cùm in Pomario se falli non sivit; quamvis mœchi non immortalitate eam allicere, ac fallere studuerint, sed dura lapidum morte corrumpere; nimirum cum Susannæ castitate didicerunt inter vireta Pomarii, & reliquæ florere virtutes, probíque mores suaviùs olere. Eva uni succubuit Angui allicienti ad pomi vetiti delicias, quibus vel ipsam inuasit Divinitatem, rapinam arbitrata æqualem fieri DEO, non tamen æquitate, sed crimine, ac pomi rapina: Susanna verò in Pomario ne offenderet Divinitatem Angues geminos ad illicita suadentes non ungue more Herculeo discerpsit, sed amore pudicitiæ suo compressit lilio. Quid? quòd sæviorem fuit procellam Susanna in fonte passa; quàm Jonas fluctuante in æquore; unum hic cetum invenit, veluti in naufragio portum, in quo tutus viveret, & psalleret; cum Susanna geminos in fontis blandiente malacia, ac pellucidis laticibus cetos expaverit, quibus si adhæsisset, exitium incurrisset; quia si licuit Prophetæ Numen in Monstro implorare; eierâsset Susanna Deum, si vel uni fuisset ex senibus eblandita. Efferata certè fuit senum insania, quæ castitatis cultricem, aut lascivire coëgit ad scelus; aut mori adegit ad infamiam; sed Susannæ castitas nivibus pudicitiæ, & impuros extinxit ignes, & frigere, simúlque rigere fecit senes, qui exarserant in libidinem; quia ubi lilium olet castitatis, pravi omnes abiguntur affectus. Nulla est senectutis glacies tanta, quæ ad solem fœmineæ venustatis non regelascat, imò non excandeat, flammásque concipiat ad externi nitoris repercussum.

Venustas muliebris ni lilio efflorescat castitatis in sentinam degenerat fœditatis. Dispiciamus & ovium vellera, & serpentum exuvias; gregum villi, quia incompti, & impexi nil præseferunt venustatis, sed quia villi sunt ovium; integumenta habentur, ac præsidium innocentiæ: secus anguium nitens corium, ac discolor cutis, quia symbolum prodit fucatæ mulieris, non nisi veneno præludit, & exitio. In anguium autem diceres Zeuxim, vel Apellem totam profudisse colorum supellectilem; ac venustatem; imò & mundum ipsum muliebrem in cerastarum corio superbire, cum ibi smaragdus virère videatur, purpurascere Amethystus, rutilare pyropus; tam elegans est in serpente colorum illecebra, ut & iridem collo præseferat, lucémque auream vibret è squamis: verùm nbi blanditiis videtur mitiùs illicere; & pompâ venustatis suaviùs eblandiri, ibi toxica evibrat nocentiora in illecti exitium; latent sub gemmis venena; non fulgor est ille ardentis; sed fulgur interimentis; non discolor iris solari præludit splendori, sed Arcus noxius venenata evibrat tela, quibus ferales accersit Libitinæ umbras; nitor est sed lethalis, vestitus est serpens, sed exitialis; incedit enim anguis veluti trabeatus, sed solo afflatu interimit: ab hac serpentiva venustate; nec latum unguem dixerim abludere muliebrem speciem, quæ hoc cerastarum depicto corio venena evomit, nisi lilium in ipsa efflorescat castitatis; flos est castitas, qui si excolatur, extima negligitur species; sed pulcriùs intus virtus floret, ac suaviùs olet; & non ampliùs anguem æmulatur, sed agnum imitatur; cujus & lacte pascimur, & vellere tegimur; quia exculta castitas animi nobis ornamentum suppeditat, ac cæterarum promovet incrementa virtutum. Ab hac una radice feliciter pullulant cæterarum flores virtutum, & visus est Salomon innuisse, eum dixit: *o quàm pulchra est casta generatio cum claritate*; est castitas cæterarum virtutum generatio, quia earundem est fœcunda parens, fons, & origo proborum omnium affectuum: sicut luxuria generica quadam nomenclatione malitia nuncupatur, eò quia origo sit malorum omnium, ac pravorum affectuum fons putidissimus: ita cum sit contrariorum eadem ratio; castitas à plerisque Sanctis Patribus simpliciter sanctitas dicitur, eò quia fons sit, ex quo singuli scaturiunt sanctitatis rivuli. Sap. 4. v. 1.

Idque causæ, cur Apostolus ad Thessalonicenses, præ cæteris culturam commendet castitatis, quâ sanctificamur; addens percharam esse Numini hanc virtutem inquiens: *Hæc est voluntas DEI sanctificatio vestra*, seu ut nos contineamus, & virtutem excolamus castitatis: neque quidquam aliud per sanctificationem Apostolus innuit, quàm ipsam pudicitiam: tametsi ad sanctificationem pertineant charitas, justitia, humilitas, patientia, & reliquæ morales virtutes; unicam tamen per sanctificationem significat castitatem, quia ab hac una veluti à fœcundissima radice flores pullulant, germinánque reliquarum virtutum: ait enim Apostolus: *Hæc est voluntas DEI sanctificatio vestra, ut abstineatis vos à fornicatione, ut sciat unusquisque vestrum vas suum possidere in sanctificatione, & honore, non in passione desidery*: apertè indicat Apostolus, sanctificationem nostram abstinentiam esse à 1. Cap. 4.

se à fornicatione, quatenus ex cultura castitatis reliquæ in nobis efflorescunt virtutes.

6. Hinc sponsa lectulum suum floridum vocat, seu omnigenis ornatum floribus: *Lectulus noster floridus*, quia castitatis lilio olebat, & ideo floridus, quia castus: sponsi enim, qui pascitur inter lilia, inhiabat amplexibus, & quia castè diligebat, virtutum omnium floribus suum exornavit lectulum, *Lectulus noster floridus*: sed cur sponsa lectulum diminutè vocat, & non lectum? an quia laxiores quorundam conscientiæ, quæ elephantos capiunt, & camelos ob laxitatem, cui adhærent, raró floreant? quò enim conscientia Deum reveretur, & quibusdam veluti scrupulis plerumque coarctatur, eò amœniùs floribus vernat, & elegantiùs ornatur virtutibus. Non lectum amat, sed lectulum cupit, quæ sponsa est castitatis cultrix; placent ei angustiæ, displicent laxitates; lectulum tantùm quærit, ut quieti indulgeat, non ut otio vacet, nec voluptates quærat. Placet sponsæ lectulus, sed floridus, seu qui lilia oleat, & cæteris virtutum floribus ornetur: differt sanè sponsæ lectulus à cruce sponsi: ille floridus suaviter olet, hæc spinis circumsepta cruore madet; ille floridus convestitur, hæc clavis perforatur; ille candore albescit liliorum, hæc purpurâ rubescit effusi cruoris: sed ubi in lectulo sponsæ florent lilia; in cruce sponsi vernant purpureæ rosæ, quia nimirum ubi castitas efflorescit, ibi charitas exardescit, ac cæteræ vigent virtutes.

Cant. 1.

7. Idque videtur fuisse Joanni ostensum in Apocalipsi, ubi divinæ sedis describens apparatum, similem dicit visioni smaragdinæ: *Iris erat in circuitu sedis similis visioni smaragdinæ*: sed cur Numinis thronum iridi æquiparat, & smaragdo? cur non potiùs pellucido adamanti ob inconcussam firmitatem? vel ignitis piropis ob amoris flagrantiam? An visioni smaragdinæ similem dicit, quo in smaragdi virore spem concipiamus, beatitatem enanciscendi? sed cur iridi smaragdinæ comparatur? *Iris erat in circuitu sedis similis visioni smaragdinæ*. Quódnam latet hic mysterium, cum iris ex smaragdo potiùs, quàm ex alia quapiam gemma referatur constructa? perspicuum est, iridem discolorem plures in sua colorum varietate gemmas referre. Cùm iris apparet, arcus quidam ingens efficitur io aëre, qui speciem præfeferc venustissimam, & aspectu jucundissimam, ac cogitatu mirabilem, laudatúrque ob id in sacris litteris, & in tesseram reconciliationis, ac symbolum fœderis à Numine usurpatur, quasi Deus in iride pacis symbolo arcum suum clavo appendat nubis, ne tela bellorum ulteriùs ejaculetur, sed quis non miretur in arcu appenso colorum elegantiam, ac miram varietatem? cùm ceciner it Poëta de iride. *Mille trahens varios*

Apoc. 4. v. 3

*adverso sole colores*. Suspicimus in ea colores varios ceruleum, viridem, purpureum, luteum, igneúmque non minùs admirabili naturæ arte permistos, quam confusione quadam distinctos, alios ex aliis nexos nullius oculi decipiente commissura, quæ à simillimis incipiens in dissimillima desinit: & tanta est eorundem perspicuitas, vis, & elegantia; ut eorum gratiam nullus è lapidibus pellocidus nitor, nullus vermiculorū, conchiliorúmque sanguis exæquet. Si igitur non solùm virorem smaragdi iris præsefert; verùm, & reliquarum gemmarum nitores, cur potiùs visioni smaragdinæ, & non adamantinæ similis dicitur? quia nimirum smaragdus symbolum est castitatis, quæ semper viret, & suo virore jugiter floret: prætulit unum smaragdum cæteris gemmis laconismi studiosus, quia solam exprimens castitatem, cæteras non reticet virtutes ejusdem veluti pedissequas; scitè Cornelius à lapide expendens illud Joannis in Apocalipsi ait: *Iris instar smaragdi symbolum est virginitatis, quæ semper viret, & suo virore splendescit instar smaragdi*. Hinc Poloni symboli involucro expressuri virginitatem, quam S. Casimirus ab incunabulis intemeratam servaverat, eámque sub ultimam vitæ periodum constanter illæsam asseruerat, dum gravi correptus morbo mori potiùs selegit, quàm castitatis temerare candorem, iridem posuerunt, quâ symbolicè hanc indicarent virtutem S. Casimiri addito lemmate *sum quasi iris* alludentes nimirum ad hanc smaragdinam iridem, quam Joannes refert à se visam in circuitu sedis, seu Numinis throni. Est igitur smaragdus symbolum castitatis, ex qua veluti è suo fonte cæteri omnes scaturiunt virtutum rivuli.

In Apo. cal. v. 3.

Apoc. 4. v. 3

8. Idque causæ, cur S. Ephren in Ascetterio suis enixim Monachis hujus commendaverit virtutis culturam inquiens: *Serva frater castitatem corporis tui, quam si in charitate Christi custodieris, omnem facilè virtutem perfectè exercere, & assequi poteris*. Neque sponsæ venustas, ac multiplex pulchritudo ab alio virtutis flore, quàm ab uno castitatis lilio dicitur à sponso derivata: *Ecce tu pulchra es amica mea, Ecce tu pulchra es: oculi tui columbarum*. Ideo non semel, sed geminato præconio pulchra effertur sponsa, quia oculos præsefert columbarum, quæ pudicitiæ, ac castitatis ob candorem plumarum habentur symbolum: hæc si vigeat virtus cæteræ eidem consibulantur; sponsæ oculi columbarum dicuntur, quia oculi sunt simplices, defœcati à quovis nævo: licèt pulcherrima sit, omnémque excludat maculam, non tamen nævos in aliorum oculis, & vultibus indagat, si lateant; vel si prostent, non fastidit; quia simplicitas è radice progermioans castitatis alienos potiùs tegit, quàm exploret nævos: quæ sine cultura castitatis solius corporis venustatem jactat mulier, aliorum promptiùs fœ-

Tom. 2. de virgin. cap. 1. 2.

Cant. 1.

blanditiis emolliri, ac flecti ad illicita, saxorũ duritie frangeretur ad necem in tribunali.

3. Naufraga periisset in lilio cultrix castitatis, ni ultrix impuritatis sacra adfuisset Nemesis, quæ senum coërcuit impudentiam, & mulieris vindicavit innocentiam; Latuerunt senes impuro amore insanientes veluti angues in herba, quò inter vireta, venenum evomerent in perniciem pudicitiæ; quòd si fœmina deliciis affluxisset in laticibus, senibúsque adhæsisset, ab iisdem lapillis fuisset pretiosis ornata, non lapidibus onerata. Evâ certè sanctior fuit Susanna cùm in Pomario se falli non sivit; quamvis mœchi non immortalitate eam allicere, ac fallere studuerint, sed dura lapidum morte corrumpere; nimirum cum Susannæ castitate didicerunt inter vireta Pomarii, & reliquæ florere virtutes, probique mores suaviùs olere. Eva uni succubuit Angui allicienti ad pomi vetiti delicias, quibus vel ipsam inuasit Divinitatem, rapinam arbitrata æqualem fieri DEO, non tamen æquitate, sed crimine, ac pomi rapina: Susanna verè in Pomario ne offenderet Divinitatem Angues geminos ad illicita suadentes non ungue more Herculeo discerpsit, sed amore pudicitiæ suo compressit lilio. Quid? quòd sæviorem fuit procellam Susanna in fonte passa; quàm Jonas fluctuante in æquore; unum hic cetum invenit, veluti in naufragio portum, in quo tutus viveret, & pallleret; cum Susanna geminos in fontis blandiente malacia, ac pellucidis laticibus cetos expaverit, quibus si adhæsisset, exitium incurrisset; quia si licuit Prophetæ Numen in Monstro implorare; eierâsset Susanna Deum, si vel uni fuisset ex-senibus eblandita. Efferata certè fuit senum insania, quæ castitatis cultricem, aut lascivire coëgit ad scelus; aut mori adegit ad infamiam; sed Susannæ castiras nivibus pudicitiæ, & impuros extinxit ignes, & frigere, simúlque rigere fecit senes, qui exarserant in libidinem; quia ubi lilium olet castitatis, pravi omnes abiguntur affectus. Nulla est senectutis glacies tanta, quæ ad solem fœmineæ venustatis non regelascat, imò non excandeat, flammásque concipiat ad externi nitoris repercussum.

4. Venustas muliebris ni lilio efflorescat castitatis in sentinam degenerat fœditatis. Dispiciamus & ovium vellera, & serpentum exuvias; gregum villi, quia incompti, & impexi nil præseferunt venustatis, sed quia villi sunt ovium; integumenta habentur, ac præsidium innocentiæ: secus anguium nitens corium, ac discolor cutis, quia symbolum prodit fucatæ mulieris, non nisi veneno præludit, & exitio. In anguium cutem diceres Zeuxim, vel Apellem totam profudisse colorum supellectilem; ac venustatem; imò & mundum ipsum muliebrem in cerastarum corio superbire, cum ibi smaragdus virêre videatur, purpurascere Amethystus, rutilare pyropus; tam elegans est in serpente colorum illecebra, ut & iridem collo præseferat, lucémque auream vibret è squamis: verùm ubi blanditiis videtur mitiùs illicere; & pompâ venustatis suaviùs eblandiri, ibi toxica evibrat nocentiora in illecti exitium; latent sub gemmis venena; non fulgor est ille arridentis; sed fulgur interimentis; non discolor iris solari præludit splendori, sed Arcus noxius venenata evibrat tela, quibus ferales accersit Libithinæ umbras; nitor est sed lethalis, venustus est serpens, sed exitialis; incedit enim anguis veluti trabeatus, sed solo afflatu interimit: ab hac serpentiva venustate; nec latum unguem dixerim abludere muliebrem speciem, quæ hoc cerastarum depicto corio venena evomit, nisi lilium in ipsa efflorescat castitatis; flos est castitas, qui si excolatur, extima negligitur species; sed pulcriùs intus virtus floret, ac suaviùs olet; & non ampliùs anguem æmulatur, sed agnum imitatur; cujus & lacte pascimur, & vellere tegimur; quia exculta castitas animi nobis ornamentum suppeditat, ac cæterarum promovet incrementa virtutum. Ab hac una radice feliciter pullulant ceterarum flores virtutum, & visus est Salomon innuisse, cum dixit: *o quàm pulchra est casta generatio cum claritate*; est castitas cæterarum virtutum generatio, quia earundem est fœcunda parens, fons, & origo proborum omnium affectuum: sicut luxuria genetica quadam nomenclatione malitia nuncupatur, eò quia origo sit malorum omnium, ac pravorum affectuum fons putidissimus: ita cum sit contrariorum eadem ratio; castitas à plerisque sanctis Patribus simpliciter sanctitas dicitur, eò quia fons sit, ex quo singuli scaturiunt sanctitatis rivuli. Sap. 4. v. 1.

Idque causæ, cur Apostolus ad Thessalonicenses, præ cæteris culturam commendet castitatis, quâ sanctificamur; adens percharam esse Numini hanc virtutem inquiens: *Hæc est voluntas DEI sanctificatio vestra*, seu ut nos contineamus, & virtutem excolamus castitatis: neque quidquam aliud per sanctificationem Apostolus innuit, quàm ipsam pudicitiam: tametsi ad sanctificationem pertineant charitas, justitia, humilitas, patientia, & reliquæ morales virtutes; unicam tamen per sanctificationem significat castitatem, quia ab hac una veluti à fœcundissima radice flores pullulant, germinánque reliquarum virtutum: ait enim Apostolus: *Hæc est voluntas DEI sanctificatio vestra, ut abstineatis vos à fornicatione, ut sciat unusquisque vestrum vas suum possidere in sanctificatione, & honore, non in passione desiderij*: apertè indicat Apostolus, sanctificationem nostram abstinentiam esse à 5. 1. Cap. 4.

se à fornicatione, quatenus ex coltura castitatis reliquæ in nobis efflorescunt virtutes.

6. Hinc sponsa lectulum suum floridum vocat, seu omnigenis ornatum floribus: *Cant. 1.* *Lectulus noster floridus*, quia castitatis lilio olebat, & ideo floridus, quia castus: sponsi enim, qui pascitur inter lilia, inhiabat amplexibus, & quia castè diligebat, virtutum omnium floribus suum exornavit lectulum, *Lectulus noster floridus*: sed cur sponsa lectulum diminutè vocat, & non lectum? an quia laxiores quorundam conscientiæ, quæ elephantos capiunt, & camelos ob laxitatem, cui adhærent, rarò floreant? quò enim conscientia Deum reveretur, & quibusdam veluti scrupulis plerumque coarctatur, eò amœniùs floribus vernat, & elegantiùs ornatur virtutibus. Non lectum amat, sed lectulum cupit, quæ sponsa est castitatis cultrix; placent ei angustiæ, displicent laxitates; lectulum tantùm quærit, ut quieti indulgeat, non ut otio vacet, nec voluptates quærat. Placet sponsæ lectulus, sed floridus, seu qui lilia oleat, & cæteris virtutum floribus ornetur: differt sanè sponsæ lectulus à cruce sponsi: ille floridus suaviter olet, hæc spinis circumsepta cruore madet; ille floridus convestitur, hæc clavis perforatur; ille candore albescit liliorum, hæc purpurâ rubescit effusi cruoris: sed ubi in lectulo sponsæ florent lilia; in cruce sponsi vernant purpureæ rosæ, quia nimirum ubi castitas efflorescit, ibi charitas exardescit, ac cæteræ vigent virtutes.

7. Idque videtur fuisse Joanni ostensum in Apocalipsi, ubi divinæ sedis describens apparatum, similem dicit visioni smaragdinæ: *Apoc. 4. v. 3* *Iris erat in circuitu sedis similis visioni smaragdinæ*: sed cur Numinis thronum iridi æquiparat, & smaragdo? cur non potiùs pellucido adamanti ob inconcussam firmitatem? vel ignitis piropis ob amoris flagrantiam? An visioni smaragdinæ similem dicit, quo in smaragdi virore spem concipiamos, beatitatem enanciscendi? sed cur iridi smaragdinæ comparatur? *Iris erat in circuitu sedis similis visioni smaragdinæ*. Quódnam latet hîc mysterium, cum iris ex smaragdo potiùs, quàm ex alia quapiam gemma referatur constructa? perspicuum est, iridem discolorem plures in sua colorum varietate gemmas referre. Cùm iris apparet, arcus quidam ingens efficitur in aëre, qui speciem præsefert venustissimam, & aspectu jucundissimam, ac cogitatu mirabilem, laudatúrque ob id in sacris litteris, & in tesseram reconciliationis, ac symbolum fœderis à Numine usurpatur, quasi Deus in iride pacis symbolo arcum suum clavo appendat nubis, ne tela bellorum ulteriùs ejaculetur, sed quis non miretur in arcu appenso colorum elegantiam, ac miram varietatem? cùm cecinerit Poëta de iride. *Mille trahens varios adverso sole colores*. Suspicimus in ea colores varios ceruleum, viridem, purpureum, luteum, igneúmque non minùs admirabili naturæ arte permistos, quàm confusione quadam distinctos, alios ex aliis nexos nullius oculi decipiente commissura, quæ à simillimis incipiens in dissimillima desinit: & tanta est eorundem perspicuitas, vis, & elegantia; ut eorum gratiam nullus è lapidibus pellucidus nitor, nullus vermiculorū, conchiliorúmque sanguis exæqnet. Si igitur non solùm virorem smaragdi iris præsefert; verùm, & reliquarum gemmarum nitores, cur potiùs visioni smaragdinæ, & non adamantinæ similis dicitur? quia nimirum smaragdus symbolum est castitatis, quæ semper viret, & suo virore jugiter floret: prætulit unum smaragdum cæteris gemmis laconismi studiosus, quia solam exprimens castitatem, cæteras non reticet virtutes ejusdem veluti pedissequas; scitè Cornelius à lapide expendens illud Joannis in Apocalipsi ait: *Iris instar smaragdi symbolum est virginitatis, quæ semper viret, & suo virore splendescit instar smaragdi*. Hinc *In Apoc. cap. 4. v. 3.* Poloni symboli involucro expressuri virginitatem, quam S. Casimirus ab incunabulis intemeratam servaverat, eámque sub ultimam vitæ periodum constanter illæsam asseruerat, dum gravi correptus morbo mori potiùs selegit, quàm castitatis temerare candorem, iridem posuerunt, quâ symbolicè hanc indicarent virtutem S. Casimiri addito lemmate *sum quasi iris* allludentes nimirum ad hanc smaragdinam iridem, quam Joannes *Apoc. 4. v. 3* refert à se visam in circuitu sedis, seu Numinis throni. Est igitur smaragdus symbolum castitatis, ex qua veluti è suo fonte cæteri omnes scaturiunt virtutum rivuli.

8. Idque causæ, cur S. Ephrem in Ascetario suis enixim Monachis hujus commendaverit virtutis culturam inquiens: *Tom. 2. de virg. cap. 80.* *Serva frater castitatem corporis tui, quam si in charitate Christi custodieris, omnem faciè virtutem perfectè exercere, & assequi poteru*. Neque sponsæ venustas, ac multiplex pulchritudo ab alio virtutis flore, quàm ab uno castitatis lilio dicitur à sponso derivata: *Ecce tu pulchra es amica mea, Ecce tu pulchra es: oculi tui columbarum*. *Cant. 1.* Ideo non semel, sed geminato præconio pulchra effertur sponsa, quia oculos præsefert columbarum, quæ podicitiæ, ac castitatis ob candorem plumarum habentur symbolum: hæc si vigeat virtus cæteræ eidem consibulantur; sponsæ oculi columbarum dicuntur, quia oculi sunt simplices, defœcati à quovis nævo: licèt pulcherrima sit, omnémque excludat maculam, non tamen nævos in aliorum oculis, & vultibus indagat, si lateant; vel si prostent, non fastidit; quia simplicitas è radice progerminans castitatis alienos potiùs tegit, quàm exploret nævos: quæ sine culturâ castitatis solius corporis venustatem jactat mulier, aliorum promptiùs fœditates



Ppp 2

blanditiis emolliri, ac flecti ad illicita, saxorũ duritie frangeretur ad necem in tribunali.

3. Naufraga periisset in lilio cultrix castitatis, ni ultrix impuritatis sacra adfuisset Nemesis, quæ senum coërcuit impudentiam, & mulieris vindicavit innocentiam; Latuerunt senes impuro amore insanientes veluti angues in herba, quò inter vireta, venenum evomerent in perniciem pudicitiæ; quòd si fœmina deliciis affluxisset in laticibus, senibúsque adhæsisset, ab iisdem lapillis fuisset pretiosis ornata, non lapidibus onerata. Evâ certè sanctior fuit Susanna cùm in Pomario se falli non sivit; quamvis mœchi non immortalitate eam allicere, ac fallere studuerint, sed dura lapidum morte corrumpere; nimirum cum Susannæ castitate didicerunt inter vireta Pomarii, & reliquæ florere virtutes, probique mores suaviùs olere. Eva uni succubuit Angui allicienti ad pomi vetiti delicias, quibus vel ipsam invasit Divinitatem, rapinam arbitrata æqualem fieri DEO, non tamen æquitate, sed crimine, ac pomi rapina: Susanna verò in Pomario ne offenderet Divinitatem Angues geminos ad illicita suadentes non ungue more Herculeo discerpsit, sed amore pudicitiæ suo compressit lilio. Quid? quòd sæviorem fuit procellam Susanna in fonte passa; quàm Jonas fluctuante in æquore; unum hic cetum invenit, veluti in naufragio portum, in quo tutus viveret, & plalleret; cum Susanna geminos in fontis blandiente malacia, ac pellucidis laticibus cetos expaverit, quibus si adhæsisset, exitium incurrisset; quia si licuit Prophetæ Numen in Monstro implorare; eierâsset Susanna Deum, si vel uni fuisset ex-senibus eblandita. Efferata certè fuit senum insania, quæ castitatis cultricem, aut lascivire coëgit ad scelus; aut mori adegit ad infamiam; sed Susannæ castitas nivibus pudicitiæ, & impuros extinxit ignes, & frigere, simúlque rigere fecit senes, qui exarserant in libidinem; quia ubi lilium olet castitatis, pravi omnes abiguntur affectus. Nulla est senectutis glacies tanta, quæ ad solem fœmineæ venustatis non regelascat, imò non excandeat, flammásque concipiat ad externi nitoris repercussum.

4. Venustas muliebris ni lilio efflorescat castitatis in sentinam degenerat fœditatis. Dispiciamus & ovium vellera, & serpentum exuvias; gregum villi, quia incompti, & impexi nil præseferunt venustatis, sed quia villi sunt ovium; integumenta habentur, ac præsidium innocentiæ: secus anguium nitens corium, ac discolor cutis, quia symbolum prodit fucatæ mulieris, non nisi veneno præludit, & exitio. In anguium cutem diceres Zeuxim, vel Apellem totam profudisse colorum supellectilem; ac venustatem; imò & mundum ipsum muliebrem in cerastarum corio superbire, cum ibi smaragdus virère videatur, purpurascere Amethystus, rutilare pyropus; tam elegans est in serpente colorum illecebra, ut & iridem collo præseferat, lucémque auream vibret è squamis; verùm ubi blanditiis videtur mitiùs illicere; & pompâ venustatis suaviùs eblandiri, ibi toxica evibrat nocentiora in illecti exitium; latent sub gemmis venena; non fulgor est ille arridentis; sed fulgur interimentis; non discolor iris solari præludit splendori, sed Arcus noxius venenata evibrat tela, quibus ferales accersit Libithinæ umbras; nitor est sed lethalis, vedustus est serpens, sed exitialis; incedit enim anguis veluti trabeatus, sed solo afflatu interimit: ab hac serpentiva venustate; nec latum unguem dixerim abludere muliebrem speciem, quæ hoc cerastarum depicto corio venena evomit, nisi lilium in ipsa efflorescat castitatis; flos est castitas, qui si excolatur, extima negligitur species; sed pulcriùs intus virtus floret, ac suaviùs olet; & non ampliùs anguem æmulatur, sed agnum imitatur; cujus & lacte pascimur, & vellere tegimur; quia exculta castitas animi nobis ornamentum suppeditat, ac cæterarum promovet incrementa virtutum. Ab hac una radice feliciter pullulant cæterarum flores virtutum, & visus est Salomon innuisse, cum dixit: *o quàm pulchra est casta generatio cum claritate*; est castitas cæterarum virtutum generatio, quia earundem est fœcunda parens, fons, & origo proborum omnium affectuum: sicut luxuria generica quadam nomenclatione malitia nuncupatur, eò quia origo sit malorum omnium, ac pravorum affectuum fons putidissimus; ita cum sic contrariorum eadem ratio; castitas à plerisque sanctis Patribus simpliciter sanctitas dicitur, eò quia fons sit, ex quo singuli scaturiunt sanctitatis rivuli. Sap. 4. v. 1.

Idque causæ, cur Apostolus ad Thessalonicenses, præ cæteris culturam commendet castitatis, quâ sanctificamur; addens percharam esse Numini hanc virtutem inquiens: *Hæc est voluntas DEI sanctificatio vestra*, seu ut nos contineamus, & virtutem excolamus castitatis: neque quidquam aliud per sanctificationem Apostolus innuit, quàm ipsam pudicitiam: tametsi ad sanctificationem pertineant charitas, justitia, humilitas, patientia, & reliquæ morales virtutes; unicam tamen per sanctificationem significat castitatem, quia ab hac una veluti à fœcundissima radice flores pullulant, germinán que reliquarum virtutum: ait enim Apostolus: *Hæc est voluntas DEI sanctificatio vestra, ut abstineatis vos à fornicatione, ut sciat unusquisque vestrum vas suum possidere in sanctificatione, & honore, non in passione desiderij*: apertè indicat Apostolus, sanctificationem nostram abstinentiam esse à 5. 1. Cap. 4.

ſe à fornicatione, quatenus ex cultura caſtitatis reliquæ in nobis efflorefcunt virtutes.

6. Hinc ſponſa lectulum ſuum floridum vocat, ſeu omnigenis ornatum floribus: *Lectulus noſter floridus*; quia caſtitatis lilio olebat, & ideo floridus, quia caſtus: ſponſi enim, qui paſcitur inter lilia, inhiabat amplexibus, & quia caſtè diligebat, virtutum omnium floribus ſuum exornavit lectulum, *Lectulus noſter floridus*: ſed cur ſponſa lectulum diminutè vocat, & non lectum? an quia laxiores quorundam conſcientiæ, quæ elephantos capiunt, & camelos ob laxitatem, cui adhærent, raro floreant? quò enim conſcientia Deum reveretur, & quibusdam veluti ſcrupulis plerumque coarctatur, eò amœniùs floribus vernat, & elegantiùs ornatur virtutibus. Non lectum amat, ſed lectulum cupit, quæ ſponſa eſt caſtitatis cultrix; placent ei anguſtiæ, diſplicent laxitates; lectulum tantùm quærit, ut quieti indulgeat, non ut otio vacet, nec voluptates quærat. Placet ſponſæ lectulus, ſed floridus, ſeu qui lilia oleat, & cæteris virtutum floribus ornetur: differt ſanè ſponſæ lectulus à cruce ſponſi: ille floridus ſuaviter olet, hæc ſpinis circumſepta cruore madet; ille floridus conveſtitur, hæc clavis perforatur; ille candore albeſcit liliorum, hæc purpurâ rubeſcit effuſi cruoris: ſed ubi in lectulo ſponſæ florent lilia; in cruce ſponſi vernant purpureæ roſæ, quia nimirum ubi caſtitas efflorefcit, ibi charitas exardeſcit, ac cæteræ vigent virtutes.

Cant. 1.

7. Idque videtur fuiſſe Joanni oſtenſum in Apocalipſi, ubi divinæ ſedis deſcribens apparatum, ſimilem dicit viſioni ſmaragdinæ: *Iris erat in circuitu ſedis ſimilis viſioni ſmaragdinæ*: ſed cur Numinis thronum iridi æquiparat, & ſmaragdo? cur non potiùs pellucido adamanti ob inconcuſſam firmitatem? vel ignitis piropis ob amoris flagrantiam? An viſioni ſmaragdinæ ſimilem dicit, quo in ſmaragdi virore ſpem concipiamus, beatitatem enanciſcendi? ſed cur iridi ſmaragdinæ comporatur? *Iris erat in circuitu ſedis ſimilis viſioni ſmaragdinæ*. Quódnam latet hic myſterium, cum iris ex ſmaragdo potiùs, quàm ex alia quapiam gemma referatur conſtructa? perſpicuum eſt, iridem diſcolorem plures in ſua colorum varietate gemmas referre. Cùm iris apparet, arcus quidam ingens efficitur in aëre, qui ſpeciem præſefert venuſtiſſimam, & aſpectu jucundiſſimam, ac cogitatu mirabilem, laudatúrque ob id in ſacris litteris, & in teſſeram reconciliationis, ac ſymbolum fœderis à Numine uſurpatur, quaſi Deus in iride pacis ſymbolo arcum ſuum clavo appendat nubis, ne tela bellorum ulteriùs ejaculetur, ſed quis non miretur in arcu appenſo colorum elegantiam, ac miram varietatem? cùm cecinerit Poëta de iride. *Mille trahens varios adverſo ſole colores*. Suſpicimus in ea colores varios ceruleum, viridem, purpureum, luteum, igneúmque non minùs admirabili naturæ arte permiſtos, quam confuſione quadam diſtinctos, alios ex aliis nexos nullius oculi decipiente commiſſura, quæ à ſimillimis incipiens in diſſimillima deſinit: & tanta eſt eorundem perſpicuitas, vis, & elegantia; ut eorum gratiam nullus è lapidibus pellucidus nitor, nullus vermiculorũ, conchiliorũmque ſanguis exæquet. Si igitur non ſolùm virorem ſmaragdi iris præſefert; verùm, & reliquarum gemmarum nitores, cur potiùs viſioni ſmaragdinæ, & non adamantinæ ſimilis dicitur? quia nimirum ſmaragdus ſymbolum eſt caſtitatis, quæ ſemper viret, & ſuo virore jugiter floret: prætulit unum ſmaragdum cæteris gemmis laconiſmi ſtudioſus, quia ſolam exprimens caſtitatem, cæteras non reticet virtutes ejuſdem veluti pediſſequas; ſcitè Cornelius à lapide expendens illud Joannis in Apocalipſi ait: *Iris inſtar ſmaragdi ſymbolum eſt virginitatis, quæ ſemper viret, & ſuo virore ſplendeſcit inſtar ſmaragdi*. Hinc Poloni ſymboli involucro expreſſuri virginitatem, quam S. Caſimirus ab incunabulis intemeratam ſervaverat, eámque ſub ultimam vitæ periodum conſtanter illæſam aſſeruerat, dum gravi correptus morbo mori potiùs ſelegit, quàm caſtitatis temerare candorem, iridem poſuerunt, quâ ſymbolicè hanc indicarent virtutem S. Caſimiri addito lemmate *ſum quaſi iris* alludentes nimirum ad hanc ſmaragdinam iridem, quam Joannes refert à ſe viſam in circuitu ſedis, ſeu Numinis throni. Eſt igitur ſmaragdus ſymbolum caſtitatis, ex qua veluti è ſuo fonte cæteri omnes ſcaturiunt virtutum rivuli.

Apoc. 4. v. 3

In Apo. c. 4. v. 3.

Apoc. 4. v. 3

8. Idque cauſæ, cur S. Ephren in Aſceterio ſuis eunxim Monachis hujus commendaverit virtutis culturam inquiens: *Serva frater caſtitatem corporis tui, quam ſi in charitate Chriſti cuſtodieris, omnem facilè virtutem perfectè exercere, & aſſequi poteris*. Neque ſponſæ venuſtas, ac multiplex pulchritudo ab alio virtutis flore, quàm ab uno caſtitatis lilio dicitur à ſponſo derivata: *Ecce tu pulchra es amica mea, Ecce tu pulchra es: oculi tui columbarum*. Ideo non ſemel, ſed geminato præconio pulchra effertur ſponſa, quia oculos præſefert columbarum, quæ pudicitiæ, ac caſtitatis ob candorem plumarum habentur ſymbolum: hæc ſi vigeat virtus cæteræ eidem conſibulantur: ſponſæ oculi columbarum dicuntur, quia oculi ſunt ſimplices, defœcati à quovis nævo: licèt pulcherrima ſit, omnémque excludat maculam, non tamen nævos in aliorum oculis, & vultibus indagat, ſi lateant; vel ſi proſtent, non faſtidit; quia ſimplicitas è radice progerminans caſtitatis alienos potiùs tegit, quàm exploret nævos: quæ ſine cultura caſtitatis ſolius corporis venuſtatem jactat mulier, aliorum promptiùs fœditates

Tom. 2. de virg. cap. 8.

Cant. 1.

blanditiis emolliri, ac flecti ad illicita, saxorũ duritie frangeretur ad necem in tribunali.

Naufraga periisset in lilio cultrix castitatis, ni ultrix impuritatis sacra adfuisset Nemesis, quæ senum coërcuit impudentiam, & mulieris vindicavit innocentiam; Latuerunt senes impuro amore insanientes veluti angues in herba, quò inter vireta, venenum evomerent in perniciem pudicitiæ; quòd si fœmina deliciis affluxisset in laticibus, senibusque adhæsisset, ab iisdem lapillis fuisset pretiosis ornata, non lapidibus onerata. Evâ certè sanctior fuit Susanna cùm in Pomario se falli non sivit; quamvis mœchi non immortalitate eam allicere, ac fallere studuerint, sed dura lapidum morte corrumpere; nimirum cum Susannæ castitate didicerunt inter vireta Pomarii, & reliquæ florere virtutes, probique mores suaviùs olere. Eva uni succubuit Angui allicienti ad pomi vetiti delicias, quibus vel ipsam inuasit Divinitatem, rapinam arbitrata æqualem fieri DEO, non tamen æquitate, sed crimine, ac pomi rapina: Susanna verè in Pomario ne offenderet Divinitatem Angues geminos ad illicita suadentes non ungue more Herculeo discerpsit, sed amore pudicitiæ suo compressit lilio. Quid? quòd sæviorem fuit procellam Susanna in fonte passa; quàm Jonas fluctuante in æquore; unum hic cetum invenit, veluti in naufragio portum, in quo tutus viveret, & psalleret; cum Susanna geminos in fontis blandiente malacia, ac pellucidis laticibus cetos expaverit, quibus si adhæsisset, exitium incurrisset; quia si licuit Prophetæ Numen in Monstro implorare; ei erasset Susanna Deum, si vel uni fuisset ex senibus eblandita. Efferata certè fuit senum insania, quæ castitatis cultricem, aut lascivire coëgit ad scelus; aut mori adegit ad infamiam; sed Susannæ castitas oivibus pudicitiæ, & impuros extinxit ignes, & frigere, simúlque rigere fecit senes, qui exarserant in libidinem; quia ubi lilium olet castitatis, pravi omnes abiguntur affectus. Nulla est senectutis glacies tanta, quæ ad solem fœmineæ venustatis non regelascat, imò non excandeat, flammásque concipiat ad externi nitoris repercussum.

Venustas muliebris ni lilio efflorescat castitatis in sentinam degenerat fœditatis. Dispiciamus & ovium vellera, & serpentum exuvias; gregum villi, quia incompti, & impexi nil præseferunt venustatis, sed quia villi sunt ovium; integumenta habentur, ac præsidium innocentiæ: secus anguium niteos corium, ac discolor cutis, quia symbolum prodit fucatæ mulieris, non nisi veneno præludit, & exitio. In anguium cutem diceres Zeuxim, vel Apellem totam profudisse colorum supellectilem; ac venustatem; imò & mundum ipsum muliebrem in cerastarum corio superbire, cum ibi smaragdus virêre videatur, purpurascere Amethystus, rutilare pyropus; tam elegans est in serpente colorum illecebra, ut & iridem collo præseferat, lucémque auream vibret è squamis! verùm ubi blanditiis videtur mitiùs illicere; & pompâ venustatis suaviùs eblandiri, ibi toxica evibrat nocentiora in illecti exitium; latent sub gemmis venena; non fulgor est ille ardentis; sed fulgur interimentis; non discolor iris solari præludit splendori, sed Arcus noxius venenata evibrat tela, quibus ferales accersit Libithinæ umbras; niter est sed lethalis, vetustus est serpens, sed exitialis; incedit enim anguis veluti trabeatus, sed solo afflatu interimit: ab hac serpentiva venustate; nec latum unguem dixerim abludere muliebrem speciem, quæ hoc cerastarum depicto corio venena evomit, nisi lilium in ipsa efflorescat castitatis; flos est castitas, qui si excolatur, extima negligitur species; sed pulcriùs intus virtus floret, ac suaviùs olet; & non ampliùs anguem æmulatur, sed agnum imitatur; cujus & lacte pascimur, & vellere regimur; quia exculta castitas animi nobis ornamentum suppeditat, ac cæterarum promovet incrementa virtutum. Ab hac una radice feliciter pullulant cæterarum flores virtutum, & visus est Salomon innuisse, cum dixit: *o quàm pulchra est casta generatio cum claritate*; est castitas cæterarum virtutum generatio, quia earundem est fœcunda parens, fons, & origo proborum omnium affectuum: sicut luxuria generica quadam nomenclatione malitia nuncupatur, eò quia origo sit malorum omnium, ac pravorum affectuum fons putidissimus; ita cum sit contrariorum eadem ratio; castitas à plerisque Sanctis Patribus simpliciter Sanctitas dicitur, eò quia fons sit, ex quo singuli scaturiunt sanctitatis rivuli. Sap. 4. v. 1.

Idque causæ, cur Apostolus ad Thessalonicenses, præ cæteris culturam commendet castitatis, quâ sanctificamur; addens percharam esse Numini hanc virtutem inquiens: *Hæc est voluntas DEI sanctificatio vestra*, seu ut nos conrioeamus, & virtutem excolamus castitatis: neque quidquam aliud per sanctificationem Apostolus innuit, quàm ipsam pudicitiam: tametsi ad sanctificationem pertineant charitas, justitia, humilitas, patientia, & reliquæ morales virtutes; unicam tamen per sanctificationem significat castitatem, quia ab hac una veluti à fœcundissima radice flores pullulant, germinánque reliquarum virtutum: ait enim Apostolus: *Hæc est voluntas DEI sanctificatio vestra, ut abstineatis vos à fornicatione, ut sciat unusquisque vestrum vas suum possidere in sanctificatione, & honore, non in passione desiderij*: apertè indicat Apostolus, sanctificationem nostram abstinentiam esse à 1. Cap. 4.

se à fornicatione, quatenus ex cultura castitatis reliquæ in nobis efflorescunt virtutes.

6. Hinc sponsa lectulum suum floridum vocat, seu omnigenis ornatum floribus: *Lectulus noster floridus*, quia castitatis lilio olebat, & ideo floridus, quia castus: sponsi enim, qui pascitur inter lilia, inhiabat amplexibus, & quia castè diligebat, virtutum omnium floribus suum exornavit lectulum, *Lectulus noster floridus*: sed cur sponsa lectulum diminutè vocat, & non lectum? an quia laxiores quorundam conscientiæ, quæ elephantos capiunt, & camelos ob laxitatem, cui adhærent, rarò floreant? quò enim conscientia Deum reveretur, & quibusdam veluti scrupulis plerumque coarctatur, eò amœniùs floribus vernat, & elegantiùs ornatur virtutibus. Non lectum amat, sed lectulum cupit, quæ sponsa est castitatis cultrix; placent ei angustiæ, displicent laxitates; lectulum tantùm quærit, ut quieti indulgeat, non ut otio vacet, nec voluptates quærat. Placet sponsæ lectulus, sed floridus, seu qui lilia oleat, & cæteris virtutum floribus ornetur: differt sanè sponsæ lectulus à cruce sponsi: ille floridus suaviter olet, hæc spinis circumsepta cruore madet; ille floridus convestitur, hæc clavis perforatur; ille candore albescit liliorum, hæc purpurâ rubescit effusi cruoris: sed ubi in lectulo sponsæ florent lilia; in cruce sponsi vernant purpureæ rosæ, quia nimirum ubi castitas efflorescit, ibi charitas exardescit, ac cæteræ vigent virtutes.

Cant. 1.

7. Idque videtur fuisse Joanni ostensum in Apocalipsi, ubi divinæ sedis describens apparatum, similem dicit visioni smaragdinæ: *Iris erat in circuitu sedis similis visioni smaragdinæ*: sed cur Numinis thronum iridi æquiparat, & smaragdo? cur non potiùs pellucido adamanti ob inconcussam firmitatem? vel ignitis piropis ob amoris flagrantiam? An visioni smaragdinæ similem dicit, quo in smaragdi virore spem concipiamus, beatitatem enanciscendi? sed cur iridi smaragdinæ comporatur? *Iris erat in circuitu sedis similis visioni smaragdinæ*. Quódnam latet hic mysterium, cum iris ex smaragdo potiùs, quàm ex alia quapiam gemma referatur constructa? perspicuum est, iridem discolorem plures in sua colorum varietate gemmas referre. Cùm iris apparet, arcus quidam ingens efficitur in aëre, qui speciem præsefert venustissimam, & aspectu jucundissimam, ac cogitatu mirabilem, laudatúrque ob id in sacris litteris, & in tesseram reconciliationis, ac symbolum fœderis à Numine usurpatur, quasi Deus in iride pacis symbolo arcum suum clavo appendat nobis, ne tela bellorum ulteriùs ejaculetur, sed quis non miretur in arcu appenso colorum elegantiam, ac miram varietatem? cùm cecinerit Poëta de iride. *Mille trahens varios adverso sole colores*. Suspicimus in ea colores varios ceruleum, viridem, purpureum, luteum, igneúmque non minùs admirabili naturæ arte permistos, quàm confusione quadam distinctos, alios ex aliis nexos nullius oculi decipiente commissura, quæ à simillimis incipiens in dissimillima desinit: & tanta est eorundem perspicuitas, vis, & elegantia; ut eorum gratiam nullus è lapidibus pellucidus nitor, nullus vermiculorũ, conchiliorúmque sanguis exæquet. Si igitur non solùm virorem smaragdi iris præsefert; verùm, & reliquarum gemmarum nitores, cur potiùs visioni smaragdinæ, & non adamantinæ similis dicitur? quia nimirum smaragdus symbolum est castitatis, quæ semper viret, & suo virore jugiter floret: prætulit unum smaragdum cæteris gemmis laconismi studiosus, quia solam exprimens castitatem, cæteras non reticet virtutes ejusdem veluti pedissequas; scitè Cornelius à lapide expendens illud Joannis io Apocalipsi ait: *Iris instar smaragdi symbolum est virginitatis, quæ semper viret, & suo virore splendescit instar smaragdi*. Hinc Poloni symboli involucro expressuri virginitatem, quam S. Casimirus ab incunabulis intemeratam servaverat, eámque sub ultimam vitæ periodum constanter illæsam asseruerat, dum gravi correptus morbo mori potiùs selegit, quàm castitatis temerare candorem, iridem posuerunt, quâ symbolicè hanc indicarent virtutem S. Casimiri addito lemmate *sum quasi iris* alludentes nimirum ad hanc smaragdinam iridem, quam Joannes refert à se visam in circuitu sedis, seu Numinis throni. Est igitur smaragdus symbolum castitatis, ex qua veluti è suo fonte cæteri omnes scaturiunt virtutum rivuli.

Apoc. 4. v. 3

In Apo. cal v. 3.

Apoc. 4. v. 3

8. Idque causæ, cur S. Ephren in Ascetério suis enixim Monachis hujus commendaverit virtutis culturam inquiens: *Serva frater castitatem corporis tui, quam si in charitate Christi custodieris, omnem facilè virtutem perfectè exercere, & assequi poteris*. Neque sponsæ venustas, ac multiplex pulchritudo ab alio virtutis flore, quàm ab uno castitatis lilio dicitur à sponso derivata: *Ecce tu pulchra es amica mea, Ecce tu pulchra es: oculi tui columbarum*. Ideo non semel, sed geminato præconio pulchra effertur sponsa, quia oculos præsefert columbarum, quæ pudicitiæ, ac castitatis ob candorem plumarum habentur symbolum: hæc si vigeat virtus cæteræ eidem consibulantur: sponsæ oculi columbarum dicuntur, quia oculi sunt simplices, defœcati à quovis nævo: licèt pulcherrima sit, omnémque excludat maculam, non tamen nævos in aliorum oculis, & vultibus indagat, si lateant; vel si prostent, non fastidit; quia simplicitas è radice progerminans castitatis alienos potiùs tegit, quàm exploret nævos: quæ sine cultura castitatis solius corporis venustatem jactat mulier, aliorum promptiùs fœditates

Tom. 2. de virgin. p. 8

Cant. 1.

ditates sugillat; & quasi purgatior in ipsa oculus cæcutientes arguit; festucas reprehendit in aliis, cùm trabem non videat in suo. Una sponsa quia castitatis cultrix oculos præsefert columbarum, seu simplices, & minimè censorios, quia ab una castitate; & cordis simplicitas, & recta mentis intentio, ac reliquæ prodeunt virtutes; ideóque sponso gratissima, quia nullam passa sit in se maculam videri, neque ullam noverit ipsa in aliis videre; ideóque non semel, sed geminato præconio pulchra effertur, eò quia gemina fulgeat pulchritudine, unâ, quâ omnem à se maculam abigit; & aliâ, quâ in cæteris nullum respicit nævum, quem redarguat. Bis pulchra dicitur, quia castitatis cultrix nulla sordescit in se labe, nec ullum in aliis quem redarguat nævum adnotat; charitatis siquidem oculus innocentiam fingit in alieno vultu, & castitatis lilium candorem, quem præsefert intemeratum, in aliis nitentem asserit.

9. Bis igitur formosa sponsa castitatis cultrix effertur, eâ scilicet quam in se habet, & eâ, quam fingit in aliis, pulchritudine; quia lilium castitatis eum emittit odorem, quo adstantia quæque oleant: est enim castitas, quæ cæteris virtutibus decorem impertitur, quæque propterea à Cypriano asseritur regina omnium virtutum moderatrix: quod si officio fungitur Reginæ; æquitas id exigit, ut eodem ornatu etiam fulgeat, quô tantæ dignitatis fastigio digna esse videtur; ut respondeant dignitati ornamenta virtutum, quia ut ait D. Hieronymus *Virgo decore virtutum in Ecclesia supra viduas, & nuptas ornari debet.* Sunt enim Virgines, quæ in militante Ecclesia similitudinem assequuntur spirituum, qui florent in triumphante, & propterea iisdem debent, & virgines pollere in terris virtutibus, quibus fulgent Angeli in cœlis, ubi divinis duntaxat sunt addicti obsequiis, ac laudibus, Numinis ministerio mancipati, ut ait Apostolus ad Hebræos, ubi loquens de Angelis

1 v. 14. in cœlesti patria ait: *Omnes sunt administratorij spiritus*, seu Dei voluntati affixi, ac in ejus exequendis mandatis parati, ut nulla in re valeant moram pati, cùm facientes verbum illius commissi sibi ministerii partes fideliter exequantur. Perinde cultor castitatis, ac Numinis addictus obsequiis ea promptè exequitur, quæ divinæ esse voluntatis noverit; una enim castitas est, è qua promanant cæteræ, quæ in Ascetèrijs vigent virtutes.

10. Vir enim asceta, qui per culturam castitatis suo Numini corpus dicavit, omnia quæ divinæ sunt voluntatis, diligenter investigat, & per celerem obedientiam ea studet adimplere, quæ novit divinæ esse voluntati consona: non enim ullum Deo gratius donum, nec ullum sublimius sacrificium offerre quispiam potest, quàm se ipsum divinæ voluntati in omnibus subjicere: neque quid aliud Majestas divina ab homine exigit, nisi ut se exhibeat hostiam viventem, sanctam, acceptabilem, quam si quis ritè obtulerit, religiosè litavit. An non castitatis cultores cœlestibus accensentur spiritibus divinam exequentibus voluntatem? & de quibus ait David: *Ministri ejus, qui facitis voluntatem ejus:* una Psalm. 102. enim exculta castitas alas obedientiæ suppeditat, quibus expeditiùs Numinis exequatur voluntatem; suntque cultores castitatis Angeli terrestres, qui sacrificium animæ per jugem cum DEI voluntate conformitatem, & corporis offerunt; ut nihil jam quod caro blanditur; sed quod spiritus sanctus dictaverit, exequantur: nulla in ipsis remanent desideria carnalia, cùm quibus mens pugnas ineat, & conflictus sentiat, quia nil est in corpore, quod spiritui obstitat: si enim desideria, quæ carnis sunt, abigantur, omnis concupiscentia in charitatem transit, quæ suam à castitate etiam haurit venustatem, ut castitas suum à charitate pretium; est enim castitas, adeo charitati adnexa, ut ab ipsa pretium habeat, ac meritum; hinc virgines, quæ in vasis suis oleum habere neglexerunt, à sponso abjectæ fuerunt dimissæ: *Nescio vos*, eò quia Matth. 25. earum anima cœlestibus charitatis non urere tur ardoribus.

11. Plures sunt, qui satagunt vasa quidem parare, sed quia negligunt oleum sibi comparare, suas non accendunt lucernas, nec splendent ipso exercitio virtutum, ac bonorum operum nitore. Sunt etiam, qui tametsi modicum quid olei acquisiverint, dormitantibus mox lucernis, facibúsque ob consumptum penè nutrimentum, & jamiam expirantibus; dormiunt & ipsi, nec tenebras horrent, in quas se injiciunt. Sunt & Viri ascetæ, qui tametsi terrenis omnibus voluptatibus renunciaverint, & corpora sua vasa præparaverint DEO dicata, quia tamen iisdem oleum deficit charitatis, ac bonorum operum splendor, à fatuis haud abludunt virginibus, & à cœlestis propterea sponsi excluduntur amplexibus, quia ut scitè D. Bernardus: *Castitas sine charitate lampas est sine oleo; subtrahe oleum,* Epist. 42. *lampas non lucet; tolle charitatem, castitas non placet.* Neque dissentit Augustinus *Tom. 6. lib. de Virg. cap. 54.* Ubi ad studia virtutum Virgines exhortans, ait: *Si nuptias contempsistis filiorum hominum toto corde amate speciosum formâ præ filijs hominum. Vacat enim vobis, liberum est cor à conjugalibus vinculis, inspicite pulchritudinem amatoris vestri, cogitate æqualem Patri, subditum & matri: etiam in cælis dominantem, & in terris servientem: creantem omnia creatum inter omnia. Illud ipsum, quod in eo derident superbi, inspicite quàm pulchrum sit internis luminibus, inspicite vulnera pendentis, cicatri-*

ces

*ces resurgentis, sanguinem morientis, pretium credentis, commercium redimentis:* asserit D. Augustinus, charitatem, & amorem elegantiora esse castitatis ornamenta, sine enim charitate deflorescit castitas, & sine castitate ardor frigescit charitatis, & splendor extinguitur amoris; quod enim est corpori spiritus, id castitati est charitas, quâ si destituatur, langnet, & emoritur castitas, quæ & ipsa fulcrum est charitatis, ac reliquarum fundamentum virtutum; quapropter inter omnes, quas sancti Patres laudibus extulerunt virtutes, nulla recensetur, quæ ampliorem commendationis segetem exhibuerit, quàm ipsa castitas, de qua, cùm sermonem instituerent, certatim in ejus laudes effusi, nullos visi sunt eloquentiæ suæ terminos posuisse, hinc Athanasius in fine

*Lib. de virgin.* ait: *Virginitas opulentia est indeficiens, corona immarcescibilis, templum Dei, domicilium Spiritûs Sancti, margarita pretiosa, mortis, & inferni profligatrix.* Triumphat D. Augustinus in texendo elogio castitatis, quam vocat Ecclesiastici germinis florem; decus, & ornamentum, gratiam spiritualem, & illustriorem dominici gregis portionem. Epinicion canit Tertullianus eam deprædicans, florem morum suavissimum, humani corporis præcipuum decus, sanctitatis fundamentum, & omnium virtutum basim.

12. Præ cæteris verò castitatis culturam sublimioribus excipit encomiis D. Bernardus, qui hanc virtutem ita à Deo in homines asserit procedere, ut ne communis fieret, eam præcipere noluerit, sed tantùm consulere, ait enim mellifluus Doctor de modo benè

*Cap. 22.* vivendi. *Virginitas non est jussa, sed admonita, quia nimis excelsa:* suffragante Apostolo dicente, præceptum de virginitate non habere, sed consilium; quia sicut non omnes sunt in sublimi dignitate constituti, nec omnes regio condecorantur diademate; ita neque omnes culturâ florent castitatis, quæ diadema pangit suis cultoribus, quos, & coronat.

## §. II.

### *Gaudet flos pudicitiæ delitescere, ne præcox sub aperto dio gelidâ rigescat pruinâ.*

13. Sponsa filias accivit Sion, quæ secum domo egrederentur, ac sponsum viderent

*Cant. cap. 3.* diademate redimitum, *Egredimini, & videte filiæ Sion Regem Salomonem in diademate, quo coronavit illum mater sua; in diademate desponsationis illius, & in die lætitiæ cordis ejus.* Verè à sponsa filiæ vocantur Sion puellæ, quæ Rege jam coronato domi substiterant; & ejus inaugurationis pompam, nonnisi provocatæ exeunt spectatum; quia cùm essent castitatis studiosæ à solitudinis recessu nonnisi suasionibus abstrahi potuêre, & ideo nonnisi rogatæ domo egrediuntur: *Egredimini, & videte.* In filiabus Sion virginitatis cultricibus tantus erat oculorum pudor, ut exiisse non fuisset satis ad tantum spectaculum, nisi jam adstantes Regi de dirigendis in eum obtutibus monerentur: non enim dicit tantùm, *egredimini*, sed ulteriùs addit, *videte*, quia nimirum pudicitia unicus conscientiæ contenta theatro etiam Regias fastidit pompas, & lilii sola delectatur cultura: etenim etiam concha fœcunda margaritarum parens, suo dives spectaculo solam prolem pro theatro computar, dum candore oblectatur unionum, & lucem videtur fastidire splendidè cæca, ac munificè rustica.

Gaudet flos pudicitiæ delitescere, ne præcox sub aperto dio irruente rigescat pruinâ, & tunc efflorescit hoc lilium elegantiùs, cum ab hominum frequentiis sejunctum remotiùs delitescit. Non opis externæ indiga est pudicitia, quæ foras divagari adigatur, quò sibi consulat: sibi ipsa sufficit, & quamvis plerúmque exagitata, nil tamen quamdiu delitescit proprii deperdit decoris, imò ejus flos elegantior vernat: etiam mare quamvis ventorum impetu intumescat, & decumanis fluctibus videatur se se non capere, ad litus tamen allisum, undas resorbet suas, & litoralibus duntaxat per osculum salutatis arenis miro refluxu in proprium recurrit sinum: cùm è converso exundent latiùs in agros, & debacchentur in campos è suis egressa alveis flumina, & torrentes; quia nimirum æquor unionum, gemmarum, ac coraliorum parens, non indiget ope aliena, quâ ditescat, nec quidquam propterea cupit ex agris rapere. Ita castitas sibi decus est, & ornamentum, nec indiget foras spatiari, ut quo splendeat, enancifcatur, cùm sit ipsa sui cultoris diadema: *Videte filiæ Sion Regem Salomonem in diademate, quo coronavit illum mater sua in die desponsationis illius, & in die lætitiæ cordis ejus:* vocat sponsa suum sponsum Regem, quia cultor castitatis, quæ mater est cæterarum virtutum, fulgebat diademate redimitus. Videte Regem Salomonem in diademate, quo coronavit illum mater sua, seu exculta castitas in die desponsationis illius, quando per charitatem, amorémque impensiorem eidem adhæsit virtuti; tunc enim coronam induxit, cùm sapientiam sponsam duxit: neque carere potest diademate pudore infulatus, castitate chlamydatus: felicius enim regnat sponsus in candore lilii, quàm in purpura rosæ, nisi simul, & purpurâ ornetur charitatis, & candore vestiatur castitatis: neque virginitatis candor cubare erubescit in purpura verecundiæ. Coronatur igitur, & lilium castitatis, & rosa pudoris, quamdiu hic castitati adhæret: nec mirum si coronetur pudor; quia cùm hic non possit purpurâ carere, nec debet corona destitui: etiam natura, quia purpuratum esse voluit 14.

Ppp 3 mali

ditates sugillat; & quasi purgatior in ipsa oculus cætutientes arguit; festucas reprehendit in aliis, cùm trabem non videat in suo. Una sponsa quia castitatis cultrix oculos præsefert columbarum, seu simplices, & minimè censorios, quia ab una castitate; & cordis simplicitas, & recta mentis intentio, ac reliquæ prodeunt virtutes; ideóque sponso gratissima, quia nullam passa sit in se maculam videri, neque ullam noverit ipsa in aliis videre; ideóque non semel, sed geminato præconio pulchra effertur, eò quia gemina fulgeat pulchritudine, unâ, quâ omnem à se maculam abigit; & aliâ, quâ in cæteris nullum respicit nævum, quem redarguat. Bis pulchra dicitur, quia castitatis cultrix nulla sordescit in se labe, nec ullum in aliis quem redarguat nævum adnotat; charitatis siquidem oculus innocentiam fingit in alieno vultu, & castitatis lilium candorem, quem præsefert intemeratum, in aliis nitentem asserit.

9. Bis igitur formosa sponsa castitatis cultrix effertur, eâ scilicet quam in se habet, & eâ, quam fingit in aliis, pulchritudine; quia lilium castitatis eum emittit odorem, quo adstantia quæque oleant: est enim castitas, quæ cæteris virtutibus decorem impertitur, quæque propterea à Cypriano asseritur regina omnium virtutum moderatrix: quod si officio fungitur Reginæ, æquitas id exigit, ut eodem ornatu etiam fulgeat, quô tantæ dignitatis fastigio digna esse videtur; ut respondeant dignitati ornamenta virtutum, quia ut ait D. Hieronymus *Virgo decore virtutum in Ecclesia supra viduas, & nuptas ornari debet.* Sunt enim Virgines, quæ in militante Ecclesia similitudinem assequuntur spirituum, qui florent in triumphante, & propterea iisdem debent, & virgines pollere in terris virtutibus, quibus fulgent Angeli in cœlis, ubi divinis duntaxat sunt addicti obsequiis, ac laudibus, Numinis ministerio mancipati, ut ait Apostolus ad Hebræos, ubi loquens de Angelis in cœlesti patria ait: *Omnes sunt administratorij spiritus*, seu Dei voluntati affixi, ac in ejus exequendis mandatis parati, ut nulla in re valeant moram pati, cùm fatientes verbum illius commissi sibi ministerii partes fideliter exequantur. Perinde cultor castitatis, at Numinis addictus obsequiis ea promptè exequitur, quæ divinæ esse voluntatis noverit; una enim castitas est, è qua promanant cæteræ, quæ in Asceterijs vigent virtutes. 1 v.14.

10. Vir enim asceta, qui per culturam castitatis suo Numini corpus dicavit, omnia quæ divinæ sunt voluntatis, diligenter investigat, & per celerem obedientiam ea studet adimplere, quæ novit divinæ esse voluntati consona: non enim ullum Deo gratius donum, nec ullum sublimius sacrificium offerre quispiam potest, quàm se ipsum divinæ voluntati in omnibus subjicere: neque quid aliud Majestas divina ab homine exigit, nisi ut se exhibeat hostiam viventem, sanctam, acceptabilem, quam si quis ritè obtulerit, religiosè litavit. An non castitatis cultores cœlestibus accensentur spiritibus divinam exequentibus voluntatem? & de quibus ait David: *Ministri ejus, qui facitis voluntatem ejus:* una enim exculta castitas alas obedientiæ suppeditat, quibus expeditiùs Numinis exequatur voluntatem; suntque cultores castitatis Angeli terrestres, qui sacrificium animæ per jugem cum DEI voluntate conformitatem, & corporis offerunt; ut nihil jam quod caro blanditur; sed quod spiritus sanctus dictaverit, exequantur: nulla in ipsis remanent desideria carnalia, cùm quibus mens pugnas ineat, & conflictus sentiat, quia nil est in corpore, quod spiritui obsistat: si enim desideria, quæ carnis sunt, abigantur, omnis concupiscentia in charitatem transit, quæ suam à castitate etiam haurit venustatem, ut castitas suum à charitate pretium; est enim castitas, adeo charitati adnexa, ut ab ipsa pretium habeat, ac meritum; hinc virgines, quæ in vasis suis oleum habere neglexerunt, à sponso abjectæ fuerunt dimissæ: *Nescio vos*, eò quia earum anima cœlestibus charitatis non urerετur ardoribus. Psalm. 102. Matth. 25.

11. Plures sunt, qui satagunt vasa quidem parare, sed quia negligunt oleum sibi comparare, suas non accendunt lucernas, nec splendent ipsi exercitio virtutum, ac bonorum operum nitore. Sunt etiam, qui tametsi modicum quid olei acquisiverint, dormitantibus mox lucernis, facibúsque ob consumptum penè nutrimentum, & jamiam expirantibus; dormiunt & ipsi, nec tenebras horrent, in quas se injiciunt. Sunt & Viri ascetæ, qui tametsi terrenis omnibus voluptatibus renunciaverint, & corpora sua vasa præparaverint DEO dicata, quia tamen iisdem oleum deficit charitatis, ac bonorum operum splendor, à fatuis haud abludunt virginibus, & à cœlestis propterea sponsi excluduntur amplexibus, quia ut scitè D. Bernardus: *Castitas sine charitate lampas est sine oleo; subtrahe oleum, lampas non lucet; tolle charitatem, castitas non placet.* Neque dissentit Augustinus *Tom. 6. lib. de Virg. cap. 54.* Ubi ad studia virtutum Virgines exhortans, ait: *Si nuptias contempsistis filiorum hominum toto corde amate speciosum formâ præ filijs hominum. Vacat enim vobis, liberum est cor à conjugalibus vinculis, inspicite pulchritudinem amatoris vestri, cogitate æqualem Patri, subditum & matri: etiam in cælo dominantem, & in terris servientem: creantem omnia creatum inter omnia. Illud ipsum, quod in eo derident superbi, inspicite quàm pulchrum sit internis luminibus, inspicite vulnera pendentis, cicatrices* Epist. 42.

*ces reſurgentis, ſanguinem morientis, pretium credentis, commercium redemtis:* aſſerit D. Auguſtinus, charitatem, & amorem elegantiora eſſe caſtitatis ornamenta, ſine enim charitate deſloreſcit caſtitas, & ſine caſtitate ardor frigeſcit charitatis, & ſplendor extinguitur amoris; quod enim eſt corpori ſpiritus, id caſtitati eſt charitas, quâ ſi deſtituatur, langnet, & emoritur caſtitas, quæ & ipſa fulcrum eſt charitatis, ac reliquarum fundamentum virtutum; quapropter inter omnes, quas ſancti Patres laudibus extulerunt virtutes, nulla recenſetur, quæ ampliorem commendationis ſegetem exhibuerit, quàm ipſa caſtitas, de qua, cùm ſermonem inſtituerent, certatim in ejus laudes effuſi, nullos viſi ſunt eloquentiæ ſuæ terminos poſuiſſe, hinc Athanaſius in fine

*Lib. de virgin.* ait: *Virginitas opulentia eſt indeficiens, corona immarceſcibilis, templum Dei, domicilium Spiritûs Sancti, margarita pretioſa, mortis, & inferni profligatrix.* Triumphat D. Auguſtinus in texendo elogio caſtitatis, quam vocat Eccleſiaſtici germinis florem; decus, & ornamentum, gratiam ſpiritualem, & illuſtriorem dominici gregis portionem. Epinicion canit Tertullianus eam deprædicans, florem morum ſuaviſſimum, humani corporis præcipuum decus, ſanctitatis fundamentum, & omnium virtutum baſim.

12\. Præ cæteris verò caſtitatis culturam ſublimioribus excipit encomiis D. Bernardus, qui hanc virtutem ita à Deo in homines aſſerit procedere, ut ne communis fieret, eam præcipere noluerit, ſed tantùm conſulere, ait enim mellifluus Doctor de modo benè vivendi.

*Cap. 22.* *Virginitas non eſt juſſa, ſed admonita, quia nimis excelſa:* ſuffragante Apoſtolo dicente, præceptum de virginitate non habere, ſed conſilium; quia ſicut non omnes ſunt in ſublimi dignitate conſtituti, nec omnes regio condecorantur diademate; ita neque omnes culturâ florent caſtitatis, quæ diadema pangit ſuis cultoribus, quos, & coronat.

## §. II.

### *Gaudet flos pudicitiæ deliteſcere, ne præcox ſub aperto dio gelidâ rigeſcat pruinâ.*

13\. Sponſa filias accivit Sion, quæ ſecum domo egrederentur, ac ſponſum viderent

*Cant. cap. 3.* diademate redimitum. *Egredimini, & videte filiæ Sion Regem Salomonem in diademate, quo coronavit illum mater ſua; in diademate deſponſationis illius, & in die lætitiæ cordis eius.* Verè à ſponſa filiæ vocantur Sion puellæ, quæ Rege jam coronato domi ſubſtiterant; & eius inaugurationis pompam, nonniſi provocatæ exeunt ſpectatum; quia cum eſſent caſtitatis ſtudioſæ à ſolitudinis receſſu nonniſi ſuaſionibus abſtrahi potuère, & ideo nonniſi rogatæ domo egrediuntur: *Egredimini, & videte.* In filiabus Sion virginitatis cultricibus tantus erat oculorum pudor, ut exiiſſe non fuiſſet ſatis ad tantum ſpectaculum, niſi jam adſtantes Regi de dirigendis in eum obtutibus monerentur: non enim dicit tantùm, *egredimini*, ſed ulteriùs addit, *videte*, quia nimirum pudicitia unicus conſcientiæ contenta theatro etiam Regias faſtidit pompas, & lilii ſola delectatur cultura: etenim etiam concha fœcunda margaritarum parens, ſuo dives ſpectaculo ſolam prolem pro theatro computat, dum candore oblectatur unionum, & lucem videtur faſtidire ſplendidè cæca, ac munificè ruſtica.

Gaudet flos pudicitiæ deliteſcere, ne præcox ſub aperto dio irruente rigeſcat pruinâ, & tunc effloreſcit hoc lilium elegantiùs, 14.
cum ab hominum frequentiis ſeiunctum remotiùs deliteſcit. Non opis externæ indiga eſt pudicitia, quæ foras divagari adigatur, quò ſibi conſulat; ſibi ipſa ſufficit, & quamvis plerúmque exagitata, nil tamen quamdiu deliteſcit proprii deperdit decoris, imò ejus flos elegantior vernat: etiam mare quamvis ventorum impetu intumeſcat, & decumanis fluctibus videatur ſe ſe non capere, ad litus tamen alliſum, undas reſorbet ſuas, & litoralibus duntaxat per oſculum ſalutatis arenis miro refluxu in proprium recurrit ſinum: cùm è converſo exundent latiùs in agros, & debacchentur in campos è ſuis egreſſa alveis flumina, & torrentes; quia nimirum æquor unionum, gemmarum, accoraliorum parens, non indiget ope aliena, quâ diteſcat, nec quidquam propterea cupit ex agris rapere. Ita caſtitas ſibi decus eſt, & ornamentum, nec indiget foras ſpatiari, ut quo ſplendeat, enaniſceatur, cùm ſit ipſa ſui cultoris diadema: *Videte filiæ Sion Regem Salomonem in diademate, quo coronavit illum mater ſua in die deſponſationis illius, & in die lætitiæ cordis eius:* vocat ſponſa ſuum ſponſum Regem, quia cultor caſtitatis, quæ mater eſt cæterarum virtutum, fulgebat diademate redimitus. Videte Regem Salomonem in diademate, quo coronavit illum mater ſua, ſeu exculta caſtitas in die deſponſationis illius, quando per charitatem, amorémque impenſiorem eidem adhæſit virtuti; tunc enim coronam induxit, cùm ſapientiam ſponſam duxit: neque carere poteſt diademate pudore infulatus, caſtitate chlamydatus: feliciùs enim regnat ſponſus in candore lilii, quàm in purpura roſæ, niſi ſimul, & purpurâ ornetur charitatis, & candore veſtiatur caſtitatis: neque virginitatis candor cubare erubeſcit in purpura verecundiæ. Coronatur igitur, & lilium caſtitatis, & roſa pudoris, quamdiu hic caſtitati adhæret: nec mirum ſi coronetur pudor; quia cùm hic non poſſit purpurâ carere, nec debet corona deſtitui: etiam natura, quia purpuratum eſſe voluit

ditates sugillat; & quasi putgatior in ipsa oculus cæcutientes arguit; festucas reprehendit in aliis, cùm trabem non videat in suo, Una sponsa quia castitatis cultrix oculos præsefert columbarum, seu simplices, & minimè censorios, quia ab una castitate; & cordis simplicitas, & recta mentis intentio, & reliquæ prodeunt virtutes; ideóque sponso gratissima, quia nullam passa sit in se maculam videri, neque ullam noverit ipsa in aliis videre; ideóque non semel, sed geminato præconio pulchra effertur, eò quia gemina fulgeat pulchritudine, unâ, quâ omnem à se maculam abigit; & aliâ, quâ in cæteris nullum respicit nævum, quem redarguat. Bis pulchra dicitur, quia castitatis cultrix nulla sordescit in se labe, nec ullum in aliis quem redarguat nævum adnotat; charitatis siquidem oculus innocentiam fingit in alieno vultu, & castitatis lilium candorem, quem præsefert intemeratum, in aliis nitentem asserit.

9. Bis igitur formosa sponsa castitatis cultrix effertur, eâ scilicet quam in se habet, & eâ, quam fingit in aliis, pulchritudine; quia lilium castitatis eum emittit odorem, quo adstantia quæque oleant: est enim castitas, quæ cæteris virtutibus decorem impertitur, quæque propterea à Cypriano asseritur regina omnium virtutum moderatrix; quod si officio fungitur Reginæ, æquitas id exigit, ut eodem ornatu etiam fulgeat, quô tantæ dignitatis fastigio digna esse videtur; ut respondeant dignitati ornamenta virtutum, quia ut ait D. Hieronymus *Virgo decore virtutum in Ecclesia supra viduas, & nuptas ornari debet.* Sunt enim Virgines, quæ in militante Ecclesia similitudinem assequuntur spirituum, qui florent in triumphante, & propterea iisdem debent, & virgines pollere in terris virtutibus, quibus fulgent Angeli in cœlis, ubi divinis duntaxat sunt addicti obsequiis, ac laudibus, Numinis ministerio mancipati, ut ait Apo-
1 v.14. stolus ad Hebræos, ubi loquens de Angelis in cœlesti patria ait: *Omnes sunt administratorij spiritus*, seu Dei voluntati affixi, ac in ejus exequendis mandatis parati, ut nulla in re valeant moram pati, cùm facientes verbum illius commissi sibi ministerii partes fideliter exequantur. Perinde cultor castitatis, ac Numinis addictus obsequiis ea promptè exequitur, quæ divinæ esse voluntatis noverit; una enim castitas est, è qua promanant cæteræ, quæ in Ascetetijs vigent virtutes.

10. Vir enim asceta, qui per culturam castitatis suo Numini corpus dicavit, omnia quæ divinæ sunt voluntatis, diligenter investigat, & per celerem obedientiam ea studet adimplere, quæ novit divinæ esse voluntati consona; non enim ullum Deo gratius donum, nec ullum sublimius sacrificium offerre quispiam potest, quàm se ipsum divinæ voluntati in omnibus subjicere; neque quid aliud Majestas divina ab homine exigit, nisi ut se exhibeat hostiam viventem, sanctam, acceptabilem, quam si quis ritè obtulerit, religiosè litavit. An non castitatis cultores cœlestibus accensentur spiritibus divinam exequentibus vo-
luntatem? & de quibus ait David: *Ministri ejus, qui facitis voluntatem ejus:* una Psalm. 102.
enim exculta castitas alas obedientiæ suppeditat, quibus expeditiùs Numinis exequatur voluntatem; suntque cultores castitatis Angeli terrestres, qui sacrificium animæ per jugem cum DEI voluntate conformitatem, & corporis offerunt; ut nihil jam quod caro blanditur; sed quod spiritus sanctus dictaverit, exequantur: nulla in ipsis remanent desideria carnalia, cùm quibus mens pugnas ineat, & conflictus sentiat, quia nil est in corpore, quod spiritui obsistat: si enim desideria, quæ carnis sunt, abigantur, omnis concupiscentia in charitatem transit, quæ suam à castitate etiam haurit venustatem, ut castitas suum à charitate pretium; est enim castitas, adeo charitati adnexa, ut ab ipsa pretium habeat, ac meritum; hinc virgines, quæ in vasis suis oleum habere neglexerunt, a sponso ab-
jectæ fuerunt dimissæ: *Nescio vos*, eò quia Matth. 25.
earum anima cœlestibus charitatis non urerετur ardoribus.

11. Plures sunt, qui satagunt vasa quidem parare, sed quia negligunt oleum sibi comparare, suas non accendunt lucernas, nec splendent ipsi exercitio virtutum, ac bonorum operum nitore. Sunt etiam, qui tametsi modicum quid olei acquisiverint, dormitantibus mox lucernis, facibúsque ob consumptum penè nutrimentum, & jamiam expirantibus; dormiunt & ipsi, nec tenebras horrent, in quas se injiciunt. Sunt & Viri ascetæ, qui tametsi terrenis omnibus voluptatibus renunciaverint, & corpora sua vasa præparaverint DEO dicata, quia tamen iisdem oleum deficit charitatis, ac bonorum operum splendor, à fatuis haud abludunt virginibus, & à cœlestis propterea sponsi excluduntur amplexibus, quia
ut scitè D. Bernardus: *Castitas sine charitate lampas est sine oleo; subtrahe oleum, lampas non lucet; tolle charitatem, castitas non placet.* Neque dissentit Augusti- Epist. 42.
nus *Tom. 6. lib. de Virg. cap. 54.* Ubi ad studia virtutum Virgines exhortans, ait: *Si nuptias contempsistis filiorum hominum toto corde amate speciosum formâ præ filijs hominum. Vacat enim vobis, liberum est cor à conjugalibus vinculis, inspicite pulchritudinem amatoris vestri, cogitate æqualem Patri, subditum & matri: etiam in cælis dominantem, & in terris servientem: creantem omnia creatum inter omnia. Illud ipsum, quod in eo derident superbi, inspicite quàm pulchrum sit internis luminibus, inspicite vulnera pendentis, cicatrices

*ces resurgentis, sanguinem morientis, pretium credentis, commercium redemtis:* asserit D. Augustinus, charitatem, & amorem elegantiora esse castitatis ornamenta, sine enim charitate deslorescit castitas, & sine castitate ardor frigescit charitatis, & splendor extinguitur amoris; quod enim est corpori spiritus, id castitati est charitas, quâ si destituatur, languet, & emoritur castitas, quæ & ipsa fulcrum est charitatis, ac reliquarum fundamentum virtutum; quapropter inter omnes, quas sancti Patres laudibus extulerunt virtutes, nulla recensetur, quæ ampliorem commendationis segetem exhibuerit, quàm ipsa castitas, de qua, cùm sermonem instituerent, certatim in ejus laudes effusi, nullos visi sunt eloquentiæ suæ terminos posuisse, hinc Athanasius in fine
*Lib. de virgin.* ait: *Virginitas opulentia est indeficiens, corona immarcescibilis, templum Dei, domicilium Spiritus Sancti, margarita pretiosa, mortis, & inferni profligatrix.* Triumphat D. Augustinus in texendo elogio castitatis, quam vocat Ecclesiastici germinis florem; decus, & ornamentum, gratiam spiritualem, & illustriorem dominici gregis portionem. Epinicion canit Tertullianus eam deprædicans, florem morum suavissimum, humani corporis præcipuum decus, sanctitatis fundamentum, & omnium virtutum basim.

12. Præ cæteris verò castitatis culturam sublimioribus excipit encomiis D. Bernardus, qui hanc virtutem ita à Deo in homines asserit procedere, ut ne communis fieret, eam præcipere noluerit, sed tantùm consulere, ait enim mellifluus Doctor de modo benè vivendi. *Virginitas non est jussa, sed admonita, quia nimis excelsa:* suffragante
*Cap. 22.* Apostolo dicente, præceptum de virginitate non habere, sed consilium; quia sicut non omnes sunt in sublimi dignitate constituti, nec omnes regio condecorantur diademate; ita neque omnes culturâ florent castitatis, quæ diadema pangit suis cultoribus, quos, & coronat.

## §. II.

### *Gaudet flos pudicitiæ delitescere, ne præcox sub aperto dio gelidâ rigescat pruinâ.*

13. *Cant. cap. 3.* Sponsa filias accivit Sion, quæ secum domo egrederentur, ac sponsum viderent diademate redimitum. *Egredimini, & videte filiæ Sion Regem Salomonem in diademate, quo coronavit illum mater sua; in diademate desponsationis illius, & in die lætitiæ cordis eius.* Verè à sponsa filiæ vocantur Sion puellæ, quæ Rege jam coronato domi subsistebant; & eius inaugurationis pompam, nonnisi provocatæ exeunt spectatum; quia cum essent castitatis studiosæ à solitudinis recessu nonnisi suasionibus abstrahi potuêre, & ideo nonnisi rogatæ domo egrediuntur: *Egredimini, & videte.* In filiabus Sion virginitatis cultricibus tantus erat oculorum pudor, ut exiisse non fuisset satis ad tantum spectaculum, nisi jam adstantes Regi de dirigendis in eum obtutibus monerentur: non enim dicit tantùm, *egredimini*, sed ulteriùs addit, *videte*, quia nimirum pudicitia unicus conscientiæ contenta theatro etiam Regias fastidit pompas, & lilii sola delectatur cultura: etenim etiam concha fœcunda margaritarum parens, suo dives spectaculo solam prolem pro theatro computat, dum candore oblectatur unionum, & lucem videtur fastidire splendidè cæca, ac munificè rustica.

Gaudet flos podicitiæ delitescere, ne præcox sub aperto dio irruente rigescat pruinâ, & tunc efflorescit hoc lilium elegantiùs, cum ab hominum frequentiis seiunctum remotiùs delitescit. Non opis externæ indiga est pudicitia, quæ foras divagari adigatur, quò sibi consulat; sibi ipsa sufficit, & quamvis plerúmque exagitata, nil tamen quamdiu delitescit proprii deperdit decoris, imò ejus flos elegantior vernat: etiam mare quamvis ventorum impetu intumescat, & decumanis fluctibus videatur se se non capere, ad litus tamen allisum, undas resorbet suas, & litoralibus duntaxat per osculum salutatis arenis miro refluxu in proprium recurrit sinum: cùm è converso exundent latiùs in agros, & debacchentur in campos è suis egressa alveis flumina, & torrentes; quia nimirum æquor unionum, gemmarum, ac coraliorum parens, non indiget ope aliena, quâ ditescat, nec quidquam propterea cupit ex agris rapere. Ita castitas sibi decus est, & ornamentum, nec indiget foras spatiari, ut quo splendeat, enancilcatur, cùm sit ipsa sui cultoris diadema: *Videte filiæ Sion Regem Salomonem in diademate, quo coronavit illum mater sua in die desponsationis illius, & in die lætitiæ cordis eius:* vocat sponsa suum sponsum Regem, quia cultor castitatis, quæ mater est cæterarum virtutum, fulgebat diademate redimitus. Videte Regem Salomonem in diademate, quo coronavit illum mater sua, seu exculta castitas in die desponsationis illius, quando per charitatem, amorémque impensiorem eidem adhæsit virtuti; tunc enim coronam induxit, cùm sapientiam sponsam duxit: neque carere potest diademate pudore infulatus, castitate chlamydatus: felicius enim regnat sponsus in candore lilii, quàm in purpura rosæ, nisi simul, & purpurâ ornetur charitatis, & candore vestiatur castitatis: neque virginitatis candor cubare erubescit in purpura verecundiæ. Coronatur igitur, & lilium castitatis, & rosa pudoris, quamdiu hic castitati adhæret: nec mirum si coronetur pudor; quia cùm hic non possit purpurâ carere, nec debet corona destitui: etiam natura, quia purpuratum esse voluit 14.

 mali

ditates sugillat; & quasi purgatior in ipsa nuculus cæcutientes arguit; festucas reprehendit in aliis, cùm trabem non videat in suo. Una sponsa quia castitatis cultrix oculos præsefert columbarum, seu simplices, & minimè censorios, quia ab una castitate; & cordis simplicitas, & recta mentis intentio, ac reliquæ prodeunt virtutes; ideòque sponso gratissima, quia nullam passa sit in se maculam videri, neque ullam noverit ipsa in aliis videre; ideòque non semel, sed geminato præconio pulchra effertur, eò quia gemina fulgeat pulchritudine, unâ, quâ omnem à se maculam abigit; & aliâ, quâ in cæteris nullum respicit nævum, quem redarguat. Bis pulchra dicitur, quia castitatis cultrix nulla sordescit in se labe, nec ullum in aliis quem redarguat nævum adnotat; charitatis siquidem oculus innocentiam fingit in alieno vultu, & castitatis lilium candorem, quem præfefert intemeratum, in aliis nitentem asserit.

9. Bis igitur formosa sponsa castitatis cultrix effertur, eâ scilicet quam in se habet, & eâ, quam fingit in aliis, pulchritudine; quia lilium castitatis eum emittit odorem, quo adstantia quæque oleant: est enim castitas, quæ cæteris virtutibus decorem impertitur, quæque propterea à Cypriano asseritur regina omnium virtutum moderatrix: quod si officio fungitur Reginæ, æquitas id exigit, ut eodem ornatu etiam fulgeat, quò tantæ dignitatis fastigio digna esse videtur; ut respondeant dignitati ornamenta virtutum, quia ut ait D. Hieronymus *Virgo decore virtutum in Ecclesia supra viduas, & nuptas ornari debet.* Sunt enim Virgines, quæ in militante Ecclesia similitudinem assequuntur spirituum, qui flurent in triumphante, & propterea iisdem debent, & virgines pollere in terris virtutibus, quibus fulgent Angeli in cœlis, ubi divinis duntaxat sunt addicti obsequiis, ac laudibus, Numinis ministerio mancipati, ut ait Apostolus ad Hebræos, ubi loquens de Angelis

1 v.14. in cœlesti patria ait: *Omnes sunt administratorij spiritus*, seu Dei voluntati affixi, ac in ejus exequendis mandatis parati, ut nulla in re valeant moram pati, cùm facientes verbum illius commissi sibi ministerii partes fideliter exequantur. Perinde cultor castitatis, ac Numinis addictus obsequiis ea promptè exequitur, quæ divinæ esse voluntatis noverit: una enim castitas est, è qua promanant cæteræ, quæ in Ascetis vigent virtutes.

10. Vir enim asceta, qui per culturam castitatis suo Numini corpus dicavit, omnia quæ divinæ sunt voluntatis, diligenter investigat, & per celerem obedientiam ea studet adimplere, quæ novit divinæ esse voluntati consona: non enim ullum Deo gratius donum, nec ullum sublimius sacrificium offerre quispiam potest, quàm se ipsum divinæ voluntati in omnibus subjicere: neque quid aliud Majestas divina ab homine exigit, nisi ut se exhibeat hostiam viventem, sanctam, acceptabilem, quam si quis ritè obtulerit, religiosè litavit. An non castitatis cultores cœlestibus accensentur spiritibus divinam exequentibus voluntatem? & de quibus ait David: *Ministri ejus, qui facitis voluntatem ejus:* una Psalm.102. enim exculta castitas alas obedientiæ suppeditat, quibus expeditiùs Numinis exequatur voluntatem; suntque cultores castitatis Angeli terrestres, qui sacrificium animæ per jugem cum DEI voluntate conformitatem, & corporis offerunt; ut nihil jam quod caro blanditur; sed quod spiritus sanctus dictaverit, exequantur: nulla in ipsis remanent desideria carnalia, cùm quibus mens pugnas ineat, & conflictus sentiat, quia nil est in corpore, quod spiritui obsistat: si enim desideria, quæ carnis sunt, abigantur, omnis concupiscentia in charitatem transit, quæ suam à castitate etiam haurit venustatem, ut castitas suum à charitate pretium; est enim castitas, adeo charitati adnexa, ut ab ipsa pretium habeat, ac meritum; hinc virgines, quæ in vasis suis oleum habere neglexerunt, à sponso abjectæ fuerunt dimissæ: *Nescio vos*, eò quia Matth.25. earum anima cœlestibus charitatis non ureretur ardoribus.

11. Plures sunt, qui satagunt vasa quidem parare, sed quia negligunt oleum sibi comparare, suas non accendunt lucernas, nec splendent ipsi exercitio virtutum, ac bonorum operum nitore. Sunt etiam, qui tametsi modicum quid olei acquisiverint, dormitantibus mox lucernis, facibùsque ob consumptum penè nutrimentum, & jamiam expirantibus; dormiunt & ipsi, nec tenebras horrent, in quas se injiciunt. Sunt & Viri ascetæ, qui tametsi terrenis omnibus voluptatibus renunciaverint, & corpora sua vasa præparaverint DEO dicata, quia tamen iisdem oleum deficit charitatis, ac bonorum operum splendor, à fatuis haud abludunt virginibus, & à cœlestis propterea sponsi excluduntur amplexibus, quia ut scitè D. Bernardus: *Castitas sine charitate lampas est sine oleo; subtrahe oleum,* Epist.42. *lampas non lucet; tolle charitatem, castitas non placet.* Neque dissentit Augustinus *Tom.6. lib. de Virg. cap. 54.* Ubi ad studia virtutum Virgines exhortans, ait: *Si nuptias contempsistis filiorum hominum toto corde amate speciosum formâ præ filijs hominum. Vacat enim vobis, liberum est cor à conjugalibus vinculis, inspicite pulchritudinem amatoris vestri, cogitate aqualem Patri, subditum & matri: etiam in cælis dominantem, & in terris servientem: creantem omnia creatum inter omnia. Illud ipsum, quod in eo derident superbi, inspicite quàm pulchrum sit internis luminibus, inspicite vulnera pendentis, cicatri-* ces

ces resurgentis, sanguinem morientis, pretium credentis, commercium redimentis: asserit D. Augustinus, charitatem, & amorem elegantiora esse castitatis ornamenta, sine enim charitate deflorescit castitas, & sine castitate ardor frigescit charitatis, & splendor extinguitur amoris; quod enim est corpori spiritus, id castitati est charitas, quâ si destituatur, languet, & emoritur castitas, quæ & ipsa fulcrum est charitatis, ac reliquarum fundamentum virtutum; quapropter inter omnes, quas sancti Patres laudibus extulerunt virtutes, nulla recensetur, quæ ampliorem commendationis segetem exhibuerit, quàm ipsa castitas, de qua, cùm sermonem instituerent, certatim in ejus laudes effusi, nullos visi sunt eloquentiæ suæ terminos posuisse, hinc Athanasius in fine ait: *Virginitas opulentia est indeficiens, corona immarcescibilis, templum Dei, domicilium Spiritûs Sancti, margarita pretiosa, mortis, & inferni profligatrix.* Triumphat D. Augustinus in texendo elogio castitatis, quam vocat Ecclesiastici germinis florem; decus, & ornamentum, gratiam spiritualem, & illustriorem dominici gregis portionem. Epinicion canit Tertullianus eam deprædicans, florem morum suavissimum, humani corporis præcipuum decus, sanctitatis fundamentum, & omnium virtutum basim.

Lib. de virgin.

12. Præ cæteris verò castitatis culturam sublimioribus excipit encomiis D. Bernardus, qui hanc virtutem ita à Deo in homines asserit procedere, ut ne communis fieret, eam præcipere noluerit, sed tantùm consulere, ait enim mellifluus Doctor de modo benè vivendi. *Virginitas non est jussa, sed admonita, quia nimis excelsa:* suffragante Apostolo dicente, præceptum de virginitate non habere, sed consilium; quia sicut non omnes sunt in sublimi dignitate constituti, nec omnes regio condecorantur diademate; ita neque omnes culturâ florent castitatis, quæ diadema pangit suis cultoribus, quos, & coronat.

Cap. 22.

## §. II.

### *Gaudet flos pudicitiæ delitescere, ne præcox sub aperto dio gelidâ rigescat pruinâ.*

13. Sponsa filias accivit Sion, quæ secum domo egrederentur, ac sponsum viderent diademate redimitum, *Egredimini, & videte filiæ Sion Regem Salomonem in diademate, quo coronavit illum mater sua; in diademate desponsationis illius, & in die lætitiæ cordis eius.* Verè à sponsa filiæ vocantur Sion puellæ, quæ Rege jam coronato domi subsistebant; & eius inaugurationis pompam, nonnisi provocatæ exeunt spectatum; quia cum essent castitatis studiosæ à solitudinis recessu nonnisi suasionibus abstrahi potuêre, & ideo nonnisi rogatæ domo egrediuntur: *Egredimini, & videte.* In filiabus Sion virginitatis cultricibus tantus erat oculorum pudor, ut exiisse non fuisset satis ad tantum spectaculum, nisi jam adstantes Regi de dirigendis in eum obtutibus monerentur: non enim dicit tantùm, *egredimini*, sed ulteriùs addit, *videte*, quia nimirum pudicitia unicus conscientiæ contenta theatro etiam Regias fastidit pompas, & lilii sola delectatur cultura: etenim etiam concha fœcunda margaritarum parens, suo dives spectaculo solam prolem pro theatro computat, dum candore oblectatur unionum, & lucem videtur fastidire splendidè cæca, at munificè rustica.

Cant. cap. 3.

14. Gaudet flos pudicitiæ delitescere, ne præcox sub aperto dio irruente rigescat pruinâ, & tunc efflorescit hoc lilium elegantiùs, cum ab hominum frequentiis seiunctum remotiùs delitescit. Non opis externæ indiga est pudicitia, quæ foras divagari adigatur, quò sibi consulat: sibi ipsa sufficit, & quamvis plerúmque exagitata, nil tamen quamdiu delitescit proprii deperdit decoris, imò ejus flos elegantiùs vernat: etiam mare quamvis ventorum impetu intumescat, & decumanis fluctibus videatur se se non capere, ad litus tamen allisum, undas resorbet suas, & litoralibus duntaxat per osculum salutatis arenis miro refluxu in proprium recurrit sinum: cùm è converso exundent latiùs in agros, & debacchentur in campos è suis egressa alveis flumina, & torrentes: quia nimirum æquor unionum, gemmarum, ac coraliorum parens, non indiget ope aliena, quâ ditescat, nec quidquam propterea cupit ex agris rapere. Ita castitas sibi decus est, & ornamentum, nec indiget foras spatiari, ut quo splendeat, enanciscatur, cùm sit ipsa sui cultoris diadema: *Videte filiæ Sion Regem Salomonem in diademate, quo coronavit illum mater sua in die desponsationis illius, & in die lætitiæ cordis eius:* vocat sponsa suum sponsum Regem, quia cultor castitatis, quæ mater est cæterarum virtutum, fulgebat diademate redimitus. Videte Regem Salomonem in diademate, quo coronavit illum mater sua, seu exculta castitas in die desponsationis illius, quando per charitatem, amorémque impensiorem eidem adhæsit virtuti; tunc enim coronam induxit, cùm sapientiam sponsam duxit: neque carere potest diademate pudore infulatus, castitate chlamydatus: feliciùs enim regnat sponsus in candore lilii, quàm in purpura rosæ, nisi simul, & purpurâ ornetur charitatis, & candore vestiatur castitatis: neque virginitatis candor cubare erubescit in purpura verecundiæ. Coronatur igitur & lilium castitatis, & rosa pudoris, quamdiu hic castitati adhæret: nec mirum si coronetur pudor; quia cùm hic non possit purpurâ carere, nec debet corona destitui: etiam natura, quia purpuratum esse voluit mali

*ces resurgentis, sanguinem morientis, pretium credentis, commercium redimentis:* asserit D. Augustinus, charitatem, & amorem elegantiora esse castitatis ornamenta, sine enim charitate deflorescit castitas, & sine castitate ardor frigescit charitatis, & splendor extinguitur amoris; quod enim est corpori spiritus, id castitati est charitas, quâ si destituatur, languet, & emoritur castitas, quæ & ipsa fulcrum est charitatis, ac reliquarum fundamentum virtutum; quapropter inter omnes, quas sancti Patres laudibus extulerunt virtutes, nulla recensetur, quæ ampliorem commendationis segetem exhibuerit, quàm ipsa castitas, de qua, cùm sermonem instituerent, certatim in ejus laudes effusi, nullos visi sunt eloquentiæ suæ terminos posuisse, hinc Athanasius in fine
Lib. de virgin. ait: *Virginitas opulentia est indeficiens, corona immarcescibilis, templum Dei, domicilium Spiritus Sancti, margarita pretiosa, mortis, & inferni profligatrix.* Triumphat D. Augustinus in texendo elogio castitatis, quam vocat Ecclesiastici germinis florem; decus, & ornamentum, gratiam spiritualem, & illustriorem dominici gregis portionem. Epinicion canit Tertullianus eam deprædicans, florem morum suavissimum, humani corporis præcipuum decus, sanctitatis fundamentum, & omnium virtutum basim.

12. Præ cæteris verò castitatis culturam sublimioribus excipit encomiis D. Bernardus, qui hanc virtutem ita à Deo in homines asserit procedere, ut ne communis fieret, eam præcipere noluerit, sed tantùm consulere, ait enim mellifluus Doctor de modo benè vivendi. *Virginitas non est jussa, sed admonita, quia nimis excelsa:* suffragante
Cap. 22. Apostolo dicente, præceptum de virginitate non habere, sed consilium; quia sicut non omnes sunt in sublimi dignitate constituti, nec omnes regio condecorantur diademate; ita neque omnes culturâ florent castitatis, quæ diadema pangit suis cultoribus, quos, & coronat.

## §. II.

### *Gaudet flos pudicitiæ delitescere, ne præcox sub aperto dio gelidâ rigescat pruinâ.*

13. Sponsa filias accivit Sion, quæ secum domo egrederentur, ac sponsum viderent
Cant. cap. 3. diademate redimitum, *Egredimini, & videte filiæ Sion Regem Salomonem in diademate, quo coronavit illum mater sua; in diademate desponsationis illius, & in die lætitiæ cordis eius.* Verè à sponsa filiæ vocantur Sion puellæ, quæ Rege jam coronato domi subsisterant; & eius inaugurationis pompam, nonnisi provocatæ exeunt spectatum; quia cùm essent castitatis studiosæ à solitudinis recessu nonnisi suasionibus abstrahi potuère, & ideo nonnisi rogatæ domo egrediuntur: *Egredimini, & videte.* In filiabus Sion virginitatis cultricibus tantus erat oculorum pudor, ut exiisse non fuisset satis ad tantum spectaculum, nisi jam adstantes Regi de dirigendis in eum obtutibus monerentur: non enim dicit tantùm, *egredimini*, sed ulteriùs addit, *videte*, quia nimirum pudicitia unicus conscientiæ contenta theatro etiam Regias fastidit pompas, & lilii sola delectatur cultura: etenim etiam concha fœcunda margaritarum parens, suo dives spectaculo solam prolem pro theatro computat, dum candore oblectatur unionum, & lucem videtur fastidire splendidè cæca, ac munificè rustica.

Gaudet flos pudicitiæ delitescere, ne præcox sub aperto dio irruente rigescat pruinâ, & tunc efflorescit hoc lilium elegantiùs, cum ab hominum frequentiis seiunctum remotiùs delitescit. Non opis externæ indiga est pudicitia, quæ foras divagari adigatur, quò sibi consulat: sibi ipsa sufficit, & quamvis plerúmque exagitata, nil tamen quamdiu delitescit proprii deperdit decoris, imò ejus flos elegantior vernat: etiam mare quamvis ventorum impetu intumescat, & decumanis fluctibus videatur se se non capere, ad litus tamen allisum, undas resorbet suas, & litoralibus duntaxat per osculum salutatis arenis miro refluxu in proprium recurrit sinum: cùm è converso exundent latiùs in agros, & debacchentur in campos è suis egressa alveis flumina, & torrentes; quia nimirum æquor unionum, gemmarum, ac coraliorum parens, non indiget ope aliena, quâ ditescat, nec quidquam propterea cupit ex agris rapere. Ita castitas sibi decus est, & ornamentum, nec indiget foras spatiari, ut quo splendeat, enancisсatur, cùm sit ipsa sui cultoris diadema: *Videte filiæ Sion Regem Salomonem in diademate, quo coronavit illum mater sua in die desponsationis illius, & in die lætitiæ cordis eius:* vocat sponsa suum sponsum Regem, quia cultor castitatis, quæ mater est cæterarum virtutum, fulgebat diademate redimitus. Videte Regem Salomonem in diademate, quo coronavit illum mater sua, seu exculta castitas in die desponsationis illius, quando per charitatem, amorémque impensiorem eidem adhæsit virtuti; tunc enim coronam induxit, cùm sapientiam sponsam duxit: neque carere potest diademate pudore infulatus, castitate chlamydatus: felicius enim regnat sponsus in candore lilii, quàm in purpura rosæ, nisi simul, & purpurâ ornetur charitatis, & candore vestiatur castitatis: neque virginitatis candor cubare erubescit in purpura verecundiæ. Coronatur igitur, & lilium castitatis, & rosa pudoris, quamdiu hic castitati adhæret: nec mirum si coronetur pudor; quia cùm hic non possit purpurâ carere, nec debet corona destitui: etiam natura, quia purpuratum esse voluit

 mali

mali Punici verticem eundem voluit & coronari; verita ab ostro coronam dissociare, si cui purpuram indulsisset, coronam denegâsset.

15. Imò tale subit pretii incrementum hocce castitatis diadema; ut quos coronat, non solum cæterarum virtutum exornet elegantiis, sed ad Numinis provehat similitudinem. Præ cæteris divinitatis attributis, illud recensetur, quo Deus nulli est corruptioni, aut defectui obnoxius, sitque propterea Deus indefectibilis, incorruptus, ac prorsus immutabilis: etiam virginitatis cultores in id incumbunt studii, quo hoc insigne divinitatis participent attributum, & ad Deum eò proximiùs accedant, quò longius à noxa abscedunt corruptionis, ait enim Sapiens *c. 6. v. 20.* Incorruptio facit esse proximum Deo per intimam, quantum fas est creaturæ, cum ipso unionem, per exercitia reliquarum virtutum; & participationem internæ suavitatis, gustûque æternæ consolationis, idque deducitur ex suavissimis sponsi ad sponsam colloquiis, quæ simillimam innuunt inter utrósque conformitatem, cùm enim sponsus sponsam alloquens dixisset. *Ecce tu pulchra es amica mea:* vicissim respondit ad sponsum sponsa: *Ecce, tu pulcher es dilecte mi.* Pares sunt sponsus, & sponsa in pulchritudine, quia non dispares in castitatis cultura, & quia æquales in ornatu virtutis feliciùs copulantur; contrahentium enim æqualitas, conditio est perquam necessaria, quâ feliciùs contrahatur matrimonium; æqualitas siquidem causa est similitudinis, similitudo amoris, amor concordiæ, & concordia felicitatem invehit conjugii, cùm è converso inæqualitas contemptum pariat, contemptus fastidium, & fastidium dissidia, è quibus malorum omnium erumpit congeries. Hinc Sapientissimus rerum Conditor Deus à primo mundi exordio, cùm Adæ non adesset adjutor similis sibi, uxorem, & sociam ei daturus similem effinxit viro, ne scilicet ei foret inæqualis; ut enim esset ei adjutorium simile, æqualem viro voluit Deus.

*Cant. 1. v. 14.*

16. Quid? quòd per castitatis culturam efficiamur & nos, quantum creaturæ licet, Numini similes?, adeò castitas superis placet, ut Deus ipse virginitatis, ac pudicitiæ cultrices animas sibi deligat sponsas, ut scitè notat mellifluus Doctor, qui loquens de virginibus, ait: *Sola sequuntur solem justitiæ Christum agnum quocunque ierit; unde & sola illi similes sunt, atque simillima:* hinc Moyses loquens de protoparente nostro refert, Deum dixisse. *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram,* ubi homo dicitur à Deo conditus non solùm ad imaginem suæ divinitatis, sed & ad similitudinem; sed quid; quòd cum paulò post Moyses repeteret eadem verba solam reticuit similitudinem, non imaginem? inquiens: *Creavit Deus hominem, ad imaginem Dei creavit illum:* cur cùm bis repetat imaginem, similitudinis non meminerit? non enim censendum est, id Moysi ex oblivione obrepsisse, cùm eius calamus Spiritus Sancti afflatu dirigeretur, cuius memoriam nequit quidquam effugere. Reticuit igitur Moyses secunda vice similitudinem, quam antea expresserat; quia priùs locutus fuerat de homine nondum fœminæ consociato; & ideo quia cum virginitatis oleret lilium, non solùm imaginem, sed & similitudinem prætulit sui Conditoris; secus ideo Moyses secunda vice similitudinem reticuit, quia de protoparente loquebatur per maritale vinculum uxori adhærente, cùm enim Moyses dixisset *ad imaginem Dei, creavit illum,* subdit *masculum, & fœminam creavit eos, benedixitque illis Deus, & ait crescite, & multiplicamini:* nimirum quamdiu Adam florem excoluit virginitatis, & Evæ nondum per maritale vinculum addictus erat, non solùm ad imaginem, sed ad similitudinem Dei Conditoris factus dicitur à Moyse, quia cùm sit Deus, *candor lucis æternæ,* huius similitudinem præsefert virginitas, quæ tota splendescit in luce candoris: ergo virginitas in statu innocentiæ à Deo ordinatur, & virgo Adam de terra virgine producitur, quò hocce virginitatis fundamento, ac basi innixæ cæteræ virtutes firmiùs starent. Ita dixerim, si qua fidelis anima virginitatem ita excolat, ut à quavis sordidæ cogitationis labe se tueatur immunem; eius beneficio similitudinem ipsam induit Numinis, & instar speculi tersissimi eius exprimit candorem.

*Cap. 31.*

*Genes. 11. v. 26.*

*Sapient. 7. v. 26.*

17. Idque eò clariùs visi sunt evicisse tres pueri, quò in fornace splendidioribus illæsi coronabantur flammis; siquidem in voraci illo flammarum æstu, quasi deliciis pertusi, ac in rorulento, eóque spirante aëre festivè gestiebant; quòd si Vulcanus in Æthneo specu olim fulminum; nunc Babylonica in fornace palmarum faber, visus est flammas quidem excitâsse, verùm clariores, ut cuderet triumphos: obmurmurat quidem flamma sursum enitens, sed simul triumpho plaudit; quin non flammæ, sed famæ visæ sunt linguæ non desertæ, sed disertæ, quæ ideò ignescunt, quò acriori ardore adoreas canant; in conum eriguntur flammæ, sed simul fiunt gloriæ monumenta; pueros circumdant, sed ut amplectantur; attingunt, ut osculentur; cingunt, ut coronent; ludit cum pueris flamma, non lædit; & carbones igniti in carbunculos cedunt gemmeos; ut in honorem triumphi etiam transeant instrumenta supplicii: sed Rex sacrilegus ignem admiratus, qui propriæ oblitus naturæ lædere desuevit, quo lætior luderet cum pueris, dixit. *Nonne tres viros misimus in medio ignis compeditos? & ecce, ego video quatuor viros solutos, & ambulantes in medio ignis, & nihil corruptionis in eis est, & species quarti similis filio Dei.* Sed cur æterni

*Daniel. 3. v. 3.*

æterni Patris Filius in fornace ignis ardentis hisce voluit se pueris adjungere, eorúmque morem simul, & amorem inducere, *video quatuor viros:* cùm enim tres duntaxat regio detrectantes parêre mandato flammis illis Nabuchodonosor addixisset, quartum vidit speciem præseferentem Flii Dei: quia nimirum pueri virginitatis cultores nil unquam corruptionis admiserant, cum vitam agerent incorruptam, ac virgineam: quid? lilium castitatis etiam in igne vernare didicit, & olere suaviùs, simúlque filium Dei allicere, ac illicere. Scitè S. Ambrosius expendens illud Canticorum: *qui pascitur inter lilia*, subdit: *eros pueri Hebræi virginitatis dilectione missi sunt inter Babylonicas flammas, in eisque modijs ardente fornace, quasi inter lilia Dominus pascitur, eò quòd semper requiescat in cordibus diligentibus virginitatem.* Habet castitas nives suas, quas flammis obiiciat, ac earum vires infringat; imò flammæ ipsæ veluti vernantes rosæ gaudent liliis copulari citra candoris læsionem. Nec mirum, si lilium castitatis vegetius vernat in flamma; id siquidem proprium hujus floris adversis gaudere, spinis coronari, ærumnis lætari.

## §. III.

*Lilium castitatis nullibi efflorescit venustiùs, nec vernat vegetiùs, quàm spinis circumseptum mortificationum; quàm in monte myrrha, & colle thuris.*

18. SPonsa castitatis cultrix non pratorum vireta, von vallium amœna, sed laboriosos collium ascensus, ac montium abruptos calles appetit, myrrham, non mel collectura. *Vadam ad montem myrrhæ, & ad collem thuris:* quia cultor castitatis nisi mortificationi vacet, frustra lilium in suum vocat ornatum: nisi fundendis precibus assuescat vix roscidos imbres à cœlo impetrat, quibus lilium irroratum efflorescat; per collem siquidem thuris, & montem myrrhæ, ceu per exercitia orationis, & mortificationis lilium excolitur castitatis. *Vadam ad montem myrrhæ, & ad collem thuris*, nisi enim mortificationi vacâsset sponsa, & orationi, intemeratum fortassis non servâsset lilii candorem, nec sponsus ejus captus pulchritudine eam vocâsset totam pulchram: *tota pulchra es amica mea, & macula non est in te*, ideo enim totam pulchram dicit, quia ascendentem per montem myrrhæ, & collem thuris eam repererat; secesserat sponsus quæsiturus sponsam castitatis cultricem, non in hortum fontibus irriguum, non in pratum floribus ridentem, non in vallem viretis arridentem, sed in montem myrrhæ, & collem thuris; & quamvis eam vocâsset de Libano coronam eidem impertiturus. *Veni de Libano sponsa mea, veni de Libano, veni: coronaberis de capite Amana:* Modò sponsa nonnisi in monte myrrhæ, & colle thuris obviat sponso, quia virginitas in libano adumbrata nonnisi myrrha mortificationis, & thure orationis coronatur: quæ enim suppetiis destituitur orationis, ac mortificationis castitas ad lapsum in vallem est pronior, quàm ad alcensum in montem; & captivitati propinquior, quàm triumpho; aptiórque vinculis, quàm coronæ.

Cant. cap. 4.

19. Neque Davidis pudicitia florere potuit in otio pomeridiano, & inter plumas desiit volare, quia desiit & erubescere in purpura, & quæ vernavit in myrrha, florere dedidicit in rosa, & ornamenta exuit, cum paludamentum induit; nitorem amisit, cùm fulgores assumpsit gemmarum; & nusquam ancillata est Davidis castitas, nisi in regno; nusquam aruit nisi propè fontes; nusquam depuduit nisi in ostro; & nusquam rea in scelus proruit, nisi cum in throno sedit aliorum scelerum arbitra. Tunc fœdè cecidit, cùm nullus insurrexit adversarius; tunc prostrata jacuit, cùm luctatorem non habuit; tunc non ampliùs claruit, cum adversario caruit: quàm scitè igitur sponsa castitatis cultrix è libani præcelso fastigio ad montem evocatur myrrhæ, & ad collem thuris coronam acceptura excultæ debitam virginitati: *Veni de Libano sponsa.* Nimirum, quæ ad montem myrrhæ, & collem thuris patent itinera castitatis cultoribus ad ad cœlestia viam pandunt, sternúntque; & castitas, quæ in terris excolitur Numinis ipsius imaginem suis imprimit cultoribus, quâ vel in via beatitate donentur cœlestis patriæ; non enim castitas probro laborat sterilitatis, sed fœcunda parens cæterarum virtutum, quos ornat, Deo parturit; quapropter exclamat Salomon. *O quàm pulchra est casta generatio cum claritate!* pulchra quidem generatio, quia casta; pulchra, quia nitores promovet cæterarum virtutum; éstque propterea generatio cum claritate, & similis quasi est huiusmodi generatio æterni Verbi generationi; habet enim Filius Patrem in cœlestibus Virginem, dum ab æterno in splendoribus Sanctorum genitus, factus est splendor gloriæ, & figura substantiæ eius: imò & matrem pariter Virginem habuit in terris, ut perfectæ virginitatis se se normam exhiberet, ac prototipon: ideóque quos castitas, & virginitas Deo parturit, hos ad Dei efformat imaginem, ut acutè notat D. Augustinus, inquiens: *Hanc imaginem virginitatis portat integritas, imò Dei imago respondens sanctimoniam Domini.* Est virginitas, quæ suos Cultores in Numinis perficit imaginem; quia castitatis cultor efflorescit in candorem lucis æternæ; imò ea est vis huius virtutis, quæ Dei parentes faciat, matrem instituat ipsius Numinis. Quæsierat ab Archangelo Gabriele virginitatis cultrix in domo Nazaræa Maria. *Quomodo*

Sapient. 4. v. 1.

Lib. 4. de doctrina Christi cap. 14.

Luc. 1. v. 34.

*modo fiet istud?* nimirum ut possit Virgo citra detrimentum virginitatis concipere, & parere? sed hæc prodigia naturæ limites, imò nubes, aëra, Angelos, & sydera transgredientia sola exculta virginitas depromit; nisi fuisset Maria virginitate condecorata minimè à cœlesti Nuntio fuisset salutata Mater Dei, ad quam dignitatem sola virginitas eam assumpsit, ut scitè notat Chrysostomus, expendens verba illa Virginis Mariæ salutatæ

Luc. 1. ab Archangelo. *Quomodo fiet istud?* alloquens enim virginem interrogantem cœlestem Nuntium ait: *si virum cognovisses, non fuisses habita digna, ut huic Mysterio deservires*, adeò virginitatis lilium suaviter olet; ut eius odore, vel maximè Deus ipse delectetur, cùm ejus filius nonnisi ubi virginitas efflorescit, voluit humanitatem nostram induere, neque vult pasci nisi inter lilia excultæ virginitatis: qua de causa Virgini matri sponsam etiam providit Josephum mundissimum in virginitate; cùm enim hac polleret, & & ipse prærogativa sponsum destinavit Virginis, cuius similitudinem, & convenientiam præ cæteris exprimeret; ut enixus è Virgine pasceretur, & cresceret inter lilia, Mariam scilicet, & Josephum.

20. Non igitur probro sterilitatis est virginitas redarguenda, cum & ipsa suos pariat fructus eò cæteris præstantiores, quò excellentior est ipsa virginitas virtus. Etiam Noë, quia castitatem diu excoluit, fructus hos attulit toti humano generi proficuos.

Genes 6. cap. 6. *Noë verò cum quingentorum esset annorum, genuit Sem, Cham, & Japhet:* tardius pater Noë fuit, sed opportuniùs; diu pudicitiam excoluit, quò fructus colligeret præstantiores; nonnisi senex conjugio servivit, ut diuriùs decore præfulgeret pudicitiæ, cui longiorem, ac filiorum consecravit ætatem; sed si diu sub signis militavit castitatis, hæc emeritum jam suum militem largiùs est muneratа. Etenim omnium Pater factus est Noë, eò quia cum quingentorum jam esset annorum operam generandæ proli duntaxat dederit. An non secundus hic Adam? sed innocens, diu castus, serò parens, sed viventium omnium post cataclysmum fit pater; nimirum ipsa virginitas, quam per quingentos annos excoluerat omnium patrem Noëmum effecit, & adeò fuit virginitas in Noëmo fœcunda, ut usque in hanc diem feliciter sobolescat.

21. Genuit Noëmus tres filios, Sem, Cham, & Japhet, tot scilicet filios, quot Adam procreaverat, inverso tamen ordine, quia Adam genuit Cain, Abel, & Seth; Noëmus verò Sem, Chan, & Japhet: qui enim mediam occupat sedem inter filios Adæ, omnium fuit præstantissimus; cum inter filios Noë, qui medium locum possidet, pessimus omnium fuerit, quis enim justior Abele? & quis scelestior Chamo? An ut discerent parentes non primogenituræ conditionem præferre, sed virtutis studium cæteris præponere? etiam David, tametsi fratrum suorum minimus præ cæteris imperavit, quia præ aliis virtute enituit. Etiam Judas quartus in ordine, primus in imperio fuit; & in cœlo Lucifer licèt primogenitus, diu tamen primus esse non valuit. Jacob nativitate minor Esau; sed quia virtute major jura fuit primogenituræ enactus. Joseph itidem ætate reliquis fratribus minor, sed dignitate fuit major, quia culturâ castitatis eminuit. Etiam inter fœminas pulchrior fuit Rachael, quamvis post Liam genita: etiam in plantis flos fructum præcedit, quamvis fructus sit flore utilior, & præstantior: & margaritum scabris concrescit in conchis, ubi tamen à candore suum haorit pretium, ut eò fit nobilius, quò candidius, quia solus virginitatis candor est, qui præ cæteris coloribus habetur in pretio.

Idque causæ, eur sponsa pulchritudinem descriptura sui sponsi candorem præfert 22.
lilii purpuræ rosarum. *Dilectus meus candidus, & rubicundus electus ex millibus*, sed Cant. 5.
cur sponsa sui laudes sponsi à colore candidò auspicatur? cur candorem lilii rubori præfert rosæ? quia nimirum candor in continentibus nitet in lilio; cùm rubor nonnisi in Martyribus floreat in rosa, ut inde discamus, duriorem esse pugnam cum voluptatum illecebris, quàm cùm militum armis; in illa prosternuntur pravi affectus, in hac interimuntur hominum turmæ; & quia difficilior est contra pravos affectus pugna, quàm contra homines ipsos; & faciliùs assultui resistitur tyrannorum, quàm pravorum affectuum motibus; ideò sponsa castitatis candorem rubedini præfert sanguinis. Etiam David licèt animo infracto exilia toleraverit à Saule, contumelias à Semejo, proditiones à filio, dedecora à filiabus, plagas à Deo, adhuc qui in campo leones discerpsit, in sylvis ursos interemit, & in valle Gigantem prostravit, non tamen obstitit voluptatum illecebris, quibus cessit, cùm post somnum meridianum ad solarium accessit. Verùm licèt sponsa candorem lilii præferat rosarum purpuræ, utrumque tamen commendat in sponso colorem: *Dilectus meus candidus, & rubicundus*, quia candor continentiæ ruborem trahit verecundiæ; & ideò rarò candet animus in lilio continentiæ, nisi simul rubeat in rosa verecundiæ. Delectatur cœlestis sponsus rubore verecundiæ, sed huic candorem præfert continentiæ; liliorum culturam, rosarum præfert venustati, ideòque nonnisi inter lilia pascitur, & cum liliis amat conversari; quâ de causa Joannes Apostolus Virgo est electus à Christo, & præ cæteris Discipulis magis dilectus; quia virginitatem excoluit, & ideo supra pectus Domini in cœna recubuit, ideo fluenta Evangelii ex sacro dominici pectoris fonte potavit; quia quem Christi fides virginem repererat, decus coronavit virginitatis, & moriturus in cruce Christus matrem virginem virgini com-

commendavit. Virginitatis prærogativam adeò Christus dilexit, in utroque sexu, ut quâ ipse excelluit, cùm viveret, voluerit, & moriens in suis, quos impensiùs dilexerat, commendare.

23. Adeò fuit Christus virginitatis studiosus, cùm viveret, ut Judæi licèt falso variis ipsum incusâssent criminibus, nunquam tamen in eum ausi sunt quidquam, quod virginitatem non oleret imputare: calumniati eum fuerant, quia clandestinum foveret cum Cacodœmone commercium. *In Beelzebub Principe Dæmoniorum ejicit dæmonia.* Apud Principes Synagogæ, & Magistratus, cùm ejus in necem conjurâssent de crimine læsæ Majestatis eum fuère calumniati, *Hunc invenimus subvertentem gentem nostram, prohibentem tributa dare Cæsari, & dicentem se Christum Regem esse.* Aliàs ut comessationibus addictum, & immodici vini haustui indulgentem redarguerunt. *Ecce homo vorax, & potator vini.* Tandem cùm armata turba eum vinctum ad Caipham duceret, falsum itidem testimonium contra ipsum tetulit, eò quia templum Salomonis moliretur destruere. *Hic dixit, possum destruere templum Dei, & post triduum reædificare illud.* Cùm igitur pluries in Christum calumnias edixerit protervia Judæorum, nunquam tamen quidquam potuit somniare, quod ejus posset virginitatis candorem denigrare; tantam Christus in actionibus, ac verbis virginalis pudicitiæ redolebat integritatem, ut se prorsus irreprehensibilem exhibuerit. Agnus enim vixit sine macula, pasci voluit inter lilia virginitatis, & quocunque ivit virgines voluit sequentes in albis ambulantes.

Luc. 11. 15. Luc. 23. 2. Matth. 11. v. 19. Matth. 26. v. 61.

24. Est igitur castitas flos cæterarum virtutum, à quo istæ suum hauriunt decorem: imò castitatis lilio cæterarum virtutum flores amico iunguntur fœdere, & ubi castitas excolitur, cæteræ ibi florescunt virtutes; suque propterea castitas non una duntaxat, virtus, sed instar omnium, vel sit una multiplex, vel omnis in una; est siquidem castitati pervis omnis religiosa virtus, in quo sensu ait S. Ambrosius. *Sanctis una competit virtus*, scilicet castitas, cuius cultura reliquæ omnes florent virtutes: est siquidem castitas cæterarum virtutum matrix, & auctrix. D. Ambrosio non dissentiens Tertullianus librum, quem de pudicitia scripsit, orsus est ab ipsa pudicitiæ definitione, quam describit, florem morum, ac decus vitæ; ait ipse: *Pudicitia flos morum*, quòd si est flos morum, utique & decus virtutum, ac vitæ, sitque propterea cæteris illustrior, cùm ipsis venustate præsit; est enim flos virtutum, quia venustior est virtus: sicut in hortis, quod venustius est, id in flore eminet; ita quidquid decoris inest virtutibus, id in una præfulget castitate: quæ flos est morum, ac cæterarum virtutum decus: sicut nil lilio in hortis floret pulchrius, oletque flagrantius, ita inter virtutes nil pudicitiâ elegantius: estque propterea flos morum, quia nil pulchrius, nilque fragrantius flore, qui redeunte vere erumpens è capillato corymbo, suámque explicans foliorum pompam moschos spargit, & balsama fundit, ut suaviùs alliciat, ac promptiùs arrideat; & hic est ille odor, de quo dixerat Apostolus: *Christi bonus odor sumus*: odor scilicet è flore dimanans castitatis, quæ est flos morum, ac reliquarum virtutum: castitatis lilio qui olent, cæterarum virtutum facilè ornantur floribus.

In Lucam 6.

25. Vel vocat Tertullianus pudicitiam florem morum, quia flos est ornamentum arboris, & ramorum venustas, quâ vernant ad gratiam; simúlque spem alunt futuri fructus, cùm nonnisi in flore fructus adolescat, è flore enim incrementa subiens excrescit in pomum, unde Chrysostomus ait: *Grati flores, sed usquedum perveniatur ad poma. Flores consummantur à pomis.* Sicut igitur est flos arboris præcox fructus, ita in flore pudicitiæ cæterarum rudimenta virtutum comprehensa florescunt. Serm. 62.

26. Imò flos pudicitiæ eò est præstantior flore cujusvis plantæ, quò arborum flores ad fructus arctantur proprij duntaxat generis, neque unius flores plantæ fructibus præludunt alterius: non enim flores Cedri mala punica spondent; nec flores pyri fructus mali Medici promittunt: quia flores pyri nonnisi pyris; ut nec flores pomi nonnisi pomis apparant rudimenta: siquidem unaquæque arbor sui tantùm generis fructus producit, nec ulla est arbor, quæ cæterarum fructibus ditescat: hæc enim prærogativa solius est pudicitiæ, cujus flos fructibus præludit cæterarum virtutum, cum sit, ait Tertullianus, *pudicitia flos morum*, seu reliquarum omnium virtutum, quarum rudimenta in uno adolescunt pudicitiæ flore: sicut enim in arboris flore præcoces dicuntur inesse ejusdem fructus; its in flore castitatis omnes quotquot sunt virtutes, pubescunt, quia non unjus duntaxat virtutis est pudicitia flos, sed omnium virtutum, quas propterea suo fovet in gremio: hinc pulchrè dixit D. Ambrosius. *Sanctis una competit virtus*, quia si sola excolatur castitas, cæteræcum ipsa florent virtutes, quarum est castitas flos fructuum feracissimus, & toti præludens sanctitati: huc etiam allusit D. Augustinus, qui explicans illud Joannis cap. 15. *Et omnem, qui fert fructum, purgabit eum*, ait: *Mundat itaque mundos, id est fructuosos, ut tantò sint fructuosiores, quantò sunt mundiores*: collocat D. Augustinus totum proventum fructuum in flore munditiei, in lilio castitatis, *ut tantò sint fructuosiores, quantò sint mundiores*, quia quò impensiùs culturæ studemus castitatis, eò locupletiorem fructuum cæterarum virtutum mes- In Lucam 6. Tract. 18.

messem legimus: est anima, in qua flos excolitur pudicitiæ, tellus illa pinguis, & ferax, in cujus sinum delapsum semen fructum retulit centuplum. *Et aliud cecidit in terram bonam, & fructum fecit centuplum.* Luc. 8.

27. Est castitas virtutum feracissima, cùm cæterarum omnium virtutum fructus cum fœnore ipsa sola producat, ut meritò proinde dicatur *flos morum*, rudimentum omnium virtutum, & decus totius vitæ. Ab hoc enim castitatis flore reliquæ promanant virtutes, quarum fructus castitas uberrim profert; in ipsa enim exculta pudicitia fidem generis humani deprehendit Septimius; fidei autem nomine solet, & spes in Evangelio significari; & Philo in pudicitia charitatem, & gratiam residere dixit, vocavitque *gratiam virginem*; & ecce in unico castitatis flore tota theologalium virtutum splendens trias. Neque reliquarum virtutum decore destituitur flos castitatis. Origenes siquidem Prophetiæ fœcundam matrem vocat castitatem, & fatetur, Annam illam vetulam ob prolixam castitatis culturam spiritum promeruisse prophetandi. Septimius iterum omnia sanctitatis decora in una observans castitatis virtute eam vocat *felicitatis sanctitatem*, eò quia sanctitas nullibi felicius floret, quàm in lilio castitatis. Apostolus etiam 1. *Corinth.* 7. potiorem orationis energiam à castitate non diffitetur dimanare, eò quia sit hæc virtus adeò Numini grata, ut in ejus preces gaudeat se flectere, & id elargiri, quod ipsa expetit. Neque reticendus est D. Augustinus, qui castitatem vocat perfectionem obedientiæ, quasi virtus obedientiæ nonnisi culturâ perficiatur castitatis; quia ubi castitas, ibi parata sunt semper superiori obsequia.

Homil. 17. Luc. 2. Lib. 1. adverf. Marc. cap. 29. Lib. 11. de Genes. ad litt. cap. 32.

28. Quid quòd etiam Philo pudicitiam *gratiarum* vocet *actionem*? an quia actio gratiarum ad susceptum refertur beneficium; & una pudicitiæ virtus omnia Dei beneficia ad se trahat? nulli igitur dubium, quin solius culturâ castitatis reliquæ omnes efflurescant virtutes, sitque virginitas fœcunda parens virtutum omnium, cùm ipsa dicatur fidei ardor, spei animositas, charitatis æstus, sanctitatis deliciæ, pietatis felicitas, prophetiæ perspicacia, vigor orationis, obsequium obedientiæ, & generositas gratitudinis, ac demum virtutum omnium felix confœderatio. Idque fortassis causæ, cur Tertullianus libro de pudicitia *cap.* 5. castitatem dicat spiritualem, quamvis corporis, carnisque stimulos cohibeat, ac impetus coërceat concupiscentiæ, quia si spiritualis est castitas, utique defœcatior, ac sublimior: non enim quid aliud est spiritualis castitas, nisi purior, ac sincerior virtus; sin autem purior, utique & eminentior, continens reliquas virtutes, quibus dignitate præcellit; hinc charitas nonnisi pudicè Deo copulatur, fides nonnisi castè uni Deo adhæret, spes nonnisi purè beatitatem sperat à casto sponso; adeò ut encomium reliquarum virtutum una sit spiritualis castitas, cujus beneficio sanctè, & pudicè Numini famulantur: quòd si Tertulliano asserente est pudicitia flos morum, hujus floris fructus non alios esse credas, quàm reliquarum virtutum ornamenta, & ipsam beatitatem, quâ castitatis cultor donatur.

Castitas, quæ reliquas omnes promovet virtutes ipsa est, quæ fidem adstruit, quam testimonium destruit luxuriantis: si enim luxuria est dulce illud venenum, quò nobilior hominis pars corrumpitur, ac interimitur; eò quia impudicitia philtro voluptatis sic homines dementet, ut extra mentem dissolvat, & ab hominis dejiciat authoritate; abjiciátque in pecuinam vilitatem, cùm non bene conveniant, nec congruè morentur in una sede hominis authoritas, & pecoris lascivia; ideo quò à cultura castitatis magis abhorret homo, eò fœdiùs à propria dejicitur authoritate, & fidem, quam homo adstruit, luxuria destruit: vir enim lascivus promptiùs obbrutescit, & sicut propriæ obliviscitur naturæ, ita veritatem dedit adstruendam, & addiscit destruendam: carnis enim illecebris, qui indulget, & voluptatum præstigiis capitur, nonnisi fallaciis delectatur, eùm & ipsæ voluptatum deliciæ fucatæ sint, ac fallaces, quibus si larvam detrahas, non gaudia, sed mœrores; non risum, sed luctum exhibent, ut quæ adblandiens videbatur voluptas, torquens deprehendatur dolor: quapropter Petrus Damianus nos hortatur, quatenus non finamus ab hisce nos decipi voluptatum illicijs, quæ seducunt, cùm ad voluptates ducunt, ait ipse: *Fluxa, & seductoria immundi hujus mundi blandimenta despicite.* Vocat immunditiam blandientis voluptatis fluxam, & seductoriam, quia cùm decipiendis hominibus aptum natum sit luxuriæ blandimentum; nonnisi ad decipiendum pronior est, qui à cultura abhorrens castitatis, carnis est blandimentis addictus; & quia nemo sanæ mentis seductori credit; consequens est, ut sicut castitas fidem promovet, & adstruit; impudicitia carnis eandem destruat; adeò ut vel ipsa veritas in ore devenustetur impudico, & quo quis à cultura magis recedit castitatis, proximiùs ad larvam accedat falsitatis. 29. Serm. 5.

❋ (o) ❋
❋

§. IV.

## §. IV.

***Quam castitas fidem adstruit, carnis impudicitia destruit; & malè olet, qui lilio non redolet castitatis.***

30. MUlier Samaritana licèt benè disserta ex diuturno cum Magistro Christo colloquio, ac altiùs instructa de fidei arcanis; adhuc quia malè casta, licèt cum Veritate locuta, non tamen veritatem visa est adstruere, flagrans enim studio manifestandi populo Salvatorem pede solicito ad urbem festinat, & evangelizans concivibus Christum, altiori voce percurrens
Joan.4.v.29. fora, & plateas, ait. *Venite, & videte hominem, qui dixit mihi omnia, quacunque feci: nunquid ipse est Christus?* sed quid? quòd Samaritana non apertè hominem, cum quo fuerat locuta, Christum quavis amputata ambiguitate vocet, ac fateatur? Notant SS. Patres Samaritanam consultissimè non dixisse hominem illum Christum esse, tametsi ad urbem statim cucurrisset, ut sui concives verum ipsum Christum esse crederent; quia cùm esset ipsa malè casta, quamvis benè disserta noluit sibi hanc anthoritatem arrogare, quâ ipsi essent concives fidem præstandi; noverat malè castis, [illegible] benè dissertis, vix ab hominibus cred[illegible] ideo non est ausa hominem illum, à quo fuerat altè instructa de fidei mysterijs Christum adstruere, sed tantùm concives monere, ut venirent, & viderent, an homo ille Christus esset, *Venite, & videte hominem, qui dixit mihi omnia, quacunque feci: nunquid ipse est Christus?*
Homil. 32. in Joan. ubi Chrysostomus expendens verba illa, *nunquid ipse est Christus?* sic fatur. *Animadverte immensam mulieris sapientiam, neque affirmat Christum esse, neque reticet: noluit se hujus opinionis authorem asserere.* Cùm enim se novisset malè castam, noluit se hujus opinionis authorem asserere; quia si prima eum falsa fuisset Christum, evangelium dehonestâsset, cum malè casta illud comprobâsset; quia licèt evangelium sit divino testimonio sanctum, & irrefragabile, ac meracissima veritas, adhuc tamen mulier Samaritana, cùm se malè castam novisset, prudenter timuit, ne si huius veritatis author fuisset, evangelii candor ab antiqua eius devenustaretur impudicitia, neque eam plenam mereretur apud homines fidem ob fœminæ testificantis impudentiam, & quam homines obtinent firmissimam à solis evangelistis eximiis cultoribus castitatis; alioquin potuissent ambigere, an Deus hoc idem dixerit, quod lingua olim impudica falsa fuerat, unde scitè S. Chrysostomus. *Animadverte immensam mulieris sapientiam, neque affirmat Christum esse, neque reticet: noluit se huius opinionis authorem asserere*, quia sicut est castitas, quæ fidem adstruit, ita è converso est luxuria, quæ illam destruit: quòd si malè castæ mulieris assertum evangelio fuisset infestum, non tantam fortassis fidem promeruisset, quæ propterea, *neque affirmat Christum esse, neque reticet*, fidem siquidem non adstruit luxuria, sed destruit.

Hinc prodigi filii frater querulus apud patrem fratrem accusat, eò quia cum meretricibus suam dissipaverit substantiam. *Filius tuus hic, qui devoravit substantiam suam cum meretricibus;* quærunt sacri Interpretes, quænam sit hæc substantia, quam prodigus filius luxuriando consumpsit? & quamvis sensus literalis præstò habeatur, sitque perinde substantiam suam devorare, ac pecunias, & bona sua temporalia prodigere, ac dissipare; sensum tamen allegoricum adfert Origenes, qui ait: *lascivi filij sunt, qui vivendo luxuriosè evangelica doctrina substantiam consumpserunt:* quia carnis indulgentes illecebris æquè mores proprios, ac evangelii substantiam, seu veritatem corrumpunt: est siquidem veritas christianæ fidei anima, & vigor, & ipsius evangelii vita, & sicut Doctor castus optimus est evangelii Interpres, & ab ejus pudicitia quædam derivat in evangelij veritatem honestas; ita è converso fœdè olens Doctoris luxuria non solùm propriam devenustat doctrinam lasciviendi licentiâ, sed & ejus authoritatem, ac fidem solet apud homines immiuere, apud quos fit veluti incredibilis veritas, quam adstruere satagit deprædicantis impudicitia.

Nutat enim fides christianæ debita veritati, nisi basi fulciatur castitatis, nisi cultor aliquis pudicitiæ eam populos edoceat: si enim prædicantis desit castitas, tametsi evangelii adsit veritas, non facilè huic creditur ab audientibus, non quia veritas sit evangelii, sed quia asseratur à prædicante, luxuriæ, ac carnis indulgente illecebris; quinimò evangelium, si ab impuro prodeat ore, sæpè fabula audit, quamvis evangelium sit, quia fidem, quam castitas adstruit, lascivia destruit, & lascivi filii viventes luxuriosè evangelicæ doctrinæ substantiam dissipant, unde Basilius Seleuciensis, loquens de lascivis hisce prædicantibus, ait. *Oportet evangelij difficultatem proponi, & prædicatione evangelium damnatum eenere*, quia tamestsi impudici Doctoris prædicatio evangelium persæpe damnet; oportet tamen evangelicæ veritati firmissimè adhærere, non quia ab impuro prodeat ore prædicantis, sed quia veritas sit Spiritus Sancti dictantis.

Luc. 15. v. 30. (marginal note to *Filius tuus hic*) — 31. (beside *Hinc prodigi*) — 30 in Matth. (beside *Origenes*) — 32. (beside *Nutat enim*) — Orat. 41. (beside *difficultatem*)

33. Quòd si luxuries fidem destruit, hanc castitas adstruit, ut scitè observat Antistes Mediolanensis, cujus nomen ambrosium sapit: expendens enim illud. *Missus est Angelus Gabriel a Deo ad Virginem desponsatam viro:* geminam proponit quæstionem, cur placuerit Numini nostram assumere humanitatem in utero fœminæ maritali vinculo viro copulatæ? & cur de tali fœmina nasci voluerit, quæ virgo esset? ad primam respondet Ambrosius, ideo voluisse Christum Deum, & hominem de fœmina nasci, quæ vinculo maritali esset viro alligata, quia ut ipse loquitur: *locupletior testis pudoris maritus adhibetur, qui posset & delere injuriam, & vindicare opprobrium, si non agnosceret Sacramentum*, est siquidem maritus quisvis exactor uxoriæ castitatis, & sedulus ejusdem explorator; ideóque, ut locupletior esset pudoris testis, maritus adhibetur; qui si non agnosceret sacramentum, posset injuriam delere, & opprobrium vindicare; sed quia mysterium agnovit sacramenti, testis fit locupletior intemerati pudoris, cui propterea sit fides eò firmiùs adhibenda, quò intimiùs sacramentum agnovit, & Deum hominem de virgine natum cognovit; cùm sit omnis maritus sedulus uxoriæ castitatis exactor. Sed cur de virgine nasci maluit Deus homo? ait Ambrosius. *Quid? quod etiam fides Mariæ verbis major adsciscitur, & mendacij causâ removetur?* ceuset Ambrosius, mysterium incarnationis difficile videri creditu, & propterea mater locuples testis assumitur conceptionis æquè, & Nativitatis filij, verbis enim Mariæ matris, & Virginis simul fides adhibetur de arcano incarnationis mysterio, & mendacii causa removetur, seu pudicitiæ jactura: catenus voluit Deus homo in utero concipi Virginis, & è Virgine Matre nasci, ut manente virginitatis integritate, omnis removeretur mendacij causa; & cum esset mysterium incarnationis Verbi arduum creditu, verbis Virginis Matris uberior adhiberetur fides, quæ in obsequium Virginis adstruentis, & parientis intellectum captivaret; quia sicut jactura pudicitiæ fidem destruit; hanc intemerata virginitas firmiùs adstruit; nec ullus inter homines potuit testis accersiri, qui esset omni exceptione major, & cui propterea esset fides adhibenda absque ulla falsitatis suspicione; & mysterium incarnationis, quod erat intellectu difficile, fieret creditu facile ex testimonio virginis matris fidem adstruentis, & filium parientis; nimirum virginis matris Augustissima authoritas ad fidem adstruendam de mysterio incarnationis indubia est, quia eximia ejus puritas, & intemerata prorsus virginitas fidem adstruit, quæ fortassis nutasset, si à jactura dehonestaretur pudicitiæ; quia castitas attestantis fidem adstruit, quam testimonium destruit luxuriantis. Ea siquidem est castitatis prærogativa, quæ castis, ac pudicitiæ cultoribus firmam, ac inmutabilem conciliat authoritatem, ut quò quis est studio castitatis arctius addictus, eò sit fide dignior, ac firmiorem adstruat fidem; quapropter pulchrè D. Ambrosius *castitatem vocat fomentum fidei*, quia ita fidem fovet, & favet suis cultoribus, ut cum fide, etiam ipsos coronet castitas; quippe ita credibilitatem fovet, & castis favet, ut fidem coronet, simùlque suos cultores exornet.

*Luc. 1. v. 27.*

Hæcque ratio, cur castitatis studiosos firmiùs credatur: quia castitas fidem promovet, quam coronat. Idque causæ fuisse censent plerique ex Patribus, cur cum duo jam supra triginta effluxerint anni ab ascensu Christi in cœlum suum Joannes evangelium scripserit, cùm ab aliis tribus Evangelistis, Luca, Marco, & Matthæo fuerit jam promulgatum: an non ab hisce tribus jam fuerat sufficienter scriptum? cum in ore duorum, vel trium testium firmiter dicatur omne verbum stare. Quòd si Evangelistæ ea duntaxat scripserunt, quæ divinus dictavit spiritus, qui nec falli potest, nec nos fallere, unius duntaxat Evangelistæ suffecisset testimonium, ad [illegible]em adstruendam; & ut homines in [illegible]equium evangelicæ veritatis se flecterent, ac firmiter crederent. Cur igitur Joannes post tantum temporis fluxum evangelium à tribus jam Evangelistis scriptum, & promulgatum, voluit & ipse scribere? quæ fiducia animum Joanni suppeditavit, ut quæ ul[illegible] humanos oculos viderat de æterna, ac inenarrabili Verbi generatione sanctè præsumpserit mundo credenda tradere citra ullam dubitationis umbram? ait Theophilactus Chrysostomi doctrinæ bibulus hac super quæstione in prologo in Matthæum, post Evangelistarum obitum superstiti Joanni fuisse evangelia ab aliis scripta, extradita, an esset, quid ijsdem addendum: verba Theophilacti sunt; *Referunt, quòd post mortem Evangelistarum superstiti Joanni allata fuerint tria evangelia, ut videret ea, atque judicaret, num illa vera scripta fuissent. Joannes autem, & ipse ampliorem veritati gratiam sortitus adimplevit quæcunque:* hoc idem etiam repetit in prologo in ipsum Joannis evangelium, ubi etiam subindicat causam, cur allata fuerint Joanni, Lucæ, Marci, & Matthæi evangelia, quia scilicet *Joannes erat mundo corde, seu virgo, unde & amplius notitiæ Dei donum concreditum est.* Ex eo igitur alia tria fuerunt evangelia Joanni extradita, & à Joanne approbata, quia cùm fuisset eximius castitatis cultor, uberiùs suo suffragio vi-ius est eorum fidem fulcire, qui aliqua dubi- 34.

dubitationis umbrâ fortassis inficiebantur; unde ad omnem amputandam suspicionem, & ad firmiùs fidem adstruendam Joannis castitatis cultoris accersitur suffragium, ne mens Evangelium legentis amplius nutaret, quia castitas attestantis fidem adstruit, non quia Spiritus sanctus veriora Joanni dictaverit, quàm aliis Evangelistis Christi gesta, non enim potest Spiritus sanctus se ipso verior esse, cùm summa sit ipse veritas; sed ad ampliorem duntaxat veritatis gratiam: & ad fidem uberiùs adstruendam ab homine hominibus, accersitur castitatis cultor Joannes, qui homo homines doceat Evangelium, cum inter homines castitatis prærogativa plurimum secum adferat momenti ad fidem adstruendam: quia igitur Joannes studio fuerat semper addictus castitatis, & virgo perseveraverat, uberiorem notitiam, & ampliorem veritatis, ac credibilitatis gratiam dicitur sortitus, quia virginitas, ut loquitur Ambrosius fomentum est fidei, *fundamentum credibilitatis, & corona veritatis.*

35. Non solùm castitas fidem fovet, & spem alit; verùm & ipsam charitatem & gratiam sanctificantem, quâ filii Dei efficimur Joan. 1. v.12. confirmat, ac coronat: ait Joannes: *quotquot autem receperunt eum* (nempe Christum) *dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus: qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque voluntate viri; sed ex Deo nati sunt.* Quid? quod natis ex Deo potestas detur, quâ filii fiant, sintque Dei? an non semel natus ex patre filius est Patris? si qui Christum receperunt filii sunt Dei, quomodo datur iisdem potestas, ut fiant filii Dei? cui datur potestas ad actum, non supponitur in ipso actus, sed ponitur per potestatem, quæ ad id suas exerit vires, ut actum ponat: quibus verò datur potestas, quâ fiant filii Dei, hi Ibid. præsupponuntur filii? *Qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, sed ex Deo nati sunt, dedit eis potestatem filios Dei fieri;* ex Deo natis datur potestas filios Dei fieri: si nati ex Deo jam filii sunt Dei, cur datur iisdem potestas filios Dei fieri? an filio datur potestas, quâ iterum filius fiat? obvia statim fit solutio, si id expendamus, quo filii Dei constituimur, & sumus; est enim gratia sanctificans, seu charitas, quæ nobis ex munifica Dei impertitur largitate; propterea dicimur non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, sed ex Deo nati, quia à solo Deo hæc adoptiva filiatio, seu gratia nobis datur; ita est habentibus hanc filiationem, seu gratiam datur potestas filios Dei fieri; hoc est per culturam castitatis firmiùs stabiliendi, ac confirmandi, imò & coronandi hanc filiationem: semel quòd non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, sed ex Deo nati sunt; pares sunt Angelis ab omni carnali concretione defæcatis; quorum propterea puritatem, in castitatis studio æmulantur; hæc igitur castitas, est illa potestas, quæ datur filijs Dei, ut fiant, seu conserventur, ac perficiantur in Dei filiatione; castitas enim reliquas fovet virtutes, quas ornat, & coronat: hinc scitè exclamat Basilius Seleuciensis: *o quanta continentiæ dignitas! quanta castitatis corona!* Orat. 2. dicitur castitas corona, ac dignitas, quia eum reliquis virtutibus etiam ipsam gratiam, & charitatem dignificat, ac coronat; qui igitur filius Dei est, adhuc piè potest ambire hanc dignitatem, ac coronam filiorum Dei; est siquidem Pudicitia ait Tertullianus: *honor corporum, decor sexuum, integritas sanguinis, fides generis,* est castitas, decus corporis, & integritas omnium virtutum, ac ipsius Dei filiationis: ac propterea datur natis ex Deo potestas, quâ fiant beneficio castitatis, ejùsque culturæ filij Dei integriores, ac perfectiores; quia cultores castitatis non solùm in terris per gratiam sanctificantem fiunt filij Dei nati ex Deo; verùm etiam in cœlesti patria æterna donati beatitate; natis igitur ex Deo in terris datur potestas, quâ per castitatis culturam fiant filij Dei, participes cœlestis beatitatis, ac cohæredes cum Christo in cœlis, quòd si cohæredes, ut ait Apostolus jam fiunt fratres Christi, & cum Christo filij Dei. Lib. de Pud. cap. 1.

## §. VII.

### *Castitatis cultores sunt Pastoris Christi oves, cujus vocem audiunt, cujus vestigia sequuntur, cujus mandatis obsequuntur.*

Tantæ est pudicitia excellentiæ, ut Christus castitatis studiosos suas vocet oves, vocem suam audientes: *Oves meæ vocem meam audiunt:* oves sunt quotquot culturæ sunt castitatis addicti, quia ovis à carne abhorret, herbis vescitur, gramine contenta; & castitatis cultor carnis concupiscentias fastidit, seu omne à se abigit libidinis incitamentum, omnem excutit luxuriæ stimulum, carnisque coercet pruritum, & cum cœlesti sponso non nisi inter lilia pascitur. Ovis agnos non lupos parturit, lac non sanguinem eliquat; & lanam sine dolore, & clamore tonderi finit; & vir castus non nisi puras concipit cogitationes, non nisi casta parturit desideria, & æquo animo adversa quæque suffert. Ovis non est, quæ non agnum casti desiderii concipit, sed aspidem parturit venenatæ libidinis. Ex filiis, seu operibus suis quisque suam metitur sortem: scimus Ismaelem ex Abrahamo natum, sed non hæredem institutum; Esau ab Isaac genitum, sed Dei nutu, matrisque providentiâ Jacobo minori natu posthabitum; Absolonem è Davidis sanguine profectum, sed exulem, sed confossum: oves sunt non Tigrides castitatis cultores, ideóque Dominicum ingrediuntur ovile, datúrque iisdem 36. Joan. 10. v.27.

potestas, quâ fiant filij Dei per gloriam in cœlesti patria, cum per gratiam fuerant in terris ex Deo nati: suis tamen cœlestis Pastor ovibus quosdam impressit characteres, quibus ab ovibus secerneret campi; castitatis enim cultores, oves sunt, sed quæ vocem audiunt Pastoris: *Joan. 10. 3. oves vocem ejus audiunt*, hinc Samuel quia cœlestis Pastoris ovis fuit dixit DEO: *Loquere Domine quia audit servus tuus:* Ovis fuit populus Israel, quia populus electus, & ideo dixit DEUS Israëli *Audi Israel:* quia Petrus, Andreas, Joannes, & reliqui Apostoli oves fuerunt, vocem statim audierunt Pastoris, cui fuerunt obsequuti. Imò tanti est hic character, ut qui eo destituuntur, non oves sint, sed aspides obsurdescentes: *Propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis*, qui verò eo insigniuntur, vel ex lupis agni fiunt: Saulus licèt lupus rapax, quia vocanti Deo aures præstitit, & vocem audivit, non solùm ovis renuntiatur, sed etiam Pastor efficitur.

1. Reg. 3.

Deut. 6.

Joan. 8. v. 47.

37. Alio Christi oves præsigniuntur charactere, quia Pastorem sequuntur præeuntem. Et cum proprias oves emiserit, ante eas vadit; & oves illum sequuntur; non oves pastorem præcedunt, sed sequuntur, illique obsequuntur; quia non Dei voluntatem in sua deflectunt vota; sed propriam voluntatem Divinæ pedissequam constituunt; Imò hoc alio etiam ornantur sigillo; quia eum non sequuntur, nec audiunt, qui Pastor non est: *Alienum autem non sequuntur, sed fugiunt ab eo: quia non noverunt vocem alienorum.* Castitatis cultores ideo oves sunt Christi, quia vocem ejus audiunt, ac ipsum sequuntur, & alienum non noverunt, imò & exhorrent: qui enim ab alienis imbui se sinunt, quamvis à suo non videantur recessisse Pastore, adhuc ex Albo expunguntur ovium. Licèt adhæreat quis Petro, adhuc si alienos non fugiat, & eorundem non ignoret vocem, vel ut veriùs dicam ululatum, ac sibilum serpentinum; hœdis, non ovibus accensetur. Oves præcedere nesciunt; quia Pastorem sequi, ac ei parère didicerunt; & castitatis studiosi subesse malunt, quàm præesse; & ideo ut oves à Deo noscuntur; *Oves meæ vocem meam audiunt: & ego cognosco eas, & sequuntur me;* is verò à Deo cognoscitur, qui candorem non exuit innocentiæ, qui lilium excolit castitatis, qui agnum sequitur sine macula, qui sponso adhæret pascenti inter lilia; qui enim indumenta abjecit pudicitiæ, & aliter se sua manu coloravit, is à Deo non agnoscitur, ut ovis: eum enim dixisset; *cognosco eas* addit statim absque ulla interpunctione *& sequuntur me;* quia is à Deo agnoscitur ut ovis, qui ejus consilium non invertit, qui formam Dei in se non evertit; si me Deus vas luteum effinxit, si fieri ambigam vas aureum, nitor formam Dei in me evertere, nec suam me Deus ovem agnoscit; si basim me statuit in suo templo, & in columnæ ver-

Joan. 10. v. 4.

Ibid.

ticem prominere satago; à forma recedo Dei, nec ejus ampliùs ovis agnoscor. Statua quam Nabucodonosor erexerat; ideo statim corruit, quia cum Deus eam quodammodo luteam fecisset in pede, suam pertæsa vilitatem, auri, argentique fulgore voluit splendescere; fortassis si lutea fuisset tota, nec toto ruente monte vacillâsset; sed quia paulatim ad metalla assurrexit; ideo vel exiguo percussa lapillo tota dissiluit; non igitur excidium statuæ luteo tribuendum est pedi, sed in caput est aureum refundendum.

38. Caveant qui expungere audent, quam Deus expinxit formam candoris ovium; hi ab ovibus desciscunt cœlestis Pastoris; quæ verè sunt oves, non sinunt se à Pastore sejungi; sed firma ei adhæsione flectuntur: *Et nemo rapiet eas quisquam de manu mea:* hinc Paulus ex lupo rapace cum in ovem evasisset mansuetissimam ait: *quis ergo nos separabit à charitate Christi? tribulatio, an angustia?* Jacob ovis fuit, & ideo ad animi sui prodendam constantiam, ac firmitatem in solo recumbit lapide, qui frangi mavult, quàm flecti; sed quiescenti in lapide iter ad cœlum per obvias panditur scalas; ut disceret tunc cœlum hominibus patere, cum lapidi adhærent, & virtute constantiæ saxeam induunt firmitatem; tales audiunt, qui studio sunt castitatis addicti; quia carnis indulgentes illecebris fœni potiùs redarguuntur inconstantiâ, quapropter exclamavit: *Omnis caro fœnum;* hoc est carnis dediti voluptatibus fœnum sunt, flammarum pabulum, ignisque nutrimentum; & si hodie virent in campo, cras exsiccantur, & arescunt in cinerario; si hodie fragrant in prato, cras flagrant in igne: è converso qui castitatem excolunt, florent in lilium, & excrescunt in victricem Palmam ob coërcitos carnis stimulos, ac pravos concupiscentiæ devictos affectus.

Joan. 10. 28.

Ad Rom. 8. v. 35.

Isaias 40.

39. Non solùm castitatis studiosi morum innocentiâ, & animi candore oves sunt, aures aperientes, quò voces audiant Pastoris; verùm & os aperiunt, quò pastorem laudent; imò & manus, pedésque expeditos habent, ut promptiùs ejus exequantur mandata: hinc David de sanctis Angelis, quibus pariantur castitatis cultores, ait: *Benedicite domino omnes Angeli ejus; potentes virtute, facientes verbum illius, ad audiendam vocem sermonum ejus, Benedicite Domino omnes virtutes ejus, ministri ejus, qui facitis voluntatem ejus.* Quid? quòd in tam locupleti perfectionum, laudúmque segete sacer vates non commendet in Angelis substantiæ nobilitatem, Spiritus immortalitatem, mentem Divinorum capacem, amorem flagrantissimum in Deum, constantiam voluntatis, originis præeminentiam; sed his omnibus prætermissis, unam laudet præ cæteris obedientiam? quinimo licèt semel hanc in Angelis laudâsset virtutem; & vellet iterum puris illis eblandiri spiritibus, eandem laudibus excipit obe-

Psalm. 102. 20.

obedientiæ virtutem, at si præter ipsam nil superesset in Angelis Dei laudandum. Eh qualisnam fuit hæc virtus, quæ iteratis meruerit laudibus commendari? Virtus nimirum fuit propria Angelorum facientium verbum DEI; seu illorum, qui carni minimè adhærentes puritati unitè student: hi autem Angeli inter homines sunt castitatis cultores, qui carnis compescentes concupiscentias Angelorum naturam induunt; & quia castitas virtutum omnium est fœcunda parens obedientiam etiam parturit, sed Angelicam, seu patatissimam, at celerrimam, nullâ carnis sarcinâ præpeditam: studio castitatis addictis non debet præceptum iterari; quia perinde ac Angeli sunt *potentes virtute, facientes verbum illius*; hoc est non consultantes, non recogitantes, nec se excusantes; sed *facientes verbum illius*: quid? quòd verbum tum audiatur, & non fiat; dicatur tamen potiùs fieri, quàm audiri? quia nimirum cultor castitatis ad id perfectæ obedientiæ pervenit, ut æquè citò nullâ interjectâ morâ præceptum audiat, & exequatur; sitque perinde audire, ac exequi quod auditur; ideóque voto castitatis obstricti, adeo sunt expediti ad parendum superiori præcipienti, ut perinde ac Angeli potentes virtute faciant simul cum audiunt verbum, seu præceptum superioris quâvis cunctatione amputatâ; *potentes virtute facientes verbum illius*. Non dicit David *audientes*, & postea *facientes*, licèt vir obediens priùs audiat præceptum sibi à superiore injunctum, & postea illud exequatur; quia obedientia Angeli, virique casti adeo excellet, ut audivisse, & fecisse simul sint; & quia executio præcepti non datur sine auditione ejusdem, & plerumque detur auditio absque executione; ideo David solius meminit executionis non subsequentis auditionem, sed concomitantis: sed quâ mercede credimus, ad tantam parendi celeritatem induci Angelos, virósque castos? certè non aliâ; quàm solâ spe novi mandati: *Facientes verbum illius ad audiendam vocem sermonum ejus*, exequuntur citissimè mandatum, quò statim aliud audire valeant, ac simul exequi: nimirum adeo excellet viri
40. casti, ac Angeli obedientia, ut ipsa sibi sit merces, ac sufficiens stipendium.

Neque parva est sibi merces virtus obedientiæ à castitate profectæ, quia ubi hæ geminæ copulantur virtutes; vel ipsa exigua incrementum subeunt maximum. Nazareth quamvis parva in se domus, Deo tamen parva non fuit; quia virgo & lilio castitatis, & violâ obedientiæ insignis eam incolebat; cum Deo, & Virgine, non potuit exigua esse domus, quia ubi Deus, ibi locus exiguus esse nequit. Nazareth interpretatur flos: amavit florigeram patriam flos de radice Jesse, quia libenter *pascitur inter lilia flos campi*. Florida sanè domus, in qua & lilia castitatis, & rosæ ferventioris charitatis, & violæ humilitatis, & flos campi de radice Jesse simul vernabant. Tria præ cæteris florem commendant, pulchritudo coloris, suaveolentia foliorum, & spes fructus: flos est, qui lilium excolit castitatis: *quia ipsi nec honesta conversationis decor, nec bona opinionis fragrantia, nec intentio deest retributionis* ut ait D. Bernardus: *Floribus delectatur Deus, sed qui fructus parturiant*: arridet Numini ridens ver, sed sit Autumno copuletur; sit simul arboris rami ornentur flore, ac fructuum pondere incurventur; flos castitatis Deo placet, si fructus boni operis eidem copuletur; sunt qui florent, quorum tamen flos non eruditur in fructum, quia æstu vanæ gloriolæ exarescit: non extima floris species, sed quæ intus inest virtus, & decor gratiæ commendatur.

*Serm. 3. in Annunt.*

Virgo in domo Nazarea non laudatur à Numinis legato ob ingenii singulare, ac perspicax acumen; nec ob generis regium decus, aut cœlo parem pulchritudinem; sed ob Divina, quæ illi munera insunt: *Ave gratia plena: Dominus tecum: Benedicta tu in mulieribus*: magni in virgine facit unam gratiæ pulchritudinem, quæ in fructus erumpit bonorum operum: ordo autem gratiam commendandi hic est: priùs gratiæ laudat plenitudinem: *Ave gratia plena*: postea Numinis in ea commorantis præsentiam; *Dominus tecum*: & demum virginis præ cæteris fœminis celsitudinem; *Benedicta tu in mulieribus*. Quid ni, an Numinis præsentiæ ubertas præfertur Divinæ gratiæ? quia nimirum si Divinæ gratiæ sanctitas deesset, minimè Dei adesset præsentia; gratiæ enim ubertas fructuum bonorum operum messem fovet, at promovet: est gratia à qua bona cuncta procedunt; & sine qua sola Numinis præsentia non prodest ad vitam: enim adfuit Adæ Deus in paradiso post meridiem, quem tamen adventu suo morti addixit: scilicet vel Numinis præsentia mortem infert, si absit gratia, seu cordis innocentia, mentis puritas, & corporis castitas. Deus tum virgine esse non dicitur, nisi priusquam plena est gratiâ: *Ave gratia plena Dominus tecum* non fuit plena gratiâ, quia Deus adfuerit; sed ideo Deus adfuit, quia fuit plena gratiâ; quia hæc fons est, ex quo bona omnia scaturiunt; radix est, ex qua fructus pullulant bonorum operum; quia ubi gratia, ibi Deus; & ubi Deus, ibi omne bonum; unde Salomon ait: *qui amat cordis munditiem, habebit amicum regem*; neque Deum allicimus blandiùs, quàm lilio castitatis; quia ut scripsit D. Paulus: *non vocavit nos Deus in immunditiam, sed in sanctificatione*, seu in puritate cordis, in cultura castitatis, est enim mens casta gemma omnium pretiosissima, nullis æquiparanda thesauris, ut pronunciavit Siracides inquiens: *Omnis ponderatio non est digna continentis animæ*: quia castitas omne secum adfert bonum, ac veram invehit felicitatem; at cœlesti præludit beatitudini, ut observat Theodoretus inquiens: *Vir castus à superva-* canëis

41.
*Luc. 1. 28.*
*Prov. c. 22. v. 5.*
*1. ad Thessal. c. 4. v. 7.*
*Eccles. c. 26. v. 20.*
*Cap. 7 ad Corinth.*

*caneis, & inutilibus cogitationibus liberam habet animam, & vitam futuram, quantum licet, imitatur.*

42. Idque experimento deprehenditur quotidiano: qui enim intra claustri septa, & in Asceteriis lilium excolunt castitatis, ac virgines cœlesti se consecrârunt sponso, nullis pulsantur fluctuantis sæculi procellis, & extra mundi tumultus imperturbabili mentis quiete, & tranquillæ conscientæ serenitate fruuntur, & in terris cœlesti præludentes beatitudini laudes, hymnósque die, noctúque Deo concinunt: tales fuerunt quatuor Theodosii Imperatoris sorores, inter quas insignior Pulcheria, quæ spretis nuptijs Regijs suam cœlesti sponso virginitatem consecravit: de hisce Theodosij sororibus scribit Nicephorus: *Diu, noctúque hymnis, laudibúsque celebrabant Deum, institutum namque, quod propter virginitatem erant amplexa; nec ignaviam, nec otium decere existimabant.* Præ cæteris tamen sororibus studio addictis virginitatis excelluit reliquarum virtutum culturâ Pulcheria Augusta Arcadij Cæsaris filia, & Theodosij II. soror, & moderatrix; tantæ enim fuit prudentiæ, ut Imperij clavum dirigere valuerit; litteras calluit græcè, ac latinè, zelo religionis, pietatis studio, & prudentiæ laude, ævi sui fœminas longè antecelluit, crederetúrque rediviva Debora, fueritque propterea Orientalis Imperij fulcrum, aulæ delicium, Ortodoxorum munimen, miserorum levamen, egenorum mater, virginum ornamentum singulare, oppressorum solatium, afflictorum, consolatio, Ecclesiarum decus, virginum cœlesti sponso nuptarum ductrix, & prælucens fax, quibus suo præiret exemplo; quò enim impensiùs laudibus vacaret divini sui sponsi, statis horis domesticum adibat sacellum, & vel media in aula, veluti in eremi solitudine à quovis expedita, ac sejuncta mundi negotio Deo, & sibi vacabat, orationibus addicta, & soli Deo adhærens, cujus amore flagrabat, cujus deliciis diffluebat, de cujus voluptatis torrente epota cœlesti gaudio replebatur; quia ubi lilium excolitur castitatis, ibi reliquæ omnes florent virtutes, & omnes vigent deliciæ, idque in se ipso expertus sanctus Ephren exclamavit: *O castitas, qua cor possidentis latificas! O castitas, qua spirituale gaudium paris, & mœrorem aufers! O castitas, qua rosa instar in medio anima, & corporis efflorescis, & domum universam fragrantiâ comples.*

Tom. I Lib. 14. cap. 2.

43. Excolitur hoc castitatis lilium oratione præsertim, quâ mens casta cœlesti adhærescit sponso, & Angelus æmulatur ministrantes Numinis templo; neque horum vestis alia est, quàm ipsa mentis puritas; hac enim induti velle fuerunt septem illi Angeli, qui Joanni apparuêre: *Et post hæc vidi, & ecce apertum est templum tabernaculi testimonij in cælo, & exierunt septem Angeli habentes septem plagas de templo, vestiti lino mundo, & candido & præcincti circa pectora zonis aureis*, neque est alius Angelorum habitus, quàm ipsa castitas, quâ teguntur, & proteguntur, muniuntur, at armantur pugnaturi contra Draconem, ac meretricem magnam. Sed ubinam vestes has mundas, & candidas Angeli sibi comparant? certè non in aliis nundinis, quàm ipsius templi, ex quo exierunt vestiti lino mundo, & candido, *& ecce apertum est templum tabernaculi testimonij in cælo, & exierunt septem Angeli de templo vestiti lino mundo, & candido*, quia nimirum castitas in templo colitur, & fusis precibus irrigata efflorescit. Sed quid? quòd septem Angeli, qui Joanni apparuêre, non solùm vestiti lino mundo, & candido, ac præcincti circa pectora zonis aureis fuerunt; sed etiam phialas gestârint aureas plenas iræ Dei viventis in sæcula sæculorum? subdit Joannes: *Dedit septem Angelis septem phialas aureas plenas ira Dei viventis in sæcula sæculorum*: nimirum non vitreæ sunt, quæ citò franguntur phialæ Numinis iræ; sed aureæ, quæ & splendidiùs nitent, & diuturniùs durant. Non testaceæ aut plumbeæ, seu ex vili materia sunt compactæ; sed ex puro puto auro conflatæ, & splendidæ, quia ostentatio æternitatis pretiosa esse debet, & nil continere vilis. Has phialas non respersas, sed repletas irâ Dei viventis in sæcula, pro facibus gestare debent quotquot castitatem excolunt, si hanc velint procul à templo indemnem servare.

Apoc. 15. v. 5.

Apoc. 15.

Idque causæ, cur etiam Magister Christus suorum optaverit lumbos Discipulorum baltheo esse pudoris præcinctos, ac de expectatione futuri judicij solicitos: *Sint lumbi vestri præcincti, & vos similes hominibus expectantibus Dominum suum*: sed si candor castitatis ornamentum est indumenti, quo vel ipsi Angeli exeuntes de templo vestiuntur: hinc apprehendimos, posse castitatis cultores hunc adblandientem candorem perinde ac vestes exuere, ac atterere, nisi diligenter, & cautè custodiatur, hinc Angeli apparuêre Joanni vestiti lino mundo, & candido: quia vestis linea candorem diu non servat, nisi sæpius abluatur; & candor castitatis facilè infuscatur; & suum deperdit blandimentum, nisi fusis precibus sæpius irrigetur. Linum etiam humi incolitur, terræ seritur, ut germinet; deinde aquis putrescit, tunditur fuste, pectitur, ac nonnisi summo labore in vestes contexitur: qui igitur castitâtem excolunt, non holosericum, sed linum vestiunt, quia plures debent labores subire, ut candorem intemeratum servent. 44.

Luc. 12. v. 35.

Imò non labores tantùm subit castitatis cultor, sed & pugnas init, quibus mundi illecebras, & carnis prosternit voluptates, suntque in mundo veluti in arena Athletæ, & pugiles, quibus continua est pugna. Fuit procul dubio castitatis Athleta Nicetas: hic juvenis culturæ, vel maximè addictus castitatis, cujus heroicæ virtutis meminit 45.

D. Hie-

D. Hieronymus inter res gestas à Paulo primo Anachoreta. Hic natione Ægyptius juvenili aetate florens; quò lilium, quod coluerat, perderet, in amœnissimum hortum præcipitur adduci, ac ibi flores inter, cum leni murmure fontium latices per adblandientia serperent vireta, molliq́ue sibilo arborum comas ventus diverberaret, ac plantas lenitet perstringeret, super extructum plumis lectum resupinus locatur; & ne posset evadere blandis etiam nexibus, sericisque vinculis irretitur, adeo arctè ut nec sericos posset nexus excutere, neque à situ illo removeri. Lectus erat, quavis Sardanapalicâ plumâ mollior, quavis Heliogabali olorina culcitra delicatior; in quem dejectus juvenis castitatis cultor non ferreis, sed sericis illigatur vinculis, & ut florem, quem excoluerat castitatis, abigeret; floribus utrinque stipatur, ne quidquam deesset voluptati ad juvenis prosternendam pudicitiam: siquidem surgebant hinc inde umbriferæ arbores, quæ cum hilari odore eò gratiores spargebant umbras, quò solis radios foliorum clypeis arcebant, vocales rivuli, loquaces aviculæ, Zephyrorum flabella, delicias quidem spirabant, sed simul in pudicitiam conspirabant; undique ad voluptatem invitabatur Nicetas, florum lascivia, odorum fragrantia, zephirorum flabellis, & rivulorum blando murmure ad turpia alliciebatur; & præsertim à petulanti fœmina, quæ vultu cerusata, vestibus compta, fronte effronte juvenem adit in lecto resupinatum, cui tot adjicit vincula, quot verba ad turpia allicientia profert; quin non verbis tantùm nititur juvenem illaqueare, sed & oculis irretire: basiliscum dixisses oculos intorquentem in perniciem, & excidium castitatis. Quis fortem non lugeat juvenis? quis non censeat hujus viperæ morsu, ac effuso veneno corruptum iri lilium castitatis?

46. Verùm cùm sit exculta castitas virtutum omnium fœcunda parens, animi fortitudinem accersivit in tutelam, ac præsidium juvenis, qui licèt neque à vinculis posset se expedire, neque fœminæ petulantiam victrici fuga declinare; habuit tamen, quo & venerem fugaret, & castitatis lilium indemne servaret; quamvis lascivus Cupido ex quavis parte insulesceret; quamvis impura Venus victoriam sibi occineret; non tamen, licèt armatam prostravetit ipsa Martem, valuit inermem vincere juvenem, licèt in lecto resupinatum, quamvis sericis illigatum vinculis. Nam id castitatis pugil invenit consilij in hac lethali arena, quò posset quod imminebat periculum declinare, & quem excoluerat florem castitatis, integrum servare: cum enim undique se pressum videret, ac periculum amittendæ castitatis immineret, cœlitùs inspiratus facie usus pro pharetra, dentibus pro fune, & lingua pro telo mediam sibi præmomordit linguam, eámque morsu præcisam in frontem lupæ, quæ fronte caruit, sanguinolentam ejaculatus est, cúmque osculantis se mulieris expuisset in faciem, doloris acerbitate sensum omnem prostravit libidinis.

Non me latet, prisca olim sæcula Anaxarchi libertatem jactâsse, eò quia in vinculis tortus præcisam dentibus linguam in os expuerit Tyranni: sed inde plus Anaxarchum hausisse vitij, quàm virtutis, exinde conjicitur, quia superbiâ tumidior licèt elinguis se non destitit jactare. An non suos castitas pugiles jactat Anaxarcho fortiores? non viros tantùm, sed & pueros, ac mulieres, quæ in arctissimis vinculis clariora dedêre virtutis specimina? & certè Ægyptius Ephebus Nicetas plus quàm heroicam visus est libertatem asseruisse, ac castitatem propugnâsse, cum præcisam morsu lingam in oscultantis se, ac illicientis fœminæ faciem expuit. Scio plurimum apud veteres sibi gloriæ comparâsse Laconem illum adolescentem, eò quia bello captus, identidem clamaverit: *Non serviam, non serviam*, & potiùs illisum parieti caput dis̃rumpi voluit, ac animam efflare, quàm serviles manus ministerio admovere contumelioso. Scio Mutium Scevolam proprium illustrâsse nomen cum dexteram, quæ in vulnere infligendo erraverat, flammis castigaverit. Scio Lucretiæ pugionem sanguine stillantem nitorem purpuræ masculæ fœminæ virtuti addidisse, quæ casta esse voluit, postquam castitatem amiserat. Scio Priscum ævum plura, ac præclara exhibuisse castitatis specimina; Xenocratem laudâsse, Scipionem deprædicâsse, Spurinâ commendâsse, Democlem multiplici excepisse encomio; sed unus Nicetas veterum omnium extinxit gloriam. Xenocrates talis dicitur verecundiæ fuisse, ut si quid vel in bestijs impudici videre contingeret, id totis oculis, aversóque vultu statim damnaret. Scipio sponsam præstantissimæ formæ puellam, ut acceperat, intactam restituit, æquè lui, quàm libidinis victor. Alexander Macedo lectissimas Darij filias, & conjugem miræ elegantiæ fœminas, nec oculis attingere voluit, ne ex illa venustate fœminea pudicitiæ virtus quidquam hauriret incenulti, ac turpis. Spurina juvenis commendatissimæ formæ vultûs venustatem, orisque elegantiam maluit inflictis vulneribus devenustare, quàm sinere, ut alij è vultûs sui nivibus flammas haurirent, quibus virtus pudicitiæ cineficret. Democles stuprum declinaturus maluit in ebulliens ahenum insilire, quàm impudicitiæ flammas incurrere; sed licèt fuerint omnes hi, ut castitatis propugnatores commendati; nullus tamen eorum fuit, qui eùm Ægyptio Niceta conferri possit, qui præcisam morsu linguam maluit in fœminam exosculantem se exspuere, quàm quid- 47.

quidquam impuræ scintillulæ ex fœmineo osculo haurire.

## §. VI.

### *Mascula virtus est castitas, ita fortiter pugnat, ut sibi insultantes pravos affectus expugnet.*

48. EA est castitas virtus mascula, quæ in arena fortiter pugnat, & sibi insultantes heroicè expugnat: neque ipsi arma desunt, quibus & hostes prosternat, & innocentiam defendat: testem hic voco Susannam venustissimam æquè, ac castissimam fœminam, quæ accusata fœdi adulterij seniorum restimonio, adeo fuerat scelus comprobatum, ut concordi totius populi sententia innocens mulier damnaretur. Jam Hebræa gens ad sævam facinoris ultionem saxis obarmata ad locum procedebat supplicij, & Susanna non tam adulterij, quàm castitatis rea ad necem rapiebatur. Nullus aderat justæ causæ Advocatus, nullus audiebatur innocentiæ condemnatæ patronus; quia nullus ausus fuerat excusare, quam seniores populi, ut restes oculati accusaverant. Hinc re propemodum desperata cùm crepitantium lapidum turba jamjam ingrueret, ecce è medio exilit Daniel adhuc puellus, & quamvis rei forensis inexpertus, imò & puerili balbutie impeditus innocentiam acriter, & alacriter propugnat condemnatæ Susannæ, cujus allegat intaminatam castitatem, commendat morum innocentiam, laudat vitæ integritatem. Ad primas Danielis voces sistitur populi multitudo, quæ prona ruebat in fœminæ excidium: saxa, quibus armabatur in fœminam, deponit, & cum odio, ac ira sæviret in mulierem ad facinoris ultionem, cœpit statim mitescere, & Susannæ asserere innocentiam, quam balbutiens puer propugnabat: sed quid tantam authoritatem conciliare potuit Danieli adhuc impuberi; quidnam in puello balbutiente fuit, quod tam validè potuerit accusatam à senioribus fœminam propugnare, & præconceptam in populo patrati adulterij opinionem oblitterare? an spiritus prophetiæ, quô jam incipiebat Daniel eminere? an evidentia falsitatis, quâ seniores propriæ libidinis potiùs fœditates accusarent, quàm castæ Susannæ crimen incusarent? Quamvis falsitas soleat se ipsam prodere, non tamen hæc fuit, quæ ab imminente excidio Susannam revocavit, sed propria ipsius, & Danielis castitas: castitas siquidem Susannæ tantam promeruit fidem, ut ipsa sola valuerit latam contra se sententiam rescindere, ac plenam apud propulum promereri fidem. Hinc scitè Augustinus ait: *Susanna mulier inimicos suos tacuit, & vicit. Non enim apud Danielem in sermone tuitio est, sed in sancta fœmina tacente linguâ pro ea castitas loquitur. Castitas enim Susanna affuit in judicio*, & postea subdit: *Judicem meretur castitas Danielem puerum juniorem. Multum igitur de Deo pudicitia consequitur.* Castitas igitur Susannæ se ipsam contra seniores accusantes propugnavit: neque tuitio Susannæ sermone duntaxat Danielis innixa fuit, sed fortiùs castitas ipsa mulieris pro Susanna interpellavit: hæc enim fuit, quæ fidem ab omnibus promeruit, quia castitas ea pollet authoritate, ut statim ei fides præstetur, si in sui surgat propugnationem.

*Daniel 13. v. 41.*

*Tom. 10. serm 54. in appendice.*

49. Idque fortassis causæ, cur vel ipsi Ethnici plurimum culturam commendaverint castitatis, & præsertim studium virginitatis, cujus decus in summo fuit semper honore habitum, ut innumeris congestis exemplis evincit Tiraquellus *lib. 15. connub.* & revera summo fuisse Vestales virgines in honore habitas Romæ ob solam virginitatis prærogativam liquet ex Lipsio: & uberiori eruditione ex D. Hieronymo, qui post prolixam de Christiana virginitate disceptarionem eruditè, ac eleganter subdit: Quoniam intellexi in commentariis adversarij, provocari nos etiam ad mundi sapientiam, quod nunquam hoc genus in sæculo sit probatum, & novum dogma contra naturam religio nostra prodiderit; percurram breviter Græcas, & Latinas, Barbarásque historias, & docebo virginitatem semper tenuisse pudicitiæ principatum. Referunt fabulæ, Atalantam Calydoniam virginem semper in venatibus, semper in sylvis, non tumentes uteros fœminarum, fastidiáque conceptuum, sed expeditam, & castam amâsse virtutem. Harpalicen quoque virginem Thraciam insignis Poëta describit: & Reginam Volscorum Camillam, quam Turnus, cui auxilio venerat, laudare volens non ampliùs habuit, quod diceret, nisi virginem nominaret. O decus Italiæ virgo! Chalcæcus quoque filia illa virgo perpetua, pestilentiam patriæ, scribitur spontanea morte solvisse, & Iphigeniæ virginis sanguine adversos placâsse ventos. Quid referam Sybillas, Erythræam, atque Cumanam, & octo reliquas? (nam Varro decem fuisse autumat) quarum insigne virginitas est, & virginitatis præmium divinatio? Quòd si Æolici generis sermonis Sybilla Θιοβόλη appellatur, rectè consilium Dei sola scribitur nosse virginitas. Cassandram quoque & Chrysein, Vates Apollinis, ac Junonis virgines legimus. Et Sacerdotes Dianæ Tauricæ, & Vestæ innumerabiles extiterunt. Quarum una Minutia propter suspicionem stupri viva defossa est, injusta ut reor pœna, nisi grande crimen putaretur læsa virginitas. Certè Romanus populus quanto honore virgines semper habuerit, hinc apparet, quòd Con-

*Syntag. de Vestalib. cap. 31.*

*Lib. 1. in Jovinian. cap. 24.*

Conſules, & Imperatores, & in curribus triumphantes, qui de ſuperatis gentibus trophæa referebant, & omnis dignitatis gradus, eis de via cedere ſolitus ſit. Claudia virgo veſtalis, cùm in ſuſpicionem veniſſet ſtupri, & ſimulacrum matris Idææ in vado Tyberis hæreret ad comprobandam pudicitiam ſuam fertur cingulo duxiſſe navem, quam multa millia hominum trahere nequiverant. Meliùs tamen, inquit Lucani Poëtæ Patruus, cum illa eſſet actum, ſi hoc, quod evenit, ornamentum potiùs exploratæ fuiſſet pudicitiæ, quàm dubiæ patrocinium. Nec mirum hoc de hominibus; cùm Minervam quoque, & Dianam virgines Deas finxerit error Gentilium: & inter duodecim ſigna cœli, quibus mundum volvi putant, virginem collocârint. Magna injuria nuptiarum, ut ne inter ſcorpios quidem, & centauros, & cancros, & piſces, & ægrocerotas, uxorem, maritúmque contruſerint. Hactenus D. Hieronymus, ubi etiam recenſet plures virginitatis cultores, quibus apud Ethnicos virginitas fuit in pretio, maluerintque propterea violationem virginitatis morte ipſa præoccupare, ac refert apud Gynoſophiſtas Indiæ, quaſi per manus hujus opinionis tradi authoritatem, quòd Buddam Principem dogmatis eorum ſuo virgo è latere generarit. Nec id videre mirum de Ethnicis debet, cùm & Poëtæ ipſi Minervam itidem de Jovis capite, & Liberum patrem de fœmore ejus procreatos effinxerint.

50. Nulli igitur dubium, quin apud gentes omnes, quamvis Evangelij lumine deſtitutas in ſummo ſemper fuerit honore habitum virginitatis decus æquè in viris, ac fœminis, eò quia cenſuerint, ut ait Plotinus, eſſe virginitatem argumentum ſufficientiæ, & acceſſûs ad Deum ſibi ſufficientiſſimum: & apud priſcos Romanos ea fuerunt obſequia virginibus præſtita, ut in virginem quacunque cauſa ſævire nefas haberetur. Et Suetonius refert, quòd ſi ob enorme aliquod delictum in parentes, vel Rempublicam contigiſſet, fuiſſe virginem morti addicendam; non antea id tentatum fuiſſet, quàm priùs, vel à carnifice, vel alio viro nequam fuiſſet virgo vitiata, ac virginitatem exuiſſet, quo ultimo ulciſceretur ſupplicio, ut etiam refert Tacitus de Seiani filia morti addicta. Hunc tamen morem progreſſu temporis poſtea exoleviſſe obſervat etiam Baronius in notis ad Romanum Martyrologium ad diem tertium ſeptembris. Et revera ſummum invehere lilium pudicitiæ decus ex eo etiam conjicitur, qnia non ſolùm homines, ſed & ipſi Angeli gaudeant hoc inſigniri ornatu: *Et ecce vir unus veſtitus lineis, & renes ejus accincti auro obrizo, & corpus ejus quaſi Chryſolitus, & facies ejus velut ſpecies fulguris,* Nimirum venuſtior, qui in Angelo emicat ornatus, candor eſt lineæ veſtis, ut præ cæteris candorem puritatis miremur in Angelis, cùm & ipſi hanc in nobis demirentur virtutem: neque alio venuſtiori ornatur Eccleſia colore; nec alia, quæ Deo magis placeat, veſte, quàm à cultura pudicitiæ dealbata delectatur ſacer ſponſus.

Ennade 3. lib. 5. cap. 1.

In Tiberio cap. 61.

Lib. 5.

Daniel, 10. v. 5.

## §. VII.

### *Lilio pudicitiæ delectatur cœleſtis ſponſus, quia ex ejus cultura reliqui vernat virtutum flores.*

51. COmmendaverat Regius vates veſtem diſcolorem, eámque auro intextam ſponſæ: *In veſtitu deaurato, circumdata varietate.* Verùm hæc diſcolor venuſtas, ac colorum varietas, quæ plurimi fit à Davide, non magni æſtimatur ab Angelis; qui unum candorem cæteris omnibus præferunt coloribus: aiunt enim cum obviaſſent ſponſæ eleganter ornatæ: *Quæ eſt iſta, quæ aſcendit de deſerto delicijs affluens*, ſeu ut legunt ſeptuaginta Interpretes: *Quæ eſt iſta, quæ aſcendit dealbata?* ſed ſi cœleſtes ſpiritus totam luſtrant ſponſæ veſtem auro nitentem, & colorum varietate micantem, in veſtitu deaurato circumdatam varietate, cur ſolius meminerunt candoris? an fortâſſis cæteri evanuêre colores? an ſponſa veſtem exuerat diſcolorem, gemmas, & reliqua ornamenta abjecerat ſolius candoris ornatu contenta; eò quia unus præ cæteris color excultæ pudicitiæ ſponſo placeat? Verùm tametſi fulgeret ſponſa gemmis ornata, veſtita incederet veſte puro puto auro intexta, & eleganter diſcolore, ruberet in ipſa verecundia, rutilaret fides in Chryſolito, vernaret ſpes, in ſmaragdo, floreret charitas in roſa, & caſtitas vigeret in lilio; adhuc Angeli unum lilij candorem præferunt cæteris gemmarum, ac purpuræ ornamentis: gemmarum nitor, auri ſplendor, purpuræ fulgor uno devenuſtantur, ac decolorantur caſtitatis decore; quo excultæ pudicitiæ lilia germinant, quæ à cœleſti ſponſo cæteris præferuntur floribus, propterea cæteris prætermiſſis coloribus, ac gemmarum ornamentis unum commendant in ſponſa candorem, *quæ eſt iſta*, inquiunt, *quæ aſcendit dealbata*? non dicunt, quæ eſt iſta, gemmis coruſca, veſtitu deaurato, ac diſcolore ornata; monilibus perfulgida, margaritis rutilans, ſed *quæ eſt iſta, quæ aſcendit dealbata*, quia nullus in ſponſa magis arridet ſponſo color, quàm pudicitiæ candor. Licèt Magiſter Chriſtus Petri Diſcipuli fidem laudârit; virginitatem tamen magis in Joanne dilexit, qui propterea requievit in ſinu ejus, eò quia in ſuo requieverit gremio pudor; floruerit in corde caſtitas.

Pſalm. 44.

Cant. 8. v. 5.

Placet sponso virtutum omnium cultura, sed præ cæteris illi arridet castitatis albedo,quæ & efflorescit in lilium : *Lætabitur deserta, & invia, & exultabit solitudo, & florebit quasi lilium.* Tametsi plura essent ex Ecclesiæ exculto agro florum germina eruptura, unum duntaxat commemorat lilium: tametsi in Ecclesiæ agro non desint vites spumantes vindemiam; nec segetes flavescentes in messem, nec oleæ fructibus refertæ, nec cæterarum virtutum ridentes flores; unicum tamen deprædicat lilium, cujus candore præ cæteris floribus delectatur. Idque fortassis causæ fuit, cur sponsa, licèt lectulum suum floribus exornâsset; frustra tamen ad ipsum dilectum invitaverit sponsum; & in cassum per noctes in eo, quem dilexerat conquisierit. Quòd si uno duntaxat eum inspersisset liliò, fortâssis illicò accurrisset, cum enim sponsa ad se sponsum accersens, ac alliciens dixisset: *Lectulus noster floridus*, reposuit Sponsus Can. 2. 1. *Ego flos campi, & lilium convallium.* Sed licèt Sponsus à lectulo abfuerit sponsæ, multigeno insperso flore; non tamen ab horto abhorruit, ubi cùm sponsa optâsset, ut fructu vesceretur pomorum; ipse tamen fructus præterit ex incurvatis arborum ramis ad plenam pendentes maturitatem; imò & reliquorum florum pertransiens areolas ad sola properat lilia, quibus præ cæteris delectatur floribus, ac cunctis arborum fructibus præfert; *Labia ejus lilia:* non fructus ori admovet, sed labia liliis ornat, ut lingua non nisi verba proferret, quæ castitatem olerent. Hinc Sponsus hunc in sponsa florem impensiùs diligebat, quem & concupierat, ac esurierat, ideóque neque fontium latices, neque arborum fructus quærit, sed sola inquirit lilia, quorum candore oblectatur; & quia erant lilia sponso magis cordi, eadem præfert in labijs, id enim corde diligimus, quod ore proferimus, quæ enim prostant in labijs, etiam in corde florent. Vel lilia sunt sponsi labia, quia castitatis studiosus nonnisi lilia osculatur; & quamvis cuperet sponsa sponsi osculum, hoc tamen fuit promerita, cùm lilia vernarent inter labia, inter oscula sponsi: *labia ejus lilia*. Nil Sponsus impensiùs diligit, quàm lilium, quod & excolit in corde, & florere vult in labijs; quòd si sponsa unum prætulisset lilium cæteris floribus; unius floris odore sponsum ad se traxisset; & quæ myrrham stillavit, non fuisset conquesta, quòd quæsitum haud invenerit sponsum, qui nonnisi inter lilia pascitur, nonnisi lilia colligit, nonnisi lilia loquitur, *labia ejus lilia.*

Isaiæ 35. v. 1. — Cant. 1. v. 16. — Cant. 5. 13.

53. Sed quid? quòd Sponsus nonnisi lilia loquens sponsam laudaturus eam lilium quidem asserat, sed spinis circumseptum? *Sicut lilium inter spinas; sic amica mea inter filias*, si lilium blandimento candoris allicit, & spinæ suis aculeis manus arcent carpentium, quid cum lilio spinæ? Quòd si filiæ spinæ sunt, non in lilium sponsa, sed potius in rosam floret: rosa enim est, quæ spinarum cingitur satellitio, & vernat cum dumis. Verùm quia Sponsus nonnisi lilia loquitur, in cujus labijs lilia vernant, illaudatam credidisset sponsam, si rosam non lilium dixisset. Vel quia præ cæteris virtutibus cœlesti sponso una est castitas charior, quæ propterea etiam prostat in chlamyde: hoc est, illud arridet sponso lilium, quod non solùm floret intus in corde; sed etiam exteriùs in ore candicat, & vultu olet, ideóque etiam Angelorum candor albicat in veste. *Et ecce vir unus vestitus lineis*, sed si candor arridet, cur non potiùs in serico, & non in lino? an quia licèt candor præ cæteris placeat, is tamen magis arrideat, qui in lino ablui pluries potest? castitas enim quæ dilui frequenter non potest, citius decoloratur, & nigricat; & id causæ, cur candor lini candori præferatur serici, quod lavari non solet; quia cultor castitatis sacra exhomologesi frequenter conscientiam lavat, & lacrymis, quas contraxit labeculas, abstergit, omnique studio cavet; ne lilij candor, vel minimo devenustetur nævo. Quin Angelus non solum lineis albentibus est vestitus, verùm & corpus circumfert ex Chrysolito compactum: *Et renes ejus accincti auro obrizo: & corpus ejus quasi Chrysolitus.*

Cant. 2. v. 2. — Daniel. 10.

54. Imò non solùm compactum ex Chrysolito corpus circumfert candidis vestitus lineis, verùm etiam præcinctos describitur renes habere, non tamen auro ducto in subtegmine, nec textili serico, sed ex solido, ac firmissimo auro, *Et renes ejus accincti auro obrizo:* nimirum præcinguntur renes puro puto auro, non verò ferrea lamina; vel quia amor pudoris & custos, & cultor in timorem non degenerat, qui ex ferro concipitur in gladios aculeato: vel quia ferrum ex senio rubiginem contrahat, cùm aurum cariem nesciat senectutis: & quò vetustius, eò censetur aurum pretiosius. Nec Job inter ulcera sanguine madens, ac putrescente scatens sanie: neque inter gemmarum nitores tuti quiescunt Angeli, nisi præcincti fiant: quem enim viderat Daniel vestitum lineis, ac auro præcinctum obrizo, Angelus erat ex gemmis compactus; oculis fulgurabat, & tamen auro obrizo præcinctos renes habuit, quia non sufficit auro renes cinctos gestare, nisi etiam & ipsi renes ex auro conflentur, & gemmâ niteant: *& corpus ejus quasi chrysolitus:* est siquidem chrysolitus gemma

ma pellucida, diaphana, per viridem aureum emittens nitorem, & noctu igne admoto illustrius splendet: Castitatis cultor quasi chrysolitus, vel in tenebris humilitatis, & caligines status abjectioris debet illustriùs nitere: in vultu viginis, tametsi fulmina improbentur, approbantur tamen fulgura: *Et facies ejus velut species fulguris*, quia castitatis studiosus neminem debet vultu percellere, sed & nullum allicere.

55. Sed si facies Angeli, quem Daniel viderat, speciem præferebat fulguris, cur ejus oculi splendent velut accensa lampas? *Et facies ejus velut species fulguris, & oculi ejus lampas ardens*, an quia pudicitia non in foro, nec in plateis nitere studet, & populares plausus aucupari; sed contemptu gaudet, ac obscuro potiùs delitescere in loco; sicut splendet lampas in tenebris clarior, cum in luce vix suos deleget nitores? sed non solùm ejus oculi lampas sunt, sed & lampas ardens. Non ardet lampas, nec splendet, si olei outrimentum ei subtrahatur: tamdiu ardet, quamdiu vel oleo, vel balsamo nutritur; dormire tunc incipit nocte, cùm desinere olei pabulum incipit; ideo vigilat, & ardet, quia nutritur: & castitas ideo oculos præfert, veluti binas ardentes lampades, quia pabulo nutritur divini amoris, & tamdiu ardet, quamdiu amat; cæcutit castitas, nisi Dei foveatur amore: sed cur non potiùs lilia oculi dicuntur pudicitiæ; quàm ardentes lampades? cur non potiùs florei, quàm ignei oculi sunt Angelorum? lilium siquidem, ubi floret odores, spargit; & quamvis non videatur, adhuc præsens sentitur: cur igitur oculi Angelorum non lilium, sed ignis esse dicuntur? an quia ignis, si aurum osculetur, nil maculæ imprimit, sed ejus potiùs nitorem exprimit: ignis enim, si in aurum agat, in illud non sævit, sed potiùs eidem eblanditur, quod & expolit: sin verò in flores suas exerat vires, non eos fovet, nec illis favet, quin potiùs exsiccat, exurítque: sed si oculi ignis sunt, sint lilia mores, quia sacer sponsus nonnisi lilijs delectatur. *Dilectus meus mihi, & ego illi, qui pascitur inter lilia, donec aspiret dies, & inclinentur umbræ*: sed cur tantùm interdiu pascitur sponsus inter lilia? an quia suaviùs oleant flores solari æstu percussi, quàm nocturnis circumsepti umbris? cùm & ipsa natura, cùm sol occidit, claudat, & ipsa suos flores, quos mane in ejus exortu iterum reserat.

Dan. 10. v. 6.

Cant. 2. v. 16.

56. Cur sit tantùm inter lilia sponsus pascitur, non etiam nocte liliis immoratur, & inter lilia cœnat, tametsi solis radii non ampliùs flores pingant? Putârim interdiu duntaxat saerum sponsum inter lilia pasci virgines doctorum, ne nocturnos ament secessus, cùm potiùs fœteant nocturna cum liliis colloquia, tametsi puellæ lilium foveant virginitatis, si nocturna cum viris admittant colloquia, vel in foro, vel in platea, vel è fenestra, non ampliùs olet, sed potiùs incipit lilium fœtere; satiùs, & tutiùs, si virgo inclinato jam die floreat domi, & non vagetur per plateas, quia metuendum est, ne à Principe tenebrarum lilia proterantur, si nocturnis exponantur umbris: noxiæ sunt liliis nocturnæ umbræ, imò & diurnæ, si secreta reperiant colloquia: floret enim lilium, sed in sole; vernat flos campi Christus, sed in aperto agro; quia lilium virginitatis latibula declinat, ut floreat: hinc D. Hieronymus consuetudinem damnat virginis publicam aversantis lucem, & latebras quæritantis angulorum: flos sponsi, & lilium Angeli, non est flos anguli, sed lilium vallis, & flos campi, & dilectus pascitur quidem inter lilia, sed *donec aspiret dies, & inclinentur umbra*, quia latebras odit noctis, & cum liliis, seu virginibus nocturna colloquia; satiùs enim, ac tutiùs semper est, virginem domi esse ad solis occasum, quàm cum sponso esse, vel per plateas vagari. Licèt virgines quandóque currant, ut sponsum assequantur Cant. 1. v. 3. *Post te curremus*, eò quia, si sponsum videant, ejus alliciantur odore; tamdiu tamen currunt, quamdiu amore feruntur, & agunt, quo sponso placeant: cæterum Joannes non correntes, sed stantes vidit virgines. *Stantes ante thronum in conspectu Agni amicti stolis albis, & palma in manibus eorum.* Sponsus, qui in Canticis lilium audit, quod symbolum est puritatis, à Joanne Agnus vocatur, qui innocentiam, & morum candorem indicat. Sed cur non potiùs leoni, vel vitulo pariatur? An quia ex Agno vulneta metuere non possunt stantes ante ipsum? an quia, quò terreat, caret, & quò blanditur, claret? Apocal. 7.

Sed cur stantes ante thronum stolis amiciontur albis, cùm plures ibi niteant proprio purpurati cruore, vel fulgeant multiplici ornati gemmâ? an Bartholomæo proprio purpurata cruore deest chlamys, quia detracta fuit cutis? An Antonius, quam sibi gemmatam texuerat prætextam diurna, ac nocturna oratione, exuit unà cum mortalitate? si Davidi lachrymis madidum non deerat regium paludamentum; nec cerulea toga Machabæis spe regni, quam eorum mater compegerat; cur stolis albis dicuntur tantùm amicti stantes ante thronum, & in conspectu agni? quia nimirum, quamvis non desint ex stantibus ante thronum Dei martyrio purpurati, pœnitentiâ panosi, non tamen Joannes stragulatas vestes recenset, nec bissum, aut purpuram, sed solas albas stolas, quæ insignia sunt virginitatis, & castitatis; tametsi cœlesti sponso arrideat purpura, placeat bissus, vestem 57.

vestem tamen pudicitiæ cæteris aliis præfert, ideóque albis stolis voluptuosiùs delectatur: agno immaculato non potest non placere stolarum candor: est siquidem hæc stola alba vestis nuptialis, quam paterfamilias exegerat ab ijs, quos ad paratam invitaverat cœnam: est vestis nuptialis stola pudoris, quâ ornantur cultores castitatis.

58. Quòd si martyrii purpurâ non ornamur, pudicitiæ saltem stolâ cingamur: sufficit enim, si sponsus suæ dicat sponsæ. *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te*, quamvis corporis vulnera, & præcisa membra, artúsque ferro disfracti, nullam suppeditent purpuram cruore imbutam; sufficit, si morum integritas pulchritudinem invehat pudicitiæ, & macula non sit in sponsa: quinimo sponsus suam non laudavit sponsam, eò quia Custodes civitatis eam vulneraverint, imò etiam spoliaverint, nec quia manus ejus myrrham stillaverint. *Vulneraverunt me, tulerunt pallium meum mihi Custodes murorum. Anima mea liquefacta est*: non enim sponso placet sponsa vulneribus saucia, pallio nudata, & myrrhæ amaritudine respersa: sed quia candorem præsefert columbæ, sed quia pudicitiæ chlamyde incedit ornata. *Una est columba mea, perfecta mea.*

Cant. 4. 8.

Cant. 5.

Cant. 6. v. 6.

59. Tametsi sponsum non laterent vulnera, quæ sponsa ob amorem sponsi fuerat perpessa, nec myrrhæ amaritudines, nec probra nuditatis, neque sanguinis purpurea indumenta, solius tamen meminit candoris, quo præ cæteris delectatur in sponsa: & cum sponsa sciret, sponsum hoc pudicitiæ præ cæteris coloribus delectari candore, eundum cum sponsum describeret, cæteris præfert *Dilectus meus candidus, & rubicundus electus ex millibus*: nimirum à candore auspicatur sponsa sponsi laudes, quia id præfert, quod magis arridet; & quia sponso præ cæteris coloribus candor placet pudicitiæ: rectè sponsa candorem præfert purpuræ. *Dilectus meus candidus, & rubicundus*: candorem habet sponsus à continentibus, ac pudicitiæ cultoribus; ruborem verò à martyribus proprio sanguine purpuratis, ut inde discamus, difficiliorem esse cum voluptatum illecebris incruentam pugnam, quàm cum doloribus tormentorum sanguineum certamen; ideóque præfert sponsa rubedini cruoris pudicitiæ candorem: & revera David licèt animo infracto exilia à Saule pertulerit, contumelias à Semejo, proditiones à filio, dedecora à consanguineis, imò & plagas à Numine; quamvis prostraverit in valle gigantem; discerpserit in campo leonem; interfecerit in sylvis ursos, adhuc cum staret victor adversus armatos exercitus, & rugientes leones; cecidit tamen voluptatum illecebris irretitus; ideóque durior est cum deliciis pugna, quàm cum suppliciis conflictus.

Cant. 5.

60. Si admiramur Martyres laureatos, ac proprio purpuratos sanguine, non minus demirari debemus continentes ob servatam pudicitiam candidatos: quia si Martyres gladios, & secures spreverunt; castitatis cultores mundi illicia, carnis illecebras coërcuerunt, ac prostrârunt; & quia difficilior est delata ex superatis voluptatibus victoria, quàm ex deletis hostibus relatus triomphus, ideo sponsa à candore pudicitiæ sponsi laudes auspicatur, *dilectus meus candidus, & rubicundus electus ex millibus*. Non tantùm est candidus, sed & rubicundus, quia cultor castitatis rarò floret in lilio, nisi etiam vernet in rosa; siquidem pudicitia sine podore, virginitas absque verecundia, & candor castitatis sine rubore charitatis rarissimus est flos, proinde *electus ex millibus*: vel candidus, & rubicundus describitur sponsus, quia lilium pudicitiæ nisi rubescat in rosa, ac cingatur rosarum spinis, vix tutum efflorescit.

61. Sed si sponsum spinæ coronârunt? cur sponsa non recenset, quantum profuderit sponsus sanguinis, quantum sustinuerit tormentorum flagris cæsus, spinis coronatus, cruci affixus, vulneribus cruentatus? An hæc omnia reticuit sponsa, & solius meminit candoris, eò quia sit candor pudicitiæ totius sanctitatis fundamentum? quapropter crura sponsi columnis pariaverat marmoreis, quibus ædificia fulciuntur. *Crura illius columnæ marmoreæ, quæ fundatæ sunt super bases aureas: species ejus ut libani*: non solùm candor efflorescit in lilio; sed etiam nitet in marmore, & ideo sponsa maluit crura sponsi marmori pariare albescenti, quàm gemmis æquiparare nitescentibus, expressura scilicet, candorem pudicitiæ fundamentum esse totius sanctitatis.

Cant. 5. v. 15.

## §. VIII.

*Qui lilium excolunt castitatis victrices palmas metunt, quas de prostratis carnis illecebris, ac voluptatum illicijs referunt.*

62. Non desunt virginibus, ac pudicitiæ cultoribus palmæ, cum Joannes eos ornatos palmis viderit. *Stantes ante thronum, & in conspectu agni amicti stolis albis, & palmæ in manibus eorum*, quia nimirum continentes, ac pudicitiæ cultores pugnas ineunt, quibus carnis illecebras, & voluptatum illicia prosternunt, vincunt, & nisi pugnâssent spinis, rosæ minimè floruissent in lilio, nec candicâssent in stola, sed quia pugnârunt, gloriosè vicerunt; & quia vicerunt non armatos exercitus, non gladiatas phalanges, sed eblandientes voluptates, & concupiscentiæ illicia, victricibus donantur palmis, *& palmæ in manibus eorum*: candor est iste pudicitiæ, sed cruore nitet, & palmis fovetur; lilium est

Apocal. 7. 9.

est pudicitia, sed non germinat, nec surgit, nisi cadant carnis illecebræ; non crescit, nisi prosternantur mundi voluptates; non floret, nisi sudore irrigetur.

61. Nitent victrices palmæ in manibus, non in labiis; quia non sufficit pugnas loqui, nisi manus pugnas agant. Ad hanc pugnam vocavit Ephesios Apostolus, cùm eos indutos loricâ justitiæ, & calceatos, ac succinctos voluit. *State ergò succincti lumbos vestros in veritate, & induti loricam justitiæ, & calceati pedes in prædicatione evangelij pacis.* (Ad Ephes. 6.) sed si pax evangelizatur, cur tantum exigit armorum apparatum Apostolus? si pace arma quiescunt, cur classicum veluti canit? an quia pax iridem imitatur, quæ sicut non fulget discolor, nec spondet aëris serenitatem, nisi post tonitrua reboantia, post fulmina ruentia, post fulgetra micantia, ac pluvias delabentes, grandinésque segetes proterentes; ita & pax nonnisi ex turbine oritur bellorum? ita est, ibi duntaxat pacis olea floret, ubi funestæ cupressus surgunt: cupressûs excidia produnt, pugnas, conflictus, & neces: ubi cupressus aluntur, ibi pacis olea floret: sed cur potiùs à lumbis, & non magis à capite exigitur armatura? quia nimirum castitatis pugil acriores in lumbis sustinet à carnis illecebris assultus, & ab eblandiente concupiscentia impetus; & difficiliùs est delicias in lumbis coërcere, quàm in capite hostiles incursiones compescere. Sola libido Herculem in fœminam commutavit: & Samson cujus artificio delusæ fuerant vulpes; cujus fortitudine discerptus fuerat leo; cujus congressione prostrati ciderant hostes, cessit & ipse carnis illecebris, & qui fuerat invictus, debellatur, & victor; ludus fit Veneris, mancipium uxoris, & captivus scorti.

63. Sed cur non impenetrabili ære, vel inflexili ferro, aut solido alio metallo potiùs armantur lumbi, si cum infensissimo hoste pugnas ineunt, ac sævè digladiantur? quid cum lumbis veritas? quæ mentis est conceptus, & oris partus? an quia pudor sola armatus veritate, licèt levi munitus armaturâ, vel in ipsis lumbis hostem prosternit? eò quia ad voluptatis eludendos assultus, ac impetus coërcendos nil veritate validius, nil fortius vero? cum voluptatis illecebræ nonnisi larvæ sint voluptatis, fucus gaudii, & somnium lætitiæ; nimirum fucatæ sunt, ac falsæ voluptates, quas concupiscentia in lumbis suppetit, & ad falsitatem hanc prosternendam nil veritate validius, ideóque Apostolus rectè hortatur Ephesios, ut veritate obarmati fucatas carnis delicias, ac falsas voluptatis illecebras superent, ac prosternant, *State ergò succincti lumbos vestros in veritate:* quia etiam David hoc fuco deceptus lugens, & lachrymis madidus ajebat, *Lumbi mei impleti sunt illusionibus*, (Psal. 37. v. 8.) quia quæ concupiscentia in lumbis delicias excitat, ac voluptates exhibet, illusiones sunt, quæ mentem decipiunt, larvæ sunt illecebrarum, ac gaudiorum, quæ luctus, & lachrymas tegunt; falsa sunt illicia gaudiorum, quæ nullo valentius telo confodiuntur, quàm veritate, quia falsitati nil potest validiùs opponi, quàm veritas, ideóque ait Apostolus: *State ergò succincti lumbos vestros in veritate*, quia veritas virtutis, & continentiæ est, quæ falsitatem voluptatis, quam concupiscentia in lumbis excitat, ad victoriam coërcet. Flos est lumborum voluptas, sed adscititio illitus colore, quo fit, ut petulantiores etiam mulierculæ, perinde, ac tabulæ colore illiniri, ac pingi studeant; non enim sine fuco, & colore apparet libido.

Sed Apostolus non tantùm vult Ephesios lumbos præmunire, verùm & pectus lorica contegi justitiæ, *& induti loricam justitiæ*, sed cur justitia non potiùs capiti admovetur, quàm pectori? vel cur magis in loricam reconditur pectoris, quàm in galeam capitis? an quia injustitia cor aggreditur; & ideò vult Apostolus ad hanc propulsandam loricâ justitiæ pectus præmuniri? ut ut est, nos armatos vult contra concupiscentiæ assultus, & castitatis cultores instructos armis virtutum, & præsertim continentiæ, ut nos erudiat ad victoriam contra impetus, & assultus voluptatum carnis; quia etiam Job præ cæteris lectionibus suo è fimeto, veluti doctorali è cathedra posteris suis dictatis, hanc edocuit veritatem, quàm altiùs mentis voluit impressam; ut discerent homines, quamdiu viverent pugnare, & volnptatum illecebras expugnare; quia non vitam hominis militiæ æquiparavit, sed militiam esse asseruit Hussleus Princeps. *Militia est vita hominis super terram*, nimirum experientiâ didicerat, quod tam asseveranter deprædicabat. 64.

Quamdiu in hac vita spiritum haurimus, tamdiu continuam pugnam spiritum inter, & carnem experimur; unde & ipse Apostolus ait. *Caro concupiscit adversus spiritum, spiritus autem adversus carnem*, (Ad Galat. 5. v. 17.) & alibi differens de hac pugna spiritum inter & carnem ajebat: (Ad Rom. 7.) *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati, quæ est in membris meis.* Et ut de carnis petulantia victoriam hauriat, ejusque impetus fortiùs coërceat, ait de se ipso: (1. ad Corinth. 9. v. 26.) *sic pugno, non quasi aërem verberans, sed castigo corpus meum, & in servitutem redigo:* neque alia fuit hæc pugna, quàm concupiscentiæ inobedientia, & sensuum rebellio; seu superioris portionis, quæ est ratio; & inferioris, quæ est appetitus sensitivus, interior conflictus; quem D. Augustinus pœnam esse dicit antiquæ prævaricationis, cui Protoparens noster Adam universum genus humanum obnoxium fecit; quamdiu enim homo indemnem custodivit justitiam originalem, plus Deum, quàm semetipsum dilexit; sed cùm primùm hanc exuit justitiam, cœpit voluntatem propriam quoddam velut idolum venerari, 65.

rari, permisitque se rapi, ac sedneri à sensuali suorum appetituum torrente, & mergi; tametsi cognosceret omnes tum concupiscentis, tum irascentis animi motus contra nobiliorem hominis partem, seu rationem, ac proinde etiam contra legem æternam insurgere.

66. Rebelles, ac irregulati appetitus nostri, imperio inobedientes rationis, hebescentibus paralytici cujusdam membris haud dispares esse edixit Aristoteles in morali sua Philosophia, quia tametsi paralyticus sua velit membra movere, non tamen hæc ejus obtemperant voluntati, nec obsequuntur imperio. Hac paralysi laboramus omnes, quotquot ex infecta Protoparentis radice originem trahimus, vellemus quidem continentes esse; optaremus nunquam irasci, nunquam stimulis pulsari concupiscentiæ; non tamen animus irascens, nec appetitus concupiscens nostræ obtemperat voluntati; quinimò insurgunt acriùs pravi affectus, & quamvis voluntas eorum nitatur impetus coërcere, ac motus compescere, licèt plurimum laboret; adhuc vix obtinet, ut interdum consensum non extorqueant; & acriùs insolescant.

67. Imò videtur tartareus hostis, eandem, quam in primis sæculis contra primævos Christi fideles tyrannidem exercuerat, ut à fide eos retraheret; nunc in nostram retorsisse perniciem, dum inordinatos in nobis excitat appetitus, concupiscentias accendit, & iras inflammat, ut divinæ legi simus rebelles: videtur interdictam dolere christiani sanguinis effusionem, & cùm non possit fidelium obtinere mortes, satagit mores impetere, quos corrompat, frangat, ac pervertat: non enim malignitas propria imbuta nequitia odium depoluit, sed tantùm ingenium vertit, quo mentes fidelium evertat, easque sibi blandiùs subdat voluptatum illecebris, & concupiscentiæ blandimentis; quodque deterius est, quia plerumque inimicum, quem novimus, non odio prosequimur, sed eidem blandimur, cùm dicat Apostolus. *Nemo unquam carnem suam odio habuit, sed nutrit, & fovet eam.* *Ad Ephes. 5.*

68. Est inimicus iste, qui nobiscum nascitur, nobiscum nutritur, & crescit; sanguine nutritur nostro, somno restauratur nostro, nostra reficitur quiete: est siquidem hic inimicus caro nostra, quæ vel in primis Protoparentibus nostris cœpit contra spiritum insurgere, ac interna indicere bella, excitare pugnas; & tametsi hic hostis, quem intus nostrâ nutrimus substantiâ in tenella ætate blandus videatur quidam esse leunculus, quia tamen hic nobiscum incrementa subit, fervet cum nostro sanguine, rugit, & sævit, cùm primùm valentiores caro nostra vires suscipit: neque unquam defatigatur in nostram perniciem, in quam jugiter agit, & contra nos pugnat, quò nos expugnet; nec optatas unquam nobis inducias indulget: est enim hostis, qui sive vigilemus, sive quiescamus somno sopiti, sive laboremus, sive otio indulgeamus, nos semper intus pulsat, & in fundendis precibus turbator est, in negotiis agendis testis infidus, in actionibus instituendis spectator protervus, in bene operando adversarius malignus, in templo infestus socius, in locis publicis insidiator perversus, in asceteriis solicitator iniquus, & in quovis loco hostis importunus.

Imò eò est quovis alio hoste deterior, 69.
quia blanditiis impugnat, illecebris vulnerat, lenociniis corrumpit, & voluptatibus sauciat, & nemini parcit, sed omnes impetit; adeo ut plerisque in locis tessera Ordinis equestris fornicatio sit; ac minoris censeatur nobilitas pretii, si pudica sit, ac monile juventutis petulantia esse dicatur, & eos splendorem familiæ servare illustriùs, qui candorem castitatis fœdiùs prosternunt: adeò ut haurire oculis pestem, flammas ore disseminare, venenum labiis spargere, virginitatem corrumpere, jura violare matrimonii, decora censeantur esse felicioris ætatis, & laxioris libertatis: isti interno hosti, quem experiuntur, non obsistunt, sed victi cedunt, & ideò Numini abominabiles fiunt, quia vitiis indulgentes, de quibus David dixerat: *Corrupti sunt, & abominabiles facti sunt:* nimirùm cùm primùm corrupti dicuntur, abominabiles deprædicantur; an non abominatio iniquitas est, quæ voluptatis nomine paliata diligitur? & puritatis virtus, ac castitatis decus, veluti fatuitas contemnitur? at si Isaiæ credimus, non eques, sed equus est, ac fœdum pecus, qui fœminis adhinnit: imò & dementes sunt amantes fœminarum, quæ pudicitiæ insidiantur, ejúsque mortem accersunt; quapropter Siracides ait: *Et inveni amariorem morte mulierem, quæ laqueus venatorum est, & sagena cor ejus, & vincula sunt manus illius; qui placet Deo, effugiet illam.* *Psal. 13. 2.* *Eccles. 2. 7. v. 27.*

Castitatis cultor hanc declinet Scyllam, 80.
hanc effugiat Charybdim, hunc devitet sirenum scopulum, ac Circeum stabulum, est enim mulier concupiscentiæ excitatrix, morte ipsa amarior: *Inveni amariorem morte mulierem*, quia hæc per blandimenta concupiscentiæ, per illecebras carnis bella indicens, etiam de viris fortissimis persæpe triumphavit: *quanti*, sit (Cyprianus de singul. Cler.) *& quales Episcopi, & Clerici post confessionem, & victoriarum calcata certamina post magnalia, & signa mirabilia usquequaque monstrata, noscuntur cum his omnibus naufragâsse, dum volunt in mari fragili navigare.* Quantos leones domuit una mulieris infirmitas delicata, tametsi infirma sit, & vilis mulier, viros tamen etiam fortiores prosternit: testes accersuntur Samson, David, Salomon, & alij sexcenti, qui tametsi obarmatis obstiterint exercitibus, & steterint ipsi, cùm cæteri enecti caderent, qui ferro non cecidere, concupiscentiæ illecebris prostrati, ac victi cessêre voluptatibus: de Samsone virorum

for-

fortissimo ait D. Ambrosius *in Apologia Davidis posteriori: Sanson validus, & fortis leonem suffocavit, sed proprie carnis concupiscentiam suffocare non valuit, vincula solvit hostium, sed suarum non solvit nexus cupiditatum, messes incendit alienas, sed unius mulieris accensis ignibus virtutis sua messem protrivit.*

11. An non fortissimus in bello fuit David? & tamen licèt huic nihil detrimenti attulerit Philisthæus Gigas, sed potiùs clariùs ejus illustraverit gloriam; una tamen venusta mulier eminus conspecta, vel in frigido fonte flammas excitans, & ignem accendens concupiscentiæ, hisce missilibus ignibus virtutem expugnavit Davidis; qui ex frigido fonte monstrosas hausit concupiscentiæ flammas: accenditur etiam frigido in fonte concupiscentia, si ibi mulier frigidis illis eblandiatur laticibus; siquidem mulierem vidisse in fonte, perinde Davidi fuit, ac flammas è fornace hausisse: & non homines, sed ferina sunt monstra, quæ flammas ebibunt in fonte, qui ignes hauriunt ex aqua: imò & pecudibus sunt viliores, qui concupiscentiæ illecebris illecti virtutem præstituunt pudicitiæ, quò mulieribus adhærescant. Hinc prodigus adolescens, qui intemperantiùs vixerat alendis suibus præficitur, ut qui fœdissimo depravatus concupiscentiæ vitio in belluam degeneraverat, Dux fieret putidissimi pecoris; & porcis consociaretur, qui vixerat impudicus, & immundus.

12. Non est urbanitas, & lusus fœminis adhæsisse, suóque indulsisse genio; sed mors est pudicitiæ, interitus castitatis, & hominis pernicies; cum Siracides fateatur non invenisse mortem amariorem, quàm in muliere, *& inveni amariorem morte mulierem, hæc* enim, ut ait D. Ambrosius lib. offic. *est janua diaboli, via iniquitatis, scorpionis percussio, genus nocivum. Hæc*, ait D. Chrysostomus, *est naturalis tentatio, desiderabilis calamitas, domesticum periculum, delectabile detrimentum, mali natura boni colore depicta. Hæc est*, ait D. Maximus, *viri naufragium, quietis impedimentum, vita captivitas, quotidianum damnum, voluntaria pugna, sumptuosum bellum, leæna complectens, exornata Scylla, animal malitiosum. Hæc est*, ait D. Anastasius Nicenus quæst 63. in script. *quies serpentis, Diaboli solatium, officina dæmonum, vipera vestita*, quia ex oculis pestem exhalat, ex ore flammas disseminat, & ex labiis venena spargit. Neque urbanitas est, ac lusus fœminis adhæsisse, cum niveo candore flammas excitet, quibus pudicitia cinefit; neque lusus, ac nævus est carnis indulsisse illecebris, cum pluvio è cœlo igne, ac flammante sulfure impuræ obruantur urbes; non enim, si lusus esset, carnis sequi illecebras, concupiscentiæ adhærere voluptatibus tot delerentur reginnes flammis, nec tot cinerescerent urbes ignibus; supplicium adeò acerbum non lusum esse incontinentiam arguit, sed scelus esse attrocissimum edocet. Imò adeò grave est carnis incontinentia flagitium, ut Deum ipsum pœnituerit conditi à se hominis. *Tactus dolore cordis intrinsecus delebo, inquit hominem:* neque aliud fuit hoc scelus, quod Deum ad ultionem, hominisque deletionem provocavit; quàm carnis illecebris adhæsisse: *Acceperunt sibi uxores*; ait S. Ambrosius: *eo usque increvit culpa, ut etiam Deus, qui naturaliter non movetur, aut irâ, aut odio, aut passione ullâ, provocatus videatur ad iracundiam*, eatenus mundus eluvione periit, quia humanum genus intemperantiùs vixerat, & adeò enormes excitaverat ignes impuritatis, ut hisce extinguendis accersiri è cœlo debuerit cataclysmus: demersi fuerunt homines, & naufragi perierunt in fluctibus, quia carnis concupiscentiis exagitati, voluptatum adhæsere illecebris.

Eccl. cap. 7. v. 27.

Homil. 19. à Matth.

Genes. 6. v. 4.

Cap. 4. de Arca.



# DISSERTATIO XXIV.

## Rebellantis luxuria carnis fons est putidissimus, ex quo pravi omnes affectus, & calamitates scaturiunt.

### §. I.

*Quanta sit turpitudo; & atrocitas libidinis ex gravitate conijcitur supplicij, quô à Deo vindice plectitur.*



1. Quamvis nullum videatur idololatriâ crimen atrocius; quamvis nil detestabilius, quàm idolis litare; nihilominus post litatas vitulo victimas penè parcitur populo idolis litanti; non ita post violatas Ammonitidas, imò non violatas, sed tantùm receptas, condonatur populo; sed statim viginti quatuor millia virorum internecione delentur, ac inexpectata morte extinguuntur. Non sunt lusus, qui cum fœminis joci instituuntur concupiscentiæ, sed scelera sunt idololatriâ graviora: Scio post conflatum ex auro vitulum, post victimas eidem litatas, fuisse enorme scelus triginta millia virorum enectorum sanguine deletum; sed scio etiam supplicium fuisse idololatris inflictum jubente Moyse; & supplicium de fornicariis imperante Deo sumptum fuisse. Contra Idololatras Moyses ex Numinis verbis Levitas armat. Sed contra impudicos Deus ipse Moysi injungit ut impuros quosque trucidet, ac interficiat; vitulum, qui conflavit, adhuc vixit: cum Zambri, qui mœchatus fuerat, statim juguletur. Aaron idoli Architectus non expungitur è cathalogo sacerdotum, cum tamen fornicarii igne extinguantur, & cataclysmo deleantur.

*Exod. 37.* *Numer. 25.*

2. Non igitur est lusus impudicitia, sed malorum omnium fons putidissimus, calamitatum scaturigo, hinc ex decem Decalogi præceptis nullum citra supplicium spernitur, nisi sola fornicatio: siquidem desertores fidei exuruntur: notantur stigmate blasphemi: culeo insuuntur parricidæ: ferro trucidantur homicidæ: fures patibulo suspenduntur: quid, quòd sola luxuria, quæ bis in decalogo prohibetur, nec semel audiatur in foro punita? nimirum non speciale injungitur luxuriæ supplicium, quia omnia secum malorum genera trahit; siquidem ob luxuriam Deus mundum universum semel extinxit, & pentapolin in perpetuum protsus delevit. Peccaverat Achab, peccaverat & David; uterque Rex, uterque & homicida, & tamen pepercit Deus Achabo ad primam capitis inflexionem, nec malum ullum in diebus ejus induxit: David autem tametsi lachrymis maduerit, ac contractam à se maculam laverit, non tamen supplicium evadit, sed in filio, & per filium flagitii experitur pœnam, moriente uno, altero rebellante; sed quid? quòd Deus Achabo pepercerit caput inflectenti, & Davidi non coodonaverit lachrymis madenti? quia licèt uterque homicida fuerit; Achabus tamen occidit, ut possideret; sed David occidit, ut mœcharetur; ille interfecit sceptro inhians; hic interemit carnis indulgens illecebris. Et quamvis adulteræ pepercerit Deus in evangelio; non tamen palam fuit ei veniam impertitus, sed tantùm non damnavit dimissam: neque enim de adultera dixit, quod de Publicano edixerat, scilicet mortem se nolle peccatoris, neque Medicum esse, non Judicem; imò injunxit eis, ut fœminam saxis obruerent, si ipsi sine crimine essent. Non igitur impunita dimittitur luxuria, quæ calamitatum omnium catervam integram secum trahit; etenim David, quia post delatas plures victorias, victus ipse cecidit ab impudicitia prostratus; licèt sacco indutus, & cinere aspersus impetrare filio vitam non potuit: nec mirum si adeo Numini invisa est impuritas, quæ scelerum est primogenita, & mater criminum nunquam effœta; etenim scimus, vel in ipso mundi exordio post pomi esum statim impudicitiam irrepsisse, & indiguisse involucris Protoparentes post culpam, nullúmque sensisse infestius crimen, quàm impuritatem; tunc enim se nudos esse noverunt, & simul erubuerunt; tunc folia collegerunt ex arboribus, quibus non tam corporis nuditatem, quàm sceleris fœditatem tegerent.

Imò non sola intemperantia è scelere prodiit, sed ex ipsa cætera catervatim erupêre crimina; quò non abducit homines carnis ille- 3.

illecebris addictos impudicitia? Salomonem è Dei colloquio ad scelera pertraxit Moabitarum; Samsonem hostibus invictum, scorto tradidit vinciendum; Davidem Gigantis domitorem ad fœminam adduxit; effecitque, ut qui à vulnere persecutoris abstinuerat, fidissimi militis cæde manus coinquinaret; si enim concupiscentia grassetur omnia in homine sus déque vertit, & decora evertit virtutum, à quibus sensus omnes statim deficiunt, & oculi, aures, nares, manus, lingua, pedes, cor, & viscera omnia Mœchiæ militant, ex cuius puteo exiliunt fumus, & locustæ; à quibus cuncta exterminantur in cœlo, & in terra; quia nulli parcit sanctorum, & bona omnia corrodit.

4. Hinc præsignaturus Deus scelerum omnium colluvionem in Jerusalem, eam non parricidam, non superbã, non avaram, nec idolorum dixit cultricem; sed fornicariam vocavit, *Tu autem fornicata es cum multis amatoribus.* Quòd si acerbitas morbi ex medicinæ præstantia conijcitur, statim deprehendimus, mœchiam vitiorum omnium turpissimum esse, ac fœdissimum, cui curando efficaciùs pharmacum adhibitum fuit, quàm cæteris corrigendis vitiis? plùsque laboris impensum fuit uni impudicitiæ delendæ, quàm cæteris abolendis vitiis; etenim quis sceleracior Publicano, qui pauperes exsugit, viduas opprimit, innocentes premit, domus expilat, divites expoliat, templa diripit; & tamen hæc omnia piacula festivè, vel inter epulas expiantur; etenim vocatus è telonio Matthæus Jesum convivio excipit; & illicò ab usuris, & rapinis ereptus destinatur ad evulgandum evangelium; & ex publicano fit statim Apostolus.

Ierem. 3. 1.

5. Hoc tamen tam promptum, tamque parabile pharmacum vulneri suo curando neutiquam fuit Magdalena enacta; amoris ignito telo saucia domum ingreditur Pharisæi, non epulatura, sed ploratura; non vinum haustura, sed lachrymas effusura; non accumbit, sed procumbit; non calices haurit, sed alabastrum exhaurit; non ridet in epulis, sed gemit dolore correpta, non læta ludit, sed angore torta irrugit; unguenta fundit, lachrymas effundit, & comas diffundit; pedes osculatur, quibus rectiùs ambularet; lachrymis rigat, ut flores germinent, quos colligat ipsa virtutum; litat fletu, sacrificat affectu, flagrat amore; & quæ antea lilium neglexerat castitatis excolere; satagit nunc rosâ ornari charitatis; ne sine flore hostia mactaretur pœnitentiæ: & tamen post fusas lachrymas, effusa unguenta, litatas cordis victimas, quamvis amare dicatur, adhuc à magistro Christo dimittitur, & Magdalenæ post luctum intimatur, ut discedat, *Vade in pace*; cum Matthæo dicatur, ut Christo consocietur, quem sequatur Matth. 9. 11. *sequere me:* Quid? quod etiam Paralytico altrò peccata dimittat Math. 9. 2. *Remittuntur tibi peccata tua*; cum Magdalenæ vix luxuriam audeat condonare, sed in eius amorem veniæ refundat indulgentiam; quasi non esset ipse, qui luxuriæ peccata dimitteret, sed amor, qui reatum remitteret; & ignis charitatis flammas extingueret impudici amoris; & affectus amoris pugnas iniret, & palmas de profano divinus referret, *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum:* pugnant inter se se affectus, sed castitas, ac amor pudicitiæ de reliquis gloriosiùs triumphant, est enim castitas, quæ pravos prosternit concupiscentiæ motus, insolescentes coërcet appetitus, & pios quosque affectus fovet, quibus plurimum favet; imò ea est castitatis præstantia, ut eam Methodius non vereatur, divinitatis portionem vocare, quâ homo studio addictus pudicitiæ Numini similis fiat. Quòd verò sit castitas regia, ac imperatoria virtus subindicat Cassiodorus *de Baphiarijs*, & *purpura confectoribus*, eò quia adstricti fuerint hanc artem exercentes ad purissimam corporis castitatem, eò quia talium vestium secreta, dicantur immunda refugere.

Luc. 7. 10.

Luc. 7. 47.

Lib. de sacris.

Lic. 1. Epist. 2.

## §. II.

*Castitas perduelles singulos in homine affectus compescit, éstque funus humanæ substantiæ, cujus beneficio virtutes revivíscunt.*

6. Quòd castitas ea sit imperatoria virtus, quæ fortitudine loricata, & puro chlamydata amore, non solùm perduelles concupiscentiæ, & lasciviæ prosternat motus, coërceat impetus, compescat assultus; verùm etiam de prostrata lascivia triumphans pios quosque excitet, foveátque affectus, ac reliquas promoveat virtutes, luculenter ostendit S. Ephrem in suis *de castit. & virginit.* tractatibus, qui habentur *tomo primo*, & Origenes hanc præ cæteris commendans virtutem ait per antitheses, *libro de cleric. singular. Munimen invictum est sanctimonia, & expugnatio fortis infamia, fortitudinis firmitas, & lasciviæ petulantiæ infirmitas; probitatis præsidium, & improbitatis excidium; anima victoria, & corporis præda; ubertas gloriarum, & sterilitas criminum; pronuba sanctitatis, & repudium turpitudinis; sinceritatis indicium, & abolitio scandalorum; exercitium continentiæ, & evacuatio totæ luxuriæ; pax secura virtutum, & debellatio inquieta bellorum; puritatis culmen, & libidinis carcer; honestatis portus, & ignominiæ naufragalis locus; Virginitatis Mater, & hostis immunditiæ; lorica pudoris, & spolium probrositatis, corruptionis exitium, murus rigoris, & destructio vulgaritatis; severitatis gladius triumphator, & dissolutionis occisor; armatura virium, & exarmatura fluxorum; integritatis dignitas, & fornicationis*

*-tionis abdicatio, claritatis fastigium, & dedecoris præcipitium; voluntas bonorum operum, & afflictio vitiorum, refrigerium pudicitiæ, pœna petulantiæ, acquisitio triumphorum, & facinorum detrimentum, requies salutis, & perditionis exilium, vita spiritus, & carnis interitus; flatus qualitatis angelicæ, & funus humanæ substantiæ.*

7. Sed si castitas est flos corporis, nitor animiæ, decor hominis, splendor vitæ, & fomentum reliquarum virtutum, cur funus dicitur humanæ substantiæ? quid cum Manium umbra virtutis splendor? quid cum lilio vernante arescens, & exsiccatum vepretum? quid cum sepulchri arescentibus cineribus florida, ac suaviter olens virtus? si funus humanæ substantiæ Libitinam secum trahit, & castitas virtutum omnium promovet exercitia, vitámque cohonestat, quomodo cohæret cum funere castitas? cæcitas cum luce? umbra cum splendore? hyems cum Vere? sed scitè castitas funus dicitur humanæ substantiæ: quia concupiscentiam, & luxuriam non solùm coërcet, sed penitus extinguit; ne quidquam diffluat de humana substantia, cui funus indicit castitas, quæ pravos quosque affectus insurgentis concupiscentiæ, & insolescentis luxuriæ prosternit, enecat, & extinguit: ideóque funus est castitas humanæ substantiæ, cùm in homine perimat quidquid in eo carnem sapit, ac interimat quidquid Venerem subolet.

8. Hinc castitatis culturæ addicti mortuis accensentur. Egressus Jephtes Hebræorum *Judic. 11.* Prætor contra Ammonitas votum Domino vovit offerendi ei in holocaustum primum ex consanguineis, cui post delatam victoriam obviaret. Cum Jephtes crebris velitationibus Ammonitas incursantes jam compescuisset; & majoribus copiis videretur muniendus, toti præficitur ipse exercitui, cùm verò nollet, nisi vim vi propulsurus ad arma descendere, missis ad hostes legatis fore sperabat, ut lis, quæ Ammonitas inter, & Galaaditas ob confinia intercedebat, citra sanguinis effusionem componeretur; verùm spernentibus illis mitiora consilia, maluerunt, non verbis, sed ferro; non arbitris, sed pugnantibus jus suum tueri. Idque causæ fuit, cur Jephtes pro salute patriæ, ac libertate servanda justâ exarserit irâ contra Ammonitas animos ad pugnam addente non tam insita alacritate, quàm altiore de cœlo virtute è concepto priùs voto se hostiam Deo mactaturum, quod ex domesticis viventibus, si victor è pugna evaderet, sibi domum repetenti primum occurrisset. Hostes Jephtes aggreditur, acer rimè pugnat, plures expugnat, & tandem totum Ammonitarum exercitum frangit, fundit, fugat, dissipat, captis Manubiis, castrisque, ac toto hostili commeatu. Victori è prælio reduci lauros Jephtæ vindici libertatis adferunt populi, ac palmas, cui festivis vocibus adgratulantur; in plausum enim victoriæ, uterque sexus, & ætas omnis cucurrit, nec aliæ pulsabant aures, aërémque opplebant voces, quàm *jo triumphe, triumphe*, quæ debellatori hostium occinebantur. Sed cùm Jephtes triumphali pompa in urbem veheretur Maspham victori patri obviam se prima omnium fert unigena filia, in qua virtus cum venustate certabat, spes unica, & splendor familiæ; præerat enim virginum chori festivo timpanorum pulsu Jephte victori adgratulantium. Ad occursum filiæ, quò se verteret afflictissimus pater, nescius, festiva inter gaudia tristis ipse prorupit in lachrymas, memor voti immolandi Numini, si victoria contingeret potiri, quem ex consanguineis domesticos lares repetenti primò occurrisset: lachrymis madidus delatas ex deletis Ammonitis palmas, cupressus ferales censuit, triumphus in luctum abiit; victrices lauros in amarissimas versæ sunt salices, & epinicia abierunt in nænias: & tametsi sævitiem videretur voti damnare, cum tamen memoriam refricaret Abrahæ sacrificium proprium immolantis filium, in ejus exarsit imitationem, abhorruitque impiam pietatem, quò Numini promissa servaret, & emissa vota fideliter exequeretur. Hinc pius, victórque pater, recollecto fortiùs spiritu filiam alloquens, ait. Vicimus filia, sed tuo sanguine, & vix paucula protulit verba linguæ facundiam prohibente cordis dolore, vestem in geminas scidit partes, & canenti nicæteria filiæ funus indixit; nuncupati religionem voti exposuit, non aliter solvendam, quàm unigenæ filiæ suæ funere.

9. Notat tamen Mariana hic. Hebræos non putare unigenam Jephtæ filiam occisam, *Judic. 11.* sed Dei obsequiis in virginitate mancipatam. Nimirùm vices occisionis obit castitas, quæ est funus corporis, & mors concupiscentiæ, & pro morte subeunda virginitas substituitur custodienda: quàm scitè igitur Origenes castitatem dixit funus humanæ substantiæ, quia culturâ castitatis eradicatur quidquid in concupiscentiæ agro pullulat pravi affectus; amputatur quidquid carnem subolet, sitque propterea castitas, quæ in homine perimit, quidquid in illo carnem sapit, dicatúrque propterea non incongruè castitas funus humanæ substantiæ, cum & unigena Jephtæ filia obsequio mancipata castitatis, occisa dicatur, & oblata in holocaustum, perempta, ac tumulata; tametsi adhuc viveret filia Jephte; quia tamen culturæ castitatis perpetuò addicta, mortuis accenseretur, ac funeratis; quia castitas est funus humanæ substantiæ, quatenus perimit, quod in homine carnem sapit, quidquid luxuriam subolet: unde Origenes in præfato libro de cle-

clericorum singularitate elogiò castitatis addit. *Hujus* (scilicet castitatis) *retinaculis omnis obscœnitas frænatur, & compedibus ejus calces furentis libidinis statuuntur; In hanc veluti in scopulos franguntur impetus, qualescunque sanguinis inundantis, & in illa sedatur humani humoris insania corporalis: qua dum sibi subtrahit adminicula concupiscentia mortua membra sua cognoscit bajulare,* quia castitas pravos omnes in humano corpore interimit motus; ut membra corporis quasi suis destituta motibus mortua sint, & cultor castitatis mortua sua bajulet membra, quæ nihil agunt dissoni, nihil depromunt indecori, & veluti mortua jacent; & quæ in corpore solet concupiscentia petulanter insolescere, frœno coërcita castitatis, perinde jacet, ac si suis esset prorsus viribus destituta, ac penitus emortua, quia est castitas *funus humanæ substantiæ*, & castitatis studio addictus *mortua membra sua bajulat.*

10. Gal. 2, 20. Ad id etiam allusit Apostolus cum *ad Galatas* scripsit: *Vivo autem jam non ego: vivit verò in me Christus*, quia per legem carni, & concupiscentiæ mortuus erat, ut Deo viveret, cùm enim castitatem excoleret nullum erat in ipso membrum, quod de sua viveret pravitate, cum de castitatis præfulgeret honestamento: pulchrè D. Gregorius Nissenus expendens verba Apostoli ait: (Homil. 15. in Cant.) *Hisce verbis tantùm non clamat Apostolus, nullam in se affectionem humanam vivere, non fastum, non simiditatem, non voluptatem, non dolorem, non iram, non metum, non audaciam, non honoris, aut gloriæ cupiditatem; sed his omnibus abrasis; solus, inquit, ille mihi superest, qui est horum, quia est ipsa puritas, & immortalitas, qui pascitur inter lilia.* Tametsi Apostolus viveret sibi, quia tamen erat culturæ castitatis addictus, & libido in eo non viveret, sed sola efflореret puritas; & vernaret flos castitatis, & lilia excoleret continentiæ; ideo eum allexit, qui pascitur inter lilia, qui eum in ipso maneret, de ipsius duntaxat vivebat spiritu: *Vivo ego jam non ego, vivit verò in me Christus*, quàm congruè igitur ab Origene vocatur castitas *funus humanæ substantiæ*, quia sic continentia carnem funerat, ut vitam interimat terrenam: sed si humana substantia castitate funeratur, angelica substantia hoc de funere resurgit, ac reflorescit venustior; ut castitatis cultores dicantur potiùs, perinde ac Angeli ex Deo nati, quàm ex hominibus: (Joan. 1.) *Qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt.* Ubi Syrus Interpres non ex voluntate, sed *ex appetitu viri* legit; & revera nulli dubium, quin sumatur pro concupiscentia, seu appetitu carnis.

11. Sed cur carni voluntas tribuitur, cui nonnisi appetitus, & concupiscentia soleat adscribi? An quia ea est excultæ castitatis efficacia, ea continentiæ vis, ut interempto carnis appetitu in animæ voluntatem eum præsumat reformare? an quia angelica virtus sit castitas, quæ propterea omnem abigat carnis appetitum, & in sola animi efflorescat voluntate? ita est ea excultæ pudicitiæ est vis, ut beneficio hujus culturæ caro ipsa reflorescat in spiritum, & homines casti non ampliùs ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sint; quia caro per castitatis culturam floreseit in spiritum, ut scitè dixerit Tertullianus: *Carnem per continentiam angelificatam esse*: dicitur enim ab ipso caro angelificata, quam nullus libidinis æstus corrumpit, cui non videtur Joannes Climachus dissentire, ita differens: *Excessiva natura abnegatio, corporisque mortalis, atque corruptibilis, mirabilis re vera ad incorpoream, spiritualémque substantiam contentio:* quia nimirum defœcatior castitas per excessivam concupiscentiæ, ac humanæ naturæ abnegationem, ea nitet mortalis corporis puritate, ut quasi carnis oblita corruptibilis spiritum induat incorruptibilem, & mirabilis fiat ad incorpoream, spiritualémque substantiam contentio. Est castitas in humana carne contentio, quia sine pugna, absque contentione non excolitur castitas, neque efflorescit. (Lib. de pudic.) (Gradu 4.)

## §. III.

***Nullus in hominis perniciem truculentior hostis insurgit ipsa adblandiente carne, qua cum demulcet interimit; cum oscula figit, vulnera infligit; quaque à sola vincitur castitate.***

Pugnas init castitas, nititúrque de triumphata concupiscentia, ac interempto carnis appetitu vitam haurire puriorem; nulla enim in cella proma Christianæ perfectionis est virtus præstabilior, quàm animi, corporisque castitas, quam à primo mundi exordio mundus totus fuit admiratus de raritate sua singularem, & de singularitate præclarissimam; adeò ut Origenes eam dixerit: *funus humanæ substantiæ*, eò quia perinde ac mortuus, cultor castitatis abigere à se debet omnes carnis delicias, omnique carere sensu voluptatis; & à Joanne Climacho vocatur: *Excessiva natura abnegatio*, eò quia per inferioris hominis necem petulantiorem suffocat naturæ appetitum, & anima à pravis liberata affectibus mortuum quoad carnis concupiscentias corpus relinquit, sitque propterea castitas *funus humanæ substantiæ*: seu mors quædam corporis, est castitas, quæ animæ pugnanti adversus carnem confœderatur, ac suppetias abundè tribuit, quibus de hoste triumphet: est enim hostis nobis valdè domesticus, & familiaris, quem ob necessitudinem, ac affinitatem etiam amore prosequimur, ac illi ablandimur, 12.

Sss 3 quia

*Ad Ephes. v. 29.* quia ut ait Apostolus: *Nemo unquam carnem suam odio habuit, sed nutrit, & fovet eam*: est tamen hic hostis adeo arctè nobis conjunctus, ut nobiscum nascatur, & nobis crescentibus, crescat, & ipse, nostróque nutriatur sanguine, restauretur somno, reficiatur quiete, ac nostris muniatur armis, & quamvis in annis tenerioribus veluti quidam blandus leunculus videatur potiùs eblandiri, quàm sævire: rugit tamen in ferventiore ætate, & adultus nonnisi sanguine pascitur, & rapinis vescitur, & si nos non dilaniat unguibus, rugitu tamen, torvóque aspectu terrorem nobis incutit.

13. Imò adeò impiè nos pulsat bellando, nos defatigat pugnando, ut optatas nobis nunquam inducias indulgeat, est enim in laboribus socius, in negotiis testis, in otio familiaris, in conversationibus frater, in operibus spectator, in sermonibus auditor, in probis actionibus adversarius, in precibus turbator, in templo insidiator, in locis publicis solicitator, in asceteriis molestus, in cella importunus, & in loco quovis inimicus, cujus proprietates sunt, illiciis lacessere, blanditijs aggredi, illecebris impugnare, voluptatibus vulnera infligere, lenociniis sanguinem fundere, blandimentis prosternere, ac deliciis interficere; neque sexui, & ætati parcit; neque Ascetis indulget, neque Principibus condonat; quinimò in culcitris regalibus deliciatur uberiùs, & vel ipsos Principes, qui sceptro superbientes aliis imperant, suæ plerumque subjicit Tyrannidi; quin & armatas invadit militum phalanges, ubi nihili faciens confusos timpanorum sonos, nec obstrepentes tubarum clangores, victores ipsos in bello prosternit; licèt corpus non sauciet, membra nôn vulneret, sanguinem non fundat, strages, & clades tamen ubique spargit; & ubi victores victrices palmas legunt, lucubres cupressus carnis concupiscentia amputat; tametsi Davidi nil detrimenti attulerit moles illa carnea Gigantis Philisthæi, quem in valle prostravit, interfecit; unica tamen tenella mulier eminus conspecta insurgente in ejus favorem domestico hoc hoste invictum illius animi robur enervavit: tametsi Samson adeo fortitudine prævaluerit, ut leonem suffocaverit, ab hoc tamen domestico hoste prosternitur: etiam apud Poëtas licèt Herculis labores, ac delatæ ex prostratis monstris victoriæ commendentur, victus tamen ipse ab hoc domestico hoste palmas, quas legerat in lerneæ hydræ prostratione, leonis laceratione, fœdè amisit apud Omphalem, & Jonem: hinc exclamat Augustinus loquens de pugna, quâ domesticus hic hostis nos pulsat: *Quàm perniciosa lu-*

*Lib. 3. de diligendo Deo*

*cta! quàm continuum bellum! hostem hunc crudelissimum nec fundere possumus, nec fugare, sed circumferre illum necesse est; quoniam alligatus est nobis. Quid autem periculosius, & miserabilius est, quàm quod hostem nostrum cogimur sustentare, perimere eum non licet; vide ergo quàm solicitè te custodire necessum sit ab ea, quæ dormit in sinu tuo*, est autem hæc, quæ in nostro dormit sinu ipsa nostra caro, quæ blanditiis nos impugnat, lenocinijs aggreditur, voluptatibus vulnerat; & licet pugnare cum hoc hoste possimus; non tamen licèt hunc hostem occidere, cùm in se ipsum sævire minimè liceat, imò teneamur ipsum alere, & nobiscum ducere: hinc Joannes Damascenus ait: *Lib. 1. de vol. cap. 1.* *Cum corpori huic quodammodo conjunctus sim, haud equidem scio quo pacto & imago Dei sim, & eum cæno volutor, quod & cum incolumi valetudini est, bello me insectatur, & eum bello premitur, excruciat, ac mœrore afficit, quod & ut conservum amo, & ut inimicum detestor, quod & ut vinculum fugio, & ut ejusdem hæreditatis particeps revereor.*

Est enim caro hostis, quem nutrimus, 14. & pestis præ cæteris vitiis nobis familiarior, & eo ad nocendum proclivior, & ad repellendum difficilior, quò nobis est intimior, ac vinculo necessitudinis arctiùs adhæresçit: si enim eam velimus repellere, nolentibus nobis se ingerit blandè operosa, & displicendo nobis placet, & placendo displicet, quia tametsi pugnet caro nostra, & concupiscat adversus spiritum, eâ tamen necessitudine ei adhæresçit, ut nec ipsum valeamus spiritum juvare nisi ope corporis, hinc pergit Joannes Damascenus, *si mactare, & debilitare contendam hunc mihi familiarem hostem, jam non habeo, quo socio, & administro ad res praclarissimas utar, nimirum haud ignorans cujusnam rei causa procreatus sim, quidque faciendum mihi sit: sin contra, ut cum administro, & adjutore mitiùs, indulgentiùsque agere mediter, nulla jam ratio occurrit, quo rebellantis impetum fugiam, & omnino Deum excitem necesse est corporis compedibus degravatum in terram detrahentibus, vel detinentibus. Hostis est blandus, & facilis, insidiosus, & amicus.*

Difficulter vincitur familiaris hic hostis 15. cum nobis intimiùs uniatur, ipsi enim noster cooperator & hostis; adjutor & adversarius, auxiliator, & insidiator; si foveatur nos oppugnat; si affligatur nos prosternit, viribúsque destituit, & cùm vulnera non sustineat, adhuc lascivit in pluma. Verùm quamvis difficilis cum hoc hoste sit pugna; sola castitas est, quæ ejus impetus compescit, motus coërcet, assultus retundit, quia castitas nos spiritualizat, quò validiùs adversus carnem pugnemus; per castitatem enim sicut & per Christum pretiosa nobis Deus promissa donavit: *Ut per hæc efficiamini divinæ consortes naturæ: fugientes ejus, quæ in mundo est concupiscentiæ corruptionem*, & quamvis hoc divinæ naturæ consortium per gratiam enanciscamur habitualem, cujus sunt appendices omnes donationes, quæ vires excedunt naturæ; attamen D. Hieronymus, id virginitati etiam tribuit inquiens: *grandia nobis, & pretiosa virginitatis promissa donavit,*

*2. Petri. v. 4.*

*Lib. 1. contra Jovinianū.*

*navit, ut per hæc efficiamur divinæ consortes naturæ.*

Castitas enim est, quâ eam, quæ in mundo est, concupiscentiæ corruptionem fugimus, & cum ipsa sit incorrupta nos Deo arctiùs unit, quia ut ait Salomon Sap. 6. v. 20. *Incorruptio facit proximum esse Deo*, hinc virginitati, & castæ continentiæ id tribuitur, ut castitatis cultores divinæ faciat esse consortes naturæ, & sicut Spiritus à corporis sejunctus crassitie, à quovis est carnis stimulo immunis; ita virginitas exculta omnem coërcet carnis insolentiam, omnémque extinguit concupiscentiæ æstum, & ut pulchrè ait Hildebertus in allegoriis: *Virginitas angelicam redolens conversationem cantat canticum novum, quod nemo potest dicere præter eos, qui cum mulieribus non coinquinati sequuntur agnum. Quippe quibus fuit cum Christo quoddam virginitatis participium, quoddam est, & in præmio consortium*, quia exculta castitas divinæ est consors naturæ, & cum Christo Deo, & homine quoddam est virginitatis participium, quasi virginitas, & purior castitas sit quædam velut abreptio puræ, & virgineæ puritatis: siquidem virginibus est cum Christo Deo, & homine quoddam virginitatis participium, ut & quoddam in præmio consortium. Hinc præfatus Hildebertus animam virginem Virgini Christo desponsatam asserit, & castè fœcundam inquiens: *Beata sponsa, cujus pudor dum concipit, non deperit; dum generat, non laborat. Beatissimus etiam sponsus, cui nisi cohæreat nulla virgo est; nulla casta, nisi eum diligat, nulla libera nisi ei serviat. Ejus prole nihil vivacius, cum qua nulla propagatur mortalitas; ejus dote nihil utilius, in qua sufficientiam comitatur æternitas*: & videtur adhæsisse Tertulliano *lib. de pudicitia*, ubi laudes confert castitatis inquiens: *Continentia verbum maritale animæ quodam castitatis participio neque infœcunda, & improles censenda virtus*, quia suos cultores Deo generat, & de terra terrestres super cœlos evehit, ac natura donatos cœlesti beat.

Al. 1. Conrub. 7.

16. Hinc est, quòd Josephus post somnium de manipulis, aliud quoque somnium viderit, quod enarrans fratribus ait: *Vidi per somnium quasi solem, & lunam, & stellas undecim adorare me*, cumque visionem patri suo, & fratribus retulisset, non eorum in se amorem excitavit, sed fratrum concitavit invidiam, cum pater rem tacitus considera-ret: per symbola manipulorum fratrum portendebatur in Ægyptum profectio ad rem frumentariam procurandam urgente fame: sed quid? quòd sidereo famulatu, cœlestique adoratione Joseph humanum supra fastigium erigitur? nisi quia cum eximius esset castitatis studiosus, non solùm cœlestem visus est naturam induisse, & terrestrem exuisse; verùm & cœlestia syderum obsequia promeruisse: ea est excultæ castitatis vis, ut suos cultores cœlestibus constituat obsequiis dignos: syderum enim obsequia uni debentur castitati, quæ quoddam est divinæ naturæ participium: pulchrè sanctus Aldelmus, tribuens castitati syderum obsequia ait: *Ut non immerito à limpidissimis luminaribus, ac residuis stellarum syderibus, simúlque secundis manipulorum fasciculis somno sopitus adorari, ac venerari videretur.*

Gen. 37.

Lib. de virgin.

17. Cùm enim castitatis studio, ac laude excelleret Josephus, & hæc virtus angelicam, ac cœlestem sapiat naturam, nonnisi syderum ei debebantur obsequia; neque mirum, si quæ syderum turmæ sua viris castis exhibent obsequia, non eadē Angelis videantur tribuere; siquidem Angelum esse felicitatis est; sed castitatis esse addictum culturæ in homine id virtuti tribuitur, non naturæ; & majus est angelicam enancisci gloriam, quàm habere: meritò igitur suis sydera obsequiis Josepho famulantur, quia castitas quoddam est naturæ divinæ participium, quo castus divinis dignatur obsequiis: & sicut quæ proximiùs Deo accedunt, eò illustriùs clarescunt, ac feliciùs perennant; ita castitas hanc invehit perennitatem, cum sit à quavis corruptione aliena, ac propterea interitui haud obnoxia. *Plerique eorum* ait Petrus Damianus: *qui voluptatis illecebræ carnalis inserviunt, memoriam sui nominis post se relinquere per posteritatem sobolis concupiscunt: & hoc toto mentis affectu idcirco desiderant, quia nequaquam se huic mundo mori funditus deputant, si nominis sui titulum per superstes residuæ prolis germen extendant.* Verùm id illustriùs consequuntur, ac feliciùs assequuntur castitatis cultores, de quibus loquens Isaias ait: *Dabo eis in domo mea, & in muris meis locum, & nomen melius à filijs, & filiabus*, quia nominis perennitatem, cui student homines per susceptæ prolis posteritatem, & quidem per modicum temporis; castitatis cultores citra detrimenti periculum, absque ullo oblivionis obstaculo merentur in perpetuum possidere, quia ut ait Joannes: *Ambulabunt mecum in albis, quia digni sunt, & non delebo nomina eorum de libro vitæ*: qui enim agnum sequuntur stolâ albâ induti, seu culturâ castitatis insigniti, nominis ac rei gloriam assequuntur nunquam perituram.

Opuscul. 7. cap. 24.

Cap. 56. v. 5.

Apoc. 14. v. 5.

18. Quantæ igitur est dignitatis, & excellentiæ castitas, quæ à quavis præservat corruptionis noxa, & homines supra homines evehit immortalitate donatos? Neque duntaxat apud Christianos censeamus in hoc esse dignitatis gradu castitatem, cum etiam apud Ethnicos in eo fuerit honore habita, ut prisci Romani Consules, ac Imperatores, imò & ipsi triumphali pompa urbem ingredientes, si iisdem Vestalis virgo aliqua obviasset de via statim decederent in honorem pudicitiæ. Hinc etiam sapientes illi, qui nomina rebus imposuêre, castos voluerunt *cælibes* appellari, quasi *cælites*, eò quia vitam in terris imitentur cœlestem; quin ex

sanctis

sanctis Patribus non desunt, qui virtutem hanc castitatis è fonte derivent divinæ essentiæ, in qua oceanus ebullit puritatis, ducántque natalia castimoniæ ab ipsa Numinis natura: præ cæteris Mediolanensis Antistes, cujus nomen Ambrosiam sapit ait: *Virginitas è cælo accersivit quod imitaretur in terris; hac nubes, aëra, Angelos, syderáque transcendens Verbum Dei in ipso sinu Patris invenit.*

Lib. 1. de virginibus.

19. Hinc cum æterni Patris filius nostram voluerit humanitatem assumere non de alia voluit muliere nasci, quàm de virgine, quia dimanans è sinu Patris, è fonte castitatis, & puritatis, ab hac nunquam voluit, nec in se, nec in suis parentibus sejungi, neque nonnisi inter lilia pasci voluit: & sicut Author est castitatis, ita amator pudicitiæ, cujus amorem jugiter inspirat: ac proinde sancit in virginibus incorruptionem, quæ divinæ est menti propria: viduis continentiam suadet, & delectatur in Asceteriis culturâ castitatis, quâ viri ascetæ florent: & quia præcelsa est hujus virtutis præstantia; id satagunt tartarei hostes, quò hanc labefactent, *& ut corpus* ait D. Chrysologus: *animi domicilium, anima vas, murum Spiritus, virtutum scholam, Dei templum, in scenam crimimum, in vitiorum pompam, voluptatum redigant in theatrum.* Hinc castitatis Athleta non solùm contra carnis stimulos pugnam init, sed & adversus cacodœmonis assultus, mundíque insultus necesse est, pugnet, ne ipse expugnetur: idque causæ, cur pugna castitatis adversus carnem cæteris sit difficilior certaminibus, & in acerrima hac pugna non cadere, sed omnes retundere impetus, coërcere assultus singulari detur gloriæ, laudíque nunquam interituræ: quia præ cæteris præliis, quæ ineunt, qui Deo militant, cæteris difficilius est, quod pro tuenda castitate ad propugnandam pudicitiam geritur: quia certamen est continuum, & adversarius nunquam pugnanti inducias indulget; ideóque inconcussa est necessaria in hoc certamine animi fortitudo, animúsque imperterritus, qui in carne supra carnem agat, & huc pertinet illud D. Hieronymi, qui scribit: *Grandis esse virtutis, & solicita diligentia in carne non carnaliter vivere, secum pugnare quotidie, & inclusum hostem Argi, ut fabula ferunt, centum oculis observare.*

Serm. 11.

Epist. 10. ad Furiam.

20. Castitatem qui excolunt ea debent animalia æmulari, quæ viderat Joannes in Apocalipsi plena oculis ante, & retro: debent oculis manus præmunire, ut quod attingunt solerter videant; pedes non debent oculis destitui, ut videant, per quæ ambulent loca; lingua debet & suis oculis instrui, ut quid loquatur, videat; debet & tergum oculos aperire, ut quæ apparantur insidiæ, videat, quæ imminent pericula declinet: debet & intellectus Argus esse centicolus, ut solerter videat, quid cogitet, imò & memoria vigiles suos debet oculos habere, ne quæ castitati officiunt, recolet; imò debent, & ipsi oculi plures habere oculos, ne nonnisi pura videant, & ne oculi ad illicita retorqueantur: qui castus est, is etiam cautus sit, & solers, ne cadat; quia castitati innumeræ ubique parantur insidiæ; & castitatis cultor, adeo est lapsui obnoxius, ut Tertullianus *lib. de pudicitia cap. 10.* eum funambulo æquiparet, qui tenuissimum funem pendente vestigio ingreditur.

Fallitur, qui absque adhibita diligentia, sine quotidiana cura, sine jugi solicitudine putat, se posse in hoc arduo certamine victorem evadere. Is vincit, qui strenuè pugnat; & is strenuè pugnat, qui sibi vel maximè attendit, ac paratus semper est in retundendis provocantis concupiscentiæ assultibus; quapropter Apostolus suo corpori perpetuum, ac implacabile indixit bellum inquiens: *Castigo corpus meum, & in servitutem redigo*, seu ut explicat D. Chrysostomus compescuit Apostolus *seditionem carnis, coërcuit concupiscentia rabiem*, & prælium continuum carni indixit. 21.

## §. IV.

### *Prælia castitatis cæteris sunt certaminibus difficiliora, quia quotidiana est pugna, & rara victoria.*

Præ cæteris Christianorum certaminibus difficilia sunt, ac aliis duriora prælia castitatis, quia ut loquitur Augustinus: *quotidiana est pugna, & rara victoria.* Nil enim laboriosius virginitate, quæ cum natura luctatur, sed si pugna est difficilior, gloriosior est etiam victoria; & qui hac præmuniti virtute arduum hoc ineunt certamen gloriosiori donantur coronâ. Ideò laudatur Amazonum invictissima Juditha, eò quia Holopherni caput amputaverit, hostilem fuderit, ac dissipaverit exercitum, patriam arctâ obsidione periclitantem liberaverit, labentem religionem restituerit; quia castitatem excoluerat; siquidem inter omnia ejus encomia nullum est, quo ex instinctu divini Spiritus magis commendetur, quàm ex eo, quòd castè, & continenter semper vixerit, & marito suo vita functo ad secundas detrectaverit nuptias transire: *Fecisti viriliter, & confortatum est cor tuum eò quòd castitatem amaveris, & post virum tuum alterum nescieris; ideo, & manus tua confortavit te*, hoc est, hæc heroina, ideo Holophernem prostravit, ejúsque exercitum fugavit, dissipavit, & libertatem asseruit patriæ, quia edocta in castitatis certamine didicerat se ipsam vincere, & propriæ concupiscentiæ hostem prosternere; ideóque assuetæ victorijs sui, difficile non fuit etiam de prostrato Holopherne victricem referre palmam. 22.

Judith. 15. v. 11.

Est

23. Est castitas, quæ suos ad pugnas obarmat cultores, instruit ad victorias, erudit ad triumphos; testem huc accersitum volo Ducem Banaiam ad singulare certamen in arctam cisternæ palæstram descendentẽ adversus ferocientem leonem, qui vel solo rugitu aures, & aëra terrore opplebat, solo obtutu timorem incutiebat adstantibus; hunc tamen, licèt omnibus esset formidini, Banaias debellavit, occidit in cisterna delitescentem, ex qua ob delatam de prostrato leone victoriam plus hausit gloriæ, quàm pugnando fuderit sanguinem. Sed quid quòd tot commendetur Banaias laudibus ob prostratum leonem? quid? quòd tantis extollatur encomiis? non ne etiam David in florente licèt ætate pascendis gregibus destinatus leonem arietibus insidiantem per mentum apprehensum suffocavit, interfecit? Non ne Samson hoc idem præstitit, cum obvium sibi leonem, ungues, & fauces parantem in perniciem parentum, manu arreptum in frusta discerpsit? & tamen non ita laudatur David ab prostratum, interfectúmque leonem; non ita commendatur Samson, cujus de discerpto Leone victoria delata nonnisi perfunctoriè subindicatur: cur igitur Banaias ob interfectum in cisterna leonem tot excipitur encomiis; cum David, & Samson ob similem de prostrata fera delatam victoriam nonnisi parcè laudentur? hujus causa discriminis ex circumstantiis loci, & temporis eruitur; in cisterna cum tellus altâ obrueretur nive occidit Banaias rugientem, 1.Reg.1.23. v.20. ac ferocientem feram: *Percussit leonem in media cisterna in diebus nivis.* Quid? quòd scriptura, & locum memoret cisternæ, & tempus referat brumale? quo flumina, & lacus frigido concrescunt gelu; arbores, & sylvæ crebris albicant pruinis; montes, & valles; campi, & colles, ac telluris tractus omnes nivibus obruuntur, ac sepeliuntur: Verùm dum gelidæ hyemis, ac dierum nivis scriptura meminit, luculentiùs significat, leonis æstus tunc acriores fuisse; solet enim in animantibus dum singula exteriùs frigore rigent, & tristis, ac immitis hyems gelidas injicit fluminibus compedes; ac nivibus sylvas, & tellurem obruit, calor intus in præcordiis per antiperistasim incrementa subire, acriúsque æstuare: non censeamus quid aliud præsignâsse hunc in leone æstum, quàm ferocientem in lumbis nostris concupiscentiam, æstúmque libidinis. 19.v.2. *Mater tua Leana* ait Ezechiel: *ardentem continuámque febrim patitur* hæc autem febris exardens libido est ait D. Ambrosius: *Febris nostra libido est, febris nostra luxuria est*; huic sedandæ febri nullum nivibus paratius alexipharmacum; produnt nives in blandimento candoris castitatis culturam, quæ motus compescit concupiscentiæ: 1 fin. *castitas* (ait Augustinus) *est virtus sub jugo rationis, imperium libidinis refrænans.*

24. Nil fortius castitate ad æstus, vel sedandos, vel extinguendos concupiscentiæ, dummodo mortificatio castitati arma suppeditet, quibus hostem prosternat; hinc sponsus labia describens sponsæ culturâ castitatis commendatæ ait: *Labia ejus distillantia myrrham primam*: Cant.5. sed cur lilia in labiis? an quia castitas exculta in corde, vernat in labiis? floret in ore, olet in verbis? quia ut colloquia prava mores probos corrumpunt, & improbos amores fovent; ita puris, castísque colloquiis pudor adolescit, & lilium floret, & olet castitatis. Floret in ore excultum in corde lilium; sed si myrrham stillet, si amaritudine rigetur mortificationis; nil fovendæ virginitati accommodatius myrrhâ, nil mortificatione aptius: non delectatur deliciis affluere castitas; sed gaudet amaritudine imbui; flos est qui non delicias germinat, sed myrrham distillat, quâ & irrigari gaudet, ac enutriri; adeout labia distillantia myrrham demutentur in lilia castitatis. Myrrha sponsæ passio est, quam distillare debent labia si lilia sunt; non enim aliud loquuntur labia sponsæ, quàm cruciatus dilecti sui: *Labia ejus lilia distillantia myrrham primam*, dulcescit myrrha si stillet è lilio; quia castitas amarore delectatur, & florescit lætior, si lacrymis rigetur pœnitentiæ, si spinis voluntarii cruciatûs sepiatur; neque lilium castitatis vernat tutius, quàm pœnitentiæ vallatum dumetis; quæ cum lumbos pungunt cilicino baltheo, Veneris expungunt illicia; & concupiscentiæ extingunt æstus, coërcent impetus; idque fuisse D. Hieronymum in se expertum fatetur in Epistola, quam ex eremo direxit ad Eustochium Virginem, cui recenset molestas tentationes, quibus pulsabatur, cum ejus animum subiret cogitatio puellarum, quas adhuc in florente sua ætate viderat Romæ choreas ducentes, quæ cum à spiritu fornicationis memoriâ refricarentur; ad concupiscentiæ retundendos impetus, ac lilium propugnandum castitatis inter carnis assultus, nullum expertus est clypeum validiorem ipso cilicio, ac corporis afflictatione in eremo: ait ipse: *O quoties in eremo constitutus, & in illa vastissima solitudine, quæ horridum Monachis præstat habitaculum, Romanis putabam me interesse delicijs; sedebam solus, qui amaritudine plenus eram; horrebant sacco membra; & deformis, & squalida cutis situm æthiopicæ carnis obduxerat, quotidie lacrymæ, quotidie gemitus; videóne quanta animi soliditate viriliter pugnaverunt contra se! dum enim contra se factus est crudelis, & rigidus, suimet factus est triumphator.* Epist. ad Eustoch.

Vincit castitatis Athleta si baltheo cinctus cilicii, ac rigidioris pœnitentiæ in arenam descendit pugnaturus contra insolescentes recalcitrantis concupiscentiæ affectus; 25. cum voluptatibus perinde ac cum bestiis interitum molientibus congreditur, & nisi quæ mentem subeunt libidinum imaginationes illicò retundantur, vulnus semper videntur aliquod inflixisse. Nos expugnaturus hostis tartareus eam in nobis partem impetit,

tit, quæ infirmior est, imbecillior, ac expugnatu facilior; est hæc, caro ipsa nostra: *Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma*; ideóque carnem nostram fortiùs impugnat, quò faciliùs nos expugnet; scit enim quantum sit ad lapsum prona concupiscentia; ideóque eam frequentiùs pulsat, per illicita desideria, quæ immittit; per venustas mulierum species ad Venerem sollicitantes, quas objicit; per fomenta libidinum, quæ suggerit; per pabulum, quod vitiis subministrat; per concupiscentiæ stimulos, quos commovet, & in imis visceribus impuros accendit ignes, pravos excitat affectus, animam nitentes in cœnoso demergere obscœnitatum gurgite, pudorem extinguere, & castitatem interimere: & eò est crudelius hoc bellum nobis à cacodæmone indictum; à carne nostra paratum; quò per delectabiliora, & magis illecebrosa lacessimur, & expugnamur: quia quamvis hostis hoc in bello gladios non acuat, secures non apparet; eculeos, & rotas non erigat; fornaces non accendat; & suppliciorum, ac cruciatuum non aperiat lanienam, ut in primo Ecclesiæ exordio, cum Martyrum palmæ proprio irrigatæ sanguine germinarent feliciùs; *non tamen deposuit odium*: ait D. Leo magnus: *sed mutavit ingenium*: bellum nobis per propositas movet illecebras; nos aggreditur, pulsat, & vulnerat; sed allicit aggrediendo, placet pulsando; & delectat cum vulnera nobis infligit, quæ tantò lethaliùs feriunt; quantò delectabiliùs placent: hinc conquerebatur S. Hilarius quòd contra persecutorem faventem pugnaret, contra hostem blandientem, non dorsa cædentem, sed ventrem palpantem; imò adeo crudelescit hoc bellum, ut D. Bernardus speciem dicat esse veri martyrij, ait ipse: *Genus quoddam martyrij est spiritu facta carnis mortificare; illo nimirum, quò membra cæduntur ferro, horrore quidem mitiùs, sed diuturnitate molestius. Non enim sola sanguinis effusio in confessione reputatur, sed devota quoque mentis servitus immaculata, quotidianum est martyrium; illa corona de rosis, & violis plectitur; hæc de liliis*, censet mellifluus Doctor, prælia castitatis haut ab ijs abludere, quæ à sanctis martyribus contra tyrannos suscipiebantur; neque dissentit S. Laurentius Justinianus, qui D. Hieronymo pugili strenuo castitatis palmam tribuit martyrij inquiens: *sine sanguinis effusione gloriosi martyrij triumphum obtinuit, quod enim carnificis mucrone non pertulit, hoc in se ipso castitatis amore complevit.*

Matth. 26. v. 41.

Serm. 30. in cant.

In Serm. de S. Hieronym.

26. Pugnat bellatrix castitas, & de pravæ concupiscentiæ prostratis affectibus triumphat, tantò ad coronam illustriùs, quantò in pugnâ acriùs hostes prostravit, eorúmque retudit impetus. Ubi castitas pugnat; ibi palmæ crescunt ad victoriam vegetiores; idque luculenter testatur victoria illa insignis, quam Abraham retulit de prostratis quinque Pentapolitanis Regibus: res ita contigit. Jam diu Pentapolitarum flagitia ad expetendas de nocentibus pœnas promeritas Deum irritaverant; unde consultiùs visum fuit armis priùs, quàm excidio hominum perditissimorum ponire malitiam, castigare insolentiam, ac effrænes libidinis æstus extinguere; ut sicut viri nequam quibusdam veluti gradibus scelerum ad extremum pervenerant malitiæ; ita id causæ fuit, ut Deus vindex à molliore correctione gradatim ad irrevocabile pergeret excidium. Erant Pentapolitæ populi; qui hanc fuerant nomenclationem sortiti à quinque quas incolebant Palæstinis urbibus sitis in valle amœnissima, quam Jordanes fluvius suis irrigabat laticibus. Hi jugum Chodorlahomoris, cujus premebantur dominatu, excutere studuerant, & negatis tributis, quæ per duodecim jam annos solverant tyrannico adacti imperio veterem vendicare libertatem satagebant. Sed Chodorlahomor reducturus ad officium contumaces, milites conscripsit, exercitum recensuit, & cum ingentibus copiis, vallem ingreditur, quam Hebræi à planitie *Siddim* vocant; & Pentapolitas aggreditur; qui tumultuatim suas etiam conscripsere copias, quibus vi vim propulsarent: quinque Pentapolitanis civitatibus totidem præerant reguli *Bara* Sodomæ; *Bersa* Gomorrhæ; *Sennaabus* Adamæ; *Semeber* Seboimæ; *Bala* Segor: hi initis consiliis castra duxerunt metari; spem certam victoriæ referentes in puteorum multitudine, quâ siddæa vallis scatebat; hos igitur stramentis, virgultisque leviter contectos hostibus veluti in certissimam passim objiciebant perniciem, ac necem; sed sua ipsos spes fefellit victoriæ, quæ non lætas palmas, sed lugubres germinavit cupressus.

Assirij enim deprehensis insidijs in auctorum suorum capita dolum totum refuderunt; collatâ siquidem acie, Pentapolitani vix ad modicum tempus vim sustinuerunt, ac primos hostium irruentium impetus non valentes retundere, projectis turpissimè armis, quò celeriùs in pedibus constituerent totius corporis incolumitatem, fugam non simulârunt, sed præcipitârunt; eò tamen timore perculsi, ut potior fugientium pars ab insequentibus Persis funesta clade fuerit cæsa, ac interempta; & superstites in bituminis delaberentur voragines: paucis dumtaxat cladem evadentibus, qui in avijs montium fastigijs quærentes latibula domus suas, ac urbes in direptionem victoris Persæ reliquerunt; qui ad cumulum prædæ secum duxit quidquid ætate, robore, ac præstantia formæ visum ei fuit idoneum. 27.

Adductus cum captivis fuit etiam Lottus sua cum uxore, ac filiabus. Commotus Abraham nepotis sui Loti captivitate, cujus erat patruelis, e familia sua, quam alebat amplissi- 28.

plissimam, selectis robustioribus, hos suis sub signis armavit; trecenti enim & octo recensi fuere, qui omnes stabant ad omne Abrahami imperium parati, quibus adjunxit volonum exiguam manum, non tamen contemnendam ex trium fratrum servitijs, ac clientelis collectam; stationem suam id temporis fixerat Abrahamus in convalle Mambre; è quâ exivit cum suis conscriptis copiis; & non suo, sed divino fretus robore, Persas, ac sociales eorum turmas (siquidem Chodorlahomor tres alios minorum gentium reges in belli societatem asciverat *Amraphelum* Babylonis, *Ariochum* Cœlesyriæ, & *Thadalem* promiscuarum in Phœnicia nationum Præfectos) improvisus adoritur, quorum partem interfecit, & reliquos trepidatione mutua se se præpedientes cruenta clade fudit, ac delevit; imò & perpaucos superstites beneficio noctis elapsos persequitur tergis inhærens fugientium; neque iosequi destitit donec quidquid fugâ, latebrisque cædem evaserat pridianam effuso cruore deleret, ac prædam, captivósque omnes extorqueret. Quid quod Abrahamus cum solis trecentis, & paucis alijs superadditis plures fregerit reges, ac eorum dissipaverit exercitus? *Percussit eos, & persecutus est eos; reduxitque omnem substantiam, & Loth fratrem suum.* Nimirum trecenti virtute loricati castitatis prævaluerunt contra reges illos carnis addictos illecebris: ut enim notat Rabanus, Abrahamus milites paucos conscripserat, sed omnes castitatis studio insignes; ait Rabanus: *Vernaculos duxerat juvenes ad bellum promptos, qui non fuerant uxorati:* quia ubi castitas pugnat, ubi puritas classicum canit, ibi adoreæ audiuntur; ubi lilia vernant, ibi & triumphales lauri virent; quia castitas vitiorum furias edomat; ac de pravis omnibus affectibus, quos exurens solicitat concupiscentia præclarè triumphat.

Genes. 14. v. 14.

In præfat. in Genes. 14 v 14.

19. Hinc Jobus præliantis castitatis armamentarium, thesaurum vocat non gemmis refertum, sed nive oppletum: *Numquid ingressus es thesauros nivis?* ut autem hos thesauros nivis censeas esse armamentarium castitatis, statim subdit: *quos praeparavi in diem pugnæ, & belli:* sed quæ nivis cum bello cohærentia? illa blandimento candoris oblectat, istud rubedine fusi cruoris terret; illa frigus accersit, istud calorem excitat; illa æstus extinguit, istud ignes accendit; quæ igitur connexio nivis cum bello, candoris cum rubedine, frigoris cum calore? quia nimirum nix blandimento candoris symbolum exhibet castitatis, quæ Deo placet exercituum, à quo propterea tale enancipitur robur, quo ad tartareas omnes potestates prosternendas sufficiat; ut sola pravos omnes carnis affectus coërceat, ac debellet; quod si ut nos monet Apostolus: *Habemus thesaurum istum in vasis fictilibus*; huic thesauro fidè custodiendo nil nive aptius, nil cul-

Job c. 38. v. 22.

2. Corinth. 4. v. 7.

turâ castitatis valentius; propterea si adversarij hunc satagant thesaurum surripere, muniamur nive, studeamus virtuti castitatis, delectemur pudicitiæ culturâ; præparemus thesauros nivis in diem pugnæ, & belli.

## § V.

### *Bellatrix castitas toto nisu otium proborum affectuum hostem infensissimum, & pravorum fautorem solertissimum fugat, & prosternit.*

Micat castitas quia virtus illustris, & dimicat quia bellatrix fortis, quæ pravorum affectuum turmas sub concupiscentiæ signis insurgentes prosternit, ac dissipat. Arma quibus utitur hæc bellatrix invicta, & debellatrix strenua plura sunt offendentia, & defendentia; non tamen adhibet tormenta bellica ære fusa, pulvere pyrio, ferreóque globo instructa, & fœta; neque tormenta nautica infinita, nec policastra, catapultas, ollas igniarias missiles, clavas militares, secures equestres, sarissas, nec alia id genus offendentia arma; sed alia prosternendis hostibus pudicitiæ aptiora, ut præ cæteris est otium, quod cultor castitatis longiùs fugat, sciens nil ad vitia, seu distenda, seu committenda proclivius vita desidiosa, ac otiosa; est siquidem otium vitiorum usitatum pulvinar, ac fomentum luxuriæ, pabulum libidinis; quapropter Diogenes ipsam libidinem dixit negotium esse otiosorum, sitque veluti portentum hominem invenire otio marcescentem, & libidini non indulgentem; cùm sint otium, & Venus individui comites, perinde ac tognata dicuntur vitia esse mentiri, & furari: otiari, & non luxuriari musca videtur esse alba; ab otio enim incendia excitantur libidinum, estque otium ipsa libidinis favilla, quia ut scribit Seneca *Otiosus non sibi vivit sed quod turpissimum est veneri, somno, libidini.* Est autem otium veluti hiascentis navis rima patens, per quam ingressa aqua navim miserè mergit, ut notat mellifluus Doctor inquiens: *Sicut per rimam sentina aqua latenter intrat, & excrescit, donec navis per nautarum incuriam demergatur: ita ex otio, atque ignavia cogitationes pravæ, ac concupiscentia multiplicantur, donec navis cordis, vis succumbens in peccato periclitetur.* 30.

Epist. 55.

Serm. de S. Andrea.

Infensissimus fuit otio Bernardus, eò quia noverat putidam esse radicem, è quâ vitia omnia germinant; quapropter ad fratres de monte Dei ijsdem hortatur otij fugam scribit: *Omnium tentationum, & cogitationum malarum colluvies est otium; summa mentis malitia, malorum omnium sentina, & mors animæ:* & serm. 51. de modo bene vivendi, quò cultor castitatis sciret otium esse fomentum libidinis ait: 31.

*Luxuria citò decipit homines otio deditos, & graviùs urit, si quem otiosum invenit: industria, & labori cedit:* non tamen credas nil otium agere cum insidias nectat castitati, satagit enim pudicitiam evertere, unde pulchrè Philo ait: *Consuetudine, & quiete confirmatum otium insidiosum est:* sicut hominis ingenium cariem, seniúmque in otio contrahit, & desidies, non animo tantùm, verùm etiam ipsi corpori est noxia, adeò ut vita ipsa sedentaria marcorem conciliet; ita otium castitatem inficit, ac pudicitiam devenustat. Hinc Demetrius vitam otiosam, quæ nec animum excolit, nec corpus exercet, mare mortuum esse censet; & otium iners, ac inactuosum non quietem, & tranquillitatem invehere, sed perniciem advehere, totúmque hominem inficere, adeò ut iners otium non solùm pudicitiæ, verùm & vitæ ipsi insidietur, quinimò rectiùs dixerim otium esse mortem ipsam spirantem, & vivi hominis sepulturam.

*Apud Ant. in meliss. serm. 40.*

32. Neque otium quid aliud est, quàm lethale venenum, quo virtus perit, unde Salomon ait: *Egestatem operata est manus remissa: manus autem fortium divitias parat,* quia si labor divitias accersit, gazas accumulat, opes parit; otium è converso inopiam, ac miseriam secum trahit; quòd si diligentia ditat, negligentia depauperat; si labor parens est opulentiæ, desidia mater est egestatis, ac miseriæ, imò & mortis ipsius; quia otium venenum propinat, ubi enim vulgata legit: *Egestatem operata est manus remissa* hebraicè *venenum* legitur, eò quia segnities, ac otium lentum sit venenum, quod sensim proserpens non solùm lilium devenustat, ac corrumpit pudicitiæ, sed etiam totum hominem inficit, quem torpore æquè, ac fame conficit, ac enecat: hinc Cyrillus damna conglobans otij ait; *Quid enim est otium nisi perditio irrevocabilis horæ? effusio vitæ, retrogradatio proficiensi? hinc gignit carnis desidiam, parit superbiam, accendit luxuriam, solvit linguam, nutrit indigentiam, & introducit rapinam,* quia ut ait Salomon Egestatem operatur remissa manus, seu venenum, cujus potatio est effusio vitæ, & cùm quis otij venenum haurit vitam effundit. quia hæc deficit, ubi facultates, & potentiæ feriantur, ac inerti torpescunt otio, & dum vir deses otio tempus prodigit, prodigus temporis vitam effundit; unde Seneca: *Turpissima est jactura, quæ per negligentiam fit: & si volueris attendere magna vitæ pars elabitur malè agentibus, maxima nihil agentibus, tota aliud agentibus: quem mihi dabis, qui aliquod pretium tempori ponat? qui diem æstimet? qui intelligat, se quotidie mori?*

*Prov. 10. v. 4.*

*Lib. 1. Apolog moral. cap. 14.*

*Epist. 1.*

33. Agunt quidem aliquid etiam qui otio indulgent, sed quia malè agunt, nil dicuntur agere, sed semper otiari, quia eorum opus est vel inanis curiositas, vel vanitatis negotiatio, vel temporis perditio, vel lusûs occupatio: student enim in plateis, in foro, in theatris, in tonstrinis, triviis, ac circulis auram aucupari popularem, quod perinde est, ac otiosissimis occupationibus diem perdere, sintque propterea plures ex hominibus, qui non solùm auribus, sed & pedibus malè prurientes vias perambulent perversitatis, & itinera instituant vanitatis; & hi adhuc dicuntur otio torpescere, eò quia nil boni agant, & toti vagi, ac inquieti plus foris, quàm apud se ipsos hæreant, quibus omnes dies sunt nundinæ, in quibus nil fit, nisi perpetua animi fluctuatio, & turbulentia, in futilibus rebus solicitudo, & in caducis perennis circuitus; nil temporis concedunt culturæ virtutis; nil insumunt inquirendæ saluti, sed totum prodigunt, & omnia agentes nihil agunt, & quamvis polleant naturæ dotibus, floreant ætate, ignavi tamen languore consenescunt, eisque transeunt dies salutis, eripitur è manibus cœlum, obsolescit lumen gloriæ, vita transvolat, & dum mors imminet, dum instat æternitas, nil egisse, & ipsi fatentur.

Virtus flos est, qui si non excolatur arescit, ac deficit: & lilium castitatis otio corrumpitur, perinde ac aqua in foveis absque decursu, ut ait D. Laurentius Justinianos: *Sicut aqua quæ caret decursu, ac jacet in foveis putrescit: ita, & corpus otij tabe confectum concupiscentiarum, ac voluptatum carnalium parit, ac nutrit insaniam.* Lilium castitatis non solùm cultura indiget, ac labore, ut vernet candidius, floreatque suavius, verùm etiam cœlesti stillicidio, roscido imbre, quo rigetur, ac madeat; & otio indulgentibus hæc cœli beneficia denegantur. Cum fames populum in deserto torqueret, simúlque murmura excitaret; cœlum ad famem propulsandam, & ora obmurmurantium claudenda pluit largiùs manna, & tunc dixit Moyses populo: *Iste est panis, quem Dominus dedit vobis ad vescendum, colligat unusquisque ex eo, quantum sufficit die illo, nullus relinquat ex eo in mane. Feria autem sexta quisque mensuram duplicem colligat pro die illa, & sequente Sabbatho:* sed cur, cùm cœlum singulis pluerit manna diebus, Sabbatho postea consuetum denegat populo obsonium? quia nimirum Sabbathum dies erat otij, ideóque otianti populo cœli subtrahuntur beneficia; otium enim à se cœli munera abigit, pulchrè Cyrillus expendens cur cœlum manna non plueritSabbatho, otium vellicans ait; *Qui sectatur otium stultissimus est, etenim Sabbathizante Israële cœlum non pluebat manna. Quin & aqua putrescit immobilis, & immotus ensis rubigine mox sordescit, pes quietus obstupescit, & vestem depositam dirus tineæ dens corrodit; cor dum vivit, nunquam quiescit, naturalis virtus non dormit, & regina mundi prudentia semper agit:* scitè ait Cyrillus *Sabbathizante Israële cœlum non pluebat manna,* quia dies Sabbathi dies erat otij, & quia quiescebat populus, manna cœlum non pluebat. 34

*Lib. de perfect. grad. cap. 9.*

*Exodi 16.*

*Lib. 1. Apolog. cap. 14.*

Sed

35. Sed oritur hic difficultas, quia si populus Israëliticus non ex vitio, nec proprio arbitrio quieti indulgebat sabbatho, sed religionis causâ, & ex Numinis imperio, cur obtemperanti populo Deo jubenti quietem sabbathinam cœlum consuetum non impertitur quiescenti populo obsonium? nec illi manna pluit? quia nimirum licèt religiosè quiesceret die sabbathi populus, sacrámque quietem Deo consecraret, ne tamen otium in alios irreperet dies, denegat cœlum manna populo quiescenti in sabbatho, ne cæteris diebus otio indulgeret, sed laboribus suis sedulo incumberet; ne virtus otio marcesceret, & ne per cessationem laboris deficeret à cultura virtutis: quia igitur die Sabbathi, seu quietis, & otii non pluebat cœlum manna populo, voluit Deus, ut inde disceret non otiari aliis diebus, nec laboribus parcere; ni vellet consueto privari obsonio; quod denegabatur otio sabbathioo, licèt populus tunc religiosè quiesceret; ut inde magis timeret subtractionem hujus beneficii reliquis diebus, si non ex Numinis mandato, nec religionis causâ otio populus indulsisset; siquidem otiante, & sabbathizante Israële cœlum non pluebat manna, eò quia otium escatilem cœli rorem prohiberet.

36. Est enim otium, si religionis causâ non sit institutum vitiorum omnium fomes: sicut enim in prædivitum, ac Principum culinis, plerumque desidia coquorum id compendii reperit, quando ignis segnior est, ut ad flammas excitandas, ignémque irritandum butyrum dormitanti igni affundat, quò nutrimento vegetior factus incrementum subit ignis; qui acriùs exardescit, suásque vires exerit validiores; ita dixerim Tartarei hostis calliditatem agere cum indulgentibus otio; libidinum ignis, si in ipsis deprehendatur fractior, ac debilior, tunc oleo, & butyro eum excitat, & in id cacodœmon incumbit studii, ut otio deditos cibo, & potu, veluti oleo, & butyro farciat, quo ignis libidinum accendatur acrior, & flores citiùs cinerescant virtutum.

37. Hinc flores virtutum tunc vel in ipso Davide exaruerunt; & flos pudicitiæ tunc defecit, cum cœpit otio indulgere, cùm enim vertente anno, quo consueverant Reges ad bella procedere, David mansisset desses, ac otiosus domi, & Joabum, ac servos suos misisset ad præliandum contra filios Ammon. *David autem remansit in Jerusalem*, nimirum exactâ hyeme, & redeunte vere, seu tempore, quo solerent Duces, & Principes in aciem ad strenuè dimicandum procedere, David otiosus domi remansit, & otio captus, ac à sana mente alienus antiquum dedifcens tor, quo Deo placuerat turpissimo se adulterio inquinavit, & homicidium infidè cruentum commisit, & post tot victorias illustres de prostratis hostibus delatas, succubuit ipse otio debellatus, & in ipso exaruit flos pudicitiæ, igne exsiccatus libidinis: agebat tunc David annum vitæ quadragesimum octavum, regníque sui decimum nonum. Inter primos in illa expeditione cum Prætorianis Davidis copiis profectus fuerat Urias probitate morum insignis. Hic domi reliquerat Bethsabeam conjugem, eò quia necessariæ non sint fœminæ castrorum appendices, quin potiùs sint pugnantibus impedimento.

*2. Reg. cap. 11. v. 1.*

Cumque David æstuante pomeridianis horis sole post susceptum somnum in grabato, post epulas, seu postquam otio indulsisset; marcidum à somno diurno corpus liberiori aurâ, ac membrorum agitatione reparaturus in solarium domûs suæ regiæ ascendisset ambulandi, auræque refrigerantis captandæ causâ, contigit, ut eadem hora Bethsabea uriæ uxor, ac fœmina præ cæteris speciosa, ac venusta, membra corporis ad solis coërcendos ardores, æstúsque temperandos in domestici horti saliente fonte ablueret intautiùs denudata, & quidem magis, quàm fœminam decuisset pudicam; vix è solario suos in ipsam laxavit David oculos, & è nivibus albescentis fœminei corporis flammas hausit impudicas, & è frigidis illius fontis laticibus æstus ardentiores in se excitavit insolescentis concupiscentiæ; & mulierem, quam oculis attigerat, cœpit corde deperire, misítque propterea, qui nomen, genus, & vitæ conditionem lavantis se mulieris exquireret, cùmque omnia singillatim didicisset, ad se fœminam accersivit, quam & fuit interpellatus de corporis usura, & cum mulier minimè fuisset Regi obluctata, excitante otio libidinis flammas, ignémque accendente concupiscentiâ; ubi flores consuescunt prope fontes vernare amœniùs, florere lætiùs, lilium pudicitiæ fœdè exaruit, cum suos David in fontem oculos iojecit, postquam otio indulserat; & quia scelus sceleri viam emollit, ne notam incurreret infamiæ, quia Urias maritus mulieris trimestri jam abfuerat, evocatur illicò è castris, & à Rege de belli fortuna, ac successu postquam fuisset interrogatus, domum remittitur ad uxorem conveniendam, sed ratus Urias non decere militem urgente belli tempore ad uxoriam divertere consuetudinem, & fœmineis emolliri blandimentis; maluit custodibus portæ regiæ se associare, somnúmque cum ipsis capere: quod cum intellexisset David, séque novisset, spe sua frustratum Uriam accusavit inhumanitatis, eúmque iterum ursit, quò domum rediret, ac uxorem viseret, necessariámque cum ipsa quietem caperet, sed cum iterum spei suæ intelligeret vanitatem, & Urias secundò ante foras regias somno indulsisset; ubi Rex novit omnem humanitatis conatum frustaneum esse, non ampliùs à regia benignitate, sed à Tyranni crudelitate consilio capto, Joabo litteras scripsit Rabbatham tunc obsidenti, quibus injunxit, ut Uriam pro fronte,

38.

Ttt 3

te, ubi periculum certiùs imminet, constituat in prælio, præmonitis etiam commilitonibus, ut pugnantem, & in extremo discrimine versantem Uriam medios destituant inter hostes; cúmque Joabus injunctum sibi à Davide exequeretur mandatum: innocens Urias fortissimè dimicans adversus hostes, & præ cæteris virtute bellica micans à suis deseritur commilitonibus, & per inflicta sibi vulnera cadit, qui cæteris fortior steterat. Si David fuisset, & ipse in aciem profectus, si domi deses non remansisset, si post epulas otio non indulsisset pomeridiano, sed honesto aliquo se exercuisset labore, ambulatum non ascendisset solarium, in mulierem lavantem se oculos non injecisset; impuros ignes, quibus lilium exaruit pudicitiæ ex frigidis illis salientis fontis non hausisset laticibus.

30. *Quæst. 15. in 2. Reg.* Observat Theodoretus, negotium, seu laborem Davidem effecisse virum juxta cor Dei; & otium sic eum à corde alienâsse, ut antiquum dediscens cor, se fœdè constituerit adulterum, homicidam, ac Deo inimicum. Pulchrè Cyrillus *Lib. 1. Apolog. moral. cap. 14.* *Labores quamdiu sustinebit membrorum societas, nunquam me rapiet vagationis captiva libertas, aut otiositas cordis fluctuans tempestatibus; nam vagatio quadam mentis est alienatio, & otium tempestas est cordis. Siquidem alienatus à virtute sensus mox sicut Campi profugus, vagúsque diffunditur; & velut David statim procellâ vitiositatis involvitur animus vitiosus.* Est otium, quod à sana mente hominem deiicit, ac in fœdissima quæque pertrahit scelera: est otium, quo flos exarescit pudicitiæ, *Accidit, ut surgeret David de strato suo post meridiem*, quid? *2. Reg. c. 11. v. 2.* à somno, & cibo facilis, ac proclivis ad Venerem fit transitus, est enim libido affectio animi otiantis, ac cura vagantis: quot enim scintillas accensa fornax ejaculatur, tot prava desideria, ac corruptos malè olentis concupiscentiæ affectus excitat otium, ac suscitat mens otio indulgens: incubuit Venus pulvillo dormientis Davidis, & mollities carnis ex molli pulvillo, ex otio torpescente ortum duxit: & somnus diurnus fuit Davidi dœmon ille meridianus, de quo conquerebatur, cum cuperet liberari *à demonio meridiano, à sagitta volante in die.* *Psalm. 90.* Vidit tunc otioso oculo lavantem se mulierem in fonte, & lascivus ille aspectus ex otio profectus scintilla fuit, quæ in paleam delapsa arescentem, statim flammam concepit, fœdúque amoris excitavit incendium, quo flos pudicitiæ exsiccatus aruit. Si David eo tempore, quo solent Reges ad bella procedere non fuisset domi iners otiatus; si somno, seu otio pomeridiano non indulsisset, ejus pudicitia naufraga in fonte non perijsset.

# DISSERTATIO XXV.

## pravi affectus, quos desides inveniunt, eosdem turpissimè coinquinant, & corrumpunt. Quos verò improbus labor defatigat, virtus ornat; & castitas venustat.

### §. I.

*Lilium castitatis nonnisi duriori labore, jugíque studio excolitur, & efflorescit.*

1. Ui castitatis excolit lilium, huic necesse est, otium declinet, quo decus deflorescit pudicitiæ. Joseph Patriarcha, quia egregius fuit hujus lilii castitatis cultor ab' otio, veluti à peste semper abhorruit. *Genes. cap. 37.* *Joseph cum sexdecim esset annorum, pascebat gregem cum fratribus suis*, scilicet pastoritio muneri Jacob parens filium suum Josephum, adhuc ætate tenellum dicaverat; adeò ut Josephus ovibus custodiendis à puero assueverit, ac laboribus insudare consueverit: *multa tulit, fecítque puer, sudavit, & alsit*, neque nobilitati filii laborantis in ovium custodia derogat pater, ei injungens labores, quia ut scitè ait Hesiodus. *Non probrum est operari, imò est cessatio probrum:* vix ex Lexcentis otio deditis unum reperies probum. Neque Josephus lilium excoluisset pudicitiæ, nisi

nisi fuisset laboribus addictus: cultura siquidem castitatis laborem exigit, non otium: hinc Jobus loquens de hominecultura addicto virtutum ait: *Homo nascitur ad laborem*, & à die natalitii sui leborare jubetur quisquis homo est ad studia natus virtutum; & propterea naturæ oblivisscitur suæ, quisquis otiatur. Hinc mellifluus Doctor de fallacia præsentis vitæ scitè ait. *Quomodo sit se esse hominem, qui ad id paratus non est, ad quod est natus.* Nec absque causa Job, cùm dixisset, *homo nascitur ad laborem*, statim addidit, *& avis ad volandum*: quia sicut Deus alas indidit avibus, ut volent; ita & manus dedit hominibus, ut operentur; & sicut aves nisi explicato alarum remigio aërem diverberent, & sursum ascendant, humi repunt: ita & homines, nisi manibus laborent, putrescunt in otio.

Cap. 5. v. 7.

2. Est hominis ingenui sublimia meditari; & altiora nequit homo assequi, nisi manus exerat, & laboret. Quod si labor, qui vel in itinere; vel maris trajectione; vel agrorum cultura; vel artium exercitio fulcipitur, fœdus, & amicitiam conciliat; è converso otium nonnisi diffidia meditatur: hinc ad Moysis accessum jussit Pharaonis Procurator regius, ne Israëlitis consuetæ deferrentur paleæ ad opus lateritium, sed ipsimet eas quærerent, sibique proprio enancifcerentur labore, & insuper consuetum exolverent pensum laboris. Sed quid? quòd novis laboribus opprimuntur Israëlitæ? quia nimirum sibi subjectos eos volebat Rex; & ex otio, si paleæ fuissent ipsis delatæ, diffidia timuit, & tumultum ad primum Moysis accessum, & ad præcavendam rebellionem impensius eos jussit laborare. *Præcepit ergò in die illo Præfectis operum, & exactoribus populi dicens: nequaquam ultra dabuntur palea populo ad conficiendos lateres sicut priùs, sed ipsi vadant, & colligant stipulas, & mensuram laterum, quam antea faciebant, imponetis super eos, nec minuetis quidquam. Vacant enim, & idcirco vociferantur dicentes: Eamus.* Nimirum, quos Rex Pharao quietos concupierat, sibique subjectos, laboribus occupatos fategit; ideóque Jacob Patriarcha Josephum filium suum, vel ab adolescentia voluit laboribus assuetum, ne in adolescente pravi concupiscentiæ tumultuarent affectus in perniciem pudicitiæ, quia ut notat Cassiodorus. *Natura quidem humana sicut duris laboribus instruitur, ita per otia torpentia fatuatur*; ad quod etiam alluserat Salomon Proverb. 10. *Qui congregat in æstate filius sapiens est; qui stertit æstate filius confusionis*, ubi Chaldaica legit: *Qui operatur in æstate*, sed si qui operatur, & congregat in æstate, divitias congerit, ac divitiis dicitur potiùs affluere, cur à Salomone filius sapiens dicitur? ut nimirum inde conjiciamus non ad opes, ac divitias esse attendendum, sed ad scientias, & notitias, quæ laborantium industriâ comparantur. Hinc fructus laboris etiam in poeris sapientia dicitur; & præmium otij ignavia; & quia ab omni vitio voluit filium suum Josephum immunem parens ejus Jacob; rectè ab adolescentia laboribus voluit eum assuescere, quò nimirum vitia declinaret, & feliciùs lilium excoleret castitatis: scire enim vix vitia potest, qui otium nescit; non enim faciliùs vitia addiscuntur, quàm in schola otij. *Multam enim malitiam docuit otiositas* Quisquis cupit se otio mancipatum ad scelera omnia vexillum explicat, & se miserè vitiis omnibus implicat: & revera concupiscentiæ, & lasciviæ turpitudinem, ac fœdam libertatem ab uno præsertim otio vires suas sumere, vel ipsi Ethnici Poëtæ edocuere Ovid.

Exod. 5. v. 6.

Lib. 10. variar.

Eccles. 33. v. 29.

*Otia si tollas periêre libidinis arcus,*

Ovid. de Pont. eleg. 5.

siquidem proxima sibi sunt nihil agere, & perversè agere; tempus prodigere, & castitatem prostituere; otiari, & luxuriari: unde Poëta,

*Quæritur Ægisthus, quare sit factus adulter?*
*In promptu causa est desidiosus erat.*

Quia à desidia, pleráque libidinum excitantur incendia, quorum est otium favilla.

3. Torporem omnem excutiant quotquot lilium excolunt castitatis; quia perinde, ac Platanus rivis gaudet, & Canna palustris; ita & Venus otia amat: & sicut, qui se se otio emancipat, vitia ad se accersit; ita qui opereri non desinit, virtute splendet; & Deum sibi conciliat, quisquis labori se devovet: quapropter de viro laboribus assueto dicitur: *Honestavit illum in laboribus, & complevit labores illius*: nimirum Deus tunc justum honoribus condecoravit, cum addictum laboribus novit; tunc enim benignus ejus adjuvit laboribus, quos, & complevit, ac postremam imposuit manum. Adeò enim est Numini grate operatio, ut socium soleat se operantibus jungere: è converso parcentibus labori minimè vitia parcunt, quia quos desides inveniunt, hos turpissimè fœdant, unde David, *In labore hominum non sunt*, & quia otio marcescentes, *ideo tenuit eos superbia*, & qui laborare, ut homines detrectârunt, vitiorum omnium facti sunt turpissima monstra.

Sapien. 10.

Psal. 72. v. 5.

4. Hinc à Deo, Protoparenti, quem ad imaginem sui condiderat in paradiso voluptatis, seu topiarias inter delicias, quia iste ibi deliquerat, ubi uberrimis frugibus, ac edulibus arborum fructibus tellus exuberabat; extorri inde facto, & exuli foras dimisso, unicum tantùm indicitor iter, ne in deterios rueret, & fuit vie laborantium: tametsi Deus suum primo homini, etiam post patratum scelus inobedientiæ, alimentum non denegaverit, imò & latum fundum, omnes scilicet terrarum tractus ad alimoniam sibi parandam exhibuerit; non tamen

absque

absque solutione pensi, sed ea lege, ut terram excoleret, aratro proscinderet, semina jaceret; messes flavescentes demeteret, ac immensos agriculturæ subiret labores. Genes. 3. v. 19. *In sudore vultus tui vesceris pane, donec revertaris in terram, de qua sumptus es:* nimirum feracem exhibuit offensum Numen sibi infenso homini annonam, sed ut præmium humani laboris in cultura telluris impen- In Genes. 3. si, ut observat Rupertus, inquiens: *In sudore vultus tui vesceris pane tuo. Id est, si sudaveris, si arando, & serendo laboraveris, tunc & non aliter panem tuum, seu tibi necessarium terra dabit.* Sed cur hominis vultui, & non potiùs humeris, vel brachiis labor adscribitur agriculturæ? cùm potiùs quando homo tellurem excolit, solus vultus videatur labore vacare, ac otiari? reliquis laborantibus corporis membris: non excolit homo terram, quin manus, & brachia laborent, pedes, & crura moveantur, ac huc, illùcque discurrant, humeri oneribus vel pomorum, vel segetum, aut leminum pressi curventur, ac totum agricolæ corpus stiva, ligone, roncino, falce, tribulo, ac reliquo agriculturæ apparatu plurimum laboret: cur igitur cum solus agricolæ vultus, qui à labore videtur immunis, ac de præaltâ veluti specula, reliqua contemplari totius corporis membra laborantia; nihilominus adhuc vultui inerter otianti largior annonæ merces promittitur? an non uberioris annonæ præmium reliquis debebatur corporis membris, cum impensiùs hæc laborent, & obnixè demandatis sibi officiis incumbant? scitè Cajetanus expendens præ- Genes. 3. fata verba. *In sudore vultus tui vesceris pane tuo*, ait: *Describitur autem sudor in facie, quia ea pars facillima est ad sudandum, ex magnitudine, & humiditate cerebri, fluit enim, non ascendit sudor, & appellatione panis universum intelligitur alimentum.*

5. In narranda pœna injunctâ primo homini ob patratum scelus, Moyses voluit se humanis accommodare moribus; proinde licèt manus agricolæ, & bracchia, pedésque, ac crura, ut & reliqua corporis membra rusticano adnisu laborent; licèt exæstuet messor, dum torrente sole arcuato jugiter dorso, acuta falce flavescentes demetit in campis segetes; quia tamen iners agricolæ vultus præ membris reliquis impensè laborantibus pigro licèt, & alieno sudore madet, non suæ inertiæ mulctâ plectitur, sed alieni laboris muneratur mercede; nimirum inertia vultûs dum alieno exundat sudore mercedem præripit æstuantium membrorum: & verè laborantium sibi usurpat stipendia; quia post patratum inobedientiæ flagitium propriam erubuerunt protoparentes nuditatem, vestibus indiguerunt, quibus corpus obtegerent, & quia solus vultus primævam servavit nuditatem, quâ cæteris pateret, & per discrimina vultuum secernerentur homines; ideò solo vultui sudore madenti panis promittitur, quia per sudorem solius vultus labores, & æstus coniiciuntur totius hominis, quem post patratum scelus laboribus addictum voluit Deus, ne periret, nec in deteriùs rueret, quia ot ait Cassiodorus. *Natura humana sicut duris laboribus instruitur; ita per otia torpentia fatuatur:* innumera siquidem sunt damna, quæ veluti venenati rivuli ab uno otij fonte scaturiunt, & vita desidiosa est frequentiùs flagitiosa: vel saltem vita otiosi, quia nullius est meriti, nullius itidem est pretii. Tempus enim otiosè impendere, perinde est, ac pretium temporis quod omni pretio est pretiosius miserè prodigere.

Triplex se prodit otium, quod & triplici vulnere hominem sauciat, & virtutem devenustat? Aliud enim purum dicitur otium, eò quia à quavis feria vacet actione, & hoc fœdè marcescunt quotquot voluptatum lenociniis capiuntur, deliciis diffluunt, & concupiscentiæ demulcentur blandimentis; quique ut in alto pelago absque gubernatore, sine remige omnibus ventis efflantis libidinis ad sensuum rapiuntur voluptates; ignaviâ diffluentes, & inertiâ languescentes, pigritiâ fracti, segnitie emolliti, quasi nati fruges consumere, nil boni, & honesti moliuntur, proterentes tempus in foro, risu, nugis, fabellis, quique potum vertunt ad ebrietatem, cibum ad crapulam, quietem ad marcorem, & valetudinem ad voluptatem; ut & formam corporis ad culpam libidinis; venustatem vultûs ad turpitudinem luxuriæ, ingenii acumen ad technas fraudum, & horum vita otiosorum sepultura potiùs est, quàm vita hominum, ut enim scitè notavit Petrus Blesensis. *Otium est* In canon. de *vivi hominis sepultura*, qui enim otio mar- institut. cescit homo, huic otium est sepulchrum, ut Episcop. perinde sit otio torpescere, ac sepulchro tumulari; sitque otiosus vivum cadaver, vel si mavis cadaver nondum mortuum: siquidem vivit otiosus, quia nondum efflavit animam; sed mortuus est, & cadaver, quia operationibus vacuus, & in otio sepulchrali jacet sepultus, eatenus dicitur homo vivere, quatenus spiritus per corporis organa operatur, & suis in obeundis officiis potentiæ occupantur; ait enim Aristoteles. *Ani-* In problem. *ma tamdiu corpus informat, quamdiu in ea* sect. 14. q. 10. vitæ munia obire potest, quasi dicat, anima, quæ vita est, ita est actuosa, ita operationi dedita, ac inertis otii refuga, ut otiari nec sciat, nec possit; & quia vitæ mors opponitur, hæc aliud non est, quàm cessatio ab operatione, & omnium facultatum iners otium; neque Aristoteli dissentit Tertullianus *contra Marcionem cap.* 26. ubi ait: Lib. 1. *Otium sui natura non novit: hinc censetur, si agatur, ita se dirigie, ut si cessaverit, non sit:* cum igitur otium prohibeat, ne operatio sit, & natura id satagat, ut vires suas exerat, consequens est; ut tota rerum natura nil æquè,

æquè, ac otium refugiat, quod vel maximè verum est de virtute, quæ tota in actione consistit; & quæ, si inerter otietur, incunctanter, pereat, fitque propterea deses, & otiosus, cadaver vivum, & otium vivi hominis sepultura.

7. Alterum otii genus negotiosum dicitur, & eorum est proprium, qui totam suam industriam collocant in rebus nullius momenti, ac propterea otiosè laboriosi nonnisi in futilibus, nugisque absque ullo suo, vel alieno fructu tempus inani labore prodigunt; & hi operosè omnia agentes, nil agunt, quos Tertullianus vocat: *Fama negotiatores*, eò quia in foro, in gymnasio, in plateis, in theatris, nonnisi propriæ studeant famæ; nunquam propriam explentes famem, nec sitim extinguentes, cum ardentiùs semper sitiant auram popularem, quâ depascuntur: hi sunt semper toti effusi in res vanissimas, propria despiciunt, & alienis se immiscent, non se continent privatos inter parietes; sed forum, & plateas, trivia, & theatra frequentant, per alienas domos vagantur, & veluti venatici canes subodorare nituntur, quidquid ubique fiat, quidquid loquantur homines, ac perinde ut muscæ importunæ volitant, & huc, illucque circumcursant sine fructu, absque ulla utilitate: & toti vagi, ac inquieti plus extra se vanis divagantur cogitationibus, quàm secum habitent.

8. Tertium otij genus eorum est, qui dotibus sibi à Deo concreditis abutuntur, qui cum polleant ingenio, otio consenescunt ignaviæ, nil ad publicam utilitatem, neque ad suam efficientes; & hi dicuntur defodere cœli dona, oblivione obliterare talenta propria, otio sepelire artem, & honestamenta virtutum fœda segnitie deturpare, cùm nil unquam præclarum cogitent, nil grande moliantur, nil meditentur divinum: & tametsi exquisiti ingenii dotibus sint prædití, variisque imbuti scientijs, illis tamen minimè utuntur, perinde ac si iisdem essent prorsus destituti: & hi procul dubio ineptissimum fovent otium, quod nonnisi impuræ favet voluptati. Hoc triplici otio nil magis noxiũ, ac perniciosius in Republica, à qua exercitia statim exulant virtutum; & vitia, quibus per otium indulgetur, impunè grassantur: certè nil hac peste deterius, quâ probi mores corrumpuntur, & virtutum decora oblitterantur: nil vitâ elumbi, ac dissolutâ funestius, à qua propterea non minus olim devictâ carthagine Reipublicæ Romanæ metuebat Q. Metellus apud Valerium Maximum *lib. 7. c. 2.* quàm ab hoste acerrimo Annibale; quia plus infert Reipublicæ damni otium civium; quàm hostium aggressio: hæc tecta comburit, domos expilat, urbem evertit, ærarium exhaurit, segetes proterit, agros devastat; sed otium mores corrumpit, vitia fovet, virtutes abigit, culturam castitatis impedit; lilium pudicitiæ devenustat, probos affectus exterminat, pia desideria interimit; concupiscentiam accendit, pravas cogitationes excitat, sensum ad illicita movet, mentem obtundit, intellectum obscurat, voluntatem illaqueat, totúmque interiorem hominem sus, déque vertit, ac miserè evertit.

Non homini otioso, ac desidi tantùm est otium perniciosum; verùm & toti reipublicæ excidium infert: quid enim interest ad ruinam flammisne hostilibus tecta comburantur; an ignaviâ Patrisfamilias tignis, trabibúsque putrefactis in congestam temerè solvantur lignorum, ac lapidum congeriem? quid interest, an agri vastentur hostili incursione, an enervato civium robore? sive grandines sint, quæ segeres conterant; sive insolentia militis; sive incuria, & segnities coloni fit, quæ neglexit annonam in horrea colligere; semper idem est damnum illatum: *Et cum auxilium manuum, ac exercitia virtutum torpuerint*, ait D. Hieronymus; *omnes desuper tempestates, tanquam in lacera tecta, & nimborum ad nos, id est vitiorum turbo prorumpit.* 9. *Cap. 10. Eccles.*

Scio, plerósque falsâ illâ præoccupatos opinione esse, ut arbitrentur, nil mali posse ab otioso, ac deside inferri, cum nil agat; qui nil agit, nec malè agit, alioquin quidquam ageret, si malè ageret; qui verò non malè agit, nemini est injurius; nec quidquam potest damni alteri inferre. Sed ita arguentes redarguit D. Chrysostomus, inquiens. Existimate, si servum, quis habeat, non rapacem, non temulentum, non contumacem; idem tamen totos dies domi sedeat otiosus; nonne graviter vapulabit? atqui nihil maleficij commisit? sed satis maleficij est, munus, officiúmque suum neglexisse. An non agricolæ daretur culpæ, si nil prorsus ageret; si otio indulgens, nec sereret, nec meteret, nec vites putaret, nec excoleret? tametsi nihil otiando ageret, plurimum tamen nil agendo inferret Domino damni, qui fructibus privaretur, ac proventibus sui agri: non solùm aliquid fecisse mali, hoc malè operanti vertitur culpæ; verùm etiam aliquid omisisse boni; suum neglexisse munus; idque vel maximè in Reipublicæ moderatoribus, quia si hi desidiæ se tradant; declivem, & in omne vitium pronam ingrediuntur viam, & populo ad omnem improbitatem se duces præbent, quorum propterea socordia non ad privatum rei familiaris dispendium, sed ad publicam status perniciem pertinet. 10. *Homil. de virtut. & vit.*

Neque alius hostis Sybarim civitatem quondam florentissimam funditus evertit, quàm manuum infirmitas, seu mollis, ac enervata Procerum vita: adeo Sybaritæ erant quieti, ac otio addicti, ut sancita lege caverint, ne quis fabrilem cum strepitu artem in urbe exerceret, nec gallos aleret gallinaceos, ne quid in urbe esset, quod somnos turbaret antelucanos, aut matutinam interromperet quietem: adeò erãt delicatuli, ut 11.

ut herus quidam inventus fuerit, qui in famulum flagris animadverti voluerit, eò quia cum rosas sibi dormienti straviſſet, complicatis quibusdam rosarum folijs solito duriuſculè incubuiſſet: fuit etiam hos inter cives ſybaritas quidam nomine Smyndirides; qui in hoc ſuam poſuerit felicitatem, quòd totis viginti annis ſolem nunquam viderit orientem, ſed nec occidentem. Verùm cum delicijs difluerent Sibaritæ, otio marceſcerent, & bellum poſtea cùm Crotoniatis inirent, non laboribus aſſueti, ſed otio, ac deliciis dediti, neſcierunt aciem inſtruere, nec hoſtiles agros excurrere, neque exploratum ire hoſtium terras; imò nec paſſis vexillis procedere, nec caſtra metari, nec velitando hoſtes laceſſere, unde veluti fœminæ imbelles ac molles fortes inciderunt in viros, & equorum ſuorum tripudio proditi, ut refert Herodotus Terpſichor tandem cruentâ clade fuſi, ac deleti fuerunt.

## §. II.

*Otium niſi excutiatur fomentum eſt pravorum omnium affectuum, concupiſcentiæ incentivum, & libidinis turpis ſcintilla, cui materiam ſuppeditat ingluvies ventris, gula vitium.*

12. SI ſacras velimus hiſtorias acceſſere; deprehendimus ſtatim, fomentum libidinis otium eſſe, & pœnam luxuriæ extremum exitium. Neque quid aliud Sodomiticas flammas, imbrémque ſulphureum è ſummo cœlo in imas terras, vallémque ſpecioſam evocavit, quàm marcidum otium, & ſupina deſidia, ut dilucidè aſſerit Ezechiel *c.16, v.49.* inquiens: *Hæc fuit iniquitas Sodomæ, ſaturitas panis, & otium ipſius, & filiarum ejus.* Vallis erat in Palæſtina juxta fluenta Jordanis ſingularum patria amœnitatum; quinque in ea urbes erant *Pentapolis* ſeu *Sodoma, Gomorrha, Sebois, Adamata, & Segor* præ cæteris incolæ Gomorrhæi, ac Sodomæi flagitioſiſſimi erant, ac in libidinum fœdiſſimo cœno demerſi; ex copia enim rerum via ſternebatur ad ingluvies, jugéſque comeſſationes, & ad conſectaneum flagitiorum omnium incitamentum otium, ex quo uno omnium libidinum oriebantur portenta; & quamvis Lotus vir omnium virtutum, & præſertim caſtitatis culturâ inſignis quotidianis dehortamentis ſtuderet, concives ſuos ad puriorem deducere normam vivendi; nil tamen profecit, ac perinde fuit ac ſurdis canere.

13. Lothus cum tribus ſociis mœnibus relictis Sodomorum in campum exivit, & in oppidulum, cui nomen Balam conceſſit, móxque matutino adventante crepuſculo funeſtæ tragædiæ ſuper Pentapolitas inchoatur exordium: ſiquidem Numinis iraſcentis imperio excitantur fuliginei vapores, aëra totum, cœlúmque infuſcantes; & civibus vel in lecto adhuc ſtertentibus, vel infandæ Veneri indulgentibus, incipiunt toto impetu efflare venti, urgere turbines, furere procellæ, ſolum quaſſari, Jordanis fluctus intumeſcere, ac in fremitus aſſurgere; in aëre reboare tonitrua, micare fulgura, immugire horrendo murmure nubes, & totus ille Palæſtinæ vallis tractus nocturnis tenebris; tetriſque cimmerijs inhorreſcere; ſimúlque frangi tenebræ, ac diſcindi ruentium fulminum jactu, ac delabentibus è cœlo flammis; videretúrque cœlum totum reſolvi in turbines, tonitrua, fulmina, tumultus, ac flammarum pluvias, quæ euutritæ ſulfure, nitro, pice, ſale ebulliente, ac flagrante bitumine deorſum ruebant in nimbos igneos ingenti cum aëtis tumultu, ac terræ tremore; obſtrepebat delabens flammarum cataclyſmus ſuper recta, turres, palatia, plateas, & omnia natabant fluctibus flammarum: & cùm infamibus illis civitatibus etiam campi, prata, colles, agri, nemora, viridaria, pagique omnes finitimi gehennâ quadam ſtagnante obrui videbantur, & veluti in vaſtiſſimi ignis lacu fluitare pecora, interimi greges ovium, abſumi armenta jumentorum, cioerelcere volucrum turmæ, & homines utriuſque ſexus, omniſque ætatis miſerè perire; eò quia infandæ libidinis exarſerant æſtu.

Hiſce pluvijs extinguenda erat ea cupidinis flamma, quâ Pentapolitæ exarſerant, quò ſupplicium flagitio reſponderet; ac inde ſaperent; qui caſtitatis negligentes culturam, malunt impuris pravæ concupiſcentiæ flammis ardere; quod enim Pentapolitis contigit, in futuro & ipſi ſentient, qui, quorum ſupplicia intuentur, ſcelera non perhorreſcunt; hi enim quia laſciviæ flammis exarſerunt gehennali igne æternùm diſcruciabuntur; de quo igne exclamat D. Hieronymus: *O ignis infernalis luxuria, cujus materia gula; cujus flamma ſuperbia; cujus ſcintillæ pravæ colloquia; cujus fumus infamia; cujus cinis immunditia; cujus finis gehenna!* Otium igitur, & gula gemina fuêre fomenta, quæ ad omnia ſcelera uberem Pentapolitis ſuppeditârunt materiam, ut aſſerit Ezechiel: *Hæc fuit iniquitas Sodomæ ſaturitas panis, & otiū ipſius, & filiarum ejus;* ſunt enim otium, & gula geminæ rotæ, quibus quadriga vitiorum omniū, & præſertim luxuriæ volvitur, ut obſervat D. Bernardus inquiens: *Luxuria currus quadrigâ volvitur vitiorum: ſcilicet ingluvie ventris, libidine coitûs; mollitie veſtium, & otij, ſoporique reſolutione; trahitur equis duobus proſperitate vitæ, & rerum abundantiâ.* Ideóque culturæ qui ſunt addicti caſtitatis otium veluti lilij pudicitiæ venenum à ſe procul abigunt, & à comeſſationibus, ac gulæ ingluvie prorſus abſtinent, ſcientes ſine Cerere, & Libero frigete Venerem, quia ſi venter eſcâ ſtipetur, vino fluctuet, & decoquendis excrementis inæſtuet, ſtatim inſoleſcit concupiſcentia, inſurgit laſcivia, & pravi affectus in hominis perniciem ad flagitia alliciunt.

14. *16, v.49.* *In Cant.*

Quò

15. Quò enim plus indulgetur ventri, eò menti lethaliùs infligitur vulnus; eò flori castitatis plus infertur nocumenti: quid non agunt gulæ voluptatibus addicti, quo corpus saginent, crapulæ lenocinentur, ventrem suffarcinent? quidquid avium in aëre volitat; quidquid piscium aquis innatat; quidquid ferarum per nemora, montésque discurrit, palmari sepelitur in stomacho, quem propterea aliud non dixeris, quàm mortuorū animalium fœtidissimum sepulchrum, in quo carnes mortuorum corrumpuntur, ac fœteut: & tamen quales non subeunt homines labores ad gulæ voluptates excitandas? uni gulæ luxuriæ ministrant integri hominum exercitus, quorum alij nonnisi retia, & laqueos ad pisces exoticos capiendos; alij nonnisi pedicas, ut aves aucupentur peregrinas, præparant: alij abdita montium, rupiúmque scrutantur loca: alij fluctuantia traijciunt maria; illi ut sylvestres damas: isti ut conchilia, & ostrea capiant, & condimenta cibis immisceant: sed dum gulæ indulgetur voluptati; fomenta lasciviæ suppeditantur uberiora. Corpus enim, si fartum sit, & ejus cuticula lautius nutrita, illicò insurgit libido, ac reviviscit, tametsi annis sæpe integris jacuerit emortua, vel languerit sopita; vino enim immodico, si madeat, illicò reviviscit, licèt enim omne vitium detegatur in ebrio, libido tamen præ cæteris in ipso insolescit, parit enim temulentia libidinem, & ex vino hauritur libido, cujus flamma non oleo, non palea, sed vino nutritur; hinc plures post lautiorem mensam, post saliares cœnas, post pleniores epulas ab usu dejecti rationis, & inter pecudum greges abjecti, plus belluinæ, quàm humanæ redolent naturæ. *Incrassatus est dilectus, & recalcitravit. Incrassatus, impinguatus, dilatatus dereliquit Deum factorem suum, & recessit à Deo salutari suo*, gulæ enim voluptates, & concupiscentiæ flagitia, innatâ quadam necessitudine copulantur, sitque culpa individua gulæ comes.

Deuter. cap. 32. v. 15.

16. Neque in aula Pharaonis peccârunt Eunuchi, nisi quia gulæ indulserunt. *Accidit, ut peccârent duo Eunuchi, pincerna Regis, & pistor:* nimirum inter aulicos, & Regis familiares illi duo dicuntur peccâsse, qui cibis, potibúsque lautiùs parandis, ac delicatiùs condiendis incubuerunt: dum enim venter cibis impletur, & vino madet, nutritur concupiscentia, quæ vires, nervósque acquirens pravos quosque affectus excitat, & ad vitia incitat; & ubi ventris est ingluvies, ibi mentis est illuvies; extinguitur enim ratio, ejúsque lumen, si caput vino obruatur: & usu, ac lumine extincto rationis, veluti in tenebris ambulans, qui vino madet, in omne proruit flagitium: qui enim cibis, ac ventri dant operam, adeò proni sunt ad vitia quæque, ut ad observantiam divinorum præceptorum eos pertrahere sit veluti impossibile.

Genes. cap. 40.

17. Idque causæ fuit, cur Moyses cum è montis editiore fastigio ad ejus descendisset radices, tabulas fregerit, in quibus lex digito Dei vivi scripta erat. *Projecit de manu tabulas, & confregit eas:* sed si noverat Moyses tabulas lapideas legem continere digito Dei exaratā, & populo tradendam, cur antequam eam populo extraderet, tabulas projecit, & confregit? quia nimirum reperent Moyses Israëlitas gulæ indulgentes voluptatibus: vidit populum sedentem in perampla planitie, comessationibus, & potationibus lætum. *Sedit populus comedere, & bibere*, sciebat enim individuam gulæ comitem esse culpam; & voluptatibus addictos gulæ, ac comessationibus, ac symposiis assuetos in quovis flagitiorum cœno, non secus, ac sues volutari: superfluas igitur, inutiles, ac supervacaneas censuit tabulas legis servandæ populo extradere comedenti, & bibenti, eò quia cum voluptate gulæ impossibilis sit legis observatio: hinc scitè D. Hieronymus *contra Jovinianum* loquens de Moyse post descensum è monte lapideas frangente tabulas, in quibus divina lex digito Dei exarata erat, ait: *Tot dierum labor unius horæ saturitate perit: sciebat enim Dei sermonem non posse audire temulentos.*

Exod. 32.

Exod. 32.

Lib. 2.

18. In aula Pharaonis ideò vitiis laborârunt Eunuchi, quia gulæ indulserunt, & stomachum cibo, & potu onerârunt. Dicuntur hi duo Eunuchi peccâsse: *Accidit, ut peccarent duo Eunuchi. Pincerna Regis, & Pistor:* quia ad gulæ indulgentiam lilium exarescit pudicitiæ, & reliquarum virtutum flores exsiccati pereunt, ait enim S. Petrus Damianus: *Edacitas quædam sanguisuga est, cui duæ sunt filiæ luxuria, & ebrietas:* sicut enim volupe est sanguisugæ humani corporis haurire sanguinem: ita edacitas cordis puritatem, quæ animæ est veluti sanguis, ac reliquarum virtutum alimentum exsugit, dissipat, ac delet; quia si semel gulæ indulgentia humani pectoris præcordia penetrat, universam virtutum aciem ibi dissipat, & cordis desideria ad illicita, ac vitia præsertim æstuantis tunc libidinis pertrahit: ubi enim habetur: *Totum murum per circuitum destruxit cunctus exercitus Chaldæorum, qui erat cum Principe militiæ:* septuaginta Interpretes legunt: *Omnem murum Jerusalem destruxit exercitus Chaldæorum cum Principe coquorum*, quam interpretationem expendens D. Gregorius Nazianzenus scitè ad rem nostram ait: *Coquorum Princeps jure venter asseritur, cui nimium à coquis laborioso opere servitur.* Si igitur gulæ indulgentia pectoris pervadit viscera, cor aggreditur, & bellum indicens probis affectibus, qui in cordis præsidium, & custodiam invigilabant, omnia sus déque vertit, & unà cum pudicitia virtutes omnes evertit; quia semel, quòd venter cibis, & potu suffarcinatur, tametsi cor lilio floruerit castitatis, ac reliquis effulserit virtutum decoribus, imò tot splenduerit proborum affectuum nitoribus, quot cœlum stellis; quot Erythreum mar-

Jerem. 52. 14.

garitis, quot pretiosis lapillis cœlestis Jerusalem; adhuc deficiunt hæc virtutum ornamenta, corruunt hæc spiritualia ædificia, & totus murus Jerusalem per circuitum destruitur; quia gulæ indulgentia nonnisi virtutum molitur strages, neque Eunuchis Pharaonis quid aliud ansam præbuit peccandi, quàm cibi, & potûs ministerium: *Accidit, ut peccarent duo Eunuchi Pincerna Regis, & Pistor.* Nec mirum, si geminis Eunuchis in aula Pharaonis tantam intulit perniciem cibi, potúsque ministerium: cum unica solius gulæ indulgentia mundo toti ruinam indixerit, & homines omnes miserè perdiderit: pulchrè D. Ambrosius. *Adam per escam paradisum perdidit; Esau per lentem honorem primatus amisit: Judas per bucellam Apostolatus sublime deposuit; ex quo enim bucellam sumpsit, non jam Apostolus cœpit esse, sed proditor.*

*Serm. in feria 6. post prim. domin. quadrag.*

19. Est igitur gulæ voluptas radix illa infecta, & vitiata, ex qua pullulant in mundo scelera omnia: est gulæ indulgentia fons ille putidissimus, è quo rivuli pravorum omnium affectuum scaturiunt; vitiorum enim radix, & origo sola fuit hominibus gula, exordium totius ruinæ, & causa omnis supplicij, hinc Christus. *Sicut erant ante diluvium comedentes, & bibentes &c. ita erit, & adventus filij hominis;* nimirum sicut cataclysmus fœditates delevit, quas terra contraxerat ex immodica edacitate, hausitique temulento: ita peccata futurorum hominum delinquentium ex gulæ indulgentia aliud puniet diluvium, sed non ampliùs aquarum, sed ignium. Immodica siquidem gulæ indulgentia divinam irritat justitiam, ut orbem non solùm aquis immergat, sed & flammis purget, & absumat.

*Matth. 24. v. 37.*

20. Cultor igitur castitatis in id, vel maximè incumbit studij, quò gulæ voluptates omnes coërceat, ne quid demittatur in stomachum, quo probi cordis affectus aliquid patiantur detrimenti, & ne vitiis per gulæ illecebras via aperiatur; quia ubi gula suis aperitur deliciis, vitia statim omnia ingrediuntur, & per gulæ hiatum cor intus invadunt, illúdque diripiunt, ac suis spoliant ornamentis. Concrediderat Herus evangelicus famulo totius suæ domûs regimen, cùm esset ipse aliò profecturus: sed vix abfuit Dominus, adfuit domûs gula ostiaria, quæ vitia omnia statim introduxit, loquens Christus de famulo ait: *Cœpit percutere servos, & ancillas, & comedere, & bibere, & inebriari:* ideo cœpit in ancillas sævire, & conservos percutere, ac verberibus egregiè pulsare, quia gulæ incœpit indulgere, & vino madere immodico: *Cœpit percutere servos, & ancillas, & comedere, & bibere, & inebriari,* quia symposiis, comessationibus, ac ebrietatibus assuevit absente Domino, in omne proruit statim scelus. Etiam rerum Conditor, ac sapientissimus Artifex Deus, quamdiu orbem condidit, facultatem non dedit ad comedendum; & cùm primùm hanc concessit, cessavit ipse ab operibus suis, ac si ad accessum cibi, potûs præstò sit recessus bonorum operum, & initium indulgentiæ gulæ, finis sit culturæ virtutis: cùm enim aperitur gula suis illecebris; via clauditur, quâ ad virtutem pervenitur; hinc Cyrillus Alexandrinus: *Nolite conqueri de infirmitatibus carnis. Tu das stimulos carni tuæ, tu ipsam adversus spiritum tuum armas, & potentem facis, cum eam carnibus satias, & ad illecebras nutris.*

*Luc. 12. v. 45.*

Dum gula nutritur, vitia pinguescunt, & dum caro per ingestum cibum vires acquirit, insolescit concupiscentia, & pravi omnes affectus in perniciem castitatis insurgunt: ita lex vitiorum certa est, ut saginæ substituta sit lascivia: & ibi incontinentia petulantior insurgit, ubi mensa apparatur ferculis onustior, & quia castitatis studiosus scit, famem virginitati amicam esse, & saturitatem inimicam, mavult fame, & abstinentiâ lilium excolere castitatis, quàm saturitate ei nocere; idque causæ, cur feliciùs floreat lilium castitatis in pauperum tabernis, in mapaliis rusticorum, in casa pauperis rusticelli, quàm in prædivitum palatiis, in Principum turribus, Regúmq; aulis. Tibiæ tunc vel maximè strident, cum plus inflantur, ac plenæ sunt vento: à tibiis non abludit humanum corpus, cum tunc potissimum in lasciviam æstuet petulantiam, cùm plus oppletur epulis, madet vino: pulchrè D. Gregorius in libros Regum ait: *Ex uno gulæ vitio innumera vitiorum agmina ad conflictum anima producuntur. Unum quidem gulæ vitium est, sed aculei libidinis innumeri sunt, qui præcedentem illum quasi Regem sequuntur, qui læta quidem suggerunt, sed ad æterni fletus lamenta perducunt.* O quot ornatum amiserunt pudicitiæ, quia nullum gulæ illecebris voluerunt frœnum iniicere! O quot victi libidine ceciderunt, & lasciviâ prostrati miserè jacuerunt! quia vincere gulam noluerunt, & insurgere contra gulæ illecebras detrectârunt: idque cùm novisset celebris ille in eremo castitatis cultor Hilarion suum alloquens corpus ajebat: *paleis te pascam aselle, non hordeo,* ne vires acquireret caro, & cum ipsa insolesceret concupiscentia, pravique insurgerent affectus factu optimum censuit, corpus abstinentiâ, & jejuniis emaciare, abhorret enim castitas opimas mensas; & ibi lilium castitatis languet, ubi tellus nimis pinguescit; nil enim pudicitiæ flori perniciosius gulæ illecebrâ, quâ ignis alitur concupiscentiæ, incendium accenditur libidinis, & excitatâ flammâ cinerescit lilium castitatis. Non possunt fomenta libidinis non suppeditare concupiscentiæ, qui gulæ delectantur deliciis, ac ferculorum indulgent opulentiæ, quia ut scitè ait D. Ambrosius. *Pascitur libido conviviis, nutritur deliciis, vino incenditur, ebrietate inflammatur:* hinc non mirum si in aula Pharaonis Eunuchi vitiis se inquinarunt, cum regiam ipsi mensam curaverint. *Accidit, ut peccarent duo Eunuchi Pincerna Regis, & Pistor.* Neque quid aliud

21.

*Lib. 1. cap. 1.*

*Lib. de pœnit.*

aliud prodire potuit è mensa exoticis instructa ferculis, ac delicatioribus referta obsoniis, quàm scelus? siquidem è mensa regia prodiit Uriæ ebrietas, & interfectio Simonis strenui Ducis; Ptholomæus Rex Simonem fratrem Judæ Machabæi ad regium invitaverat convivium, ut vino madidum sanguine fœdaret, & occideret. *Et cùm inebriatus esset Simon,*
Machab. 10. v. 16. *& filij ejus, surrexit Ptholomæus cum suis, & sumpserunt arma, & intraverunt in convivium, & occiderunt eum, & duos filios ejus:* nimirùm gulæ deliciæ, convivia regia, non pudicitiæ tantùm insidiantur, sed & ipsi vitæ.

22. Nullum est vitium, ad quod viam non emolliat vinum, quod vel in primum suum authorem sævire didicit. Primus hominum, qui saltem post diluvium vineam plantavit; primus, qui racemos amputavit, uvas expressit, vinum bibit, ac primus in ebrietatem incidit, fuit Noë, postquam incolumis sua cum familia è diluvio evasisset; abusus vini ab usu eum dejecit rationis per inductam ebrietatem: & quamvis usus vini non prorsus damnetur, si cum necessitate adsit sobrietas; excessus tamen est, qui culpatur, & immoderantia, quæ damnatur ut noxia; hinc ajebat Asclepiades, loquens de vino: *Primum poculum est necessitatis; secundum voluptatis; tertium ebrietatis*, cui adhærens Apulæius ait: *Craterem primum ad sitim pertinere; secundum ad hilaritatem; tertium ad voluptatem, quartum verò ad insaniam:* Sunt verò bibones adeò exsiccandis calicibus assueti, ut non contenti tertio, vel quarto poculo doliis videantur æquiparari; & hi nonnisi flammas fovent libidinis, ac incendia nutriunt pravæ concupiscentiæ, quæ sicut nutritur cibo, & potu; ita abstinentiâ, & jejunio vires deperdit, & extinguitur: siquidem juxta vulgatum effatum sine Cerere, & Libero friget Venus.

23. Castitatis igitur Cultor veneream hanc flammam procul abigit, quia cibo, ac potui percit, mensæ minuit saginam, sibíque omnem adimit gulæ indulgentiam. Non vernat lilium castitatis inter epulas; non irrigatur, nec floret haustu vini: cum sint gulæ voluptates vitiorum irritamenta, fugiende sunt, ac procul abigenda harum deliciarum fomenta, quæ concupiscentiam accendunt, Venerem excitant, & pravos quosque affectus alunt. Cultori castitatis indurandus est animus, & è blandimentis gulæ procul abstrahendus. Hinc Isæus Asyrus referente Philostreto interrogatus quásnam epulas judicaret ipse suavissimas? istas, respondit, gustare desii, cùm enim castitatis esset studiosus, perinde ac venenum gulæ delicias semper abegit, quia ut ait D. Gregorius,
In I. cap. Job. *celebrari convivia sine culpa vix possunt*, non ferculorum opulentiâ, sed ciborum abstinentiâ nutritur castitas, & sobrietate floret lilium pudicitiæ: est sobrietas à vitiis adeò immunis, ut qui ab escis, potúque abstinet is innocens animo, & castus corpore censeatur. Prædixerat Angelus Samsonis parentibus futurum ipsis filium, & ob lætum susceptum nuntium gratitudinis causâ convivium ei apparant. *Facimus tibi hædum* Judic. 13. v. 15.
*de capreis*, cui respondit Angelus: *si me cogis, non comedam:* sed si cœlestis nuntius hominis induit personam, cur ut homo exhibitas sibi dapes non comedit? si tres Angeli, qui Abrahæ comparuerunt, non fuerunt dedignati apposita sibi fercula comedere, cur si Angeli à cibo non abstinuêre in Quæst. 28. in cap. 13. Judic.
domo Abrahæ, nunc in domo parentum Samsonis dedignatur Angelus cibos sumere? Respondet Abulensis. *Quia si Angeli non comedunt, cognoscuntur esse Angeli:* volebat in domo parentum Samsonis cœlestis Nuntius cognosci, ac reputari, ut Angelus, ideóque respondit, *si me cogis, non comedam*, nullo enim alio evidentiori signo potest indoles angelica, ac virtus exprimi, quàm abstinentiâ à cibis, & potu; ideóque cultor castitatis, quia indolem imitatur angelicam gulæ delicias amputat, ab immodico cibo, & potu se abstinet, & à delicijs abhorret in ferculis, convivia fugit, edacitatem exhorret, vinum fastidit, & lachrymis, vel frigidâ lilium irrigat castitatis.

## §. III.

*Pudicitia amans oculos emissitios, vagósque compescit: sunt enim binæ Veneris lampades, è quibus concupiscentia, ejúsque pravi affectus suas hauriunt flammas exitiales, quibus castitas cinescit.*

Non solùm gulam coërcet castitatis studiosus, sed etiam oculos emissitios, vagósque compescit, ne curiosiùs hac, illácque divagentur: sunt enim 24.
oculi vagi binæ Veneris lampades, è quibus suas haurit flemmas, quibus castitas exarescit, & lilium pudicitiæ cinerescit. Testis est David, cujus pudicitiam emissitii, vagique oculi interemerunt. Vidit ipse è 2. Reg. cap. 11.
solario lavantem se in fonte Bethsabæem, & statim conceptâ flamma exarsit, factúsque est adulter, & homicida solo aspectu mulieris. Testis est Dina Jacobi filia jam nubilis, formæ supra cæteras puellas venustæ, hanc curiositas impulit urbem invisendi Sichimorum, morésque fœminarum urbicos, ac studia observandi: virgines tunc sibi coævæ ingenti numero, sive ad nundinas, sive festum quodpiam solemne, convenerant; quas ut ipsa videret, videri, & ipsa cupijt; sed rarò absque periculo prodit in publicum castitas cultiore induta ornatu, ac vultûs specie venusta. Vix Sichemus oculis speciem, ac venustatem lustravit puellæ, & oculis impuras attra-

xit è nivea Dinæ facie flammas, quibus cœpit intus exardere simul, & amare; imò & effictim puellam deperire: & abreptus ardore virginis potiundæ, cum non posset illâ lenocinijs ad flagitium pertrahere, vitium obtulit reluctanti. Ecce quàm noxij, quàm lethales sunt lilio pudicitiæ oculi emissitii, vagíque, & curiosi, visura Dina cæteras urbis puellas, morésque urbicos fœminarum ad nundinas venit, non ut quidquam virtutis emeret, sed ut illum etiam reluctans venderet florem, qui semel deperditus, nullo fit ampliùs pretio venalis; non ut sibi ornatum aliquem emeret, sed ut ornamentum ipsa venderet castitatis, perseveratura virgo, si domi mansisset. Exiit domo Penelope, sed redijt Helene; quia ut scribit D. Hieronymus: *Tenera res in fœminis fama pudicitia* Epist. 9.
*est; & quasi flos pulcherrimus citò ad levem marcescit auram, & flatu corrumpitur*, & Epist. 22. ad Eustochium expendens illud Canticor. *Hortus conclusus Soror mea sponsa, hortus conclusus fons signatus* ait ad rem nostram suadens virgini, manere domi, & curiositatem compescere oculorum. *Cave ne domum exeas, & velis videre filias regionis alienæ; quamvis fratres habeas Patriarchas, & Israele parente læteris; Dina egressa corrumpitur.* Videre enim in puellis formâ corporis speciosis, & videri non sine periculo est castitatis interimendæ; quia ut monet Clemens Alexandrinus: *Dum lasciviunt* Lib. 3. Pædag. cap. 11.
*oculi, talescunt appetitiones*: sunt enim oculi geminæ pharetrati Cupidinis sagittæ, quas in perniciem ejaculatur castitatis. Quis miseram non lugeat Sichemi sortem? vidit ipse puellam exteram, & ipsam deperijt, & ipse perijt: quia homo libidinis amans, compedes gerit in oculis, quibus vinciat; glutem, quo assigat; hamum quo inuncet; flammas, quibus adurat; sagittas quibus confodiat, interimátque castitatem, quia ut scitè Chrysostomus: *Sicut ignis ubi calamum appre-* Serm. in Oziam.
*henderit, mox attractam materiam suâ flammâ accendit. Ita ignis concupiscentiæ, ut primum formositatem, at venustatem visu attigerit, animum statim inflammat.*

25. Non tamen illustrior hâc flammâ splendet castitas, sed denigrata corrumpitur, & cinerescit: ideóque S. Job insignis pudicitiæ cultor imminens hocce ex oculis periculum metuens fœdus pepigerat cum oculis suis, ne exteriùs vagarentur curiosiùs, nec puellarum delectarentur venustate: *Pepigi fœdus cum* Job, cap. 31.
*oculis meis, ut ne cogitarem quidquam de virgine, quam enim partem in me haberet Deus desuper, & hæreditatem Omnipotens de excelsis?* meritò Hussæus Princeps fœdus pepigit suis cum oculis, ne quidquam cogitarent de virgine, quia cultor castitatis si lilium velit pudicitiæ tueri, necesse est suis cum oculis paciscatur; quia nisi oculi certa lege, ac fœdere obligati coërceantur, nullum aderit adeo firmum castitatis propositum, quod oculorum fraus, vel curiositas non labefactet, quia, ut suos monebat in asceterio Monachos S. Ephren: *Sicut aqua ductus confractus perdit aquas: ita oculorum* Tom. 2. tract. de humil.
*distractio mentem castam destruit:* idque causæ, cur Christus oculorum compressurus protervitatem sententiam illam tulerit severam: *Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo:* Matth. cap. 5. v. 28.
meritò igitur habentur tot monita, tot præcepta à viris asceticis extradita castitatis cultoribus ad oculos coërcendos, eorúmque curiositatem compescendam: & Siracides, hoc Eccles. c. 9.
idem monet inquiens: *Averte faciem tuam à muliere compta.*

26. Hinc lex fuit illa sancita multò prudentior, quàm sævior à Seleuco Locrentium Legislatore de oculis adultero eruendis, eò quia sint oculi adulterij vel duces, vel suasores. Cupidinis enim flammæ, ac impuræ Veneris ignes faciliùs per oculos accenduntur, ac hauriuntur, adeo ut sint oculi Naphtæ persimiles; ait enim Plinius: *Magnam esse cognatio-* Lib. 2. c. 105.
*nem flammarum cum Naphta sulfureóque bitumine, ut ignis ad ipsam etiam eminus visam transvolet:* idque de ardentibus oculorum tædis, ac igne concupiscentiæ non immeritò adstruitur: vix attingunt oculi procul speciosam virginis formam, & statim concupiscentiæ flammas concipiunt, quibus vel interimitur castitas, vel graviter periclitatur: coërcendi sunt oculi, ne puellæ videant venustatem, quia maxima est oculorum ignibus cum virginis pulchritudine cognatio.

27. Quòd si dicas, puellæ venustatem nihil in se continere mali, cùm donum sit Numinis, proinde quid boni, & non mali: id non diffiteor, optimam censeo fœminæ speciositatem, laudabilem puellæ pulchritudinem, sed hanc inficior bonam esse castitatis cultori, & concupiscentiæ stimulis exagitato. Bona erat Susanna, & virtutum laudatissima cultrix, sed non insanientium senum oculis, qui flammas impudici amoris è castis Susannæ nivibus hausére. Bonam putârim fuisse, & honestam Bethsabeam, sed non bonam oculis David, qui cùm primùm eam in fonte attigerunt, in frigidis illis laticibus impuros hauserunt ignes: bonus erat, & egregius castitatis cultor filius Jacobi in aula Pharaonis Joseph, & nihilominus quamvis lilium vix coleret ipse pudicitiæ, rosam tamen, seu florem Veneris sensit hera uxor Putipharis, ejúsque etiam spinas, cùm acriùs præsensit se libidinis lancinari stimulis; quid ni bona erat arbor, & salubris in paradisi meditullio à Deo plantata, & tamen cum suos ad ipsam direxit Eva oculos à recto tramite deflexit, & ibi mortalitatem invenit, ubi cupiebat divinitatem enancisci. Sit puella venusta in se bona, si nives præsefert in cutis candore, flammas suggerit eam intuentibus; quibus castitas perit, vel summè periclitatur: quia laxior ad concupiscentiam aditus est, puellam oculis attingere venustam.

Omnis

28. Omnis itaque solertia adhibenda est à castitatis cultore, ne sinat oculos emissitios curiosiùs vagari; quamvis Deus hos scintillantes orbiculos voluerit in præcelsa capitis nostri specula, perinde ac vigiles excubias, non tamen vult eos pervagari cum detrimento pudicitiæ: vult Deus ut oculi corpus custodiant, ita tamen ne hosti prodant animum: sunt enim oculi ut etiam cæteri sensus portæ, per quas hostilis exercitus in arcem, ac metropolim animæ irrumpit; propterea nos monet D. Hieronymus, ut si velimus lilium excolere castitatis, licentiam præsertim oculorum coërceamus, ait ille: *Omni studio invigilandum est amatori castimoniæ, ut hi aditus ritè frænentur*, præsertímque omnium promptissimus, ac nobilissimus nempe visus, cujus hac in re summum est momentum, quòd cùm novissent Græci, ut notat Cæsarius *Dialog. 3.* eodem nomine pupillam, & virginem vocârunt, & sicut virgo omni studio debet invigilare, ne quidquam admittat, quo virginitatem amittat; ita, & oculi coërcendi sunt, ne si curiosiùs divagentur in fœminea venustate venenum hauriant, quo castitas corrumpatur, & pereat: quapropter hanc circumspectissimam oculorum custodiam ad tuendam castitatem inculcat S. Chrysostomus ex eadem vocis notione *homilia de pœnitentia, continentia, & virginitate* inquiens: *Pupilla oculus appellatur, ut sicut iste duabus palpebris veluti in quodam conclavi clausus est; ita & virgo permaneat. Sicut & linguam sub duobus septis, dentibus dico, & labijs Deus conclusit, ut nunquam verecunda virgo nihil indiscretum loquatur*: & hanc solertiam in custodiendis oculis ad plenam castitatis indemnitatem commendat ex instituto Isidorus Pelusiota, ubi plura congerit sacra, & profana exempla.

*Lib. 2. in Jovin. q. 5.*

*Lib. 3. epist. 2.*

29. Quin quò procacibus oculis ignitabulum subduceretur, constat apud priscos homines moris fuisse, ut muliebris conspectus, à quo vel maximè periclitatur castitas, obducto faciei velamine, cū nuptæ procederent, velaretur: & quamvis puellis, ac virginibus permitteretur ut aperta facie possent incedere, quò faciliùs maritos invenirent, ut refert Cherillus apud Plutarchum in Laconicis: ex quo tamen erant desponsatæ, quia maritum jam repererant, nonnisi velatæ incedebant, ac propterea à nubendo, seu vultu cooperiendo dictæ fuerunt *nuptæ*, ut etiam notavit D. Ambrosius, & Tertullianus: *Libro de corona militis, & libro de velandis virginibus*: ait Rebeccam conspecto procul sponso velamen invasisse, ut se, quod erat, profiteretur. Ex eodem usu Rex Geraræ cum Saram incusâsset, quòd se dixisset Abrahæ Sororem, & ut virginem se proderet, nullique viro addictam, processisset invelata, mille illi argenteos ad velamen oculorum coëmendum, quo nupta dignosceretur, tribuit.

*Lib. 1. de Abrah. c. 9.*
*Cap. 4.*
*Cap. 14.*
*Genes. 20.*

30. Neque mos iste oculos velandi nuptarum ad tuendam castitatem viguit tantùm apud Palæstinos; verùm & apud Judæos floruisse testatur Tertullianus *libro de corona militis*, & probant exempla Rebeccæ, & Saræ. Imò apud plures alias gentium nationes laudabilis mos iste viguit, ut ex Persarum legibus confirmat Josephus, & de Romana lege constat ex Valerio *lib. 6. cap. 3.* ubi Cajus Sulpitius, eò quia dimiserit propriam uxorem ob eam duntaxat causam, quod aperto capite, vultúque detecto in publicum prodiisset dixit. *Lex tibi meos tantùm præfinit oculos, quibus & formam tuam approbes, & placere desideres. Ulterior tui conspectus supervacua irritatione accersitus, in suspicione, & crimine hæreat, necesse est.* Quin de Arabicis fœminis refert Tertullianus faciem totam ita texisse, ut uno duntaxat oculo liberato, contentæ essent dimidia potiùs frui luce, quàm totam faciem prostituere.

*Lib. 11. antiq. cap. 9.*

*Loc. citat.*

31. Non solùm à fœminis, ne pudicitia periclitetur custodiendi sunt oculi, ne liberiùs divagentur, verùm etiam à viris, qui lilium excolunt castitatis, unde S. Augustinus ait: *Oculi vestri etiam si jaciantur in aliquem, figantur in neminem*: multum interest discriminis eum inter, qui oculos in aliquem obiter duntaxat jacit; & alium, qui non solùm jacit, verùm & diu figit: sunt tunc oculi, qui in alienam figuntur venustatem gemina cupidinis tela, quæ castitatem lethaliter configunt: perinde est, oculos in venustam figere fœminam, ac lethale vulnus castitati infligere. Nisi castitatis cultor suos custodiat oculos, in periculum se injicit perdendæ pudicitiæ. Ait Salvianus: *Oculos esse naturales quosdam animi cuniculos*, quia sicut in obsidione arcis ducto cuniculo usque ad mœnia, & propugnacula fit tormentarij pulveris resticula, ut paulatim concepta flammâ serpat per subterraneam viam, & exigui fomitis continuatione nutrita, cùm primùm in specum devenit latè patentem, & nitrato pulvere fartum erumpat in incendium, ex cujus violentia tellus quatitur, muri subruuntur, saxa per aëra volitant, moles in sublime attollitur horrifico sonitu, quasi telo trisulco Poëtici Jovis; perinde dixerim eximiæ formæ venustam speciem per oculos, veluti per animi cuniculos subrepere veluti igneum fomitem ex aspectus continuatione innutritum; & cum ardor concupiscentiæ intimam penetrat animæ arcem ingens tunc concipitur incendium, quo fumo, & caligine oppleta mens, non ampliùs pia videt proposita, & everso gratiæ propugnaculo subruitur castitas.

*Epist. 109.*

*Lib. de provid.*

32. Hos animi cuniculos expertus fuit David; licèt enim non minus purpurâ regiæ dignitatis, quàm candore excultæ castitatis claresceret, quia tamen post pomeridianum somnum, ad captandam liberiorem auram deambulavit per solarium nullo injecto in oculos fræno *vidit mulierem se lavantem ex adverso*,

2.Reg. 11. Psalm. 50. *adverso*, seu ut notat Augustinus: *Mulier lavabat se longè, sed libido flammas suppeditabat prope.* Cùm primùm mulicrem vidit in fonte à formoso illo spectaculo fœditatem extorsit, quâ pudicitiam corrupit, & ex frigido fonte flammas hausit libidinis, quibus ad interitum pudicitiæ exarsit, potuerítque propterea mœrore confectus, & Thren 3. v. 51. lachrymis madidus dicere cum Jeremia: *Oculus meus deprædatus est animam meam:* unico enim aspectu oculus deprædatus est animam, spolia diripuit, castitatem evertit: virrutom ornamenta surripuit, sustulit è mente lomen, è voluntate religionem, ab anima gratiam, à vate prophetiam, à Rege consilium, à Dei amico benevolentiam, & favorem. Neque illicito amori tantùm, sed & omnibus vitijs in animum per oculos patet via, huic enim monstrant oculi adulterium, incestum; domom, quam concupiscat; mulierem, quâ fruatur; adeò ut sint oculi irritamenta vitiorum, ducésque scelerum. An non etiam Samson licèt abstemius, licèt magno Dei dono natus, ut Dalilam vidit, eam deperiit, & ipse perijt?

33. Homo libidinis amans compedes emittit ex oculis, quibus vinciar, imò & sagittas, quibus confodiat virtutem, & animum: hisce enim telis confossus Asyrius Holophernes vitam perdidit, cùm primùm Juditham Judith. cap. 10. v. 17. vidit: *Cúmque intrâsset ante faciem ejus, statim captus est in suis oculis Holophernes.* Has oculorum sagittas pertimescens Alexan- In libello de curios. der Macedo referente Plutarcho, noluit Darij uxorem in suum venire conspectum, eò quia mulier deprædicaretur venustissima; timuit per oculos fœditatem libidinis ex illa haurire fœminea venustate, & quia prudenter timuit, fortiter cavir; & victor illustrior; quia Darij conjugem non vidit, quàm quòd Darium ipsum vicerit, ejúsque exercitum totum fuderit, ac dissipaverit. Quàm pauci inter Christianos Principes, qui Alexandrum Macedonem imitentur? quàm rari, qui cum Jobo fœdus ineant cum oculis suis, ut ne cogitent quidquam de virgine? vestigia potiùs sequimur Salomonis, qui fatetur: *Om-* Eccles. cap. 2 v. 10. *nia quæ desideraverunt oculi mei, non negavi eis:* & ideo defecit à sanctitate, omnem à se abegit pudicitiæ studium, & eum mulierculis fœdissimam duxit vitam: ubi enim tanta oculis indulgetur licentia, actum est de flore pudicitiæ, exarescit statim, ac perit.

34. Vulgatum est apud viros ascetas effatum illud: *Incustoditus visus, incustoditæ mentis est nuntius:* & sicut domus purgata, & munda non est, si in eam ingrediantur, cujusvis conditionis homines, & animantia; ita nec mens sua perseverat in puritate, si januæ oculorum ad omnem pateant curiositatem: hinc David expertus pericula, quæ imminent castitati ex incustoditis oculis so- Psalm. 119. v. 35. licitus Numen precabatur: *Averte oculos meos, ne videant vanitatem:* omnes castitatis cultores hoc idem debent enixè à Deo petere, quò suos avertant oculos, ne vanitatem videant; & fœdus cùm Jobo debent cum oculis suis inire, ne quidquam cogitent de muliere; facilè perit, qui videns mulierem eam deperit: Solent Medici morbos curaturi maligniores ægrum à quorundam ciborum non solùm usu, verùm & aspectu arcere, ne ulla inter os, & oculos proditio committatur, ac ne putet patiens decumbens salubre sibi, quod suave credit futurum. Perinde contingit ei, quem adblandiens concupiscentia sæpius infestat, is, ni velit jacturam subire castitatis, ait Cassianus, debet oculos à re quidem grata, sed noxia constanter abducere, quia ut ait Augustinus: *solus aspectus via recta est ad opus; oculi raptores ad culpam:* propterea cohibendi sunt à vago, eóque curioso aspectu: hinc Magister Christus Matth. cap. 5. v. 29. nos docet hanc lectionem inquiens: *Si oculus tuus scandalizat te, erue eum, & projice abs te*, hoc est, frœnum injice, & ejus aspectus coërce, ne curiosiùs divagetur: oculorum curiositas plures perdidit. Tritum est exemplum uxoris Lothi: hæc cum ad urbem impudicam retrospexisset, gentémque lascivam curiosis illuc oculis esset intuita immemor mandati; ut erat reflexa cervice momento temporis in statuam salis versa, fatuæ curiositatis sapiens stetit monumentum. Ferunt eam eodem semper vestigio, quo se circumegit aspectu; defixum mulieris simulacrum cum brachijs, humeris, capite, totóque reliqui corporis trunco, defluentísque talorum tenus vestis habitu post viginti, ac plurium sæculorum circumvolutionem perstitisse. Hæc fœmina in statuam versa nobis est documento quantum inferat damni oculorum curiositas, cum salis acrimonia condimento fuerit levitati, ac inconstantiæ fœmineæ.

## §. IV.

### *Castitatis excolendæ propositum non stat, sed corruit; nisi oculis frænum injiciatur, quô curiositas compescatur, & cultor pudicitiæ ab aspectu, & colloquio abstineat mulieris.*

SUnt oculi ad voluptates lubrici, ideóque 35.
flori castitatis nocentiores: unde Christus præscribens legem castitatis Chri- Matth. 5.
stianæ ait: *Audistis, quia dictum est antiquis non mœchaberis: Ego autem dico vobis, quia omnis qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo*, quia tametsi non perperraveris adulterium, quia tamen per oculos illud hausisti, non vacas libidinis crimine; sola enim voluntas est, quæ mœchatur, dum concupiscit: hinc Joannes describens Christi adven- Cap. 1.
tum ait: *In propria venit, & sui eum non receperunt.*

*ceperunt. Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri his, qui credunt in nomine ejus, qui non ex sanguinibus, nec ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt.* Ubi notat Venerabilis Beda illud ex *sanguinibus* in plurali peccatum significare, sed cur carni tribuitur voluntas, quæ facultas est solius animæ? an quia peregrinatur voluntas etiam in carne, quando amore fertur carnali? Ita est carni tribuitur voluntas, quia hæc cùm primum concupiscit, ac fertur in adulterium, ac mulierem, jam scelus perpetravit in ipsa carnis concupiscentia. Sed si voluntas potentia dicitur cæca, quæ manuduci petit à prævio intellectûs lumine; quænam erit prævia hæc fax prælucens voluntati carni inhærenti, cum caro intellectu destituatur? nullus enim, quod ignorat, appetit; & nisi mens notitiam ingerat rei appetendæ, nunquam voluntas eam

Isaias, 418. ppetit. Pulchrè ad præsens institutum respondet D. Ambrosius, hanc carnalis voluntatis prælucentem facem, seu mentem ostendentem quid appetendum sit, esse ipsum oculum; vocat enim Ambrosius oculos carnis mentem, inquiens: *Est oculus & mens carnis*: nimirum appetitus carnalis, & exæstuans concupiscentia dicitur voluntas carnis, & mens, quâ voluptuosa concupiscentia manuducitur, oculus est, quia voluntas sine mente præmonstrante objectum in illud non fertur. Carnali voluntati nonnisi mens carnea congruebat, & quia adhærescit voluntas præostenso ei à mente objecto, ideo dixit Christus: *Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est*, quia carnalis voluntas, seu exæstuans concupiscentia, amplectitur, quod illi per oculos præmonstratur.

36. Hinc quamvis libidinibus addictus meretricia non ingrediatur lupanaria; quamvis mœchiam non consummaverit cum muliere; non tamen vacat libidinis crimine; tunc enim lupanar ingreditur, cum per patentes oculorum fenestras in domum mentis ingressa fuit mulier, & per sua lenocinia consensum extorsit; tunc pulsavit lupanaris fores, quando ad venustam speciem mulieris concupiscentia direxit oculos lascivientes, & libidini aperuit. *Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est in corde suo*: oculis siquidem præproperè scortantibus, qui mulierem concupiscit, alios prævenit sensus, & priùs mœchatur, quàm suo fungantur officio cæteri sensus: qui igitur lascivè fœminas concupiscunt; cum iisdem per oculorum concupiscentiam scortantur in lascivi cordis lupanari, ubi tot prostant appetitui meretrices, quot venustæ species fœminarum, quæ voluntatem illiciunt, simúlque illaqueant: appositè Philo Hebræus ait: *Quapropter eos, qui divertunt à*

Lib. de som. *rebus animæ, & lascivè conversantur cum mentis filiabus, id est sensibus, tanquam cum meretricibus, contra solem tolli jubet*: lascivè conversari cum carnalis mentis filiabus per-

inde est, ac impudicis assentiri cogitationibus, quæ per oculos divagantes per mulierum venustas species mentem ingrediuntur.

Ad firmandum castitatis propositum est frœnum oculis injiciendum, ne mulieres attingant, quòd si per necessitatem debeat cultor castitatis mulierem alloqui oculos in ipsam non jaciat, vel si obiter jaciat, in ipsam non figat, sed potiùs cogitet, vel gehennæ incendia, vel ipsius mulieris fœditates; quamvis sit mulier formosa, sint in ipsa fulgentes oculi, nitentes genæ, & inde concupiscentia excitetur, libido augeatur; proderit tunc animo perpendere nil esse muliebrem illam venustatem, quàm inanem cinerem, cœnúmque fœdum: comprimitur tunc insana cupiditas, deficit æstus concupiscentiæ. Quòd si extimam detrahamus pellem, seu larvam pulchritudini, perit omnis venustas, & nil in ipsa videmus nisi ossa, nervos, ac fœtores. Quòd si tota muliebris venustas in extima duntaxat cutis superficie efflorescit, mera est larva, ac inanis fucus ad minus cautos decipiendum. Hinc S. Ephrem. ait: *Cum formosam mulierem videris, cui micantes sunt oculi, & hilares; cui nitentes genæ, cujus in vultu eximia quadam appareat pulchritudo, quæ mentem tuam inflammet, libidinem augeat; cogita terram illud esse, quod miraris; cinerem esse, quod te incendit, & insanire anima desinet. Detege cutem vultûs ejus tum ipsam pulchritudinem degenerasse in vilitatem videbis. Ne in superficie consistas, sed interius cogitatione progredere, nec aliud quidquam præter ossa, nervos, & venas reperies. At non sufficiunt ista? cogita mihi mutatam illam, senescentem, ægrotam, subsidentes oculos, excavatas genas, totum illum florem defluentem. Cogita quid admireris, & tui judicij te pudebit. Lutum miraris, & cinerem, pulvis te incendit, & favilla.* 37.

Serm. 2 de Prophet. observ.

Non solùm oculi avertendi sunt à fœminea venustate, verùm etiam à libris obscœnis, à picturis inhonestis; exhibent enim fomenta libidinis, & libri obscœni venena propinant legentibus, & toxicum, quo interimitur castitas, & cæteræ corrumpuntur virtutes; loquens enim Tullius de hisce libris ait: *Molliunt animos nostros, nervos omnes virtutis elidunt.* In hoc obscœno librorum albo plures sunt prisci Poëtæ, sive fabulatores, sive satyrici, quorum scripta nisi expurgata fuerint, & ab obscœnitatis fordibus eluta, venenum lectori propinant; ac propterea castitatis cultor ab hisce legendis libris omnino abstineat, & si quæ hujusmodi scripta habet, flammis extradat extinguenda: merentur enim hujusmodi scripta è cathalogo expungi librorum, & eorum authores extorres excludi à patria, ut contigit Ovidio, qui ab Augusto fuit in exilium relegatus; neque à Tiberio in patriam revocatus, eò quia obscœna cecinerat, quæ probos mores corrumperent; castitati qui studet, neque oculos, neque manus hisce admovet libris, ne inficiatur: 38.

Lib. 2. Tusc. 1.

non enim hæc obscœna scripta aliud sunt, quàm ranæ Ægyptiæ coaxantes, simúlque inficientes, ut placuit Origeni; vel glandes, & siliquæ porcorum, ut censuit Hieronymus, eò quia pravis tantùm enutriendis affectibus insolescentis concupiscentiæ, & libidinis inserviant; vel flumen tartareum, in quo miserè ad inferos, devolvuntur quotquot suis se sinunt undis rapi, ut voluit D. Augustinus.

39. Neque ex eo, quòd florentem exhibeant stylum, exasciatam præseferant eloquentiem, ac plurimum contineant eruditionis volvendi sunt hi codices, in quibus latet anguis in herba; parùm refert, si è christallino, & aureo cratere; sive è plumbeo, vel luteo vase ebibatur venenum, cùm non minus mortem inferat epotum ex auro, ac ex luto: neque hocce in luto est aurum quærendum, neque invenienda gemma, quam lector expiscetur in cœno. Esto, stylum exhibeant aculeatum, elocutionem floridam, eruditiones peramœnas, & possit quis ex ipsis eloquentiam haurire florulentam; adhuc castitatis studiosi debent ab ijsdem legendis abstinere: satiùs enim est, jacturam facere eloquentiæ, & doctrinæ, quàm pudicitiæ, & virtutis; satiùs est, si sit quis minus eruditus, dummodo sit magis castus: neque desunt ex probis authoribus præsertim ex SS. Patribus, qui floridè, ac eloquenter scripserunt: an non florulentum exhibet stylum Præsul Mediolanensis, cujus nomen, & scripta ambrosiam sapiunt? an non eloquenter scripsit D. Leo Papa, cujus homiliæ sedatè fluunt periodorum concinna rotunditate, quâ regalia imitantur flumina? an non nervosè æquè, ac eloquenter scripsit Antistes Massiliensis Salvianus luxuriam & theatra, fusúsque redarguens Trevirorum impendente bello? An non D. Gregorius Nazianzenus in descriptione pavonis, cicadæ, araneorum, argutam, & florulentam exhibet eloquentiam, quæ cum laconismo tot lumina exhibet, quot verba? An non S. Basilius in natura formicæ disquirenda egregiè lusit? An non S. Chrysostomus justis orationis pigmentis in suis delectatur concionibus? Non desunt SS. Patres qui picto, & florenti scripserint stylo, quorum scripta dulcibus elegantiarum flosculis renitere deprehenduntur, & ea styli suavitate delibuta, tam concinnè, ac affabrè dictata, ut cum Rhetorum præstantissimis venire facilè possint in palmæ contentionem: si castitatis cultor flosculis delectatur eloquentiæ, hos ex areolis Sanctorum Patrum decerpat, non verò palustrosa ingrediatur prata eos quæsiturus.

40. Libri inhonesti quavis colubrina sanie sunt pestilentiores, proinde cultor castitatis oculos ab ijsdem avertit: obscœnus enim scriptor impuras excitat cogitationes, pravos accersit concupiscentiæ affectus, quibus ad turpia invitat, & simul lethali peste lilium corrumpit pudicitiæ, & ejus inficit cultorem, quem in exitium pertrahit; & eò perniciosius, quò blandiùs tectæ fœditatis ingenioso involucro alliciunt; & elegantiarum illecebris suaviter castitatem expugnant, ac propterea possint horum authores librorum ijs in Republica æquiparari, qui fontes publicos veneno inficiunt, tot vulnerum Rei, quot inde ex eorundē ebiberint laticibus. Sunt hæc impura scripta omni Circe notenriora, omni Sirenulâ noxiora, quavis hydrâ crudeliora; quavis harpia perniciosiora, nec ullus est serpens adeo virosus, ita noxius, qui tam lethalia evomat venena, sicut liber obscœnus, cujus stylus mellea videatur scatere dulcedine, cujus verba vernantes exhibeant flores; quia tunc blandiùs allicit, quò sæviùs vulneret, & præsertim, quos natura proniores habet ad obscœna, & concupiscentia acriori æstu pulsat; in hisce cum proximus ardeat Ucalegon, flammásque evomat concupiscentiæ caminus, perinde est obscœnos volvere libros, ac resinam, oleúmque affundere, non ad ipsum extinguendum, sed alendum incendium exitiale: hos legere obscœnos libros perinde est ac oculis venenum haurire in perniciem castitatis, in interitum animæ.

Non solùm cultor castitatis ab obscœnis scriptis oculos avertit, verùm etiam à picturis, quæ minus honestatis præseferunt: hæ siquidem pestem etiam, ac venenum per oculos in animum immittunt, supplet enim pictura inhonesta ipsam tentationem, quam propterea excitat in perniciem castitatis, in interitum animæ; siquidem ab inhonestis picturis ad actus itidem inhonestos facilis est gradus; & satiùs esset, ne flammas excitarent concupiscentiæ, ad Vulcanum eas ablegare: Scio Pictores, & sculptores, viros, & mulieres ideo investes fingere, & pingere, ut in ipsa humani corporis nuditate magis eniteat, & luculentiùs se prodat artificium: sed excellentia non est artis, nec præstantia, quæ castos offendit oculos, obscœnas, impurásque accersit cogitationes, concupiscentiam irritat, in qua flammas accendit, quibus pudicitia cinerescit; non meretur laudem ars illa, cujus artificium non apparet, nisi castitas pereat; non excellit arte, qui virtutem sua inficit arte. 41.

Floruerunt Pictores, qui Principes in hac arte occupârunt sedes, qui tamen casto semper penicillo telas, & tabulas pinxère. Tales fuerunt Raphael Urbinas, Paulus Veronensis, Petrus Cortonensis, Titianus, & Tintorettus Veneti, Jordanus Neapolitanus, Christophorus Schwarz Monacensis, Guido renus Bononiensis, & elij plures, qui arte pictoria excelluerunt; qui tamen nil impuri delineaverunt. Qui inhonesta pingunt, cum telas coloribus illiniunt, retia jaciunt, quibus oculos illaqueant minùs cautos, non pictores eos dixeris, sed tartarei hostis aucupes, plures enim ad tartara pertrahunt lascivæ imagines; & quamvis plurimum inferant damni; ubique tamen ferè locorum hoc oculorum virus reperitur, in hortis, fontibus, propylæis, vestibulis, tricliniis, domibus, aulis, & aulæis, ut oculi in hos impingentes scopulos naufragium inveheant castitatis; imò plus damni inferunt picturæ, quàm libri obscœni, quos multi non legunt, 42.

quia

quia iisdem carent, secus imagines lascivas plurimi aspiciunt, qui eas non habent: & perinde ac aviculæ viscatis deceptæ virgis, quæ quò magis alas iisdem applaudunt, eò magis iisdem implicantur, ac inhærescunt; ita oculi si minùs cauti sint, hoc tartarei aucupis visco eò tenacius detinentur, & illaqueantur, quò diutiùs oculos in profanas illas figunt picturas, ac obscœnis illis delectantur imaginibus.

41. Qui culturæ est addictus castitatis à fœdis hisce oculorum illecebris abhorret, obscœnas detestatur imagines, quæ libidini suppeditant fomenta in perniciem pudicitiæ, unde Sapientia clamitat: *Initium fornicationis est exquisitio idolorum, & adinventio illorum corruptio vitæ:* moris fuit apud priscos Ethnicos, quo idola proponerentur adoranda ea corporis nuditate, ut honesti oculi aspicere dedignarentur, quæ animus colebat Numina; & tamen quam picti, fictique Dij præseferebant turpitudinem, hanc idolorum cultores honestatem interpretabantur, non credentes sibi vetitum, quod Dijs licitum esse noverint. An non hisce idolorum cultoribus pares dixeris, quos picturæ delectant obscœnæ? hi turpitudinem censent haud olere, quod artis prodit excellentiam. Refert Suetonius in Caligula, Caligulam Romæ publico epulo servum ob detractam lecto laminam argenteam carnifici illicò tradidisse, quò abscissis manibus, & ante pectus à collo pendentibus præcedente titulo pœnæ indicante causam, per cœtus circumduceretur epulantium. Quid ni? penicillo, qui utitur obscœno pictor, qui lascivientes delineat in tabulis imagines, non laminam argenteam, sed margaritam pudicitiæ surripit eas intuentibus: si redivivus regnaret Caligula, quàm fortiori jure Carnifici hos extraderet Pictores, ut manibus abscissis pœnam luerent ejusdem culpæ, quam manibus perpetrârunt, cùm longè pluris fiat pudicitiæ margaritum, quàm lamina argentea.

Sap. 14. v. 12.

Cap. 32.

44. Pudeant Christianos picturarum, quibus plus fœditatis, quàm ornamenti proprijs adjiciunt domibus, aulis, ac cubiculis, è quibus Christi crucifixi ejiciunt effigiem, Christi patientis, vel flagellis cæsi, vel spinea redimiti corona excludunt imaginem, ut sylvestres Faunos, pharetratos Cupidines, impudicas Veneres, investes Fortunas, excapillatas Occasiones, eleganti pictas penicillo affigant, ut simul cum ipsis prandeant Veneres, cœnent Cupidines, ac dormiant libidines. Quid ni hujusmodi picturæ sæpe peiores sunt impuris colloquijs: siquidem verbum semel prolatum perit, sermo avolat; sed turpitudo picta perseverat, & per oculos mentem subit, & castimoniam lædit. Quid aliud obscœnas dixeris esse imagines, quàm aras diaboli, altaria Cacodœmoni erecta, in quibus per oculos impuræ cogitationes tartaro immolantur? vix enim ex mille unus est, qui impunè hæc libidinum aspiciat irritamenta. Abjiciantur igitur Aristidis, ac Nicophanis fœdæ pulchritudines, turpes venustates obscœno delineatæ penicillo; extorres sinantur abire Pausania, & Apelles, quos meretricios pictores antiquitas vocaverat: damnetur, ac prorsus deleatur hoc artificium, quod pudicitiæ per oculos insidiatur; imò si quæ sunt hujusmodi obscœnæ picturæ Vulcano extradantur, ne Venerem, cui favent, accersant: meliùs enim est ardere telam, quàm einefieri pudorem; satiùs picturam perdere, quàm castitatem amittere.

## §. V.

### *Ne malè audiat castitatis amans, caveat mala audire: plerunque dulci voce mulcetur auditus, & ad turpe scelus invitatur voluntas.*

45. Non solùm castitatis culturæ addictus oculos ab obscœnis avertit picturis; verùm & aures claudit verbis prætextatis, ac Venerem olentibus, quæ blandè mulcentes audientes per aures venenum intus effundunt in animam; *Corrumpunt* ait Apostolus: *mores bonos colloquia prava,* exiguo distant loci spatio, oculi, & aures, quibus propterea eadem imminent pericula, ut facilis sit transitus ab auditu ad aspectum, ut scitè Valerianus Niciensis Episcopus *homil. 6.* observat inquiens: *Quoties, cunque dulci voce mulcetur auditus, ad turpe facinus invitatur aspectus,* ne malè audiat castitatis studiosus caveat mala audire, & ut bene audiat ijs omnibus audientiam neget, qui verba proferunt scurrilia, impudentia, fœda, & obscœna; quæ tamen verba sicut proferuntur frequentiùs in trivijs, in tonstrinis, in convivijs, in foro in plateis, ita & libentiùs audiuntur. Eò hujus mali libido mentes invasit hominum, ut vel ij, qui ab alijs sunt vitijs immunes ab hoc fœdè deturpentur. Plures enim, qui cæterarum virtutum fortassis floruêre cultura, hac una peste miserè perierunt, quia venenum obscœnitatis, quod fortè oculis respuebant, per aures ad exitium castitatis hauserunt; parum enim interest, quâ ex parte lethale vulnus infligatur, si mortem inferat: ita neque multum refert, si pudicitia pereat per venenum haustum ab oculis, vel auribus, si pereat. Quid aliud obscœna lingua, os lascivum est, quàm sepulchrum pudicitiæ, charybdis virginitatis, scylla virtutis, in quam impingens castitas naufraga perit? hinc David loquens de hisce, qui nonnisi verba proferunt impudica ait: *Sepulchrum patens est guttur eorum.* Fœtent verba obscœna, & spurcitijs respersa; & adeo noxius est fœtor, quò necem inferat pudori; & ansam præbuerit D. Chrysostomo mirandi quod cùm cadavera terræ mandentur, imò ne vicino lædant putore, altè etiam defodiantur; & nihilominùs verba putida, obscœ-

1. Corinth. cap. 15. v. 33.

Psalm. 13.

obscœna, ac lasciva frequentiùs eroantur è pectore coram pluribus, quo fœtor latiùs serpat, & lethalius noceat: *sepulchrum patens est guttur eorum*, quia per obscœna verba gutture prolata, vulnera infliguntur castitati lethalia, quibus interimitur, ac sepelitur: vel *sepulchrum patens est guttur eorum*, quia sicut è sepulchro nonnisi fœtor exhalat; ita guttur obscœna loquentium nonnisi putorem, & fœtorem spargit, fœda enim, & spurca instillat auribus, & per aures venenum fundit, quô castitas interimitur.

46. Sicut igitur ad probos, sanctósque sermones aures oportet patefacere, ut eorundem beneficio veluti per tubos intus in animam cœlestia transmittantur pronunciata; ita claudendæ sunt impuris, & obscœnis verbis, ne per aures castitas venenum ebibat; & non secus declinandus est, qui obscœna effutit verba, qui nonnisi lasciva loquitur, quàm ferarum illud genus, quod toxicum ejaculatur, ut adstantes inficiat, ac interficiat. Non caret vitio bibulas aures linguæ dare turpia, & obscœna loquenti. Scitè Plutarchus ait, *Lib. de curiosit.* aures patulas obscœnis verbis, haud abludere januis illis urbium, quæ vulgò abominandæ dicuntur, eò quia per ipsas educantur, qui à carnifice ultimo sunt puniendi supplicio, vel piacula inducantur, & nihil faustum, auspicatum nihil, aut lætum adferatur: pares hisce urbium portis eos dixeris, qui sermones de cultu Dei, de Numinis amore, de moribus corrigendis, conscientia purganda, virtute excolenda aspernantur; & aures veluti inauspicatas animi portas habent longè, latéque patentes ad noxia quæque excipienda; per hujusmodi aures ingreditur calumnia, ut carnifex alienæ vitæ; intrat detractio alienæ famæ, & honoris crudelis lanio; introducitur murmurator veluti alieni honoris expilator: per has paculas aurium portas eunt, redeúntque plaustra obscœna inverecundæ mentis; currus impudicæ linguæ verborum onusti impudentium; & nonnisi acroamata impuri scurræ, aut effrontis sycophantæ introducuntor.

47. Nil ipsis magis volupe, quàm obscœna verba audire, quæ blandè aures pulsent, & concupiscentiam intus efficaciùs moveant: obscœna, & impudentia qui loquitur, est illis pergrata, & adblandiens siren, oblectans musa, quæ ipsis est unicè in delicijs: hinc eorum mens perinde ac stabulum suile, nonnisi sordibus oppletur, nonnisi stercoribus patet, & acervo exuberat quisquiliarum: hinc non mirum si eorundem ora teterrima, nonnisi mephitim exhalent: tales sunt, qui ad improba quæque audienda, ac indecora sunt proclives, supra lepores auriti, ad probra, & obscœna quæque excipienda propensi: aurium siquidem curiositas perinde ac oculorum, non solùm ad ea se extendit, quæ consona sunt; verùm & absona; adeo ut non solùm delecter philomelas, & alaudas audire; verùm & rudentes asellos, grunientes sues, ullulantes lupos, oblatrantes canes, mugientes tauros, hinnientes equos, barrientes elephantes, rugientes leones, ranásque coaxantes.

48. Castitas, ne suum denigretur lilium aures hisce claudit impudicitijs, ne obscœnitas mentem intus subiens candorem inficiat castimoniæ; & quia rari sunt qui in mundi gurgite nantes obscœna non loquantur; ideo lilium castitatis nonnisi in asceterijs floret, vixque, vel saltem in paucis, floret in mundo; adeout si alia non urgeret causa immundissimi mundi deserendi, hæc sola satis impellat ad ejus fugam, cum Jeremias, qui attentè audierat, quæ mundus loqueretur; nonnisi obscœna, prava, ac pudenda fateatur se audivisse; *Attendi, & auscultavi, nemo, quod bonum est, loquitur.* *Jerem. cap. 8. v. 6.* Ab urbibus nunc exulat verecundia verborum, excluditur pudicitiæ studium; & quanta est ibi libertas loquendi, tanta est & obscœnitas lasciviendi; vixque unum reperias, qui verecundo gemitu, vel aspectu severiore sordes redarguat obscœna loquentium; & qui impudica loquuntur, promptiùs cæteris stimulante intus concupiscentia lasciviunt; siquidem cognata sunt turpia dicere, & turpia agere; properè id solent homines agere, quod libenter audiunt, quia ut ait Mellifluus Bernardus: *Ubi sunt elingues, & muti; sic etiam sunt facundi, & loquaces Diaboli:* *Serm. 7. de Spirit.* nimirum elingues sunt, & muti ad casta colloqoia; ad sermones, qui flores redoleant virtutum, & vitæ sapiant sanctimoniæ; facundi verò sunt, & fœcundi in verbis obscœnis effutiendis, in pravis, ac impuris serendis colloquijs, quæ verborum spurcitijs aspergunt, ac salibus condiunt inverecundis; si tamen sales dixeris obscœna verba, quæ Diaboli potiùs sunt sputa, & fœtentes, corruptósque cacodæmonis vomitus; quinimo ex lasciviente linguâ, & non castigatis verbis virus effunditur, quô totus homo inficitur: hinc sacer Codex verborum alioquin pareissimus, huic petulantiæ obscœnæ linguæ castigandæ omnem videtur facundiam exprimere ait S. Jacobus: *Cap. 3. v. 6.* *Lingua constituitur in membris nostris, quæ maculat totum corpus, inflammat rotam nativitatis nostræ inflammata à gehenna.*

49. Sunt enim obscœni sermones, turpia colloquia sulfuratæ tædæ in gehennali compactæ, & accensæ fornace; quæ propterea non solùm castas, ac pudicas inficiunt, lædúntque aures; verùm etiam candorem denigrant castimoniæ, liliúmque exsiccant pudicitiæ, D. Petrus Damianus non minus virtutibus fœcundus, quàm eloquentia facundus obscœnam linguam turdo æquiparat, cui idem quod alimento, hoc etiam exitio est, quatenus ex eo, quod edit, & egerit, viscus provenit, quo & aves cæteræ capiuntur; perinde obscœnè garrulus, ac turpia loquens viscum exeernit ore, quo Stigij aucupes, eum capiant: quia loquens Jobus de proferente verba impudica, & obscœna

Cap. 15. v. 6. obscœnaait. *Condemnabit te os tuum, & labia tua respondebunt tibi:* si lilium, & olea sterilescunt, quoties ejus caulem capræ lingua lambit; talis est illoti oris lingua, quæ non, nisi obscœna loquitur; suis colloquijs lilium arescit castitatis; & adolescentum mentes, veluti virescentes oleæ corrumpontur, quibus eò graviùs impudica colloquia nocent, quò ijsdem instillantur; & licèt non videantur statim officere; quædam tamen fata in animo relinquunt semina, quæ paulatim succrescunt in ferales cupressus.

51. Cui cultura castitatis est cordi, is animum, & os ad omnem componit verecundiam; aures non aperit nisi colloquiis virtutes, & cœlestia redolentibus; linguam non movet, nisi ad casta colloquia; cautè loquitur, ut castè sapiat: qui enim obscœna colloquia auribus haud invitis admittunt, pares dixeris castaneis in ignem injectis, quæ extimo cortice jam scisso non se produnt, neque crepantes subsiliunt; quod tamen præstant, si cute non laceratâ, seu dente non discissâ integrè injectæ fuerint in prunas: pari pacto quos libidinis flamma jam adussit, & semel discissâ, seu ruptâ pudicitiæ veste lasciva audiunt, quasi obscœnis jam assueti, non obstrepunt, non redarguunt turpia loquentes, imò tacent, & subrident; frontem non contrahunt, sed vultum exhilarant; supercilia non movent, sed oculos blandè flectunt; & improbo silentio apertè fatentur sibi haud displicere, quæ impudicè proferuntur. Diogenes, cùm observâsset geminos è discipulis sermones miscuisse in via, alterum ex ijsdem interrogavit, in qualenam colloquium cum alio venisset: cùmque discipulus Magistro expoluisset, quid sibi fuisset narratum, utrique præcepit plagas infligi; uni, quia illud narrâsset; & alteri, quia narratis bibulas præbuisset aures. Ita est inter christianos, utérque delinquit, & utérque puniri meretur, tam qui obscœna loquitur, quàm qui turpia libenter audit.

## §. VI.

*Non efflorescit lilium castitatis, nisi rastro afflictationum tellus carnis nostra excolatur, ac evertatur; nec germinant probi affectus, nisi gramina improborum evellantur.*

51. Si lilium dicitur florere candidius, vernare feliciùs, si spinis fuerit circumseptum; etiam castitas pulchrior floret, si spinis cingatur, seu corporis excolatur afflictationibus: pugnat pudicitia, quò vitium, & concupiscentiam expugnet, ideóque carnem affligit, corpus enervat, quò ipsa vegetior fiat, & de hoste triumphet; nec castitas victrix est, nisi bellum carni, & concupiscentiæ indicat; vixque stat castitas, nisi insolentia ceciderit concupiscentiæ; nunquam vincit, nisi carnem deviceris; quapropter cultor castitatis nonquam à bello cessat; hostibus utrinque cingitur pudicitia, diabolus, & mundus totis eam castris nituntur oppugnare; & caro ipsa eò sæviùs in eam ferocit, quò propior ei adhæresit, quò suaviùs ei eblanditur; *Quid enim nequius*, ait Siracides, *quàm quod excogitavit caro, & sanguis*, ideóque totis viribus nititur tartareus hostis ancillam expugnare carnem, ut heram prosternat rationem. Jaheli Cineæ fœminæ similem dixerim carnem suis concupiscentijs castitati insidiantem, Ad tentorium Jahelis pervenerat bello fractus, ex fugâ fessus, ex itinere languidus Dux militiæ Sisara. Jahel non minus dolis, quàm manu robusta in occursum egressa fugientis strategi suavi verborum fuco, blandis benevolentiæ lenocinijs virum non minus bello, quàm viribus fractum invitat, ut velit sua ingredi tentoria, vires reficere, ac parum quiescere: annuens Sisara mulieris figmentis, tentorium perinde ingreditur, ac mactandus bos lanarium subit: ingressus fœminam rogat, ut velit sibi frigidam dare, quâ æstus accensæ sitis, vel extinguat, vel temperet: mulier verò in hospitem ultra preces liberalior fluridum ei lac propinavit, cujus uberiori haustu recreatus, ac refectus somno indulsit; sed cùm jam altiùs dormiret, aggressa mulier sopitum Sisaram ei clavum traos tempora adegit, ac dormientem intertecit. Parem Jaheli carnem dixerim nostram, procax est, ac fallaciarum ferax, mille versutiis ad decipiendum instructa: animo sitienti, imò & concupiscentiâ æstuanti lacteam propinat promulsidem, variásque oblectationes ingerit, ac voluptates suggerit; & licèt hæc potio lethali sit toxico mista, sapit tamen æstuanti, & grata est sitienti, cui & soporem conciliat, & simul necem accersit: perinde ac Jahel caro nostra delectabilia, & quæ nobis sapiunt, oblectamenta offert, quibus eò nocentiùs nos decipit, quò blandiùs nos allicit: & nisi hanc contundamus deceptricem, ipsa nos tundit.

Cap. 7. v. 30.

Judic. cap. 4.

52. Contunditur autem caro, si esculenta, & poculenta ei subtrahamus, si flagris vapulet, & afflictationibus prematur: sed plerúmque malumus detrimentum pati, quàm cibaria corpori subtrahere, & dummodo hæc floreat, ac valdè veget, animi nostri non curamus perniciem; & pares nos facimus Neronis Matri Agrippinæ, cui, cùm respondissent Chaldæi, quos consuluerat circa fortunam Neronis filii, ut refert Tacitus, fore, ut filius imperaret, sed imperans matrem occideret; ijsdem impiè repolsuit Agrippina, *occidat, ut imperet:* adeò fortunæ indulserat filij sibi crudelis mater, quò fortunam Neronis propriæ præferret neci, nec mori curaret ipsa, dummodo filius imperaret; an non Agrippinam, & nos imitamur, cùm in nostram perniciem carni indulgemus? sævit caro adversus spiritum, inso-

Lib. 4. annali

insolescit contra castitatem; & nobis insidias ad animæ interitum nectit; & tamen adhuc illi indulgemus, eique eblandimur, hostem nutrimus, vires ei suppeditamus, quibus in nos acriùs insurgat.

53. Si indemnitati studeamus pudicitiæ, si interitum velimus animæ declinare, non carnis desideria sequi debemus, neque secundùm carnem ambulare, sed secundùm spiritum; quia prudentia carnis mors est, ut scribit Apostolus *ad Rom. c. 8.* Et sapientia carnis inimica est Deo: non enim qui carni adhærescunt, ejúsque desiderijs indulgent, Deo possunt placere: debitores sumus non carni, ut secundùm carnem vivamus: morimur enim, si juxta carnis desideria vivimus, & tunc tantùm vivimus, cùm spiritu facta carnis mortificamus, ut nos docet Apostolus *loc. cit.* sed qui carni indulget, qui suis vivit concupiscentijs, non Apostolum audit, sed cum Agrippina loquitur, dicítque: moriar, occidar, dummodo caro imperet; dummodo ipsi benè sint omnia; libenter cadam, dummodo surgat illa: pugnam inter se se ineunt caro, & spiritus, quamvis hic illi vitam suppeditet, & nonnisi beneficio spiritûs caro vigeat, suásque in sensibus, ac corporis membris munia exerceat, ac vires exerat; hæc tamen eo ingratitudinis laborat vitio, ut nonnisi mortem spiritui moliatur, contra quem propterea jugiter pugnat, ut ipsum expugnet: hinc Apostolus. *Carnis curam ne feceritis in desiderijs: caro & sanguis Regnum Dei possidere non possunt.*

*Ad Rom. c. 13. v. 14.*

54. Contumax est caro nostra quietis, & otij amans, deliciarum appetens, lusibus, & nequitijs incumbens, & nisi eam flagellis cædamus, nisi loris ad laborem adigamus, ita otio torpescit; ut sine cultura, & labore ager animi sterilescat, nec ullum producat virtutum florem, & lilium præsertim castitatis exarescat; exercenda est caro afflictationibus, ut castitas excolatur; afflictatio corporis cultura est pudicitiæ, & tutio castimoniæ: & quotquot fuêre huic castitatis culturæ addicti carnem afflictationibus in servitutem redegerunt, ut D. Benedictus inter vepreta, D. Franciscus inter dumenta, D. Bernardus in lacu frigidissimo, & alij sexcenti inter nives æstus concupiscentiæ extinxerunt: alij in plenam reducturi corpus servitutem flagellis se cruentârunt, ut D. Damianus; catenis, & cilicijs se dilacerârunt, ut D. Cajetanus; virgis, & loris se diminuêrunt, ut S. Dominicus Loricatus, qui fertur adeo in corpus suum sævijsse, ut incussorum verberum numerus ad quadraginta quinque millia excresceret; usus enim flagellorum duo præstat præsertim bona, quorum primum est; quia carnis petulantiam nimis subsultantem, perinde ac asperum frœnum compescit: secundum quia tunc Christi exemplum flagellis cæsi, ac spinis redimiti, & in crucem acti nostram subit memoriam, nósque invitat ad ejus premenda vestigia. Cilicijs etiam afflictatur caro, cui sunt illa molestissima: hinc cilicinæ vestes etiam in veteri lege legimus in usu fuisse ad insolentiam carnis coërcendam, ad lilium castitatis excolendum.

Neque infimæ duntaxat plebi in usu fuit cilicina vestis: sed & Regibus ipsis, qui chlamyde exteriùs nitentes, intùs exhorrescente cilicio carnem compescebant, ne adversus spiritum rebellaret; ne per motus concupiscentiæ, pravósque affectus contra castitatem insurgeret: scimus, Reges, Arhabum, Davidem, Joram, & alios hispidam hanc vestem carni adhærentem gessisse: & Juditham castitatis cultricem, pudicitiam suam serisse cilicio insigniorem, ac tutiorem. Nullus fuit illâ castior; Ita vivebat domestico cum gynæceo, ut ejus domus schola esset probitatis, gymnasium castitatis, cujus ipsa haberetur Magistra: & quamvis amplis ipsa opibus afflueret, ætate, ac forma floreret, summa tamen erat vestitûs modestia, & corporis edomandi severitas: siquidem lumbos, ut sacer refert historicus, aspero consueverat cilicio stringere, & quotidianis penè jejunijs corpus affligere; & ideo ejus castitatis lilium inter spinas cilicij lætiùs efflоruit. Stringendus est gladius in hunc domesticum hostem, qui perenne animo bellum indicit; noctes, diésque propterea debemus classicum canere in corpus, quod causa est, cur homines tot labores subeant, tot pericula incurrant, sudores effundant, maria traijciant terrarum tractus percurrant: hujus enim gratiâ inhiant homines divitijs, transcendunt alpes, ascendunt montes, diu, noctúque laborant etiam cum jactura præstantioris animi ornamenti, etiam cum amissione divinæ gratiæ; carni enim omnia famulantur vitia, huic luxuria eblanditur, avaritia divitias congerit, ut illi inserviat; temulentia madet vino, ut eam lætificet; desidia huic lenocinatur; & reliqua vitia ancillantur; & tamen plures sunt filij tenebrarum, qui carni suæ eblandiuntur, eam fovent, eique favent; & delicatæ inertiæ umbras in hortis quærunt Epicuri, ut caro delicietur; sed ex hac nimia corporis cura id oritur, ut corpori indulgentes, perinde ac sues non alia de causa videantur animam habere, quàm ne caro, & pinguedo statim putrescat inanimis; & ut sues, nonnisi in cœno volutantur vitiorum, quibus adhærere est ijsdem volupe; ideóque nil sapiunt sublime, nil cogitant divinum, semper humi repunt.

Scimus, Diogenem uno duntaxat cubâsse in dolio; sed carni indulgentes dies totos peregrinantur dolia inter, & ollas; symposia, & cauponas frequentant; & noctes totas volutantur in plumis; quorum animus propterea totus est in patinis, totus in cantharis, plus in lecto, quàm in templo; plus in macello, quàm in sacello; & plus in re- 56.

no, quàm in cœlo. Ab hisce fruſtra expectatur tuendæ pudicitiæ causâ, & excolendæ caſtitatis gratiâ, ut corpus affligant, concupiſcentiæ motus compeſcant, pravos affectus coërceant, ideóque non dignam homine vitam ducunt, ſed ſuilem agunt, & vile eſt ipſis omne honeſtum, quibus inviſa eſt ipſa honeſtas; voluptatibus franguntur, langore diffluunt, otio marceſcunt, nunquam ad ſydera erectos vultus tollunt, nunquam ad exercitia aſſurgunt virtutum, ſed jugiter humi repunt in cœno merſi fœdæ turpitudinis.

57. Quæ in nobis plerúmque proba excitantur deſideria, pii inſurgunt affectus ſemina ſunt, ac rudimenta virtutum, quæ tamen in fructus haud exereſcunt bonorum operum; niſi tellus carnis noſtræ raſtro mortificationis teratur, ac glebæ confringantur inſurgentis concupiſcentiæ, evellaturque gramen vitiorum; ſicut culturâ agri non obeſt, ſed prodeſt fructibus producendis; perinde afflictatio corporis quædam eſt animi cultura, quâ ager noſtri corporis excolitur, ut ſpiritus flores germinet virtutum; ac fructus producat bonorum operum: frangenda eſt hæc tellus mortificationum aratro, & quæ in ea ſunt glebæ pravorum affectuum raſtro conterendæ ſunt cilicij.

58. Gaudet vel maximè hac culturâ lilium caſtitatis, quâ vernat candidius, floret amœnius: hancque exercuerunt, quotquot fuerunt caſtitatis ſtudioſi, ex quibus fuerunt, qui totis vitæ annis ſetoſo fuerunt uſi amictu; dies, noctésque cilicinam induerunt veſtem, quâ concupiſcentiæ pravos motus, ac rebellantes rationi affectus coërcuerunt, ac feliciùs lilium excoluerunt caſtitatis. Fuit pudicitiæ cultor S. Lupus Epiſcopus Trecenſis, ſed non deſtitit corporis agrum aratro, & raſtris mortificationum exercere, annis enim vicenis nunquam lecto indormivit, humi cubavit, & ſomnum nonniſi modicum induſit corpori, noctésque alternas vigiliis exegit, ac precibus, cilicium aſſiduè geſtavit, unica contentus pannoſa tunicâ. Caſtitatem excoluit Abrahamus Eremita, ſed licèt ampliſſimi patrimonij ex aſſe hæres fuerit, omnes quas habuit facultates munifica largitate pauperibus diſtribuit, quo eorundem levaret miſerias, ſuppleret indigentias, & ipſe præter cilicium, ſtoream, ligneúmque poculum, nil ſibi retinuit: annis quinquaginta aſperum induit cilicium, quô carnis tellurem trivit, & lilium excoluit pudicitiæ. Studioſus caſtitatis fuit S. Amatus Abbas, ſed non aliam quàm è cilicio culcitram admiſit, quam nunquam dimiſit, tametſi gracile corpus morbis langueſceret, ægritudine deficeret, & morte jamjam imminente corrueret. Hinc caſtitatis culturæ addictus fuit Elzearius comes, ſed agrum proprij corporis afflictationum raſtro egregiè coluit, ſerico enim thorace cilicium cooperuit, quo diu, noctúque carnem affligebat, & recitans pluries de die quinquageſimum Pſalmum Miſerere, ad ſingulos ejuſdem verſus ferreis catenulis per vices ternas ſe cruentavit, neque ullo irriguo imbre magis gaudet flos pudicitiæ. Solertiſſimus pudicitiæ cultor fuit S. Andreas Avellinus, ſed aſſiduis flagris, quibus corpus cæcidit, ac cruentavit, cilicinâ veſte, quâ carnem edomuit, jejunijs, quibus corpus in ſervitutem redegit ſpiritûs. Excoluit florem pudicitiæ S. Thomas Cantuarienſis Archiepiſcopus, ſed cilicinam veſtem ad genua pertingentem geſtavit, ut carnem ſubigeret, & corpus imperio rationis plenè ſubjiceret; ajebat enim, ſi corpori meo præeſſe nequeam, quomodo cùm ſim ipſe paſtor, tot alijs præero? fuit & in eadem cathedra ejus ſucceſſor S. Edmundus cultor eximius hujus floris caſtitatis, ſed cilicium extra quadrageſimam, & in quadrageſima loricam ferream geſtavit: & fertur, fuiſſe à puero cilicio ferendo aſſuetum ex propriæ matris ſuaſione, quæ quoties Pariſios recentia ei induſia miſerat, lotum ſimul cilicium transmiſit, quo biduo, triduóve per hebdomadam uteretur, quia pravis concupiſcentiæ coërcendis affectibus, & lilio caſtitatis excolendo nullum cilicio aptius inſtrumentum, quo Cæcilia virgo corpus edomuit, & florem virginitatis etiam in nuptijs indemnem ſervavit, canitque propterea eccleſia. *Cilicio Cæcilia membra domabat, Deum gemitibus exorabat:* neque ipſo nuptiarum die hac hiſpida voluit carere interula, licèt enim exteriùs aureis, ſericiſque niteret veſtibus, intus tamen latens cilicium carnem torquebat. Cæciliam imitata Editha Anglorum Regis filia ſub regio ornatu, mundóque muliebri veſtem cilicinam, hiſpidam, corporis membra dirè divexantem ſanctè diſſimulavit; & cum S. Ethelwodus eam regiè comptam vidiſſet, & criſpata fronte eam redarguiſſet, eò quia non eſſet ille ornatus ad cultum caſtitatis, ſed ad indicium vanitatis: repoſuit illa modeſtè, non eſt ſanctè Pater, quo extimum redarguas ornatum, id me ſolatur, cùm ſciam à Deo non extimam veſtem æſtimari, ſed cor intus pluris fieri; & tunc intellexit Ethelwodus, mentem bonam non ſemper à veſte judicandam.

Pravis igitur concupiſcentiæ coërcendis affectibus nullum cilicio aptius frœnum, quo & concupiſcentiæ motus comprimuntur, & caro ſubigitur, & lilium caſtitatis feliciùs, ac tutiùs excolitur, idque nos edocuit, vel ſub ipſo mundi exordio Protoparentes, cùm poſt violatum Numinis mandatum cœperunt rebelles rationi experiri pravos concupiſcentiæ motus, ad quos coërcendos, vel ipſi primi homines cilicium adhibuerunt: ſiquidem Adam, & Eva erubeſcentes propriam nuditatem, ac rebellantis concupiſcentiæ impetus. *Conſuerunt foliâ ficûs, & fecerunt ſibi perizomata:* ſunt ficus folia aſpe- 59.

*Geneſ. cap. 3. v. 7.*

aspera, ac hispida affligendæ carni peridonea, sicque cilicium, vel ipsa arbor primis suppeditavit parentibus, quo per afflictionem carnis rebelles coërcerent concupiscentiæ affectus.

60. Idque causæ cur castitatis cultores mirè fuerint ingeniosi in cultura hujus floris per corporis cruciatus; hinc humi cubationes, prolixæ vigiliæ, perpetua jejunia, hispida, ac rigida cilicia, modicus, & insulsus cibus, potus insuavis, vestitus asperrimus, flagellatio crebra, & assiduis hisce pugnis contra carnem lilium excoluerunt pudicitiæ, quod suavius flagravit, & gratius floruit, magisque Numini placuit: cavent enim, vel maximè pudicitiæ cultores, ne corpori indulgeant, scientes facilè sub nomine necessitatis nequitiam subrepere voluptatis; ideóque corpus non ut amicum blanditijs exceperunt; sed ut inimicum laboribus, vigilijs, inædia, cilicijs, flagris, ac innumeris alijs vexârunt rigoribus, quibus viribus destitueretur, ac impotens fieret ad insurgendum per pravos concupiscentiæ motus contra castitatis culturam: ita enim carnem exercuerunt, & afflixerunt, ut hæc se mori sentiret, tyrannidem Caligulæ piè, & sanctè in se exercentes: sunt enim corporis afflictationes, ac cruciatus, veluti prima sanctitatis germina & tametsi corpus affligant, debilitent; spiritum tamen farciunt, ac corroborant: hæcque sunt prima rudimenta, quæ in schola christianæ perfectionis didicerunt, ac docuerunt, quotquot fuerunt castitatis studiosi: hi corticem fregerunt corporis, quo nucleum gustarent virtutis, ac perfectionis; plenus est cortex, cùm frangitur, amarore, sed nucleus melle diffluit, ac dulcedinem spargit: eadem, quæ est exteriùs carnis mortificatio, est intus cordis vivificatio; & quamvis laboribus, vigilijs, inedia, cilicijs, & flagris corpus excruciet castitatis cultor, & moriatur ipse mundi delicijs, ac voluptatum lenocinijs, vitam tamen acquirit; qua gratior Deo vivit, qui ideo delectatur hisce corporis nostri afflictationibus, quia earundem beneficio exculti virtutum flores olent suaviùs: non enim nostris se Deus oblectat doloribus, non sibi complacet in nostris cruciatibus, nisi quia nobis prosunt, & per excultam nostri corporis tellurem aratro cruciatuum, & rastro mortificationis feliciùs germinant proba desideria, quæ veluti semina sanctitatis cœlestis agricola nobis suppeditat.

61. Virtus floret in animo, sed pascitur inediâ corporis, reficitur siti, ditescit paupertate, lætatur gemitibus, gaudet fletu, ridet lachrymis; tunc irrigatur flos pudicitiæ, cum flagrorum diritate, dilacerati corporis artus sanguineos fundunt imbres; tunc vernat lætior, cum ciliciorum asperitate vestitur caro acerbiùs; tunc incrementum subit venustatis, cum suis caro viribus minoitur: & ideo Deus nostris se oblectat doloribus, in nostris sibi complacet cruciatibus, quia ex hac cultura corporei nostri agri flores virtutum vernant feliciùs, & semina piorum affectuum, germinant feraciùs in uberiorem bonorum operum messem: est igitur hæc corporis afflictatio non solùm lilio castitatis excolendo perutilis, verùm ad reliquarum omnium virtutum promovenda incrementa pernecessaria: fructus igitur inde crescentes appetamus, ut simus cum Josepho filij accrescentes.

Quinimò Deus ipse ærumnis, & adversis nos exercet, non quia velit nobis nocere, sed ut inde uberiùs perfectionis emolumentum per exercitia virtutum sumamos. 62.
Quòd si pater filium haberet, eúmque unigenitum morbis tamen plurimis infestatum, & afflictum ob vitiatos in toto corpore humores, adeò ut laborarent manus chiragrâ, pedes podagrâ, stomachus gravedine, venter colicha, renes calculis, & alij corporis artus scyathica, vel gangrena: & hisce divexatus morbis languesceret in Nosocomio, perinde, ac Jobus in fimeto, esśetque similior simulacro cadaveris, quàm hominis figuræ; & pater misertus filij, vellet in illo exercere, quam ipse arcanam calleret artem, sibique uni notam; quâ posset absque difficultate gratis sine impensis, facilè sine dolore, citò absque mora, filio mederi, totámque morborum congeriem illicò expellere, ac pristinæ valetudini filium restituere, an non id amori daretur patris in filium? An non optimus erga filium censeretur medicus? ita nobiscum agit misericors Deus; quas contraximus animi ægritudines, per corporis afflictationes expellit, quia inde resipiscimus, & per exercitia virtutum plura congerimus merita.

Nec Jobus in suo sterquilinio tot fuit ægritudinibus oppressus, quot homo laborat infirmitatibus post lapsum primi hominis; ea est toto corpore diffusa ægritudo, ut à planta pedis usque ad verticem capitis non sit in eo sanitas. Unicum adest pharmacum morbis hisce curandis, éstque ipsa corporis afflictatio, quâ insolescentis carnis motus compescuntur, concupiscentiæ depravatæ affectus coërcentur; & irascentis animi conceptæ flammæ extinguuntur: hoc mortificationis pharmacum nos edocuit cœlestis Medicus, simúlque Magister noster Christus, de quo olim virtus exibat, & sanabat omnes: nobis enim impensiùs suadet hoc pharmacum, ut præsentissimum curandis ægritudinibus, quas per peccatum protoparentis contraximus; & non tantùm verbis, sed fortiùs etiam exemplo; voluit præstantiam hujus pharmaci nos edocere, assumpsit ipse in manus calicem, quem nobis propinaret. *Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum?* Matth. 20 v. 22.
sic enim nos invitat, ut hoc haustu pristinæ restituamur sanitati, ut & ipse etiam bibat, ac præbibat; hic enim est calix iste, cujus haustu homo licèt multiplici laborans ægritudine depravatos suos humores corrigit, affectus

suos

fnos componit, appetitionibus exorbitantibus modum imponit, æstus concupiscentiæ sedat, flammas irascentis animi extinguit, febrim avaritiæ expellit, pestem libidinis delet, intellectum purgat, spiritum renovat, & in pristinam asserit è servitute libertatem; extinguit luxuriam, exterminat iracundiam; proscribit invidiam, & perfectæ sanitati hominem restituit. Durè excipiendus est asellus corporis, nec ei parcendum, ne contra spiritum insurgat: *Caro enim*, ait Apostolus, *concupiscit adversus spiritum: spiritus autem adversus carnem: hæc enim sibi invicem adversantur:* perpetua hic rixa, ac jugis lucta, & quò plus reficitur caro, magisque ei indulgetur, eò valentiores inde vires sumit, quibus spiritum fortiùs oppugnat, & plerúmque expugnat: & ibi semper vincit, ubi non creditur hostis esse.

Ad Galat. cap. 5. v. 17.

64. In id nititur studij caro incumbere, ut onus excutiat, labores declinet, virgam à se removeat, & quiete fruatur, delicijs diffluat, ac voluptatibus perinde ac floribus fulciatur; ut inde vegetior impetu uberiori spiritum, quem prosternat, adoriatur. Non parcendum est corpori, ut flos verget castitatis in anima; terendus est, ac infringendus aratro mortificationum, rastro afflictionum corporis ager, ut germinent in nobis flores virtutum, & præsertim lilium castitatis; hic enim flos nullibi vernat candidiùs, nec olet suaviùs, quàm in exculta, ac proscissa mortificationibus corporis tellure. Cor virginis terrestris est paradisus, sed ne feræ pravorum affectuum delicias illas proterant, gladio indiget custodiri; quapropter de anima, seu corde virginis dicitur. *Et tuam ipsius animam pertransibit gladius:* sed quem putas exclusum ab ingressu hujus virginei paradisi? Certè non alium credas, nisi quem violatum præceptum à terrestri repulerat paradiso hominem. Nefas enim virgo ducit, vel minimum de viro cogitare; quapropter à quovis pravo affectu cor suum custodit, qui castitatis culturæ est ita addictus, ut nil admittat, quo possit pudicitia lædi: hinc dixit Virgo cœlesti Nuntio: *quoniam virum non cognosco*, hac custodia necesse est, cor suum muniat, qui pudoris florem, ac vitæ arborem servare cupit indemnem; non monile splendet ante virginis pectus, sed gladius vulnus infligit; quia non ornatus petendus est; sed gladius evaginandus, ubi non jam cum serpente pugna initur; sed cum libidine conflictus suscipitur.

Luc. 2. v. 35.

Luc. 1. v. 35.

65. Sed quænam ars est ista inusitata, ei vulnera infligere, quem non expugnatum cupimus, sed propugnatum volumus, quem ideo ferimus, ne vincatur? hæc pugna in castris instituitur castitatis: virgines pugnantes contra pravos insolescentis concupiscentiæ affectus vulnera sibi infligunt, quibus hostes profligant. Cultores castitatis, & pugiles pudicitiæ se ipsos cruentant, quo hostes prosternant hinc de anima, seu corde virginis, *Tuam ipsius animam pertransibit gladius*, quia anima excolentis castitatem ita vulneratur per virginem, ut vulnus ipsum ad virginitatis pertingat hostem, & castitatis cruentet, prosternátque inimicum. Funditur, dissipatúrque luxuria non tam gladio nostro, quam vulnere, & licèt Venus de armato triumphaverit, & frequenter armatos prosternat, vincátque, frequentiùs tamen ab inermibus, sauciisque profligatur ipsa, vincitur, & extinguitur: quapropter Apostolus Paulus carnis ut retunderet stimulos, & insurgentem contra se concupiscentiam prosterneret, in se ipsum tela convertit, séque oppugnavit, quò libidinem expugnaret. *Castigo corpus meum, & in servitutem redigo:* nimirum pennas, alásque adducturus Paulus lacessenti concupiscentiæ, quò ad fugam perniciorem eam adigeret, compedes corpori inijciebat, & ut libido citiùs discederet, ligabatur ipse redigens se in servitutem: vinciebat se, ut insurgentem contra se vinceret libidinem.

Luc. 2.

Verani de Affectibus Tom. I.

1. Corinth. 9. v. 27.

66. Tales fuerunt pugnæ, quas castitatis cultores contra luxuriam injerunt, tales fuerunt adversus hunc hostem Davidis insidiæ, qui ut impuras extingueret flammas concupiscentiæ, pectus suum eluvione obruit lachrymarum: plorabat per noctem David, ne de die rideret libido; lachrymas fundebat, quibus non tam ignes extingueret libidinis, quàm lilium irrigaret castitatis, quod alio non gaudet imbre madere, quàm lachrymarum; quas cor contritum, & ad Deum vere conversum elicit: volutabatur in cinere David, quò libido ipsa cineresceret: quâ industriâ etiam Bernardus obriguit in glacie, ut frigeret Venus in corde: hac arte spinis voluit Benedictus configi, quibus pravos rebellantis concupiscentiæ affectus vulneribus confoderet, dumetis cruentaret: hinc & ipsa virgo hostem transverberatura tartareum cultrum sibi immersit: *Tuam ipsius animam pertransibit gladius.* Non fidendum est huic hosti, qui blandè castitatis pugiles lacessit, lenocinijs provocat, voluptatibus invitat: licèt cæteros pravos prostraverit ipse affectus, ferrum iræ retuderit, aurum abegerit avaritiæ, limam abraserit invidiæ, rubiginem detersérit acediæ, plumbum abjecerit otij, ac omnes repulerit pravorum affectuum impetus; tametsi sit ipse adamas inconcussa munitus firmitate, nitore pellucens plurium virtutum; adhuc hic adamas uno frangitur hirci sanguine, & qui obsistit malleo, cedit concupiscentiæ; qui stat ad assultus cæterorum affectuum ad unius concupiscentiæ impetum cadit, cùm nec adamas sanguini resistat: ideóque in id necesse est, incumbat studij castitatis pugil, ut huic non fidat pravo affectui, qui ubique nectit insidias, pugnátque voluptatum lenocinijs: nec tutiùs vincitur hic hostis, nec citiùs, quàm beneficio fugæ.

Refert Joannes Taullerus adolescentem quendam fuisse specie venusta, ita tamen ut pudicitia simul cum venustate floreret; ve- 67.

 rùm

rùm cùm niteretur cacodœmon hùnc carpere florem, simúlque adolescentem expugnare, hoc fuit stratagemate usus; fœminæ cujusdam insignis nobilitatis, ac nominis concupiscentiam in adolescentem accendit, adeò ut ab ancilla è gynæceo fœminæ juvenis venustus in benevolentiam parùm pudicam ad cœnam fuerit vocatus, specie quidem honoris; sed revera ejus deturpandæ pudicitiæ causâ. Adfuit adolescens non tamen solos, ut res non tam periculo careret, quàm suspicione; secúmque suum adduxit moderatorem. Cúmque cœnæ sederet adolescens à procaci muliere, frequenter invitabatur ad exsiccandos calices vino generosiori spumantes, quod nequissimâ id agebat vafritie, ut haustu vini usum adolescens extingueret rationis, clariúsque impudica mulier videret, quomodo propriæ satisfaceret concupiscentiæ; cùm adolescens plus consueto madnisset vino adactus à fœmina fuit sua pernoctare in domo; votíque compos facta, vacillantibus adolescens vestigiis, ac subsidentibus articulis, in proximum ducitur conclave, ut in parato ibi lecto dormiret: & quia nil mali suspicabatur adolescens, passus est in conclavi illo somno indulgere: sed adulta jam nocte cum silentium tenerent omnia sopiti adolescentis cobiculum ingreditur procax mulier, laneo passu, & juvenem aggreditur, quem expergefactum verbis, blanditiis, lenociniis satagit in sua vota flectere, & ad flagitium pertrahere, sed juvenis exhortescens hanc averni Megæram è lecto euro citiùs surgit, & ut erat lineis tantùm femoralibus, & indusio vestitus ex impuris procacis mulieris prosilijt manibus, & reliquis relictis vestibus ex insidiosa evolans domo in ædes vicini velut in asyllum effugit, obi reliquum noctis in fundendis lachrymis, ac precibus, simúlque agendis gratijs pro declinato periculo, & obtenta castitatis victoria exegit. Imitatus certè fuit adolescens Ægypti Proregem Josephum, cui supparem dixerim, cùm ejusdem virtutis noverim æmulum. Procax fœmina pudicitiam debellatura adolescentis, ad lautiorem cœnam per pertraxerat, ad siccandos plures calites allexerat, vinum ei propinaverat, quò venenum ebiberet adolescens castitatis; nil enim concupiscentiam magis fovet, nil blandiùs ei favet, quàm immodicus cibus, & potus, est enim fomes, quo accenditur libido, alimentum, quo nutritur luxuria.

68. Quòd si ignem plurimam depascentem materiam velimus solâ aquâ extinguere, difficulter eum suis destitnimus viribus, quamvis enim aquâ, & pruinâ extinguatur ignis, si modicam tantùm occupaverit materiam, non ita tamen, saltem æquè expeditè si immodicam; tunc enim satiùs pabulum ei subtrahimus, quia tunc sua sponte subsidit, & velociori fuga evanescit, quapropter scribit Seneca epist. 30. *Subtrahe ligna foco*, hoc est, si velimus illi vires adimere, ac eum extinguere. Ignis est luxuria, quæ ipsum corpus inflammat, concupiscentiam accendit, ut virtus cinefiat castitatis: ignis inquam est, sed qui è gehennali evaporat fornace, exilitqoe ex orco: hanc flammam tartaream si oppressam velimus, necesse est, ligna subtrahamus, seu pabulum denegemus corpori: si enim hæc desit materia, desinit & ipse suas emittere flammas, & deperditis viribus sua extinguitur sponte; fame, & siti nutritur, ac reficitur castitas; & extinguitur, ac deficit luxuria: è contra verò hæc cibo, & potu convalescit, vires acquirit, quibus petolantior insolescit, & virginitas suo destituta robore cadit, & prosternitur.

## §. VII.

***Pravis rebellantis concupiscentiæ coërcendis affectibus nullum frænum accommodatius ipso jejunio. Flamma enim luxuriæ per subtractionem pabuli extinguntur.***

Nullum coërcendis pravis insurgentis concupiscentiæ affectibus frœnum accommodatius ipso jejunio, ipsâ fame, & siti, quâ caro languescit, & vires suas deperdit. Quòd si referente Plinio sputum hominis jejuni tantæ dicitur esse virtutis, ut serpentes fuget; certè jejunium cultoris castitatis pravos omnes libidinosæ concupiscentiæ affectus fugat, & si non serpentem, stigium certè Draconem abigit, cùm in id unum colliment SS. Patres asserentes, nullis armis prosterni feliciùs tartareas legiones, quàm siti, & fame; *pulchra res est*, ait D. Hieronymus contra Jovin, *jejunium, quod dæmones terret*, cui adhærens, Origenes homil. 4. in Matth. ait: *Cum jejunatis Dæmones vincitis, omnémque illius classem malignam retrorsum agitis, mala desideria effugatis*, & D. Basilius. *Jejunium*, inquit, *contra exercitum Dæmonum dat arma*, quibus timorem virgines jejonantes incutiunt tartareis hostibus, quos & fundunt, fugántqoe: quapropter etiam D. Chrysostomus ait: *Adversus Dæmonum naturam constitutum est jejunium*: neque dissonat D. Ambrosius, inquiens: *Nullum remedium majus contra inimicum serpentem, poteris invenire, quàm jejunium*. Castitatis cultor, si insurgentis concupiscentiæ incentiva sentiat, ijs extinguendis nollum est flamen aptius siti, & fame: si prosternere, ac fugare nititur cacodœmonem impuris suggestionibus satagentem castitati nocere, nullis armis tutiùs prosternitur, fugatúrque, quàm jejunio, sine qoo vix tartarens vincitur, & fugatur hostis.

69. Lib. 28. cap. 4.

Homil. 1. de jejun.

Tom. 5. serm. 2. de jejun.

Lib. 6. Hexamer. cap. 4.

Hoc præsidio viri sanctitate insignes se munire voluerunt, quò tutiùs de hoste 70.

ter-

tartareo triumpharent. Jobus speculum patientiæ, & cœli spectaculum toto corpore ulceribus fractus, sanie,& sanguine putrescente scatens, viribus deficiens, in fimeto jacens, & undique infelicissimus, tametsi patientiâ loricatus omnia retuderit hostis tartarei tela, ictûsque frustraverit, adhuc tamen afferente Origene, ipsis septem diebus jejunavit, quo jejunio armatus fortior, ac vegetior insiliret contra hostem tartareum. Joannes Christi Prodromus carnis concupiscentijs bellum indicturus jejunio munitus insignem detulit victoriam, hostem prostravit, cùm pabulum corpori subtraxit, & jejuna membra hosti obiecit. *Venit, non manducans, neque bibens*: adeò fuit Joannes jejunio addictus, ut nec comedere, nec bibere visus fuerit, quasi Angelus humanitate indutus: & Apostolus Paulus, quem acriùs concupiscentia pulsaverat, ad hanc propulsandam non unum, vel alterum tantum sibi indixit jejunii diem; sed per crebra, ac passim repetita jejunia pabulum subtraxit libidinis igni. *In jejunijs multis, in fame, & siti*, nimirùm per subtractum corpori cibum, fomitem abstulit concupiscentiæ, quæ tunc incipit frigere, cùm membra jejuna prælentit; & siti impudicas ejus extinxit flammas: Antonius æquè eremi, ac castitatis cultor teste Athanasio in ejus vita, adeò pertinacis fuit jejunii, ut nonnunquam biduo, triduóque impransus, ac incœnatus maneret, & quarta duntaxat die frustulum præduri panis parcissimè gustaverit adjecto pro condimento sale; neque alio fuit potu usus, quàm frigida è fonte hausta. Scimus, Hilarionem adhuc adolescentem quindecim annorum, ut omnem in se carnis expungeret petulantiam, æstus arceret concupiscentiæ, & pravos omnes carnis coërceret affectus tantæ assnevisse abstinentiæ, ut nonnisi post solis occasum quindecim caricas, seu ficus in jejunum demiserit stomachum ad famem potiùs magis irritandam, quàm sedandam; & quia necdum omnem aluntur libidinis scintillam in se prorsus extinctam crederet, severiores sibi jejunii leges sancivit, quibus triduum, quatriduúmque fine omni alimento duceret, ut viribus prorsus destitutus, unà cum corpore etiam deficeret concupiscentia.

Job. 3. in Job.

Matth. cap. 11. v. 18.

2. ad Cor. inth. v. 27.

71. Candor innocentiæ, & castitatis tutiùs non custoditur, quàm abstinentiâ à cibo, & potu: hinc quia Deus homines condiderat innocentiæ paludamento ornatos, prima lex, quam ijsdem tulit, fuit abstinentiæ, quatenus eius beneficio donum servarent innocentiæ, ac indemnem custodirent pudorem, quem tunc Adam exuit, & à statu cecidit innocentiæ, cùm legem violavit abstinentiæ; nil enim Deo, & ventri commune; non enim potest is Deo placere, cui Deus est venter, neque Deus potest in eo suum figere domicilium, ubi omnis venter, cui indulgetur, colitur, & excolitur, delectatur sacer sponsus pasci lilijs, quæ ibi minimè florent, ubi ingestus cibus libidinem nutrit. Quòd si extrema fuit olim apud Ethnicos insania genu iis inclinare idolis, quæ facta fuerant ab hominibus: detestanda certè est dementia, homines nunc non genu, sed cor iis inclinare, quæ corrumpuntur, & putrescunt, cujusmodi sunt fercula, quibus inhiant gulosi, qui certè cum Deo non epulantur, nec vitam agunt cœlestem, cùm sint toti terrenis cibis, ac concupiscentiæ cœno immersi; cùm earum rerum duntaxat vita gaudeant, quæ terræ hærent, ac suas terræ figunt radices: nulla est vita magis mortalis, magisque præmaturo obnoxia interitui, quàm eorum, qui ventrem ingestis cibis saburrant, & indigestis ferculis onerant: neque enim eorum stomachum quid aliud esse dixeris, quàm tumulum mortuorum animalium, quibus & suam augent mortalitatem, impinguantes, quod in se mortale est, corpus; & extenuantes, quod in ipsis est immortale, seu animam; cujus facultates hebetant. Adam conditus immortalis, cùm primùm jejunium violavit; factus est mortalis, & qui immortalitatem per abstinentiam custodivisset, per demissum vetitum fructum in stomachum, factus est morti obnoxius; & is fit mortalior, qui avidiùs mortuis alitur altilibus, & quotidie saginatur mortuis animantibus; is citiùs mortem accersit; quia ex nimio cibo, & potu mors celeriùs venit ad eos, quos invenit oppletos cibo, & potu: debet cibus esse vitæ pharmacum, non lethale venenum; est autem pharmacum, si modicus sit; quia nullum curandis corporis morbis pharmacum accommodatius ipsâ inediâ, fame, & siti, quâ pravi absumuntur humores, & si quæ superflua sunt, faciliùs digeruntur, & etiam noxia expelluntur. Inedia autem non solùm medendis corporis morbis prodest; verùm & sanandis mentis ægritudinibus plurimum adfert subsidii.

Nota est parœmia, quæ vulgò dicitur, *Rarò est sanitas mentis, ubi est saturitas ventris*: pinguescunt cum corpore vitia; quòd si caro jejunio, fame, & siti frangatur, vires etiam concupiscentiæ adimuntur; laborat febri spiritus cum libidine, æstuat concupiscentia: sunt autem febres adeò malignantes, in quas medici liberè pronunciant, emittatur è secta vena sanguis ad animi usque deliquium; quia leve remedium morbo non prodest vehementi. Id secum egit eremi, ac castitatis cultor Hilarion; ita jejunii pharmaco censuit succurrendum spiritui æstu laboranti libidinis, ut caro deficeret, tunc herbarum succo, ac paucis caricis post triduum, vel quatriduum deficientem stomachum parùm reficiebat, ne corpus viribus penè destitutum corrueret, sicque attenuatus erat Hilarion ex indictis sibi jejoniis, ut vix caro, cutisque ossibus hæreret; idque ut vires augerentur spiritûs, quibus validiùs posset concupiscentiæ contra castitatem insurgenti obsistere; quia quod nocet corpo- 72.



ri,

ri, id spiritum juvat; & Dœmones oratione, & jejunio valentiùs expugnantur, quàm alio armorum genere: & luxuriæ spiritus insidias jugiter adnectens castitati, jejunio enervatur, & abstinentiâ viribus destituitur; & quod non valuerunt Apostoli ipsi præstare, *Serm. 61. de tempor.* hot egit jejunii virtus, hinc Augustinus. *Videte*, inquit, *charissimi, quanta sit jejunij virtus, ut id jejunium facere valeat, quod Apostoli nequiverunt*, ex quo scitè, ac ner- *Serm. 25.* vosè ratiocinatur D. Ambrosius, inquiens: *Videte ergo, quæ sit jejunij vis, quantam homini suo præstet gratiam, quod tantam præstat alteri medicinam: videte, quomodo proprium sanctificet hominem, quod ita purificat alienum. Mirum, ter mirum: alter jejunat, & alteri prodest jejunantis abstinentia: iste pharmacum sumit, & ille vi pharmaci curatur:* nimirum jejunat corpus, & reficitur spiritus; caro diminuitur, ac robore destituitur, & anima incrementum subit virium, quibus de pravis triumphat insurgentis concupiscentiæ affectibus: hinc ecclesia rectè canit commendans jejunii virtutem, *qui corporali jejunio vitia comprimis*, quia nullum coërcendis vitijs, ac libidini compescendæ jejunio aptius frœnum, quod propterea timorem etiam Diabolo incutit: oratio enim jejunantis; ait D. Leo Papa: *Tam grata est Deo, quàm terribilis Diabolo.* Quòd si jejunio vis inest, quâ qui munitur in se, dœmonem ex alieno pellit, deturbatque corpore; quanto magis poterit in suo spiritus pravorum affectuum, & præsertim luxuriæ abigere? *cùm sit jejunium*, *Serm. 8.* ut ait Chrysologus: *vitiorum mors, & vi-* *Serm. 22.* *ta virtutum*; & ex D. Ambrosio. *Est jejunium frœnum quoddam luxuriantis animæ, hoc enim est salutare jejunium, ut sicut abstinet corpus ab epulis, ita & anima refrænetur à vitijs.* Cæterum si gula teste Am- *Lib. de Elia.* brosio, *est primum Diaboli spiculum*, *Epist. 22.* vel ut ait D. Hieronymus ad Eustochium, *prima dæmonum arma.* Vel ut placet Basilio, *prima malorum causa, & universale* *Homil. 1. de jejun.* *venenum.* Vel ut censet D. Chrysostomus, *Homil. 71. ad popul.* *Res summè grata Dæmoni*, eò quia ut observat D. Hieronymus. *Cum cibo abun-* *Epist. ad Furiam.* *danti carnem reficimus, oleum igni affundimus, ut majores effundat flammas.* Sed *Serm. 8.* *Jejunium* è converso teste Chrysologo, *est vita virtutum; mors vitiorum; pax corporis; membrorum decus; ornamentum vitæ; robur mentium; vigor animorum, castitatis murus, pudicitiæ propugnaculum, civitas sanctitatis.*

73. Sicut pascitur libido convivijs, ita castitas nutritur jejunio; si lascivia pinguescit ferculis, abstinentiâ corroboratur puritas; si concupiscentia vino accenditur, pudicitia siti reficitur; si libido ebrietate inflammatur; virginitas abstinentiâ cibi, & potûs deliciatur; quia si lascivientis corporis illecebræ non aliundè, quàm ab immodica dimanant saturitate; virtutis decora suos à jejunio nitores hauriunt. Hinc gulæ indulgentia omnium accersivit malorum congeriem, imò & tantas libidinum fœditates, quibus delendis, ac purgandis necessarius fuerit cataclysmus, quo aquarum flumina è disruptis nubibus delabentia terram obruerent universam, eámque abluerent, ut sordes deponeret, quas per gulam, hominúmque libidines fœdè contra- xerat. *Omnis caro corrupit viam suam, corrupta est terra coram Deo, & repleta iniquitate.* *Genes. c. 6. v. 11.* Nec putes, has malorum scaturigines ab alio dimanâsse fonte, quàm ab ipsa gulæ indulgentia edocente id Christo suos Discipulos. *Sicut enim erant in diebus ante diluvium comedentes, & bibentes, nubentes, & nuptui tradentes:* *Matth. cap. 24. v. 38.* nimirum mutuis copulantur fœderibus mensæ, & nuptiæ; saturitas, & libido; Bacchus, & Venus: affluentiæ enim ciborum comitem se jungit insolentia verborum: & saturitatem Ventris vacuitas subsequitur mentis, & ubi jejunium exulat, præsidium abigitur castitatis, quæ propterea expugnatu est facilior, & vix ullo ampliùs habetur in pretio, quia ut scribit Seneca. *Vel ipsa honestas vilis est, cui nimis charum est corpus.* *Epistola 114.* Cui invisum est jejunium, huic chara videri nequit castitas: non enim lascivi corporis illecebræ ab alia scaturiunt origine, quàm ab immodica ventris saturitate, quâ mentis obruitur serenitas: quapropter D. Hieronymus huic ægritudini rebellantis concupiscentiæ efficax exhibiturus pharmacum, jejunium, famem, ac sitim indicavit, scribens ad Eustochium virginem, ubi ait; *Castitatem diuturnam, ac firmam vix esse posse, nisi temperantia eam defendat; ciborúmque usus sit parcissimus; ut stomachum potiùs, quàm mentem patiamur dolere, & crura magis, quàm pudicitiam vacillare.*

Tunc populus præceps cœpit in fœdas 74.
libidines, ac vitia reliqua proruere, cum gulæ indulsit, quæ præcipitem populum illum in cœnum egit luxuriarum. *Sedit populus manducare, & bibere, & surrexerunt ludere*, *Exod. cap. 32. v. 6.* hoc est, post epulas fuerunt choreæ institutæ, quæ lautioris mensæ solent appendices haberi, à choreis ad oscula, & tactus minùs pudicos, & ab hisce ad fœdas transiere libidines; non enim aliud sunt, quæ post ventrem ingestis ferculis gravatum, post stomachum immodico vino madidum instituuntur choreæ, quàm Diaboli theatrum, vitiorum palæstra, ac Veneris præludium. Quid enim indicat illa membrorum agitatio, pedum mobilitas, manuum jactatio, & oculorum laxata divagatio; quàm insolescentis concupiscentiæ petulantiam? quam Veneris fomentum? manuum enim complexus, oculorum jactationes,

libi-

libidinis sunt stimuli, pudorem labefacientes; adeò ut non abs re definierit quidam choreas, circulum, cujus centrum sit diabolus & circumferentia omnes spiritus nequam: Circulus est, quia per crebras corporis circuitiones mens vacillat, & ubi per saltum corpus in sublime vehitur, fœdè cadit pudicitia; quia ut apposité ait Chrysostomus: *Ubi lascivus saltus, ibi Diabolus*, ideóque apud Jobum, exultare saltibus, & lusibus, olere dicitur petulantiam, & libidinem; quia per saltus excitatur concupiscentia, & simul cum corpore libido surgit; propterea non lusus choreas dixeris, sed scelerum, ac libidinum fœcundam parentem; quis enim à choreis sanctior revertitur? quis ab illis saltationibus castior recedit? Putàrim nil aliud choreas esse, quàm tartarei aucupis rete, quo auceps iste nunquam vacuus discedit: saltus & choreas, qui ducunt, cum in sublime corpus evehunt, in imum feruntur, & in orcum descendunt.

Homil. 49. in cap. 13. Matth. Cap. 16. v. 11.

75. Abstinendum igitur non solùm est cultori castitatis à luxu in epulis, ab immodico cibo, & potu, à ferculorum illecebris, à conviviis, quorum sunt choreæ appendices; sed etiam abstinentiâ, & jejuniis reficere, ac enutrire virtutem debet pudicitiæ; & hoc præsidio arcere, qui contra castitatem insurgunt motus concupiscentiæ: dediscit enim caro lascivire, si jejuniis maceretur, si modico pane, & frigidâ sustentetur: quotquot indemnem fategerunt florem servare castitatis; clypeo eam munierunt jejunij, quo tela omnia retuderunt rebellantis concupiscentiæ: tantæ enim est virtutis, & efficaciæ jejunium, ut non solùm candorem custodiat pudicitiæ; verùm etiam ipsum jejunantem à feris defendat. Daniel enim jejunus septem inter impastos leones veluti mitescentes inter agnos absque ullo nocumento sex integros exegit in lacu dies; & exemplo fortiùs quàm verbo edocuit vel ipsos leones jejunare, qui ne religionem violarent jejunij, Danielem jejunantem non fuerunt ausi attingere. Hinc D. Petrus, quem præstantia jejunii haud latebat, contra tartareum leonem armatos nos voluit abstinentiâ, jejunio, & vigilia: *Sobrij estote, & vigilate, quia adversarius vester diabolus tanquam leo rugiens circuit, quem devoret*, & Rex David pugnaturus contra tartareum hostem, ac concupiscentiæ pravos affectos aliâ loricâ noluit se obtegere, nec alio armorum muniri præsidio, quàm jejunio: *Operui in jejunio animam meam.* Validissimum est animi operimentum, ac lorica jejunium ad ictus retundendos adversarij, ac præsertim motus coërcendos luxuriantis concupiscentiæ: *Qui enim non jejunat* ait D. Ambrosius, *nudus, & intectus est; patet vulneri*, si hoc operimento jejunii, & abstinentiæ se protoparentes texissent in terrestri paradiso suam non erubuissent nuditatem: quia Noë hoc se texit jejunii operimento reliquis omnibus

Cap. 14. v. 15.

1. Petri 5. v. 8.

Psalm. 68. v. 11.

De Elia c. 4.

aquarum alluvione naufragis, ac enectis; ipse superstes commune evasit naufragium: sed cùm primùm cœpit tellus suam soli, & cœlo faciem ostendere, & Noëmus cum suis ad culturam se contulit telluris aratro, equos, & boves jugo junxit, terram vomere proscidit, & inde curam adjecit ad vineam serendam, & ex uvis vinum expressit propriæ hilaritati, aut infirmitati consulturus; mox liquore novo se largiùs proluens; ex haustu recentis vini secuta est temulentia, ex temulentia somnus, ex somno inhonesta nuditas, dum somno sopitus, suique impos præ æstu meri infusi, unà cum vino, vestes abjecit, quibus pudor velabatur. Quod cum vidisset Chanaam Chami filius, puer malæ stirpis, & pejor fructus, cùm debuisset avi verecundiam obtegere, maluit procaci risu senis illudere nuditati, & ad patrem recurrere, eique quid viderit, renuntiare: nimirum vinum innocenti Noëmo, quia inexperto, rationem evertit, & sopiti pudorem profanavit, unde Salomon: *Ne intuearis vinum quando flavescit: cùm splenduerit in vitro color ejus; ingreditur blandè, sed in novissimo mordebit ut coluber; & sicut regulus venena diffundet.* Prov. 23.

Sunt qui symbolicè fingunt Noëmum vino, & viti sanguinem miscuisse quatuor animalium, simiæ, leonis, porci, & agni; eo quia ex temulentia gesticulentur alii ut simiæ; pugnent alii ut leones; fœdi sint alii, ac grunniant ut porci; mitescant alii ut agni; & Noëmus cum siccus emersisset de procelloso Oceano, in craterem impingens vino spumantem miserè naufragavit. Quid? etiam Loth cum sobrius evasisset incendium, temulentus incurrit incestum; & Samson ipse, qui jejunus leones stravit, Philisthæos prostravit, portas civitatis, perinde ac plumas geminas sublatas aliò tulit; mox vini, ac fœminæ illecebris captus viribus destituitur, robur amittit, in hostium labitur potestatem, lumina perdit oculorum, & vitam amittit, quia haustum admittit vini; ac permittit se Dalilæ irretiri illecebris. Idque causæ, cur contra fœminæ, carnisque illecebras jejunii operimento voluerit David se præmunire ad castitatem tuendam, & ut indemnitati consuleret pudoris: *Operui in jejunio animam meam:* si & nos ipsos operiamus hoc jejunii tegumento concupiscentiæ motus insurgentes in perniciem castitatis compescimus, hostium tela retundimus, & pravos omnes affectus prosternimus, quia ut ait D. Ambrosius: *Fames amica est virginitati, inimica lascivia: saturitas verò prodigit castitatem, & nutrit illecebram.* Serm. de quadragesi. 76.

77. Nil est, quod culturæ castitatis magis faveat, quàm studium abstinentiæ, quod est virtutum salubre nutrimentum, vitiorum fatale exitium; castitatis fulcrum, concupiscentiæ excidium; salutis remedium, & impudicitiæ venenum; jejunium enim, & mentem purgat, & intellectum serenat, sen-

 sum

sum sublevat, voluntatem ad honesta pertrahit; carnem spiritui subiicit, æstus concupiscentiæ sedat, impudicitiæ nebulas dissipat, libidinum ardores extinguit, & lumen accendit castitatis; imò non solùm menti prodest abstinentia ab immodico cibo, & potu, sed etiam ventri: *Vide* ait Athanasius, *quid faciat jejunium: dæmones fugat, malas cogitationes expellit, cor reddit purgatius, & corpus sanius:* favet igitur abstinentia castitati mentis, & sanitati ventris, quatenus quod noxium est, & nimium in corpore absumit, caput serenat, & animum ad saniores excitat cogitationes, quaptopter Salomon, quo mentem ad probas disponeret cogitationes à quavis defœcatas turpitudine ait: *Cogitavi in corde meo abstrahere à vino carnem meam, ut animum meum transferrem ad sapientiam, devitarémque stultitiam:* & quotquot Sapientia fuerunt insigniti, ut Enoch, Enos, Mathussalem, Noë, & alii fuerunt simul & abstinentes, & Juditha æquè sapiens, ac casta non alió armorum genere, quàm ciliciis, & ieiuniis suam ptopugnavit pudicitiam.

*Serm. de jejun.*

*Ecclesi. c. 2.*

## §. VIII.

### *Labor, & exercitium firmissima sunt castitatis propugnacula, quibus indemnis defenditur ab improbis affectibus concupiscentiæ, ac dæmonis suggestionibus.*

78. NOn solùm castitatis flos inter cilicii spinas vernat amœnior, verùm etiam labore, & exercitio excolitur ubertiùs; adeo ut vel ipsi Poëtæ, ideo effinxerint Dianam virginem, ac castitatis cultricem, eò quia cùm suis Nymphis assiduo se venatu exercuerit: & ideo apud virgineum hunc cœtum malè audiit Salmacis Nympha, eò quia cæteris in exercitio venationis jugiter desudantibus, ipsa sola ignavissimas sectaretur occupatiunculas, cùm vel crines pecteret, vel faciem lavaret, vel genas stibio fucaret, vel frontem pingeret, vel supercilia tingeret, vel speculum consuleret, vel capillorum errores, aut vestium plicas emendaret, aut flores in areolis horti legeret, nonquam tamen feras in sylva caperet, quapropter venustè Ovidius cecinit.

*Lib. 4. Metamorph.*

*Sæpe suas, illi, fama est dixisse sorores:*
*Salmaci vel jaculum, vel pictas sume pharetras,*
*Et tua cum duris venatibus otia misce.*
*Nec jaculum sumit, nec pictas illa pharetras,*
*Nec sua cum duris venatibus otia miscet.*

Sed prætermissis Poëtarum commentis, fictisque fabellis, id certè verum, viros ascetas, eremique incolas florem pudicitiæ feliciùs non excoluisse quàm labore, & exercitio, apud quos teste Cassiano, vulgatum erat effatum; laborantes in eremo ab uno duntaxat dœmone vellicari, & desides, ac otiosos à pluribus exagitari, ac torqueri: hinc Paulus Abbas quamvis palmarum fructibus, ac hortuli sui proventu abundè reficeretur, ideóque colligendæ cœnæ posset tutus feriari; ne tamen, si deses esset, ac otiosus innumeros contra se Dœmones concitaret, ac minus tutam custodiret pudicitiam, quam tartareus hostis per impuras excitatas cogitationes labefactare satagebat, sportulis texendis reliquum, quod à precibus fundendis, suísque spiritualibus exercitiis peragendis supererat tempus impendebat; pensúmque quotidianum severissimè à se ipso exigebat: quamvis adeo remotus ab urbe degeret, ut si merces suas voluisset dare venum, majus vecturæ, quàm omnium sportularum pretium fuisset; cúmque dilapso anno suum implevisset tugurium textis vimineis, totius anni labores flammis extradebat absumendos; licèt nullum ex tot sudoribus pretium acciperet, non tamen destitit eosdem redordiri labores, ne scilicet desidem eum inveniret hostis tartareus, & otio marcescentem faciliùs expugnaret, ejúsque castitatem per turpes cogitationes inficeret: aiebat enim nullum vix posse castas habere cogitationes, aut cor mundum retinere, aut Diabolum vincere feriando. Quos enim vel laboribus fractos, vel studiis occupatos, vel sportulis texendis intentos invenit orcinus auceps, non audet ad turpia allicere, ne tempus inutiliter terat, quia labor, & exercitium firmissima sunt castitatis propugnacula.

*Lib. 10. Instit. cap. 24.*

Tœdium eremi fertur subiisse interdum Antonium, ac animi incertum exclamâsse: O bone Deus salvari quidem cupio, sed meæ mihi cogitationes adversantur, hanc ingressus sum solitudinem, ut tutius in eremo florem excolerem pudicitiæ, sed meæ cogitationes fœditatem ingerunt, quâ vereor, ne quidquam noxii contrahat lilium castitatis, & per mentis cogitationes mihi molestissimas venenum hauriat, quo fœdè corrumpatur: cúmque sic Antonius animo fluctuaret, vidit in non dissito eremi loco hominem quemdam Monachi indutum veste, cúmque attentiùs eum observâsset, vidit ipsum nunc sedentem calathos texere, nunc subsidentem in genua preces erectâ in cœlum fronte, ac brachiis preces fundere; nunc surgentem ad fontem properare frigidæ hauriendæ causâ; nunc arborem conscendere, & paucos colligere fructus; & hisce peractis; postmodicam refectiunculam, iterum vidit calathos texentem, & post aliquid temporis iterum in genua subsidentem ad preces fundendas: idque cum observâsset Antonius, simul & vocem audivit ex eremo emissam: ita & tu fac Antoni, si eremi tœdium vis à te excutere. Vocem credidit Antonius non ab Incola 80.

cola aliquo eremi emissam, sed è cœlo demissam, & oraculum secutus, ac Monachum, quem seriò observaverat, imitatus, molestias abstersit solitudinis, tœdiùmque abegit eremi, & per susceptos labores, preces que statis horis fundendas, non solùm lilium custodivit castitatis; verùm & reliquarum omnium virtutum flores excoluit: quia carnis infirmitas non sinit mentem jugiter divinis occupari contemplationibus, neque totum tempus fundendis precibus impendere, ideo viri, ascetæ, qui divino se cultui mancipârunt, eam solent temporis partitionem instituere, ut labores, & exercitia, preces, & orationes interrumpant, ne quidquam supersit temporis otio, quia plerumque cum manus ab opere cessat, mens impuris inficitur cogitationibus; quapropter habetur illud Hieronymi monitum, *Nunquam te Diabolus non occupatum inveniat.*

11. Lib.10 instit. cap.22. Idque causæ fuit, ut refert Cassianus, cur per totam Ægyptum nulli fuerint visi Monachi otiantes, adeò ut suum quisque sibi victum labore pararet, ne ullus alteri esset gravis, cùm nec oblata ab aliis obsonia liceret admittere, & si quis quidquam simile ab alio peteret repulsam statim sentiebat verbis illis: Tu tibi labora: tuæ te manus nutrire debent, non alienæ: non decet Monachum labori parcere ad victum sibi comparandum. Quinimò huc tendebant cujusvis Monachi industriæ, ut non solùm sibi, verùm & hospitibus possent, quoties occasio daretur cœnulam instruere. Nil est, quod in viro Asceta, ac divino cultui addicto magis extimescat, paveàtque hostis tartareus, qui jugiter castitati præsertim insidiatur, quàm laborem, & exercitium, quod non sinit mentem futilibus evagari cogitationibus.

12. Refert Pelagius fuisse Eremiculam quendam, qui cum die, noctúque impuris pulsaretur cogitationibus, enixim cupiebat è molestissimis illis liberari suggestionibus; cúmque has animi sui molestias viro cuidam seni in eremo aperuisset, respondit is: Habes hostem, cum quo pugnes, sed non decet Athletam dormire, nec otio indulgere; si vis æternam consequi salutem, vade fili mi, otio non indulgeas, sed perinde ac deterrimum ex orco emersum dœmonem, toto nisu fuge; labora; carnem spiritui adversantem coërce; ejus contumaciam frange exercitio, & labore; vigila, & non dormias: an ignoras quid Pancratiastæ faciant, cùm vocantur ad certamen; projectis altè brachijs consistunt, caputque, & os manibus oppositis quasi vallo præmuniunt: membra eorum omnia ita apparantur, ut ad fugiendos ictus sint cautiora, vel ad infligendos paratiora: quid ni? non decet virum ascetam ab hoste impuris pulsatum suggestionibus dormire, sed se ipsum totum ad pugnam debet instruere; ac modis omnibus contra insilientem adversarium, ac nitentem florem nobis eripere pudicitiæ obstandum est; labore, & exercitio eius assultus debet retundere, ut scripsit D. Paulus: *Iis autem, qui ejusmodi sunt denuntiamus, & obsecramus in Domino JESU Christo, ut cum silentio operantes suum panem manducent, quoniam si quis non vult operari, nec manducet;* suadet Apostolus fidelibus illis recèns ad fidem conversis laborem, & exercitium, ut cum silentio operantes suum panem manducent, & non tantùm, quo nutriretur corpus, sed & spiritus reficeretur; labor enim qui vires frangit corporis, integritati consulit spiritûs; & qui ex labore funduntur sudores, roridi sunt imbres, quibus hortus irrigatur animi, & virtutum flores reficiuntur; secus est otium fons ille putidissimus, è quo rivuli malorum omnium scaturiunt: hinc D. Paulus non aliter alimenta, quibus viveret, sibi comparavit, quàm labore, funes texuit, scenas seu umbracula, & tentoria concinnavit: *Ipsi enim scitis* ait: *quemadmodum oportet imitari nos, quoniam non inquieti fuimus inter vos, neque gratis panem manducavimus ab aliquo, sed in labore, & in fatigatione nocte, & die operantes, ne quem vestrum gravaremus.* 2. ad Thessal. 3. v. 7. *Quòd si Apostoli*: ait Hieronymus *habentes potestatem de Evangelio vivere, laborabant manibus suis, ne quem gravarent, cur tu in usus tuos cessura non praepares? facito aliquid operis, ut te semper diabolus inveniat occupatum.* 13.

Cultor castitatis, vel sibi à natura concessum otium vertit in negotium, ne deſidem eum adversarius inveniat. Nil pretiosius tempore, & idpropterea ita impendendum, ut inde aliquid semper nobis lucri accrescat: neque ulla potest nobis gravior obtingere jactura, quàm illa temporis, quod perdi quidem potest, sed reparari à nobis ampliùs non potest, hinc Plinius senior, cùm suum vidisset nepotem otiosè diem prodigere deambulando, eum redarguit inquiens: poteras has non perdere horas; satiùs semper est aliquid agere, quàm otiari, & horas perdere nil agendo: deses, qui nihil prorsus agit, totóque corpore indulget otio similior est cadaveri, quàm homini vitam agenti; est siquidem deses vivum cadaver culcitræ incombens, & ipso torpore sepultum: cùm natus sit homo ad laborem, suæ non debet ipsum conditionis pudere, sed alacer debet labores suscipere, cùm nil sit, quod æquè, ac aptius vitam hominis instruat, aut validius confirmet, quàm solers industria, & honesta operatio: otio è converso hebescunt animi facultates, torpent corporis membra, quæ morbis fiunt obnoxia, & homo deses fœdè marcescit: hæc autem tum animi, tum corporis damna labor, & exercitium impedit, & ad cultum castitatis hominem expedit.

Alitur pudicitia non solùm fame, & siti; verùm etiam vires incrementat suas, si labore vires minuantur corporis, si caro in servitutem redigatur; quia tunc mens dominatur libe-

libecior: non gaudet pudicitiæ cultura loci amœnitate, qui deliciis diffluat, sed secessu eremi, vel solitudinis: corporis voluptates vir castus perinde ac pestem virtutis declinat, & vitam deligit austeram, perparcam, deliciarum subtractione simpliciorem; immodici vini haustum veluti fomentum luxuriæ aversatur; non enim ferventi præsertim ætati vinum convenit infundere, quod omnium humidorum est calidissimus; non enim sunt flammæ flammis addendæ, si velit quis ignem extinguere: ex quo lascivientes appetitiones, & luxuriantes cupiditates intus in animo æstuant; non deliciis debet caro diffluere, sed sudore, quem labor elicit, madere; & non vinum, sed frigidam solam in stomachum demittere, vino enim effervescente luxuriat concupiscentia, quæ satagit impuro sui igne animam inflammare, & in ipsa florem exsiccare castitatis: appetitiones libidinis non vino fovendæ sunt, sed frigidâ extinguendæ, ut contraria contrariis curentur.

85. Demum florem, qui excolit pudicitiæ, huic custodiendæ subsidium etiam à se ipso exigit, estque ipsa sui reverentia, quam sancti Patres frequenter inculcant, ut altiùs eam menti infigant: hanc esse pernecessariam ad castitatis tutelam asserit D. Basilius, ubi virginem instruens ait: *Sola nullo prorsus hominum teste, nihil quod sponso suo indignum sit, agere ulla ratione patietur. Et si enim adsit nemo, ipsa tamen sibi virgo adest, debetque præ omnibus se ipsam revereri: neque enim qua reveretur cæteros, se ipsam reverentiâ indignam judicabit. Verùm ut diximus se ipsam primùm, conscientiámque suam reverebitur, etiamsi sit sola*, cui consentiens Clemens sui reverentiam commendat, ut insigne castitatis præsidium; & revera se ipsum erubescere, frænum injicit pravis affectibus, quos compescit, ne turpe quidquam ingerant. Hoc idem approbat Galenus: & his omnibus antiquior Pitagoras, qui ait: *Turpe nihil facias unquam solus, neque cum alio, & maximè tui ipsius te pudeat.* Hocque Pythagoteum documentum expendens Jerocles summis laudibus sui ipsius prosequitur reverantiam, quam vocat scelerum omnium expultricem, pravorum omnium affectuum debellatricem, & frænum concupiscentiæ nitentis insurgere ad pudicitiam labefactandam; & affirmat, eam esse, quâ homo adducitur ad facienda, quæ hominem decent; & fugienda, quæ dedecent: siquidem faciliùs homo venerationem ab aliis consequitur ea agens, quæ hominem decent, si se ipsum primò revereatur, nec quidquam in se permittat, cujus debeat ipsum pœnitere. Hoc idem innuit Alcinous inquiens: *Si te ipsum fueris reveritus nunquam alium erubesces.* Quisque enim licèt externo teste careat, & in abdito degat; adhuc conscientiam suam, oculósque pro mille debet testibus habere; ac erubescere, ea vel

*Lib. de vera virginit.*
*3. Pædag. c. 5.*
*Lib. de cognosc. & curand. anim. affectibus*
*Carmine 11.*
*Lib. 2. de exilio.*

facere, vel cogitare, quæ aliis advertentibus celata vellet, & nunquam facta, vel cogitata.

86. Flos est pudicitia, nisi cautè custodiatur æstu concupiscentiæ facilè arescit, idque noverat in aula Pharaonis eximius ille castitatis cultor Josephus, qui æstuante concupiscentia procacis mulieris, à qua lenociniis ad turpia alliciebatur: *Relicto in manu ejus pallio fugit*, timuit enim, ne æstus libidinosæ concupiscentiæ per pallium à muliere arreptum irreperet in florem castitatis, quem inficeret: pestis enim est libido, quæ solo contactu lædit, ac vulnera infligit; ideóque castitatis studiosus relicto pallio, quod manus tetigerant luxuriantis fœminæ, fugâ ejus declinavit tela: & ideo eò commendabilior, quò cum vernaret ipse in flore juventutis, sanguisque in venis ebulliret, & foris irritaretur intemperie libidinosæ heræ, pugil castitatis rebelles inter affectus turmatim insurgentes non solùm stetit sine ruina, verùm & de prostrata concupiscentia, eò gloriosiùs triumphavit, quò velociùs aufugit. Flos paradisi est castitas suaviter olens, semperque recens, sed si æstus senciat concupiscentiæ, ac rebellantium in eadem affectuum, exarescit; & plerumque etiam concepto igne præstito consensu cinerescit: lilium dixeris esse castitatis florem; non deliciis, ac blanditiis amat diffluere, sed spinis circumsepiri; vernat flos iste pulchrior, sed ut lilium inter spinas: amat sponsus hæc lilia, inter quæ pascitur, sed quæ armata spinis, lenocinia quæque adblandientis concupiscentiæ pungunt, ut expungant; nec quidquam suggerunt, quo candor hujus lilii quidquam patiatur detrimenti.

*Genes. c. 39.*

87. His floribus coronatur cœlestis sponsus, qui spinis obarmantur, quòd si frontem cruentant, etiam rosas pariunt; vel si frons viri casti cœlo æquiparatur, eò quia non nisi angelicas, ac puras in mente cogitationes fovеat, sydera dixerim sanguineas guttas, quas hujus floris spinæ eliciunt; talis fuit sacer Servatoris nostri vertex, fuit enim ipse flos purissimus campi, & lilium inter spinas, cùm ejus caput fuerit iisdem redimicum; an non Christi vertex purissimum dixerim cœlum? cum & in ipso beentur Angeli? cruentârunt hujus lilii spinæ sacrum illud caput; sed quot sanguinis stillas eliceûrunt, tot Olympi stellas accerserunt, quibus supremi Regis diadema splenderet illustriùs, & micaret nobiliùs.

88. Imò dixerim, stellas esse virgines, quæ nocte intempesta cùm animantia quæque, & homines somno sopiuntur, invigilant; quasi in firmamento sitæ, minos curas se sentiant, seque custodiant sui vigilantiâ, & solis præsentiâ: sunt virgines stellæ illæ, quæ in perpetuas lucebunt æternitates, & quibus Deus nomina indidit, ac dignoscit: *Qui numerat multitudinem stellarum, & omnibus eis nomina vocat.* Quàm felix castitas, cujus nomen licèt intra parietes sit reconditum adhuc

huc in Dei memoria splendet? Quàm fœcunda parens proborum affectuum est virginitas, quæ nonnisi cœlestia concipit desideria, quibus ardentiùs sursum avolet, ac cœlesti adhæreſcat ſponſo? Quòd ſi pretium quæris caſtitatis, hanc margaritam cenſeas cæteris pretioſiorem gemmis, ad quam ſibi comparandam cœleſtis negotiator è ſummo cœlo ad imas noſtræ mortalitatis nundinas deſcendere non detrectavit, ubi theſauros æterni patris contulit in pretium caſtitatis; & ut in patriam redux gemmis diteſceret, tot ſecum margaritas retulit, quot poſt ſe virgines traxit, & caſtitatis cultores, quos pretio ſui ſanguinis redemit: *Hi empti ſunt ex hominibus primitiæ Deo, & agno &c. ſine macula enim ſunt ante thronum Dei*; cùm antea Joannes dixiſſet: *hi ſunt, qui cum mulieribus non ſunt coinquinati; virgines enim ſunt: hi ſequuntur agnum, quocunque ierit.* Quàm pretioſa eſt caſtitatis margarita, quam cœli negotiator proprio ſui ſanguinis pretio empturus in imas noſtræ mortalitatis nundinas deſcendit?

Joan. Apoc. cap. 14. ...

89. Imò non floribus tantùm; non duntaxat margaritis caſtitatis cultores patiavnrim, verùm & caſtitatem ipſam redivivo è ſuo cinerario Phœnici; caſtitas enim ne ſeneſcens mortua putreſcat expanſis divini amoris alis, ignem excitat à quavis terreſtri labe defœcatum; & è flammis hiſce repuereſcens formoſior ſurſum avolat perpetua in cœlis donanda beatitate; nec mirum ſi privilegio fruitur immortalitatis: ea eſt virtus, quæ ſuos cultores in Angelos recudit, & Angelicam iisdem naturam impertitur, quia ut ſcitè Chryſologus: *In carne præter carnem vivere; non terrena vita eſt, ſed cœleſtis; & ſi vultis ſcire, angelicam gloriam acquirere majus eſt, quàm habere. Eſſe Angelum felicitatis eſt; virginem eſſe virtutis*: ita eſt, caſtitatis cultores, carnis craſſitiem ita per ſtudia virtutis exaſciant, ac ſubtilem efficiunt, quò virgineum corpus ſpiritibus mereatur angelicis conferri, quia ut ſcitè Chryſoſtomus loquens de viris caſtis ait: *In terra ambulantes, & corpore circumdati vitam imitantur angelicam.* Ea eſt caſtitatis præſtantia, ut ſui amantes alis muniat, quos ſupra ſydera evehat, imò & à corporum craſſitie liberet; puróſque efficiat ſpiritus à quavis defœcatos carnea labe.

Serm. 143.

Homil. 8. in Genes.

## §. IX.

### *Caſtitatis amantes ſunt DEO in deliciis; & uberioribus cumulantur beneficiis, ſi pravis omnibus obſiſtant affectibus.*

90. DEUs ipſe adeo hujus lilij caſtitatis delectatur fragrantiâ, ut caſtitatis amantes videatur in delicijs habere, & ſua iiſdem impertiri munera, cùm abſque ſpeciali Numinis patrocinio nequeat in homine lilium vetnare caſtitatis teſte Salomone: *Scivi quòd non aliter poſſum eſſe continens, niſi Deus det: & hoc ipſum erat ſapientia, ſcire cujus eſſet hoc donum*, quinimò adeò ſe Deus addictum exhibet amantibus caſtitatem, ut illorum duntaxat Deus eſſe videatur. Hinc Rahab mulier in cœno merſa libidinum Exploratores alloquens Hebræos ait: *Deus veſter ipſe eſt Deus in cœlo ſurſum, & in terra deorſum*; ſed cur Rahab in meliorem jam recepta frugem, ac pro ſalute aſſiſtens Iſraëlis cœleſte Numen vocat Deum Hebræorum? cur non etiam ſuum? *Deus veſter eſt*; ſcitè non auſa eſt, Deum Hebræorum ſuum dicere, quia ſe noverat libidinum cœno deturpatam: meretrix enim erat, quæ meretricio quæſtu vixerat, cumque ſe caſtitate obſervâſſet deſtitutam, Deum Hebræorum ſuum non vocavit; eò quia Deus ſu ſpecialiùs caſtitatis cultoribus beneficum prodit, & libidinis fœditates ſtomachatur, quas ſibi invisas & exoſas reprobat, & damnat: unde Cyrillus Alexandrinus expendens verba Rahab ſcitè ait: *ſuum dicere non audebat, quia impuram ſe ſentiebat.* Quanto igitur ardentiori deſiderio caſtitatis amantes, ac puritatis ſtudioſi debent ſe totos Deo devovere, cum Deus ſit ita arctè ipſis addictus, ut cum ipſis ſuas habeat delicias, cùm amet paſci inter lilia. Caſtitatis ſtudioſi ita Deo adhæreſcunt, ut ab eo omni ſe avertant, à quo ſuſpicantur poſſe à Deo averti; nonniſi per eas deambulant areolas, in quibus lilia florent, & ab illis ſe vijs ſubtrahunt, per quas poſſunt a virtute deficere & ad fœditates deflectere libidinis.

Sap. 8. v. 21.

Joſue 2. v. 11.

91. Hinc Abraham comitem ſe junxit Angelis, quibus viam ad urbem voluit oſtendere: *Abraham ſimul gradiebatur deducens eos*, ſeu ut expendit Lipomanus: *Iter indicabat, ne errarent in via.* Quid quòd Angeli homine indigeant duce, ne à recta via deflectant in itinere? An non Angeloi ſpiritus vias omnes, quà rectas, quà obliquas defœcato intellectûs oculo vident? ſi angelici Spiritus momento temporis ſingulos terrarum tractus pertranſeunt, quos neque per annos plures potis eſt homo dimetiri, cur Abraham itinera ſatagit eis præmonſtrare? ſi ſunt Angeli, qui homines dirigunt in itinere; cuſtodiunt in periculis; tuentur in adverſitatibus, cur Abraham, cùm homo ſit Angelos in itinere dirigit? ſed rectè Abraham ſe comitem, & ducem junxit Angelis, ne à recta deflecterent via: ibant enim ad Urbes Sodomorum, ubi luxuria, & nefanda libido univerſos corruperat habitatores, unâ exceptâ Lothi domo, cùm enim iter inſtituiſſent ad locum ubi non vernarent pudicitiæ lilia, ſed gramina ſerperent per cœnum libidinum, neſciebant Angeli ad locum pergere impudicitiæ, ideóque quaſi ignati itineris à comite ducuntur Abrahamo; cùm enim Dei faciem contemplarentur, ad vultus ire neſciebant laſcivientes, quorum vel nomina à ſuo vult Deus obliterata cathalogo.

Geneſ. 18. v. 16.

92. Etiam Christus jubens dæmonium exire
è corpore cujusdam obsessi, eum interroga-
Marc.5.v.9. vit de nomine: *Exi Spiritus immunde ab
homine, & interrogabat eum, quod tibi nomen
est?* Quid? quòd Deus, cui omnia patent,
& cujus scientia singula attingit, & tenebræ
ipsæ sunt ejus notitiæ clarissimæ, mox no-
men ignorat spiritûs hominem obsidentis?
Non mirum si velit inscius videri talis no-
minis, quia immundus erat Spiritus: *Exi
Spiritus immunde ab homine,* ideóque quasi
de illo nesciat, nomen quærit illius, quem
videt immundum; quia sicut eorum nomi-
na, qui culturæ sunt castitatis addicti in
suo recenset albo; ita ab eodem nomina ex-
cludit illorum, qui libidinum fœditatibus
coinquinati ab ipso se avertunt; ideò quem
Christus immundum cognoverat spiritum,
ejus nomen non noverat; adeo est illi invi-
sa, & exosa impudicitia, ut vel nomina velit
oblivisci impudicorum: & ad virgines illas
fatuas, quæ cœli ostia sibi reserari petebant,
respondit sponsus Matth. 25.12. *Nescio vos:*
quia si & ipsæ castitatem excoluissent ut pru-
dentes; patuisset, & ipsis ostium, ut observat
Theodoretus inquiens: *Respondit Nescio vos:
quasi si agnosceret castas virgines esse, aditum
non posset petentibus denegare,* virginum no-
menclatione fuerunt quidem condecoratæ,
quia cùm essent corpore virgines, animo à
castitate defecerant: vel fortassis virgines
fuerunt vocatæ, quia adhuc innuptæ, cùm for-
tassis non solùm mente, sed & corpore cor-
ruptæ essent.

93. Flos castitatis non solùm gaudet in tel-
lure corporis, sed etiam in agro animæ ver-
nare. Idque causæ, cur Sara futura uxor To-
biæ junioris imploratura Numinis miseri-
cordiam preces fundens, ita fuerit Deum allo-
Tobiæ 3. v. 16. cuta: *Tu scis Domine, quia nunquam con-
cupivi virum, & mundam servavi animam
meam:* non dixit, se mundum servâsse cor-
pus, quia parum in hoc dixisset; sed addit in
animo etiam florem excoluisse virginitatis;
cùm enim veram profiteretur castitatem, e-
tiam de animi puritate solicita fuit, quam
tota solertia sategit custodire. Quanti sit
castitas pretij à Dei ipsius conjicitur æstima-
tione; tanti enim eam Numen facit, ut casti-
tatis cultores cæteris præferat, & honoribus
cumulatiùs afficiat, sitque propterea sola ca-
stitas, quæ cæteris debeat virtutibus præemi-
nere, ac hominibus imperare: quod ex eo
evincitur; quia cum Deus Israelitis præcepis-
set agnum innocentiæ, & castitatis symbo-
lum comedere, statim subjunxit: *Renes ve-
Exod. 12. v. 11. stros accingetis, & calceamenta habebitis in
pedibus, tenentes baculos in manibus.* Juben-
tur renes accingere, *Renes vestros accingetis;*
quia cùm agnum comederent, seu innocen-
tiam induerent, opus erat, ut renes cingerent,
seu pravos omnes concupiscentiæ affectus
coërcerent, & abigerent; quia ut scitè ait D.
Luc. 12. Gregorius expendens verba illa: *Sint lumbi
vestri præcincti; tunc* ait ipse; *Lumbos præcin-
gimus, cum carnis luxuriam per continentiam
coarctamus.* Hi igitur renes cingunt, qui cul-
turæ student castitatis, qui carnis insolescen-
tis stimulos compescunt: & hi jubentur e-
tiam calceati incedere, *& calceamenta habe-
bitis in pedibus:* jussit Israelitas castitatis
studiosos calceatos incedere, ne quidquam
quod pudicitiæ candorem inficeret, pedes
contraherent cœnum attingentes; adeò casti-
tas delicatus est flos, ut vel ex solo luti con-
tactu deturpetur, suámque inficiat venusta-
tem. Qui igitur renes cingunt, & calcea-
menta in pedibus habent, ne luto coinqui-
nentur; hi jubentur baculos tenere in mani-
bus, *tenentes baculos in manibus.* Quid?
quòd Deus baculos jubeat in manibus tenere
eos, quibus castitas renes constrinxit, & cal-
ceamenta suppeditavit, ne nudipedes sordes
è luto contraherent? certè quia hi cæteris
erant præferendi, & dignitate insigniendi,
quâ cæteris imperarent, ac veluti pastores
gregem regerent: baculus enim in manibus
quid aliud indicat, quàm pastoralem dignita-
tem: qui igitur renes cingunt castitati stu-
dentes, & calceamenta in pedibus habeat, seu
omni solicitudine cavent, ne ex luto, seu car-
ne maculas contrahant; idonei fiunt, ut di-
gnitatibus præficiantur; adeò ut idem sit cor-
pus ad puritatem reducere, ac manus ad sce-
ptra, baculósque pastorales perducere: scitè
D. Gregorius: *Tenentes baculos in manibus,
quia illi debent curam pastoralem suscipere,* In Luc. 12.
*qui jam in suo corpore sciunt fluxa luxuriæ
domare insolentiam:* idque causæ cur frigida
æquè ac venerabilis senectus hos frequentiùs
pastorales baculos adipiscatur, quia nimirum
cæteris est ætatibus castior, cùm nec sanguis
ampliùs in venis æstuet, nec soleat concu-
piscentia saltem ita ferventiùs insolescere;
ideóque ubi castitas floret, ibi dignitas ex-
cellit.

Hinc Daniel, quia castitatis cultor, capu- 94.
larios senes præcessit; quia etiam adolescen-
tia, & juventus, si castitatis fulciantur autho-
ritate, senectutem anteeunt, ut Daniel, qui
duos inter senes Judices mediam, seu nobi-
liorem occupavit sedem: etenim insani fuêre
senes illi, quia lascivi; & Susannam ad sce-
lus illexêre impudicitiæ, & in fonte, in quo
mulier corporis sordes abluere studuerat,
animi maculas contraxerunt; & è frigidis illis
laticibus impuras hauserunt flammas, quibus
mulieris absumerent pudicitiam, ideo cessê-
re adolescentis castitati, agnoscentes impuri
senes pudicitiæ decus. *Est enim* ait Zeno
Veronensis, *tanta virtutis castitas, ut vel
suis sit honorabilis hostibus.* Daniel igitur,
quia castitatis eximius, & solers custos senes
ipsos lascivientes, ac impuro æstuantes igne
præcessit, & potestate supra ipsos effulsit.
Qui enim pravis suis didicerunt affectibus
dominari, & motus insurgentis concupi-
scentiæ coërcere, hi procul dubio meren-
tur cæteris præferri, ac alios regere.

Hinc

95. Hinc Magister Christus, qui Discipulos suos voluit castitatis cultores, ac pravorum omnium affectuum domitores, eosdem etiam armavit supra languores omnes, ac spiritus quosque immundos: *Dedit illis potestatem spirituum immundorum, ut ejicerent eos, & curarent omnem languorem*; eo ipso quòd ipsis dederit potestatem supra spiritus omnes immundos, supra omnes pravos affectus libidinosam olentes concupiscentiam, concessit etiam omnium ægritudinum sanitatem, ut omnibus imperarent languoribus, pravisque dominarentur passionibus. Tanta igitur est castitatis præstantia, ut si eam lilium dixeris, ejus odore ... fugiant venenati pravorum affectuum colubri: si eam ob blandimentum candoris nivem asserueris, friget statim concupiscentia, & æstus libidinis extinguntur; & castitatis loricâ munitus omnes retundit cupidinis tela.

Matth. 10.

96. Idque causæ cur vel apud Ethnicos ipsos tanto fuerit in honore castitas habita, ut ejus culturam cæteris prætulerint commodis, & divitiis. Suggerunt nobis Prisci Ethnici plures castitatis studiosos, qui maluerunt corpus ipsum, vel vulneribus devenustare, vel nece ipsa extinguere, quàm accensas admittere luxuriantis concupiscentiæ flammas. Talis fuit Spurina adolescens Etruscus, quem cum ob venustatem formæ plures deperirent fœminæ sanguine illustres, & divitiis affluentes, & à quibus non semel fuerat ad turpia solicitatus; ne in æstus aliquando incideret libidinis, & oculos procacium, ac lascivientium mulierum à se averteret arrepto cultro pluribus sibi inflictis vulneribus venustatem fregit oris, quò integritati consuleret cordis; faciem deturpavit, ut venustior vernaret flos pudicitiæ. Talis fuit Damocles à lasciviente Demetrio in balneo circumventus; cùm enim pueri niteretur abuti venustate, & in unda meditaretur naufragium castitatis; ne adolescens quidquam in balneo contraheret, quod pudicitiæ fœdaret candorem; aperto ebullientis lebetis ore inter effervescentes undas se se resupinum maluit projicere, ac sponte emori victima castitatis, quàm interitum subire pudicitiæ, ut refert Plutarchus in vita Regis Demetrii. Talis etiam fuit Hippones fœmina græca, quæ cùm lascivientes nautas effugere non posset; maluit, ut refert Valerius Maximus vitam extinguere in undis, seque in mare præcipitare, quàm in navi interitum pati pudicitiæ. Tales fuerunt Lucretia, & sexcentæ aliæ mulieres, simul, & viri, qui turpitudinem libidinis, ut dedecus valdè enorme abominantes, & agnoscentes in solâ culturâ castitatis decus efflorere veri honoris, à pudicitia nunquam passi sunt sejungi.

Lib. 6. c. 1.

97. Hinc Ethnici in tanto honore habuerunt castitatem, ut donum Regium, illúdque sacrum censuerint, & ut quid divinum fuerint venerati. Romæ enim lege sancitum fuit, ut si fortè Vestalis aliqua virgo ad locum deveniret, in quo Reus aliquis, vel esset ultimo plectendus supplicio, vel ad patibulum ducendus, liber statim fieret damnatus, quasi virginis illius accessus omne delevisset in damnato scelus, & nivea pudicitia in virgine omne extinxisset flagitium, ut propterea scelus, & impietas viderentur punire, quem castitas benefico inspiciens oculo absolvebat. Is erat honor, quo prisci Romani castitatem in Vestalibus prosequebantur. Imò si quis ex nobilibus uni obviasset in platea, vel foro Vestali, eandem ... honoris gratiâ, & venerationis causâ domum usque comitari. Verùm quò tutior incedat castitas, sit ubique locorum individuus comes ejus pudor; nullus enim est castitatis tutior custos fidelior ipso pudore, quia ut monet D. Ambrosius: *Est verecundia pudicitiæ comes, cujus societate castitas ipsa purior est; bonus enim regenda castitatis pudor est comes*: hunc sibi percharum accivit comitem Martia Pharaonis filia, & pudicitiæ illustris alumna, cùm enim arte excelleret pingendi, nullis unquam precibus adduci potuit, ut hominem pingeret, adeò proprio consuluit pudori, ut pingere viri effigiem erubuerit, cujus imaginem nec sibi in mentem venire patiebatur, quia tunc se honestam censuit, cum hominum imagines omnino sua abrasit è mente. Adeò excellet virtus castitatis, ut in ejus enarrandis laudibus visi sint sancti Patres hujus virtutis studiosi triumphâsse, & præsertim D. Athanasius. Cujus limbus bellè cadit in coronidem hujus dissertationis, ait ipse: *Magna virtus continentia, ingens gloriatio puritas, magna encomia Virginis. O virginitas opulentia indeficiens! ô virginitas corona immarcescibilis! ô virginitas templum Dei, & domicilium S. Spiritûs! ô virginitas margarita speciosa, vulgo inconspicua, & quæ nonnisi à paucis invenitur! ô continentia amica Dei, & à sanctis depradicata! ô continentia apud multos odiosa, sed apud dignos spectata! ô continentia mortem, & infernum profligans, & quæ ab immortalitate possidetur! ô continentia gaudium Prophetarum, & Apostolorum gloriatio, ô continentia Angelorum vita, & sanctorum corona; beatus est, qui te tenet; beatus, qui obdurat in tolerantia, quoniam pauxillulum fatigatus multum in te gaudebit.*

Lib. de virginit.

(o)

# DISSERTATIO XXVI.

## Conscientia emaculata ferax est proborum affectuum ager. Temerata suppliciorum gehenna, quia comes peccati pœna.

### §. I.

*Excultus conscientiæ ager flores non producit virtutum, nec proborum Affectuum, nisi pravorum germina prius evellantur.*

1.  ihil est in homine, sive scientiarum emineat encyclopædia, sive honorum culmine cæteris antecellat, sive dignitatum præfulgeat nitoribus; quod æquè divinos sibi promereatur favores, quàm nitida, ac tersa, seu à quavis vitii labe defœcata conscientia: hæc enim est, ob quam Deus ipse hominem habet in deliciis, ac suis cumulat beneficiis, ditat muneribus, afficit gratiis: idque cum novissset Salomon ait: *Qui diligit cordis munditiam propter gratiam labiorum suorum habebit amicum Regem.* Verùm hanc conscientiam ita emaculatam, ac tersam nemo facilè possidet, ac conservat, nisi qui eam frequenter versat: est enim conscientia emaculata veluti ager, in quo non vernant flores, non rident vireta; neque in ipso arridet blandæ proborum affectuum auræ, nisi & aratro pœnitentiæ proscindatur, & rastro exhomologesis subnascentia gramina eradicentur depravatarum passionum, & imbre irrigetur lachrymarum, quas internus dolor eliciat: ideóque ut excultus conscientiæ ager flores germinet proborum affectuum, crebra piaculorum confessio institui debet; si enim in prolixius differatur tempus vix integra esse potest, quia ut verè dixit D. Bernardus: *Computatio dilata multa facit oblivisci*: & reverà mercator, qui rationes suas rarò inspicit, vix contingit, ut non aliquid oculo connivente pertranseat, & sicut ex negotiatoribus illi habentur cæteris accuratiores, qui si non diebus singulis, statis tamen per hebdomadam diebus suorum rationum libellum relegunt: ita qui conscientiam satagunt nitidam, tersámque custodire, eam singulis noctibus antequam eant dormitum serio perpendunt examine, & ter saltem in hebdomade sacramentali expiant confessione, ejus nævos, si quos contraxit ad aures deponentes sacerdotis.

*Prov. 22. v. 11.*

*Lib. medit. cap. 37.*

Sicut enim quotidiana sunt, quæ imminent delinquendi pericula, quibus nostræ insidiantur saluti tartareus hostis, caro, & mundus; ideo omni studio necesse est satagamus, ut conscientiæ nævos eò studiosius eluamus, quò inconsultiùs eos contrahimus; sedit peccator in tenebris, & umbra mortis, quamdiu noxa fuit lethali contaminatus; quid ni ut tenebras excutiat, umbrásque mortis diffugiat, ac illuminetur, necesse est resipiscat ad pedes humilietur sacerdotis, se proficeatur peccatorem, ac peccata confiteatur; tunc enim cum sordes exuit, quas delinquendo contraxerat, munditiem induit, quam per sacram Exhomologesim enanciscitur, dignus enim est veniâ, qui propriam fatetur culpam.

Hinc David enixim Deum rogavit, ut vultum vellet suum à suis avertere sceleribus: 3.
*Averte faciem tuam à peccatis meis: & omnes iniquitates meas dele:* sed si quæramus quo jure David Deum urserit, quò peccata sua ita deleret, ut eorum ampliùs non reminisceretur; certè non aliud fuit, quàm propria delictorum confessio, dixerat enim paulo ante: *Iniquitatem meam ego cognosco, & peccatum meum contra me est semper*, nimirum fatetur David suam iniquitatem, sua aperit æterno Judici scelera, quæ contra ipsum jugiter pugnabant; quia igitur propriam præmiserat confessionem, jus acquisierat ad veniam exposcendam, & ad oblivionem impetrandam delictorum, quæ per pravos, qui in eo insurrexerant concupiscentiæ affectus, perpetrârat; aiebat igitur: *Averte faciem tuam à peccatis meis, quia iniquitatem meam ego cognosco*, seu peccatum confiteor, quod me jugiter torquet, & contra me est semper. Veniam enim videtur de jure promereri, qui propriè, & spontè fatetur delictum; divina justitia non solùm vult, verùm & videtur quodammodo teneri eum absolvere; qui se Reum fatetur, qui ut illuminetur, cùm sedisset in tenebris, & umbra mortis lubens,

*Psalm. 50.*

Ex lu-

& lugens humiliatur, hinc Beda ait: *Initium justitiæ tuæ confessio est peccatorum. Cæpisti non defendere peccatum tuum? jam inchoâsti justitiam.* (1. Epist. D. Ioannis. 1 cap. 2.)

Id interest discriminis humanum inter, & divinum judicium, quia in illo confessio delicti reum damnat, & punit; cum in isto confessio sceleris delinquentem absolvat, ac liberet; qui enim se ipsum accusat in sacro Numinis tribunali accusatores, non timet apud supremum Judicem, apud quem nulla utilior, ac eloquentior criminis excusatio, quàm proprii delicti accusatio. Sit delinquens sibimet Judex, & carnifex, ut nec inimicus valeat in ipso reperire, quod accuset, nec supremus Judex quod condemnet. Neque longum est iter instituendum, ut peccator Judicem adeat, nec diutiùs est laborandum, ut inveniat; siquidem in se ipso est, & ipse sibi est Judex, hinc Augustinus. *Ascende tribunal mentis tuæ: esto tibi Judex, torqueat te timor:* non enim potest delinquens sibi denegare ea, in quæ deliquit: habet enim, qui ipsum suorum insimulent criminum sexcentos testes: habet in se, qui veritatem ab ipso extorqueant; habet, & tortores, qui nolentem confiteri exteriùs, acriùs intus torqueant: testis est sibi rea conscientia, quæ tortorem experitur ipsum peccatum, unde in ipso est & tribunal, & Judex; actor, & reus; accusator, & testis; & tunc tantùm absolvitur immunis, cum se ipsum accusat immundum; tunc propriis medetur vulneribus, cum vulnera ipsa refricando dolorem excitat, & ea Judici aperit; si in se ipsum sæviat, se ipsum sanat; séque defendit, cùm se ipsum accusat; maculas abstergit, cum ostendit; scitè Petrus Blesensis ait: *Dixi confitebor, & tu remisisti impietatem peccati mei. Si peccatum tuum aperias, dicit Dominus illud operio; si agnoscis, ignosco; si accusas, excuso; si te judicas, & condemnas, te nec judico, nec condemno:* quàm beneficum est æterni Judicis tribunal! in quo sola vulnerum ostensio medela est; detectio infirmitatis, sanitatis præludium; accusatio delicti, impetratio veniæ; & sordium depositio, puritatis positio; quâ conscientia lachrymis eluta, veluti salubri rigata imbre non ampliùs vepreta nutrit vitiorum, sed femina incipit fovere proborum affectuum; & per pia desideria flores excolere omnigenæ virtutis. Æquè proxima est indulgentia confitenti delictum suum, ac certa damnatio propriam reticenti ægritudinem, ac neganti culpas. (In Psal. 49.) (In Job cap. 1.)

5\. Deliquerat Adamus, & statim absolvitur injunctâ ipsi pœnitentiâ eluendi sceleris sudore proprii vultûs. Deliquerat Adæ primogenitus Cain, & statim à supremo fuit Judice damnatus. *Maledictus eris.* Quid, quòd Deus Cainum damnet, cùm Adamum illicò absolverit? cùm Adæ peccatum longè gravius fuerit ob graviora damna, quæ toti mundo intulit, & ob mortem, quam toti posteritati attulit? Caini enim scelus fratri, quem interfecit, tantùm nocuit: sed delictum Adæ, quia posteros omnes interemit, non in unum tantùm, sed in omnes sævijt homines, qui adhuc pœnas luunt ejus sceleris; qui propterea vix nati, eum experiantur, sentiántque ejus miserias, lachrymis nituntur contractam à vitiata origine labem eluere, quæ tamen nonnisi lustrali baptismi fonte abstergitur. Cur igitur, si Adæ delictum gravius fuit, faciliùs absolvitur? & Cainus crimen statim condemnatur? Non putes aliam hujus discriminis causam, nisi quia licèt Adamus fategerit, quoddammodo culpam imminuere suam, eam tamen non negavit, sed clarè confessus est; secus Cainus, quia crimen suum fategit occultare, ac prorsus negare, non promeruit veniam ob denegatum, quod patraverat, delictum. Absolvitur Adam; quia suum accusat delictum, condemnatur ejus filius Cain, quia suum excusat scelus, quod nititur pœnitus occultare; ideóque Caini negationi subsequitur damnatio; & Adæ confessioni adnectitur absolutio; quia in hoc tribunali se accusare idem est, ac veniam impetrare; & se excusare, perinde ac se ipsum condemnare: hinc D. Ambrosius expendens utrumque peccatum Adæ, & Caini ait: *Adam confessus veniæ reservatus, & glorificatus in Christo est. Cain negans maledictus Diabolo adæquatus est:* Imò quamvis deliquerit Adam, ita absolvitur, ut tota pœna in terram effundatur. *Maledicta terra in opere tuo:* secus cùm ejus filius Cain peccat, non jam terra pœnam subit delicti, sed ipsemet maledicitur. *Maledictus eris:* sed cur, si non deliquit terra, pœnam subit delinquentis Adæ? si delicti est pœna pedissequa, cur delinquentem non sequitur? hujus discriminis causam putârim, quia delinquente Adamo terra siluit, quæ & ejus reticuit scelus; quod tamen ipse Adam confessus statim fuit. E converso Cainos siluit ipse, & cùm deliquisset, adhuc delictum negavit, quod sola terra locuta fuit confessa. *Maledictus eris super terram, quæ aperuit os suum:* loquente igitur Adamo, ac proprium confitente delictum, maledictio non in ipsum loquentem, sed in terram silentem proruit; secus eadem maledictio, cum peccat Cain, à terra avertitur loquente, & ad Cainum convertitur silentem. (Genes. 4.) (Genes. 3.) (Genes. 4.)

6\. Est scelus lethale, quo inficitur conscientia, & anima interficitur, venenum; quod si per apertum os non evomitur, & foras statim eijcitur, intus præcordia rodit, ac enecat; huic veneno expellendo nullum accommodatius pharmacum sacrâ Exhomologesi, pulchrè D. Ambrosius, cujus calamus verè Ambrosiam stillat, ait: *Confessio tua pœnitens medicina est; ipsa te curat, nec patitur vulnus tuum ... putredinem:* (De pœnit. Cap. 1.)

*sed*

*sed mox ut ingemueris, superinduxit inde notabilem cicatricem. Nemo te, crede mihi, meliùs refitit, quàm quiete fecit: nec alius justificat, quàm qui flagellat, & curat. Mox ut dixeris vitium tuum, illicò impertit adjutorium suum: hoc tantùm expectat, ut fatearis, mora non erit, ut saneris.* Quis gravissimo laborans morbo, ac æstuans maligna febri, si sanitati esset statim restituendus, non alio uteos pharmaco, quàm propriam Medico aperire ægritudinem, vellet eam reticere? & potiùs cùm vitæ discrimine æstuare febri, & absumi ægritudine, quàm suam fateri infirmitatem? Quis enormis convictus criminis, & à supremo Judice ad rogum condemnatus, si in fori meditullio erecto jam ferali theatro, & ipse jam esset veste picea indutus adstante tortore, jamjam excitante, ac rogum succendente; si posset, non solùm suum purgare flagitiom; verùm & paratum declinare supplicium, séque liberare à morte, si pauca duntaxat juberetur à Judice verba proferre, quibus patratum à se scelus fateretur, vellet potiùs ignis perferre cruciatus; quàm pauca proferre verba? Quis si ad eam esset inopiam redactus, ut, nec haberet, sub quo delitesceret tectum; neque cui insideret scamnum; nec in quo quiesceret stratum; nec quâ se tegeret vestem; nec quo se pasceret panem; imò nec qua sitim extingueret frigidam; sed omnibus exutus fortunis, destitutus commodis, spoliatus bonis in olido jaceret, in luto squaleret, vel in fimeto deficeret; & is statim surgeret ab hisce miseriis ad pinguem fortunam, si ærumnas, quibus premitur, & miserias, quibus angitur, vellet Principi fateri; non statim Principem adiret, os aperiret, suámque egestatem locupleti etiam facundiâ, & divite eloquio suas ei enarraret angustias omnes? ut ex Codro Cresus fieret? ac fœculentum sterquilinium in domum omni instructam commodo commotaret? Quis acerbissimo dolore correptus, ac in præcordiis dirè sauciatus, si posset statim ab illo liberari cruciatu, ex eo tantùm, si suum aperiret Medico dolorem, vellet potiùs ita torqueri, quàm suos fateri cruciatus? Lethali noxa contaminatus non solùm ad gehennalia incendia à supremo Judice est condemnatus æternùm torquendus: non solùm interna laborat febri; verùm & vitam ipsam jam amisit per lethalem culpam, quam admisit; non solùm exutus vestibus, destitutus commodis squalet in fimeto, verùm etiam spoliatus divina gratia, ac donis omnibus supernaturalibus jacet in umbra mortis, à qua tamen potest resurgere, & divinæ gratiæ vitam enancisci, si suas velit lethales noxas per sacram Exhomologesin sacerdoti aperire, ac confiteri: nonne majori id daretur illi insaniæ, si vellet potiùs squalidus jacere in umbra mortis, & æterno torqueri igne, quàm os aperire, & sua fateri crimina?

Ob hoc tantùm est peccator indulgentiâ dignus, quia culpam agnoscit suam, quam & fatetur: hinc David Deum alloquens, erecto in spem animo eum rogabat, ut omnes vellet ejus iniquitates delere, inquiens. *Averte faciem tuam à peccatis meis, & omnes iniquitates meas dele:* sed quo jore ita enixim Deum urget, ut velit non solùm ejus itam à se aversam, verùm & omnes iniquitates deletas, & conscientiam à quavis labe purgatam? Id speravit David, ut peccatorum, quæ ipse patraverat ampliùs non reminisceretur Deus misericors Pater, qui ut supremus Judex ea æterno puniviffet supplicio; quia nimirum propriam pernoscens conscientiam, & ad examinis trutinam libratа, quæ commiserat scelera, jam ea noverat, & Deo ut Patri piissimo aperuerat, dixerat enim paulo ante: *Iniquitatem meam ego cognosco, & peccatum meum contra me est semper,* hoc est coram me, ut illud confitear: quia enim David, si non voce oris, affectu tamen cordis dixerat Deo, peccavi, & cognosco iniquitatem meam, & peccatum meum, quod me jugiter torquet, méque illius pudet, ac pœnitet; illicò præmisso examine propriæ conscientiæ, ac vero dolore beneficio confessionis ex servo peccati, ex mancipio Diaboli, ex reo gehennæ, ex Dei inimico non tantùm fit Dei amicus, verùm & filius: scitè S. Laurentius Præsul Novariensis expendens verba David: *Iniquitatem meam ego cognosco:* ait inducens loquentem Davidem: *Iniquitates meas dele. Quare? quia delictum meum contra me est semper, & semper est in corde meo: exaratum est in oculis meis, infixum est conscientia mea: ablue tu, quod ego scripsi: exime, quod ego depinxi.* 7. Psal. 50.

## §. II.

### *Dolore, quo resipiscens peccator pungitur, & cor mærens compungitur; scelus expungitur, quod pravi induxerant affectus.*

Peccatum fixum hæret conscientiæ, quam dirè torquet, & fœdè maculat; & tunc obliterantur peccati sordes; & purgatur, quæ fœditatibus scelerum erat deturpata conscientia, cùm peccator propriam cognoscens iniquitatem cum Davide ingemiscit; ipsum pœnitet patrati sceleris, & fatetur hoc contra se esse semper; dolore enim, quo cor pungitur, & simul compungitur, expungitur è conscientia scelus; lachrymis, quibus oculi pœnitentis madent, conscientia abluitur; & purgantur scelera confitentis: veniam enim, quasi de jure videtur promereri, qui corde compunctus sua sponte fatetur delicta, videatúrque divina justitia quasi quodammodo teneri eum absolvere, qui suam cognoscens iniquitatem ait 8.

ait cum Davide: *Et peccatum meum contra me est semper*, seu dolorosa confessione, corde contrito, ore fatetur humili sua delicta: hine ait Beda. *Initium justitiæ tuæ est confessio peccatorum. Cœpisti, non defendere peccatum tuum? jam inchoâsti justitiam.* In 2. epist. D. Joann.

9. Ea est prærogativa sua confitentis peccata, ut verba prolata desperatam restituant salutem, divinam accersant gratiam, ac vitam ipsam revocent, ut qui per noxam lethalem mortem incurrerat, ac in ejus jacuerat umbra, iterum reviviscat. Quòd si corporis vulnera solis curare verbis superstitionis cuidam generi dari solet; religio tamen insignis est ulcera mentis sanare cordis lamentis; & animi ægritudinem oris expellere vocibus: hinc David expertus hanc in verbis propriæ confessionis prærogativam ajebat. *Deus meus clamavi ad te, & sanâsti me*, tunc Regius Psaltes clamavit, cum internum vulnus ore detexit confessionis: cùm os aperuit ipse dolens, ac confessus est propria delicta; tunc clausit Deus cordis ulcera, ac sanitati eum restituit, quia propriam fassus fuerat iniquitatem. Pulchrè D. Basilius expendens præfata verba Davidis ait: *Beatus, qui propriam plagam, quam internè habet, novit, ut medico accedente dicere valeat cum Davide: Deus meus clamavi ad te, & sanâsti me:* peccantis est pœnitere, & per confessionem sacerdoti ostendere vulnera, quæ per patrata scelera animæ influxerat: & divini Medici est fomentis misericordiæ, & obobalsamo divinæ gratiæ ulcera, ac vulnera sanare. Psalm. 29.

10. Id à nobis peccantibus exigit misericors Deus, ut nostras ægritudines fateamur, dolores nostros sacerdoti aperiamus. Ex itinere, æstúque defatigatus Jonas tristis sedebat ad hederæ umbram, & ea discruciabatur tristitia, mœroréque conficiebatur, ut impatientia percitus mortem ipsam accerseret, ac umbras sepulchri umbris præferret hederæ: sed tunc alloquens Deus Jonam dixit. *Putásne benè irasceris super hederam? & dixit benè irascor.* Ubi legit textus græcus, *valdè contristatus sum ego usque ad mortem:* suam fatetur Jonas impatientiam, suam aperit tristitiam, & ulcus quo intus torquebatur: sed cur voluit Deus ejus extorquere confessionem? nimirum ut se Jonas tueretur, invitat eum Deus ad confessionem impatientiæ, ut interni ulceris molestiam expellat: quia Jonas se accusavit, Deus ipse eum excusavit; & quando se sibi novit adversum, Deum promeruit habere propitium: quem dolor patrati sceleris sui habet accusatorem, hunc Numinis gratia exhibet justificatum; unde Isaias ait: *Narra, si quid habes, ut justificeris*, quia à criminis narratione in sacra exhomologesi suum desumit exordium delinquentis justificatio; quapropter firmâ fretus fiduciâ ajebat David. *Sana animam meam, quia peccavi tibi*, ideo sanitatem exposcebat, sibique David promittebat, quia suum fuerat Numini fassus peccatum: confessio siquidem proprij delicti apud Deum remissio est commissi sceleris; & perinde est ægritudinem fateri animæ, ac eam pristinæ restitui sanitati: cœlestis Medicus nostram curat ægritudinem; si hanc sacerdoti aperiamus, & Deo confiteamur. Jon. 4. v. 9. Isa. v. 26. Psalm. 40. v. 5.

11. David ideo animæ suæ exposcebat sanitatem, quia suam exposuerat ægritudinem, séque probat justificatum, quia se per culpam fatetur mortificatum: non enim præsentem tantùm aperuit ipse ægritudinem, sed & præteritas, *quia peccavi tibi:* Adeo paratus est Deus suam nobis impertiri gratiam, ut quamvis sit hæc bonorum omnium pretiosissima, adhuc hanc per solam delictorũ confessionem peccantibus spondeat, & confitentibus elargiatur: hinc D. Gregorius ait: *Qui promereri vult bonum, quod expetit, debet malum confiteri, quod fecit.* Vult quidem cœlestis Medicus ægrotanti animæ sanitatem impertiri, sed in pretium sui pharmaci, ac divinæ gratiæ, confessionem exigit delinquentis: tanti fit à Deo humilis peccantis confessio, ut ejus pretium suam gratiam rerum omnium pretiosissimam faciat: hæc enim non solùm vulnera sanat peccatorum, quibus sauciata peccantis anima languet in mortis umbra; verùm & ipsas cicatrices pedissequas vulnerum omnino abigit, delétque, quo nullum amplius inflicti vulneris appareat vestigium: ait enim Deus per Jeremiam: *Ego sum, qui deleo iniquitates, & non memorabo:* non solum vulnera sanat, sed & cicatrices omnino obliterat: tunc vulnera curat, cùm iniquitates delet; & cicatrices abolet, cum peccatorum inducit oblivionem, ideóque non solùm ait Deus, deleo iniquitatem, sed subdit, *& non memorabo*, sed si nil est, vel esse potest, quod divinam valeat scientiam subterfugere, quomodo potest oblivio in Deum cadere? quomodo si hominum scelera exploratissima sunt divinæ scientiæ, quomodo potest Deus eorundem oblivisci? Potest, ait D. Ambrosius, quatenus potest velle ea non recordari ad puniendum, si peccator eorundem non obliviscatur ad dolendum in confessione, ait D. Ambrosius: *Hoc est dicere, non ponas ut erit memoria facti tui, si tui proprij non obliviscaris errati.* Excidit à Dei memoria peccatum, cum primùm peccatorem illius pœnitet; & illud confitetur: qui igitur sui se testem peccati probat, ejus Deus innocentiam approbat; quatenus remisso, prorsúsque deleto scelere justus habetur, ac si non peccâsset, ac innocens esset. Lib. 7. mor. cap. 14. Lib. de pœnitent.

12. Peccaverat David; objecerat ei Propheta adulterium: fatetur Rex commissum scelus, séque sui criminis authorem probat, & testem, inquiens: *Peccavi*, fassus est suum vulnus, & illicò sanitati restituitur, accessit confessio, & recessit defectio; apposite 2. Reg. 12

sitè D. Ambrosius: *dixit adversus se protinus testimonium, & voce confessionis emissa, statim adeptus est veniam peccatorum.* Nec quæ per peccata fuerunt animæ inflicta vulnera, diu obsint, & vulneratum ad mortem pertrahant, aperienda statim sunt: obsunt, si tegantur, quæ prosunt detecta, Salomon, *Qui denudat arcana, amici fidem perdit.* Tartareus hostis, quia in id incumbit studij, ut nos fallat, toto nisu satagit, ne, quæ per patrata scelera vulnera contraximus, sacerdoti detegamus, ut quæ detecta prodessent, majus inferant contecta nocumentum. Quia conscientia emaculata clypeus est retundendis cacodæmonis telis aptissimus; hinc ideo sacramento Exhomologesis, qui se frequenter muniunt diabolicos quosque propulsant assultus, vincunt tentationes, ac firmiores stant, nec ita facilè succumbunt. Locuples testis est ipsa experientia; qui enim salutari hoc lavacro sordes abluunt, quas delinquendo contraxerunt, cautiores sunt, & in cultura virtutis studiosiores.

Eccles. cap. 27. v. 17.

13. Adeò efficax, & salubre est exhomologesis lavacrum, ut quæ per pravos affectus fuerunt inflicta vulnera, non solùm beneficâ sanet curatione; verùm & cicatricum deleat relicta vestigia per virtutum studia, per sacerdotis paternam monitionem, fraternámque correctionem: animi ita mederi ægritudinibus, ut earum etiam obliterentur vestigia, evellantur radices, summæ est virtutis, quam qui callet apud Senecam principis donatur nomenclatione, ait ipse. *Agat princeps curam non tantùm salutis, sed etiam honestæ cicatricis.* Sunt, qui fœdum curant vulnus, sed quia blandum non adhibent lenimentum; curationis asperitate cicatricem imprimunt vulnere fœdiorem: morbum, quo laborat animus, sanant; sed ex severiori objurgatione, aut contumeliosâ castigatione, morbo fœdiora relinquunt vestigia: nullum animal homine morosius, nullum majori arte tractandum, pluribus laborat morbis, sed mollem desiderat medicinam, quâ ablitâ culpâ nullus superfit insolitæ malitiæ character; idque præstat piacularis exhomologesis, lachrymas elicit, quibus scelera procul abigit; omnémque delet stigmatis ignominiam.

Lib. 1. de clement.

14. Lepræ contagione fœdè laborabat Naaman Syrus vir erat, is ob res præclarè gestas imprimis charus Regi Syriæ Benadado, cujus & militiæ erat præfectus; sed cum lepræ maculis toto corpore fœdus alienos offenderet oculos, totámque jam medicam artem abstergendæ lepræ aptiorem frustra adhibuisset, pharmacum tandem ibi invenit; ubi nec quærebat, nec exposcebat. Adfuit domestici famulitij inter ancillas puella quædam religione hebræa nuper è bello abducta; hæc suæ narraverat heræ, mira, quæ Numen Hebræorum agebat per Elisæum virum pietate, morúmque probitate æquè commendatum, ac in veneratione habitom: narrata sibi à famula marito illico uxor detulit; is sanitatis appetens impetratis à rege commeatu, literisque commendatitiis ad Joramum regem Israëlitarum, Damasco Samariam, quavis disruptâ morâ contendit; spe valetudinis recuperandæ. Venit Naamanus cum equis, & curribus, stetitque ad ostium domûs Elisæi; sed vir Dei ne quidem extra limen egressus, neque obvians venienti stratego, satis habuit per internuncium, seu Giezium significare Naamo; quòd si cuperet lepræ fœditates, ac maculas è corpore abstergere, iret ad Jordanem fluvium, quò septies ejusdem tinctus laticibus, aquisque madidus omnem corporis ablueret scabiem, maculásque abstergeret lepræ: ægrè tulit Naamus, Elisæum ei non venisse obviam; sed duntaxat per internuncium ei significâsse septenam illam in Jordane ablutionem; præsertim cum patrij fluvij *Abana*, *& Pharphares* non minùs limpidas, quàm Jordanes suis traherent è fontibus undas, quibus potuisset commodiùs lavari, & à lepra mundari; si frigidæ vis inesset lepræ abstergendæ. Cúmque reditum in patriam meditaretur, ac pararet; enixim famuli eum rogârunt, vellet remedium ab Elisæo indicatum experiri, cum & facile esset, & nulli ei posset nocumento esse. Paruit Naamus modestis famulorum precibus, & ablutione septies repetita in Jordane, lepræ maculas omnes, ac vestigia ex abluto detersit corpore; simúlque patriæ superstitionis squalorem ab animo abegit; ac Jordanis ablutione utrique consuluit munditiei corporis, & animi. *Descendit, & lavit se in Jordane septies juxta sermonem viri Dei, & restituta est caro ejus, sicut caro pueri parvuli, & mundatus est.* Non solùm septena illa ablutione corporis maculas, ac morbum exuit; verùm & omne pristinæ fœditatis vestigium, ac antiquorum ulcerum delevit argumenta; idque congruâ facer historicus exprimit similitudine; cum dicit; *restituta est caro ejus, sicut caro pueri parvuli;* caro enim parvuli squammosâ non obtegitur cute; nulli in ea apparent vibices; nulla sordet fœditas, nulla squalet macies; sed vivifico rigata succo efflorescit vegetior.

4. Reg. 5.

4. Reg. 5. 14.

Hæc Naamani lotio in Jordane symbolum est expiatorij lavacri, quô beneficio sacræ exhomologesis lepram, quam per patrata peccata contraximus, abluimus, simúlque exuimus. Naaman Syrus peccantem prodit, vitiorum leprâ laborantem; is non purgatur nisi deposito superbiæ tumore, humilis, ac dolens sacerdotem accedat, cui propriam aperiat ægritudinem. Sperabat Naaman leprâ non magis laborans corporis, quàm animi inflatus tumore, occursurum sibi advenienti Elisæum: sed Propheta inanem aversatus Strategi pompam, ac latentem sub ambitiosa purpura scabiem per Giezium ei famulum significavit, quid 15.

opus

opus eſſet factu: & ubi Naaman de ſuo remiſit faſtu, ac ſepties ablutionem repetiit, deſertis lepræ maculis, ac veſtigiis integer convaluit: placuit nimirum Deo animi paulò ante arrogantiâ intumeſcentis demiſſio, quæ lepræ è corpore abſtergendæ accommodatius fuit alexipharmacum, quàm unda Jordanis. Peccatorum, qui leprâ laborat niſi depoſito faſtu, animóque demiſſo ad ſacerdotem accedat, quas contraxit maculas, non abſtergit. Eſt igitur Naamani à lepra curatio ſacræ exhomologeſis illuſtre ſymbolum; quia ut ſcitè ad rem noſtram loquitur Chryſoſtomus. *Pœnitentia ita delet peccata, ut nec eorum remaneat, veſtigium, In corporibus quidem hoc non licet; quia etiam ſi millies medicus elaboret, ac imponat vulneri remedia, vulnus quidem tollit, cicatrix verò permanet vulneris circumferens argumentum, aſpectus deformitatem; & licèt in infinitum medicus contendat; non tamen cicatricem delere poteſt: ipſa namque natura repugnat imbecillitas, & artis impotentia, vilitáſque medicamentorum. Deus autem, cum delet peccata cicatricem, non relinquit, neque permittit remanere veſtigium; ſed cùm ſanitate pulchritudinem quoque reſtituit.*

Homil. 40. ad popul.

16. Hæc eſt præclara ſacræ exhomologeſis virtus, ut cordis vera compunctione, conſcientiæ maculas expurget; & lachrymis, quas dolor elicit, non ſolùm, quæ animæ per ſcelerum indulgentiam fuerunt vulnera inflicta, priſtinæ reſtituat integritati; verùm & omne deleat veſtigium, obliteret cicatricem; & ubi vulnera fœditatem invexerant, pediſſequus dolor ſpeciem ingerat pulchritudinis, quâ conſcientia excuſſis vitiorum umbris, tota ſplendeſcit lumine circumfuſa ſupernæ gratiæ. Si te tuorum verè pœniteat ſcelerum, téque tui pudeat pluribus fœdati ſcelerum maculis, quas ſatagas lachrymis abſtergere; non ſolùm, quas contraxeras, exuis maculas; ſed & innocentiæ induis venuſtatem, & candorem, quo veſtigia omnia delentur ſcelerum.

18. Adoleſcentem prodigum paternæ ſubſtantiæ decoctorem procaces mulieres, cum quibus vitam inſtituerat voluptuoſam ad omne pertraxerant ſcelus; & fucatæ voluptatis lenociniis in tartarei aucupis allexerant rete: ſunt quippe mulieres impudicæ venatoris cacodœmonis inſtrumenta; & fallentes aves, quæ lenocinii cantu, incautos juvenes attrahunt, ut perdant; alliciunt, ut enecent; quapropter Eccleſiaſtes, laqueum venatorum vocat blandam mulierem, inquiens: *Et inveni amariorem morte mulierem, qua laqueus venatorum eſt; & ſagena cor ejus: vincula ſunt manus illius, qui placet Deo, effugiet illam: qui autem peccator eſt, capietur ab illa:* Laqueus eſt procax mulier, quô etiam fortiores capiuntur viri poſt calcata certamina, poſt delatas de deletis hoſtibus victorias; poſt devicta monſtra, diſcerptos leones, proſtratos gigantes; ut Samſon, de quo D. Ambroſius ait: *Samſon validus, & fortis leonem ſuffocavit, ſed amorem ſuum ſuffocare non potuit; vincula ſolvit hoſtium, ſed ſuarum non ſolvit nexus cupiditatum: meſſes, incendit alienas, ſed unius mulieris accenſus ignibus meſſem ſua virtutis amiſit.*

Cap. 7. v. 27.

In Apolog. Davidis poſterior.

19. Davidi, cui carnea gigantis Philiſthæi moles nihil attulit detrimenti, mulier licèt mollis maximum intulit nocumentum; & qui in valle de proſtrato gigante palmas collegerat; in ſolario domus regiæ, vel unico Bethſabeæ aſpectu corruit ipſe à muliere vinctus, & victus: imò neque hunc laqueum diſrumpere valuit Hercules, licèt leones dilaceraverit, urſos in fruſta diſcerpſerit, ſerpentes enecaverit lernæam hydram ferro, & igne extinxerit; quem non valuerunt, nec armati homines, nec ferocientes belluæ vincere, hunc vincire potuerunt fœminæ, cum apud Omphalem, & Jolen voluptatum illecebris fuit irretitus hoc laqueo venatorum: neque alij ſunt hujusmodi Venatores, quorum procaces mulieres ſunt laquei, quàm cacodœmones, qui meretricio quæſtu compendium faciunt: quapropter etiam Chryſoſtomus cellam meretriciam diaboli vocat officinam, in qua tartareus proxeneta infamem hanc mercem venum exponit: & alibi vocat cacodœmones meretricantis mulieris lenones; quia ſicut hi amatores meretricibus conciliant: ita diabolus inſtar lenonis plurimis libidinoſis ſuggeſtionibus ad ſcorta pertrahit: quos inter etiam prodigum adoleſcentem, qui ſuggeſtione cacodœmonis mulierum captus illecebris, cùm meretricibus paternam decoxit ſubſtantiam: & licèt in cœno fœdiſſimæ libidinis cum porcis, quibus præerat, mergeretur: cùm primùm tamen è putida, ac cœnoſa ſurrexit palude, & ipſum cœpit ſui pudere, & anteactæ vitæ pœnitere; ac dolore correptus domeſticos repetijt lares veniam impetraturus; ea fuit vis doloris, ac pœnitentiæ, ut patrem ad miſericordiam flexerit, & reduci filio obviaverit, & paterni amoris oſculo exceperit. *Et miſericordiâ motus eſt, & accurrens cecidit circa collum ejus, & oſculatus eſt eum.* quæ verba expendens S. Chryſologus ait: *Sic pater judicat, ſic emendat. ſic peccanti filio dat oſcula, non flagella. Delicta non videt vis amoris, & ideo pater peccata filij redemit oſculo, clauſit amplexu: ne nudaret pater filij crimina, pater filium ne fœdaret. Pater ſic curat filij vulnera, ne filio cicatricem; nævum filio ne relinquat.* Ita pater prodigi adoleſcentis vulnera curat, ut nec cicatricem relinquat, quia reſipiſcentis exhomologeſis, non ſolùm, quæ vitia vulnera inflixerunt,

Homil. 2 in Matth.

In Epiſt. 1. ad Corinth. 6.

Luc. 15. v. 20.

Serm. 2.

runt, curat, ac pristinæ restituit integritati; verùm etiam superstites obliterat cicatrices, seu pravos omnes excutit affectus ad eadem vitia, quibus antea indulserat.

## §. III.

*Tantæ sunt efficaciæ resipiscentis lachrymæ, ut non solùm fœditates abstergant, quas per pravos affectus conscientia contraxerat; & noxarum eluant, deleántque maculas; verùm & incrementa invehant nitoris.*

19. Dolor resipiscentis non solùm vulneribus medetur, sed & eorundem obliterat reliquias. Imò tantæ dixerim esse virtutis, ut quæ facta sunt, reddat non facta, neque à vero sinit me abscedere resipiscens Magdalena, quæ erat in civitate peccatrix, cum Christus rogatus discubuisset Pharisæi convivio. *Ecce mulier, quæ erat in civitate peccatrix*, cum primùm novit Magistrum Christum in domo accubuisse Pharisæi, aperuit alabastrum, & stans retrò secus pedes ejus lachrymis cœpit rigare pedes ejus, & capillis capitis sui tergebat, & osculabatur pedes ejus, & unguento ungebat: fudit mulier resipiscens lachrymas, non tam Christi abstersura pedes, quàm propria sua deletura peccata; lachrymas fudit; quibus cum maderent Christi pedes, lugentis caput exardebat amore: capillos solvit, non solùm ut Christi pedes tergeret, sed ut expanso veluti rete, quam perdiderat innocentiam, & Numinis gratiam aucuparetur: aperit alabastrum, ut quæ malè olere peccando assueverat, bonus & ipsa odor fieret. Videns autem Pharisæus, qui Christum convivio exceperat, secum loquens, ajebat: *Hic, si esset Propheta, sciret utique, quæ, & qualis est mulier, quæ tangit eum, quia peccatrix est:* ideo Pharisæus cœpit anceps animo hærere, an Magister Christus, quem convivio exceperat, Propheta esset, quia vim lachrymarum charitate fluentium, & virtutem doloris resipiscentis ignoravetat: imò quia Propheta erat, & quidem magnus ille, quem Moyses prædixerat, noverat fœminam non accessisse ad eum, peccatricem, sed piscatricem, & retia capillorum extendisse in prædam divinæ gratiæ, & innocentiæ, quam perdideat in civitate: lachrymas ad pedes Christi fudit, sed salubri hoc imbre non solùm sordes, quas peccando contraxerat, delevit; sed & proscissam doloris vomere cordis tellurem irrigavit; ut quæ antea nonnisi vepreta produxerat vitiorum, tandem inciperet in flores vernare virtutum: licèt esset mulier antea in civitate peccatrix, post uberes pœnitentiæ lachrymas, ac capillorum explicata retia deperditæ fit piscatrix innocentiæ, nec ampliùs est peccatrix.

Luc. 7.

20. A veritate igitur deflexit Pharisæus; cum probrum peccatricis in Magdalenam inflexit irrigantem lachrymis non tam Christi pedes, quàm abstergentem, quas contraxerat in civitate criminum sordes; nimirum post pœnitentiæ lachrymas, in ipsis velut in amaro freto, probrum peccatricis in scopulos illisum doloris naufragum perijt; & quæ peccatrix erat, hoc in freto facta piscatrix pretiosissimum divinæ gratiæ fuit margaritum expiscata. Non diffiteor, plures in civitate Magdalenam contraxisse ægritudines, sed sanitatem recuperatura ad cœlestem properavit Medicum, qui neque infirmitatis reliquit vestigia, cùm & vulnerum deleverit cicatrices; recessit à civitate, ubi peccavit; & ad Christum accessit, ubi veniam impetravit; & resipiscens mulier vi pœnitentiæ, ac lachrymarum, cuncta non solùm ulcera criminum curavit; verùm cordis compunctione cicatricum etiam procuravit expunctionem, quia ut scitè ait Cæsareus Arelatensis Episcopus. *Nos ergo, quibus adhuc, & sic sub incerta brevitate conceditur curare maculas: lavare culpas, subvenire præteritis, consulere futuris, & facere infecta de factis cotis viribus laboremus, ut quod vivimus, ad vitam possit apponi.* Homil. 17.

21. Ea est pœnitentiæ virtus; ut ejus beneficio valeamus facere infecta de factis, quia vera compunctio non solùm scelera, ejúsque vestigia expungit; sed adeò gratiæ incrementat venustatem, & resipiscentis auget pulchritudinem, ac si is nunquam cœno fuisset vitiorum fœdatus: non solùm resipiscentiæ sordes abluit, abstergit, & delet; verùm eam ingerit munditiem, adfert candorem innocentiæ, ac si hæc nunquam per patrata scelera fuisset deperdita. Pœnitentia igitur, si vera sit, ac perfecta anteacta scelera ita radicitùs delet, ut dicatur facere infecta de factis, quatenus per pœnitentiam, ac veram resipiscentiam, ita scelera delentur, ut nullum superstes maneat in resipiscente scelerum vestigium; imò neque ullum probrosum peccati nomen, nec indicium, ac si pœnitentia, & emendatio innocentiam recuderet: adeo sunt resipiscentis lachrymæ efficaces, quæ etiam in ossibus, ac intimioribus medullis peccata scrutantes ea radicitùs evellant.

22. Resipiscentis lachrymæ intimiora penetrant viscera, nec quidquam incuratum relinquunt, imò neque vulnerum relinquunt stigmata, ac cicatrices: quin imò fœditatem stigmatis aucto delent innocentiæ nitore. Non enim cœlestis Medicus Christus inflicta per patrata crimina curavit vulnera, quin etiam eorum vestigia prorsus deleverit; ut quæ fuerat delinquentis conscientia multiplici ulcere saucia, fiat beneficio lachrymarum uberiori candore nitidior.

dior. Vocatus fuerat Christus, & rogatus à Centurinne, ut suam dignaretur domum ingredi, & ægrotantem puerum invisere, simúlque pristinæ restituere sanitati; quod cùm præstitisset, ac filium curâsset Centurionis, ingressus postea domum Petri, ejus itidem socrum febri æstuantem depulsa ægritudine sanavit. *Cum venisset JESUS in domum Petri, vidit socrum ejus jacentem: & febricitantem, & tetigit manum ejus, & dimisit eum febris, & surrexit, & ministrabat ejs.* Non luxus in epulis, non discumbendi voluptas, sed jacentis infirmitas; non prandendi necessitas, sed exercendæ charitatis occasio; non humani pompa convivij, sed divinæ opus virtutis Christum accesserat in domum Petri; ubi cum primùm ad ejus socrum febri æstuantem accessit, ab eo febrilis ardor recessit, quia ibi nequit infirmitas hærere, ubi salutis author adhæret: perinde fuit jacentem Petri socrum tangere, ac eum pristinæ restituere incolumitati; cum non linguæ tantùm Christi imperantis, sed & digitis tangentis JESU fuerint illicò morbi obsecuti: argutè Chrysologus. *Ministrare illam ad indicium reddita sanitatis admisit. Christus sic fugat morbos, ut vires pristinas mox reducat. Ubi curat ars, ibi infirmitatis residet lassitudo; ubi sanat virtus; ibi languor vestigium non relinquit.* Id proprium cœlestis Medici, peccatoris multiplici vulnere saucij lachrymas elicere resipiscentiæ, quibus non solùm sordes abstergit, & vulnera claudit, sed & ulcerum cicatrices radicitùs abolet; ne quid supersit, quod memoriam valeat pristinæ ægritudinis refricare: ita beneficio lachrymarum, quas dolor elicit resipiscentis, abolentur delicta, ita expunguntur peccatorum ulcera divinæ gratiæ officiositate, ut videantur infecta, quæ facta fuerant, quia ut scitè Chrysologus. *Ubi curat ars, ibi infirmitatis residet lassitudo; ubi sanat virtus, ibi languor vestigium non relinquit.*

Matth. 8. v. 14.

Serm. 18.

12\. Adeò efficax est obobalsamum lachrymarum, quas resipiscentis dolor extorquet, ut non solùm vulnera curet, & cicatrices deleat, verùm etiam specialem conciliet gratiam, cordísque decorem, ut quod innocentis amor non meretur, id post patrata crimina, post deperditam innocentiam resipiscentis obtineat dolor; sitque propterea acri reprehensione is dignus, qui caducam esse pœnitentiæ gratiam blaterat, & malesanam pœnitentis valetudinem, quasi sub dolosis pœnitentiæ cineribus adhuc scintillæ delitescerent scelerum suscitandis impuris flammis servandæ ad quamlibet occasiunculam, séque sistentem opportunitatem: quos spargit vera pœnitentia cineres, non scelerum aptantur favillis fovendis, sed æstus omnes pravorum affectuum hoc in cinere etiam cinesiunt: adeò efficaces sunt lachrymæ, quibus hi cineres imbuuntur, ut non solùm depravatæ concupiscentiæ flammas extinguant, verùm & culpis ipsis naufragium aperiant. Cùm extendisset Moyses manum suam contra mare rubrum, fugientibus Ægyptiis occurrerunt aquæ, quibus submersi miserè perierunt, cùm filij Israël sicco vestigio per medios fluctus ambulaverint; *Filij autem Israël perrexerunt per medium sicci maris.* Hoc in transitu Enodius adumbratam intellexit baptismi, & lachrymarum virtutem, inquiens: *Ut Hebræus transeat, Ægyptius deprimitur: & mersis in aqua corporibus sola sentiat culpa naufragium*, perinde ac baptismi lavacro culparum absterguntur maculæ, quæ veluti naufragium passæ, hac in unda prorsus abolentur, pereúntque; ita in fluctibus lachrymarum, quas dolor resipiscentis elicit: propitio naufragio culpæ submerguntur, & ita radicitùs abolentur, ut earum ampliùs non recordetur Deus, qui propterea per Isaiam ait: *Ego sum ipse, qui deleo iniquitates tuas propter me, & peccatorum tuorum non recordabor*, quia ut scitè expendit Petrus Damianus. *Deus ad irascendum difficilis est, & facilis ad miserendum. & cum delicta remiserit, ita sunt, ac si nunquam fuissent, & quasi infactum sit, quod factum est:* & hanc virtutem Numinis gratia lachrymis impertitur resipiscentis: hinc Petrus, qui Magistrum Christum in ejus passione tertiò negaverat; tertiò etiam eundem confitetur, & quoties delinquendo culpam contraxerat, toties etiam diligendo gratiam conquisierat. Gratiam obtinet, qua resipiscens interno dolore tactus lachrymas fundit, quibus trinam abstergit contractæ culpæ maculam: neque lachrymarum hic imber in tellurem cecidit probro laborantem sterilitatis, cùm & fructus veræ pœnitentiæ promoverit. Petrus lapsus fuerar, antequam fleret: sed postquam lachrymas fudit, ad supremam in militante ecclesia eligitur dignitatem; & qui ante lachrymas prævaricator extitit, fusis mox lachrymis pastor assumitur dominici gregis, & qui priùs se non rexit, aliis regendis assumitur idoneus: passione enim dominica peractâ interrogavit JESUS Simonem Petrum. *Simon Joannis diligis me plus his: dicit ei etiam Domine, tu scis, quia amo te. Dicit ei, pasce agnos meos.*

Exod. 14.

Exod. 14. v. 20.

In bened. cer.

43. v. 25.

Serm. 14.

Joannis 21. v. 15.

13\. Ea est lachrymarum vis, quâ non solùm, quæ per patrata crimina fuère sordes contractæ absterguntur; verùm & ipsi delinquentes absterfis maculis lachrymarum effusione, veluti vernali imbre irrigati culturâ virtutum efflorescunt feliciùs, ac sanctiùs; sintque propterea lachrymæ resipiscentis, quæ vires addunt, & per studia virtutum ad uberiora evehunt gratiæ incrementa, ut notat in lapsu, & resipiscentia D. Petri S. Maximus inquiens: *Postquam negavit Dominum Deum melior fuit: fidelior enim*

Homil. 4 de S. Petro.





fa-

*factus est, postquam fidem se perdidisse desievit, atque ideo majorem gratiam reperit, quàm amisit.* Quàm efficax fuit vis lachrymarum? Petrus, qui propè ignem friguit, resipiscentiæ lachrymis ablutus exarsit amore; & sicut in Pontificis atrio frigescens trinæ negationis pruinas sparsit, quibus florem decoxit virtutis; ita pœnitentiæ fletibus sic incaluit, ut plus cæteris exarsisse amore in Magistrum Christum fateatur; nimirum fidelior evasit, cùm se fidem perdidisse deflevit: quòd si in dominica passione riguerat frigore; post trinam mox negationem cum flammeâ lachrymarum undâ cœpit culpam abstergere, præ cæteris ferventiore æstuavit ipse charitate; nimirum in officina lachrymarum, quas dolor elicit resipiscentis, ardentior excuditur amor, quò & Petrus cæteris ferventiùs est Magistrum prosecutus: siquidem qui ante culpam erraverat, & in dominicæ passionis pelago fluctuans ad infidelitatis syrtes illisus jer fidei naufragium fuerat passus; mox lachrymarum procellâ altè immersus, ita perijt naufraga culpa, ut sospes ipse emergens à lachrymarum profusione uberiores foverit amoris flammas; & incrementum dilectionis, quod amor non videbatur promereri ante trinam negationem, visus est Petrus obtinuisse post culpam beneficio lachrymarum, quibus ita absterfit repetitæ culpæ sordes, & conscientiam lavit, quò meruerit uberiori ardere flammâ dilectionis.

24. Ita est conscientia emaculata probos, quósque excitat, fovétque affectus: si lachrymæ resipiscentis conscientiam abluunt, mentem simul irrigant, quæ flores germinat proborum affectuum, & præsertim rosam dilectionis, quâ resipiscens suaviùs olet. In genua procumbens Maria Magdalena pedes Magistri Christi osculatur, & oculis imbre inundantibus lachrymarum vestigia abluit Redemptoris; *lachrymis cœpit pedes ejus rigare:* cœpisse tantum dicitur, non quia postquam inceperat imbres fundere lachrymarum, quibus, quas in patratis delictis contraxerat maculas, ablueret, postea oculos exsiccaret; sed dicitur cœpisse pedes ejus rigare, eò quia nulla interjecta mora, absque ullo intervallo junguntur simul, & lachrymæ resipiscentis, & indulgentia remittentis; vix cœpit mulier peccatrix lachrymas fundere, & illicò incepit intus ferventiori ardere amore; effusio lachrymarum, infusio fuit charitatis, qua mulier lachrymis madida eò ardentiùs deflagrabat; quò uberiùs ipsa madebat lachrymis. Quàm beneficæ sunt resipiscentis lachrymæ, quæ simul conscientiam abluunt, sordes abstergunt, & mentem divino inflammant amore! prodigium est divinæ gratiæ, lachrymas suppeditare flammarum fomentum; hæc lachrymarum unda non extinguit, sed fovet, & favet, nutrítque ignem charitatis; & mensura amoris in resipiscente muliere, non tam ex uberiori æstu, quàm ex profusione lachrymarum, ac culparum metitur magnitudine, quódque Magister Christus suos edocuit Discipulos evulgata parabola. *Duo debitores erant cuidam fœneratori, unus debebat denarios quingentos, & alius quinquaginta. Non habentibus illis, unde redderent, donavit utrisque:* & interrogans Petrum subdit: *Quis eum plus diligit, respondens Simon dixit: æstimo, quia is, cui plus donavit: At ille dixit: rectè judicâsti*, nimirum mensura amoris ex magnitudine desumitur culparum, quæ remittuntur. Magdalena, quia per effusas lachrymas sordes omnes absterserat culparum, eo cœpit igne exardescere charitatis, ut evaporatis per oculos libidinum fœditatibus ex ipso vitiorum squalore amoris incendium excitaverit, ac foverit: pulchrè D. Petrus Damianus ait: *Si cœlestis sapientia carnis ejus incentiva perdomuit, & extinxit: Sancti Spiritus ardor lumbos ejus, ac renes extinxit, ut dum vasculum suum quotidianis superna gratia fluentis infunderet, carnis extincta materia nullum titillanti luxuria fomitem ministraret.* Nimirum in Magdalena carnis involuta illecebris, ac in civitate diu peccatrice, adeo flammeus divini Spiritûs ardor per pœnitentiæ lachrymas exarsit, ut carnis incentiva penitus extinxerit, & cùm jam cinerescere tota libidinis materia; nil superfuit, quò titillanti luxuriæ fomes suppeditaretur: ita emaculata conscientia per lachrymarum eluvionem potis est, ac idonea probis excitandis affectibus, ac improbis abigendis, ut prorsus extincto titillantis libidinis æstu sanctiorem excitet ignem, quo innocentiùs ardeat charitatis flammâ, & simul cinefiat pravorum fomes affectuum.

Luc. 7.

Luc. 7. v. 42.

Serm. 12.

Neque sterilescit in corde hæc amoris flamma, quàm emaculata conscientia excitat, & fovet, sed ferax est piorum mater desideriorum, ac cæterorum affectuum, quibus, qui conscientiam defœcatam experitur, satagit per exercitia virtutum Deo adhærescere: hinc Regius Propheta cum imbre lachrymarum, quas contraxerat, scelerum maculas absterfisset, nonnisi hæc pia fovit desideria, & Deo sic modulatè occinuit: *Retribue servo tuo vivifica me. Concupivit anima mea desiderare justificationes tuas in omni tempore.* Observat Origenes in catena Græcorum Patrum apud Corderium, Davidem consultò dixisse, se concupivisse desiderare, ne fortassis crederetur potuisse aliquando satiari: siquidem qui exoptat desiderium eo vacuus est, quod optat, nec rebus 25.

Psal. 118.

ſatiator, qnas exoptat; ſed novis deſiderijs plura deſiderat, quibus ſatietur: *concupivit anima mea deſiderare juſtificationes tuas*, non dicit, quòd concupierit, ſed optaverit concupiſcere in omni tempore Numinis juſtificationes; quia conſcientia emaculata non unum fovet deſiderium, ſed plura in ſe excitat, quibus deſiderat multiplici deſiderio deſiderare Numinis juſtificationes; non per paucos dies, vel annos, ſed jugiter, & in omni tempore; & ita deſiderio deſiderare ſtudia virtutum, exercitia pietatis, Numinis cultū, ac Dei juſtificationes, currus proborum affectuum onuſtus videtur, quo plura volvuntur excitata deſideria, ot unum aliūd ad ſe trahat, quia emaculata conſcientia fomitem ſuppeditat amoris, quo accenduntur deſideria, quæ minimè ſatiant, cùm vel ipſa deſideria concupiſcant adhuc deſiderare, ut luculenter ediſſerit Richardus Victorinus inquiens: *Concupivit anima mea deſiderare juſtificationes ſuas, non potuit ſatiari deſiderio, quia nihil niſi deſiderare concupiſcit, fames enim animæ deſiderium eſt: ſic verò Deum amans anima amore non ſatiatur, quia Deus amor eſt, quem qui amat, amorem amat, amare autem amorem circulum facit, ut nullus ſit finis amoris.*

*De gradibus charitatis cap. 2.*

## §. IV.

### *Anhela eſt virtus, quam conſcientia emaculata fovet; quieſcere neſcia ultra ſemper progreditur, ne retrograda à ſe ipſa deficiat.*

26. CONſcientia emaculata ita probos fovet affectus, ac pia excitat deſideria, quò circulum deſcribat non vitioſum, ſed virtuoſum; quia amor amorem, & deſiderium aliud excitat deſiderium, nec unqoam deſideriis, qui piè deſiderat, ſatiatur; ſed ipſam eſurit famem deſideriorum; anhela enim eſt virtus quieſcere neſcia ultra ſemper progreditur, ne retrograda à ſe ipſa deficiat: & hæc deſideria deſiderandi nova ſemper deſideria circulus eſt virtutis, quæ ita agit per exercitia bonorum operum, ut quieſcere nolit poſſe velle: & hæc eſt ſitis illa deſideriorum, quæ novis ſemper deſideriis immenſitatè ſanctitatem conſummat; quia deſiderare deſideria curriculus eſt indefeſſæ virtutis, & meta ſanctitatum omnium. Hinc ait Regius Vates: *Hæreditate acquiſivi teſtimonia tua in æternum, quia exultatio cordis mei ſunt. Inclinavi cor meum ad faciendas juſtificationes tuas in æternum.* Nimirum piè deſiderat, & enixim exoptat vires ſuas exerere in divinis adimplendis juſtificationibus, ac mandatis, non pro aliquo duntaxat præſcripto tempore, ſed jugiter, ac in æternum: *Inclinavi cor meum ad faciendas juſtificationes tuas in æternum*: ſed ſi David perinde ac cæteri homines fuit interitui obnoxius, ac proinde ejus vitæ dies erant brevi finiendi, quomodo aſſerit inclinâſſe cor ſuum ad faciendas juſtificationes Dei in æternum? an non æternitatem dum adſtruit, ipſam deſtruit? eam ſiquidem vitæ ſuæ brevi metitur ſpatio. Verum licèt fuerit & ipſe brevi moriturus, adhuc rectè dixit cor ſuum inclinâſſe ad faciendas Numinis juſtificationes in æternum, quia defœcata conſcientia pia fovebat deſideria, quibus inſatiabili, & ſancta ambitione exoptabat, vel ipſam adæquare æternitatem, quia virtus limitum anguſtias abigit, & laxiùs ſemper dilatari exambit: luculenter D. Bernardus ait: *Vera virtus finem neſcit, tempore non clauditur. Nunquam juſtus arbitratur ſe comprehendiſſe, nunquam dicit ſatis eſt, ſed ſemper eſurit, ſititque juſtitiam, ita ut ſi ſemper viveret, ſemper quantum in ſe eſt, juſtior eſſe contenderet; ſemper de bono in melius proficere totis viribus conaretur, non enim ad annum, vel ad tempus inſtar mercenarij, ſed in æternum divino ſe mancipat famulatui juxta illud: inclinavi cor meum ad faciendas juſtificationes tuas in æternum.*

*Pſalm. 118.*

*Epiſt. 253.*

27. Tametſi virtus, quam conſcientia emaculata fovet re ipſa temporaria ſit, voto tamen, ac deſiderio eſt æterna; quatenus in tempore ſua ad æternitatem pia deſideria protendit. Virtus enim quæ ſuas in defœcata conſcientia radices egit, tempore non clauditur, & æternitatem ipſam æmulatur, quam ſi non re, pijs tamen deſiderijs ſatagit exæquare. Piorum affectuum officina nullo temporis ſpatio anguſtatur, ſed quæ in ipſa cuduntur deſideria, pia quadam temeritate in totam ſe ſe æternitatem nituntur extendere; quia ut ait Bernardus vera virtus finem neſcit, tempore non clauditur, nunquam dicit ſatis eſt; ſed ſemper eſurit, ſitiique juſtitiam. Etiam cœleſtis ſponſus hiſce tenetur deſideriis, quibus propterea ſe ſuæ ſponſæ efficit deſiderabilem, exhibetque optabilem: cùm enim ſponſa ſui pulchritudinem ſponſi deſcripſiſſet, breviori elogio exhibitura ejus venuſtatem ait: *Totus deſiderabilis: talis eſt dilectus meus.* Quid quòd ſponſa ſuum commendet ſponſum, eò quia ſe deſiderabilem exhibeat? *totus deſiderabilis* eſt inquit, ſeu ut habet textus hebræus *Et totus deſideria*, ubi D. Hieronymus explicat, *Et totus concupiſcentia*, eſt enim concupiſcentia deſiderium vividius, quódque ardentius in animo fervet; rectè igitur à ſponſa ſuus vocatur ſponſus deſiderabilis, ſeu ferventioribus exardens deſideriis, quia cùm eſſet conſummatæ virtutis idæa, & ipſa ſumma perfectio, non potuit luculentiùs, ac vividiùs hanc ſponſi virtutem deſcribere, quàm per ipſa deſideria, hæc enim ad ardua quæque, imò & impoſſibilia ſe extendunt, & veluti æternæ, ac divinæ æmula omnipotentiæ, ipſam bono-

*Cantic. 5. v. 17.*

*Lib. 1. contra Jovin.*

rum operum, æternitatem desiderio exambiunt metiri.

28\. Pergit David in suis desideriis, quæ conscientia emaculata intus excitabat, & animum incitabat ad ardua quæque, & loquens Dei nomine ait: *Dilata os tuum, & implebo illud.* Non dicit extende ad opus manus tuas, & ego implebo illas, sed ait dilata os tuum, sed si oris spatium arctioribus clauditur limitibus; & manus si aperiatur, laxiùs extenditur; cur non potiùs dixit, dilata manum tuam, & implebo illam? Cur igitur maluerit oris dilatationem manûs præferre expansioni? cùm nil magis expromptum, magisque parabile sit, quàm oris apertio? sed non fuit David locutus de extimo capitis ore, sed de intimo cordis desiderio, quod adeo dilatatur, ut re nulla impleatur, nisi sola summi boni possessione: scitè D Augustinus: *Dilata os tuum, & implebo illud, non os corporis; sed os cordis. Os verò cordis non est aliud, quàm desiderium cordis; quare istud aperiendum est, ut vitâ scilicet virtute, quâ spiritualiter vivimus, quâ ad vitam æternam tendimus, impleatur.* Augustino adnuens Hugo Victorinus expendens illud Davidis: *Dilata os tuum, & implebo illud,* ait: *Quid est os interioris hominis, nisi desiderium cordis? sed hoc os omnes Ægypti deliciæ implere non possunt; quia omnes divitiæ mundi carnali desiderio satisfacere nequeunt.* Nostra siquidem desideria sinum laxant accipientis, quem non nisi summum bonum, illúdque infinitum explent.

*Psalm 80. v. 11.*

*In Psal. 80.*

29\. Quærit igitur Deus oris nostri dilatationem, seu desiderii nostri appetentiam, ut sua nobis beneficia munificentiùs indulgeat; ac si humana desideria appetentiûs hiantia sinum extendant nostræ capacitatis, & acceptam à Deo gratiam tutiùs custodiant. Desiderat Deus nostri desiderii dilatationem, quam possit ipse explere, & nobis sua præbere beneficia, quæ à nobis possessa, ne citò in nobis pereant, prodiga beneficiorum jactura, nova vult desideria nos desiderare desideriorum; quia ut acutè observat Eusebius: *Non potest beneficium custodire, qui nescit desiderare, periclitatur munerantis donum, si non inveniat custodientis affectum.* Hiante igitur desiderio vult Deus, ut latiùs os menteis dilatemus, quò plura accipiamus beneficia, & custodiamus. Quàm ferax piorum affectuum, ac desideriorum est conscientia, quam resipiscentis lachrymæ abluunt, ac irrigant? sunt hujusmodi lachrymæ, quas divini Spiritûs elicit gratia, velutì semina, quæ in tellure cordis nostri pœnitentiæ, ac doloris aratro excissa excipiuntur, ac in probos efflorescunt affectus. Sunt hæ lachrymæ beneficus imber, quò probrum deletur sterilitatis, & sordes absterguntur vitiorum: anima enim nostra nisi rostido hoc imbre perfundatur funditùs arescit; & ad nullius pij affectus germen, ac sanctæ operationis florem potest esse fœcunda. Est roscidus hic imber, quem sanctus Spiritus ex oculis elicit resipiscentis, qui lumen mentibus ingerit, desiderium in corde excitat; vires suppeditat; siquidem illustrat, ut quà rectè eundem sit videamus; provocat, ut velimus; roborat, ut bona, quæ volumus implere possimus: ex hisce lachrymis prodit cordis fœcunditas, & ex hac feracitate pij omnes germinant affectus.

*Homil. 25. de paschate*

30\. Imò adeo conscientia emaculata cœlesti lachrymarum rore perfusa, ac piorum affectuum multiplici flore ornata Deo arridet, ut gaudium sit Angelorum. Isaias describens festum Neomeniæ ait: *Et erit mensis ex mense, Sabbathum ex Sabbatho,* hoc est festum festo succedet; & justi festivam nunquam interrumpent lætitiam; nec ullo tribulationum mœrore internum sunestabitur gaudium: mensis siquidem est festum Neomeniæ; Sabbathum autem creberrimum populi Dei festum, seu dies est quieti sacrum, ac tranquillæ destinatus felicitati; & symbolum est cœlestis beatitatis, ac præmium veræ religionis. Hanc verò Neomeniam ex Neomenia, & Sabbathum ex Sabbatho Cornelius interpretatur de conscientia emaculata ex Hugone Victorino, ubi ait: *Conscientia bona titulus est religionis, hostis deliciarum, aureum reclinatorum gaudium Angelorum, arca fœderis, aula Dei, habitaculum Spiritus sancti, liber signatus, & clausus, & in die judicij aperiendus:* vocat conscientiam emaculatam Angelorum gaudium, quo incessanter beantur: gaudent cœlestes Spiritus, ac incolæ supremæ patriæ, si conscientiam videant resipiscentiæ lachrymis æquè irrigatam, ac satam; quia inde probi omnes germinant affectus, vernántque virtutis flores; quibus ridet, & simul cœlitibus arridet exculta pœnitentiæ vomere cordis nostri tellus; & efflorescit ornata virtutibus emaculata conscientia, quæ propterea gaudium dicitur Angelorum, imò & titulus religionis, quatenus illustri titulo insignitur religio, si fideles conscientiam custodiant emaculatam: & sicut titulus est succincta libri, vel capitis summa, ac luculentum totius operis breviarium; ita conscientia emaculata elenchus est Evangelicæ perfectionis, ac cœlestis gloriæ symbolum; proinde est religionis titulus.

*Cap. 66. v. 23.*

*In Cap. 15. Prov. v. 15. Lib. 3. de anima cap. 11.*

31\. Neque procellarum turbines, aut tempestatum fulmina metuuntur, ubi conscientia nullâ fordescit sceleris maculâ, sed in probos quosque efflorescit affectus; & est conscientia bona in homine locus ille, quem David ait in pace constitutum, ejúsque habitationem in Sion: *Et factus est in pace locus ejus, habitatio ejus in Sion,* hoc est in loco tranquillitatis, & lætitiæ, quia ubi conscientia emaculata in probos efflorescit affectus, ibi est habitatio Numinis, ac Dei sedes, scitè Cassianus: *Non enim in conflictu certaminis, neque in colluctationibus vitiorum locus Deo factus est, sed in castimonia pace,*

*Psalm. 75.*

*Collat. 1. cap. 13.*

*pace, & cordis tranquillitate perpetua, huncque pacis locum extinctione carnalium paſſionum ſi quis meruerit obtinere, ex hoc quoque proficiens gradu Sion Spiritualis, id eſt ſpecula Dei conſequetur effectum, erit etiam habitatio ejus in Sion.*

32. Conſcientia à quavis ſceleris macula, ut ſit defœcata, & in pace ſit locus ejus neceſſe eſt, ſit pax, quæ bellū indicat pravis affectibus, contra quos ita pugnet, ut eos expugnet; niſi enim pravas omnes coërcuerit, ac proſtraverit paſſiones, non eſt locus conſcientiæ mundæ in pace; nec habitatio ejus in Sion, ideóque cum dixiſſet: *Et factus eſt in pace locus ejus, & habitatio ejus in Sion*, rectè ſubdit. *Ibi confregit potentias arcuum, ſcutum, gladium & bellum*, tametſi Deus corda inhabitet hominum juſtorum; in illis tamen ea præſertim ratione commoratur, quibus ex coërcitis pravis affectibus, ac carnalium paſſionum extinctione, perfecta ineſt conſcientiæ tranquillitas, ac tranquilla ſerenitas; abactis enim pravorum affectuum cogitationibus emaculatæ conſcientiæ tranquillitas emergit, quæ Numini manſionem apparat; ideo cum David dixiſſet: *Et factus eſt in pace locus ejus, & habitatio in Sion*, poſtea ſubdit veluti cauſam aſſignans hujus habitationis: *Ibi confregit potentias arcuum, ſcutum, gladium, & bellum*, quia ut opportunè expendit D. Ambroſius, *Ubi quietus affectus nullis diverſarum cupiditatum exagitatur fluctibus, nullis avaritiæ turbatur procellis, nullis quærendarum divitiarum ignescit incendijs: ipſe eſt, qui ſpeculatur æterna, & habitat in Sion confringens omnia Spiritualium inſtrumenta bellorum, conterens arma, quibus Diabolus ignita dirigens jacula, graves pectoribus hominum ſolet inurere paſſiones.*

Pſalm. 75. v. 3.

Lib. de Naboth. cap. 14.

33. Eſt igitur conſcientia emaculata tranquilla pax, & munita arx à Deo cuſtodita, ſi in ipſa pravis affectibus bellum indicatur, ſi carnales paſſiones proſternantur, quibus conſuevit Diabolus pectora inurere hominum. Id datur emaculatæ conſcientiæ gloriæ, quod ignita adverſariorum jacula irrideat, & pugnaces tartarei hoſtis potentias confringat, ac rebellantis concupiſcentiæ tumultuantes affectus coërceat, & omnia retundat adverſarij jacula; imò & Judicum calumnias, ac falſa, quæ adverſus ipſam feruntur teſtimonia. Teſtis eſt Suſanna pudicitiæ cultrix, cujus conſcientia emaculata calumnias deluſit inſanientium ſenum: non ſolùm nive excultæ pudicitiæ flammas extinxit fœdæ libidinis, quæ in ſenibus Judicibus exarſerat, & eorundem deluſit calumniis, excuſſit vaſtamenta; ſed etiam victrix, quia confregit potentias arcuum, plurimum fuit gloriæ enacta: luculenter Auguſtinus ait: *Sed nec fœmineus ſexus ſuis fraudatur exemplis, qui pudicitiæ ornatum ſolubriter reſervabit, Suſanna illuſtris, decus pudicitiæ vicit impudentiam Judicum, petulantiam ſeniorum compreſſit audacem, ne caſtitas in ea paterretur injuriam. Stabat Suſanna in judicio falſorum, mendacibus oppreſſa teſtimonijs: ſtabat non tanquam Rea, ſed pro caſtitate tuenda fortiter moritura. Ibat ergo pudica ad ſupplicium, non adulterum corpus, in quo extrema libido exorſerat, & Diabolus inflammaverat. Quod pretexerat virtus, & ornaverat pudor illæſus, illæſum ibat in mortis exitium. Egregium portabat caput, cujus vultum integra conſcientia ſublimabat ad cælum:* nimirum ea eſt emaculatæ conſcientiæ vis, ut Suſannæ caput propudioſi ſceleris mole degravatum non in terram demitteret, ſed in cœlum excelſiùs eveheret; quia emaculata conſcientia confringit potentias arcuum, & ſævientes Magiſtratuum faſces exarmat, ruentémque in lapides populum, licèt inermis, compeſcit, & ejus coërcet impetum.

Tomo 10. Serm. 69. in append.

Inſanientes libidine ſenes, ideóque non boni Judices, ſed mali teſtes, depoſito teſtimonio, quod deluſa dictaverat libido, ac veteratoria petulantia, accuſantes pudicæ Suſannæ ſcelus mendaci lingua, ac ore falſato dixerunt *hujus rei teſtes ſumus*, & ſicut erant ex ſenioribus, qui majori pollebant authoritate, credidit illico ijſdem populus, adeo ut fuerit Suſanna ad non patrati flagitij ſubeundum ſupplicium damnata; ſed ejus conſcientia emaculata pericula evaſit, quæ imminebant, & falſa eluſit teſtimonia: *Cùmque duceretur ad mortem excitavit Dominus ſpiritum ſanctum pueri junioris, cujus nomen Daniel.* Tametſi puer eſſet Daniel, ſupra puerum tamen & ultra ætatem Judicum ſeniorum abegit vafritiem, & Suſannæ propugnavit innocentiam. Facinus ſanè fuit ultra ætatem audax, populum coërcere, & ſenum eludere aſtutias, tametſi plures eſſent, qui teſtimonium deferrent contra Suſannam & in ore duorum, vel trium teſtium dicatur verum ſtare: unius tamen Danielis teſtimonium duorum ſenum oculatæ atteſtationi legitimè refragatur, quinimò in puero Daniele tres ſiſtuntur ſummæ authoritatis teſtes, qui ſenes illos accuſantes Suſannæ ſcelus, quamvis dignitate pollentes exauthoraverint: fuerunt autem tres teſtes, totidem divinæ perſonæ, quæ conſcientiam emaculatam Suſannæ inhabitabant; ubi enim puritas enitet conſcientiæ, ibi tota Trinitas adeſt ad ſuffragium, quod edìſſerit Beda inquiens: *Quomodo accipiendum eſt: In ore duorum vel trium teſtium ſtabit omne verbum? niſi quia hoc modo per myſterium Trinitas commendata eſt, in qua perpetua ſtabilitas virtutis eſt: Si vis habere bonam cauſam, habeto duos, vel tres teſtes Patrem, Filium, & Spiritum ſanctum. Quando Suſanna caſta fœmina, fidelíſque conjux duobus falſis teſtibus arguebatur, Trinitas illi in conſcientia, atque in occulto ſuffragabatur; illi Trinitas de occulto unum teſtem Danielem excitavit, & duos convicit.*

34.

Daniel. 13. v. 45.

In Evang. Joan. cap. 8.

Quam-

35. Quamvis testimonium contra Susannam deposuerint duo oculati, ac gravissimi testes; emaculata tamen Susannæ conscientia tres suæ innocentiæ testes habuit, tres scilicet veridicæ Trinitatis personas; quarum irrefragabili testimonio usus Daniel duorum senum suffragium falsitatis apertè convicit; quia veritas de mendacio; & de malitia innocentia probæ conscientiæ gloriosè triumphat. *Et factus est in pace locus ejus, & habitatio ejus in Sion*, quia commoratur Deus in pace emaculatæ conscientiæ: *Ibi confregit potentias arcuum, scutum, gladium, & bellum*, ac omnia machinamenta, quæ contra Susannam senes construxerant, & licèt falso seniorum testimonio crediderit populus, canâ scilicet Judicum deceptus authoritate, ac insuspicabili eorundem malignitate delusus; eò quia dignitas accusatores commendaret, cùm essent senio venerandi, ac Magistratu reverendi; ubi tamen Susanna damnationem audivit, ubi noverat imminere supplicium, exclamavit voce magna, & dixit: *Deus æterne, qui absconditorum es cognitor, nosti omnia antequam fiant, tu scis quoniam falsum testimonium tulerunt contra me: & ecce morior, cùm nihil horum fecerim, quæ isti malitiosè composuerunt adversum me:* innocentiam suæ conscientiæ divinæ conformem scientiæ allegavit Susanna; ideóque Deum accersivit suæ innocentiæ testem, ac totius Trinitatis personas testes omni exceptione majores, quæ statim senum testimonia evicerunt falsitatis: auditur vox emaculatæ conscientiæ, & à Numine exauditur; imò fit Susanna exclamans ad Deum, senum, ac Judicum arbitra, & calumniantium Judex: scitè D. Ambrosius ait: *Cum morte damnaretur Susanna, exclamavit, quasi Judex Reorum arbitra calumniantium, & innocentis conscientiæ authoritate divinam sibi in judicium accersit cognitionem; non timore mortis percita, sed arguentis censura potestate præcelsa:* nimirum Susanna cùm fœmina esset, & pudore pudendi criminis suffusa erubesceret, publici consistorij authoritate ad necem subeundam propudiosam damnata fuerat, sed quam illatæ injuriæ intolerabile onus premebat; emaculata conscientia sursum ad uberiora gloriæ evehebat incrementa: ex rea enim arbitra fit calumniantium, & Judex judicantium, quos mendacij redarguit, & de composita fraude efficaciter insultat; quia emaculata conscientia omnes dissolvit calumniarum technas, fraudes excutit, & caligines suo nitore abigit mendaciorum; quamvis qui mores noverant damnatæ fœminæ amarè flerent. *Flebant igitur sui, & omnes qui eam noverant:* lugentium tamen lachrymas exsiccavit Susannæ innocentia, quam Salvianus ab ea vindicat damnatione emaculatæ conscientiæ suffragio inquiens: *flebant igitur sui, & omnes qui eam noverant. Sed nemo aliorum sensu miser, sed suo: & ideo non possunt cujusdam judicio falso esse miseri, qui sunt verè sui conscientiâ beati:* crediderat seniorum testimonium populus, qui vindice lapide sinum armaverat in fœminam innocentem: sed cùm jam mors immineret, quam causa turpiùs infestaverat; & miseram quotquot aderant fœminæ calamitatem lachrymis prosequerentur; eas tamen exsiccavit emaculata Susannæ conscientia, cùm testes propriæ innocentiæ accersivit Trinitatis personas, quæ in puero Daniele causam propugnârunt damnatæ fœminæ, quia nemo aliorum sensu miser est, sed suo, & ideo ait Salvianus: *Non possunt cujusdam judicio falso esse miseri, qui sunt verè sui conscientia beati.*

Daniel 13. v. 42.

De fuga sæculi cap. 9.

Daniel. 13 v. 33.

Lib. 1. de gubern. Dei.

## §. V.

### *Conscientia innocentiæ clypeo munita adversantium tela retundit; & bona quæque faustè ominatur jugi perfusa gaudio.*

36. Conscientia innocentiæ clypeo protecta adversantium tela retundit, & mala cuncta avertit, & bona faustè ominatur; tantus enim est emaculatæ conscientiæ splendor, ut teste Ambrosio: *vitam beatam efficiant hæc duo, tranquillitas conscientiæ, & securitas innocentiæ*, & sicut solis matutinus ortus umbras omnes nocturnas abigit, & lætitiam excitat, quâ ad cantum alliciuntur aviculæ in sylvis; ita fulgor emaculatæ conscientiæ non solùm tristitiæ excutit caligines, sed gaudij etiam accersit splendidam lucem, quâ se prodit, séque beat: hæc enim placidè hæret, animam adipat, & pectus implet pacatum, adventitijs omnibus voluptatum fucatis bonis procul excussis, quia ut eleganter Plinius junior: *Magnitudo animi nihil ad ostentationem, sed omnia ad conscientiam refert, rectéque facti non ex populi sermone mercedem, sed ex facto petit.* Nil timet exteriùs, qui intus tuta quiescit conscientia, non enim supplicia pavet, qui nullius est sibi sceleris conscius: luculenter D. Gregorius ait: *Nil simplici corde feliciùs, quia quod innocentiam erga alios exhibet, nihil est, quod pati ab alijs formidet. Habet enim quasi arcem quandam fortitudinis simplicitatem suam. Nec suspectus est pati quod se fecisse non meminit:* non habet quid timeat emaculata conscientia, quia nihil est, quod pati ab alijs formidet, *neque suspectus est pati, quod se fecisse non meminit.* Animum sibi bene conscium nulla imminentis mali turbat suspicio, non inquietat timor, non angit formido, habet enim domesticam arcem, ad quam tutè confugit, & inde vibratas acerbiùs minas tutus retundit, & flecti nescius adversantium deludit astus.

Lib. 2. de offic. cap. 1.

Lib. 1. epist. 22.

Lib. 12. moral. cap. 21.

37. Apostolus Paulus 2. *ad Corinthios 6.* per Antithesium cathalogum, recenset pericula, quæ passus fuerat à dextris; & à sini-

sinistris, per gloriam, & ignobilitatem, per infamiam, & bonam famam; ut seductores, & veraces; sicut qui ignoti, & cogniti; quasi morientes, & ecce vivimus, quasi tristes, semper autem gaudentes. Quid, quòd Apostolus tot periculis imminentibus circumvallatus tutus ambulet, tot ærumnis pressus gaudeat, tot calamitatibus exagitatus, tot angustiis arctatus, tot pressuris coangustatus, mente tamen serena, animóque tranquillo lætetur: *quasi tristes semper autem gaudentes.* Quòd si quæramus quódnam sit hoc gaudium, quo Apostolus afficitur tot inter pericula, quæ imminent; tot inter tristitias, quæ ipsum premunt, appositè respondet S. Chrysostomus, gaudium esse, quod emaculata progignit conscientia,

Homil. 15. ad popul. Antioch. ait ipse: *Nihil aliud est triste, nisi DEUM offendere, quod cùm aberit, non tribulationes, non insidiæ, non quidquam aliud sapientem animum poterit contristare: sed quemadmodum si exiguam scintillam in lacum dejeceris profundum statim extinxeris: ita demum & omnis tristitia superabundantia in bonam missa conscientiam extinguitur. Propterea & Paulus semper gaudebat, quoniam interius secundùm Deum confidebat; neque enim tot malorum capiebat sensum. Sic & Abraham Patriarcha erat in delectatione multa passus tristia.* Quam ferax proborum affectuum conscientia proba! non solùm pia omnia excitat desideria, imò & uberiùs desiderandi desideria, circulúmque describit in desideriis, ut nunquam desistat desiderare; verùm etiam inter tristitias, quæ premunt; calamitates, quæ exagitant; tribulationes, quæ sauciant; pressuras, quæ feriunt; gaudium foveat, quo studio faveat virtutum: sunt enim probam habenti conscientiam angustiæ, pressuræ, & calamitates exercitia virtutum, quæ nonnisi gaudiorum sunt fœtæ: licèt premerentur Apostolus tribulationibus, angustijs, ærumnis, & calamitatibus, adhuc tamen adversitatum minimè sentiebat tristitias, nec molestiis pungebatur, quia probâ loricatus conscientiâ ictus omnes adversitatum retundebat, & quasi calamitatum impassibilis, malorum non capiebat sensum; & licèt tristis exteriùs videretur ob multiplices, ac validas tristandi causas, quibus oppugnabatur à dextris, ac sinistris, per gloriam, & ignobilitatem, intus tamen semper gaudebat; quia emaculata conscientia suæ probitatis in arce tuta quiescens ridet mœrendi causas, quæ exteriùs nituntur corpus premere, ut animum à sua divellant tranquillitate, ac removeant ab illa serenitate, quæ intus accersit lætitiæ nitorem.

38. Proba conscientia; ita est jugiter hilaris, ut mœroris causas omnes excutiat; tristitiæ minas extinguat, ac veluti impassibilis: *malorum non capiat sensum.* Id-

2. Corinth. 12. que causæ, cur Apostolus scripserit. *Propter quod placeo mihi in infirmitatibus meis, in contumeliijs, in necessitatibus, in persecutionibus in angustijs pro Christo.* Verbum illud *placeo* ab Apostolo usurpatum, græcè idem est ac *delector*, quasi Apostolus dicat, tantùm abest, ut ægro animo, ac interno pressus mœrore meas feram infirmitates, patiar contumelias, persecutiones, & angustias, ut potiùs ijsdem vel maximè intus gaudeam, cùm non sinat me tristitiæ sensum experiri, quæ in me quiescit, gaudétque emaculata conscientia: hæc enim suo nitore non tantùm gaudium accersit, sed & caligines omnes mœroris, ac tristitiæ excutit, procúlque abigit: hinc S. Basilius ait: *Anima, quæ semel se modis* Homil. 4. de grat. act.
*omnibus desiderio adstrinxerit sui Conditoris, jámque insuevit oblectare se tanta illius pulchritudinis contemplatione; prorsus non sinet, & vehemens illud gaudium, animíque suam jucundissimam diffusionem intercipi, aut immutari per multiplicem, ac succedaneam carnalium affectionum mutationem: quin ea potiùs, quæ alijs mœrorem afferunt in cumulum sibi vertet, & accessionem lætitiæ, cujusmodi erat Apostolus dum sibi probè admodum complaceret in infirmitatibus, in tribulationibus, in persecutionibus:* quàm validum, ac firmum est internum gaudium, quod proba intus conscientia fovet, cùm nullis sinat se concuti mœroribus, & ærumnis, quæ intus corpus pulsant; quin potiùs ea, quæ aliis mœrorem afferunt, in incrementa sibi vertit lætitiæ, ac uberioris gaudij cumulum.

Vir enim justus proba munitus conscientia adhuc inconcussus suo hæret in gaudio, & flecti nescius ab illo nequit divelli, nec immutari, ut loquitur Basilius: *per multiplicem, & succedaneam carnalium affectionum mutationem*, & ingruentium calamitatum pressuras: imò conscientia emaculata DEI sibi elogium arrogat, apud quem non est transmutatio, neque vicissitudinis obumbratio, sed divinam mentem juge gaudium exhilarat: hanc Numinis immutabilitatem, gaudiúmque perenne æmulatur conscientia emaculata; quæ ad affectionum carnalium mutationem, ad calamitatum pressuras, ad angustiarum angores, ad tribulationum turbines, quasi mutabilitatem exuisset, immutabilis, & inconcussa, in tranquilla adsueti gaudii fruitione securè perseverat: hanc enim probam conscientiam nulla casuum varietas turbat; nulla tribulationum calamitas inquietat; & nulla ærumnarum congeries à sua dejicit lætitia, semper perseverans imperturbabilis, ac inconcussa. 39.

Licèt adlatrent tetricæ passiones, subsultent turbulenti appetitus, imò & insultent anteactæ vitæ crimina per pœnitentiam mox expuncta; frendeat orcus, hiétque gehennæ baratrum, adhuc emaculata con- 40.

scientia suâ perfunditur lætitiâ, à qua non finit disjungi à pressuris, angustiis, calamitatibus, quæ cutem possunt quidem corporis pulsare, non intus mentem sauciare; quia ut scitè,ac eleganter edisserit D Bernardus: *Premat corpus, trahat mundus, terreat diabolus, illa erit secura. Bona conscientia secura erit cùm corpus moritur; secura cùm anima coram Deo præsentabitur; secura, cùm in die judicij ante tribunal terrificum justi Judicis statuetur. Cum mundus omni volubilitate circumrotetur, floreat, rideat pereat, transeat; nunquam marcessit bona conscientia. Subjiciatur corpus in pœna, in injurijs maceretur, verberibus laniertur, eculeo distendatur, gladio trucidetur, crucis patibulo affigatur; secura erit conscientia.* Quia hæc licèt plerisque obsessa, & oppugnata malis, nunquam tamen expugnatur, quia interno suo immobiliter hæret gaudio, quod à se divelli non sinit; non enim quod emaculata conscientia intus progignit, fovétque gaudium fucata est lætitia in cortice duntaxat lubricans; sed altiùs in imo cordis radices agit, ut firmiùs hæreat.

*Lib. de interiori domo cap. 23.*

41. Hanc propterea emaculatam conscientiam cupiens Psalmographus, querulam illam vocem ediderat: *Sana animam meam, quia peccavi tibi*, sed cur peccatum allegat suum, ut ad veniam, & condonationem Deum flectat? cùm scelus divinam potiùs justitiam excitet, quàm misericordiam ad veniam incitet? an quia suum fatetur peccatum, inde faciliùs speret veniam, eò quia confessio delicti, sit apud supremum Judicem sceleris deletio? sed sanati percupiebat David, ut conscientiam enactus emaculatam, vero frueretur gaudio, quo ærumnarum molestias propulsaret; quapropter, post ablutam lachrymis conscientiam, ac detersas, quas contraxerat criminum maculas, mox enactus emaculatam conscientiam aiebat: *Cor meum, & caro mea exultaverunt in Deum vivum.* Quod è conscientia proba, ac defæcata oritur gaudium non fluxis creaturarum bonis inhæret, sed summo bono adhæret; quapropter in Deum vivum cor Davidis vera perfusum lætitia exultabat; verum enim gaudium non de fucatis mundi concipitur voluptatibus, sed de summo elicitur bono, & huic gaudio ait Bernardus: *Si comparetur omnis alia jucunditas mœror est, omnis suavitas dolor, omne dulce amarum, omne decorum fœdum; & omne postremò quod delectare potest, molestum est.*

*Psalm. 40. vs.*

*Psalm. 84.*

*In Serm.*

42. Non ex bonis mundialibus, sed ex proba, conscientia, probisque cujusque moribus veluti è pellucido fonte vera hauritur lætitia, quæ vitæ innixa probitate sursum ad Deum erectæ mentis fundamentum est: non de exsuccis, vacuisque mundi bonis gaudere, sed de conscientia emaculata, moribúsque ad normam virtutum compositis lætari vera est lætitia; Imò non solùm emaculata conscientia fundamentum est, cui verum innititur gaudium, verùm etiam culmen est virtutis, & meta felicitatis. Hinc Salomon erudiens nos, ac docens non fucatæ, sed veræ lætitiæ fontem ait: *Bibe aquam de cisterna tua, & fluenta putei tui:* ubi septuaginta Interpretes explicant: *Bibe aquas de vasis tuis, & de tuorum puteorum fonte*, cui interpretationi adhæreus D. Hieronymus ait: *Bibe aquam de tuis aquis, & de puteorum tuorum fontibus:* instruimur aquam veræ lætitiæ non aliunde hauriri, quàm è proprio fonte, qui è conscientia nostra emaculata, ac vitæ scaturit probitate: neque aliud est fons iste in nobis, cujus latices verum gaudium adferunt, & conscientiæ inferunt puritatem; quàm Dei gratia, ac interna lætitia, quâ perfusa proba conscientia dicitur aquam bibere de sua cisterna, ut explicat S Ambrosius inquiens: *In te ipso suavitatis tua gratia est, ex te pullulat, in te manet, intus id est in te ipso quærenda jucunditas, tua est conscientia. Ideo ait: Bibe aquam de vasis tuis, & de puteorum tuorum fontibus*, qui vetam igitur lætitiam extra se, & in mundi voluptatibus aueupatur, nonnisi larvam invenit fallentis lætitiæ, quæ personata est, ac larvata; falsa sunt, & fallacia, quæ mundus suis ostendit affectis gaudia: personatus est mundi risus extima sui specie suos decipit, qui verè sunt mundi, quia decepti à mundo; nullum enim habet mundus sectatorem, quem non blanditiis suis priùs fefellerit; & quamvis in mundi scena ridentem vultum mundi exhibeat sectator, non tamen risus est, qui risus esse videtur, sed noda oculorum deceptio; larva est risus, sed quâ internus fletus obtegitur: tota mundanæ scenæ pulchritudo in hoc sita est, ut aliud offerat pro alio, & spectantium oculos decipiat; dum spectandum se exhibet, quia extima superficie suos fallit spectatores: neque mundi felicitas; quæ gaudium suis pollicetur, quid aliud est, quàm mera oculorum deceptio, quia ut scitè D. Chrysostomus: *Nihil habet stabile, neque firmum, sed sola est oculorum deceptio, & priusquam appareat, avolat:* quis igitur verum quærat gaudium, ubi quidquid speciem risûs videtur præseferre, lachrymas elicit, & fletum accersit, & pura est oculorum deceptio; cùm & tota mundi felicitas personata sit, & larva tantùm felicitatis ad minùs cautos decipiendos? quapropter opportunè D. Bernardus ait: *Nulla verior miseria, quàm falsa lætitia*, & tunc eò major est miseria, quò uberior videtur mundi lætitia, quæ nonnisi larvam habet gaudii, & peracta vitæ scena fictitium deprehenditur fuisse, quidquid mundus exhibuit felicitatis, & gaudii: non enim fidendum voluptatum illecebris, quæ sub larva lætitiæ decipiunt, ac interimunt: ficta est, & tantùm in extima frontis cute picta mundi lætitia, quæ propterea cor non imbuit, sed tenui tantùm colore extimam pingit vultûs superficiem: quamvis mundi

*Prov. 5.*

*In c. 32. Ezech.*

*Hexaëm. cap. 11.*

*Homil. 22. in Genes.*

*Lib. de gratia & libero arbit.*

mundi ſectatores ex quavis parte deliciis diffluant, divitijs affluant, voluptatum lenocinijs ad mundi gandia provocentur, & mundanis bonis, commodisque cumulati videantur cum mundo gaudere, & ridere, alieni tamen ſunt à vero gaudio; quia aquam non bibunt de propria ciſterna; neque latices gaudij de propriis fontibus, de probis ſuis moribus, déque conſcientia emaculata hauriunt. Idque etiam Philoſophi noverunt, qui in bonis adventitiis non poſſe quemque verum aucupari gaudium aſſerunt, ut præ cæteris Plutarchus lib. de virt. & vitijs, ubi ait: *Jucundè vivere, & hilariter non à foris eſt; ſed è contra homo rebus ipſis, in quibus verſatur lætitiam, & oblectamentum ex moribus ſuis, quaſi ex fonte haurit.*

## §. VI.

### *Vera lætitia nonniſi ex morum probitate, ac emaculatâ conſcientiâ oritur. Quæ à mundi voluptatibus exhibetur fucata eſt: cui ſi larvam detrahas lacrymis ſcatet.*

43. VEra lætitia niſi ex morum probitate & conſcientia dimanet emaculata, vera non eſt, ſed fucata; probata non eſt, ſed larvata, quam mundus voluptas exhibet: non enim quæ in mundi voluptatibus quæruntur gandia intus exundant, & abluunt cor ſatagentis gaudere; nil enim ex mundi illecebris decerpitur, quod ſapiat: neque amaræ ſalices dulcia producunt poma: cùm ſit mundus amaritudine refertus nullam poteſt dulcedinem exhibere, quâ potis ſit ſuos demulcere aſſeclas. Externam à mundo eblandiente, & à fortuna arridente lætitiam expoſcere, non eſt verum petere gaudium, ſed lachrymas haurire, & venenum bibere. Bona quidem & jugis lætitiæ ſcaturigo eſt conſcientia emaculata, ac probi mores; aſcititia enim mundi oblectamenta nonniſi pœnitenda ſtillant gaudia: cauſam adfert Apoſtolus Joannes, quia: *omne quod in mundo eſt, concupiſcentia carnis eſt, & concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ*, loquitur Apoſtolus tropicè per metonymiam, ut non ſit mundus, qui concupiſcat, ſed in mundo homines; qui varijs concupiſcentijs ſolent exardere: eſt concupiſcentia oculorum curioſitas, pulchritudo, avaritia, & omne, quod oculi attingunt, & animus concupiſcit, cujusmodi ſunt divitiæ, aurum, argentum, gemmæ, prædia, opes, ſpecies venuſtæ, quas homo avidè concupiſcit: dicitur autem concupiſcentia oculorum, quia cùm oculi ſuos in res haſce obtutus dirigant, earúmque hauriant ſpecies, quas in phantaſiam, & mentem immittunt, animum movent ad hujusmodi externa, ac fluxa bona ferventiùs concupiſcendum: opportunè D. Chryſoſtomus expendens illud Regij Vatis: *Dediſti lætitiam in corde meo* ait: *non dixit ſimpliciter, & abſolutè dediſti lætitiam, ſed in corde meo; oſtendens, quòd nulla eſt in rebus externis lætitia*: quæ enim à bonis externis hauritur lætitia, cor non imbuit; ſed oculos tantùm decipit, ac afficit. Scitè igitur quidquid in mundo eſt concupiſcentia dicitur oculorum; quia oculos foras tantùm fallit, non cor intus alit.

[Margin: 1. Epiſt. 1. c. 2.]

[Margin: Pſalm. 4.]

Leviculum eſt gaudium, quod nonniſi oculos afficit, & intus non intrat, neque pectus mellea perfundit dulcedine, ſed felea inficit amaritudine: picta eſt lætitia, quia ficta, & quam ſolus affectus non probè affectus colorat: veræ lætitiæ ſcaturigo eſt, quæ à proba conſcientia dimanat, hæc enim intus penetrat, omnia pervadit viſcera, & in cordis intima jugiter exundat, & hac perfuſus David DEO exultim gratulatur inquiens: *Dediſti lætitiam in corde meo*, quia ſolida, ac proba lætitia eſt, quæ ſuam a Deo, & proba conſcientia originem trahit; non enim ementitum quidquam, & non verum à vero poteſt Numine eſſe: cum igitur mundi lætitia eam inficiat, imò & deſtruat, quæ dimanat à vero Numine, & conſcientia emaculata: nequit ullum verum gaudium haurire, qui extra DEUM in putidis mundi fontibus lætitiam ebibit. In mundi ſolo nullum poteſt verum pullulare gaudium, quia ſpinis tantùm, & urticis ſcatet tribulationum, ut ubique lachrymarum, luctúsque offerat ſemina, quæ in cordibus ſuorum ſectatorum inſepelit fœcundo naſcitura fœnore, ſitque propterea mundus, non ager lætitiæ ferax, ſed ima vallis lachrymis referta; locus ploratinnis; ut inde diſcamus nullum verum nos poſſe gaudium in hac lachrymarum valle expiſcari, cum lachrymæ cordis corrumpant lætitiam, verúmque extinguant gaudium; opportunè S. Laurentius Juſtinianus: *Plorationis, ac lachrymarum vallis nuncupatur hic mundus, ut in illo degentes nullum verum norint invenire poſſe ſolatium. Inſtabilis eſt, & per momenta decurrens caſibus plenus, periculis ſeptus, turbinibus agitatus, fluctuationibus anxius, cladibus refertus, diſſentionibus inquietus, mutationibus deditus, Deo contrarius, cælo diſſimilis, virtutibus oppoſitus, ſanctitati inimicus, & pijs mentibus oneroſus.* 44.

[Margin: De interiori conflictu c. 1.]

Cùm igitur ſolis lachrymis innatet mundus nullam poteſt veram exhibere lætitiam, quâ mentem perfundat, & præcordia irriget. Quàm fatui igitur, quàm deliri, qui larvato, ac fucato mundi gaudio ſe concredunt; & veram poſſe in mundi voluptatibus lætitiam enanciſci credunt? falluntur, & ideo verum gaudium perdunt in ſe ipſis, quo avidiùs extra ſe ipſos illud quærunt: vera lætitia eſt, quæ ſuam in conſcientia emaculata habet ſcaturiginem, quapropter nos erudiens Salomon ait Proverb. 5. v. 15. *Bibe aquam de ciſterna* 45.

*sterna tua*, *& fluenta putei tui*, seu ut expendit D. Hieronymus *bibe aquam de tuis aquis*. Quid? quòd Salomon eum moneat, qui aquis abundat, ut suas ebibat aquas si siti exæstuat? An non delirus esset, mentisque inops, qui siti exardens mallet arescentibus, ac hiantibus faucibus sitire, & in incertum aquas aliunde quærere, quas de suis fontibus posset statim haurire, & sitim extinguere? Ait Plinius: *Orygem perpetuo sitientem Africa generant*, *& natura loci potu carentem & mirabili modo ad remedia sitientium. Namque Getuli latrones eo durant auxilio repertis in corpore eorum saluberrimi liquoris vesicis.* Orygi haud absimiles dixeris, quos mundus ad se trahit, quò suis epotis aquis propriam valeant sitim extinguere, quibus latiùs retorquetur, *Bibe aquam de tuis aquis*. Frustra in visceribus vesicam quis gestat saluberrimo oppletam liquore, cum perpetua exardeat siti ex aquarum inopia: & cùm possit pellucidos, ac frigescentes haurire latices è proprio suo fonte, æstibus exarescentis sitis extinguendis opportunos; è turbidis, ac cœnosis lacubus putrescentes emendicat anhelus undas. Is verè sibi consulit, ac propriæ sui, qui sibi ipsi fons est, & aquam bibit de suis aquis, sibique de proprio sinu largiùs potum propinat: neque aliud est proprium in se fontem accersere, & aquam bibere de cisterna sua, quàm conscientiam resipiscentiæ lachrymis abstergere, ac irrigare; quia è conscientia emaculata, ex probis moribus fons scaturit veri gaudij: & hoc est bibere aquam de suis aquis, seu jucunditatem, & lætitiam intus à se ipso emanantem: quàm malè emendicat, de paupertina rerum fluxarum, & mundi vena, qui satagit veræ lætitiæ reficientes latices haurire!

Lib. 10. cap. 3. de Oryge.

46. Has aquas de suis aquis ebibit Propheta Regius, sed priùs patratum à se delictum lachrymis satagit diluere, & postquam exitus aquarum ejus deduxerant oculi, & cum ipse in gemitu diu laboraverit, postea obnixè DEUM rogat, ut velit hanc sibi aquam elargiri: *Redde mihi lætitiam salutaris tui*, hoc est, ut explicant Hieronymus, Chrysostomus, & Basilius: Redde mihi lætitiam de remissione peccatorum post diuturnum de ijsdem luctum: sed si peccatorum remissionem, ac eorum veniam fuerat jam antea David consecutus, cur adhuc tam anxiè hanc concupiscit remissionem? & pedissequam hujus condonationis lætitiam? cum hanc posset à se ipso impetrare? siquidem ut etiam cecinit Venusinus Vates: *quod petis intus habes, animus si te non deficit æquus*, David cum olim delinquendo defecisset, & forsan de plena remissione hæreret anceps, ad omnem excutiendam dubitationem hanc expostulat à Deo lætitiam, ut inde conjiciat plenam, ac totalem condonationem, cum vera lætitia nonnisi à conscientia emaculata posse dimanare.

Psalm. 50.

47. Quæ vera est lætitia, in tellure cordis nostri exculta per emaculatam conscientiam, ubi radices agit, florere, ac vernare didicit; non enim vera est illa lætitia, quæ à proba non dimanans conscientia, cor non afficit, neque in corde germinat: & quia David postquam lachrymis, & cinere peractæ pœnitentiæ sordes abstersit, quas delinquendo contraxerat, veram sensiit lætitiam, quâ intus affectus ejus experiebatur dulcedinem, Deum alloquens, cui & gratias agebat dixit: *Dedisti lætitiam in corde meo*; non dixit dedisti lætitiam in mundi voluptatibus, in fœminarum blanditijs, Regni potentia, armorum viribus, divitiarum thesauris, sed *in corde meo*, ne quis censeret, foras quærendam lætitiam esse; ac posse verum gaudium à mundo, rebúsque fluxilibus prodire: opportunè D. Augustinus, expendens verba Regij Prophetæ ait: *Dedisti in corde meo: ergo non foris quærenda lætitia est, sed intus in corde*; quæ non fucata, sed vera est lætitia, intus in nobis, ubi germinat, quærenda est. Ager est cor nostrum, in quo plerumque pravorum senticeta affectuum succrescunt, qui non sinunt florem germinare veræ lætitiæ: sed si hujusmodi vepreta radicitùs evellantur, & veræ resipiscentiæ vomere nostri tellus agri excolatur, ac seminibus fœcundetur lachrymarum, quas dolor de patratis flagitijs elicit, illicò germinat flos veri gaudii, suúmque perfundit odorem; quem recipit, servatque conscientia emaculata; & hæc est vera lætitia non foras extra nos, sed intus in nobis quærenda.

Enarrat. in Psalm. 4.

48. Frustra labore defatigantur, ac sudore madent, qui in mundo, in rebus interitui obnoxiis, & pereuntibus invenire veram lætitiam satagunt; tametsi terrena omnia toto nisu emungerent, nec unam veri gaudii guttulam elicerent: premere quidem possumus, quæ in mundo aliquid videntur commodi, & gaudii præseferre, non tamen veram possunt lætitiam exprimere, neque tantillum veri gaudii: quia res fluxæ lachrymis eliciendis aptiores sunt, quàm vero gaudio instillando; non sunt, quæ pereunt vero fœcunda gaudio, neque proinde veram possunt lætitiam gignere, nec parturire: faciliùs ex lapide succus exprimitur, quàm ex rebus perituris guttula veri gaudii: conscientia emaculata, & cor à quovis defœcatum probro verum parturit gaudium, quod propterea non invenitur nisi in imo cordis; in conscientia emaculata: quæ extra nos videtur lætitia apparêre, fucata est, & personata, non vera; & oculorum potiùs, quàm cordis est lætitia: scitè S. Chrysostomus expendens præfata verba Regii Vatis ad rem nostram ait: *Non dixit simpliciter*, *& absolutè*. *dedisti lætitiam*; *sed in corde meo*, *ostendens*, *quod nulla est in rebus externis lætitia*,

*lætitia; hac enim non eſt lætitia cordis, ſed tantùm oculorum:* & ſicut oculi extimam tantùm objectorum ſuperficiem attingunt, nec intus penetrant; ſi aliquid præſefetunt lætitiæ mundi voluptates, ac commoda, nonniſi ſuperficialis eſt lætitia, ſi tamen lætitia eſt, quæ pediſſequas ſecum trahit lachrymas.

49. Non parit verum gaudium ea voluptas, quæ ſtatim perit; quod enim à perituris effluit gaudium, ſtatim evaneſcit, quod propterea verum nequit gaudium eſſe; unde fallitur vulgus lætitiæ nomenclationem imponens huic gaudio, quod à rebus perituris videntur voluptuosè haurire, qui lenocinijs ſinunt ſe voluptatum irretiri: quæ vera eſt lætitia, non moritur, ſed jugiter oritur in corde; idque nos edocet Abrahamus in immolatione Iſaaci filij. Fortaſſis nocturno ſomno indulſerat Abrahamus, cum nocte intempeſta è ſummo cœlo ad aures licèt ſomno ſopitas vox dilabitur, quâ ei injungitur, filium, quem è Sara ſuſceperat, unicum ſcilicet ſuum gaudium, ac totius domûs delicium, propriis ſuis manibus jugulatum, hoſtiam Numini immolare eo in monte, qui à cœleſti Genio eſſet deſignandus: ad hocce imperium antea inauditum expergefactus, ac veluti quodam terrore perculſus cœpit, & impalleſcere, & contremiſcere: ſiquidem perinde erat filij petere jugulum, ac necem exigere parentis; ſed Abrahamus, qnia virtutum omnium culturâ inſignis parère voci cœleſti, ac Nomini præcipienti ad ſummam obedientiæ culturam ſtuduit; non enim dubitavit de cruento mandato, neque de voce diſputavit cœleſti, ſed fidem ſtatim adhibuit auribus, & lætus filium ſtatuit in Dei obſequium immolare; paratus naturam potiùs exuere, quàm obedientiam; quâ ductus parat manum operi, ac præparat pedes itineri, nec trepidavit offerre filium Deo eum exigenti: qualis enim fuit religio credentis, tale etiam fuit obſequium obtemperantis; qui quavis diſrupta mora, abſque ulla cunctatione ſurrexit ſummo mane, accinxit ſe itineri, & profectioni nulla monitione præmiſſa uxori; ne lamentis hæc moram inijceret obedienti, ac feſtinanti cœleſti parère voci: apparat, quæ ſacrificio erant neceſſaria, comitem ſecum ducit Iſaacum filium, cui duos adjungit famulos, & bajulum lignorum, ac foculi aſellum.

50. Moos, quem cœleſtis Genius oſtenderat Abrahamo triduo aberat, cui nomen *Moria*, qui plures diſtinguebatur in colles, è quibus, qui orientem reſpiciebat *Sion*, qui occaſum *Golgotha*, qui ſeptentrionem *Acra* vocabatur. Ad hujus radicem montis poſt biduani itineris ſolicitato labore, cùm defeſſus perveniſſet Abrahamus, juſſit famulos cum jumento ſubſiſtere, & lignorum faſces in Iſaaci humeros transferri, & ipſe foculum ferens, & gladium unà cum filio montis conſcendit faſtigium varijs intus exagitatus affectibus, qui paternum pectus dirè pulſabant, cum innocentis filii lætantem vultum intueretur, oil triſte ſuſpicantis, licèt brevi manu genitoris morituri: interrogavit filius ſerena fronte patrem dolores diſſimulantem, ubinam eſſet victima. *Pater mi, ubi eſt victima holocauſti*, cui Geneſ. 22. Pater licèt ſummo tunc totus dolore correptus reſpondit, *Deus eam ſibi providebit fili mi*, quales non fuerunt patris taciti gemitus, & acri dolores in ſuperando montis jugo per unius ſpatium Dei? tametſi afflictiſſimus pater victimam immolandam non indicaret filio, ſe ipſum libentiùs exhibuiſſet hoſtiam, ut filium ſubtraheret ab immolatione; in cujus funere ſpes tota promiſſorum exareſcens in propagatione Nepotum numero certatura cum ſtellis corruebat; dolebat præſertim, quòd ideò pater eſſet, ut parricida fieret; & pro nuptialibus tœdis, deberet funeſtum accendere rogum. Ubi in montis vertice conſtitit, aram ipſemet opere compoſuit tumultuario, ligna appoſuit, & mox conjectis in filium oculis ajebat intra ſe: O lux mea, chariſſima, tu neſcis, ſed mox eris hac in lignorum ſtrue extinguenda; ô vita mea, quàm libenter mortem meam ſubirem, ut tu, fili mi, viveres, ſed membratim es in holocauſtum concidendus, cremandus in pyra, redigendus in cineres: licèt non ſine oppreſſi cordis dolore debeam in domum reverti ſine filio, Saram uxorem adire ſine ſuo delicio, ſine fulcro, quo domus ſuſtinetur, ac familia fulcitur; ſed quia Deo jubenti parendum eſt, etiam ſi mille eſſent filij, omnes Numini mactarem: exigens Deus filium meum, nulla mihi injuria infertur, nullùmque damnum; repetit ipſe, quod ſuum eſt, teneor rem ſuam exigenti reſtituere, cum & auferre poſſit nolenti.

Cúmque parata in montis vertice omnia eſſent, nilque ſupereſſet, quàm victimæ immolatio, tunc pater Numinis mandatum aperiens filio dixit ipſum alloquens: 51. Adeſt hora Iſaace fili, æquè, ac timor afflicti patris, adeſt tempus, quo tu æterni Numinis ſic imperantis hoſtia fias, mox hac ſuper lignorum ſtrue immolanda: non aliam quæras victimam, te Numen expoſcit cremandam victimam hoc in rogo, neceſſe eſt unà cum collo, & capite etiam animum flectas in jubentis Numinis obſequium, ſi mortalis vitæ dies ſurripit, largiùs tibi æternæ gloriæ impartietur ſæcula nunquam finienda: ſis animo lætus, vitam non perdis, ſed mortalem mutas cum immortali, laborioſam cum glorioſa, ærumnoſam cum beata: omnem à te timorem excute, non ob ullum à te patratum flagitium mortem ſubis, ſed ex ſolo Numinis

jussu, quia Deus te exposcit in victimam; immolaberis: te exposcit, non ut pereas, sed com ipso in sœlis vivas, & regnes; non turberis, nec formides; si ferrum tuum amputabit caput, hoc ipsum Numen expectat, quod cum cæteris cœlitibus æternæ gloriæ coronetur diademate: exerit mox pater gladium; & inflectit in genua procumbens cervicem filius, cedit in patte natura affectui, affectus obedientiæ; obedientia pietati, & pietas religioni. Suspensus jam hæret gladius, nullo impedimento detentus.
Genes. 22. *Extenditque manum, & arripuit gladium, ut immolaret filium suum.* An non de palma videtur fortitudo æquè in patre decertare, ac in filio? fortiùs enim videtur necem pro Deo subire victima in filio, quàm nudato gladio sacerdos inferre; licèt internus dolor patris dirè excruciaret animum; filij tamen, cui mors jamjam imminebat, acrior erat dolor, cum mors acerbior soleat juvenibus accidere, quàm senibus. Emicuit è patris brachio inconcussa fortitudo, eò quia intrepida manu debuerat filium interimere, quem ardentiùs vitâ propriâ dilexerat; quia divina de subnascente sobole promissa in omnes partes Abrahamum discerpebant, & funestiùs erat patri filium interficere, quàm filio à patre enecari.

52. Verùm cùm jam ictum gladij in caput filij vibraret pater simul, & parricada; ecce vox de cœlo intonat, quæ inhibet filij cædem, ac deprædicat supra victimam Deo obedientiam placuisse. Sed cur, si coronandus erat in cœlesti regno Isaacus; si ærumnosam hanc vitam statim cum cœlesti beatitate mutâsset, cur à morte subtrahitur, qui mox trahendus erat ad æternam felicitatem? non immolatur Isaacus, sed aries, ille enim ab Angelo Dei nomine victimari prohibetur.
Genes. 22. v. 13. *Levavit Abraham oculos suos, viditque post tergum arietem inter vepres hærentem cornibus, quem assumens obtulit holocaustum pro filio.* Quid? quòd aries pro Isaaco immolatur? si Deus jusserat Isaacum immolari, cur suum revocat mandatum, & vult arietem Isaaco supponi? quid causæ hujus in divinis consilijs mutationis? an ut quas excoluerat Abrahamus virtutes, toti ostenderet posteritati? obedientia enim, seu obsequium resplenduit, cum de nocte consurgens stravit asinum suum: fortitudo in exequendo, quod perarduum erat: animi simplicitas, & conscientiæ puritas in subjectione judicij: plerumque obedientia, quò videtur oculatior, eò deprehenditur ad lapsum pronior: in divinis mandatis tota facti ratio celeritas est obsequentis; agnoverat Deus patrem immolantem, & victimam ad necem subeundam pronam, & paratam; ideóque utrique pepercit, & sacerdoti, & victimæ.

Verùm aliam suggerit D. Bernardus 54.
causam, cur non fuerit Isaacus à patre immolatus, sed hic pro filio arietem inter vepres hærentem cornibus obtulerit, quia Isaacus lætitiam significat, quæ in corde Abrahami suas egerat radices, & unà cum excultis ab ipso virtutibus excreverat eam fovente emaculata conscientia, & quæ ex tali corde lætitia oritur, non moritur: appositè ad rem nostram ait D. Bernardus. *Non* In declam.
*Isaac, sed aries morietur, quia non peribit tibi lætitia, sed contumacia, cujus utique cornua vepribus hærent; & sine punctionibus anxietatis esse non potest.* Isaac igitur quia veram, ac sinceram significat lætitiam, quæ altiùs in Abrahami corde emaculatæ conscientiæ culturâ radices egerat, non moritur; unde non Isaac, seu vera lætitia; sed aries, seu contumacia perire debuerat, ne lætitia periret Sanctorum, ne gaudium deficeret, quod emaculata conscientia fovet.



DIS-

# DISSERTATIO XXVII.

## Probi affectus semina sunt virtutum, quæ non germinant, nec florent, nisi in exculto agro emaculatæ conscientiæ.

### §. I.

*Mundi voluptates, & carnis delectationes veræ gignendæ lætitiæ ineptæ sunt; quia fluxæ, & volatiles,*

1. Um vera lætitia non moriatur, non hæc quærenda est in rebus pereuntibus, quæ cùm sint interitui obnoxiæ, nequeunt gaudium ingerere non moriturum; non quæratur terrenis in rebus, nec ab ijsdem verum exigatur gaudium; frustra enim petitur à non habente; nil verius, quàm veram lætitiam suas in corde duntaxat radices figere; & fictas extra cor, ac emaculatam conscientiam esse delectationes vero gaudio gignendo ineptas; cùm enim cor non tangant, necesse est, animo angant, quotquot has sitiunt delectationes, quæ nonnisi ludibria sunt delectationum, ac phantasmata, non delectationes. Hinc David censet imaginarias esse omnes illas lætitias, quæ è terrenis, rebúsque carnalibus eliciuntur; &. veras, quæ cordi insident, & à corde scaturiunt, eo quia *scrutans corda, & renes Deus*, Illis tantùm verum impertitur gaudium, qui recto sunt corde, seu conscientiam habent emaculatam, & à quavis pravi affectûs sorde defœcatam, statim enim adjicit, *qui salvos facit rectos corde*, sed cur repetit bis ipsum cor, *scrutans corda, & renes Deus, qui salvos facit rectos corde*, & non potiùs dixit, qui salvos facit rectos renibos? cùm præsertim soleat concupiscentia in renibus effervescere? in quibus suum aucupatur fomentum? & qui nullo pulsantur depravatæ concupiscentiæ affectu, ij lilium excolant pudicitiæ; & conscientiam, ac cor custodiant à turpitudine libidinis defœcatum? Verùm maluit Regius Vates ab hac abstinere phrasi, ne mundi gaudio, & carnalibus videretur delectationibus favere; siquidem ex renibus terrena delectatio hauritur ex carne desumpta, ex concupiscentia ibi exæstuante exsculpta: cùm enim recti esse nequeant; qui carnalibus irretiuntur delectationibus, afficiuntur gaudijs, quæ minimè vera sunt, ideo David non

Psal. 7.

rectos renibus dixit salvandos, sed rectos corde, quia rectitudo suam in corde sedem figit, non in renibus, qui nonnisi illusionibus sunt obnoxij: apposité D. Augustinus expendens verba Davidis ait: *Non sicut scrutatur corda, & renes, ita salvos facit rectos corde, & renibus: quia cogitationes, & mala sunt in pravo corde, & bona in recto corde. Delectationes autem non bona ad renes pertinent. quia inferiores sunt, atque terrena: bona verò non ad renes, sed ad ipsum cor. Propterea non ita dici possunt recti renibus, sicut dicuntur recti corde, cùm jam ubi cogitatio, ibi & delectatio est. Quod fieri non potest, nisi cum divina, atque æterna cogitantur. Dedisti, inquit, lætitiam in corde meo, cùm dixisset, signatum est super nos lumen vultûs tui Domine. Nam phantasmata rerum temporalium, quæ sibi animus fingit, acumsse vana, mortaliáque, jactatur, quamvis inanibus imaginationibus afferant sæpe deliram, insanámque lætitiam, non tamen cordi hæc delectatio, sed renibus tribuenda est; quia illæ omnes imaginationes de inferioribus, hoc est, terrenis, carnalibúsque rebus attracta sunt* (& paucis interjectis subdit.) *Propter hoc delectatum est cor meum: ut renes eum increpare potuerint, non delectare. Non itáque in renibus, sed ibi facta est delectatio, ubi adversus rerum increpationem provisus est Deus à dextris esse, id est in corde.* enarrat. in Psal. 4.

Ea igitur lætitia vera est, quam conscientia emaculata in corde fovet à quovis depravato affectu defœcato: est enim vera lætitia simplex, quæque nonnisi à corde exoritur simplici, quod & oculus à Magistro Christo dicitur simplex, cujus beneficio corpus totum splendescit, *si oculus tuus simplex fuerit, totum corpus lucidum erit*, sed cur conscientia emaculata oculo pariatur simplici? Illud simplex est, in quo nulla adest compositio, nulla mixtura rei extraneæ, nil aliundè collecti, nil emendicari ab extraneis, & ideo solus Deus substantia dicitur simplicissima, 2.

ma, eò quia sibi sufficiens nullius sit externi indigus, nec quidquam, quod Deus non sit, admittit: conscientia emaculata, ideo simplex dicitur, quia nihil imputi, nil depravati affectûs continet, nullus in ipsa sui amor, non fatuus timor, non spes vana, non desiderium inutile, sed sola perfunditur vera lætitiâ, quâ de summo bono gaudet, nec alia agit intentione, quàm rectâ, nec alium suacum actionum finem constituit, quàm ipsum Deum, ad quem solùm omnia sua revocat.

3. Idque explicari etiam solet aquilæ simlectiâ; quæ suos exploratura pullos, & spurios separatura à legitimis ungue suspensos tenet in aëre, eósque radijs opponit solaribus; & qui irretortis, hiantibúsque oculis solaris jubaris nitorem excipiunt, probantur legitimi, & in nidum submissi foventur, & aluntur, eò quia indolem prodant aquilinam: eos verò qui nonnisi ægrè solares admittunt radios, ejúsque nitorem nonnisi tremulis, ac palpitantibus oculis patiuntur, ut degeneres nido præcipitat, & exhæredatos lapsu interimit exitiali: ita dixerim; qui recti sunt corde, qui conscientiam custodiunt emaculatam, hi vera perfusi lætitia nonnisi in solo Deo lætantur, in quem suos dirigunt obtutus, neque latum unguem ab ipso abscedunt, neque ab ejus legis observantia deflectunt, eique perfecto amore adhærescunt, quia ut ait Salmon, *Qui diligit cordis munditiam propter gratiam labiorum suorum, habebit amicum Regem.* Proverb. Cap. 22.

4. Nil est, quòd æquius divinos emereatur favores, quàm nitidam jugiter, & tersam custodire conscientiam; & hanc emaculatam, ac puram non facilè conservat, nisi qui post lapsum crebriùs se lachrymis abstergit resipiscentiæ, in frequenti peccatorum Exhomologesi, quæ vix integra censecur, si cara sit; quia ut verè dixit Mellifluus Doctor. *Computatio dilata multa facit oblivisci:* & qui rationes suas rariùs inspiciunt, faciliùs conivente oculo aliquid negligunt; & sicut illi Mercatores sunt cæteris accuratiores, qui singulis saltem hebdomadibus suarum libellum rationum attentè relegunt: ita ij præ cæteris puriores sunt vitæ, qui conscientiæ nævos singulis saltem hebdomadibus sedulo examine perpendunt, & per sacram exhomologesin ad aures deponunt sacerdotis; cùm delinquendi pericula crebra sint, & quotidiana, quæ à diabolo, carne, & mundo nobis suggeruntur; ideò vigiles nos esse oportet, ut rectè incedamus, oculísque adapertis, quà sic eundum videamus, nec sinamus nos ab hostibus vinci, qui jugiter nos tentant, vellicant, alliciunt; & quamvis non cogant, adhuc renitentes urgent; hoc unum agentes, ne boni simus, ne conscientiæ maculas studiosè observemus; ne frequenter abstergamus; curántque, ut nonnisi serò, & segnitec, quas depravatis affectibus sordes larvata lætitiâ contraximus, resipiscentiæ lachrymis perfunctoriè eluamus, Verùm hæ suggestiones nonnisi ab Orco suam trahunt originem, cum solam suboleant animæ internecionem; sunt enim hæc consilia cacodœmonis secreta sub specie personati amici; amicitiam enim simulat cacodœmon; nec ejus astus illudit, nisi qui percrebram, frequentémque exhomologesin, suam expiat conscientiam, suam sacerdoti fatetur infirmitatem, & veræ resipiscentiæ lachrymis nævos eluit conscientiæ; id enim præstat confessionis sacramentum, ut non solùm, quas contraximus, sordes abstergat, verùm & vires suppeditet, quibus validiùs cacodœmonis retundamus assultus, & hostium coërceamus impetus, abstineamúsque à gravincibus delictis, ut observat D. Bernardus in cœna Domini, ubi ait, *Duo illud sacramentum operatur in nobis, quatenus & sensum minuit in minimis, & in gravioribus peccatis consensum omninò tollit,* qui enim ad hoc accedunt sacramentum debita præparatione vires enancifcuntur, ne statim tentationibus succumbant; & cautiores, ac vigilantiores progrediantur: & conscientia sic detersa internam accersit lætitiam, quâ perfunditur, unde & ipsum Concilium Tridentinum hoc idem edocet, inquiens: *Ipsa verò hujusmodi confessionis difficultas, ac peccata detegendi verecundia gravis quidem videri posset, nisi tot, tantisque commodis, ac consolationibus levaretur, quæ omnibus dignè ad hoc sacramentum accedentibus per absolutionem certissimè conferuntur,* quia conscientia emaculata verâ lætitiâ eos perfundit, ac interna beat consolatione.

De Bapt. & ablut. ped.

Sess 14. cap. 5. & 6.

Imò id etiam luminis impertitur, quo peccata, & eorum origines faciliùs dignoscuntur, & cùm notitia delicti initium sit emendationis, & viam ostendat salutis, nulli dubium, quin beneficio sacramenti pœnitentiæ viam sibi delinquens adaperiat salutis, se ipsum enim quantum potest, coarguit, sua in se inquirit delicta, accusatoris simul, & rei officio fungitur. Imò & Judicis cùm se ipsum damnat, ut absolutionem obtineat, quin & deprecatoris partes agit, Deúmque enixim rogat, ut lumen, quà sit eundum, ei impertiatur ad technas, & insidias hostis declinandas, & cum Davide ait: *Illumina oculos meos, ne unquam obdormiam in morte, ne quando dicat inimicus meus, prævalui adversus eum:* hæc autem lumina ei à confessario suggeruntur, ad vitia præcavenda, & tantò sunt efficaciora, quantò non pluribus dicuntur, sed uni soli inculcantur; quòd verò hæc sacra exhomologesis vices augeat validiores, quibus conscientia munitur à sordibus abstersa ad prosternendum hostem vaterrimum, ac inquilinum, seu carnis concupiscentiam nostræ insidiantem pudicitiæ, ex eo citra dubium est; quia nunquam hoc repetitur sacramentum, quin novum semper divinæ gratiæ addatur augmentum. Idque causæ, cur Pipinus refe- 5.

Psal. 12. v. 4.

Lib. medit. cap. 37.

Lib. 1. cap. 2. referente Stephano Abbate, sub Dagoberto Galliarum Rege supremus aulæ Præfectus, vir probatissimæ vitæ, ac famæ integerrimæ, qoique propterea Regum diceretur disciplina; quoties de noxis venerat confessurus nudis semper pedibus ad hoc sacrũ accesserit tribunal, ut ex pedum nudatione disceret, cuncta cordis sui arcana, nævósque omnes, ac cogitationes sacerdoti adaperire, ipsúmque noxarum pœnitere, quo uberiora susciperet gratiæ incrementa, auctísque viribus validiùs obsisteret mundi, carnis, ac cacodœmonis assultui, & Deo magis placeret; cui quantò plus displicet impudentia peccantis, tantò magis placet verecundia confitentis; cui propterea suum suppeditat lumen, quo pericula clariùs videat, quæ declinet: hinc D. Bernardus loquens de beneficio, quod nobis per hoc pœnitentiæ sacramentum coofertur, ait: De inter. dom. cap. 8. *Omnis spes veniæ, & misericordia in confessione est; nec potest quis justificari à peccato, nisi priùs fuerit confessus peccatum; ex eo unusquisque justus esse incipit, ex quo sui extiterit accusator.*

6. Vasa fictilia, qui per loca defert declivia, ne cadat, & oe quæ defert vasa confringántor, cautè ambulat, passus numerat, pedes nonoisi tutè movet; Profectò castitas, & pudicitia sunt in nobis veluti vasa vitrea, quæque levi illisu, & franguntur, vel vitiantur; nonoisi cautè nos oporter incedere; qoia vix est, qui recuset esse cautus: hanc verò cautelam nos edocet, simúlque soppeditat frequens sacramentalis confessio, quâ coofcientia emaculatur; & lilium castitatis roscido lachrymarom imbre irrigatur uberiùs, & radicatur feliciùs; neque aliam putes causam esse, cur cacodœmoo technarum subdolus Magister eoixim laboret, quò sacram exhomologesin, seu piacularem coofessionem nobis suggerat gravem, ac tœdium pariter ingerat, negotia obtrudat, omnémque moveat lapidem, ut vel rarò, vel frigidè sacerdotem adeamus. Cavendum est; ne hisce cacodœmonis capiamur technis, minutissimas quásq; caveamus noxas, si nolimus in majores prolabi, quia ut ait Sapiens. Eccles. 19. v. 1. *Qui spernit modica, paulatim decidet.*

## §. II.

### *Vera lætitia mentem non serenat, nec cor hominis tranquillat, nisi per frequentem exhomologesin culparum atra nubes, & noxarum caligines excutiantur.*

7. NOn solùm tersa, & resipiscentiæ lachrymis abstersa conscieotia nos cautiores efficit contra cacodœmonis technas, nobísque paratas insidias; verùm, & probos quosque io oobis excitat affectus, qoos fovet, ut virtutum faveaot culturæ, ut enim ait D. Bernardus. Lib. medit. cap. 37. *Omnia in confessione lavantur, conscientia mundatur, amaritudo tollitur, peccatum fugatur, tranquillitas redit, spes revivescit, animus hilarescit.* Proba quæque desideria, casti affectus, amor salubris, lætitia exultans, spes animum erigens, ac hilarescens ex uoa in nos derivant emaculata conscientia, quæ noonisi beneficio crebræ confessionis custoditur; sicut enim quotidiè aliquid contrahimus sordium, & quotidie levioribus saltem inquinamur noxis; ita necesse est, per crebram confessionom conscientiam abstergamus, quia nisi contractas statim sordes eluamus, radices hæ figunt altiùs, & excrescont valentiores. Quamvis David Regum optimus fuerit, ac studio addictus virtutum, quia tamen pœnitentiam distulerat, innumeris propemodum se viderat malis obrutom, aiebat enim. Psal. 39. v. 13. *Circumdederunt me mala, quorum non est numerus, comprehenderunt me iniquitatès meæ, & non potui, ut viderem. Multiplicatæ sunt super capillos capitis mei:* hæc mala, quæ Regium circumdederunt Vatem, sordes dixerim, qoas conscientia rariùs abstersa pœnitentiæ sacramento contrahit; si eoim statim non excutiantur, altius radices agunt, vires augent, crescunt, & aliæ plures iisdem accrescunt; inde fit, ut, Apocal. cap. 22. *qui in sordibus est, sordescat adhuc*, secus si crebra exhomologesi expurgetor cooscientia, & veræ resipiscentiæ lachrymis abluantur, & abstergantur ooxæ, quas contraximus, non solum oitor in ipsa affulget muoditiæ, ac virtutis; verùm etiam vera tranquillitas, & accersita lætitia suum ibi domicilium figuot, quia tunc, ut ait Bernardus. *Amaritudo tollitur, peccatum fugatur, tranquillitas redit, spes revivíscit, animus hilarescit.*

Conscientiam, si cupis hilarem, ac vero serenatam gaudio, emaculatam effice; tolle noxarum caligines; absterge culparom sordes; nubes omnes pravorum affectuum excute, ac dissipa; tunc interna ejus serenitas intus ridet, simúlqoe Deo arridet: tranquilla esse oeqoit conscientia, si morsus seotiat delictorum; si vermes experiatur synderesis, quibus dirè lacerar. Licèt leves sint noxæ, quas contrahimus, grave tamen nobis adferuot incommodum, cùm internam abigant quietem, animíque tranquillitatem cogant abire extorrem; habent & leves noxæ suas morsiunculas, & quamdiu has ferre mens adigitur, tamdiu à vera retrahitur quiete, ac læritia, & vix serio hilarescit: ubi morsus, & puncturæ, ibi molestiæ non desunt, oeq; verè potest lætitiâ perfundi conscientia, nisi à quovis verme, qui intus laocinat, sit ex integro libera. Hioc quibus cordi fuit conscientiæ quies, cordis lætitia, & animi tranqoillitas, sive mares, sive fœminæ, in id iocobuerunt studii, quò crebriùs conscientiam sacra expurgarent exhomologesi, imò fueruot, qui quotidiana etiam coofessione animam lustrarent. Falluntor igitur, séque illi decipiunt, qoibus volope, ac jucundum est sordibus mergi, & conscientiæ negligeotes munditiem, eò faciliùs se sordibus coioquinant, quò flocci, vel nihili faciant 8.

munditiem cordis, ac pudorem frontis: non modica est humanæ nostræ voluntatis inconstantia, ac pravitas, & nisi novis quotidiè stimulis ad rectum agatur, in obliqua tendit, & ad noxia diffluit: textiles in domûs angulis araneorum rotæ argumenta sunt, quæ clarè evincunt, parietes negligi, & vel nunquam, vel nonnisi rarò abstergi, ac scopis purgari: quæ rarò eluitur conscientia, & expurgatur, varijs non potest non sordescere noxis; & sicut vitant, fugiúntque araneæ ea cubicula, quæ ancillarum sedulitas everrit creberrimè: ita mundior est, ac ornatior ea conscientia, quæ frequenter, ac pluries in hebdomade ad pedes se abijcit sacerdotis confessioni peragendæ.

9. Quamvis sit dexterrimè exasciata cithara, nisi tamen fidium discordia ad leges semper concilietur musicæ, ac probi concentûs, dissona semper voce respondebit pulsanti: quin & nix ipsa, si diutiùs detineatur in valle sordes contrahit, & à suo deficit innato candore. Quamvis linteamina nivium videantur albedinem æmulari, nisi tamen sæpius laventur, usu, & ipsa sordidantur, & atrorem contrahunt. Hisce dissimilem haud dixerim conscientiam, nisi sæpius in sacramentali confessione aquis lavetur lachrymarum, nisi crebrò abluatur, & expurgetur; impuritates, sordes, & maculas contrahit, quibus inficitur, & sordescit, nec ampliùs vero ridet gaudio, nec cœlitibus arridet, quia vera lætitia nonnisi in munda, ac emaculata residet conscientia. Injustè plures conqueruntur, eò quia verum, quod quærunt gaudium, minimè enanciscuntur, quia ubi non est, nec esse potest, illud quærunt: non invenitur in theatris, nec in choreis, nec in mundi voluptatibus, nec deliciarum illecebris; sed in nobis ipsis tantùm reperitur; si conscientiam tueamur emaculatam, hæc sola est, quę veram ingenerat, ac ingerit hilaritatem: cæteræ hilaritates, quas ludicra spectacula, mundi cantus, lusus instituti, choreæ, theatra, venationes exhibent, pectus non implent, sed extimam frontis cutem tantùm remittunt, in sola sistunt superficie, nec cordis pervadunt intima.

10. Quidquid extimè corpus demulcet, veram nequit lætitiam ingerere: imò terrena gaudia corruptæ sunt lætitiæ, quæ lætantes tristiùs inficiunt, non lætè afficiunt; si corrupta est lætitia, eos corrumpit, quos corripit: nil in mundo integrum, nil non infectum, at corruptum, & non solùm corruptum est mundi gaudium, sed & eos corrumpit, quos afficit: hint nos monet D. Augustinus, ut hujusmodi gaudia perinde satagamus evitare, ac venenum ipsum: ait ipse, *hac gaudia veluti venenum diaboli repudiare debemus, quia non solùm corpus, sed etiam animam necare festinant:* veneno patiantur, quæ mundus in suis voluptatibus gaudia exhibet; tametsi aliquid videantur præseferre dulcedinis, quâ alliciunt; lethaliùs tamen inficiunt; hoc venenum apparat

*Lib. 6. de salutarib. document. cap. 11.*

hostis tartareus, quò mortem hominibus inferat; declinandum omninò est venenum istud, quod Diabolus miscet, ut bibentes perimat; & eò lethaliùs, ac tristiùs officit, quò blandiùs allicit, magisque placet; ut quò minus putatur nocere, eò perniciosiùs noceat. Non à mundo, sed ab authore mundi dimanat vera lætitia, & in sola germinat emaculata conscientia: frustra circuis per mundi delicias, ac voluptates, ut veram adinvenias lætitiam, quæ nonnisi in solo Deo invenitur, qui Opifex est veri gaudij, ut scitè Philo infert ex Isaaci divinitùs promissâ nativitate, inquiens: *Opifex est Deus boni risus, & gaudij, itáque Isaac non vulgariter genitus, sed operante Deo credendum est, nam si risus Isaac intelligitur, risus autem factor est solus Deus.*

*Lib. quòd deterior insidietur potiori.*

Fallitur igitur, qui veram lætitiam censet extra Deum factam: eo enim, quòd ab alio, quàm à Deo est facta, ficta est, non vera, non probata, sed fucata; neque potis est hominis implere voluntatem, quæ cum condita sit ad normam divinæ, si suos expandat sinus, impleri nequit nisi à summo bono, sitque propterea illi minus, quidquid est infra Deum. Quàm fatui, & deliri, qui hisce mundi fluxis molem nituntur veræ lætitiæ substruere? ædificant sibi ruinam, qui lætitiæ fabricam fluxis, ac caduris inædificant; ubi cuncta fluunt, & ad interitum pergunt, nequit humana voluntas quiescere; egenæ sunt creaturæ omnes utpote sibi minimè sufficientes: quod si sibi non sufficiunt; quomodo alijs dicentur sufficere, ac verum efficere gaudium? tametsi creata omnia simul congeras, quia adhuc egena sunt, & sibi insufficientia non valent voluntatem implere, nec illi sufficere, cùm sibi minimè sufficiant; proinde nec verum possunt in mentem gaudium invehere; quia si gaudium sit plenum, totúmque expleat voluntatis sinû, extranei gaudij quidquam in ipsa non admittit: qui plenè gaudet, plenè, & contentus dicitur, & is plenè contentus est, qui continet, quidquid potest continere, seu exoptare; & quia omnia extra Deum perquam exilia sunt voluntati, & insufficientia ejus desiderijs explendis, sequitur veram lætitiam nonnisi à solo Deo in nos derivari, & in sola tersa, & emaculata conscientia foveri, ac suas radices agere; quamvis cuncta creata se expliteant, inflent, porrigántque, contracta tamen semper sunt, & humanæ voluntati explendæ insufficientia; cujus capacitati solus Deus aptari potest, cùm solus totam ejus valeat cavitatem implere, & capacitatem explere; sitque propterea voluntati minus, quidquid minus est Deo, quia cum sibi non sit sufficiens, nec humanæ potest voluntati sufficere, appositè S. Laurentius Justinianus in fasciculo amoris. *Quod satis sibi esse non potest, alijs quomodo sufficiet? creaturarum inopiam insinuat hoc, atque universa non ad fruitionem, sed ad usum fuisse condita manifestat; porro lex ista lex est sapientiæ, quæ* 11. *Cap. 3.*

nati-

*quâ naturale eruditur ingenium, ut non aliunde sua velit capere peregrinationis solatium, quàm è suo, atque omnium Conditore.*

12. Tametsi taceant creaturæ, propriam tamen loquuntur inopiam, fatentur insufficientiam veræ lætitiæ ingenerandæ, hæc enim à solo Deo est; ille solus est mentis nostræ lætitia, qui mentem nostram condidit; & ille solus vero gaudio cor nostrum afficit, qui cordi illabitur nostro; solus, qui mentem condidit, mentem potest verâ lætitiâ suffundere; quidquid est infra ipsum, extra veri gaudij est limites; ut facilius ex pumice possit aqua elici, quàm à terrenis rebus veræ lætitiæ aptata materia: illud verum, & solum est gaudium, quod non de vacuo creaturæ puteo, sed de pleno Creatoris fonte hauritur; in Deo solo vera quærenda est lætitia, non in rebus fluxis, quæ lachrymis eliciendis aptiores sunt, quam veræ lætitiæ invehendæ; quapropter, cum id minimè regium Vatem latuisset, ajebat. *Lætabor, & exultabo in te*, non dixit, lætabor in ludicris mundi spectaculis, neq; in ludis theatralibus, gulæ delicijs, concupiscentiæ lenocinijs, divitiarum affluentijs, dignitatum splendoribus, vestium cultu, saltatorum tripudijs; sed *in te*: signatè dixit *in te*, quia si extra Deum in rebus fluxis, ac interitui obnoxijs veram quæsiisset lætitiam, extra veram fuisset lætitiam, nec potuisset gaudio perfundi; ideóque signatè dixit: *Lætabor, & exultabo in te*, quia ut ad rem nostram appositè Augustinus expendens verba Regij Vatis ait, *Non jam in hoc sæculo, non in voluptate contrectationis corporum, nec in palati, & linguæ saporibus, nec in suavitate odorum, nec in jucunditate honorum transeuntium, nec in formis corporum variè coloratis, nec in vanitatibus laudis humanæ, nec in conjugio, & prole moritura, nec in superfluis temporalium divitiarum, nec in conquisitione hujus sæculi, sive quæ locorum spatijs tenditur, sive quæ successione temporis volvitur, sed lætabor, & exultabo in te; videlicet in occultis filij, ubi signatum est in nobis lumen vultus tui Domine.*

Psal. 9.

Psal. 9.

13. Est hoc lumen in corde nostro obsignatum, quo rectè ambulamus, ac Deo placemus: & quo totum corpus fit lucidum; eò quia oculus, seu conscientia fit simplex, & emaculata, & nonnisi pios in Deum affectus suggerat: omnes enim puri, piique affectus à conscientia prodeunt emaculata, ait Servator. *Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit*, fuisse Christum hîc locutum de pio affectu, & recta intentione, quâ, qui conscientiam habet emaculatam, operatur, expressè fatetur D. Augustinus, quia cum Magister Christus paulò ante de precibus, eleemosynis, jejunijs dissetuisset: ne quis suarum precum, stipis, aut jejunij vim omnem eliderct vanis aucupandis rumusculis, ac futilibus populorum laudibus, adjecit similitudinem de oculo simplici, ac puro, qui si nitidus sit, clarus, vegetus, plenúsque spiritu, corpus circumfert secum etiam vegetum, ac vivifica luce perfusum.

Luc. cap. 11. v. 16.

Quòd si oculi sint male affecti, læsi, seu obliquè aspicientes, lusci, lippientes, crassiori tunica obducti, ægritudine laborantes, totum corpus est miserum, ac infra domesticas nebulas ingemiscit: pari pacto si conscientia sit emaculata, si intentio sincera, & affectus purus ab omni falsæ gloriolæ umbrâ defœcatus; preces itidem, eleemosynæ, jejunia à vitiorum fece discreta; ut pio in Deum solum infotmentur affectu, necessè est: sin verò conscientia non sit emaculata, nec affectus pius, & purus, tales etiam sunt hominis actiones: est enim in homine affectus, & intentio, quod in arbore radix, quæ in fructus è ramis pendulos suas diffundit qualitates; prout enim radicis succus, dulcis est, vel amarus, fructum dulcedine affectum, vel amaritudine infectum producit, quapropter Apostolus ait: *Si radix sancta, & rami*: quia ab una radice succum hauriunt rami, & fructus, quo nutriuntur, & incrementum subeunt; unde qualis est radicis succus, talis & fructuum: perinde ac arbor suas in sinu telluris radices agit, ut conferat soli fœcunditas ad arboris feracitatem; ita etiam pius affectus suas in emaculata conscientia radices figit; & quæ ex ipso prodeunt, operationes fructus sunt, qui procul dubio dulcescunt: sicut quæ prodeunt actiones è depravato affectu, & conscientia varijs sordescente noxis, ac vepretis vitiorum sterilescente; nonnisi pravæ sunt; quia qualis est radix, tales, & rami; qualis est conscientia, intentio, & affectus, qui sunt veluti radices humanarum actionum, tales istæ sunt; sicut enim scaturientes è fonte rivuli latices exhibent sitientibus ejusdem cum fonte saporis, & qualitatis; ita & humanæ actiones ejusdem sunt bonitatis, vel malitiæ cum probo, vel pravo affectu; mala, vel recta intentione, & conscientia: quapropter monebat Augustinus. *Non valdè attendas, quid homo faciat, sed quid, cum facit, aspiciat.* 14.

Ad Rom. cap. 11. v. 16.

In Psalm. 31.

Elargitur pauperi pecuniam, qui divitijs affluit, nullus propterea inde sensurus impendium, sed ut aliquid videatur ab alijs bonum opus exercere, seu ut inde aliquid vanæ gloriolæ aucupetur; opitulatur alius pauperis indigentiæ, sed cum mediocris sit fortunæ, incommodum sentit, sed ut soli Deo placeat jubenti levare pauperum miserias, suam impertitur pecuniam, quæ utrique eadem est; sed quia affectus non est idem, & intentio varia, ita & ejusdem operis fructus dispar; pulchrè Seneca ait ad rem nostram: *Non in facto laus est, sed in eo quemadmodum fiat. Eadem res, si gulæ datur, turpis est; si honori, reprehensionem effugit. Amico ægro aliquis assidet, probamus. At hoc si hæreditatis causâ facit, vultur est, cadaver expectat. Eadem & turpia* 15.

Epist. 95.

*sunt, & honesta: refert, quare, & quemadmodum fiant: ergo infigi debet persuasio (seu affectus) ad totam pertinens vitam talis, qualis iste fuerit, talia & quæ agentur:* ut recta sit vitæ nostræ institutio, oportet, ut è conscientia tersa, ac emaculata pius prodeat affectus, qui solum Deum aspiciat, in Deum solum tendat, & Dei gloriam sibi proponat scopum; tales sunt, *qui*, ut ait

Ad Ephes. 6. Apostolus, *non ad oculum servientes, quasi hominibus placentes, sed ut servi Christi facientes voluntatem Dei ex animo: cum bona voluntate servientes, sicut Domino, & non hominibus.* Talis est amor, quo habens conscientiam emaculatam, Deum amat operando; quatenus, quæ exercet opera, in solùm Deum dirigit, & ideo Deum amat, quia propter Deum duntaxat, operatur: purus est, ac sincerus noster affectus, si in quavis actione nostra Dei honorem, proximi utilitatem, & emaculatam quærimus conscientiam; non enim homo sibi duntaxat vivit, sed in commoda etiam aliorum: unde qui sibi tantùm invigilat, stertitque, ne alios juvet, is suum non obit officium, quia scitè

Epistola 48 scribit Seneca. *Non potest quisquam beatè degere, qui se tantùm intuetur; qui omnia ad utilitates suas convertit: alteri vivas oportet, si vis tibi vivere.*

16. Ubi affectus anhelat ad nummos pecuniis inhians, ibi hospes non est charior, quàm pecunia: tunc affectus est probus, cum ad Deum est perseveranter reflexus, est talis affectus oculus ille simplex, quo totum corpus splendescit, est illa intentio, quâ actiones omnes nostræ in solum Deum, ut in proprium collimant scopum, & per quam Deo vivimus, ut Regius Vates, qui hoc insigni-

Psal. 21. v. 31. tus affectu ajebat. *Anima mea illi vivet,* & quia hunc integit affectum fovere, ac emaculatam cum ipso tueri conscientiam ad-

Psalm 100. v. 3. debat. *Non proponebam ante oculos meos rem injustam:* & quia justitiæ adhærebat, nonnisi vias rectas perambulavit; non itineris rectitudo vias sternit rectas, sed affectus probus, quique in suum Deum collimat: etiam D. Paulus justus fuit, *& Dominus duxit eum per vias rectas, & ostendit illi Reg-*

Sapient. cap. 10. v. 10. *num Dei*, & tamen per quot non ambulavit ipse ambages? per quot non circuivit amphractus, ac obliqua itinera? Judæus fuit, inde Pharisæorum Discipulus, & sectæ ad quam informabatur tenacissimus, mox è Discipulo inauguratur Magister; fervens fuit Pharisæus, & pertinax Rabbinus christianorum insecutor, ac sævus persecutor. *Ut*

Actor. cap. 9. v. 2. *si quos invenisset huius viæ viros, ac mulieres vinctos perduceret in Jerusalem*, sed victus ipse, & ab equo in terram prostratus, simulque vinctus Dei gratia ex Rabbino fit Discipulos Ananiæ, mox christianus, & Doctor gentium, in omnes orbis partes proficiscitur, terrarum tractus percurrit, marium sinus traijcit, pluribus fit obnoxius periculis, procellis, ac naufragijs, urgetur ærumnis, pulsatur calumnijs, detruditur in carceres, insidias illi apparant nunc latrones, nunc falsi fratres, & in caput conjurant mare procellis, terra periculis, aër tonitruis, ac fulminibus, jàmque in navi, in carcere, solitudine, urbibus, contrarios prorsus experitur eventus; nunc virgis cæsus, nunc lapidibus diverberatus, & tandem Romam veniens caput amittit, quò cœlum lucraretur: tametsi sinuosæ fuerint Apostoli semitæ; plena amphractibus, & meandris, ac ambagibus ejus itinera; rectè tamen semper ambulavit, quia probo semper, ac pio affectu in summum bonum egit, suásq; omnes operationes in solum Deum direxit: non igitur obliqua, & plena ambagibus, ac amphractibus fuit via D. Pauli ad cœlum, sed rectissima, & semper eadem, ratione pij, ac sinceri affectûs prodeuntis ab emaculata conscientia, & in Deum solùm tendentis: hæcq; est nsita ad cœlum via, per quam rectè semper ambularunt omnes sancti culturæ virtutum, ac proborum affectuum addicti; propterea dixit Salomon. *Justum deduxit Dominus per vias rectas, & ostendit illi Regnum Dei.* Sapien. c. 10.

17. Cæterum pericula frequenter in fluctibus maris, & terræ itineribus Apostolo imminentia, varij casus incerti, ac mali eventus, ærumnæ, ac persecutiones, quibus divexabatur, non exitio; sed exercitio ei fuerunt virtutis: cùm militia sit vita hominis, adversarios Deus permittit, contra quos nos ad victoriam erudit; nil frequentiùs in bello, quàm tortuosos moliri aggeres hostilia struere vaframéta, pugnas instituere, hostes lacessere, & punctim, cæsim vulnera infligere: sed si tellus repente madet sanguine, irrigatur uberiùs ad lauros triumphales, palmásque victrices: neque victor licèt crebra objerit pericula, plures subierit labores, non tamen à recta deflexit victoriæ via: imò militiæ Præfectus, si bellicam callet artem, & obsidione urbem cingit, non directa via, sed curvis suffossionibus, ac obliquatis itineribus accessum ad urbis mœnia sibi apperit; quid ni exercituum supremus dux per obliquatas ærumnarum, ac calamitatum vias ad cœlestem Jerusalem nos duxit; neque desistimus rectè procedere; si conscientia emaculata, probóq; ac simplici in eum feramur affectu.

## §. III.

### *Pius, ac purus affectus in Deum pretium dat nostris actionibus; licèt Deus manûs velit effectum, pluris tamen facit cordis affectum.*

In id debemus incumbere studij, quò in singulis operibus noster à quavis terrestri labe defæcatus affectus in solum collimet summum bonum, & actiones singulas ad eum dirigat finem, quem divina lex suggerit: *Parum prodest*, ait D. Laurentius Justinianus, *ardua tractare negotia, cum Principibus, & Regibus familiariter conversari, sanctitatis, & scientia celebre nomen acquirere, & non probo affectu id agere*, si per eleemosynæ elargitionem pauperum opitulemur indi- 18. De regimine Prælat. cap. 22.

indigentiis, Deus cordis magis affectum, quàm extraditæ pecuniæ effectum respicit, ac pensat: optat quidem effectum manûs, sed magis affectum cordis: idque causæ, cur priscæ legis inter cæteras monias, quas Deus ab Hebræis exigebat in sacrificiis instituendis ea una erat ex præcipuis; manum victimæ imponere; non tam pedes ad aram movere, quàm manus ad hostias admovere: *Ponet*
Levitic. c. 1. v. 4. *manum suam super caput hostiæ, & accepta. bilis erit*, non parum sudant sacri Interpretes in causa disquirenda, cur exegerit Deus hanc manûs super caput hostiæ impositionē, quo sibi foret sacrificium gratum, & offerenti utile. Censet Oleaster, voluisse Numen hac manûs impositione super caput hostiæ non solùm opus subindicare manûs, sed & affectum cordis, ad quem præcipuè respicit Deus nullius victimæ, nec rei externæ indigus, cùm sibi sit sufficientissimus: *Id igitur à nobis Deus exigit*, ait Oleaster, *ut sacrificaturi non solùm hostiam offeramus, sed & nos ipsos cordis affectum, ac piam voluntatem adjungamus:* quia solæ pecudes, si per se spectentur, nec Deo videntur acceptæ, nec offerenti fructuosæ, sed probus affectus ab emaculata oriens conscientia, puróque corde dat hostiis, & victimis pretium: hinc D. Augustinus expendens illud
Psalm. 55. v. 13. regii Vatis: *in me sunt Deus vota tua*, ait: *quæris quid des Deo? non animalia aris oblata: de cordis arca, de cellario bonæ conscientiæ, de te ipso profer te ipsum.*

19. Offeramus Deo cum hostia externi operis, munus interni affectus; offeramus defœcatam à quavis noxa conscientiam; hæc est quæ Deo immolatur hostia gratior; hoc à nobis expostulat Deus sacrificium; quamvis Christianorum sacrificia sint orationes, eleemosynæ, jejunia, mortificationes; non tamen vult Deus, has hostias simplices esse; sed exoptat, ut iisdem emaculatam addamus conscientiam, ac mansuetam pii, probúque affectûs, ut holocaustum fiat medullatum; haud absimile illi Regii Prophetæ cum dixit
Psalm. 65. *Holocausta medullata offeram tibi:* ubi Augustinus: *quid est medullata? intus teneam charitatem tuam: non erit in superficie, in medullis meis erit, quod diligo te:* nil nobis interius medullis nostris; nil intimius cordis affectu, ac emaculatâ conscientiâ, quæ nobis dumtaxat innotescit: non in superficie, sed ex cordis intimo debemus Deo litare, eique servire; quisquis tantùm exteriùs, absque interno cordis affectu Deo mancipatur in sola superficie extima Deum colit; & magis satagit hominibus placere, quàm Deo; & hic non offert holocaustum medullatum: ea opera, quæ agimus sunt holocausta medullata, quæ internus, ac probus cordis affectus dimanans è conscientia munda, & defœcata comitatur, ac informat: non delectatur Deus ossibus exsuccis, ac arescentibus; sed plenis medullâ, seu operibus pium cordis redolentibus affectum.

Plerique sunt, qui non modicum fundendis precibus tempus impendunt; templa frequentant, sacris intersunt, xenodochia visitant, jejuniis insolentiam carnis compescunt; afflictis sunt solatio; miseris levamini; lugentibus gaudio; sed parum, vel nihil medullæ hisce inest operibus; sunt enim alba quidem ossa, sed exsucca, emedullata, quia nullo fulciuntur pio affectu, ideóque humi repunt; quia alis destituuntur; quibus ad Deum subveherentur. Præ cæteris sacrificiis, holocaustum erat Deo gratum, quia totum Deo, ejúsque honori cremaretur, ac absumeretur: & sicut in lege veteri erant sacrificia ceremoniarum, vel victimarum, ac rituum differentiis distincta; ita nostra opera varia sunt, & affectuum discrimine differentia; quædam in nostrum etiam cedunt commodum, ut comedere, bibere, dormire; alia quæ ad solum Deum diriguntur, ac velnti holocausta instituuntur, ut sunt preces fundere, corpus jejuniis macerare, rebus divinis interesse, sacra se expiare exhomologesi, divinum sumere epulum: primi generis sacrificia parum sunt medullata, quia vix pio aliquo afficiuntur affectu; cum fames stimulat ejus latratus cibo sedamus, ac morsus coërcemus; cum sitis ardet, frigidâ, vel alio haustu ejus extinguimus æstum nec quid ultra cogitamus; si somnus sensus incipiat sopire, imus dormitum, nec quid aliud animo volumus; si aëris serena, ac blanda tranquillitas nos ad campum invitat, eximus spatiatum, vel per vireta pratorum, vel per umbriferas valles, vel apricos colles, & nil aliud in nostro versatur corde; & propterea hæc sacrificia, quia pio destituta affectu non sunt medullata; & parum prodest jejunium sine emendatione, eleemosyna sine commiseratione; preces ex ore fundere, & stipem è crumena persundere, si non adsint calentes affectus; ventris vacuitas, sine mentis pio ardore frigida est inanitas; sint holocausta nostra medullata probo affectu plena, utque talia sint effundamus coram Deo corda nostra, ut nos monet David inquiens:
*effundite coram illo corda vestra;* effundimus Psalm. 61. v. 9.
tunc cor nostrum cum pios, probósque affectus elicimus, quibus Deum prosequimur.

21. In sacrificiorum oblatione, victimarum immolatione, prohibuit Deus, ne sacerdotes sanguinem victimæ comederent, sed jussit totum ad aram effundi *Levit. c. 3. v. 7.* quia sanguis sedes est animæ, alimentū vitæ, & qui sanguinem adimit, animam prodigit: voluit nimirum Deus in omni nostro sacrificio, voluntatem, cor, & intentionem, veluti sanguinem coram se effundi, hoc est omnes nostros affectus è conscientia prodeuntes emaculata in ipsum dirigi, ne guttulâ quidem in alios usus reservatâ. Cum igitur oramus, jejunamus, eleemosynas elargimur, sacris intersumus, in solum Deum noster ascendat affectus, ei soli toto corde adhæreamus.

Operis effectus tanti à Deo pensatur, quanti cordis æstimarur affectus; est nnn manûs fusio, sed cordis effusio, quæ nostris dat operibus pretium: lex olim edicebat: *omnis* (Levit. c. 27. v. 25.) *æstimatio siclo sanctuarii ponderabitur*; hæc enim sola pondera sallaciarum erant experţia: ita dixerim opera nostra non ponderantur opinione vulgi, neque æstimantut ex oitore, ac superficie exteriori; neque oculorum indiciis persæpe à vero errantibus; sed ex solo cordis affectu, quem emaculata conscientia gignit, ac fovet. Ad Numinis altare accesserunt munus oblaturi Pharisæus jactabundus, ac divitiis affluens; & vidua Hebræa inopiâ laborans: ille fronte erecta, magno strepitu plures profudit pecunias; hæc verò æra duntaxat duo, & quidem minuta, corde humili posuit super altare: & tamen, quia Pharisæus superbiente fastu plures illas erogavit pecunias; & vidua humili quidem accessu, exiguo effectu, sed pleno ardens affectu sacram adivit aram, longè pluris Deus fecit duo hæc viduæ minuta, quàm totam illam argenti molem, quæ à Pharisæo jactabatur, quia apud Deum pluris censetur affectus, quàm æstimetur effectus.

22. Plurimum videbantur præseferre ponderis, & momenti Pharisæi in templo se laudantis, preces, jejunia, eleemosynæ, quæ tamen licèt in extimo cortice aliquid viderentur nitoris ostendere; nil tamen intus habuere pretij, quo vel discolorem æquarent lapillum: id interfuit discriminis duo inter hebreæ viduæ æra minota, & prægrandem illam Pharisæi argenteam molem; quia munusculum viduæ ex intenso oriebatur affectu, quem conscientia emaculata, & Deo placens intus fovebat in animo, & quia apud Deum affectus est, qui pretium nostris impertitur operibus; longè inopis viduæ munusculum Pharisæi superavit plures argenteas pecunias, eò qoia nullum hæ ex probo affectu pretium habuerunt; sed potiùs vana, quæ ipsi inerat jactantia, ac gloria totum evacuavit pondus: & quia tartareus hostis optimè novit, omne nostris operibus pretium à probo affectu, quem fovet emaculata conscientia ptocedere; omnem nititur lapidem movere, quo probum hunc affectum vel omnino subtrahat, vel saltem inficiat, minuátque: scit Numen sibi vel maximè de nostro complacere affectu, qui è purgata, ac simplici proficiscitur conscientia: hinc sacer sponsus suam alloquens sponsam ait; (In Cant. c. 4 v. 9.) *Vulnerâsti cor meum soror mea sponsa; vulnerâsti cor meum in uno oculorum tuorum*; & *in uno crine colli tui*: oon quòd sponsa vulnus aliquod inflixerit sponso, sed quia in uno oculorum cor ejus rapuerat: ait enim Tertullianus Salomonem alludisse ad laudatum illum io oriente morem mulierum, quæ honestatis tuendæ causâ nonnisi operta facie uno duntaxat detecto oculo in publicum prodibant; cumque sponsus hunc in fœminis morem commendaret, eò quia honestati tuendæ esset accommodatus, ideo ab uno hoc oculo se raptum fatetur in amorem pudibundæ, ac verecundæ sponsæ, *Vulnerâsti cor meum soror mea sponsa: vulnerâsti cor meum in uno oculorum tuorum.*

Verùm omissa hac Tertulliani expensione; ad rem nostram exactiùs alij per oculum cordis interpretantur affectum, & per capillos mentis cogitatiooes intelligunt: 23. mira est oculorum concors motus, & aspectos, cùm uterque pari semper passu gradiatur, nec sinister à dextro unquam dissentiat, nec in diversa abeat, simul enim uterque in idem fertur objectum, illúdque ambo simul aspiciunt, oec inter illos, est ea dissensio, ut unus cœlum suspiciat, & alter terram inspiciat: hæc eadem unitas, & consonantia se prodit in capillis, qoi in capite omnes in eundem componuntur ordinem, & simul unus videri possit ab alio discretus: & sicut in homine nil esset deformius, nil turpius, quàm discors oculorom varietas; si unus cœlum suspiceret, & alius humum inspiceret, vel alia torvitate in diversa ferrentur; ita affectus nostri cordis, tunc eur Numinis vulnerant, seu rapiunt, cùm hanc servant consonam unitatem, quâ simul in Deum feruntur, & in ipso solo quiescunt, in quo suam adinveniunt metam: oon placent Deo humani affectus, si unus in cœlum tendat, & alter deorsum feratur in terram; unus Deo adhæreat, & alter divitiis inhiet, lucrum sitiat, carnis delicias appetat; est enim hæc torvitas oculorum, quæ Numini displicet: & sicut hæc in affectibus cordis in Deum consonantia est, quæ cœlestis spoosi cor rapit; ita & hæc unitas, ac consonantia in capillis, seu mentis cogitationibus, ei debet consona esse, quæ in cordis relùcet affectibus.

24. Haoc consonantiam, ut Deus nos edoceret sibi pergratam esse, jussit in Abrahami (Genes. 15. v. 10.) sacrificio, ut aves simul cum animantibus immolarentur, eo tamen discrimine, ut bruta animalia in plura concisa frusta, & aves integræ sacrificio deservirent; & per aves humani designantur affectus, qui sursum, deorsum, rectè, obliquè, ad dextram, ad sinistram feruntur; prout magis homini libet, & huic potiùs, quàm alteri adhærescit objecto; per bruta animalia verò nostra subindicantur negotia, quæ quamvis dividat homo in plura frusta, quatenus pluribus intentus curas suas partitur in rem domesticam, publicam; & curas varias suscipiat in uxorem, liberos, familiam, subditos: debent tamen affectus per aves designati suam servare integritatem, & non dividi, ut eorum aliqui dentur Deo, alii mundi voluptatibus; debent omnes affectus nostri uno, eodémque ordine ad Deum tendere, & ipsum solum intendere: non placet ooster affectus, si in plura divisus partim Deo, & partim muodo, ejúsque voloptatibus donetur.

Quod per oculos humani designentur affectus, qui si probi sint, cor cœlestis sponsi 25. rapiunt, innuit ipse sponsus, *vulnerâsti cor meum in uno oculorum tuorum*, seu probo,

ac fimplici tuo affectu; fed cacodæmon in id
incumbit ftudii, quo probitatem à noftris a-
bigat affectibus, nobifcum amicitias iuit, &
commoda, ac voluptates fpondet, dummo-
do oculum dextrum, feu probum ac fimpli-
cem affectum, quo in Deum tendimus, vel
corrumpat, vel omnino extinguat; & pa-
ctum imitatur, quod inivit Naas cum
viris Jabes Galaad, qui enixim rogârunt, ut
vellet habere fibi confœderatos, fponfione
data fe impofterum Regi fervituros, quibus
1. Reg. c. 11. Naas Ammonites repofuit: *In hoc feriam
vobifcum fœdus, ut eruam omnium veftrum
oculos dexteros*, erat ferocientis Regis defide-
rium miferos illos fibi novo fœdere junctos
ad bellum prorfus inutiles efficere; & quia
finifter oculus tegebatur clypeo, dextrum
volebat erutum: idque propterea agebat,
ut non folùm vincere dedifcerent, fed & pu-
gnare diffuefcerent. Hoc idem tartarearum
legionum Princeps exequitur cum iis, quos
fibi amicitiâ devincit, & fœdere jungit; e-
ruit ipfis oculum dextrum probi affectûs, ac
rectæ confcientiæ, feu oculum fimplicem,
qui ad folum Deum dirigitur: & hoc femel
eruto oculo, avulfo probo affectu, & variis
fœdatâ noxis confcientiâ epinicia fibi occi-
nit Sathan, quia hominem jam proftravit,
ac miferè debellavit, quia oculo illo caret,
quo folo utitur homo ad pugnam contra ip-
fum, & quo folo recta fertur in Deum.

26. Id enixim curemus, quò per probos
affectus, & confcientiam ematulatam ad
Deum jugiter curramus, nec finamus noftros
affectus ad alia diftrahi, nec extra Deum di-
fcurrere: ea enim fola velocitas datur lau-
di, quæ ubi juffa eft, veftigium fiftit; nec
ultra deftinata percurrit: & motus noftro-
rum affectuum tunc commendantur, cùm ul-
tra à recta ratione præfcripta non feruntur,
neque contra ejus præfcripta ad alia diver-
tuntur: tunc enim à fua deflectunt probita-
te, quia à Dei fe avertunt bonitate: animi
motus tunc funt probi, cùm recta ducuntur
Lib. 2. de ira cap. 35. ratione, ait Seneca: *Ægros fcimus nervos effe,
ubi invitis nobis moventur*: & tunc noftri
affectus ægrotare dicuntur, cùm non arbi-
trio noftro, fed fuo proprio feruntur impe-
tu; tunc enim impingere incipiunt, & elabi,
quia rectà non incedunt: fi femel in Deum
tendant nunquam debent defiftere. Jacob
Patriarcha exul, ac peregrinus in fuga ad
Mefopotamiam, cubat nuda fuper humo,
fuppofito capiti prædnro lapide, & fomno
fopitus arcanam myfticè fcalam videt, fimúl-
que Deum fibi fpondentem tutelam femper
beneficam: excuffo mox fomno Jacob votum
Genef. 28. v. 21. inibi vovet: *Si fuerit Deus mecum, & cufto-
dierit me in via, per quam ego ambulo, &
dederit mihi panem ad vefcendum, & vefti-
mentum ad induendum, reverfúsque fuero
profperè ad domum patris mei, erit mihi do-
minus in Deum*. Nil novi videtur Jacob vo-
viffe, cùm promiferit Deum habere in Nu-
men; erit mihi Dominus in Deum; vovit
enim exinceps habiturum in Deum eum,
quem ab incunabulis ut Deum coluerat: fed
non putemus ludere voluiffe Patriarcham in
voti fui emiffione; hac enim Dei promiffio-
ne, ac fpe erectus, fi Deus, quæ petierat,
effet daturus, vovet Dominum habiturum
in Deum, & quidem eundem, quem à puero,
ut Deum femper coluerat: vovet voti com-
pos eandem deinceps religionem colere,
quam hactenus femper coluerat, & eadem
Numini exhibere obfequia, quæ antea fem-
per præftitit, ac firmiùs ftare in religionis
obfervantia; ac fi dixiffet: fi Deus me cu-
ftodierit in via, & dederit panem ad vefcen-
dum, & veftimentum ad induendum, & re-
verfus fuero profperè ad domum patris mei,
erit Dominus in Deum: feu in eadem reli-
gione altiùs veftigia premam; & firmiùs
Deo inferviam, ac ferventiùs, quàm antea:
unde licèt Jacob à puero Deum coluiffet, vo-
vet tamen novum, ac uberiorem profectum
per exactiorem virtutum culturam: quia
nofter affectus, quem emaculata confcientia
in Deum dirigit non folùm deflectere ab in-
cepto non debet inftituto; verùm & ferven-
tiùs eidem hærere: qui enim in exculta, ac
emaculata confcientia fuas probi affectus ra-
dices agunt, ita firmiter Deo adhærent, in
quem tendunt, ut aliò non ferantur.

Idque nos edocuit Ifaias qui refert, fe 27.
vidiffe Numinis folium, & plures Seraphin Cap. 6.
utrinque ftantes: *Vidi Dominum fedentem
fuper folium excelfum, & elevatum, & Seraphim
ftabant fuper illud: fex alæ uni, & fex alæ alteri,
duabus velabant faciem ejus, & duabus vela-
bant pedes ejus, & duabus volabant*: fed fi Sera-
phini ftabant juxta Dei folium, cur fimul &
volâffe perhibentur? ftare motum negat,
quem volatus adftruit: vetat enim ftationem
volatus, ac corporis prohibet quietem, quam
ftatio invehit, quid igitur? quòd Ifaias di-
cat, fe vidiffe Seraphinos ftantes fuper folium
Dei fedentis, & fimul alarum explicato re-
migio volantes? Non putârim Seraphinos,
quos vidit Ifaias, Numinis circumvolâffe fo-
lium; id enim Numini ibi fedenti non con-
gruiffet, & importunus, ac indecens fuiffet
volatus; fed dicendi funt alarum explicatu,
quafi volaturi, fed minimè volantes, firmiùs
in eodem fteriffe loco; ficut plerumque ita
in aëre aquilæ alarum expanfione librantur,
ut immobiles prorfus fiftant, tametfi extentis
alis volare videantur. Hic ftandi modus
defignat, Deo per probos affectus, purámque
confcientiam adhærentes, primò paratos effe
ad omnem Numinis nutum, agiléfque ad o-
mne ejus imperium: ex eo quod expanfis
alis ftent firmiùs, ingens produnt defiderium,
quo rapiuntur ad Deum videndum, ut in
eum fe totos immergant: alas fi librant,
affectûs indicant vehementiam, incendiúm-
que amoris, quo Deo propinquiores ardentiùs
æftuant, ac veluti uruntur, idcóque quafi
indigeant alarum flabello refrigerari, alas
expandunt. Scitè Oleafter expendens vi-
fionem

fionem Isaiæ ait: *Duabus volabant, id est sustinebant se in aëre*, quia per amorem, quo Numini adhærebant, immobiliter ei hærebant. Sub humana inducuntur forma Seraphini, quò luculentiùs homines prodant, qui per conscientiam emaculatam, & probos, quos fovent affectus, Deo adhærent; hi enim ita stant juxta Deum firmi, & immobiles, ut vel ipso volatu se in aëre medio videantur sustinere: & hæc ipsa statio volatus est, quo proximiùs ad Deum accedimus, cui ferventiùs per probos affectus inhæremus: ad firmiùs standum juxta Deum necessarius est volatus iste, quo per probos, eósque ferventiores affectus, Deo adhæremus, perinde Seraphini, qui simul stabant super thronum Dei, & volabant; volare enim ad Deum per probos affectus perinde est, ac eidem immobiliter adhærere. Ad id fortassis etiam allusit Isaias, ubi de viris qui emaculatæ student conscientiæ, ac per pios affectus Deo adhærescere, eúmque enixim amare, ait: *Qui sperant in Domino mutabunt fortitudinem, assument pennas, sicut aquilæ, current, & non laborabunt, ambulabunt, & non deficient.* Mirum sanè quod viri virtutum addicti culturæ, spéque strenua erecti, dum aquilarum pennas induunt, ac pernicissimas assumunt alas, non tamen dicantur volare, sed currere, & ambulare; cum ad ambulandum non alæ, sed pedes requirantur: ambulanti usus pennarum est potiùs abusus; ad quid igitur plumas induere, & alas assumere, si volatus non intenditur? sed quamvis non intendatur volatus, sufficit tamen, si attendatur ad profectûs stationem: satagunt per probos affectus, qui per plumas, & alas subindicantur, stare in profectu virtutum, de quarum cultura delectantur, ut & de emaculata conscientia, cujus honestatis splendor rantus est ait D. Ambrosius: *Ut vitam beatam efficiant tranquillitas conscientiæ, & securitas innocentiæ.*

Cap. 40.

Lib. 1. de offic. c. 1.

28. Conscientia siquidem emaculata solem æmulatur, cujus exortus si reliquorum sydерum nitores abscondit, nebulas tamen abigit, serenitatem invehit, & suis radiis cuncta illustrat, ac decorat; cum enim sua sol sibi luce sufficiat, aliis eandem abundè impertitur: ita fulgor, & honestas emaculatæ conscientiæ reliqua, quæ bona putantur secundùm voluptatem impertitur iis, quæ ex probo proficiscuntur affectu; sitque propterea emaculata conscientia, quæ non alicuis splendet nitoribus, sed propriis æstimatur judiciis, domesticis percipitur sensibus, estque ipsa sui Judex, ac suæ felicitatis sibi faber: si mala sit se ipsam supplicio torquet, si proba præmium sibi impartitur, & gaudium: placide enim hæret, animum adipat, mentem serenat, pectus implet, & cor tranquillat conscientia bona, quia ut etiam asseruit junior Plinius: *Magnitudo animi nil ad ostentationem, sed omnia ad conscientiam refert, rectéque facti non ex populi sermone mercedem, sed ex facto petit*: non indiget gaudia emendicare exteriùs à mundi voluptatibus, ac deliciarum illecebris, qui honestam, & emaculatam tuetur conscientiam, neque quæ exteriùs imminent pericula pavet; qui totus tutus in conscientia quiescit. Hinc Salomon ait: *In timore Domini fiducia fortitudinis*, seu in conscientiæ probitate, & honestate securitas. S. Gregorius pressius etiam sumit timorem, scilicet pro timore Dei, quo nobis mala timemus inquiens: *In via Dei à timore incipitur, ut ad fortitudinem veniatur. Nam sicut in via sæculi audacia fortitudinem, ita in via Dei audacia debilitatem parit. Et sicut in via sæculi timor debilitatem: ita in via Dei timor fortitudinem gignit Salomone attestante. In timore Domini fiducia fortitudinis.* Nimirum conscientia emaculata affectum, & elicit, & fovet timoris, quo sibi mala culpæ timet, ne à sua deficiat simplicitate, nec suo destituatur nitore; & ex concepto timore ad fiduciam pervenit fortitudinis, quâ malis obsistit imminentibus, quia cùm foveat ipsa in se innocentiam; non formidat quidquam ab aliis pati; habet siquidem munitissimam arcem in sua simplicitate; non enim suspecta est pati, quod in se patrâsse non meminit: hæcque est conscientiæ tranquillitas, quæ vani timoris excussis nebulis mentis invehit serenitatem; & inconcussa munit internum hominem fortitudine, quia qui innocentiam in se fovet, nil est quod pati ab aliis formidet.

Lib. 1. epist. 12.

Prov. 14. v. 26.

Lib. 5. moral. cap. 12.

## §. IV.

*Semina proborum affectuum in exculta per sacram exhomologesin conscientia in uberem virtutum messem germinant.*

Proba & prorsus emaculata conscientia nil timet; quia quod ab aliis pati debeat, non formidat: animum enim sibi rectè consciū nulla imminentis mali suspicio turbat, nullæ inquietant angustiæ, nec angunt calamitates; habet in se domesticam arcem, ad quam tutò confugiat, propriam scilicet innocentiā, quâ vibratas acerbiùs minas deludit. Idque causæ, cur ingruentibus calamitatibus nonquam deturbari à propria potuit mentis serenitate Apostolus Paulus, qui per varias antitheses ænigmati similes propria describsit pericula imminentia *à dextris, & sinistris per gloriam, & ignobilitatem, per infamiam & bonam famam, ut seductores, & veraces, sicut qui ignoti, & cogniti: quasi morientes, & ecce vivimus*: deinde concludit *quasi tristes semper autem gaudentes.* Quid? quòd Apostolus tot circumseptus periculis, pressus calamitatibus, ærumnis exagitatus mori censeatur; & tamen adhuc vivat? licèt prematur angustiis, angatur pressuris, pungatur tribulationibus, adhuc tamen intus alacer, & mente tranquillus medullitùs gaudet, quia ubi proba conscientia, ibi & floridus 29.

ridus

tidus vernat affectus gaudij: appositè D. Chrysostomus ad populum Antiochen. *Nihil aliud est triste*, ait, *nisi Deum offendere, quod cùm aberit, non tribulationes, non insidiæ, non quidquam aliud sapientem animum poterit contristare, sed quemadmodum si exiguam scintillam in lacum projeceris profundum, statim extinxeris: itidem & omnis tristis superabundantia in bonam missa conscientiam extinguitur. Propterea quidem & Paulus semper gaudebat, quoniam interius secundùm Deum lætabatur, neque tot malorum capiebat sensum. Sic & Abraham Patriarcha erat in delectatione multa passus tristia:* proba siquidem conscientia nullâ inumbratur tristitiæ caligine, nulla pulsatur ærumnarum acerbitate, nulla angitur angustiæ pressurâ, nec malorum capit sensum; & licèt tristis exteriùs appareat, ob varias tristandi causas, quibus validè oppugnatur, intus tamen nunquam à propriæ lætitiæ dejicitur serenitate, & animitùs semper exultat: hæc enim est prærogativa probæ conscientiæ, causas mœroris excutere, minas tristitiæ abigere, & adversantia quæque inconcussa propulsare fortitudine.

Homil. 15.

30. Ager est proba conscientia, cujus cultura alia non est, quàm ea virtutum, quarum semina in uberem proborum affectuum segetem germinant. Hinc D. Paulus animitùs exultabat intus, cùm foris varijs premeretur tristandi causis, ait ipse: *Propter quod placeo mihi in infirmitatibus meis, in contumelijs, in necessitatibus, in persecutionibus in angustijs pro Christo.* Ubi latinè *placeo*, græcè *delector* legitur: non enim Apostolus suas ægrè infirmitates ferebat, non tristabatur pressus angustijs, pulsatus pressuris, calamitatibus exagitatus; sed in contumeliis, infirmitatibus, angustiis, & persecutionibus animitùs gaudebat; quia ubi emaculata conscientia, & virtutum cultura; ibi gaudium floret, & probi omnes affectus germinant: & delectatur, qui probam tuetur conscientiam uni Deo per pios affectus adhærescere: appositè D. Basilius ait: *Anima, quæ semel se modis omnibus desiderio adstrinxerit sui Conditoris, jamque insuevit oblectare se tanta illius pulchritudinis contemplatione, prorsus non sinet, & vehemens illud gaudium, animíque suam jucundissimam diffusionem intercipi, aut immutari, per multiplicem, ac succedaneam carnalium affectionum mutationem, quin ea potiùs, quæ alijs mœrorem afferunt, in cumulum sibi vertet, & accessionem lætitiæ; cujusmodi erat Apostolus dum sibi probè admodum complaceret in infirmitatibus, in tribulationibus, persecutionibus, & angustijs.* Nimirum cultor probæ conscientiæ sic firmus, ac inconcussus stat, ut nullo externæ adversitatis turbine à suo dejiciatur interno gaudio, à quo non sinit se ab ullo calamitatis genere divelli, possintque propterea ingruentes calamitates corpus pulsare, non animum tangere, nec lædere.

2. ad Corinth. 12.

Homil. 4. de gratiar. act.

31. Quinimò ea est emaculatæ conscientiæ dos, ut quasi Numinis videatur immutabilitatem æmulari, cùm ab inconcussa, ac tranquilla assueti gaudij fruitione divelli nequeat, nullâque sit casuum varietas, nulla spei titubatio, nullâque felicium, ac infelicium vicissitudo, quæ internæ lætitiæ turbet serenitatem, interrompat quietem, & intercipiat tranquillitatem: proba siquidem conscientia semper impavida imperturbabilis, & inconcussa medios etiam pertransit hostes, ipsa enim fortunam pedibus premens, honores, & divitias despiciens, sola sibi ipsi merces, atque amplissimum est præmium: virtutis cultor de famæ præconio haudquaquam solicitus sua se conscientia oblectat, murum æneum vitiis objicit. Interrogatus Bion quænam res in vita metu careret, fertur respondisse *bona hac est conscientia*, & quia vacare culpâ maximum est solatium, nil est, quod magis hominem lætitiâ afficiat, quàm proba conscientia: est proba conscientia Scyphus Josephi, in quo augurari, ac inebriari solet animus interno gaudio, ac verâ lætitia: licèt adlatrent exteriùs calamitates, subsultent tribulationes, insultent adversa, imò & frendeat orcus, fremat tyrannus, hiet baratrum, adhuc proba conscientia in tuto posita nil mali timet, & de suo imperturbata gaudet bono.

Plura recenset D. Bernardus malorum genera, quibus obsidetur, & oppugnatur viri probi conscientia, quæ tamen nunquam expugnatur, quia angustiæ, pressuræ, & calamitates, quæ corpus exteriùs pulsant, animum intus non tangunt: appositè D. Bernardus ait: *Premat corpus, trahat mundus, terreat Diabolus, illa erit secura. Bona conscientia secura erit cum corpus moritur; secura cùm anima coram Deo præsentabitur; secura cum in die judicij ante tribunal terrificum justi Judicis statuetur. Cùm mundus omni volubilitate circumrotetur, floreat, rideat, pereat, transeat; nunquam marcessit bona conscientia. Subjiciatur corpus in pœna, in injurijs maceretur, verberibus lanietur, eculeo distendatur, gladio trucidetur, crucis patibulo affigatur, secura semper erit conscientia.* Cujus lætitia tanta est, ut vel ipsam cœlestem incrementet beatitatem, quapropter Regius Vates ait: *Exultabunt sancti in gloria, lætabuntur in cubilibus suis*, nulli dubium, quin David de illa fuerit exultatione locutus, quâ in cœlesti patria exultant beati æternâ felicitate donati, & ubi in pace in idipsum dormiunt, & requiescunt, ob quietem, & cessationem à laboribus: sed quænam sunt hæc cubicula, in quibus dicuntur lætari? & in quibus est lætitia tanta, quæ ultra beatam cœli gloriam adhuc beet, ac summo paradisææ felicitatis gaudio novam superaddat lætitiam? non putes, quid aliud esse hoc in cœlis cubile tam uberi refertum lætitia, ut ipsum incrementet cœlestis beatitudinis gaudium, quàm 32.

Lib. de interiori domo cap. 13.

Psalm. 49. v. 5.

quàm emaculata conscientia; in qua veluti in proprio suo cubili hæret, ac fovetur sinceræ lætitiæ affectus; scitè Hugo Carensis, *Lætabuntur in cubilibus suis, scilicet in conscientia: quia habent tam bonum Dominum, qui dat peccantibus gratiam.*

33. Tametsi qui cœlesti donantur beatitate veris ubertim gaudiis exundent, eò quia mortalis vitæ excusserint angores, omnes abegerint pressuras, angustias, calamitates, & quidquid adversi potest obtingere; adhuc tamen speciatim lætantur, eó quia emaculatam excoluerint conscientiam, & in ea probos quoque affectus foverint: quàm ferax est proborum affectuum, ac prætertim gaudiorum emaculata conscientia! eum felices beatorum animas sibi de bona conscientia adgratulantes, uberioribus fulciat gaudiis: *Lætabuntur in cubilibus suis scilicet in conscientia:* quæ propterea vel ipsis æternis gaudiis incrementa addit, quæ æternam veluti beatitatem beant: tanta est probæ conscientiæ pacata tranquillitas, ut vel ipsos etiam cœlites exhilaret, ac beet: & de hac conscientiæ probitate voluit Magister Christus suos gaudere Discipulos, quos propterea visus est reprehendisse, in quo videbantur non metuisse reprehensionem: *Reversi sunt septuaginta duo cum gaudio dicentes etiam dæmonia subjiciuntur nobis:* nimirum lætati fuerunt Discipuli ob rem præclarè gestam, ob patrata miracula, ob prostratum cacodæmonem; & tamen Magister Christus visus est eos reprehendisse, eò quia ob miracula patrata, résque præclarè gestas gauderent, dixit enim illis: *Verumtamen in hoc nolite gaudere:* quamvis non improbaverit Christus res gestas discipulorum, tamen reprobavit gaudium, eò quia non ex fonte satis puro, & defœcato scaturiret: quamvis enim rarum, ac magnum sit, hoc donum; mirabilis etiam ac magnifica hæc in cacodæmones potestas; quia tamen non fuit id opus virtutis, quæ Discipulis inesset, sed divinæ gratiæ, quæ illis adesset; ideo non de patratis miraculis, non de rebus, quæ præclarè gesserant, voluit eos gaudere; sed de emaculata conscientia, de virtutum cultura, quia verum gaudium nonnisi de exculta, & emaculata conscientia prodit: noluit igitur Magister Christus suos gaudere Discipulos de patratis miraculis, de victo cacodæmone, eo quia hæc ad illorum non spectarent salutem, & alia essent potiora dona, de quibus solidiùs eis liceret gaudere, quapropter ibidem quale sit hoc gaudium, quo debeant gaudere subindicat inquiens: *Gaudete autem, quòd nomina vestra scripta sunt in cœlis;* ideo autem scripta sunt in cœlis, quia per pios affectus assueverant in cœlum passim conscendere: reprehendit Christus affectum gaudij, eò quia in suum rectà non collineet terminum, sed in rebus detineatur, quas in terris gesserant

Luc. cap 10. v 17.

Luc. 10. v. 20.

Luc. 10. v. 20.

& hunc affectum, ut extergeret à terrestri, quem contraxerat, pulvere, aliud suggerit gaudium, quod nonnisi cœlestia saperet: *Gaudete autem quòd nomina, vestra scripta sunt in cælis:* ille purus est, ac simplex affectus, qui ab emaculata oriens conscientia in solum Deum tendit, & cum David ait: *Quid mihi est in cælo, & à te quid volui super terram? DEUS cordis mei, & pars mea DEUS in æternum,* & propter solum DEUM, ejúsque amorem omnia hilariter patitur, & agit, quia purus amoris affectus non est mercenarius: neque ideo bene agit, vel loquitur, ut laude pascatur.

Psalm 72. v. 25.

34. Si amor sit purus, & ab omni terrestri pulvere defœcatus non creaturam imitatur, sed creatorem æmulatur, qui *universa propter semetipsum operatus est,* seu ob plenissimam, ac inexhaustam bonitatem, ob quam voluit se ipsum impertiri creaturis. Ille igitur amoris affectus in creatura divinum æmulatur, qui è pura, ac simplici dimanans conscientia in solum DEUM rectà tendit, nec quid aliud intendit, quàm Numinis bonitatem: talis fuit cœlestis affectus sponsæ, quæ poma omnia, æquè nova, ac vetera, suo duntaxat servavit dilecto. Fructus recentes, ea dicuntur opera, quæ in lege Evangelica à divinæ gratiæ feraci planta producuntur, cujusmodi sunt DEUM amare, in ipsum credere, in illo sperare, eum precari, & plura propter ipsum pati, siti ardere, fame lancinari, vigilijs impallescere, flagris se cruentare, pravis concupiscentiis frœnum injicere, irascentis animi impetus coërcere, avaritiam abigere, stipem pauperibus erogare: hæc, & alia id generis opera poma dicuntur recentia. Vetera autem ea sunt, quæ non beneficio supernaturalis gratiæ, sed naturæ impetu producuntur, cujusmodi sunt videre, audire, olfacere, tangere, edere, bibere, loqui, dormire, & hæc poma vetera unà cum novis Numini sunt offerenda, uno, eodémque simplici amoris affectu, quia hic tantæ est virtutis, ut etiam naturæ operationes supra naturam evehat, si ex probo affectu in Deum dirigantur. Idque fuit, quod tam seriò Apostolus primis illis Ecclesiæ fidelibus commendavit; etenim scribit, *Sive ergo manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis omnia in gloriam Dei facite;* & mos ille fortassis viguit in Ecclesia usque ad Tertulliani tempora: refert enim in libro de corona militis, moris fuisse apud Christianos ad initium cujusque operis cruce se signare; quod perinde erat, ac dicere, hoc fiat ad gloriam Dei, in nomine individuæ Trinitatis.

1. Corinth. cap. 10.

35. Tripliciter potest noster affectus in Deum dirigi, vel enim te quis divinis mancipat obsequiis, & à noxis se gravioribus continet formidine pœnæ, & ex metu gehennalis ignis, & hunc affectum non promit pura, ac emaculata conscientia; hæc enim omnem excutit timorem, & unicè gaudet soli Deo adhæ-

adhærere; qui timore pœnæ, & formidine æterni cruciatûs à culpa abstinet, is interdum aliquid audet non carcere tantùm, sed gehennæ baratro dignum: dicit enim intra se; adhuc me florulenta ætas tenet, nondum adeo proximus sum inferorum ergastulis, quin voluptatum lenociniis, concupiscentiæ blanditiis, ac mundi deliciis possim indulgere, & piaculari Exhomologesi eas obliterare noxas, quas conscientia erit contractura; possum itaque aliquid hodie audere, cras mihi licebit ad officium redire; & per resipiscentiam pristino me statui restituere. Certè hic affectus ab exculta, & emaculata non prodit conscientia, cùm satagat eam inficere, ac noxis deturpare; & certè si gehennæ cruciatus, si Manium fatales umbræ, aniles recenserentur inter fabulas, qui tali ducitur affectu, paradisum extra paradisum sibi strueret, & suam censeret beatitatem, carnis voluptatibus, concupiscentiæ illiciis, blanditiarum lenociniis, ac mundi delitijs jugiter adhærere; & non ad mentis studia, sed ad ventris indulgentiam, perinde ac pecus vivere: qui tali ducuntur affectu sunt,
1. Corinth. 2. quos Apostolus Paulus vocat: *homines animales, qui non percipiunt ea, quæ sunt Spiritus Dei.*

36. Sunt alij, qui Numinis addicti obsequiis, ac divino emancipati famulatui; ideo Deo inserviunt, quia æternæ inhiant felicitati, cupiúntque cœlesti donari beatitate, & quibus propterea cœlum eis dulce est, & æternam gloriam temporarii laboris sibi mercedem spondent: & hi sunt, qui cum Regio Vate Psalm. 118. inclinant quidem proprium cor, quò divina servent præcepta, sed propter mercedem: *Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes propter retributionem:* tametsi hic affectus animi sit priore efficacior, non tamen plenam emancipitur libertatem; licèt qui æternis gaudijs inhiat, cautior sit illo, qui gehennæ cruciatus metuit, adhuc tamen affectus est servilis, & Mercenarius, cujus finis est retributio, à qua liber est simplex, ac generosus affectus, qui oritur ex conscientia pura, & emaculata; quæ propterea ad solum Deum non per tortuosas ambages, nec obliquatos amphractus, sed rectissimè suos omnes affectus dirigit: & qui hunc fovent affectum purum, ac simplicem, & rectà in solum Deum tendentem, Deum amant, non quia à cruciatibus liberet gehennalibus, nec quia uberrimam retribuat mercedem ejus addictis famulitio; sed quia Deus est summè bonus, & dignus, quò ab omnibus ob summam suam bonitatem enixim ametur: & hi Deum amant plus, quàm proprios oculos, ac se ipsos, & si collectos haberent singulos amores omnium creaturarum, quæ hujus affectus sunt capaces, quæque fuerunt, sunt, & erunt, hisce omnibus amoribus Deum vellent amare, non quia sit ipsis bonus; sed quia sit in se summè bonus: nil inferni timor, nec cœli amittendi metus loci habet in eorum affectu, quo in solum Deum feruntur; non metu pœnæ, nec cupidine æternæ mercedis, sed quia bonus est, & dignus, ut ab omnibus creaturis, quæ sunt amoris capaces enixim, & unicè ametur: & ij ex toto corde, totáque anima, viribúsque omnibus Deum amant, quem unum, & nil aliud extra ipsum, expetunt; & in ipsum solũ omnia eorum vota collimant, parati bonis omnibus externis privari, imò & omnia malorum, ac cruciatuum genera sufferre, dummodo enixim, ac sincerè in solum Deum amore ferantur, ipsum solum ament; non quia remunerator sit, sed quia summè bonus, ac dignus, ut ab omnibus ametur creaturis.

De hoc affectu simplici, ac puro, quique in emaculata conscientia suas altiùs radices 37.
agit loquens David ait: *Voluntariè sacrificabo tibi, & confitebor nomini tuo, quoniam bonum est*, quæ verba expendens D. Augustinus ait: *Quare David dicit sacrificabo tibi voluntariè? quia gratis amo, quod laudo. Laudo Deum, & in ipsa laude gaudeo, ipsius laude gaudeo, quo laudato non erubesco: gratuitum sit & quod amatur, & quod laudatur. Quid est gratuitum? ipse propter se, & non propter aliud.* Ille affectus, quo Deum prosequimur est voluntarius, & gratuitus, qui non est propter mercedem, nec ob cōmodum amantis, sed propter solam bonitatem amati. Qui formidine pœnæ, & ad inferorum declinandos cruciatus Deo inservit, is non voluntariè, sed ex necessitate Numini sacrificat, ac probè agit; aiebat David, *Voluntariè sacrificabo tibi*, non ex necessitate, qui enim Deum laudat, eò quia cupiat ab ipso liberari à malo imminente, à pœnis gehennalibus, si se liberum certò sciret, Deum non amaret; quia finis cessaret amoris, & qui ita amat, non voluntariè, & gratuitò Deum amat, sed ex famulitij necessitate. Qui verè, & sincerè Deum amant, eum gratis diligunt non propter cōmodum ullum amantis, sed propter solam Dei amati bonitatem, & cum Davide dicunt. *Confitebimur nomini tuo Domine, quoniam bonum est*, hoc est non quia commoda nobis impartiaris, ad pinguiorem fortunam nos promoveas, fructuosa prædia nobis dones; sed quia bonum est, & tu summè bonus es, dignúsque, ut creaturæ omnes, quotquot capaces sunt amoris, te solum & unicè totis viribus ament: hoc enim est Deo servire propter Deum, & hoc pacto etiam voluntariè Deus nos amat, quapropter per Oseam suum spondens nobis amorem aiebat: *Diligam eos spontaneè* seu merè gratis, non enim vult, ut ipsi serviamus, sicut canis suo servit hero propter offam, quia si Deo nostra impendimus obsequia, ut cœlesti beatitate donemur, jam beatitudo est nobis Deo charior, magísque beatitudinem diligimus, quàm Deum, cùm nonnisi propter beatitudinem Deum amemus; scitè Seneca: *Invenientur qui honesta in mercedem colant, quibúsque non placeat virtus gratuita: quæ nihil habet*

Psalm. 53. v. 8.

In enarrat. ad Psal. 53.

Cap. 14. v. 5.

Lib. 4. de benefic. c. 1.

*bet magnificum, si quidquam habet venale; cum virtus nec lucro invitetur, nec absterrea. tur damno adeòque neminem spe, ac pollicitatione corrumpat.*

Libera est virtus, dedignatur famulari ex necessitate propter mercedem ob commodum, quod sperat, sed omnino gratis, quia nil habet magnificum, si quod habet, venale est. Refert Ludovicus Blosius, Deum virgini Gertrudi dixisse, vellem electis meis id persuasum omnino esse, eorum proba opera, & pia exercitia mihi omnino placere, quando ipsi suis expensis mihi inserviunt: hi autem propriis expensis suum mihi impendunt servitium, qui tametsi nullum sentiant devotionis saporem; non tamen à suis pijs desistunt operibus, nec mea negligunt servitia, sed fideliter perseverantes in meo famulatu orationes, & alia pia exercitia, adhuc diligenter peragunt, de mea confidentes pietate, & de suo non diffidentes obsequio: & hoc est Deo servire propter Deum. Sunt qui animo concidunt, tristantur corde, turbantur mente, si in pijs operibus, quæ exercent in precibus, quas fundunt, internam non sentiant dulcedinem, quasi DEUS eorum preces non audiat, nec pia eorundem opera curet; qui tamen falluntur: plerumque subtrahit DEUS hanc internam spiritus dulcedinem, quo uberiorem merendi materiam nobis suppeditet. Plerique sunt, quibus si hæc interna daretur consolatio fortassis ijsdem minimè ad salutem prodesset; vel saltem eorum merita non moditè minuerentur.

*Monil. spirit. cap. 3.*

## § V.

### *Ex proba conscientia probi, qui prodeunt affectus, beriles sunt, non serviles, nec mercenarij; proprium non intendunt emolumentum: sed in Deum purè tendunt.*

38. PRoba, & emaculata conscientia eos simplices fovet affectus, qui non creaturæ commoda, nec ulla interna intendunt dulcedine perfundi, sed tantùm, & unicè Creatori placere, eique soli ob summam suam bonitatem adhærescere. Purus amor ait Bernardus, non est mercenarius, ideóque non propter se, sed propter Deum amatum agit, & operatur. Refert Paladius Helenopoleos Episcopus de quodam adolescente Numinis emancipato obsequiis, & addicto servitijs; hunc accessisse ad Macharium Alexandrinum valdè anxium, consilium petendi causâ, eò quia variis pulsaretur intus tentationibus: aiebat adolescens, & quid Pater sancte incipiam, quid faciam, cùm molestæ cogitationes me jugiter divexent, meque die, noctúque affligant, illud suggerentes nil facias, recede hinc, asceterium tibi non est congruum, frustra antelucanas fundis preces, labores subis, téque in cassum flagellis cruentas, & ciliciis vestibus discrucias, abstinentiis emaciaris; nihil hæc tibi proderunt, recede hinc. Auditis Macharius adolescentis querelis repolsuit: Et tu fili mi tuis dic cogitationibus istis: non propter cœli gloriam, sed ob solum Deum, quem enixim amo, eò quia sit summè bonus, summéque dignus, ut ab omnibus enixim ametur creaturis, hujus asceterij parietes custodio, labores subeo, preces fundo, jejunijs, flagris, & ciliciis, carnem, & ejus concupiscentias coërceo, & in servitutem redigo, non ut inde aliquid ipsemet commodi desiderem; sed quia nitè satago Deo meo placere, eique servire, & illum amore puro, & non mercenario diligere; contentus adolescens lætus, & alacer perseveravit in asceterio, & propter solum Deum labores omnes subivit. E proba conscientia probus qui prodit affectus rebus in omnibus unicum duntaxat Dei intendit honorem, id solùm spectans, quod Deo placet, & quidquid suspicatur posse eidem displicere, hoc à se excutit.

*Serm. 83.*

*Cap. 20.*

Qui sudo cœlo ex itinere prolixo fatigatus domum revertitur omne vestium onus sinit diffluere, caliendum deponit, pallium excutit, toracem aperit, cingulum solvit, collare laxat, auræ mitioris captandæ causâ. 39.
Quid ni affectus, qui è proba prodit, ac emaculata conscientia, Dei amore æstuat, ideóque ea exuit omnia, quæ mundi fluxa, & onera sapiunt: soli Deo se aperit ejus gratiæ suscipiendæ causâ; pulchrè D. Bernardus *Quomodo enim perfectè diligis, aut diligeris, si in summorum desiderio ad superna non raperis? Collige te ipsam ad te ipsam; & in solo divinitatis desiderio requiesce.* Simplex affectus, & purissimus integer est; partiri, ac dirimi non patitur, sua gaudet integritate; si dividatur, ampliùs integer non est, nec simplex: & qui totus non tendit affectus in Deum, simplex esse nequit, nec integer, quia divisus, quapropter aiebat Augustinus: *Minus te amat Domine, qui tecum aliquid amat*, quia scilicet suum dividit amorem, cujus partem dat Deo, & partem creaturæ; ideóque non amore simplici, & integro, sed mutili, & manco Deum minus amat: qui puro, ac simplici affectu in Deum fertur, nil præter Deum cupit, & rerum omnium conditarum obliviscitur, ut soli adhæreat amore integrò rerum omnium Conditori: talis fuit affectus Estheris Reginæ potentissimæ, quæ Asuerum centum viginti septem Provincijs imperantem in sua habuit potestate, at proinde licèt divitiis omnibus afflueret, ac deliciis diffueret; nihilominus nonnisi in solum Deum suum direxit simplicem, & integrum affectum: *Tu scis Domine, quòd nunquam lætata sit ancilla tua, ex quo huc translata sum usque in præsentem diem nisi in te Domine DEUS Abraham.*

*De domo interiori c. 60.*

*Cap. 14. v. 11.*

Non solùm conscientia pura, & emaculata toto affectu in DEUM fertur; & creaturarum, at proprij commodi obli-

oblivifcitur, fed etiam fui ipfius: mundi omnes refpuit voluptates; & illi tantùm volupe eft in fola Dei acquiefcere voluntate, quod perinde eft, ac beatorum felicitatem prægustare in terris: ficut cœlitibus fummo eft gaudio, fummæque voluptati videre Dei voluntatem, orbem univerfum inoffenfo percutrere pede, & creaturas omnes per fingulos terrarum tractus, marium finus, in pelagi imo, in terrarum profundis eandem exequi, nec ullam reperiri, quæ potis fit ei refiftere; ita qui probam, ac emaculatam fovet confcientiam, totóque affectu in Deum fertur, veluti fui ipfius oblitus, nil quærit nifi Deum, in quo folo fuam expe-
Psal. 70. v. 16. titur quietem, & cum Regio Vate ait: *Introibo in potentias Domini, & memorabor juftitia tuæ folius*: eò eft probæ confcientiæ, & voluntatis affectus defœcatior, quò in eo nil de proprio reperitur admixtum: hinc Magifter Chriftus hunc in primo fuo difcipulo affectum quæfiturus, accuratè ipfum in-
Joan. c. 21. v. 15. terrogat. *Petre, amas me*, cui refpondit Difcipulus, *Domine tu fcis, quia amo te*, ex quo intulit Chriftus: ergo Petre, fi amas me, fi ego tibi placeo, & fervire mihi vis non propter ullam mercedem, nec ob ullum tuum commodum, meum tibi concredo gregem, *pafce oves meas*: tibi mei muneris vicariam operam commendo, meáfque oves pafcendas committo; quod officium cum obire vix poffis, nifi ames me propter me, & non propter te, feu ob aliquam tui utilitatem, & commodum; ideo *pafce oves meas*: fciverat Magifter Chriftus, fe enixim amari à Petro amore puro fimplici, & integro, fed adhuc interrogare eum voluit, ut inde difcerent cæteri in ecclefia Præfules, Epifcopi, & Antiftites, non debere dominicum gregem pafcere ob propria commoda, ut inde pingues proventus annuos accipiant, fed quia Deum amant, & propter Deum paftoris officio funguntur, & labores fubeunt, quos grex dominicus exigit, ut pafcatur.

41. Ferunt Auguftum Cæfarem Juveni cuidam non ad votum fe gerenti in fervitijs fuis bellicis obeundis miffionem è bello dediffe, eumque juvenis triftis, & dolens petijffet ab Imperatore, quid domi effet parenti refponfurus, dic fili mi, fubjunxit Auguftus, patri tuo, *me tibi non placere*, quod perinde fuit, ac innuere juvenem illum minimè Imperatori placere. Profectò fub vexillo Chrifti omnes quotquot baptifmi aqua nos terfit, milites fumus, cùm dixerit Jobus, militiam effe vitam hominis fuper terram, & maximè Chriftianorum: ut hoc in bello Deo placeamus, in id debemus ftudij incumbere, ut ei pro viribus infervìamus, quò poffimus eidem placere; hoc eft toto affectu, totóque animi contentione, nervifque omnibus contendamus, ut fuis fervitijs omnem noftrum impendamus affectum, & eidem placeamus. Hinc affectus fimplex, & impartibilis, quique totus Dei impenditur fervitio, eft veluti decantata illa Mydæ virgula, quæ fertur inauràffe, quidquid tetigit.

Jufferat Deus Abrahamo facrificium, 42.
eifque injunxerat, quid mactandum effet in erecta ara, inquiens. *Sume mihi vac- Genes. 15.*
*cam triennem, & capram trimulam, & v. 9.*
*arietem annorum trium, turturem quoque, & columbam*: & quamvis columba cordis, ac affectûs prodat fimplicitatem, non tamen vult folam facrificio immolari, nifi ei & turtur adjungatur; non juffit columbæ adjungi vulturem, aut opupam, vel accipitrem, fed turturem, quæ avis ad purum, ac impartibilem affectum fpectat, ut nos doceret, quod tametfi in cunctis operibus noftris columbam, feu defœcatam, puram, ac emaculatam offeramus confcientiam; adhuc à nobis exigit purum, ac fimplicem affectum, non cum alijs dividendum, fed totum foli Deo exhibendum: id proprium turturis, ut fi focius emoriatur, nullum alium in fuam admittat focietatem; quia affectus, quo eum profequebatur, fimplex erat, ac purus, propterea impartibilis: & femel, quòd turtur totum affectum focio dederat, non vult ipfum dividere, & partem alteri dare: ideóque fi hic adfit affectus, quidquid Deo offerimus, & in ejus obfequium agimus, ei placet: non eft gratum facrificium, fi ex fimplici, eòque impartibili non prodeat affectu: funt qui pauperes, & nudos veftiunt, fed pannum, ac corium furantur, ut veftes conficiant, nudos operiant; licèt veftire nudos, opitulari pauperibus per fe opus fit probum: nihilominus fi furetur quis pecunias, quas pauperibus elargiatur; fi pannum, quo nudos veftiat, columbæ non turturem adnectit, fed upupam, vulturem, & accipitrem, feu aves rapaces, ac voraces; à quibus columba difcerpitur, opúfque bonum corrumpitur: neque affectus probus opus improbum poteft bonum reddere; licèt affectus improbus potis fit opus bonum malum reddere.

Ea eft pravi affectus indoles, ut etiam 43.
opus bonum inficiat, ac corrumpat, cùm tamen affectus probus non valeat operi malo mederi, nec opus obliquum ad rectitudinem redigere; non enim opus malum affectu probo corrigitur, nec emendatur: hinc dixit
Chriftus. *Si oculus tuus fimplex fuerit, to- Luca. 11. v.*
*tum corpus tuum lucidum erit, fin autem 34.*
*oculus tuus nequam fuerit, totum corpus tuum tenebrofum erit*: quæ verba expendens, D. Bernardus ait: *Duo mala robuftiora effe uno bono*; ideóque quamvis probum adfit opus, fi duo concurrant mala, nimirum affectus improbus, & fallax error, corrumpunt hæc duo mala probitatem operis aliàs in fe boni: operire pauperis nuditatem opus eft per fe bonum, ut etiam eleemofynam elargiri mifero indigenti: fed fi ut pauperis nuditatem operiam, pannum clanculò, & pecunias in officina furripio Mercatoris, jam duplex adeft malum, quod in perniciem, & exitium obarmatur operis boni, quod pro-

propterea inficitur, & corrumpitur ab intentione mala surripiendi rem alienam invito Domino; & errore fidei, cùm mihi persuadeam ex alieno panno posse nuditatem pauperis operire, & Deo non displicere: ut affectus, seu oculus sit verè simplex, ait D. Bernardus; *requiritur charitas in intentione, & veritas in electione*, quando opus est per se malum, quamvis affectus sit probus, nequit malitiam detergere mali concurrentis; licèt fermentum in se bonum sit, non tamen ea inest illi vis, ut totam farinæ massam penetret, quam in meliorem transmutet: vulgatum siquidem est illud S. Dionysij effatum: bonum constat ex integra causa, malum verò ex quovis defectu, hinc etiam Seneca: *Adjice nunc*, inquit, *quòd nihil honestè fit, nisi cui totus animus incubuit, atque affuit, cui nulla parte sui repugnavit.*

*Lib. de præcept. & dispens.*

*Epist. 82.*

44. Quòd si probo affectui mala non associentur opera, sed quæ ex se purè sunt naturalia, ut comedere, bibere, ambulare, dormire, si ex probo fiant affectu, & in Deum dirigantur, tunc cum Mydæ virgula, seu probo affectu tangantur, indifferentiam exuunt, & probitatem induunt, ait enim Seneca. *Omnis res, quamvis ex se indifferens virtute addita decus sumit. Cubiculum lucidum dicimus; hoc idem obscurissimum est nocte: dies illi lucem infundit, non eripit. Sic istis, quæ à nobis indifferentia, ac media dicuntur, divitijs, viribus, forma, honoribus, regno; & contra morti, exilio, malæ valetudini, doloribus, quæque alia aut minus, aut magis pertimuimus, aut malitia, aut virtus dat boni, vel mali nomen. Massa per se nec calida, nec frigida est, in fornacem conjecta concaluit, in aquam remissa refrixit.* Sola igitur virtus, & honestas probitatem invehit, & sola malitia malum secum trahit: indifferentia per se nec bona sunt, nec mala; talia tamen fiunt virtutis, vel malitiæ accessione: licèt quæ naturaliter agimus, ac naturæ inserviunt, ut comedere bibere, ambulare, dormire indifferentia sint, adiaphora, seu nec bona, nec mala: si tamen probus accesserit affectus, cujus ope in Deum dirigantur, hujus accessione honestatis veluti Mydæ virgulæ contactu aureum contrahunt nitorem, & splendescunt, honestate virtutis: quia sicut opus ex sua aliàs natura bonum Deo displicet, si operantis intentio improba sit: ita opus ex se adiaphorum Numini plurimum placet, si ex probo fiat operantis affectu. Omnem à populo arvinam, & adipem ea lege exegit Deus, ut nunquam licitũ foret ab ejus observantia populum dispensari: *Omnis adeps*, inquit, *Domini erit jure perpetuo in generationibus, & cunctis habitaculis vestris.* Adeps iste ait Isichius probus est affectus, qui è conscientia prodit emaculata: hunc affectum à nobis Deus exigit, & nemini hunc Deus remittit: qui operibus etiam adiaphoris, quæ in se nec bona

*Epist. 82.*

*Levit. cap. 3. v. 10.*

sunt, nec mala, hunc adnectit affectum probum, quo in Deum dirigit, quod agit; arvinam, & adipem Deo offert, cui etiam opera adiaphora placent: qui hunc suis actionibus probum affectum non præstitnit; is quod optimum est sacrificij, Deo subtrahit; adipem scilicet, quem jure perpetuo à nobis Deus exigit.

45. Non licèt Christianis vanos agere ambulatores, & quò pes ducit excurrere, sed quà recta intentio, & probus affectus pedes dirigunt, illuc ambulandum; & est, quod nobis foggerit Deus per Prophetam suum Eggæum, inquiens: *Ponite corda nostra super vias vestras, seminâstis multum; & intulistis parum: comedistis, & non estis satiati; bibistis, & non estis inebriati; operuistis vos, & non estis calefacti. Et qui mercedes congregavit, misit eas in sacculum pertusum. Hæc dicit Dominus exercituum: ponite corda vestra super vias vestras.* Injungit nobis Deus, ut super vias nostras corda ponamus nostra, ut sedulò consideremus, quà sit eundum, & quo affectu sint gressus dirigendi, ne multum laborantes, nihil, vel parum inde reportemus lucri: negligentibus enim hunc probum affectum, qui veluti lux prævia recta signat itinera, per quæ sit eundum, occinitur, *seminâstis multum, & intulistis parum.* Sunt, qui plures seminant pecunias eas impendentes in vestium luxu, in ferculis delicatioribus, convivijs, tripudijs, sympotijs; sed isti, qui multum seminant, parum colligunt, quia neque in terram seminant feracem, neque peritum adhibent colonum: est tellus ferax sinus pauperis; & peritus hujus terræ colonus probus affectus, quò pecuniæ pauperibus erogantur: hi quamvis multum seminent, parum tamen, vel nihil colligunt, quia affectu non probo suas impendunt pecunias, quas non levandæ miseriæ pauperis causâ insumunt, nec in Deum diriguot, sed in proprium commodum; proinde totam pecuniam in terra sepeliunt sterilescente sine fructu, absque ulla utilitate.

*Cap. 1. v. 5.*

46. Sunt etiam, qui comedunt, & non satiantur; bibunt, & non sitim extinguunt, quia perinde ac brutæ animantes solum ventrem colunt, soli indulgent stomacho. Sunt etiam, qui se operiunt, non tamen calefiunt; quia licèt studio virtutum quandóque incumbant, templum frequentent, preces fundant, piaculari Exhomologesi conscientiam purgent, Eucharistico epulo se reficiant; non tamen inde calefiunt; quia hæc per sincerum, fervidúmque affectum ad Deum non diriguat, & nonnisi tepescente animo ex quadam potiùs insolita consuetudine, quàm ex vero affectu hanc exercent religionis virtutem, à qua statim deficiunt; vix è templo digressi ad inveteratum libidinis revertuntur volutabrum, pristinas repetuot consuetudines, & quia pravos amores nunquam, ut deberent, sincerè exuunt, virtutis

exuti

exuti paludamento, tametsi se quandoq; operuerint, adhuc frigent, nec calefiunt.

47. Sunt etiam, qui cùm plures congesserint divitias, ac congregaverint pecunias, eas tamen in sacculum miserunt pertusum: mens enim nostra est veluti sacculus pluribus pertusus in locis, tot illi insunt foramina, quot pravi affectus, quibus terrenis adhæsit voluptatibus, ac commodis, in quæ opes, quas congregavit, expendit. Is cum proventu seminat, qui sinum pauperum profusis fœcundat pecunijs. Is famem propulsat, & sitim extinguit, qui absque ullo in esculentis, & poculentis excessu sobrietati studet, quam in Deum dirigit. Is operiens se, calefit, qui per ferventiorem affectum, se totum divinis emancipat obsequijs, & per virtutum exercitia otia à se abigit frigescentia, appositè S. Gregorius. *Multum*, inquit, *cordi suo seminat, qui de mandatu cœlestibus, vel legendo, vel etiam audiendo multa cognoscit, sed negligenter operando pauca fructificat. Comedit, & non satiatur, quia verba Dei audiens lucra, vel gloriam sæculi concupiscit. Benè autem non satiari dicitur, quia aliud mandit, & aliud esurit, bibit, & non inebriatur, qui ad vocem prædicationis aurem inclinat, sed mentem non mutat.* Plures pluta operantur, defatigantur, & sudure madent, qui tamen nullam inde percipiunt mercedem, quia ut vulgò dicitur, cribro aquam hauriunt; retia ingenti solertia, ac non dispari labore explicant, quibus ventos capiunt; & ut asini laborant; plura, & quidem gravia in se onera recipiunt, sed inanem laudem quærentes, vel lucris inhianres hi miselli non sibi, sed alijs laborant, quia & culturam negligunt conscientiæ purgandæ, & puro destituuntur affectu, quo suas in Deum actiones dirigant. Baalami sacerdotes, licèt plurimum laboris impenderent, satagentes sacrificio Eliam superare, bovem imposuerunt aræ, & altioribus vocibus à summo mane ad meridiem usque, clamârunt invocantes suum Numen. *Baal exaudi, Baal exaudi nos, transsiliebántque altare, quod fecerant, cum esset jam meridies, illudebat illis Elias, dicens, clamate voce majore. Clamabant ergo voce majore, & incidebant se juxta ritum suum cultris, & lanceolis, donec perfunderentur sanguine:* nulla tamen audita fuit Baalami vox, nec ulla è cœlo super altare scintillula perpluit: friguit victima aræ superimposita, quia & friguere sacrificuli, qui nullum ferventem affectum in animo excitârunt, quem in Deum dirigerent: non vox, non clamor cœlos pervadit, & penetrat, sed pius mentis affectus: hunc quia Elias in se excitavit; ignem statim è cœlo in terras accersivit, ligna accendit, & victimam absumpsit. Dixerim Baalo haud absimilem esse mundum, qui suos varijs exercet laboribus, vexat molestijs, defatigat exercitijs, quibus eos rapit ad omnem nequitiam: qui enim mundo inserviunt, ejúsque appetunt delicijs diffluere, plures necesse est labores subeant, molestias tolerent, contumelias patiantur, convicia deglutiant, morsúsque acerbos silentes sentiant: habent enim, qui mundo inserviunt suos obtrectatores, invidos, & malevolos, non ipsis desunt curæ, solicitudines, perturbationes, reíque familiaris angustiæ: jugiter timent, nunquam tuti; quia emaculatam non habentes conscientiam, sed pluribus noxis fœdam, ac criminibus sauciam, necesse est jugi timore angantur, & nullo vero gaudio perfundantur.

Lib. in Evang. homil. 10. post init.

3 Re cap. 18. v. 26.

## §. VI.

*Conscientia emaculata omnem à se timorem excutit, quia quos timeat, non habet: & probis se tuetur affectibus, quos fovet, & pravos, tristésque abigit.*

48. SOla tuta conscientia illa est, quæ nullâ inficitur noxâ, & probos tantùm fovet affectus, hæc enim, quos timeat, non habet, omnémque à se merum excutit, & inter obtrectatores æmulos, adversarios malevolos, ac invidos gaudet imperturbata: talis fuit Apostolus, qui inter ærumnas, persecutiones, pressuras, angustias nunquam dejici potuit à mentis tranquillitate, quia testimonium propriæ conscientiæ coram Judice in tribunali, coram accusatoribus invidis, & calumniatoribus semper habuit. *Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ:* quia Apostolus noverat emaculatam se habere conscientiam, nec ullius criminis se Reum sciebat, tutus tribunalia ingrediebatur, ac Judici se sistebat, neque advocatis indiguit, qui ipsi patrocinarentur, neque favoribus hominum, quibus à periculis eriperetur, appositè D. Gregorius ait: *Gloriam suam Paulus testimonium conscientiæ memorat, quia favores alieni oris non appetens vita sua gaudia extra se ipsum ponere ignorat.* Hæc est ea felicitas, quæ veluti pedissequa probæ, & emaculatæ conscientiæ, eam ubique locorum comitatur, & sequitur; fatetur D. Paulus se fuisse versatum in laboribus pluribus, detrusum in carceres, calumnijs vexatum, in periculis maltis inter fratres; & naufragijs inter fluctus, sed ubique suam gloriam, suúmque internum gaudium possedisse: quia conscientia à quavis defœcata labe gloria est, quâ justus intus afficitur, & veluti cœlestem prægustat beatitatem; & quia conscientia pura fetax est proborum affectuum mater: interna itidem lætitia etiam in carcetibus in tribunalibus, in periculis, in naufragijs jugiter fuit affectus, neque à ferventi Dei amore usquam destitit, hinc Salomon ait: *Secura mens, quasi juge convivium:* tametsi angustiæ

2 ad Corinth. 1. v. 12.

Lib. 2 Moral. cap 28.

Cap. 15. v. 16.

gustiæ premant, labores enervent, fames urgeat, sitis æstuet, adhuc lætus, & satur vivit, quem conscientiæ puritas nutrit.

49. Fuerat Josephus in Ægypto de falso crimine accusatus, sed licèt in carcerem conjectus, nunquam tamen cordis amisit libertatem; quia vinciri non potest mens conscia recti; neque calumniâ deprimi, quem conscientia emaculata tuetur; gratiam enim non solùm apud Butipharem sibi promeruit; verùm etiam captivo, & detruso in carcerem conscientia emaculata Præfectum ipsum carceris conciliavit. Detinebantur in eodem carcere duo de Pharaonis Palatinorum numero, quorum alter Pincernis præerat; alter pistoribus præficiebatur: utrique aliquanto post, nocte intempesta objicitur somnium cùm officijs, quæ gesserant, quódque rerum eventui etiam congruebat: uterque animo hærebat anceps; neque libertas eis concedebatur consulendi Conjectores juxta gentis illius superstitionem; cúmque uterque mœrore, & tristitia conficeretur suam Josephus utrique Palatino operam obtulit spe fretus, Deum abdita somniorum sibi reseraturum. Somnium Pincernæ fuerat objecta sibi vitis cum tribus palmitibus, è quibus cùm gemmæ priùs erumperent, & mox paulatim dilatatæ frondescerent, fructúsque minutos emitterent, hísque florentes gliscerent, incrementa subirent, ut ad maturitatem perducerentur; adeo ut à pocillatore vindemiam despumantes racemi in calicem exprimerentur Pharaonis; cui recèns mustum ad bibendum porrigeretur. Hocque somnium ita Josephus explicavit, ut tres vitis propagines totidem dierum intervalla interpretatus prædixerit pincernæ, elapso triduo, pristino suo esse officio restituendum. Cúmque ex hac conjectatione etiam Pistor spem conciperet lætioris fortunæ, suum etiam Josepho somnium exposuit: visa scilicet à se tria viminea canistra capiti suo imposita, in quorum medio, & imo panes inerant candidi è poline compacti, & in supremo fercula servarentur, quæ arte pistoria fieri consueverant, quæque advolantes volucres depascerent: audito somnio impalluit Josephus Interpres, prænunciavit siquidem misero omnia alia fata, & effata; nimirum fore, ut intra triduum penderet sublimis è patibulo, & esca fieret corvorum cadaveribus inhiantium. Neque aliter, quàm Josephus fuit vaticinatus, utrique obtigit.

50. Legimus igitur Josephum de falso crimine accusatum, eúmque in tetrum detrusum carcerem, sed non legimus Josephum in carcere perturbatum, sed somniorum interpretem, ac Vatem veridicum; quia ea est probæ, ac emaculatæ conscientiæ vis, ut interna luce perfusus vir justus etiam inter carceris caligines veritatem videat; & somnia, quæ nox intempesta suggerit, interpretetur; potuit Josephi innocentia detrudi in carcerem, arctari vinculis; sed nec gaudio, nec libertate potuit Joseph destitui; quia integer vitæ, scelerísque purus, etiam inter vincula liber est, scitè D. Chrysostomus ait: *Intrat Joseph Sanctissimus custodiam visitator magis (Custos enim carceris omnia Josepho crediderat) quàm Reus; provisor non socius, medicus non ægrotus. Adeò fit cunctorum Præpositus, ut fuerit, & Reorum solatium, ac procurator.* Ubique emaculata conscientia tuta est; neque ab interno suo deijcitor gaudio, tametsi in carcerem detrudatur, vinculis arctetur, nunquam tamen sua destituitur libertate, gaudet enim, quia ubique illæsa est, ubique tuta; si tentetur, proficit; si arctetur, dilatatur; si humilietur, erigitur; si pugnet, vincit; & si interimatur, ad gloriam coronatur; ipsa enim in servitute est libera, in periculis tuta, in carcere læta. Ipsam Principes honorant, potentes reverentur, Magnates exquirunt. Illi viri probi obediunt, improbi invident, inimici succumbunt, & ubique est victrix, quia nullibi ullius est sibi reatûs conscia. Pulchrè D. Gregorius. *Sicut laboribus pressi in lecto quiescentes reficiuntur; ita dum mundi hujus adversitatibus premimur, in bona conscientia interiùs delectamur.*

*Homil. de Joseph vendito tom. 1.*

*In Psalm. pœnitent.*

51. Suum intos in corde habet innocentia lectulum, quo quiescat: suum ibi & paradisum, ubi delicietur; quia emaculata conscientia, sive tribolatio urgeat, sive pressura ingruat, sive mundus premat, sive calumnia mordeat, invidia corrodat, & infernus latret, tranquilla semper quiescit, & fronte serena lætatur. Josephus in carcere vinctus, non solùm non caruit libertate; verùm & culturâ virtutum, ac somniorum interpretatione claruit illustrior, & in carcere, perinde ac in templo pressuratum oblitus, lætus, ac alacer suo grates Numini referebat, quia quotquot soler Deus servis suis in templis conferre solatia, hæc eadem emaculata conscientia secum defert, sive pericula imminenant, sive pressuræ ingruant, sive ærumnæ urgeant, & calamitates premant: hinc Beda ait. *Templum quoque, & domus Dei est pura mens, atque conscientia fidelium.* Est emaculata conscientia Numinis templum, in quo vir justus aram construit, in qua cuncta sua, quæ agit, in sacrificium Deo offert, sacerdotis enim officium agens gratissimum Deo offert holocaustum se ipsum, ut eleganter innuit D. Leo Papa *serm. de assumptione.* Inquiens: *Quid tam sacerdotale, quàm exhibere Deo conscientiam puram, & immaculatas pietatis hostias de altari cordis offerre.*

*In cap. 19. Luc.*

52. Vir probus, & innocens se ipsum construit Numini templum, altare erigit in corde, cui ornamenta adijcit, & flores virtutum, & simulacra pietatis. Quòd si vir justus templum est Dei; solatia, quæ solet beneficum Numen suis in templo elargiri famulis, hæc procul dubio conscientia emaculata possidet, & secum defert,

&

& sicut in templo nonnisi probi eliciuntur affectus, quibus preces, quæ ibi funduntur veluti alis munitæ sursum evehuntur in cœlum: ita conscientia pura nonnisi probos promit affectus, quibus veluti apertis, ac dilatatis alis ima terræ fugit, quò in sublimiora nitatur. Virum probum pressuræ, angustiæ, & calamitates pulsare quidem possunt in extima corporis cute, non verò intus cor lædere, nec animum tangere: exercent exteriùs corpus, ex quo pulveres terrenæ adhæsionis, si adsint, excutiuntur; sed intus animum excolunt, ut flores in eodem germinent illustrium virtutum; & tantùm abest, ut vir justus, & innocens calamitatibus succumbat, ut ærumnas, ac labores quasi favores à Deo sibi concessos apertis ulnis amplectatur, gratésque rependat.

11. Repetita infortuniorum nuntia eadem fermè hora Jobi viri justi pectus veluti bellica tormenta expugnatore cacodœmone nitebantur labefactare, ac propugnaculum ejus fortitudinis infringere: sed emaculata Jobi conscientia Dœmonis risit assultus, & quæ à tartareo expugnatore in exitium Jobi fuerunt emissa, eadem in exercitium cessere uberioris virtutis; tunc enim Jobus, quem pura, & emaculata tuebatur conscientia, non in querulas voces, nec in convicia contra Nuntios prorupit, sed erecta in Deum mente serena, ac interna perfusus

Job. cap. 1. ipse lætitia has tantùm voces protulit. *Dominus dedit, Dominus abstulit: sit nomen Domini benedictum.* Deo laudes occinuit, gratésque rependit, quia calamitates favores censuit, jacturas munera, & infortunia beneficia sibi collata: securus enim de emaculata sua conscientia tanto se Numini gratiorem censuit, quantò acerbioribus ærumnis, & tribulationibus senserat se premi: ideo cacodœmonis non expavit assultus, calamitatum non timuit pressuras, quia nullius se criminis noverat conscium, ajebat enim Job. *Ne-*

Cap. 27. v. 6. *que enim reprehendit me cor meum in omni vita mea*, quia enim conscientiæ fruebatur malacia, mundi, & erebi non timuit procellas: quamvis, & pecora in campo, & filii, ac filiæ in domo, & segetes in agris repentina perierint cæde: ipse enim in suo jacens fimento veluti portum ibi enactus, mente serena, corde tranquillo tutus gratias Deo rependit; eò quia tot inter calamitates, pressuras, ac tribulationes uberiorem sibi materiam suppeditaverit patiendi, ac mœrendi: nullo vir justus timore angitur, quia conscientiæ suæ testimonio fidit: nactus portûs malaciam in ipsa pelagi tempestate, quas mundus, & orcus procellas excitant, non timet, imò, & pressuras lubens accipit; eísque torqueri cupit, quò è graviore certamine, pugnáque concitatiore illustrior sit victoria.

14. Hinc David postquam lachrymis, quibus stratum suum per noctes rigaverat, suam eluit conscientiam, & abstersit maculas, quas in adulterio, & homicidio patratis contraxerat; conscientiâ mox tutus labores exoptat, quibus virtutem excolat: ajebat enim.

*Proba me Deus, & tenta me:* visus est David, Psalm. 26. non solùm adversa accersere, sed & Deum ipsum lacessere, quasi divinæ dexteræ non reformidaret gladios, quasi non timeret pressuras, rideret calamitates, ærumnas flocci faceret, quia scilicet tunc sui conscius de scelere non ampliùs arguebatur; ut enim scitè D.

Ambrosius. *Non vellet probari, si in se crimen* In Psal. 118. *agnosceret; nec tentari, si passionibus gravibus se sciret obnoxium: liber igitur à peccato, se Deo cupidius offerebat;* non solùm se David Deo sistebat, sed & certaminis cupidus Deum veluti lacessebat, qui vellet ipsum probare: *Proba me Deus, & tenta me*, quia nimirum nullum ampliùs in se crimen intus agnoscens; quod exteriùs expavesceret, non habuit. Sed si divinum judicium, vel ipsi viri sanctissimi, & summarum virtutum cultores metuunt dicentes. *Non intres in judicium cum servo tuo:* cur David Dei non timet judicium; ut nec etiam Jobus? quia uterque tutus, ac emaculatus timorem omnem excusserat: David eatenus tentari cupiit à Numine, quia interno lumine nil viderat, ex quo timorem conciperet: *Non vellet probari*, ait D. Ambrosius de Davide, *si in se crimen agnosceret;* ex lachrymis, & cinere, quibus nocturnum stratum rigaverat, lixivium effecerat nævis conscientiæ abstergendis opportunum; cúmque maculas, quas per patrata crimina adulterij, & homicidij deleviffet, conscientiam purgâsset; nilque in se ampliùs videret noxæ, timorem omnem excussit, & audactet petiit tentari: *non vellet probari, si in se crimen agnosceret, nec tentari, si passionibus gravibus se sciret obnoxium.* Jobus itidem nec Numinis judicium timuit, quia emaculatam suam noverat conscientiam: ajebat, *si fuero judicatus, scio,* Cap. 13. v. 18. *quòd justus apparebo:* quos propria conscientia nullius criminis redarguit; hos innocentia tuetur; præsertim coram judice sedente in tribunali. Job innocentiam morum, quam à puero cum lacte suxerat, incorruptam semper servaverat; ut & intemeratum conscientiæ candorem; ajebat enim: *Neque reprehendit me cor meum in tota vita mea;* ideóque excusso omni timore judicari non formidavit; quia ut aptè ait S. Petrus Damianus: *quidquid sedulò versas in conscientia, hoc idem ipse es in æstimatione divina.* Innocentia conscientiæ impenetrabilis, est lorica, quæ ictus omnes retundit; clipeus inexpugnabilis, præsidium conferens, & tutamen. *Fortitudo tua*, Lib. 3. ad Eugenium Papam lib. 3. ad consider. ajebat D. Bernardus. *Fiducia bona conscientiæ: decor tuus, splendor bonæ opinionis;* quem emaculata conscientia Deo pulchrum, ac decorum constituit; eundem inexpugnabilem reddit; ut nec hominis, nec Numinis iras timeat; quia nulla eum

noxa coarguit, nullum redarguit crimen: nullus est thesaurus pretiosior, nullus & tutior emaculatâ conscientiâ; aurum, argentum, gemmas nobis surripere latronum insidiæ possunt; sed emaculatam conscientiam, nec temporum valent vicissitudines fraudare; & innocens vitâ tutiùs dormit nudus sub dio in strantine, quàm divitijs affluens subtecto in purpura.

55. Nullum timet, quem innocentia tuetur; quamvis judices adversarios noverit. Vocabatur in judicium Susanna, cui præmium debebatur propugnatæ virtutis: Frustratus à fœmina castitatis cultrice lasciviens insanientium libidine senum amor, in odium vertitur exitiale; erant hi senes duo, non minus tribunalium, quàm senilis ætatis probra; Veneris turpissima, ac hircina mancipia libidinem olentia, impuro æstuabant amore, quo Susannam deperibant, & quem cæcum, fœdúmque intus alebant ignem in venis, foràs prodere, non erubuerunt ex ore; cúmque diversâ viâ ad idem properarent flagitium, mœchus in mœchum incidit, fœdisque consilijs initis statoerunt libidinis suæ prædam in Joakimi pomario venari; ibi Susanna contra pomeridianos solis æstus parabat corpus abluere, frondibus arborum, ac fructicosis circumtecta septis; utque soliciti est pudicitia plena timoris, obserari diligenter curaverat ostia viridarij: sed cum se solam crederet; en duo exiliunt lenones, ex insidijs advolantes in scelus; & ad fontem veluti equi adhinnientes non libidinis ignes frigidâ extincturi, sed impuras flammas alituri in fonte; Venerem in aquis natam, móxque fontes enactam expiscari satagunt in aquis; solicitant castæ viraginis pudicitiam; sed repulsam passi, vim minantur reluctanti, ac capitale supplicium; sed mulier latiùs ducens alieno scelere mori, quàm proprio fœdari, ut rea à senibus flagitiosis accusatur, qui reclusis pomarij foribus, in vindicias deprehensi sceleris, servos concitatis clamoribus advocant, mentiuntúrque juvenem quemdam perpetrato tum Susanna adulterio, suis dilapsum è manibus præcipiti fugâ illicò disparuisse relictâ fœminâ in eodem flagitij loco: audiunt, qui accersiti advenerant famuli, quod nec cogitare ausi fuissent contra viraginis probitatem; fidem, ut adhiberent, integritas obstabat heræ; ut senibus annuerent, eorundem suadebat authoritas; & in ancipiti hærentes, pudore suffusi silnerunt: trahitur ad tribunal fœmina, iden rea, quia flagirium noluit admittere, ideo accusata, quia innocens: sedent judices, ijdem qui accusarores, & testes; adsunt cum Susanna parentes, & filij, cæterique sanguinis necessitudine eidem juncti, squalor, & luctus adstantium vultus infecerat, madebant lachrymis ora parentum, ac filiorum, sola mulier, quia innocens, siccis oculis, & fronte æquè serena, ac intrepida stabat tacita.

56. Cúmque jam duceretur ad locum supplicij lapidibus contundenda, ac obruenda solâ intemeratæ conscientiæ innixa fiduciâ oculis in cœlum sublatis Deum invocat innocentiæ vindicem; cum illicò è medio turbæ prodiens adolescens nomine Daniel, divino concitatus spiritu palam protestatur se iniquæ cædis innoxium esse; postulat retexi impium, ac iniquum judicium; sistit audax adolescentis vox populi impetum, cum Deus in adolescente Daniele supra ætatem loqueretur; imò illi, licèt ob immaturam ætatem annorum haud ampliùs duodecim, nec in testem in judicio posset accersiri, partes imponuntur cognitoris, & Judicis, ut ipsemet causam cognosceret, & judicium retexeret, quod ut integriùs exequeretur, jussit in diversum secedere accusatores, qui seorsim interroganrur à Daniele, sub qua arbore vidissent probrum adulterij à Susanna committi, cúmque alter responderet sub Schino, seu lentisco, & alter sub prino, quæ arbor glandifera ad genus pertinet ilicum; indignatus tunc Daniel, utrumque calumniæ, & convicti criminis condemnat, & ut lege puniantur talionis, quam perjuro testimonio sibi promeruerant: placuit universo populo sententia ab Adolescente lata, & indignatus populus in nequissimos senes, attentatum flagitium, latas contra innocentiam fœminæ calumnias, falsas accusationes, & perversum judicium, lapidum grandine eos obruit, ac interimit; & Susannæ innocentia summis excipitur laudibus. Susanna igitur falsò à senibus accusata, & ab iisdem ad necem damnata mente serena, animo tranquillo, corde intrepido ingreditur tribunal, audit contra se iniquam sententiam, & ad locum supplicij pergit, nec timet certamen secura de victoria, quia tuta de conscientiæ puritate: secum deferebat propugnatorem, ac defensorem, conscientiæ innocentiam, nec poterant vibrata saxa eam frangere, cujus integritas ictus omnes retundebat: eleganter S. Xeno Præsul Veronensis de Susanna ait: *Tam rea susceptura sententiam, quàm dicata Deo pro castitate fortiter moritura: & quam judicantium sententia prava dejecerat; conscientiæ integritas erigebat.*

57. Non potuit Susanna causâ cadere, cujus integritas inviolata starct: conscia mens recti famæ mendacia ridet: non timet conscientia emaculata angustias carcerum, accusationes in tribunali, calumnias accusantium, quia perinde, ac solaris radius ubique se prodit, ac splendet. Etiam in Ægypto Josephus in carcerem detruditur, compedibus vincitur, & manicis, & tamen nec de calamitate perterritus cadit, nec de læso honore solicitus deficit: vincitur

quidem

quidem pedibus, & manibus detrusus in carcere; sed non vincitur, quia victor è carcere exilit: quos conscientia emaculata tootor, nulla potest adversitas prosternere: non alium optemus propugnatorem nostrum accersere, quàm innocentiam conscientiæ, in hac enim sola ait D. Chrysostomus, floret vera lætitia, & verum vernat gaudium, quia ut monet Petrus Damianus *serm. de S. Maria Magdalena*, loquens de gaudio, quod è conscientia prodit emaculata ait. *Est gaudium continua sui jucunditate firmissimum, quod perfectus animus de secura sibi conscientia pollicetur*: qui cordis munditiei, ac conscientiæ studet puritati, quod timeat, non habet, omnésque à se tristes, ac pravos abigit affectus, & tantùm verum in Deum fovet amorem, gaudium de propria innocentia; & verecundiam, quâ pudore suffunditur ad cujusvis turpitudinis speciem.

Homil. 13. in Genes.

## §. VII.

### *In conscientia pudorata imbre rigata resipiscentium lachrymarum probi omnes affectus germinant; & virtutum flores feliciter vernant.*

58. EA est verecundia pudicitiæ comes, cujus societate ipsa castitas tutior incedit, estque propterea, quæ emaculatam conscientiam custodit, eique plurimum adjicit decoris. Hinc Magdalena ut resipiscentiæ lachrymis, quas culparum contraxerat, sordes abstergeret; veniæ impetrandæ causâ importunum adit convivij locum, censuram contemnens Pharisæi, & convivarum non curans convicia. *Et stans retrò secus pedes ejus lachrymis cœpit rigare pedes ejus, & capillis capitis sui tergebat, & osculabatur pedes ejus.* Mulier, quæ fuerat in civitate peccatrix, in domo convivij facta piscatrix retia expandit, seu capillos sui capitis; & ne aquæ desint, in quibus veniam expiscetur suorum scelerum, lachrymas fundit, quibus cùm pedes Christi tergit, propriam abstergit conscientiam, & maculas abluit: accessit mulier non ad caput, sed ad pedes Christi, quia cum malè diu ambulâsset, quò rectè imposterum incederet, vestigia bona quæsivit. Priùs fudit lachrymas cordis, lavitque Domini pedes pudoratæ confessionis obsequio, quos & capillis suis tersit, & per crebra oscula symbola ijsdem impressit sinceri amoris: ob balsamo etiam unxit; ne inflictis sibi vulneribus à cæco Cupidine, à profano amore, deesset Alexipharmacum: & quia unguento vulnera jam curaverat, & lachrymis etiam cicatrices delevetat, & sordes absterserat conscientiæ, ideo verecunda, & pudore suffusa nullum depromit sermonem. Verùm licèt tacita obmutescat, suum tamen ostendit amorem, lachrymis eloquentior, quàm verbis; & dum rettò ad pedes, non ad caput accedit, suam satis verecundiam promit. Quot probi affectus germinant, & florent in una Magdalenæ conscientia imbre rigata lachrymarum; ubi enim vernant rosæ amoris, & violæ verecundiæ in conscientia emaculata, ibi virtutum omnium decora nitent, quia *verecundia*, ut ait D. Bernardus, *est gemma morum, virga disciplinæ, soror continentiæ, lampas pudicæ mentis, expultrix malorum, propagatrix puritatis innata, specialis gloria conscientiæ, famæ custos, vitæ decus, virtutis sedes.*

Luc. 7. aap. 38.

Serm. 86. in Cant.

Est verecundia, quæ rubore pingit, & ornat vultum excolentis innocentiam mentis, ac puritatem conscientiæ; estque propterea, ex qua venustas, & gratia veluti è suo fonte scaturiunt, tanquam pellucidi rivuli: & sicut cùm reboante tonitru nubes obstrepunt, quædam solet coruscatio præire; ita gratia oris, & venustas frontis verecundiam præcedit, ut ait Siracides, ubi hanc exhibet gnomam, *ante grandinem* (seu ut textus græcus legit, ante tonitruum) *præibit coruscatio, & ante verecundiam præcedit gratia.* Dicitur gratia verecundiam præire, eò quia viam ostendit, quâ sit rectâ eundum, & gratia semper præsto est, ac parata ad verecundiam excipiendam: scitè Rabanus expendens gnomen, Syracides ait: *fulgur coruscationis præibit pondus grandinis* (tonitruum) *sic etiam nitor gratiæ præcedit gratiam verecundiæ*, quia licèt gratia verecundiam præcedat, hæc tamen nitorem gratiæ præit, quia ut ait Jansenius: *Verecundia statim de se diffundit gratiam*, quapropter est verecundia morum splendor, virtutum decus, pudicitiæ lampas, emaculatæ conscientiæ character, puritatis fomes, & honestatis egregia propugnatrix; hinc pergens Syracides ait: *Gratia super gratiam mulier sancta, & pudorata*, ubi autem textus latinus legit *sancta*, græcè est *fidelis*, eò quia mulier pudorata Deo, & marito inviolatam fidem servat, castæ verecundiæ arbitrio: sed cur mulier pudorata dicitur gratia super gratiam? quia semel, quòd pudore suffunditur, lilio castitatis rosa additur verecundiæ, ac pudici ruboris; estque propterea super gratiam, quia omnigena virtute ornatur, & pudoris beneficio Numinis gratia, & virtutis cumulatur venustate; hinc Ambrosius de offic. *Pulchra virtus est verecundia, & suavis gratia, quæ non solùm in factis, sed etiam in ipsis spectatur sermonibus. Speculum enim mentis plerúmque in verbis refulget, ipsum vocis sonum librat modestia, ne cujusquam offendat aurem.*

59. Eccles. 24.

Eccles. cap. 26.

Non solùm verecundia cæteras custodit virtutes, cùm sit soror continentiæ; verùm etiam vitia quæque coërcet, ait enim D. Chrysostomus. *Pudor frequenter est frænum vitiorum*, injicit enim verecundia insolescenti concupiscentiæ frænum, quà 60.

Homil. 16. in Matth.

quô omnes ejus, vel inhibet passiones, vel coërcet motus; sitque propterea frœnate vitia singulare elogium verecundiæ; & propterea pernecessaria hæc est omnibus; ne à pravis affectibus ad flagitia pertrahantur, & licèt sit verecundia omnibus ætatibus, personis, temporibus, & locis apta: adolescentes tamen, ac puellas, vel maximè decet, in ipso enim corporis decore venustiùs rubescit verecundia, *quæ ab omni aliena luxu*, ut loquitur D. Ambrosius, *sobrietatem diligit, honestatem fovet*, quæ geminæ virtutes adolescentes præsertim, ac puellas decent.

*Lib. 1. offic. cap. 43.*

61. Refert Stobæus, Pythiam Aristotelis filiam rogatam, quónam colore puellarum genæ venustiùs pingerentur, respondisse, *colore verecundiæ*, & verum tetigit, quia nullus in vultu muliebri color venustior rubore, quem pudor in generat, & verecundia parturit. Quapropter Cornelius expendens illud Syracidis, ubi ait de verecundia mulieris, *Gratia verecundiæ ejus super aurum*, eruditè ait, verecundia in uxore magis rubet, & rutilat, quàm aurum; illius enim rubor est virtutis tinctura, ut ait Diogenes; atque arx pulchritudinis, ac castitatis, ut ait Diomedes.

*Eccles cap. 7.*

62. Est igitur verecundia custos, & propugnatrix conscientiæ emaculatæ, cum non sinat, quidquam in ea admitti, quod turpitudinem oleat, & innocentiam lædat, ideóque dicitur verecundia vitium quodvis præire, & præeundo vetare: quia quæ fera est verecundia, ac vitio succedanea, hæc vitium non præit, nec ei dominatur, sed potiùs pedissequa est peccati, ad quod sequitur; de hac enim verecundia loqnebatur David, cum dixit: *Tota die verecundia mea contra me est; & confusio faciei meæ cooperuit me*, ideo confusioni vultûs associatur hæc verecundia, quia vitijs succedanea erubescit, se patrati sceleris indicem esse, ac filiam: non enim potest fœdior fingi, vel pingi verecundia eâ, quâ suffunditur anima, cum se videt ornatu virtutum destitutam, à cœlesti patria exulem, Dei hæreditate exutam, à gloria exclusam, Deo inimicam, ac ignium fomitem æternorum; & in omne ævum totius orci factam ludibrium: & quia tantam secum miseriam trahit, ideo præpropera peccandi confusio eam præcedit: *Et confusio faciei meæ cooperuit me*, non est hæc verecundiæ suffusio flos decoris, sed confusio vultûs, & effusio dedecoris, ac ignominiæ; & de hoc pudore loquens, D. Anselmus ait: *Si hinc peccati pudorem, & illinc cernerem inferni horrorem, & necessariò uni illorum deberem immergi. Priùs me in infernum mergerem, quàm in puderem peccati me immitterem, mallem purus à peccato gehennam intrare, quàm peccati sorde pollutus cælorum Regna*

*Psal. 43.*

*Lib. de simi lit. cap. 190.*

*tenere:* Adeo sævit in animo fera verecundia, peccati pedissequa, ut desormior censeatur ipso Orco, acerbiórque ipsa gehenna.

## §. VIII.

### *Conscientia prava cruciatuum est gehenna, quæ impios viventes, & divina mortuos gratia torquet, & acriter discruciat.*

SI conscientia emaculata hortus est, in quo nonnisi probi vernant affectus, & honestamenta florent virtutum, ut hactenus disseruimus: si prava sit, & vitijs deturpata sylvescit in vepreta, quæ intus hominem pungunt, & ab animo quietem expungunt; vulnera infligunt, & internum hominem cruentant, ac tam dirè, acritérque discruciant, ut gehennam in se videatur ferre cruciatuum, hinc de impijs ait Regius Vates. *Veniat mors super illos, & descendant in infernum viventes*; & adferens causam hujus descensûs in gehenam subdit, *Quoniam nequitia in habitaculis eorum, in medio eorum*: sed si mors eos occupat, quomodo in infernum dicuntur viventes descendere? & si viventes in infernum descendunt, quomodo mors dicitur venire super illos? cum mors suo gelu vitam extinguat: vel igitur viventes non sunt, impij in infernum descendentes; vel si viventes, mors non venit super illos: vel si mors occupat, quos infernus viventes torquet; non est hujusmodi infernus, in quem descendunt impij non ampliùs viventes: qualis igitur est hujusmodi infernus, in quo viventes tam acriter torquentur? non credas, ait D. Ambrosius, alium esse hunc tam dirum infernum, quo viventes torquentur, quàm ipsam impiorum pravam conscientiam, hæc enim est, quæ Deo, & divinæ gratiæ per patrata scelera mortuos adhuc viventes in hoc sæculo, acriter discruciat, & dirè torquet, appositè S. Ambrosius apud Eusebium sic fatur: *Peccator, quamvis foris abundet, & delicijs diffluat, odoribus fragret, in amaritudine animæ vitam exigit, vita facinorosi ut somnium. Aperuit oculos, transivit requies ejus; evanuit delectatio, licèt ipsa, quæ videtur, etiam dum vivunt, impiorum requies, in inferno sit; viventes enim in infernum descendunt: Vides convivium peccatoris? interroga conscientiam ejus, nonne graviùs fœtet omnibus sepulchris? intueris lætitiam ejus? opum abundantiam? introspice ulcera, & vibices animæ ejus, cordisque mœstitudinem.* 63.

*Psal. 54.*

*Homil. 19. §. 3.*

Prava conscientia spirans mors est, cadaver viventis, sepulchrum peccati fœtentis, ac infernus immaturè præcoquus, qui jugiter torquet, cruciat, ac dirè lancinat; quia ex peccato carnifice sequitur animi peccantis carnificina; & scelerato nullum majus supplicium ipso scelere: vix culpa est admissa, 64.

&

& omnis statim quies est amissa; vix scelus patratur, & in scelere necesse est pœna loatur; ut enim scitè scribit Seneca: *Sceleris in scelere supplicium est*, & impius licèt adhuc vivat, cruciatuum experitur gehennam: vivens est in inferno, qui sævis malæ conscientiæ pungitur, vulneratur, laceratur stimulis; ac veluti furiis ab orco emersis, ac ditè debacchantibus acerbè exagitator. Quàm dirus, quàm sævus est lethalis iste viventium impiorum infernus! quàm ferales sunt malè conscii animi morsus! qui reus fit noxæ, cruciatuum sibi baratrum apetit, fitque statim sævientibus obnoxius pœnis; & conscientia improba perinde ac Poëtarum Erynnis ferro, & flammâ, ac multiplici dracone cincta, tetróque apparatu circumsepta, nescias magisne fœda, an sæva furentis instar Megeræ viscera quatit, & terrifico aspectu flagellum intentat; & nusquam lancinare desistit; adest tortor domi, comitatur impium foras, cum ipso accumbit mensæ, jacet in lecto, perambulat forum, exit in agrum, revertitur domum; quia sceleris supplicium in scelere est, & quandiu scelus manet, tandiu sævit supplicium, torquet tortor, qui nemini parcit; nec Pontificum tiaras, nec imperatorum clamydes, nec Regum sceptra, nec Cæsarum diademata, nec principum militares excubias, nec cocco rubentes purpuras, nec auro fulgentia paludamenta, neque venerandas Sapientum togas, neque nitentia procerum insignia, nec bellica militum saga, nec sectis marmoribus crustata pallatia, neque aulæis vestitos parietes, nec gemmis micantes vestes reveretur: sed ubique furit, in omnes sævit: ubique protervè se insinuat, & oculis se se objicit; inter histriones comicos incedens tragœdias excitat; inter ludiones illudit insolentiùs: quamvis videatur impius in triclinio hilaris, in theatro lætus, in comitatu jucundus, larvata est ejus lætitia, personata jucunditas, & fucatum gaudium, nulla est in ejus fronte serenitas, nulla in mente tranquillitas, nulla in corde suavitas; quia tametsi hæc lætitia in extima vultûs cute videatur paradisum exhibere gaudiorum; intus tamen infernum occludit cruciatuum: sævus est, & atrox hic infernus, qui jugiter torquet, nullus est tam rabidus canis, qui ita dirè mordeat, sicut prava remordet conscientia.

65. Quàm sint ferales malè conscij animi morsus, ij experiuntur, quos prava intus conscientia torquet; cujus tormentum gehennæ pariatur, eò quia nunquam cesset, neque extinguatur, in quo cum igne confertor inferni. Idqoe causæ, cur Apostolus *1. ad Timoth. 4.* vocet cauteriatam improborum conscientiam: *cauteriatam habentes suam conscientiam.* Sed qoódnam est hoc cauterium, quo conscientia impiorum ulceratur, & impios pœnalissimâ inurit ignominiæ notâ? non credas qoid aliud esse, quàm ipsam conscientiam patrato scelere sauciam; est enim scelus cruentom vulnus adeo dirum, ac lethale, ut tormentorum videatur gehennam excitare, & secum trahere, ut observavit Præsul Mediolanensis, cujus nomen Ambrosiam sapit, qui explicans verba Apostoli: *cauteriatam habentes suam conscientiam*, ubi D. Paulus loquitur de impijs, de quibus Spiritus S. manifestè dicit, quia in novissimis temporibus discedent à fide attendentes spiritibus erroris, & doctrinis dæmonum, ait Ambrosius: *Quorum cauteriatam dicit conscientiam, hoc est simulatione corruptam, quia sicut cauterium corium corrumpit, & notam infligit, ita & fallacia conscientiam denotat ad perditionem, jam enim hos imitari negat, ut salventur; quia sicut cauterium immutari non potest, ita nec eorum animus emendari?* Quàm funestum est hoc cauterium, quod ut ait Ambrosius: *conscientiam denotat ad perditionem, & quidem æternam*, & adeo probrosa est ignominiæ nota, quâ improbos inurit, ut gehennali detrusis carceri æquiparet; est siquidem lethale hoc conscientiæ ulcus, cùm mortem adferat æternam, & de gehennæ æmulatione illios pœnam anticipet.

66. Quòd si hoc ulcus diu putruerit, ejus curatio prorsus desperatur: *quia sicut cauterium*, ait Ambrosius, *immutari non potest, ita nec ejus animus emendari:* est hujus ulceris cauterium, quo impiorum putrescit conscientia tessera damnationis, & gehennæ impressus character probrosam inurens ignominiam: & sicut inustum brachio, vel pedi cauterium nullibi cauteriatum deserit, sed comitem se illi adjungit inseparabilem; perinde conscientiæ cauterium, & ulcus putrescens jugiter impios torquet. Testem accersitum volo Cainum adhuc fraterno sanguine cruentatum: is patrati sceleris conscius Numini ejusdem Vindici respondet: *Ecce ejicis me hodie à facie terræ; & à facie tua abscondar, & ero vagus & profugus in terra; omnis igitur, qui invenerit me, occidet me.* Qui reus, erat fratricidij, Judicis fungitur officio, & sedens pro tribunali sententiam contra se dicit, & quidem commensam delicto: *Omnis igitur, qui invenerit me, occidet me;* quia ipse fratrem occiderat in campo, merebatur & ipse à quovis eidem obvio occidi. Quid? quòd Cainus tam dirè in se ipsum sævierit, ut contra se mortis sententiam dixerit? quia nimirum adeo intus torquebatur, & ex fratricidio carnifice, adeò dira fuerat subsecuta conscientiæ carnificina; ut nullum majus supplicium dari posse censuerit, ideóque sententiam mortis contra se tulit, ne supplicium sceleris diutiùs sentiret in scelere torqoente fratricidio conscientiam: idque causæ, cur Cainus de conscientiæ feveritate in se ipsum sævierit, appositè D. Ambrosius, qui eleganter rem hanc edisserit agens de Reo, cujus conscientiam patratum scelus torquet; ait ipse: *Favere sibi nescit, rigorem judicij etiam*

Epist. 87. | In Epist. 1. ad Timoth. 4. | Genes. 4. v. 14. | In Apol. Dauid c. 6.

quò omnes ejus, vel inhibet passiones, vel coërcet motus; sicque propterea frœnare vitia singulare elogium verecundiæ; & propterea pernecessaria hæc est omnibus; ne à pravis affectibus ad flagitia pertrahantur, & licèt sit verecundia omnibus ætatibus, personis, temporibus, & locis apta: adolescentes tamen, ac puellas, vel maximè decet, in Ipso enim corporis decore venustiùs rubescit verecundia, *quæ ab omni aliena luxu*, ut loquitur D. Ambrosius, [*Lib. 1. offic. cap. 43.*] *sobrietatem diligit, honestatem fovet*, quæ geminæ virtutes adolescentes præsertim, ac puellas decent.

61. Refert Stobæus, Pythiam Aristotelis filiam rogatam, quónam colore puellarum genæ venustiùs pingerentur, respondisse, *colore verecundiæ*, & verum tetigit, quia nullus in vultu muliebri color venustior rubore, quem pudor ingenerat, & verecundia parturit. Quapropter Cornelius expendens illud Syracidis, ubi ait de [*Eccles cap. 7.*] verecundia mulieris, *Gratia verecundiæ ejus super aurum*, eruditè ait, verecundia in uxore magis rubet, & rutilat, quàm aurum: illius enim rubor est virtutis tinctura, ut ait Diogenes; atque arx pulchritudinis, ac castitatis, ut ait Diomedes.

62. Est igitur verecundia custos, & propugnatrix conscientiæ emaculatæ, cum non sinat, quidquam in ea admitti, quod turpitudinem oleat, & innocentiam lædat, ideóque dicitur verecundia vitium quodvis præire, & præeundo vetare: quia quæ sera est verecundia, ac vitio succedanea, hæc vitium non præit, nec ei dominatur, sed potiùs pedissequa est peccati, ad quod sequitur; de hac enim verecundia loquebatur David, cum dixit: [*Psal. 43.*] *Tota die verecundia mea contra me est; & confusio faciei meæ cooperuit me*, ideo confusioni vultûs associatur hæc verecundia, quia vitijs succedanea erubescit, se patrati sceleris indicem esse, ac filiam: non enim potest fœdior fingi, vel pingi verecundia eâ, quâ suffunditur anima, cum se videt ornatu virtutum distitutam, à cœlesti patria exulem, Dei hæreditate exutam, à gloria exclusam, Deo inimicam, ac ignium fomitem æternorum; & in omne ævum totius orci factam ludibrium: & quia tantam secum miseriam trahit, ideo præpropera peccandi confusio eam præcedit: *Et confusio faciei meæ cooperuit me*, non est hæc verecundiæ suffusio flos decoris, sed confusio vultûs, & effusio dedecoris, ac ignominiæ; & de hoc pudore lo- [*Lib. de simi lit. cap. 190.*] quens, D. Anselmus ait: *Si hinc peccati pudorem, & illinc cernerem inferni horrorem, & necessariò uni illorum deberem immergi. Priùs me in infernum mergerem, quàm in pudorem peccati me immitterem, malem purus à peccato gehennam intrare, quàm peccati sorde pollutus cœlorum Regna tenere:* Adeo sævit in animo sera verecundia, peccati pedissequa, ut deformior censeatur ipso Orco, acerbiórque ipsa gehenna.

## §. VIII.

*Conscientia prava cruciatuum est gehenna, quæ impios viventes, & divina mortuos gratia torquet, & acriter discruciat.*

63. SI conscientia emaculata hortus est, in quo nonnisi probi vernant affectus, & honestamenta florent virtutum, ut hactenus disseruimus: si prava sit, & vitijs deturpata sylvescit in vepreta, quæ intus hominem pungunt, & ab animo quietem expungunt; vulnera infligunt, & internum hominem cruentant, ac tam dirè, acritérque discruciant, ut gehennam in se videatur ferre cruciatuum, hinc de impijs ait Regius Vates. *Veniat mors super illos, & descendant in infernum viventes*; [*Psal. 54.*] & adferens causam hujus descensûs in gehenam subdit, *Quoniam nequitia in habitaculis eorum, in medio eorum*: sed si mors eos occupat, quomodo in infernum dicuntur viventes descendere? & si viventes in infernum descendunt, quomodo mors dicitur venire super illos? cum mors suo gelu vitam extinguat: vel igitur viventes non sunt, impij in infernum descendentes; vel si viventes, mors non venit super illos: vel si mors occupat, quos infernus viventes torquet; non est hujusmodi infernus, in quem descendunt impij non ampliùs viventes: qualis igitur est hujusmodi infernus, in quo viventes tam acriter torquentur? non credas, ait D. Ambrosius, alium esse hunc tam dirum infernum, quo viventes torquentur, quàm ipsam impiorum pravam conscientiam, hæc enim est, quæ Deo, & divinæ gratiæ per patrata scelera mortuos adhuc viventes in hoc sæculo, acriter discruciat, & dirè torquet, appositè S. Ambrosius apud Eusebium sic fatur: [*Homil. 19. §. 5.*] *Peccator, quamvis foris abundet, & delicijs diffluat, odoribus fragret, in amaritudine animæ vitam exigit, vita facinorosi ut somnium. Aperuit oculos, transivit requies ejus; evanuit delectatio, licèt ipsa, quæ videtur, etiam dum vivunt, impiorum requies, in inferno sit; viventes enim in infernum descendunt: Vides convivium peccatoris? interroga conscientiam ejus, nonne graviùs fœtet omnibus sepulchris? intueris lætitiam ejus? opum abundantiam? introspice ulcera, & vibices animæ ejus, cordisque mæstitudinem.*

64. Prava conscientia spirans mors est, cadaver viventis, sepulchrum peccati fœtentis, ac infernus immaturè præcoquus, qui jugiter torquet, cruciat, ac dirè lancinat; quia ex peccato carnifice sequitur animi peccantis carnificina; & scelerato nullum majus supplicium ipso scelere: vix culpa est admissa,

&

& omnis statim quies est amissa; vix scelus patratur,& in scelere necesse est pœna luatur; ut enim scitè scribit Seneca: *Sceleris in scelere supplicium est*, & impius licèt adhuc vivat, cruciatuum experitur gehennam: vivens est in inferno, qui sævis malæ conscientiæ pungitur, vulneratur, laceratur stimulis; ac velnti furiis ab orco emersis, ac dirè debacchantibus acerbè exagitatur. Quàm dirus, quàm sævus est lethalis iste viventium impiorum infernus! quàm ferales sunt malè conscii animi morsus! qui reus fit noxæ,cruciatuum sibi baratrum aperit, fitque statim sævientibus obnoxius pœnis; & conscientia improba perinde ac Poëtarum Erynnis ferro, & flammâ, ac multiplici dracone cincta, tetróque apparatu circumsepta, nescias magisne fœda, an sæva furentis instar Megeræ viscera quatit, & terrifico aspectu flagellum intentat; & nusquam lancinare desistit; adest tortor domi, comitatur impium foras, cum ipso accumbit mensæ, jacet in lecto, perambulat forum, exit in agrum, revertitur domum; quia sceleris supplicium in scelere est, & quandiu scelus manet, tandiu sævit supplicium, torquet tortor, qui nemini parcit; nec Pontificum tiaras, nec imperatorum clamydes, nec Regum sceptra, nec Cæsarum diademata, nec principum militares excubias, nec cocco rubentes purpuras, nec auro fulgentia paludamenta, neque venerandos Sapientum togas, neque nitentia procerum insignia, nec bellica militum saga, nec sectis marmoribus crustata pallatia,neque aulæis vestitos parietes,nec gemmis micantes vestes reveretur: sed ubique furit,in omnes sævit:ubique protervè se insinuat, & oculis se se objicit; inter histriones comicos incedens tragædias excitat; inter ludiones illudit insolentiùs: quamvis videatur impius in triclinio hilaris, in theatro lætus, in comitatu jucundus, larvata est ejus lætitia, personata jucunditas, & fucatum gaudium,nulla est in ejus fronte serenitas, nulla in mente tranquillitas, nulla in corde suavitas; quia tametsi hæc lætitia in extima vultûs cute videatur paradisum exhibere gaudiorum; intus tamen infernum occludit cruciatuum: sævus est, & atrox hic infernus, qui jugiter torquet, nullus est tam rabidus canis, qui ita dirè mordeat, sicut prava remordet conscientia.

Epist. 97.

65. Quàm sint ferales malè conscij animi morsus, ij experiuntur, quos prava intus conscientia torquet; cujus tormentum gehennæ pariatur, eò quia nunquam cesset, neque extinguatur, in quo cum igne confertur inferni. Idque causæ, cur Apostolus *1. ad Timoth. 4.* vocet cauteriatam improborum conscientiam: *cauteriatam habentes suam conscientiam.* Sed quódnam est hoc cauterium, quo conscientia impiorum ulceratur, & impios pœnalissimâ inurit ignominiæ notâ? non credas quid aliud esse, quàm ipsam conscientiam patrato scelere sauciam; est enim scelus cruentum vulnus adeo dirum, ac lethale, ut tormentorum videatur gehennam excitare, & secum trahere, ut observavit Præsul Mediolanensis, cujus nomen Ambrosiam sapit, qui explicans verba Apostoli: *cauteriatam habentes suam conscientiam*, ubi D. Paulus loquitur de impijs, de quibus Spiritus S. manifestè dicit, quia in novissimis temporibus discedent à fide attendentes spiritibus erroris, & doctrinis dœmonum, ait Ambrosius: *Quorum cauteriatam dicit conscientiam, hoc est simulatione corruptam, quia sicut cauterium corium corrumpit, & notam infligit, ita & fallacia conscientiam denotat ad perditionem, jam enim hos imitari negat, ut salventur; quia sicut cauterium immutari non potest, ita nec eorum animus emendari:* Quàm funestum est hoc cauterium, quod ut ait Ambrosius: *conscientiam denotat ad perditionem, & quidem æternam*, & adeo probrosa est ignominiæ nota, quâ improbos inurit,ut gehennali detrusis carceri æquiparet; est siquidem lethale hoc conscientiæ ulcus, cùm mortem adferat æternam, & de gehennæ æmulatione illius pœnam anticipet.

In Epist. 1. ad Timoth. 4.

66. Quòd si hoc ulcus diu putruerit, ejus curatio prorsus desperatur: *quia sicut cauterium*, ait Ambrosius, *immutari non potest, ita nec ejus animus emendari:* est hujus ulceris cauterium, quo impiorum putrescit conscientia tessera damnationis, & gehennæ impressus character probrosam inurens ignominiam: & sicut inustum brachio, vel pedi cauterium nullibi cauteriatum deserit, sed comitem se illi adjungit inseparabilem; perinde conscientiæ cauterium, & ulcus putrescens jugiter impios torquet. Testem accersitum volo Cainum adhuc fraterno sanguine cruentatum: is patrati sceleris conscius Nomini ejusdem Vindici respondet: *Ecce ejicis me hodie à facie terræ; & à facie tua abscondar, & ero vagus & profugus in terra; omnis igitur, qui invenerit me, occidet me.* Qui reus,erat fratricidij, Judicis fungitur officio, & sedens pro tribunali sententiam contra se dicit, & quidem commensam delicto: *Omnis igitur, qui invenerit me, occidet me*; quia ipse fratrem occiderat in campo, merebatur & ipse à quovis eidem obvio occidi. Quid? quòd Cainus tam dirè in se ipsum sævierit, ut contra se mortis sententiam dixerit? quia nimirum adeo intus torquebatur, & ex fratricidio carnifice, adeò dira fuerat subsecuta conscientiæ carnificina; ut nullum majus supplicium dari posse censuerit, ideóque sententiam mortis contra se tulit, ne supplicium sceleris diutiùs sentiret in scelere torquente fratricidio conscientiam: idque causæ, cur Cainus de conscientiæ severitate in se ipsum sævierit, appositè D. Ambrosius, qui eleganter rem hanc edisserit agens de Reo, cujus conscientiam patratum scelus torquet; ait ipse: *Favere sibi nescit, rigorem judicij etiam*

Genes. 4. v. 14.

In Apolog. David c. 1.

quò omnes ejus, vel inhibet passiones, vel coërcet motus; sitque propterea frœnare vitia singulare elogium verecundiæ; & propterea pernecessaria hæc est omnibus; ne à pravis affectibus ad flagitia pertrahantur, & licèt sit verecundia omnibus ætatibus, personis, temporibus, & locis apta: adolescentes tamen, ac puellas, vel maximè decet, in ipso enim corporis decore venustiùs rubescit verecundia, *quæ ab omni aliena luxu*, ut loquitur D. Ambrosius, *sobrietatem diligit, honestatem fovet*, quæ
Lib. 1. offic. cap. 43. geminæ virtutes adolescentes præsertim, ac puellas decent.

61. Refert Stobæus, Pythiam Aristotelis filiam rogatam, quónam colore puellarum genæ venustiùs pingerentur, respondisse, *colore verecundiæ*, & verum tetigit, quia nullus in vultu muliebri color venustior rubore, quem pudor in generat, & verecundia parturit. Quapropter Cornelius expendens illud Syracidis, ubi ait de
Eccles. cap. 7. verecundia mulieris, *Gratia verecundiæ ejus super aurum*, eruditè ait, verecundia in uxore magis rubet, & rutilat, quàm aurum: illius enim rubor est virtutis tinctura, ut ait Diogenes; atque arx pulchritudinis, ac castitatis, ut ait Diomedes.

62. Est igitur verecundia custos, & propugnatrix conscientiæ emaculatæ, cum non sinat, quidquam in ea admitti, quod turpitudinem oleat, & innocentiam lædat, ideóque dicitur verecundia vitium quodvis præire, & præeundo vetare: quia quæ sera est verecundia, ac vitio succedanea, hæc vitium non præit, nec ei dominatur, sed potiùs pedissequa est peccati, ad quod sequitur; de hac enim verecundia loquebatur David, cum dixit:
Psal. 43. *Tota die verecundia mea contra me est; & confusio faciei meæ cooperuit me*, ideo confusioni vultûs associatur hæc verecundia, quia vitijs succedanea erubescit, se patrati sceleris indicem esse, ac filiam: non enim potest fœdior fingi, vel pingi verecundia eâ, quâ suffunditur anima, cum se videt ornatu virtutum distitutam, à cœlesti patria exulem, Dei hæreditate exutam, à gloria exclusam, Deo inimicam, ac ignium fomitem æternorum; & in omne ævum totius orci factam ludibrium: & quia tantam secum miseriam trahit, ideo præpropera peccandi consusio eam præcedit: *Et confusio faciei meæ cooperuit me*, non est hæc verecundiæ suffusio flos decoris, sed confusio vultûs, & effusio dedecoris, ac ignominiæ; & de hoc pudore loquens, D. Anselmus ait: *Si hinc peccati pu-*
Lib. de simi lit. cap. 190. *dorem, & illinc cernerem inferni horrorem, & necessariò uni illorum deberem immergi. Priùs me in infernum mergerem, quàm in pudorem peccati me immitterem, mallem purus à peccato gehennam intrare, quàm peccati sorde pollutus cœlorum Regna tenere:* Adeo sævit in animo fera verecundia, peccati pedissequa, ut deformior censeatur Ipso Orco, acerbiórque ipsa gehenna.

## §. VIII.

### *Conscientia prava cruciatuum est gehenna, quæ impios viventes, & divina mortuos gratia torquet, & acriter discruciat.*

Si conscientia emaculata hortus est, in quo nonnisi probi vernant affectus, & 63.
honestamenta florent virtutum, ut hactenus disseruimus: si prava sit, & vitijs deturpata sylvescit in vepreta, quæ intus hominem pungunt, & ab animo quietem expungunt; vulnera infligunt, & internum hominem cruentant, ac tam dirè, acritérque discruciant, ut gehennam in se videatur ferre cruciatuum, hinc de impijs ait Regius Vates. *Veniat mors super illos, &* Psal. 54.
*descendant in infernum viventes*; & adferens causam hujus descensûs in gehenam subdit. *Quoniam nequitia in habitaculis eorum, in medio eorum*: sed si mors eos occupat, quomodo in infernum dicuntur viventes descendere? & si viventes in infernum descendunt, quomodo mors dicitur venire super illos? cum mors suo gelu vitam extinguat: vel igitur viventes non sunt, impij in infernum descendentes; vel si viventes, mors non venit super illos: vel si mors occupat, quos infernus viventes torquet; non est hujusmodi infernus, in quem descendunt impij non ampliùs viventes: qualis igitur est hujusmodi infernus, in quo viventes tam acriter torquentur? non credas, ait D. Ambrosius, alium esse hunc tam dirum infernum, quo viventes torquentur, quàm ipsam impiorum pravam conscientiam, hæc enim est, quæ Deo, & divinæ gratiæ per patrata scelera mortuos adhuc viventes in hoc sæculo, acriter discruciat, & dirè torquet, appositè S. Ambrosius apud Eusebium sic fatur: Homil. 19. §. 3.
*Peccator, quamvis foris abundet, & delicijs diffluat, odoribus fragret, in amaritudine animæ vitam exigit, vita facinorosi ut somnium. Aperuit oculos, transivit requies ejus; evanuit delectatio, licèt ipsa, quæ videtur, etiam dum vivunt, impiorum requies, in inferno sit; viventes enim in infernum descendunt: Vides convivium peccatoris? interroga conscientiam ejus, nonne graviùs fœtet omnibus sepulchris? intueris lætitiam ejus? opum abundantiam? introspice ulcera, & vibices animæ ejus, cordisque mœstitudinem.*

64. Prava conscientia spirans mors est, cadaver viventis, sepulchrum peccati fœtentis, ac infernus immaturè præcoquus, qui jugiter torquet, cruciat, ac dirè lancinat; quia ex peccato carnifice sequitur animi peccantis carnificina; & scelerato nullum majus supplicium ipso scelere: vix culpa est admissa, &

& omnis statim quies est amissa; vix scelus patratur,& in scelere necesse est pœna luatur; ut enim scitè scribit Seneca: *Sceleris in scelere supplicium est*, & impius licèt adhuc vivat, cruciatuum experitur gehennam: vivens est in inferno, qui sævis malæ conscientiæ pungitur, vulneratur, laceratur stimulis; ac veluti furiis ab orco emersis, ac dirè debacchantibus acerbè exagitatur. Quàm dirus, quàm sævus est lethalis iste viventium impiorum infernus! quàm ferales sunt malè conscii animi morsus! qui reus fit noxæ,cruciatuum sibi baratrum aperit, fitque statim sævientibus obnoxius pœnis; & conscientia improba perinde ac Poëtarum Erynnis ferro, & flammâ, ac multiplici dracone cincta, tetróque apparatu circumsepta, nescias magisne fœda, an sæva furentis instar Megeræ viscera quatit, & terrifico aspectu flagellum intentat; & nusquam lancinare desistit; adest tortor domi, comitatur impium foras, cum ipso accumbit mensæ, jacet in lecto, perambulat forum, exit in agrum, revertitur domum; quia sceleris supplicium in scelere est, & quandiu scelus manet, tandiu sævit supplicium, torquet tortor, qui nemini parcit; nec Pontificum tiaras, nec imperatorum clamydes, nec Regum sceptra, nec Cæsarum diademata, nec principum militares excubias, nec cocco rubentes purpuras, nec auro fulgentia paludamenta, neque venerandos Sapientum togas, neque nitentia procerum insignia, nec bellica militum saga, nec sectis marmoribus crustata pallatia,neque aulæis vestitos parietes,nec gemmis micantes vestes reveretur: sed ubique furit,in omnes sævit:ubique protervè se insinuat, & oculis se objicit; inter histriones comitos incedens tragædias excitat; inter ludiones illudit insolentiùs: quamvis videatur impius in triclinio hilaris, in theatro lætus, in comitatu jucundus, larvata est ejus lætitia, personata jucunditas, & fucatum gaudium,nulla est in ejus fronte serenitas, nulla in mente tranquillitas, nulla in corde suavitas; quia tametsi hæc lætitia in extima vultûs cute videatur paradisum exhibere gaudiorum; intus tamen infernum occludit cruciatuum: sævus est, & atrox hic infernus, qui jugiter torquet, nullus est tam rabidus canis, qui ita dirè mordeat, sicut prava remordet conscientia.

Ep. 97.

65. Quàm sint ferales malè conscij animi morsus, ij experiuntur, quos prava intus conscientia torquet; cujus tormentum gehennæ pariatur, eò quia nunquam cesset, neque extinguatur, in quo cum igne confertur inferni. Idque causæ, cur Apostolus 1. ad Timoth. 4. vocet cauteriatam improborum conscientiam; *cauteriatam habentes suam conscientiam*. Sed quódnam est hoc cauterium, quo conscientia impiorum ulceratur, & impios pœnalissimâ inurit ignominiæ notâ? non credas quid aliud esse, quàm ipsam conscientiam patrato scelere sauciam; est enim scelus cruentum vulnus adeo dirum, ac lethale, ut tormentorum videatur gehennam excitare, & secum trahere, ut observavit Præsul Mediolanensis, cujus nomen Ambrosiam sapit, qui explicans verba Apostoli: *cauteriatam habentes suam conscientiam*, ubi D. Paulus loquitur de impiis, *In Epist. 1. ad Timoth. 4.* de quibus Spiritus S. manifestè dicit, quia in novissimis temporibus discedent à fide attendentes spiritibus erroris, & doctrinis dœmonum, ait Ambrosius: *Quorum cauteriatam dicit conscientiam, hoc est simulatione corruptam, quia sicut cauterium corium corrumpit, & notam infligit, ita & fallacia conscientiam denotat ad perditionem, jam enim bos imitari negat, ut salventur; quia sicut cauterium immutari non potest, ita nec eorum animus emendari*? Quàm funestum est hoc cauterium, quod ut ait Ambrosius: *conscientiam denotat ad perditionem, & quidem æternam*, & adeo probrosa est ignominiæ nota, quâ improbos inurit,ut gehennali detrusis carceri æquiparet; est siquidem lethale hoc conscientiæ ulcus, cùm mortem adferat æternam, & de gehennæ æmulatione illius pœnam anticipet.

Quòd si hoc ulcus diu putruerit, ejus curatio prorsus desperatur: *quia sicut cauterium*, ait Ambrosius, *immutari non potest, ita nec ejus animus emendari*: est hujus ulceris cauterium, quo impiorum putrescit conscientia tessera damnationis, & gehennæ impressus character probrosam inurens ignominiam: & sicut inustum brachio, vel pedi cauterium nullibi cauteriatum deserit, sed comitem se illi adjungit inseparabilem; perinde conscientiæ cauterium, & ulcus putrescens jugiter impios torquet. Testem accersitum volo Cainum adhuc fraterno sanguine cruentatum: is patrati sceleris conscius Numini ejusdem Vindici respondet: *Ecce ejicis me hodie à facie terræ; & à facie tua abscondar, & ero vagus & profugus in terra; omnis igitur, qui invenerit me, occidet me*. Qui reus,erat fratricidij, Judicis fungitur officio, & sedens pro tribunali sententiam contra se dicit, & quidem commensam delicto: *Omnis igitur, qui invenerit me, occidet me*; quia ipse fratrem occiderat in campo, merebatur & ipse à quovis eidem obvio occidi. Quid? quòd Cainus tam dirè in se ipsum sævierit, ut contra se mortis sententiam dixerit? quia nimirum adeo intus torquebatur, & ex fratricidio carnifice, adeò dira fuerat subsecuta conscientiæ carnificina; ut nullum majus supplicium dari posse censuerit, ideóque sententiam mortis contra se tulit, ne supplicium sceleris diutiùs sentiret in scelere torquente fratricidio conscientiam: idque causæ, cur Cainus de conscientiæ severitate in se ipsum sævierit, appositè D. Ambrosius, qui eleganter rem hanc edisserit agens de Reo, cujus conscientiam patratum scelus torquet; ait ipse: *Favere sibi nescit, rigorem judicij etiam*

66.

*Genes. 4. v. 14.*

*In Apolog. David. c. 8.*

quò omnes ejus, vel inhibet passiones, vel coërcet motus; sitque propterea frœnare vitia singulare elogium verecundiæ; & propterea pernecessaria hæc est omnibus; ne à pravis affectibus ad flagitia pertrahantur, & licèt sit verecundia omnibus ætatibus, personis, temporibus, & locis apta: adolescentes tamen, ac puellas, vel maximè decet, in ipso enim corporis decore venustiùs rubescit verecundia, *quæ ab omni aliena luxu*, ut loquitur D. Ambrosius, Lib. 1. offic. cap. 43. *sobrietatem diligit, honestatem fovet*, quæ geminæ virtutes adolescentes præsertim, ac puellas decent.

61. Refert Stobæus, Pythiam Aristotelis filiam rogatam, quónam colore puellarum genæ venustiùs pingerentur, respondisse, *colore verecundiæ*, & verum tetigit, quia nullus in vultu muliebri color venustior rubore, quem pudor in generat, & verecundia parturit. Quapropter Cornelius expendens illud Syracidis, ubi ait de Eccles. cap. 7. verecundia mulieris, *Gratia verecundiæ ejus super aurum*, eruditè ait, verecundia in uxore magis rubet, & rutilat, quàm aurum: illius enim rubor est virtutis tinctura, ut ait Diogenes; atque arx pulchritudinis, ac castitatis, ut ait Diomedes.

62. Est igitur verecundia custos, & propugnatrix conscientiæ emaculatæ, cum non sinat, quidquam in ea admitti, quod turpitudinem oleat, & innocentiam lædat, ideóque dicitur verecundia vitium quodvis præire, & præeundo vetare: quia quæ sera est verecundia, ac vitio succedanea, hæc vitium non præit, nec ei dominatur, sed potiùs pedissequa est peccati, ad quod sequitur; de hac enim verecundia loquebatur David, cum dixit: Psal. 43. *Tota die verecundia mea contra me est; & confusio faciei meæ cooperuit me*, ideo confusioni vultûs associatur hæc verecundia, quia vitijs succedanea erubescit, se patrati sceleris indicem esse, ac filiam: non enim potest fœdior fingi, vel pingi verecundia eâ, quâ suffunditur anima, cum se videt ornatu virtutum destitutam, à cœlesti patria exulem, Dei hæreditate exutam, à gloria exclusam, Deo inimicam, ac ignium fomitem æternorum; & in omne ævum totius orci factam ludibrium: & quia tantam secum miseriam trahit, ideo præpropera peccandi confusio eam præcedit: *Et confusio faciei meæ cooperuit me*, non est hæc verecundiæ suffusio flos decoris, sed confusio voltûs, & effusio dedecoris, ac ignominiæ; & de hoc pudore loquens, D. Anselmus ait: *Si hinc peccati pu-* Lib. de simi lit. cap. 190. *dorem, & illinc cernerem inferni horrorem, & necessariò uni illorum deberem immergi. Priùs me in infernum mergerem, quàm in pudorem peccati me immitterem, mallem purus à peccato gehennam intrare, quàm peccati sorde pollutus cœlorum Regna tenere:* Adeo sævit in animo sera verecundia, peccati pedissequa, ut deformior censeatur Ipso Orco, acerbiórque ipsa gehenna.

## §. VIII.

### *Conscientia prava cruciatuum est gehenna, quæ impios viventes, & divina mortuos gratia torquet, & acriter discruciat.*

Si conscientia emaculata hortus est, in quo nonnisi probi vernant affectus, & honestamenta florent virtutum, ut hactenus disseruimus: si prava sit, & vitijs deturpata sylvescit in vepreta, quæ intus hominem pungunt, & ab animo quietem expungunt; vulnera infligunt, & internum hominem cruentant, ac tam dirè, acritérque discruciant, ut gehennam in se videatur ferre cruciatuum, hinc de impijs ait Regius Vates. *Veniat mors super illos. & descendant in infernum viventes*; & adferens causam hujus descensûs in gehenam subdit. *Quoniam nequitia in habitaculis eorum, in medio eorum*: sed si mors eos occupat, quomodo in infernum dicuntur viventes descendere? & si viventes in infernum descendunt, quomodo mors dicitur venire super illos? cum mors suo gelu vitam extinguat: vel igitur viventes non sunt, impij in infernum descendentes; vel si viventes, mors non venit super illos: vel si mors occupat, quos infernus viventes torquet; non est hujusmodi infernus, in quem descendunt impij non ampliùs viventes: qualis igitur est hujusmodi infernus, in quo viventes tam acriter torquentur? non credas, ait D. Ambrosius, alium esse hunc tam dirum infernum, quo viventes torquentur, quàm ipsam impiorum pravam conscientiam, hæc enim est, quæ Deo, & divinæ gratiæ per patrata scelera mortuos adhuc viventes in hoc sæculo, acriter discruciat, & dirè torquet, appositè S. Ambrosius apud Eusebium sic fatur: Homil. 19. §. 3. *Peccator, quamvis foris abundet, & delicijs diffluat, odoribus fragret, in amaritudine animæ vitam exigit, vita facinorosi ut somnium. Aperuit oculos, transivit requies ejus; evanuit delectatio, licèt ipsa, quæ videtur, etiam dum vivunt, impiorum requies, in inferno sit; viventes enim in infernum descendunt: Vides convivium peccatoris? interroga conscientiam ejus, nonne graviùs fœtet omnibus sepulchris? intueris lætitiam ejus? opum abundantiam? introspice ulcera, & vibices animæ ejus, cordisque mœstitudinem.*

63. (beside "Si conscientia emaculata hortus est, in") — Psal. 54. (beside "*Veniat mors super illos.*")

64. Prava conscientia spirans mors est, cadaver viventis, sepulchrum peccati fœtentis, ac infernus immaturè præcoquus, qui jugiter torquet, cruciat, ac dirè lancinat; quia ex peccato carnifice sequitur animi peccantis carnificina; & scelerato nullum majus supplicium ipso scelere: vix culpa est admissa,

&

& omnis statim quies est amissa; vix scelus patratur, & in scelere necesse est pœna luatur; Ep. 97. ut enim scitè scribit Seneca: *Sceleris in scelere supplicium est*, & impius licèt adhuc vivat, cruciatuum experitur gehennam: vivens est in inferno, qui sævis malæ conscientiæ pungitur, vulneratur, laceratur stimulis; ac veluti furiis ab orco emersis, ac dirè debacchantibus acerbè exagitatur. Quàm dirus, quàm sævus est lethalis iste viventium impiorum infernus! quàm ferales sunt malè conscii animi morsus! qui reus fit noxæ, cruciatuum sibi baratrum aperit, fitque statim sævientibus obnoxius pœnis; & conscientia improba perinde ac Poëtarum Erynnis ferro, & flammâ, ac multiplici dracone cincta, tetróque apparatu circumsepta, nescias magisne fœda, an sæva furentis instar Megeræ viscera quatit, & terrifico aspectu flagellum intentat; & nusquam lancinare desistit; adest tortor domi, comitatur impium foras, cum ipso accumbit mensæ, jacet in lecto, perambulat forum, exit in agrum, revertitur domum; quia sceleris supplicium in scelere est, & quandiu scelus manet, tandiu sævit supplicium, torquet tortor, qui nemini parcit; nec Pontificum tiaras, nec imperatorum clamydes, nec Regum sceptra, nec Cæsarum diademata, nec principum militares excubias, nec cocco rubentes purpuras, nec auro fulgentia paludamenta, neque venerandos Sapientum togas, neque nitentia procerum insignia, nec bellica militum saga, nec sectis marmoribus crustata pallatia, neque aulæis vestitos parietes, nec gemmis micantes vestes reveretur: sed ubique furit, in omnes sævit: ubique protervè se insinuat, & oculis se se objicit; inter histriones comicos incedens tragædias excitat; inter ludiones alludit insolentiùs: quamvis videatur impius in triclinio hilaris, in theatro lætus, in comitatu jucundus, larvata est ejus lætitia, personata jucunditas, & fucatum gaudium, nulla est in ejus fronte serenitas, nulla in mente tranquillitas, nulla in corde suavitas; quia tametsi hæc lætitia in extima vultûs cute videatur paradisum exhibere gaudiorum; intus tamen infernum occludit cruciatuum: sævus est, & atrox hic infernus, qui jugiter torquet, nullus est tam rabidus canis, qui ita dirè mordeat, sicut prava remordet conscientia.

65. Quàm sint ferales malè conscij animi morsus, ij experiuntur, quos prava intus conscientia torquet; cujus tormentum gehennæ pariatur, eò quia nunquam cesset, neque extinguatur, in quo cum igne confertur inferni. Idque causæ, cur Apostolus 1. ad Timoth. 4. vocet cauteriatam improborum conscientiam: *cauteriatam habentes suam conscientiam.* Sed quódnam est hoc cauterium, quo conscientia impiorum ulceratur, & impios pœnalissimâ inurit ignominiæ notâ? non credas quid aliud esse, quàm ipsam conscientiam patrato scelere sauciam; est enim scelus cruentum vulnus adeo dirum, ac lethale, ut tormentorum videatur gehennam excitare, & secum trahere, ut observavit Præsul Mediolanensis, cujus nomen Ambrosiam sapit, qui explicans verba Apostoli: *cauteriatam habentes suam conscientiam*, ubi D. Paulus loquitur de impiis, In Epist. 1. ad Timoth. 4. de quibus Spiritus S. manifestè dicit, quia in novissimis temporibus discedent à fide attendentes spiritibus erroris, & doctrinis dæmonum, ait Ambrosius: *Quorum cauteriatam dicit conscientiam, hoc est simulatione corruptam, quia sicut cauterium corium corrumpit, & notam infligit, ita & fallacia conscientiam denotat ad perditionem, jam enim hos imitari negat, ut salventur; quia sicut cauterium immutari non potest, ita nec eorum animus emendari:* Quàm funestum est hoc cauterium, quod ut ait Ambrosius: *conscientiam denotat ad perditionem, & quidem æternam*, & adeo probrosa est ignominiæ nota, quâ improbos inurit, ut gehennali detrusis carceri æquiparet; est siquidem lethale hoc conscientiæ ulcus, cùm mortem adferat æternam, & de gehennæ æmulatione illius pœnam anticipet.

Quòd si hoc ulcus diu putruerit, ejus 66. curatio prorsus desperatur: *quia sicut cauterium*, ait Ambrosius, *immutari non potest, ita nec ejus animus emendari:* est hujus ulceris cauterium, quo impiorum putrescit conscientia tessera damnationis, & gehennæ impressus character probrosam inurens ignominiam: & sicut inustum brachio, vel pedi cauterium nullibi cauteriatum deserit, sed comitem se illi adjungit inseparabilem; perinde conscientiæ cauterium, & ulcus putrescens jugiter impios torquet. Testem accersitum volo Cainum adhuc fraterno sanguine cruentatum: is patrati sceleris conscius Numini ejusdem Vindici respondet: *Ecce ejicis me hodie à facie terræ; & à facie* Genes. 4. v. 14. *tua abscondar, & ero vagus & profugus in terra; omnis igitur, qui invenerit me, occidet me.* Qui reus, erat fratricidij, Judicis fungitur officio, & sedens pro tribunali sententiam contra se dicit, & quidem commensam delicto: *Omnis igitur, qui invenerit me, occidet me*; quia ipse fratrem occiderat in campo, merebatur & ipse à quovis eidem obvio occidi. Quid? quòd Cainus tam dirè in se ipsum sævierit, ut contra se mortis sententiam dixerit? quia nimirum adeo intus torquebatur, & ex fratricidio carnifice, adeò dira fuerat subsecuta conscientiæ carnificina; ut nullum majus supplicium dari posse censuerit, ideóque sententiam mortis contra se tulit, ne supplicium sceleris diutiùs sentiret in scelere torquente fratricidio conscientiam: idque causæ, cur Cainus de conscientiæ severitate in se ipsum sævierit, appositè D. Ambrosius, qui eleganter rem hanc edisserit agens de Reo, cujus In Apolog. David c. 4. conscientiam patratum scelus torquet; ait ipse: *Favere sibi nescit, rigorem judicij etiam*

quò omnes ejus, vel inhibet passiones, vel coërcet motus; fitque propterea frœnare vitia singulare elogium verecundiæ; & propterea pernecessaria hæc est omnibus; ne à pravis affectibus ad flagitia pertrahantur, & licèt fit verecundia omnibus ætatibus, personis, temporibus, & locis apta: adolescentes tamen, ac puellas, vel maximè decet, in ipso enim corporis decore venustiùs rubeleit verecundia, *qua ab omni aliena luxu*, ut loquitur D. Ambrosius,
Lib. 1. offic. cap. 43. *sobrietatem diligit, honestatem fovet*, quæ geminæ virtutes adolescentes præsertim, ac puellas decent.

61. Refert Srobæus, Pythiam Aristotelis filiam rogatam, quónam colore puellarum genæ venustiùs pingerentur, respondisse, *colore verecundiæ*. & verum tetigit, quia nullus in vultu muliebri color venustior rubore, quem pudor in generat, & verecundia parturit. Quapropter Cornelius expendens illud Syracidis, ubi ait de
Eccles. cap. 7. verecundia mulieris, *Gratia verecundiæ ejus super aurum*, eruditè ait, verecundia in uxore magis rubet, & rutilat, quàm aurum: illius enim rubor est virtutis tinctura, ut ait Diogenes; atque arx pulchritudinis, ac castitatis, ut ait Diomedes.

62. Est igitur verecundia custos, & propugnatrix conscientiæ emaculatæ, cum non finat, quidquam in ea admitti, quod turpitudinem oleat, & innocentiam lædat, ideóque dicitur verecundia vitium quodvis præire, & præeundo vetare: quia quæ fera est verecundia, ac vitio succedanea, hæc vitium non præit, nec ei dominatur, sed potiùs pedissequa est peccati, ad quod sequitur; de hac enim verecundia loquebatur David, cum dixit:
Psal. 43. *Tota die verecundia mea contra me est; & confusio faciei meæ cooperuit me*, ideo confusioni vultûs associatur hæc verecundia, quia vitijs succedanea erubeleit, se patrati sceletis indicem esse, ac filiam: non enim potest fœdior fingi, vel pingi verecundia eâ, quâ suffunditur anima, cum se videt ornatu virtutum distitutam, à cœlesti patria exulem, Dei hæreditate exutam, à gloria exclusam, Deo inimicam, ac ignium fomitem æternorum; & in omne ævum totius orci factam ludibrium: & quia tantam secum miseriam trahit, ideo præpropera peccandi confusio eam præcedit: *Et confusio faciei meæ cooperuit me*, non est hæc verecundiæ suffusio floris decoris, sed confusio vultûs, & effusio dedecoris, ac ignominiæ; & de hoc pudore loquens, D. Anselmus ait: *Si hinc peccati pu-*
Lib. de simi lit. cap. 190. *dorem, & illinc cernerem inferni horrorem, & necessariò uni illorum deberem immergi. Priùs me in infernum mergerem, quàm in pudorem peccati me immitterem, malem purus à peccato gehennam intrare, quàm peccati sorde pollutus cælorum Regna tenere:* Adeo sævit in animo fera verecundia, peccati pedissequa, ut deformior censeatur ipso Orco, acerbiórque ipsa gehenna.

## §. VIII.

### *Conscientia prava cruciatuum est gehenna, qua impios viventes, & divina mortuos gratia torquet, & acriter discruciat.*

Si conscientia emaculata hortus est, in quo nonnisi probi vernant affectus, & honestamenta florent virtutum, ut hactenus disseruimus: si prava sit, & vitijs detutpata sylvescit in vepreta, quæ intus hominem pungunt, & ab animo quietem expungunt; vulnera infligunt, & internum hominem cruentant, ac tam dirè, acritérque discruciant, ut gehennam in se videatur ferre cruciatuum, hinc de impijs ait Regius Vates. *Veniat mors super illos, &* 63.
*descendant in infernum viventes*; & adse- Psal. 54.
rens causam hujus descensûs in gehenam subdit. *Quoniam nequitia in habitaculis eorum, in medio eorum*: sed si mors eos occupat, quomodo in infernum dicuntur viventes descendere? & si viventes in infernum descendunt, quomodo mors dicitur venire super illos? cum mors suo gelu vitam extinguat: vel igitur viventes non sunt, impij in infernum descendentes; vel si viventes, mors non venit super illos: vel si mors occupat, quos infernus viventes torquet; non est hujusmodi infernus, in quem descendunt impij non ampliùs viventes: qualis igitur est hujusmodi infernus, in quo viventes tam acriter torquentur? non credas, ait D. Ambrosius, alium esse hunc tam dirum infernum, quo viventes torquentur, quàm ipsam impiorum pravam conscientiam, hæc enim est, quæ Deo, & divinæ gratiæ per patrata scelera mortuos adhuc viventes in hoc sæculo, acriter discruciat, & dirè torquet, appositè S. Ambrosius apud Eusebium sic fatur: Homil. 19. §. 3.
*Peccator, quamvis foris abundet, & deliciis diffluat, odoribus fragret, in amaritudine animæ vitam exigit, vita facinorosi ut somnium. Aperuit oculos, transivit requies ejus; evanuit delectatio, licèt ipsa, quæ videtur, etiam dum vivunt, impiorum requies, in inferno fit; viventes enim in infernum descendunt: Vides convivium peccatoris? interroga conscientiam ejus, nonne graviùs fœtet omnibus sepulchris? intueris lætitiam ejus? opum abundantiam? introspice ulcera, & vibices animæ ejus, cordisque mœstitudinem.*

Prava conscientia spirans mors est, cadaver viventis, sepulchrum peccati fœtentis, ac infernus immaturè præcoquus, qui jugiter torquet, cruciat, ac dirè lancinat; quia ex peccato carnifice sequitur animi peccantis carnificina; & scelerato nullum majus supplicium ipso scelere: vix culpa est admissa, 64.
&

& omnis ſtatim quies eſt amiſſa; vix ſcelus patratur,& in ſcelere neceſſe eſt pœna luatur; ut enim ſcitè ſcribit Seneca: *Sceleris in ſcelere ſupplicium eſt*, (Epiſt. 97.) & impius licèt adhuc vivat, cruciatuum experitur gehennam: vivens eſt in inferno, qui ſævis malæ conſcientiæ pungitur, vulneratur, laceratur ſtimulis; ac veluti furiis ab orco emerſis, ac dirè debacchantibus acerbè exagitatur. Quàm dirus, quàm ſævus eſt lethalis iſte viventium impiorum infernus! quàm ferales ſunt malè conſcii animi morſus! qui reus fit noxæ, cruciatuum ſibi baratrum aperit, fitque ſtatim ſævientibus obnoxius pœnis; & conſcientia improba perinde ac Poëtarum Erynnis ferro, & flammâ, ac multiplici dracone cincta, terróque apparatu circumſepta, neſcias magisne fœda, an ſæva furentis inſtar Megeræ viſcera quatit, & terrifico aſpectu flagellum intentat; & nuſquam lancinare deſiſtit; adeſt tortor domi, comitatur impium foras, cum ipſo accumbit menſæ, jacet in lecto, perambulat forum, exit in agrum, revertitur domum; quia ſceleris ſupplicium in ſcelere eſt, & quandiu ſcelus manet, tandiu ſævit ſupplicium, torquet tortor, qui nemini parcit; nec Pontificum tiaras, nec imperatorum clamydes, nec Regum ſceptra, nec Cæſarum diademata, nec principum militares excubias, nec cocco rubentes purpuras, nec auro fulgentia paludamenta, neque venerandos Sapientum togas, neque nitentia procerum inſignia, nec bellica militum ſaga, nec ſectis marmoribus cruſtata pallatia, neque aulæis veſtitos parietes, nec gemmis micantes veſtes reveretur: ſed ubique furit, in omnes ſævit: ubique protervè ſe inſinuat, & oculis ſe ſe objicit; inter hiſtriones comitos incedens tragædias excitat; inter ludiones illudit inſolentiùs: quamvis videatur impius in triclinio hilaris, in theatro lætus, in comitatu jucundus, larvata eſt ejus lætitia, perſonata jucunditas, & fucatum gaudium, nulla eſt in ejus fronte ſerenitas, nulla in mente tranquillitas, nulla in corde ſuavitas; quia tametſi hæc lætitia in extima vultûs cute videatur paradiſum exhibere gaudiorum; intus tamen infernum occludit cruciatuum: ſævus eſt, & atrox hic infernus, qui jugiter torquet, nullus eſt tam rabidus canis, qui ita dirè mordeat, ſicut prava remordet conſcientia.

65. Quàm ſint ferales malè conſcij animi morſus, ij experiuntur, quos prava intus conſcientia torquet; cujus tormentum gehennæ pariatur, eò quia nunquam ceſſet, neque extinguatur, in quo cum igne confertur inferni. Idque cauſæ, cur Apoſtolus *1. ad Timoth. 4.* vocet cauteriatam improborum conſcientiam: *cauteriatam habentes ſuam conſcientiam.* Sed quódnam eſt hoc cauterium, quo conſcientia impiorum ulceratur, & impios pœnaliſſimâ inurit ignominiæ notâ? non credas quid aliud eſſe, quàm ipſam conſcientiam patrato ſcelere ſauciam; eſt enim ſcelus cruentum vulnus adeo dirum, ac lethale, ut tormentorum videatur gehennam excitare, & ſecum trahere, ut obſervavit Præſul Mediolanenſis, cujus nomen Ambroſiam ſapit, qui explicans verba Apoſtoli: *cauteriatam habentes ſuam conſcientiam*, ubi D. Paulus loquitur de impijs, (*In Epiſt. 1. ad Timoth. 4.*) de quibus Spiritus S. manifeſtè dicit, quia in noviſſimis temporibus diſcedent à fide attendentes ſpiritibus erroris, & doctrinis dœmonum, ait Ambroſius: *Quorum cauteriatam dicit conſcientiam, hoc eſt ſimulatione corruptam, quia ſicut cauterium corium corrumpit, & notam infligit, ita & fallacia conſcientiam denotat ad perditionem, jam enim hos imitari negat, ut ſalventur; quia ſicut cauterium immutari non poteſt, ita nec eorum animus emendari?* Quàm funeſtum eſt hoc cauterium, quod ut ait Ambroſius: *conſcientiam denotat ad perditionem, & quidem æternam*, & adeo probroſa eſt ignominiæ nota, quâ improbos inurit, ut gehennali detruſis carceri æquiparet; eſt ſiquidem lethale hoc conſcientiæ ulcus, cùm mortem adferat æternam, & de gehennæ æmulatione illius pœnam anticipet.

66. Quòd ſi hoc ulcus diu putruerit, ejus curatio prorſus deſperatur: *quia ſicut cauterium*, ait Ambroſius, *immutari non poteſt, ita nec ejus animus emendari:* eſt hujus ulceris cauterium, quo impiorum putreſcit conſcientia teſſera damnationis, & gehennæ impreſſus character probroſam inurens ignominiam: & ſicut inuſtum brachio, vel pedi cauterium nullibi cauteriatum deſerit, ſed comitem ſe illi adjungit inſeparabilem; perinde conſcientiæ cauterium, & ulcus putreſcens jugiter impios torquet. Teſtem acerſitum volo Cainum adhuc fraterno ſanguine cruentatum: is patrati ſceleris conſcius Numini ejusdem Vindici reſpondet: *Ecce ejicis me hodie à facie terræ; & à facie tua abſcondar, & ero vagus & profugus in terra; omnis igitur, qui invenerit me, occidet me.* (*Geneſ. 4. v. 14.*) Qui reus, erat fratricidij, Judicis fungitur officio, & ſedens pro tribunali ſententiam contra ſe dicit, & quidem commenſam delicto: *Omnis igitur, qui invenerit me, occidet me*; quia ipſe fratrem occiderat in campo, merebatur & ipſe à quovis eidem obvio occidi. Quid? quòd Cainus tam dirè in ſe ipſum ſævierit, ut contra ſe mortis ſententiam dixerit? quia nimirum adeo intus torquebatur, & ex fratricidio carnifice, adeò dira fuerat ſubſecuta conſcientiæ carnificina; ut nullum majus ſupplicium dari poſſe cenſuerit, ideóque ſententiam mortis contra ſe tulit, ne ſupplicium ſceleris diutiùs ſentiret in ſcelere torquente fratricidio conſcientiam: idque cauſæ, cur Cainus de conſcientiæ ſeveritate in ſe ipſum ſævierit, appoſitè D. Ambroſius, qui eleganter rem hanc ediſſerit agens de Reo, cujus conſcientiam patratum ſcelus torquet; ait ipſe: (*In Apolog. David c. 6.*) *Favere ſibi neſcit, rigorem judicij etiam*

*circa se non novit inflectere, recordationem actus proprij perhorrescit & commissum erubescit errorem, omnem ejus memoriam pavet, metuit, & reformidat; gravem sibi se judicat, se ipsum arbitrum refugit, nec se sibi audet committere. Magna vis obnoxiæ conscientiæ, magna supplicia timebant Adam, & Eva. Cain quoque metuebat, ne omnis eum quicunque inveniret, occideret, ita in se ipse ferebat sententiam, quòd dignus esset, cui nullus ignosceret.* Dirum est sceleratæ, ac læsæ conscientiæ tormentum, ad quod declinandum, vel ipse Reus, & impius sententiam contra se mortis pronuntiat, minus censens malum esse mortem adire, quàm malæ conscientæ mentis cruriatus subire.

67. Quamvis suggerente natura sit quivis homo sibi mitissimus Judex, & promptiùs sibi, quàm aliis ignoscat, faciliùs sibi indulgeat, quàm socio; adeò tamen sævit in se mens sibi malè conscia, ut ne ejus intus sentiat cruciatus, malit vel gladio, vel fuste, igne, vel aquâ interfici, *Omnis igitur*, aiebat Cain, *qui invenerit me, occidet me*, sive ferro fuerit armatus, sive igne. Conterminæ sunt pœna, & culpa; & est morte malum atrocius, vitam traducere malam; nullum enim est tormentum, quod acriùs impium torqueat, quàm quod depravata conscientia invehit: fateor sævos fuisse cruciatus, quibus homines Diomedis equi, Busiridis tauri, Syllæ carceres, ad necem usque torquebant; sed si cum impij depravata conscientia conferantur, flores sunt, non spinæ; quia improbæ conscientiæ laniena cæteros exsuperat cruciatus; hi enim nonnisi in corporis membra, ejúsque corium sæviunt; cùm laniena conscientiæ non corpus, sed animum, qui in homine est pars nobilior, ac longè delicatior, discerpat, & torqueat. Scio Pelusios sævum vindicaturos parricidium, reum non damnâsse ad eculeum, neque culeum; sed dirius quid aliud excogitâsse: fuit autem hoc dirius supplicium ipsa laniena conscientiæ: siquidem ad summæ atrocitatis exemplum, hoc unum adinvenêre tormentorum omnium acerbissimum, quo finerent, reum non alio torqueri supplicio, quàm patrati parricidij redarguente, ac torquente conscientiâ, cogentes Reum per triduum integrum re nulla in stomachum demissa cadaver spectare occisi parentis, quo enormissimo omnium puniretur supplicio admonitione scilicet sceleris, & redargutione propriæ conscientiæ, quæ est irrefragabile admissi sceleris testimonium, ac propterea supplicium supra omne supplicium.

68. Potest quidem interdum reus è tyrannorum paratis cruciatibus evadere, vel obtinere sceleris indulgentiam; sed nemo est, qui conscientiæ severitatem possit fugâ illudere, ner per ullam fraudem ejus declinare cruciatus: conscientia improba, vel excors est, vel si cor habet, non tamen flexile ad veniam: neque impij, tametsi pernicissimi ijsdem pedes inessent, possent ex ipsius elabi manibus, cùm nemo à se fugiat; nemo extra se curat; nemo sit cordis sui accola, sed quisque propriæ sit conscientiæ incola; nullus sit suæ mentis advena, nec proprij pectoris transfuga; proinde nullus, qui propriam potis sit conscientiam effugere, & à se eam abigere, ne illius sentiat cruriatus: ipsum peccâsse ineluctabilis est tyrannis, & anima, quæ peccavit, hanc in se tyrannidem traxit, quâ dirè, & jugiter torqueatur; est enim pœna culpæ pedissequa, & ubi culpa admittitur, ibi pœna non dimittitur: nullus est, qui si improbus fuerit, asylum in se ipso inveniat; & frustra admitor fugere, qui culpam in se introduxit; quamvis sit impius domesticos inter parietes tutus, non tamen ibi securus est; quin diriùs plerumque torqueatur redarguentis conscientiæ lanienâ, quàm in foro, ubi se minus tutum credit: semper pavet conscientia læsa, etiam dum pavenda studiosè cavet; quia licèt non immineant foris pericula, non sint inimici, quos timeat, habet tamen in se, quod timeat; & quamvis è manibus dilabatur satellitum, lictores fugiat, spiculatores evadat, non tamen inde est securus, nec cruciatus declinat, quia se ipsum semper tenet, & læsæ conscientiæ lanienam retinet.

Dixerim pravæ conscientiæ supplicium ab eo haud abludere, quo quondam tyrannorum crudelissimi mortis reos ita putrescentibus jam cadaveribus consueverant arctiùs colligare, ut os Rei viventis, illud deosculaIetur cadaveris putrescentis; & frons fronti, brahia brachiis, pectus pectori, ac pedes Rei viventis pedibus fuerint cadaveris jam fœtentis illigati: quid ni alligata est nobis pœna post admissam culpam, cujus cadaver superstes manet, ex quo dimanat pavor, pudor, dolor; huic cadaveri patrati sceleris illigantur impij, cùm illud die, noctéque gestent in pectore, ideóque aiebat Cainus de conscientiæ severitate in se ipsum sæviens *Omnis igitur, qui invenerit me, occidet me*, quasi ab uno semel occisus, adhuc lethalem plagam posset à reliquis accipere; quia nimirum quamdiu est sibi mens malè conscia, tamdiu manet neci obnoxia; quapropter scribit D. Jacobus in sua epistola canonica. *Peccatum verò cum consummatum fuerit, generat mortem.* Scio, sacros Interpretes inquirentes, quódnam mortis genus sit, quod peccatum consummatum generat, in varia abiisse placita, sed libentiùs ijs assentior, qui autumant, mortem genitam à peccato consummato, amarissimum esse conscientiæ angorem, ac dirum mentis malè sibi consciæ dolorem; qua de causa Susanna insanientes libidine senes, ut abigeret aiebat intra se *angustia sunt mihi undique, si enim hoc egero, mors mihi est*, nimirum instar mortis præ doloris acerbitate, & conscientiæ angoribus. Hinc S. Chrysostomus ait; *Ita se habet peccatum, quando consummatum est, & in opere*

69.

Cap. 1.

Homil. 64. in Genes.

*opere perfectum, tunc sua absurditatis ostendit excellentiam*: vocat absurditatis excellentiam, quia exaggerat ejus turpitudinem, ac tormentum; & licèt excellentiæ vocabulum virtuti congruat, vitio tamen adaptatur, cujus nequitia exaggeratur, nimirum virtutum ingreditur officinam mens sibi malè conscia, ut ibi vocabulum cudat, quo excellentiùs impium torqueat, ac atrociùs divexet; neque ut rea convincatur, alio indiget accusatore, cum se ipsam abundè accuset; convincat, damnet; quia infestior est improba conscientia animo testis, quàm collo prædonis suspendendi sit restis. Imò & sibi patibulum construit, quo promeritas luat pœnas, ut in proditore Juda, qui post Magistrum Christum divenditum, adeò diram fuit expertus conscientiæ lanienam, ut cum ipsam ferre non posset, laqueo se suspenderit: osculum fidei, & amoris symbolum, in odij, & perfidiæ tesseram converterat, ut ad osculum Proditoris veluti ad ferale classicum tota se se vesana cohors effunderet in furias in Magistri Christi perniciem; sed patrati sacrilegi sceleris, vel ipsa statim conscientia pœnas apparavit, quibus proditorem torqueret; quia nullum est damnum tam grave, quàm conscientiæ suffragio miserum fieri.

70. Adeo est prava conscientia impio noxia, ut vectigales sibi constituat ærumnas, ac miserias omnes; neque impunita possunt abire scelera: quia prima, eáque & maxima est peccantium pœna, ait Seneca *Epist. 97.* peccâsse; & nemo immunis est à solutione vectigalis, quod de peccati censu exigitur; nec ullum est scelus, quod pedissequos non secum trahat cruciatus, cum vel in ipso scelere sit sceleris supplicium; malè enim sibi mens conscia se ipsam solicitudine urget, cruciatu torquet, stimulis vulnerat: licèt fortuna plures à corporis pœna plerumque liberet, nunquam tamen impium ab animi cruciatu: nemo est, qui conscientiâ læsus metum valeat à se excutere, quia infixa est impio ejus rei aversatio, quam natura damnavit: Non rectè de nobis actum esset, si cùm plura scelera legem effugiant, & vindicem, ac scripta supplicia; natura ipsa per internum syndereſis rortorem patrata non puniret flagitia; & plura inde accessisset incommoda, quæ in pœnam delicti dirè torquent delinquentes: ait propterea Apostolus: *Stipendium peccati mors, gratia autem Dei vita æterna*, seu ut legit Tertullianus: *donativa Dei vita æterna*, quatenus qui studio sunt addicti justitiæ, ac virtutum culturæ; participes fiunt, ac hæredes vitæ æternæ: cum è converso vitijs indulgentes mortis constituantur vectigales, quia stipendium peccati mors: est hoc mortis penlum, cui ob patratum à nobis scelus obærati sumus: quidquid molestiæ, calamitatis, ac ærumnarum nobis obtingit mortis stipendium est, & mors pensum sceleris, à quo velnti à vitiata radice mala omnia prodeunt, ex scelere enim oriûtur atrocia illa,

*Ad Rom. 6. v. 23.* *Lib. de resurrect. car.*

quæ in corpus sæviunt tormenta; cruciatus animam divexantes, & damna omnia, quæ hominis necem moliuntur; quæque tot sunt numero, ut expeditiùs fuerit stellas cœli, & arenas maris litorales ad calculos revocare; quàm quæ ex scelere protruduntur mala: sitque propterea peccantium pœna maxima ipsum peccatum, quod & ipse Seneca solo naturæ spiculo lumine cum novisset scripsit: *maxima pœna peccantium est, peccâsse.* *Epist. 97.*

## §. IX.

### *Qui lethali noxa inficitur homo; malis omnibus efficitur obnoxius, mortique constituitur vectigalis.*

Est peccatum malorum omnium origo: ipsum est, quod orcum reseravit, cœlum obseravit, & Eumenides in mundum immisit, ad hominum clades, cruentásque strages; portas reclusit Jani, & injecta in medium face bellorum, furorem incendit, ex quo sequuntur agrorum devastationes, urbium excidia, provinciarum expilationes, hominúmque interneciones. A peccato morborum omnium sequuntur agmina, quæ corpus miserè inficiunt, & excruciant: ex illo fonte profluunt lachrymæ, scaturiunt luctus, oriuntur metus, & promanant mœrores, & quæ est malorum omnium horribilium horribilissima mors, cum iliade ægritudinum, damnorum chiliade, furiarum triade: ab eodem fonte scaturiunt cruentæ pugnæ, urbium incensiones, civium funera, Provinciarum interitus, regnorum vastationes, ac imperiorum eversiones. Est enim peccatum, quod falcem Libithinæ suppetit, hastam gradivo Marti ministrat; fraudem Mercurio suggerit; nuptiis Asmodæum asciat; mammonam confœderat opulentis, & Venerem lascivis conciliat: & sub ejus atro, ac inauspicato vexillo militant dynastæ sanguinarij, Judices nummarij, mercatores invidi, lenones voluptarij, prædones rapaces, grex omnis maleficiorum, & fex tota maledicorum, hæc enim mala omnia succedanea sunt peccati, cujus stipendium mors est: *stipendium mortis peccatum*; & hisce omnibus molestiis, ærumnis, ac calamitatibus est obnoxius, qui per patratum peccatum mortis constituitur stipendiarius, scitè Hildebertus Turonensis alludens ad illud Apostoli: *stipendium peccati mors*, ait: *Intuere miserias hominis, intuere cineres, vectigalia peccati sunt*, nimirum, quia peccato inficitur homo, efficitur malis omnibus obnoxius; siquidem nascitur morti vectigalis; & frigus, æstus, pauperies, dolor, calamitas, dedecus, miseria, adversitas, infirmitas, exilium, orbitas, impotentia, afflictio, delolario, ut etiam ipsemet sepulchralis squalor, fœditas, & horror, imò & cinis ipse, ac ferales manium umbræ vectigalia sunt peccati: Intuere ait Hildebertus: 71.

*Ad Rom. 6.*

debertus: *intuere miserias hominum, intuere cineres vectigalia sunt peccati*, quibus nascitur homo obnoxius. Cœlum querelis implemus ob præmaturam parentis, vel amici necem, ob fortunarum naufragia, prolixas ægritudines diuturniori acerbitate torquentes, ob frequentes, obviásque vitæ ærumnas, & ob reliqua infortunia, quibus in homine fortuna ludit; & tamen de nostro non conquerimus scelere, cujus recensita mala omnia vectigalia sunt; neque ab hoc tributo ullus peccantium immunis est: & quamdiu improbè sculptum hæret conscientiæ scelus, tamdiu mala hæc omnia ad se trahit, & quia non facilè obliteratur, quod sculptum hæret, neque facilè hæc damna effugimus.

72. Cap. 17. De scelere Judæ ait Jeremias: *Peccatum Juda scriptum stylo ferreo in ungue adamantino exaratum, super latitudinem cordis eorum*, ubi autem legitur *scriptum*, hebraicè habetur *insculptum*, quasi stigmate notatum; & alludit Propheta ad priscum morem, quo veteres consueverant scribere stylo ferreo in tabulis ceratis, & in ungue adamantino, seu tabula, vel lapide adamantino, qui unguis dicitur ob nitorem, ac lævorem, quasi dicat Jeremias; Peccatum Juda insculptum est in corde Judæ adamantino, seu obstinatissimo, ubi hæret indelebiliter, & perspicue legitur; pulchrè Origenes præfatum elucidans textum ait: (Homil. 12. in Ierem.) *Cùm conscientia peccati imaginem sumpserit, habeo formam illius, & ante oculos cordis mei delicti pompa depingitur. Et quidem si esset peccatum atramento conscriptum deleri posset: sed scriptum est stylo ferreo in ungue adamantino super pectus cordis*: proinde in pectore cordis, seu in cujusvis conscientia insculptum scelus, quasi stigmate notatum indelebiliter hæret, quoad pœnæ reatum, plenámque malorum ad se trahit iliadem.

73. Si videas eversas urbes, extinctas familias, succensas domos, vastatas provincias, dicito appendices hæc omnia esse peccati, quod mala omnia ad se trahit, paupertatem immittit, dedecus conflat, lites serit, dissidia seminat: quidquid sive in animo, sive in corpore patimur, tributa sunt peccati, cujus stipendium mors est, hoc enim in terrarum spatiis, campotum planitiebus, montium declivitatibus, valliúmque profunditatibus, annonæ caritem inducit, fructibus suis plantas destituit, & herbarum oleribus arva spoliat. In marinis tractibus naves exagitat, in quas fluctus suscitat decumanos, & Eutos, nothósque excitat insanientes, & ad naufragium vel in scopulos illisas cogit, vel fluctibus absorptas submergit: hoc in aërem contagionem inducit pestiferá, in campos uredinem, in arbores siderationem, in herbas aconitum: hoc desperatis laqueum texit, furiosis gladium cudit, iracundis tela ministrat, pugnantibus ferrum acuit.

74. Peccatum est, in cujus officina mala cuduntur omnia, in cujus schola perniciosa hominum oriuntur consilia in deflorationem virginitatis, excidium pudicitiæ, eversionem pietatis, eradicationem virtutis, & ad jura omnia humana, ac divina infringenda: sitque propterea peccatum, quod omnia in mundo sus déque evertit, ac confundit, quapropter concludit D. Paulus: *Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore, ut obediatis concupiscentijs ejus*, quasi dicat, concupiscentiæ voluptates fluxæ sunt, evanidæ, ac caducæ, & unà cum hoc mortali corpore, & ipsæ intermoriuntur, ideóque monet nos, ut ijsdem non obediamus, ne regnet in nostro mortali corpore peccatum; Ad Rom. 6. ubi notat Chrysostomus, non dixisse Apostolum ne tyrannidem agat in vestro mortali corpore peccatum, sed ne regnet, non quidem propria virtute, sed nostra segnitie, ut cæcutientes obediamus concupiscentiis, quæ ad peccatum alliciunt, ait Chrysostomus: (Homil. 11. in epist. ad Rom.) *Non dixit ne tyrannidem agat, quod ipsum necessitatis est; sed ne regnet, non quidem propria virtute, sed vestra socordia, ut obediatis.* Nimirum peccati regnum prohibet Apostolus, ne illi veluti Regi ultrò obsequamur: peccati autem tyrannidem, quia necessitatis est, non vetat, eò quia necesse sit, ut duram subeat tyrannidem, quisquis peccatum admittit; qui enim semel peccato ultro subjicitur, necesse est ejus tyrannidi obnoxius fiat: *quis tyrannus crudelior* ait Petrus Damianus: (Homil. 19. de S. Benedic.) *qua sævior potestas homini, quàm hominis ipsius voluntas? nunquam sub ea requiescere, nunquam sedere licet, & quò amplius ad obediendum sibi norit fatigari, eò magis urget, instigat, & onerat, pietatis immemor, misericordiam nesciens: hoc enim proprium propria voluntas habet, ut quò obediens obedientior fuerit sibi, eò ampliùs eum crudelioribus vinculis innectat. Sola diligitur, cum sola digna sit odio, principium iniquitatis, morsu infuso, destructio magna virtutum*, quia ubi vitiata voluntas peccato adhæret, tyrannidem exercet, & hominem torquet delinquentem.

Mens enim malè sibi conscia tristitiam ingenerat, quâ præcordia absumuntur; perinde ac vermis, & tinea vestes exteriùs corrodunt; ita & tristitia, quam vermis excitat conscientiæ, animam corrumpit, quivis enim internus motus vulnus est animæ, & inter affectus nullus est, qui æquè animum turbet, sicut tristitia, quæ à mente malè sibi conscia prodit, quapropter ait Salomon: *Sicut tinea vestimento, & vermis ligno, ita tristitia viri nocet cordi*, vermis corrodens est animi amaritudo, quam prava intus effundit conscientia; non solùm vermis iste pectus dente corrodit, sed & amaritudine animum venenat. 75. Prov. 25. v. 21.

Imo non solùm mens sibi malè conscia vermis est; sed & tinea, quæ præcordia consumit; nebula, quæ mentem turbat; caligo, quæ animi serenitatem abripit; mare fluctibus decumanis exagitatum, in quo cordis lætitia 76.

itia naufraga perit; lethale venenum, quod viscera inficit; gladius, qui præcordia transfigit; cruentum bellum, quod pacem cordis destruit; feralis ignis, quo virtus cinerescit; felleus haustus, qui à cibis saporem ablegat; lethale aconitum, quod vitæ tædium parturit; tetra nubes, quæ lucem odit, & à rebus aspectu jucundis gratiam eliminat: quia voluntas in homine vitiata peccatum ingenerat, quod in conscientiæ lamina exaratum omnia accersit mala: siquidem ob peccatum fulminat æther, nubes fragore tonitruum crepant, ignis debacchatur, mare decumanis fluctibus insolescit, terra tremoribus nutat, aër ferali cometarum lumine cædes minatur, malorum cataclysmum, & eluviem cœli effundunt cataractæ. Si peccatum non induxisset homo in mundū, tot non efferret funeta, hominúmque strages Libitina, nec tot cruenta bella indiceret Bellona, nec tot supplicia Megœra præferret, quassatis tœdis ab Orco emersa.

77. Si peccatum in mundum non induxisset homo, nullus esset in homine à belluis timor, à prædonibus injuria, à furibus rapina, à militibus clades, ab hostibus vulnera, ab insidiis convicium; imò nec ullum esset pro homine supplicium, nulla gehenna, quam solum peccatum aperuit, & prava conscientia in suo eam etiam experitur intimiori cubili; adeò ut etiam cùm vivunt impij hanc experiantur tyrannidem jugi timore perciti, ac tristitiâ torti; de impio enim ait Job. *Anima illius super semetipso lugebit*, quia impius intra se habet, unde crucietur, semel quòd intra se culpam admisit, verum gaudium amisit, & tristitiam intus torquentem intromisit: dum enim aucuparetur homo inter mundi voluptates fucata gaudia, veram adinvenit tristitiam, quâ sui erroris pœnas lueret, quia ut scitè D. Gregorius: *Dignum namque est, ut in se semper homo mœrores inveniat, qui derelicto Creatore in se gaudium quærebat.*

Cap.14. v. 22.

Lib.8. moral. cap.13.

78. Faber proprij cruciatus, & artifex propriæ calamitatis est impius, ubi enim scelus intus fovet, amaritudinis scabiem intra pectus nutrit, cujus corrosione, & morsu jugiter dilaceratur, & hæc est gehenna, quam mens sibi malè conscia experitur. Pluribus torquetur ipsa cruciatibus, quibus Deus justus Judex præcordia transfigit impiorum, qui si aliquid contra spem sibi senserint contigisse, acriter affliguntur, & interno mœrore contabescunt. Mare dixeris mentem malè sibi consciam, ubi & procellæ sæviunt, & naufragia ad mortem trahunt: *Mare mens hominis est*, ait D. Gregorius, *& quasi fluctus maris cogitationes mentis*, & hos inter fluctus, ventorúmque flatus non solùm fluctuat, ac periclitatur anima, sed vel in ipsis fluctibus gehennalis ignis torquetur suppliciis, nullo acerbiori quassata turbine, quàm tristitiâ: cùm primùm culpa conscientiam inficit, & pulsat, omnem ab ea propulsat lætitiam, & tetram inducit tristitiam, qua impius in squalore, & ombra mortis sedens dirè torquetur: ait enim Deus per Ozeam: *Cessare faciam omne gaudium ab eis.*

Lib.11. moral. cap.2.

Cap.2. v.11.

79. Falluntur, qui inter mundi voluptates lætitiam quærunt, cùm nonnisi tristitiam pariant: qui mundi deliciis cupiunt diffluere, hi nonnisi mœroris hauriunt amaritudinem, & mœrore contabescunt, cùm experiuntur aliter sibi contigisse, quàm sperássent; perinde ac Rex Antiochus, qui multiplici militum copia fretus Hebræos nitebatur extrema delere internecione: cúmque hilaris nuntium expectaret, qui partam à suo exercitu victoriam assereret; de cruenta suorum strage inexpectatam audivit jacturam: *Factum est, ut audivit Rex sermones istos, expavit, & commotus est valde, & decidit in lectum, & in languorem præ tristitia, quia non factum est ei, sicut cogitabat.* Antiochum, quem præ nimia potentia superare vix valuit Hebræorum exercitus, una prostravit, vicitque tristitia: mœror ipse intùs in animo genitus pugio fuit, qui intimè eum sauciavit, cruentavitque; cùm enim sibi ex voto non contigerit bellum à tristitia dilaceratus succubuit: & hac mœrore solent promptiùs torqueri, qui lætiores, & lautiores dies sibi spondent; si ad vota res ipsis non fluant, cùm enim deliciis, ac illecebris vacent, & inter plausus, & gaudia liberè nutriantur, rariùs spicula sentiunt molestiæ: quò fit, ut si molestum aliquid illis contingat inexpectato telo configantur acerbiùs, & vulnerentur intimiùs; & inaudito morbo correpti, languescunt, & exanimati, quasi corruunt enecti; perinde ac Antiochus, *qui decidit in lectum, & in languorem præ tristitia; quia non factum est ei sicut cogitabat.*

1. Machab. 6. v. 8.

80. Non solùm interno mœrore corroditur mens sibi malè conscia, verùm etiam omnium cruciatuum genere acriter torquetur; nullum enim est supplicium atrocius, nulla pœna gravior, nullus dolor acutior morsu temeratæ conscientiæ, ait D. Gregorius: *Inter multiplices humanæ animæ tribulationes, nulla est major afflictio, quàm conscientia delictorum:* est enim mens sibi malè conscia, tinea animam corrodens; flamma exitialis viscera absumens; virus lethale pectus corrumpens; gladius feralis intima cruentans; & tortor severus vitam reprehendens, & promeritas exigens pœnas: Si detrusus reus in carcere, audiat fores ejusdem aperiri, judicem timet mox sententiam necis proferentem; quoties ad carcerem nuncius pulsat, toties ejus tunditur pectus, ac lethali vulnere cot sauciator; si tonant nubes, fulgura pavet, ictúmque se jam fulmine putat; hanc intra pectus turbationem læsa ingerit conscientia; & quamvis possit reus externùs, vel negare, vel minuere scelus; non tamen sceleris supplicium, quod intus conscientiam cruciat occultare potest: quod lingua crimen celat, conscientia intus prodit; parum prodest reticere flagi-

In Psalm. Pœnitent.

flagitium, quod intus præcordia dirè flagellat: quod lingua scelus excusat; hoc interno cruciatu mens sibi malè conscia accusat.

81. Sategerat fratricidium Cainus excusare, cùm Deus ab eo de fratre suo Abele inquireret respondit Deo sciscitanti: *Nescio. Num fratris mei custos sum ego?* Genes. 4. celavit lingua scelus, quod reclamante conscientiâ mens sibi malè conscia testabatur: appositè D. Ambrosius: Lib. 1. de Pænit. *Non habes conscientiæ testimonium? Aut te ipsum potes effugere, & conscientiam declinare? conscientiam inquam, apud quam non moritur omne quod gerimus: quæ nos in factis nostris accusat, & judicat; quæ cum non habeat loquendi usum, nequit tamen tenere silentium.* Licèt non loquatur, clamat tamen, & reclamat; quamvis linguâ destituatur; accusat tamen & fidem extorquet; tametsi videatur silere; fatetur tamen si non linguâ, vultu tetrico, ac fronte mœstitudine inumbrata internos cordis cruciatus, quibus rea punitur conscientia, pœnásque luit patrati sceleris. Velit, nolit, delicti admissi pœnas dare adigitur mens sibi malè conscia; morsus, remorsúsque interioris vermis effugere nequit, quòd si è memoria abigatur excussus; illicò revertitur, mentisque januas pulsat, reclamátque; quia si malè egeris statim ad fores peccatum venit pulsaturum; Genes. 4. v. 7. dixit enim Deus ad Cain: *Nonne si bene egeris recipies? si autem malè, statim in foribus peccatum aderit.* Si petas quas admissum scelus fores pulset, & ubi clamet; non alibi putes, quàm in cordis cubiculo; nec alias pulsare fores, credas, quàm læsæ conscientiæ, ubi bona, & mala versantur; & tandiu pulsat, & clamat, quandiu vita ipsa permanserit; cum nostram non possimus nos mentem exuere, nec nostrum à nobis cor ejicere, nósque à nobis excludere; scelere siquidem, & flagitiis nostris excruciamur à conscientia, quæ ad fores cordis nostri semper excubat; imò & pulsat, clamátque, quamdiu vivimus. Genes. 4. Lipomanus expendens illud: *si malè egeris statim in foribus peccatum aderit* ait *ad ostium sepulcri peccatum tuum ejulabit*, scilicet quandiu vixerit impius usque ad sepulcrum; quia mens sibi malè conscia juge est supplicium, quod impium usque ad sepulchrum comitatur; nec unquam cessat torquere, quia nunquam desinit peccantem redarguere; & perpetuo propterea torquetur eculeo quisquis peccato implicitus vivit; graviúsque animam flagellat conscientia; quàm corpus flagella tundant, tortura torqueat, ignis cruciet: Megæra sibi est gehennales flammas ejaculans, tristisque Erinnys flagello armata læsa impii conscientia; sive improbus dormiat, sive vigilet, gehennæ sentit cruciatus, ictus patitur flagellorum; hùc accersendus D. Ambrosius inquiēs: De vita beata. *Vita justi quieta est, injustus autem inquietitudinis, & perturbationis plenus est. Itaque ampliùs suis cogitationibus affligitur impius, quàm alienis plerique verberibus; majorésque vibices in ejus animo sunt, quàm in eorum corpore, qui ab alijs verberantur.*

Neque voluptas, quam scelus concupiscentiæ peccantibus propinat, dolorem temperat; quamvis linire videatur, & aliquod afferre corpori lenimentum; est enim cum illinit, oleum gehennalibus flammis fovendis, alendisque aptius, quàm cruciatibus reæ conscientiæ liniendis; de hoc siquidem oleo ait David: *Oleum autem peccatoris non impinguet caput meum:* Psalm. 140. v. 5. non ulcus emollit, sed exasperat, dilatátque hic peccantium oleum, quia per refricatam præteritæ voluptatis memoriam novum infligit vulnus; & nil acerbius viscera excruciat, quàm vulnera refricare culparum; audi Davidem id confitentem: Psalm. 50. v. 5. *Et peccatum meum contra me est semper:* nunquam audivit Petrus post trinam magistri sui negationem galli cantum, quin præ doloris æstu in lacrymas colliquesceret, refricante gallo præteritum vulnus. Non liberos censeas, quos delinquentes noveris, sed vinctos, tortósque esse scias; se per patrata scelera in carcerem detruserunt torquentis conscientiæ, à quo nullæ póssint humanæ vires eos extrahere, *si incluserit hominem, nullus est, qui aperiat* Job. cap. 12. v. 14. quæ verba expendens D. Gregorius ait appositè ad rem nostram: *Quia omnis homo per id quòd malè agit, quid sibi aliud, nisi conscientia sua carcerem facit? ut hunc animi reatus premat; etiamsi nemo exteriùs accuset:* Lib. 11. moral. *qui enim præsente Deo in malitia sua cæcitate relinquitur, quasi intra semetipsum clauditur.* 82.

Ater, & squalidus est conscientiæ carcer, ad quem scelus ipsum judicis fungens officio impium condemnat, ubi tortus, & vinctus ad æternum devehitur supplicium dœmonum stipatus satellitio, nisi quæ vulnera contrahit peccatorum piissimus Deus oleo curet suæ misericordiæ; ut homini illi contigit, qui cum ab Hierusalem descenderet in Jericho incidit in latrones: nimirum facilis est omnis descensus, sed non tutus, cum pericula, & vulnera secum trahat; sicut ascensum in cœlo tentâsse Lucifero lethale fuit; & in altum vehi, perinde ac in imum detrudi inferurum: ita mortale in terris est è sublimi montis fastigio ad humilia deprimi vallis. Qui Hierosolimis exivit aliò profecturus, solam poterat Jericho desolatam adire; pacis cum reliquisset urbem, eam petiit, quæ tubarum clangore disiliit; & nondum absoluto itinere *incidit in latrones*: quàm sumus incauti! conquerimur de carnis fragilitate, dœmonum insidiis, cuneis voluptatum; cùm ultronei nosmet tartarei aucupii retia ingrediamur: immeritò querimur, qui hostiles casses quærimus: homo qui ab Hierusalem descendebat in Jericho incidit ipse in latrones, non verò dicuntur latrones ad ipsum accessisse: etiam David vel in frigido fonte flammas fuit libidinis expiscatus, quando per oculos in alienum hortum irrupit, tunc è sua aula 83.

pudi-

pudicitia abivit, ac naufraga periit in latice, quæ vegetior creverat in lacrymis. Non solùm descendens ab Hierusalem in grassatores incidit, verùm & ab iisdem spoliatur,
Luc. 10. v. 30. plagisque cruentatur: *Homo quidam descendens ab Hierusalem in Jericho incidit in latrones, qui etiam despoliaverunt eum, & plagis impositis abierunt.* Vox illa *etiam* est copulativa, quæ indicat sævitiem præcessisse; si quæras quid præcesserit? certè non aliud, quàm incidisse in latrones, *qui etiam despoliaverunt eum, & plagis impositis abierunt*: est igitur ærumnarum gravissima, ac calamitatum omnium acerbissima incidisse in latrones, & sicarios, qui non solùm vestes surripiunt, quæ corporis sunt ornamenta; verùm, & corpus ipsum inflictis devenustant vulneribus; occasiones peccandi nisi declinaveris vix animæ denudationem, & conscientiæ lethalia effugies vulnera: declinanda sunt pericula, quia prima calamitas est incidisse in latrones: perpendendum est maturiùs quà itur; sicarii animi nostri ornamentis inhiant, surripientes quæ in nobis sunt habitus charitatis, & gratiæ, ac reliqua virtutum decora; neque censeas, alios esse sicarios, quàm vitia, in quæ minus cautè ambulantes incidunt; hæc sunt, quæ suis animam spoliant divitiis, quæque inflictis vulneribus dirè sauciant, ac cruentant; ac tamdiu torquent, quamdiu mens est sibi malè conscia.

84. Latrones sunt, qui antequam lethales plagas infligant vestibus inhiant, quas & surripiunt; denudant priusquam vulnerent; ut & innocentiâ, & famâ se privari eodem temporis momento intelligat peccator; frustra speret suum occultari scelus, quisquis clam flagitium perpetrat, sine veste non potest vulnus non omnibus patere. Crimina non posse tegi, nos vel ipse Adam edocuit; vix vetitum momordit pomum, & statim se denudatum vidit, & propterea ad ficum cucurrit, suam tecturus nuditatem: edocuit Cain cujus fratricidium sculptum tulit in fronte: edocuit Noë vestitus in aqua, & nudatus in vino; patent scelera exteriùs turpitudine invectâ, & torquent interiùs conscientiâ infectâ. Pudorem qui exuit necesse est vulnera timeat; hæc nuditas prænuncia est vulneris: qui verò pudorem vestit, plagas non reformidat; quia lilia symbola sunt servatæ pudicitiæ, dicuntur à Deo
Matth. 6. vestiri: *considerate lilia agri quomodo crescunt, non laborant, nec nent. Dico autem vobis nec Salomon in omni gloria sua coopertus est sicut unum ex istis.* Nec Susanna dispendium pudoris timuit; nec Betsabea quamdiu cooperta fuit. Vulnera curaturus Samarites illius, qui in latrones in-
Luc. 10. ciderat plagas obduxit: *Et appropians alligavit vulnera ejus infundens oleum, & vinum:* priùs tegit vulnera, quæ postea linit; nos oleum infundimus antequam obvolvamus, & licèt hic ordo minimè reprehensibilis sit in curandis corporum vulneribus; non ita in illis debet animarum servari; priùs enim consuli debet famæ delinquentis, quod fit, si ulcera fasciis priùs adstringantur, ne aliis pateant, postea oleo foveantur; ideo suavis esse debet peccantium curatio, ut non modò vulnus liniendum sit; verùm & ipsa ligatura sit oleo emollienda; ne ulla in verbis sit acrimonia, quâ possit vulnus exasperari.

Superior delinquentis subditi curaturus culparum plagas, fasciis oleo medicatis vulnera liget; hanc nos methodum edocuit Magister Christus; peccata hominum curaturus nostram induit infirmitatem, adveniens in similitudinem carnis peccati; baptizatur ipse, ut alios mundet; sitit ipse, ut alios potet; cadit, ut sublevet; vulneratur, ut sanet; spinis redimitur, ut flores nobis donet; sanguinem fundit, ut pretium solvat nostræ redemptionis; & tandem mortem subit impertiturus nobis vitam. Sed cur Samarites vulnera curaturus descendentis in Jericho, unà cum oleo etiam vinum effundit? *Et appropians alligavit vulnera ejus, infundens oleum, & vinum,* an ut pharmacum eò suavius esset, quò ab oleo ordiretur; & eò efficacius, quò in vinum desineret? sed quid cum curandis vulneribus vinum? cum Noë tectus ab aqua, spoliatus fuerit à vino? imò & etiam vulnerata ejus pudicitia? quomodo igitur vinum quod incolumes vulnerat, sanabit vulneratos? vulneribus curandis aptum non est ferrum plagis infligendis adaptatum. Vinum animi potiùs ægritudines invehit, quàm abstergat, dicitur enim vinum lac Veneris esse, venenum pudoris, somnus rationis, mors sensuum, fax concupiscentiæ, fex mentis, oculorum caligo, cordis sepulcrum, naufragium castitatis, libidinis fomes, illicium impudicitiæ, illecebra calamitatum, luxuriarum Ætna, scylla pudoris, charybdis virtutis, illex mortis, & fons omnium infelicitatum; quomodo igitur vinum cicatrices obducet vulnerati? si plagas & ipsum infligit? Rectè tamen vulneribus curandis vinum admovetur, & oleum; quia vinum symbolum est luxuriæ, ut & oleum deliciarum, quibus peccatores perfunduntur; hæc duo ideo vulnerato apposita salutem invehunt, quia dolorem geminant, ac fœtorem; vulnera enim vino refricata dolorem excitant resipiscentiæ: etiam Paralyticus postquam convaluit suum iubetur grabatum tollere, non solùm ut inde disceret onus esse, ex quo quietem sperabat; verùm ut grabatum memoriam refricaret præcedentis ægritudinis; quia patratæ culpæ recordatio est, quæ animum acriter torquet; nil enim acerbiùs viscera, & vulnera excruciat, quàm mens sibi non bene conscia; hæc patrati flagitii recordatio cum frequenter mentem subiret Davidis; dolens, & lacrymis madens aiebat: *Et peccatum meum contra me est semper;* hoc est, torturam conscientiæ sequitur ejus reclamatio, ac reprehensio, quapropter Job loquens de hac con- Cap. 13 v.

85. 

conscientiæ redargutione aiebat: *sonitus terroris semper in auribus illius, & cum pax sit, insidias suspicatur*: quemadmodum justorum præmium in hac vita mentis est securitas; ita pœna impij cordis est trepidatio, ac conscientiæ morsus: hinc D. Gregorius ait: *mens*
In Iob, c.15. *prava semper est in laboribus, quia aut molitur mala, quæ inferat; aut metuit, ne hæc sibi ab alijs inferantur.*

Conscientia læsa à creaturis omnibus
86. sibi timet, omnésque homines, ut Dei vindices veretur. Tametsi videas impium superbientem, ac pluribus involutum criminibus sine carcere, absque supplicio; non tamen liberum putes; in carcere detrusus squalet compedibus vinctus criminum; conscientia læsa est illi pro ergastulo; imò non in carcere tantùm squalet, verùm & in patibulo pendet, ut de Absolone scripserat D. Chrysostomus: *longo tempore pependisse à conscientia flagellatum*; crines laqueum et texuerunt, quercus patibulum compegit, fuit enim Absolon per horas appensus ex quercu; impius verò tamdiu è patibulo pendet, quamdiu in peccato persistit. Quamvis suam impij jactent potentiam, deprædicent securitatem, lætitiam ostentent, mentiuntur; falsa est potentia, intuta securitas, larvata lætitia; suspensi enim vivunt è patibulo pravæ conscientiæ; neque stare valent, qui tam fœdè ceciderunt; multisque præpediti criminibus in luctu jacent, & squalore: apposite S. Chrysologus ait: *Ruit,*
Serm. 32. *destruitur, stare non potest, quem conscientia diruit, impellit reatus.* Sceleris enim supplicium in ipso est scelere; est siquidem iniquitas, & reatus conscientiæ supplicium iniquorum; & peccâsse atrox pœna peccantium; neque ullam potest impius excusationem adferre; conscientiā habet accusatricem, & se ipsum reū dicit, ac condemnat, ait
Propheta: *Arguet te malitia tua, & aversio tua* Ierem. 2.19.
*increpabit te*, & non solùm in hac vita; verùm etiam in futura, & ante æterni Iudicis tribunal, ubi vociferari delictum non desinet; imò & sententiam profetet ipsa conscientia, & peribit impius. Peccatum suum cum perpenderet Iudas, ab ipsa convictus conscientia, quasi patibulo suspensus torquetur, séque ipsum ut mortis reum damnat; & quas mœruit pœnas ferente conscientiā sententiam
sibi infligit: scitè D. Ambrosius: *Suâ ergo* Serm. 80.
*sententiâ Iudas proditor condemnatur; omnium enim supergreditur sententias, qui à sua conscientia suâ sententiâ condemnatur. Hoc sacrilegio solet esse judicium, ut conscius facti ipse se damnet.*

Divinæ gratiæ emortuus impius in pro- 87.
priæ conscientiæ tumulo jacet, imò fœtet consepultus: ait D. Gregorius: *Qui Christo* In Psal. pœniten.
*moritur, in sepulcro conscientiæ tumulatus est*: imò non solùm sepultus jacet, verùm & gehennæ torquetur cruciatu, quia ut ait D. Bernardus, *Infernus, & carcer animæ est sæva conscientia*: unde nonnisi larvata est non vera impiorum lætitia: quale enim in carcere, ubi cuncta squalent, reperiri gaudium poterit? qualis lætitia in patibulo, in sepulchro, in gehenna, ubi torquetur improbus? ubi sempiternus horror, & nullus ordo inhabitat? rea conscientia stimulis agitata pectus dilaniat, cor sauciat, ac animum discruciat.

# DISSERTATIO XXVIII.

## Probo cuilibet affectui corrumpendo nullus vanâ gloriâ vermis aptior, nulla tinea nocentior.

### §. I.

*Vana gloriola, cui inhibamus, & quam aucupari inter homines adnitimur, futilis est, & fugax, hederæ similis, arefacit, cui adhærescit, & virtutum omnium studia corrumpit.*



N nullam opus futilius nostra impendimus studia, quàm ut inde vanam apud homines gloriolam aucupemur, cujus fugacitas est pernicissima; vix advenit, & statim advolat; vix incipit, & simul desinit; vix splendet, & extinguitur; vix auditur & silet; cujus usura volatica est, aurisque mobilibus simillima, dicatúrque propterea à D. Gregorio Nyssen. *Diaria*, eò quia oriente die nascatur; & eò occidente moriatur: à Plauto *herba solstitialis*,

*lis*, quæ vix germinat, & statim exarescit; vix viret, & exsiccatur; vix ridet, & statim in luctu jacet: à Luciano *Ampulla inaurata* plena inanitate, quæ suoptè ingenio crepat, & evanescit: à Seneca *splendor fulguris* momentaneus, qui dum oritur, moritur; dum splendet, extinguitur: à Clemente Alexandrino *pictum somnium*: à Cypriano *nubes evavida*: à D. Bernardo *umbra lethalis*: à D. Ambrosio *rumor mendax*: à D. Joanne Damasceno *imaginatio illusoria*. Tametsi hæ similitudines vanitatem, ac fugacitatem exhibeant vanæ gloriæ; hanc tamen veriùs ad rem nostram D. Nilus hederæ pariavit, quæ arborem arefacit, cui adhæreſcit, ejus caulem, ramósque amplectitur, sed more simiarum ut interficiat; hederæ similem dixeris vanam gloriam, virtutum enim studia corrumpit; si hæc ad illius aucupium instituantur; probos omnes affectus inficit, quos non finit in sua persistere probitate; ait S. Nilus adversus vitia: *Hedera sic arborem amplectitur, ut cùm altiùs se se sustulerit, radicem ejus arefaciat, Inanis gloria sic juxta virtutes nascitur, ut non recedat, priùsquam vim illarum exciderit*: ea est hederæ indoles, ut non tantùm humi suas radices agat, verùm & in arboribus, ac parietibus, quibus innititur, eas figat, & nutriatur fucco sui fulcri, quod propterea labefactat, corrumpit, absumit, ac destruit: quò enim plus extollitur hœdera, sibi maritatæ arboris substantiam exedit, & exsuccos reddit ejus ramos, qui suo destituti virore exarescunt: perinde vana gloria, quò plus erigitur, eò magìs virtutes, quibus innititur, vitiat, ac depravat, quapropter Regius Vates Deum enixim togat, ut non finat eum hac vanæ gloriæ infici peste. *Non veniat mihi pes superbiæ, & manus peccatoris non moveat me*: qui enim pede nititur superbiæ, facilè in deterius movetur, & manu deijcitur peccatoris: neque aliud est hæc manus peccatoris, quæ superbiâ tumidos, ac vanâ gloriâ inflatos impellit ad lapsum, quàm affectus perversè suadens vanam popularis auræ gloriolâ aucupari; est enim suasio, quæ virtutum flores devenustat, & si qua est intus probi affectus radix, eam corrumpit; scitè D. Augustinus expendens illud Davidis: *Non veniat mihi pes superbia*, ait: *Si venerit pes superbia, movet manum peccatoris. Quid est manus peccatoris? malè suadentis operatio. Factus es superbus, citò te corrumpis, qui malè suadet*. Vanæ gloriolæ appetens, adeò est ad malum proclivis, ut vel ipsa lingua hoc suadens vanæ gloriæ aucupium, manus dicatur suadentis, quæ apprehendit quidem, non ut ducat, & sustineat, sed ad ruinam impellat.

Orat. 7.

Psalm. 35.

In Psalm. 35.

2. Plerúmque ingentia construuntur ædificia, quorum splendorem vana, quæ accedit gloriola, devenustat: etiam olim sacerdotes Israëlis altare Deo ædificaverunt, ut offerrent in eo holocaustomata. *Et surrexit Josuë filius Josedech, & fratres ejus sacerdotes, & Zorobabel, & fratres ejus, & ædificaverunt altare DEI Israël, ut offerrent in eo holocaustomata*: sed cur tantum labors impenderunt in altaris structura? ut holocaustomata in eo offerrent? jam splendeit ara, quæ virtute condecoratur religionis: sed si ut insignia marmoreis basibus inciderent altaris, nomina sculperent; vel ut in annalibus scriberetur extructa ara à Salathiele, & Josuë; jam vanæ gloriolæ nebula aram circumfusa ejus obscurat nitorem. Quid ni sunt etiamnum, qui non aras modò, sed & Basilicas exstruunt, sed si exquiramus, qua mente molem illam extulerint marmorum aggestione supparem Capitolio, fortassis de holocaustis nulla subijt recordatio; & huic unicè studio incumbitur, ut familiæ stemma foribus præfigatur. Non sufficit aras exstruere, nisi excussa quavis vanæ gloriolæ nubecula virtutum decora in ipsis eniteant: non vana debet ara à nobis constructa niti gloria, sed basibus fulciri virtutum: bases altaris nostri sunt humilitas, charitas, obedientia, pudor, & aliæ virtutes, quæ sicut plurimum habent soliditatis, & nihil vanitatis, exstructam à nobis aram fulciunt.

Esther lib. 2. cap. 3.

3. Etiam D. Hieronymus virgines Deo sacras, eique in asceterijs inservientes altaria cœlestis sponsi appellavit: & revera altaria sunt, si holocaustomata propriarum actionum super ijs sponso offerantur; nilque agant, nisi ut ei placeant; si incensum orationis in oblationem accendatur ferventiùs: sed plerumque, quæ in hisce altaribus thura adolentur, & victimæ offeruntur; non floribus ornantur virtutum, sed nugis, contentione, & vanitate devenustantur, & altare tunc basibus nititur, sed non suis; in asceterio etiam velatur virgo, non tamen desiderio latendi, lachrymas effundendi, vel preces; sed interdum parentum minis, dotis inopiâ: & hisce innixa basibus ara, holocaustis minimè apta est. Aras itidem frequentant sacerdotes, sed rarò psallunt, rariùs orant, ludunt verò sæpè; garriunt frequenter, & quotidiè epulantur; & hi altaria minimè ornant, nec fulciunt, sed potiùs devenustant, destruúntque, cum bases altaris plenæ sint vanitatis, & scurrilitatis. Summi sacerdotis Aaronis vestis tanti pretij, & pulchritudinis fuerat, ut materia pretiosior esse non posset; nec ars excellentior, nec ullæ Regum, ac Imperatorum possent vestes cum ea conferri, in qua etiam nobilitatem materiæ, operis artificium visum fuerit superâsse. Beseleel maximus artifex vestem illam confecit; sed Artificem habuit etiam alium longè excellentiorem Spiritum sanctum, qui modum dictavit, quo esset vestis illa sacerdotalis texenda auro, ornanda gemmis: de hac enim veste loquens, Syracides ait: *Sic pulchra ante ipsum non fuerunt talia* usque

Eccles. cap. 14. v. 14.

*usque ad originem, gloria honoris, & opus fortitudinis, desideria oculorum ornata.* Nil pretiosi, ac venusti excogitari potuit, quod in veste illa ad artis excellentiam, & summam materiæ nobilitatem non splenderet, quidquid enim venusti, vel curiosi oculus desideraret in hac una potuit veste spectari, cùm *desideria oculorum* depasceret: nil pulchriùs, nec arte excellentiùs spectari potuit, quàm in hac veste, quæ desideria oculorum plenè satiavit.

4. Hanc verò materiæ nobilitatem, & artificij excellentiam voluit Deus, in hac una splendere sacerdotis veste, ut ad templum progressus sacerdos omnium ad se oculos raperet; quin eadem de causa ad imum vestis marginem trecenta jussit aurea tintinnabula appendi, quò summus sacerdos totus vocalis factus, etiam ipso incessu omnes ad divina convocaret. Sed huic ipsi summo sacerdoti, qui & vestium ornatu oculos, & sonitu tintinnabulorum aures omnium ad se trahebat, in neminem oculos emittere licuit: & aspiciendus ipse ab omnibus, neminem ipse debuit aspicere: nimirum ne si populum frequentiùs ipse vidisset, & laudantes audivisset vocalem sacerdotis incessum, vanam aliquàm inde hauriret gloriolam, quâ Religiolum corrumperet spectaculum: idque causæ etiam fuit, cur voluerit Deus, ut uncti sacerdotis oculi in unicum ineffabile Dei nomen collimarent, quod propterea sacerdos insculptum aureæ laminæ fronte præferebat. Hoc summi sacerdotis paradigma hominem ex asse pium prodit, probisque ornatum affectibus, ac virtutibus: hic enim se alijs spectandum præbet, quò in ipso aspiciantur exempla omnium virtutum, & quidquid castis oculis in voto est videre; quapropter monuit Apostolus Timotheum. *In omnibus te ipsum præbe exemplum bonorum operum*, ut in cultore virtutum, ac viro integrè probo, videant albescere lilia castitatis, rubescere rosas charitatis, olere violas humilitatis, nitere exempla piæ liberalitatis, splendescere specimina patientiæ, ac reliquarum virtutum; quibus probi foveantur affectus, & improbi coërceantur. Verùm licèt debeat ipse splendere nitore virtutum dicente Christo. *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona:* ut exemplo vitæ sanctioris aliorum oculos ad se trahat; non tamen debet ipse in sui spectatores intuitus emittere, ne inde detur ei occasio venenum hauriendæ vanæ gloriolæ, quo virtutes inficiantur: sed ut ab ipso alij discant, & ad culturam inde exemplo fortiùs, quàm voce alliciantur virtutum; ac unicum duntaxat in omnibus Dei spectent honorem, cujus nomen summus sacerdos Aaron laminis insculptum aureis fronte præferebat, ne aliunde oculis diverteretur, & oblatam ab aliis sibi laudem respueret, ac præstita sibi non videret à toto populo obsequia, ne inde vana aliquà glo-

Cap. 1. v. 7.

Matth. cap. 5.

riola per oculos, & aures mentem subiret, & virtutum inficeret ornamenta.

Video in sacris epithalamijs oculos sponsæ mirificè commendatos à cœlesti sponso; sed per similitudines omnino dissimiles: ait enim, *Oculi tui columbarum*, quòd propter morum innocentiam, & cordis candorem oculos sponsæ oculis æquiparet columbarum, id appositè quadrat; sed rursus ait: *Oculi tui sicut piscinæ Hesebon:* hæcque est æquiparatio captu difficilis, quid enim minus sibi simile, quàm oculus columbæ, & piscina Hesebon? Columbarum oculi simplicitatem præseferunt, nil cogitant pravi, puri sunt, ac defæcati à quovis nævo: secus piscina Hesebon aquas continebat stagnantes, quæ facilè motu destitutæ vitia contraherent; pisces ibi alebantur, qui aquis duntaxat innatant, cum columbæ explicato alarum remigio in sublime avolent; cur igitur, si sponsæ oculi illis pariantur columbarum, postea piscinæ æquiparantur Hesebon? Certè mysterium texit Divinus Spiritus in hoc uno involucro: nimirum sponsæ oculi similes dicuntur columbarum oculis, ut videant; piscinæ autem Hesebon æquiparantur, ut videantur. Erat Hesebon urbs regia, quæ teste D. Hieronymo viginti milliarihus à Jordane distabat, ad cujus portam duæ aderant peramplæ piscinæ, quarum latices pellucidum æmulabantur chrystallum; illuc urbis illius cives diebus feriatis catervatim laxandi animi causâ adibant, & quisque in laticibus illis pellucidis, perinde ac in terso, pollitòque speculo seipsum, suique speciem videbat: quapropter id hisce piscinis proprium erat ab alijs videri; non tamen ipsas alios videre. Quàm pulchrè igitur sacer sponsus oculos commendans suæ sponsæ similes dicit non oculis tantùm columbarum, sed & piscinis Hesebon? est columba innocentiæ tessera, & symbolum in conjugibus mutuæ fidelitatis, cùm alter alterum pari respiciat fide: ideòque cœlestis sponsus in anima probos fovente affectûs, & virtutum culturâ insigni, oculos commendat, eò quia columbinis sint similes, *Oculi tui columbarum*, quia oculis delectatur fidelibus, & castis, & quos sponsa nonnisi in suum deflectat sponsum, neque alium aspiciant, quàm ipsum, qui propterea ait: *Et ad me conversio tua:* sic oculum probi affectûs, ac rectæ intentionis anima studio virtutum addicta in alium non conjicit, quàm in solum Deum parata potiùs quodlibet subire supplicium, quàm fidem fallere: quæ enim fidelis est anima, ingeminat cum Davide. *Tibi dixit cor meum, exquisivit te facies mea, faciem tuam Domine requiram.* Delectatur igitur cœlestis sponsus oculis, qui sint fideles, quique aliud non aspiciant, quàm ipsum Deum, in quem per probos affectus anima pia veluti per totidem intuitus oculorum aspiciat. 5.

Cant cap. 7. v. 10.

Psal. 26. v. 9.

Fi-

6. Fideles igitur oculi columbarum pisci- nis pariantur in Hesebon, quia vult Deus, ut qui studio incumbunt virtutum, & nonnisi probos intus fovent affectus, ac propterea sibi chari sunt, omnes in illos convertant oculos, quò nimirum superbus proprium in viro probo, perinde ac in piscina Hesebon videat tumorem, & discat, quàm eximia sit virtus humilitas; ut vir libidinibus immersus, ac cœno luxuriæ fœdatus proprias intuens turpitudines videat in hac piscina, quàm præclara sit virtus castitas; ut avarus videat, quid sit liberalitas; iracundus, quàm commendabilis sit mansuetudo; invidus, quàm laudabilis sit charitas; ideòque scitè Sponsus oculos sponsæ non solùm similes dicit columbarum oculis, sed etiam piscinæ in Hesebon: vult enim sibi amicos, & charos, piscinas æmulari in Hesebon, quas cæteri contemplentur, & proprios videntes nævos, studeant eos abstergere pellucidis illis laticibus, & ab ijsdem exempla haurire virtutum.

7. Rursus licèt hæ piscinæ à cæteris videantur, non tamen ipsæ sentiunt se videri, nec alios vident, quibus placere cupiant, ne quidquam ex aliorum plausibus ebibant vanæ gloriæ: vir pius, quique per probos affectus Deo adhærescit exemplis virtutum omnium, debet quidem in se oculos trahere aliorum, ut inde discant imitari, quod in alijs videre delectat; non tamen, debet ipse alios videre, ut inde vanam aucupetur gloriam, hæc enim est, quæ probus quosque affectus inficit, & virtutum ornamenta devenustat; est enim, *Vana gloria*, ait Chrysostomus, *fæva bellua, horrendus dæmon, & pestis orbis terræ.* (Hom. 10. in Matth.) Quis igitur fævam hanc belluam non fugiat, ne inde accipiat detrimenti quidquam? Quis horrendum hunc dœmonem non exhorreat? & satagat toto nisu ab ejus se avertere vultu? quis hanc pestem, quæ inficit, ac interficit, non detestetur? gloria non est, quæ plena duntaxat vanitate, suâ inflatur vacuitate; gloria non est, quæ gloriam reddit ingloriam: hanc qui expetit, ignominiam sibi appetit, quia emendicare ab alijs adigitur eam futilem gloriam, quæ sibi nihil accrescit, cum suam inde inopiam prodat. Infeliciter est felix, qui felicitatem, quam sibi dare non potest, ab alijs emendicat.

8. Qui olim in Olimpicis certaminibus gloriam certando ab Expectatoribus extorquebant, nonnisi pertinaci patientia frondem emebant viridem, cùm sibi absque labore sine discrimine, & ullo quæsto sexcentas frondes possent succidere, & contexere coronas: quod gratis potuissent à se exigere, hoc ab alijs post exantelatos Herculeos labores expetebant; & ideo nonnisi misera erat ea gloriæ conditio, quæ fluxo sudoris argento emebatur; & nonnisi post improbos exantlatos labores obtinebatur ab alijs; & plerumque non gloria, sed simplex erat fucatus plausus, qui unà cum voce solum aërem diverberabat. Quid miserius, quàm omnes habere Dominos, & ab ijsdem emendicare, quod sibi deest? An non est hæc servitus, quavis servitute gravior? gloriæ appetens tot habet heros, quot sunt, quibus displicere timet, omnium observat vultus, perinde ac famulus Domini oculos: & hæc procul dubio sors est abjectissima, cum in famulitium deijciat probrosum.

## §. II.

*Mundi gloria eò est vanior, ac futilior, quò ardentiùs inter homines quæritur. Fluxa est, stare nescia, nisi in perniciem proborum affectuum, ut virtus corruat.*

Quotquot inhiant laudibus, & gloriosi nominis aucupantur celebritatem, ab alijs gloriam emendicant, nimirum ab hominum ore laudes aucupantur, ut aliquid inde venentur gloriolæ; sed hi venatores propriæ fiunt venationis prædæ; inani, ac prorsus irrito delassantur labore, nec veram consequuntur gloriam, quæ eò est vanior, ac futilior, quò ardentiùs inter homines quæritur; perit enim vera gloria, cùm laudes quis deperit: non enim solidam, ac firmam potest gloriam dare mundus, qui nihil habet solidi. Haud ab- ludit mundi gloria ab ea, quam sibi Ægyptius Rex Pharao acquisivisse existimaverat. *Putabat se stare super fluvium*, nimirum, existimabat Regium suum thronum super delabentis fluminis stare vortices: sed, & verum dixit, & sua ipsum fefellit opinio: verum protulit, dum regij diadematis majestatem, sceptrique pompam super delabentes aquas intuebatur: siquidem fluxa est mundi gloria, & labilis, regij throni, quæ majestas dicitur: erravit tamen, & à vero deflexit, dum existimavit, se illic stare posse, ac permanere, ubi continuus est lapsus, & regna etiam, ac imperia jugiter fluunt, nullo solido innixa fundamento: quapropter scitè Chrysostomus redarguens falsitatis Pharaonem, ait: *Falleris ò miser, qui putas esse posse stabiles gressus in delabente flumine:* scilicet ea pernicitate, quâ è suis cataractis nilus præceps defluebat, imperium simili pernicitate fluebat Pharaonis; cujus gloria tam firmum fixerat fundamentum, quàm Nilus undam, cujus fluctus in mare præcipites devolvebantur; an non eadem pernicitate Regia quævis Majestas præceps ad interitum fluit, & properat ad sepulchrum, ad cujus saxum, veluti ad scopulum collisa procellosoin hujus vitæ pelago naufraga perit? decipit mundi gloria, quos ambitione inflatos ad illius illicit aucupium. Putant verum posse in mundo enancisci splendorem, cùm tamen nonnisi eos aucupentur nitores, quos noctilucæ, seu muscæ nocte volitantes in-

(margin, beside "Quotquot": 2.; beside "Putabat": Genes. cap. 29.)

intempesta emittunt; vix enim nocturna lux videtur splendere, & statim unica alarum agitatione extinguitur.

10. Fluxa est, & inanis gloria, quam mundus spondet. Viderat Propheta Ezechiel, *Cap. 1.* juxta fluvium Cobar currum auro illitum, omnique circumfusum splendore, quo regia indicaretur majestas, ac mundi gloria, ut *In cap. 1. Ezech.* expendit D. Hieronymus, inquiens: *Currus juxta fluvium Cobar significat, omnem mundi gloriam praterfluere; & gradum non habere stabilem.* Sed si currum auriga Cherubin ducebat, quomodo firmus non esset? cur firmiter non staret? quia scilicèt symbolum depromebat mundi gloriæ, ideóque *num. 14.* dicitur: *Ibant, & revertebantur in similitudinem fulguris coruscantis.* Certè pernicissima disparet celeritate fulgur, cujus splendor simul ac oritur, moritur: eâdem disparet celeritate mundi gloria, quamvis auriga currûs sit Cherubin. Hunc currum direxit Lucifer, & momento è summo cœlo in imum corruit inferorum. Fuerat in ipsum congestum quidquid ornamentorum spiritualium, gratiæ munerum, naturæ dotium, cæteri novem Angelorum Ordines possederunt, quippe Principatu fuisset in omnes potitus; sed cùm primùm appetens fuit inanis gloriæ, à vera cœpit desciscere gloria; nocuit ei nimia fælicitas, quæ ipsum in imum detrusit ærumnarum: non me latet, hujus defectionis causas, plures adferri; & quosdam asserere, Luciferum invidiâ stimolatum iniquissimè tulisse hominis dignitatem, in æqualem gloriæ cum Angelis possessionem venturam. Alios credere, Deum Angelis adhuc in cursu viæ suæ constitutis aperuisse Verbi divini futuram cum natura humana conjunctionem; & hominem eum constitutum iri, non mortalium tantùm, sed & ipsorum Angelorum caput, ac Regem, cui propterea sua Lucifer jam detrectaverat obsequia exhibere. Mihi tamen cum alijs licet sentire, ipsum insolenti mentis elatione non vanam tantùm, & futilem; sed & Chimericam exambijsse Numinis æqualitatem, sua neutiquam dignitate contentum, Quapropter scindebatur in factiones cœlum, & pars melior, sincerior que peracriter contra Luciferianos surrexit: primus atrocis in cœlo prælij Dux Michaël fuit unus è Seraphinis, qui angelicis sermonis vocibus bellum indixit desertoribus Luciferianis, simúlque dixit: *Quis sicut Deus*, id enim significat Michaël, qui cum Angelorum socialium fidis Ordinibus in perduelles pugnavit, non jaculis, aut hastis, sed mutuis odijs: cúmque pugna effervesceret fulminante Numinis decreto, fulguris instar cœlo præcipitatur Lucifer in tartarum; sitque ærumnosorum extremus, qui chimericæ gloriæ appetens ipsam Numinis concupierat æqualitatem: & cum incentore corruerunt asseclæ, pars scilicet tertia cœlestium spirituum; & fidorum in obsequio manentium cohortes eodem temporis momento absoluto viæ, ac militiæ tempore æternâ donantur beatitate, seu stipendio rei bene gestæ, subrogato Michaële in locum Luciferi; qui cœlestium donorùm exutus ornatu in sempiternum cum suis depulsus exilium flammis damnatur nunquam extinguendis. Quam noxia est futilis, ac inanis gloria, quæ à summo cœlorum in imum detrosit inferorum Luciferum? *Quomodo cecidisti de cœlo Lucifer, qui manè oriebaris plenus sapientia, & perfectus decore?* *Isaia 14.* cùm primùm chimericâ cœpit intumescere gloria, omnem exuit venustatem, ac elegantiam, & momento deformatus in spurcissimum evasit cacodæmonem. Quid ni? unica superba, ac tumida cogitatio plures Angelorum myriades, plures nobilissimorum spirituum aulæ cœlestis Principum milliones in æstuantes gehennalibus ignibus voragines egit præcipites, nollo resipiscentiæ, nullo misericordiæ, ac nullo recuperandæ gratiæ relicto loco.

Paveant inanis gloriæ cupidi, & tabescentes contremiscant: ait Zacharias. *Quia ceciderunt Cedri, non ululet Abies?* Si rebel- 11. *Cap. 11.* les Numini, nec in ipso cœlo asylum invenêre, quale in terra erit profugium reis à facie irascentis Numinis; ait Christus. *Videbam Sathanam sicut fulgur de cœlo cadentem.* *Luc. 11.* Timeat inanis gloriæ cupidus; quò sublimiùs ascendere adnititur, eò profundiùs sibi aperit præcipitium. Casus Luciferi fulguri pariatur; tum ob pernicitatem descensûs, momento siquidem ruit; tum ob lucis brevitatem, quæ in suo extinguitur ortu, & unà cum casu involvitur in tenebris: si mente à quovis corrupto defœcata affectu pensetur, quo mundi gloria fundamento nitatur, ejus statim inanitas, & fluxibilitas edocent, nullam ei inesse permanentiam, idque edisserit Salomon, inquiens: *Ego Ecclesiastes fui Rex in Jerusalem*, sed si Salo- *Eccles. 1.* mon, cùm hoc dixit, sedebat in throno, regnabat in Jerusalem; sceptrum tractabat; & Rex erat, cur potiùs non usus fuit præsenti tempore, & non præterito? si è solio scribebat, cur non dixit, *Ego Ecclesiastes sum Rex in Jerusalem:* cur maluit dicere, *fui Rex*, & non *sum?* quia Regium diadema utpote sphæricum, adeò est volubile; & regnum, quod eodem nititur, labile; ut dubitaverit Salomon, an regnum tamdiu esset possessurus, quamdin scriberet se regnare in Jerusalem; quia præteritum fuit certum; & incertum instans futurum, maluit Salomon præterito uti, quò homines edoceret, quàm fluxa, futilis, & inanis sit mundi gloria; quàm labile sit regnum, & corona volubilis, quæ nec de succedente instanti potest sibi securitatem spondere.

Quid vento velocius, ac instabilius? & sicut insaniæ daretur putanti vento perflante plumas, quisquilias, résque id generis vilissimas, ac levissimas firmas, ac immobiles humi hætere; non secus insanus est, qui ina-

inanem mundi gloriam in alis ſitam ventorum firmam putat, ſtabilem cenſet. Viderat
Cap. 6. Zacharias quaternas quadrigas rotis obſtrepentibus inter ſaxa de montium egredientes anguſtijs; *Et ecce quatuor quadrigæ egredientes de medio duorum montium*: has quadrigas mundi ſignificare regna cenſet Cyrillus Alexandrinus, inquiens, *quatuor currus in medio montium dicimus eſſe regna illuſtriſſima, quæ in totidem mundi climata ad quatuor ventos claruerunt*: hoc eſt, ne regna putentur perſiſtere, firmúmque habere ſtatum, alas à ventis ſibi mutuantur, & à perniciſſimis quadrigis volubiles rotas: firmum non eſt, quod quadrigis circumagitur, quod rotis circumvolvitur, alisque fertur ventorum; nullam nobis rotæ ſpondent firmitatem, nullam venti pollicentur ſtabilitatem, cùm & pulveres in terra, & naves in æquore, & volucres in aëre rapiant, ſecúmque trahant.

13. De decem cornibus illius beſtiæ, quam
in Apocal. 17. v. 12. viderat Joannes, dicitur: *decem cornua, quæ vidiſti, decem Reges ſunt, qui regnum nondum acceperunt, ſed poteſtatem tanquam Reges una hora accipient.* Regis donantur quidem nomenclatione, ſed meminerint ad unam duntaxat horam principari: ſed cur tanquam Reges Angelus vocat, quos priùs abſolutè Reges appellaverat? ſcitè reſpondet Beda: *Tanquam Reges dixit, quia veluti in ſomnio regnat, qui Chriſti nomini adverſatur.* Quisquis Deo placere non curat, & divina flocci facit præcepta, ſi adhuc ſe regnare credit, ſomniat: non regnum eſt, quod poſſidere credit, ſed regni umbra, ac larva; non eſt Rex, ſed regnantis duntaxat ſimulacrum exhibet; qui ſine Deo gubernat; per annos ſaltem aliquot ij regnaturi erant, qui beſtiam ſequebantur; & tamen nonniſi unâ dicuntur horâ regnâſſe; quia cum mortalis hæc vita momentanea ſit, horæ unius inſtar elabitur è clepſidra; ideóque horaria dicitur mundi gloria, ſicut, & qui regna poſſident unius horæ Reges, & revera plures ſunt Reges, qui licèt pluribus regnent annis vix per horam, ea aggrediuntur, & agunt, quæ digna ſunt Rege: imò non horarium tantùm, ſed & phantaſticum eſt inſomnium mundi regnum, & inanis gloria, quam ex illo nituntur Reges aucupari: quapropter Deus Salomonem alloquens ait. *Dedi tibi divitias,*
3. Reg. 3. *& gloriam, ut nemo fuerit ſimilis tui in Regibus cunctis retro diebus, &c. igitur evigilavit Salomon, & intellexit eſſe ſomnium*, quia ſomnia ſunt, quæ mundus exhibet imperia, regna; & ſomnium, quæ ex illis homines ſatagunt inanem gloriam aucupari; & licèt, quæ nobis per ſomnium nocte intempeſta, cum ſopor ſenſus occupat, repreſentantur, falſa omnia non
Lib. 1. epiſt. 9. ſint, cum teſte Iſidoro Peluſinta, quæ in



quiete nobis obverſantur, reliquiæ ſint eorum, quæ per diem agitavimus, partiſque inutiles ignavæ conſuetudinis, quia ut ait Tertullianus. *Anima jacente corpore, ac blanda vi ſoporis immobili, tamen interim ſomniat, nec quieſcit, nec ignaveſcit omninò, nec naturam animæ immortalis ſopori ſervam addicit. Probat ſe mobilem ſemper; terra, mariſque peregrinatur, negotiatur, laborat.* Lib. de anima cap. 43.

Cum igitur omnino non ſopiatur anima; multa vera, & rebus in vigilia geſtis conſentanea concipit, & quia ſenſuum ſopitorum organis majori ex parte deſtituitur, procul dubio plura etiam admiſcet, quæ à vero deflectunt; nec minimè inter ſe ſe cohærent: & ita res videtur ſe habere in portentoſa illa de Numine, déque ejus providentia opinionum colluvie, quam Ethnici, Athei, & Politici in orbem invexerunt, in qua licèt aliquid interdum emicet veritatis, plura tamen miſcentur abſurda; & abſona, & à naturæ principijs prorſus aliena, ut & à communi ſapientum conſenſu abhorrentia, quapropter dixit Salomon. *Vani ſunt omnes homines, in quibus non ſubeſt ſcientia Dei, & de his, quæ videntur bona, non potuerunt intelligere eum, qui eſt, neque operibus attendentes agnoverunt, quis eſſet artifex: ſed aut ignem, aut ſpiritum, aut citatum aërem, aut gyrum ſtellarum, aut nimiam aquam, aut ſolem, & lunam rectores orbis terrarum Deos putaverunt.* Hinc Vulcanum igni dixerunt præſidere, ac in igne ſuum habere regnum, illúdque ſplendidum, utpote flammis circumſeptum, & hunc claudum finxere, eò quia ignis in terram lapſus, ſuam amiſerit puritatem; & imbecillior factus ſomento indigeat, quo nutriatur. In aëre Jovem ſuêre venerati, & pro ſtellarum gyro ſigna coluerunt Zodiaci varijs delineata imaginibus, ſive earundem author fuerit Pythagoras, ſive Chius, vel Anaximander. In aquis Neptuno, & Amphitritæ honores exhibuerunt; ut in ſole Phæbum, in Luna Dianam, in vino Bacchum, in ſegete Cererem, in armis Martem, in ſcientijs Paladem, in legationibus Mercurium coluerunt. Imò in id devenerunt dementiæ, ut & bovem Iſidem, & ſerpentem Eſculapium, & canem Anubim, & capram Amalthæam divinitate conſecrârint: & ſicut hæc ab Ethnicis excogitata gloria, & Numinum ſomniatis turbis tributa, futilis fuit, vacua, & inanis; ita gloria, quam mundus ſpondet ſuis affeclis inanis eſt, & larva, ſomniúmque gloriæ: *ubi enim multa ſunt ſomnia*, ait Eccleſiaſtes, *plurimæ ſunt vanitates.* Quòd ſi quæras, undénam tam portentoſa de Deo ſomnia ſuam apud Ethnicos originem traxerint? Non ex alia

14. Sapient. 13.



cauſa

causa putes, quàm vel ex supina quadam ignorantia, salutisque neglectu; vel ex depravata quadam affectuum perturbatione; perinde ac aqua, quæ fluctibus exagitata perversas, ac distortas exhibet species rerum, sic etiam concitatis in corpore humano humoribus per nimietatem cibi, & potùs turbulenta oriuntur somnia. Variæ igitur, ac portentosæ apud priscos Ethnicos de Deo, ejúsque providentia opiniones ex affectuum perturbatione suam fuêre enatæ originem, fuerítque propterea affectus inordinatus, qui idololatriam invexerit.

15. Refert Lorinus *in sapient. c. 14.* Tunc primùm incepisse idololatriam, cùm pater filij, aut filius parentis defuncti effigiem floribus primùm, deinde thure, tum cæsis etiam victimis ad solatium, ac mœroris levamen veneratus fuit, sive is Belus fuerit, sive Ninus apud Babylonios, sive Sarug, sive Thare apud Cappadoces; sive Cecrops, aut Prometheus apud Athenienses. Aliam idololatriæ causam ponit Lactantius, qui asserit, adulationem in mundo invexisse idololatriam, ut etiam in ijs, quibus excellentior inerat virtus, vel inusitata potentia, ob quam cæterorum ad se traheret admirationem; quo pacto Pergameni D. Augustinum, superato Sexto Pompejo, templis, arísque consecratis in Deorum suum cooptârunt cathalogum referente Tacito, eíque suppar fuit Hispanorum vanitas erga Tiberium teste eodem Tacito. Aliam suggerit causam invectæ in mundo idololatriæ Cicero, hánceque beneficentiam esse dixit; suscepit id communis hominum consuetudo, ut qui beneficijs excellerent viri, hos cœlum ad se traheret, quò uberiori splenderent claritate, ac insignirentur honore, quâ de causa Hercules, Esculapius, Liber, Castor, Pollux divinitate donati sunt à viris Ethnicis. Hæc verò Ethnicorum somnia unus discutit Dei timor, qui enim infinitam Dei potentiam, ac sapientiam sedulò perpendit, facilè deprehendit, hos fas esse, nec omninò decere, miseros homines ex argilla compactos de Dei majestate, ejúsque providentia otiosè arbitrari: cx eo quod terræ Principes, & Reges in eos dirè animadverunt, qui læsæ majestatis Rei convincuntur; statim conijcimus, quantæ sit temeritatis, ac dementiæ infinitam Dei majestatem blasphemiis lacessere, ejúsque criminari providentiam; vanæ enim sunt cogitationes hominum, & quò altiùs ascendere nituntur, eò profundiùs sibi præcipitium adaperiunt.

*Lib. 1. cap. 15.* — *Lib. 4. annal.* — *Lib. 2. de natur Deor.*

## §. III.

*Nostra non est gloria, quàm in mundo aucupamur, cum ex ore dependeat alieno, insidedtque in alienis labijs, vir probus, quò plures laudes meretur, eò magis eas veretur.*

NOn solùm vanæ sunt hominum cogitationes, sed & distortæ à veritate alienæ, dum gloriam quærunt inter homines aucupari: nostrum non est opus hæc gloria ab alijs emendicata, sed ex ore dependet alieno, insidétque in alienis labijs, non ergo veram poterit gloriam in ejus mentem, cui affertur, adferre: alienæ à nobis sunt laudes, quæ ab ore dependent alieno, imò & nos etiam alienant, nósque extra nos rapiunt, quia suus ampliùs non est, qui alienæ laudis tenetur amore, sed aliorum est, à quibus laudes emendicat. Laudes exhibere hebraicè *Chabas* sonat, quod perinde est, ac alligare, quò inde discamus metuere in laudibus funes, & in gloria, cui inhiamus, vincula timere. Rursus *Chabas* hebraicè de vulnerum ligatione dicitur, transfertúrque ad eas fascias, quibus vulnera ligantur corpori inflicta; quid ni? laudes, quas ab hominibus aucopamur, plerumque has referunt fascias, vulnera tegunt, vitia occultant, quæ tamen non corrigunt, nec ægritudini medentur, sed quodam linimento obtegunt; quinimò & laudum velamina persæpe fœdiora reddunt vulnera, plagásque laxiores: unde nil veræ gloriæ possunt humanæ laudes adferre. 16.

Quamvis blanda videantur verba, quæ auribus aucupantis gloriam laudes propinant, nil tamen possunt adferre solatij, quia ut ait D. Gregorius. *Sape laus benè agentis auribus insolenter admota, dum foris sermonibus perstrepit, intus quandam mentis tacitam elationis tempestatem gignit.* Hoc est, verba laudatoris, seu veriùs adulatoris; quamvis foràs pacatam videantur laudis malaciam ostendere; intus tamen vanâ elatione mentem exagitant, tempestatem excitant, & virtutem ad naufragium impellunt: procella est hæc mentis elatio, & eò magis timenda, quò minùs timeri solet. Vir probus quò plus laudes meretur, eò magìs eas veretur, omnémque expavescit vanam gloriam, in quam, qui impingit veluti in scopulum illisus naufragus perit, idque causæ, cur D. Augustinus has sibi oblatas laudes respuerit, ait enim: *Laudes istæ vestra gravant nos potiùs, & in periculum mittunt. Toleramus illas, & tremimus inter illas.* Quòd si ecclesiæ columna ad sibi oblatas laudes tremit, an non contremiscet folium? An non pravo ducitur affectu, qui illas aucupatur? pessimè cum illo agitur, qui humanis laudibus inflatur, divinæ excipiendæ gloriæ se 17.

*Lib 2 Moral. cap 3.* — *Serm. 3. de verb. Dom.*

se ineptum constituit, proinde ab omni vera gloria se eximit, quia vanæ inhiat gloriolæ; rem urget S. Gregorius inquiens: *Dum laudibus humanis inflantur à vera gloria æternæ retributionis inanescunt*, perstringit laudum aucupes, qui dum gloriam quærunt, gloriam perdunt; inanis enim est, quam mundus suis gloriam exhibet. In argumentum ludibrij arundinem pro sceptro milites, & Judæi Christi dextræ imposuêre, sed in ipso ludibrio ipsam expressêre veritatem, ut observat Drogus, inquiens: *Arundinem in dextra ejus ponunt; potestas enim, & regnum arundo est ventis agitata*; quòd si humana dignitas in Christi dextera vacua, & inanis fuit arundo, quid pretij poterit in manu præseferre viri impij?

Lib. 10 Moral. cap. 3.

18. Vana igitur sunt, & vacua, quæ videntur in mundo aliquid posse gloriæ conferre; nonnisi inanis est gloria, ac vacua, quæ à vacuitate sui principij dimanat: humana cuncta tantùm abest, quòd veram possint gloriam ingerere, verùmque gaudium adferre, ut potiùs risum moveant, ut irrideantur, vel lachrymas cieant luctu digniora, quàm plausu: hinc Democritus olim, & Heraclitus haud infimæ notæ Philosophi res humanas, ac earundem vicissitudines è præalta veluti contemplantes speculâ, disparibus eas affectibus condemnârunt: quidquid enim oculis objiciebatur, id lachrymis deplorabat Heraclitos: è converso quoties in publicum processerat Democritus omnia cum risu explodebat, adeò ut cum derisu humana cuncta flocci faceret: quæ divitijs, honoribus, ac mundanæ gloriæ inhiantibus plurimum videntur pretij præseferre, eadem hisce Philosophis judicio defœcatiore rerum humanarum censentibus naturâs, & conditiones; miseriæ, ineptiæ, résque nullius ponderis videbantur: utriúsque Philosophi personam induisse videtur Ecclesiastes, dum è supera veloti specula sedulò exploraturus mortalium studia, résque fluxas, ac interitui obnoxias dixit. *Vidi cuncta, quæ fiunt sub sole, & ecce universa vanitas, & afflictio spiritus.* Quòd si hanc, & nos speculam cum Ecclesiaste conscenderemus seduli exploratores rerum humanarum, nil inter homines homine dignum nobis objiceretur, quamvis per universum orbem oculis mentis pervagaremur.

Eccles. cap. 1. v. 14.

19. Hinc Possidonius inter humanæ vitæ exercitationes quatuor artium genera ponebat; scilicet vulgares, seu sordidas, ludicras, pueriles, ac liberales, & has postremas tantùm censuit homine dignas, cùm tamen solæ ab hominibus negligantur, cùm in sordidis, ludicris, ac puerilibus duntaxat occupentur, cui consonat Seneca *Epist. 1.* in qua scribit magnam vitæ nostræ partem, elabi malè agentibus dum luxui, ac libidinibus, cæterisque vitijs indulgemus, maximam nihil agentibus: eò quia tempus, quod culturæ virtutum, ac Deo debetur, rebus externis, vanisq; prodigitur. *Alium enim* (asserit Seneca) *insatiabilis tenet avaritia; alium supervacuis laboribus operosa sedulitas; alius vino madet; alius inertiâ torpet: alium defatigat ex alienis arbitrijs suspensa semper ambitio; alium praceps mercandi cupiditas circa omnia maria, terrásque spe lucri deducit; quosdam militia tempestas absorbet; nunquam non aut alienis periculis intentos, aut suis anxios: sunt quos ingratorum cultus, & obsequia voluntaria servitute consummavit, multos, aut affectatio alienæ fortunæ, aut odium suæ detinuit: plerosque nihil certò sequentes vaga, & inconstans, & sibi displicens levitas per nova consilia jactavit.*

De Brevit. vit. cap. 2.

20. Ita est; studium gloriam enancisccendi plurimos defatigat, quos & ambitio torquet; suntque propterea onera, vel execrationes inimicorum, vel mala exitialia, quæ nos hianter nobis exoptamus, adeò ut nos non pigeat adversariorum indulgere desiderijs, & eorum vota nostris implere votis: qui verè sapit, mavult acerbos compescere dolores, quàm fucata felicitatis gaudia temperare: scit bracteata esse, quæ pinguior, lætiórque fortuna nobis bona spondet; & in nostram conjurare perniciem, quæ nobis videntur arridere, & nonnihil adserre solatij; honor enim, fama, opulentia, & gloria nos in sublime videntur evehere, sed ut lapsu graviore nos præcipites agant, & quamvis videatur quis stare, casuro tamen similis semper anceps hæret, ac titubat, nunquam de sua statione securus, nec de suo honore, fama, & gloria tutus; cùm non à propria id voluntate dependeat, sed in arbitrio sit aliorum; adeò ut sua felicitate gravis plurimùm stando defatigetur; & ipsa, quam mundus exhibet, gloria viribus destituat, & ex ipsa statione lassitudinem inducat; ac non modicum patiatur detrimentum, qui diutiùs mundi satagit gloriâ splendescere.

21. Graviter ægrotat Ezechias, *In diebus illis agrotavit Ezechias usque ad mortem*: quos enim Deus amat, hos arguit, ac castigat, non tamen ut pereant, sed quò inde vegetiores surgant; nuntium mortis, audit Rex decumbens de ore Isaiæ: cum enim Ezechias lethali implicaretur morbo ex ulcere intestini; quod cum humanis artibus esset immedicabile, ideo ex naturæ lege moriturus erat Ezechias ex lethifero pure intus in exulceratis intestinis stabulante: cui morbo causam dedisse creditur, turbatus ab Asyriorum armis, ac vastatione Judææ status. Putat tamen D. Hieronymus, immissum Ezechiæ à Deo morbum; ne de victoria adversus Asyrios triennio post obtinenda insolesceret; sed ut ut res est, gravis procul dubio, ac lethalis erat ægritudo, quâ Ezechias decumbebat, & ad quem propterea accessit Isaias Numinis Nuntius nuntiaturus Dei nomine mortem, ut se ad discessum ex hac vita

4 Reg. c. 20.

vita præpararet. Indictâ per Prophetam supremæ necessitate horæ largas Rex lachrymas fudit, preces, ac obtestationes expressit, cum ingemiscens videret telam sibi vitæ in ipso ætatis flore præcidi; quintum enim supra trigesimum agebat vitæ annum tunc Ezechias destinatus ad mortem subeundam sine liberis, absque hærede: Manasses enim nondum tunc natus fuerat, qui promissum Davidis thronum occuparet: cùmque lachrymis maderet, morbo torqueretur, ægritudine absumeretur, ac in luctu, & squalore jaceret, rediit lætus ad Regem Dei Nuntius, qui decumbenti Regi quindecim annis renuntiat auctam vitam, non enim tantùm pollicetur ab hostibus evasionem, sed integram etiam valetudinis restitutionem, intra tridui spatium. Implendæ Prophetiæ signum petit Ezechias; ut Propheta, qui nuper infausta prædixerat, nunc læta prænuntians dignus fide haberetur: cui Isaias utpote syderum, & astronomicæ disciplinæ perito dixit, hoc erit signum à Domino: vis, ut ascendat umbra in horologio Achaz decem lineis, an revertatur totidem gradibus? *& ait Ezechias: facilè est umbram crescere, neque hoc volo, ut fiat, sed ut revertatur retrorsum decem gradibus*

22. Prolixas texunt sacri Interpretes disceptationes, cur Ezechias petierit, ut umbra in horologio Achaz decem gradibus retrocederet; & cur majus miraculum fuerit, solem retrogrado redire cursu, quàm velociùs in suum vergere occasum: scio, Eucherium censere, minus miraculum fuisse, si sol suum in occasum gressum maturâsset: & majus miraculum fuisse in orientem contra consuetas sibi indictas leges retorqueri: ait Eucherius, *Rex maluit, ut sol reverteretur retrorsum decem gradibus; quia majoris poterat esse miraculi, si sol contrarium suo mori cursum ageret, quàm si consueto processu incederet.* Adeò insolita consuetudo invalescit, ut & ipsa cœlestia perurgeat. Vel fortassis difficiliùs putaverat Ezechias, posse solem ab inchoato desistere cursu, tametsi ad suum properaret occasum, & ad splendidum orientem remeare, sed ut ut est de majori hoc miraculo; certum est, Ezechiam judicâsse solem faciliùs ad suum properare occasum, quàm in orientem regredi: sed cur petiit, ut in orientem regrederetur, & inde diem redordiretur? iterúmque splendesceret sol clarior in meridie, & lætior, ac jucundior suo in ortu? siquidem vergens ad occasum suo languescit splendore, & funestas ex præcelsis montibus in subjectas planities, vallésque imas umbras proijcit proprio quasi parentaturus occasui: cùm enim sol Eoo splendescit in horizonte, non solùm aëris tenebras abigit, sed & terrarum umbras excutit, & ipse veluti mundi lampas lucet splendidior, ac lætior suum tendit in meridiem, Ezechias tamen sapienter dixit, *facilè est umbram crescere decem lineis, nec hoc volo, sed ut revertatur retrorsum decem gradibus*, quasi sol planetarum Princeps, diei præses, & moderator; jam ex diurno itinere defatigatus mallet humilis in occasu decumbere, quàm in sublimitate angustè præcelsus meridiano iterum jubare clarescere, ut notavit Cajetanus, inquiens, expendens textum Ezechiæ. *Propterea Ezechias dixit, facilè est umbram inclinari decem gradibus: dixit, facilè relativè ad arduum regrediendi opus.* Nimirum arduum obtigit soli diu lucere, & easdem redordiri morientis jam diei prima natalia, & clariores meridiani jubaris iterum nitores induere: faciliùs enim in suo occasu quievisset, quàm iteratò in cœlis splendesceret: quia nimirum, vel ipsa mundi gloria, cujus nitore satagunt homines splendescere lassitudinem invehit, & ipsum lucendi fastigium fastidium ingenerat, mavult sol in sui occasus tumulari sepulchro, quàm matutina iterare incunabula, quia pœnam ingerit mundi gloria diuturna sua statione, ut arduum sit, ac pœnale sumptuosius in mundo splendescere: scitè Cajetanus ad rem nostram moraliter versans, *facilè dixit relativè ad arduum regrediendi opus*, quia sol splendidiùs lucendo typicè defatigatur, seu quisquis sit, qui mundana gloria splendescere cupit ex sua perseverantia, & statione in eodem splendore fatigatur, & ipsum lucendi fastigium pœnale ei parit fastidium; quia mundi gloria utpote vana, & vacua, nil in se continet, quod vel guttulam possit veri solatij adferre.

Multos corripit, multósque invadit persuasio, quâ putant veram posse in mundi honoribus, ac dignitatibus gloriam enancisci; sed abstergendus est hic error ab omnium mentibus; plura enim mala invehit, quàm sint, qui decipiuntur; cum pluribus malis unumquemque onustet, ac gravioribus gravet incommodis, licèt ab errorum cathalogo à pluribus expungatur. Terrenæ dignitates extimè tantùm splendent, non intimè penetrant, proinde nequeunt veram ingerere gloriam, quæ animum afficiat, sed tantùm extrinsecam, quæ hominem non tangit. Imò quamvis putet quis hac mundanâ affici gloriâ; non tamen inde aliquid experitur solatij. Fatale imminebat Sauli prælium, & quia se consilij inopem sentiebat, fagam adivit, quæ Samuelem diu defunctum advocaret, & ex Manium umbris accerseret ad lucis hujus usuram. Dixítque ei mulier: *quem suscitabo tibi?* qui ait, *Samuelem mihi suscita.* Et præstigijs peractis ait Rex, *quæ vidisti*, & respondit mulier ad Saul, *Deos vidi ascendentes de terra*, dixit, *Deos vidi*, utens plurali numero pro singulari, cum hominem videret augusta nitentem forma, adeò ut quidquam videretur spirare cœleste, *tunc intellexit Saul, quod Samuel esset; & inclinavit se super faciem terræ, & adoravit: Dixit autem* 23.

1. Reg. c. 28.

Sa-

*Samuel ad Saul. Quare inquietâsti me, ut suscitarer.* Vel ut alij legunt apud Glossam: *quare commovisti me,* hebraicè verò legitur *quare inquietâsti me ad faciendum me ascendere:* nimirum Samuel jam diu deposito hebrææ gentis principatu, & jam vita, & præfectura functus, cum sepulturæ frueretur quiete; dum adigitur ad pristinos redire Principatûs splendores, & ad inanem iterum hominum gloriam resumendam ratione principatûs, qui homines in mundo constituit gloriosos, id tam gravatè, ac ægrè tulit, ut querulus dixerit: *Quare commovisti, seu inquietâsti me ad faciendum me ascendere;* de sepulchro scilicet, cum ibi tranquillè quiescerem? ac si diceret, diu Principem egi, ac illustri in mundo fulsi gloriâ, sed tandem fatigatus principatu, & potentiâ defessus tranquillè quiescebam; cur ex mea quiete ad onus iterum evocâsti principatûs? quare commovisti, & inquietasti me ad faciendum me ascendere inter homines, quos & principatûs potentia, & humanæ gloriæ nitore præcedebam? eo ipso quod mundi, & principatus gloria meam subit memoriam, cicatrices refricat, & dolores renovat; vita, & mundiali gloria cùm jam functus essem; redivivæ gloriolæ, quæ in principatu splendet, timeo speciem: non enim mundi gloria aliud est, quàm inanis umbra, nihil solidi in se continens; est flos, qui statim exarescit, sed spinis circumseptus diu lacerat; est sagitta ab arcu emissa, quæ momento temporis transit, sed vulnus infligit lethale; est navis, quæ æquora trajiciens, tametsi marinis fluctibus sursum evehatur, deorsum tamen etiam truditur, donec in scopulum illisa pereat.

## §. IV.

### *Viro probo tametsi laus debeatur: si tamen vanæ gloriolæ appetens, desinit probus esse, ac incipit pravis famulari affectibus, quibus fit malus.*

14 Nil faciliùs humanâ gloriâ perit; nil est, quod ita crassè hominem fallat; gloriæ enim cupidus, quamvis liber sibi esse videatur, pluribus tamen inservit, & licèt divitijs affluat, aliena tamen est ope indigus, quia ab aliis humana nititur obsequia extorquere. Tametsi esset quis in pingui constitutus fortuna, ut divitiis æquè afflueret, ac honoribus afficeretur, si in ea degeret urbe, ubi fas esset omnibus, & jus singulis eum suis exuere fortunis, nulla id lege prohibente, possetque quisque impunè ejus surripere pecunias; nonne quamvis hodie Cresus esset, fieret cras alter Codrus? non putârim me latum unguem à vero deflectere; si hoc idem dixerim gloriæ mundialis obtingere aucupibus: siquidem cuilibet & civi, & hospiti, liberum est aliquid illius gloriæ detrahere, imò & penitus surripere; non enim honor, & gloria, quæ mihi exhibetur à meo pendet arbitrio, sed ab aliena dependet voluntate, quæ potest totam mihi somniatam gloriolam detrahere. In hoc æqua esse videtur miseria, honoris, & gloriæ; si quis tales calleret incantationes à Medæa, vel Thessalis suppeditatas, ut vel unica duntaxat à se emissa vocula lachrymas è geminis eliceret oculis; è pectore altos extorqueret gemitus, ex ore questus, & lamenta; utique illius potentia tyrannis potiùs, quàm principatus vocanda esset; proinde & singulis formidanda, & à cunctis timenda. Profectò in homines futili inflatos gloriâ, hoc idem potest, qui linguam ad loquendum præpeditam non habet; vel unius raucæ mulierculæ paucula verba, mundialis gloriæ si non penitus splendorem extinguunt, saltem denigrant, offuscántque, & animum gloriantis eò torquent mœrore, quò ex geminis ejus oculis lachrymas eliciant, ex ore lamenta, ex pectore extorquentes gemitus; qui enim toto ambitu, & conatu mundi gloriam prehensat, omnium fit opinionibus obnoxius, & oblocutionibus: propterea debet quemque metuere, & id enixim observare, ne ulli sit infestus, sed omnibus gratus, ut ipsi, quam sitit gloriolam, ei propinent. Oh quàm futilis, quàm vana est mundi gloria, quæ è linguarum vidi pendula semper anceps hæret, & lapsui proxima? Quòd si ea esset quis naturæ infelicitate compositus, ut ad singula verba febri corriperetur, nonne hominum censeretur misertimus? Hanc naturam contrahit, qui humanæ inhiat gloriæ; *lingua enim humana* ait Augustinus: *ruinosa constructio gaudia.* Epist. 16.

25. Crassè igitur, ac fœdè halucinantur, qui gloriam quærunt, quam nemo, qui eam quæsivit potuit invenire: & si putet quisquam adinvenisse, adeò brevis est, ut vix prægustata dispareat; ideóque ut vili pendatur, sufficit, si ejus brevitas expendatur: tunc ejus vilitas patet, cùm quàm viles sint illi, à quibus laudari exoptamus, pensamus. An non contemptui tibi theatrum esset, si ex furibus, lurconibus, prædonibus, scortatoribus, nebulonibus, sycophantis, & alijs horum hominum fecibus conflatum scires? tales esse credas saltem ut plurimum, qui turbam constituunt hominum, è quibus nituntur mundi gloriam sibi comparare, qui eam sitiunt. Quòd si ad illam flecteremus intuitus gloriam, quæ Cœlites afficit; humanas laudes non minus despiceremus, quàm ranarum coaxationes, vel culicum stridores, aut porcorum grunitus, aut apium bombos, vel voces graculorum: neque enim ab hisce bestiolis plerumque abludunt homines, è quibus mundi emimus gloriolam, ex suffragio D. Chrysostomi, qui de hoc plebis garritu loquens ait: *Est quidam rumor tumultûs, perturbationísque plenus ex stultitia majori ex parte constans.* Adest & Dionis calculus definientis hunc populi rumorem, fimum profun- Homil. 28. in Joan. Orat. 66.

dum ex variis fordidibus in unum coacervatum. Quis igitur tam infirmæ sit mentis, qui ab hisce velit Judicibus dependere? & ex eorundem plausibus gloriam aucupari, & approbationem suorum operum?

26. Quamvis debeatur laus viro probo, si tamen is sit laudis cupidus, jam desinit probus esse, & incipit esse malus, quia velle laudari malum est: proinde desinit esse laudabilis, qui laudari vult; vel enim se laude dignum censet homo, vel judicat se nullam in promereri laudem; si indignum se laude putat, & tamen laudanti plaudit, jam gaudet, quòd laudator, vel veriùs adulator mentiatur; vel si non putet, se dignum, qui ab alijs laudetur: quid ni jam desinit esse laudabilis, quia se talem judicat, qualis revera est, nimirum nihil. Est igitur contemptu, non laude dignus quisquis de suo dolet contemptu, vel tumet commendatione: satiùs se laudabilem constituit, qui ab omni laude abhorret: laus enim quæ appetitur filia est mendacii, & mater opprobrij, & tunc incipit quis esse improbus, dum propriam sibi laudem arrogat, séque supra meritum probari, ac approbari satagit.

27. Is est supra omnia laudabilia laudabilis, qui hæc duo impensè desiderat laudem Dei, & contemptum sui; vir probus mavult bonus esse, quàm videri, & mundi gloriolam, ut pestem fugit, quo veram in cœlis enanciscatur gloriam, quâ cœlites omnes æternùm donantur: timor igitur æternæ amittendæ gloriæ clypeus est, retundendæ mundiali gloriolæ aptus; non enim et placere possunt laudes illæ, quarum amore ab ea excidit gloria, quæ æterno gaudio cœlites perfundit; hi sapiunt, qui laudes nec negatas sectantur, nec oblatas recipiunt; non enim veram exhibent gloriam, cùm habentur; quin à laudum potiùs fuga speranda est gloria, quàm ab ipso laudum aucupio. *Sunt laudum figuli*, ait Hugo Carensis, *Diaboli nutrices*, quia dum lactant, capiunt; suósque alumnos sua sugentes ubera, nonnisi diabolo nutriunt, ac infernalibus parant locis; à quibus gaudium exulat; & in quibus luctuosa tristitia sceptrum tenet: quis adeo desipit, ac emotæ est mentis, ut in ejus lactis cupiat potu nutriri, quo nonnisi dæmoni, ac igni possit gehennali pinguescere? hujus lactis dulcedine qui nutritur, gehennalem nutrit ipse ignem: hac autem insania laborant, qui adulantium fugunt ubera, sunt enim ut censet Hugo Carensis *Diaboli nutrices*, & diabolo nutriunt, quoscunque alunt. Non parturiunt veram gloriam oblatæ laudes, Imò qui suo gaudet contemptu, is veram incipit gloriam enancisci, quam illata convicia non enecant; non enim à conviciis gloria inficitur, nec interficitur; imò eò uberior justis gloria cumulatur, quo injustè convicijs petuntur; eò plus illis gloriæ, ac gaudij seges accrescit, quò maledictis pleniùs pulsantur: quemdam siquidem æterni gaudij gustum præsentit, qui convicijs ad æternam gloriam urgetur.

In Cap. 1. Proverb.

28. Voluit istud nos Magister Christus edocere, cùm patentibus cœli foribus obtulit se Stephano videndum, cum blasphemis verbis non minus crudeliter à Judæis, quàm lapidibus peteretur: ut inde innueret convicijs non infici justorum gloriam, sed potiùs augeri: scitè Mercutius Episcopus in catena græca Lucæ loquens de beati Stephani passione ait: *Nisi blasphemia calumniam Stephanus obtinuisset, non utique cœlis ipsis apertis Dominum conspexisset:* quasi conviciantium voces cœli fores Stephano aperuissent. Vit inglorius convicia timet, quæ vir probus flocci facit; quia convicia omnia, omnésque calumniæ, si in unum congerantur, nil aliud sunt, quàm motus quidam, pulsúsque aëris, quique vocis sonitu persoluto esse desinit: ex aëre, & in aëre formatur verbum, quod aures pulsat, & animum ferit, nec aër potis est vulnus infligere, cùm præcordia non penetret, nisi refrigerium cordi adferat. Quis non censeat nimis delicatum, quem vel mollis aër exasperat? quis non putet nimis imbecillem, quem nudus aëris sonitus prosternit? verbum enim est, quod eum ferit, non fulmen; vox, non saxum, quod pulsat; motus est aëris, non ictus gladij, qui vulnus infligit; qui igitur ad conviciorum ictus animo cadit, cùm corpore stet, infirmiorem se prodit animo, quam corpore: non feriunt convicia, si patienter ea feramus, & qui assuescit convicia ferre, discit, & vitia auferre.

29. Id enim saltem boni mala convicia, & verba habent, ut bonos meliores reddant, & qui mali sunt, minus malos; tunc incipiunt viro probo displicere vitia, quando sibi incipiunt placere convicia, quibus impetitur, Maledici thesaurum dicebantur in lingua possidere, eò quia quæstûs, & lucri grâtia putarent omnes onerare contumelijs, proscindere maledictis, neque ipsis parcentes innocentibus, verba sunt Plauti: *Istis est thesaurus stultis in lingua situs, ut quæstus causâ habeant malè loqui de melioribus:* Sin verò rem aliò flectamus; is verè thesaurum in lingua habet, cui prurit lingua, eò quia convicia in omnes torqueat, non ut thesaurum possideat, sed ut in alios aliò spectans derivet, quia conviciatores eos ditant, quos conviciis vellicant; quos mordent, ornant; & quos feriunt, sanant: teste enim Suida inaurare aliquem hi olim audiebant, qui frustra in alios convicia evomerent: nimirum, si ritè excipiamus, quæ in nos intorquentur convicia ab ore maledico, aurum inde possumus, ac divitias congerere.

In Pœnulo scena 3.

30. Fertur de muliere quadam, quæ cùm ab alia convicijs peteretur, consuetis scilicet imbecillioris hujus sexus armis, pallium expandit æquo animo, vultúque jucundo colligens maledicta, ac convicia, in se intorta, perinde ac aureos nummos, gemmásque pel-

lucidas,

lucidas, quibus indigere se aiebat suis solvendis debitis, quæ nimirum cùm Deo contraxerat. Fuit hæc virgo in asceterio culturæ virtutum addicta; & certè se supra se extulit cùm hæc verba protulit, ac æquo animo hæc pertulit convicia: putemus & nos gemmas, quæ in nos convicia torquentur; tametsi gemmæ in se non sint, sed verba; fiunt tamen gemmæ, cùm primùm æquo animo à nobis excipiuntur; & patienter feruntur: si illa ut aurum excipiamus in aurum mutantur, quo mens nostra inauretur, ac ditescat uberiùs: cùm nequeat mens eo inaurari auro, quod terræ viscera ad nos mittunt; inauratur tamen illo, quod ex ore convicianis ad nos accedit.

31. Non igitur quos virtus ornat, & patientia munit, laudum sitis torquet, nec mundialis gloria inflat, sed contemptu iidem potiùs gaudent, & convicijs lætantur: sui enim contemptor sicut est honoris osor, gaudet se despici, & aliorum in se opprobria sunt illi lætitiæ materia, & aliorum de se laudes, fraudes æstimat; neque propriæ studet famæ, quæ vana est hominum vox, nisi cum ea conjuncta fuerit vita bona Quid vanius, quàm suæ vanitatis etiam post fata posteris impressa vestigia relinquere? satagunt etiam post mortem famâ posthumâ vivere: sed sic velle vivere perinde est, ac nolle sapere: non enim is sapit, qui à posteris, seu illis laudari cupit, quos nec vidit unquam, nec erit visurus: id dolorem potiùs præteritum, quàm vitam posthumam indicat; nimirum se non fuisse à prioris ætatis hominibus laudatum ante aliquot sæcula eum nondum esset, quodque propterea satagit resarcire famâ posthumâ: sed perinde fama tumulo sepelitur, ac cadaver; non enim quidquam potest adferre solatij, quod nec auditur, nec videtur, nec sentitur, parum prodest ibi laudari, ubi laudatus non degit, & ibi torqueri ubi est: in probrum potiùs laus tunc vertitur, & in supplicium laudati: annon acriùs torqueretur, si in tetrico detrusus carcere summis exciperetur laudibus, eò quia sic vir probus, ingenuus, constitutus in loco amœno, ubi omnia ei ad vota fluunt; cùm enim contrarium experiretur, acriùs indignaretur in laudantes.

32. Plures fuerunt, gloriâ olim cum viverent pernoti, & clari, quorum tamen memoria unà mox cum corpore cinerescit in sepulchro; & quorum priùs fama facinora divulgaverat; jam nunc vix nota sunt eorum nomina, quæ vel in ipsis sculpta lapidibus, quò diutiùs viverent in marmore læso, tandem cessêre & ipsa fato; & temporis diuturnitate obliterata mortem subjêre, æquè nomina, ac homines: huc accersendus Ausonius qui cùm Romæ Cæsarum monumenta inviseret, & quædam adhuc starent sepulchri rudera defunctorum inscripta nominibus, sed quæ nec legi, nec videri integra ampliùs possent, cecinit.

*Miramur periisse homines monumenta fatiscunt.*
*Mors etiam saxis, nominibúsque venit.*

Et tamen huic inanitati quamplures inhiant. Quid enim Ninum compulit, ut tot prælia indiceret? Semiramin, ut tot construeret ædificia? Missem Græcum, ut tot trajiceret maria? Alexandrum Macedonem, ut tot peragraret regiones, debellaret populos? Herculem Thebanum, ut non plus ultra geminis illis insculperet columnis, quas posuit, ubi ultra eundum non erat? Cyrum Persarum Regem ut Asiam utramque occuparet? Hannibalem Carthaginensem, ut bellum tam atrox, & contumax Romanis inferret? Pyrrhum Epyrhotarum Regem, ut Italiam devastaret? Attilam Hunnorum Regem, ut totam propemodum expugnaret, Europam? hæc tam ardua, ac inusitata susceperunt quotquot vanam sitierunt mundi gloriam, quæ tamen ipsis defunctis nil profuit; & ubi non sunt laudantur in mundo, & ubi sunt cruciantur in Orco: ita est ad aucupandam mundi gloriolam omnis dulcescit molestia, omnis sapit labor, cùm si de vera gloria comparanda agatur, deficiant vires, cadant animi, totpeántque corporis membra. Eò ambitionis ardore animus inflammatur humanus, ut si occasio detur volaticum lucrandi plausum, nullum declinet periculum, recuset laborem, fugiat discrimen, *ambitio enim humana* aiebat Cassiodorus in gnomologia, *nisi per metum damni non potest inhiberi*: verùm & damnum ipsum non timet, & flocci facit, dummodo suo ambitio possit desiderio satisfacere, rarò enim etiam metu damni hæc coërcetur, cùm nec discrimina paveat, nec labores fugiat; imò nec mortem ipsam exhorrescat, ita enim audacia inardescit, ut temerè despiciat discrimina, nil enim ambitioso arduum videtur, nilque præruptum apparet, & gloriæ mundialis ardor conceptâ flammâ in incendium excrescit, & animus tantùm languet, torpétque ignavia, si de vera gloria comparanda agatur: imò & de industria confinguntur difficultates, cum illic ingentes exantlentur labores; hinc aiebat Tertullianus apud Pamelium, *Non emo capite coronam*, quasi diceret, scio eum ipso capite capitis à plerisque exambiri coronam; ex quorum tamen numero me lubens subtraho, & ex eorundem cathalago me expunctum volo. Non modica laus est impatiens hocce coërcere gloriæ desiderium: plures sunt, qui Absolonem æmulantes eam mentis incurrunt cæcitatem, ut ubi evanidæ gloriæ putant sibi lucrum maturare, gravius inde sibi tormentum accelerent. In Apolog. cap. 4.

❀ (o) ❀
❀

§. V.

## § V.

*Cum agitur de futili, ac inani mundi gloriola acquirenda, dulcescunt molestiæ, sapiunt pœnæ, & solatium afferunt labores. Sin verò occasio detur veram enancissendi gloriam per exercitia virtutum, ac proborum affectuum, deficiunt vires, & torpet animus.*

33. QUò vanam mundi gloriolam aucupentur homines, plures subeunt labores, incurrunt discrimina, imò & damna patiuntur. Jabinus Rex Asoris urbis, & Regni omnium potentissimi inferioris seu Aquilonaris Chananitidis Regis regna omnia contermina concitârat in Hebræos, sed dum copiæ lustrarentur propè lacom Samachomites supervenit Josue, à quo armis, & insultu prosternitur, & Asor ferro & flammis extraditur, & tamen etiam post cædem, ac dirutam urbem dicitur regnâsse in Asor Judic. cap. 4. *Regnavit Jabin in Asor*, sed quomodo regnare potuit, si urbs Asor fuerat jam cruenta cæde diruta, flammis absumpta, & solo æquata? si radicitùs fuit excidium passa? si nulli in ipsa ampliùs cives degebant, nec domus ulla surgebat, quomodo potuit Jabinus in urbe illa, quæ ampliùs urbs non erat principatum gerere? Respondet Abulensis, Chananæos eo exarsisse desiderio antiquæ civitatis instaurandæ, ac recuperandæ, ut nullis vigilijs, nullis laboribus ac sumptibus pepercerint; imò & plura subierint discrimina, quò eversam urbem, quantocius restaurarent, collapsum ejus decorem erigerent; & extinctum pristinum splendorem iterum excitarent, primævam sibi gloriam comparaturi. *Tanto desiderio* ait Abulensis *movebantur ad eam Chananæi quod illam instauraverunt magnis laboribus, & fecerunt esse caput terræ Chanaan sicut à principio:* nimirum pristinæ inhiantes Chananæi gloriæ, nec sumptibus, nec laboribus pepercerint, ut non solùm collapsam erigerent urbem; verùm & caput totius terræ Chanaan efficerent, ac splendente illo condecorarent titulo; ac unicâ stimulati gloriolâ, & acriùs incitati diu, noctùque laborârunt in domibus construendis, & diruta urbe reficienda. *(Quæst. 3. in cap 4 Judic.)*

34. Ita est, si agatur de futili, ac inani mundi gloriola, dulcescunt vel ipsæ molestiæ; solatium afferunt labores; & mentem serenant, quæ fiunt obviæ difficultates superandæ; sin verò occasio detur enancissendi per exercitia virtutum, veram ac solidam in cœlis gloriam, deficiunt vires, torpet animus. Sponsa suo degebat domi destituta sponso, imò & inerti somno sopotata, jacebat in lecto, cùm ecce accedit ad eam sponsus, ostium pulsat, & blando alloquio eam allicit, ut statim surgat, fores aperiat, quò ipsi pateat ingressus: agebatur de ingressu cœlestis sponsi de vera gloria acquirenda per exercitia virtutum, obedientiæ præsertim, & charitatis; sed sponsa non statim surgit, segnis decumbit, & varias excusationis colorat causas, quibus suam accusat segnitiem, dum se ipsam excusat, respondet sponsa sponso pulsanti, & cupienti ingredi. *Expoliavi me tunica mea, quomodo induar illâ? lavi pedes meos, quomodo inquinabo illos?* ut absentem Deum verâm secum gloriam deferentem domi excipiat, non solùm gradum non accelerat, sed remoratur, & segnitie torpescens sponsa plures affert excusationes, ne surgat è lecto. E converso, cum primòm Christus nuntium ad Martham delegavit, ut certior fieret de suo adventu, & de mortuo Lazaro excitando ad vitam; Martha cùm primùm audivit, quòd JEsus veniret fratrem suum Lazarum resuscitaturus pernicissimè cucurrit, quò venienti JESU occurreret. *(Cant. 5. v. 3.)* *(Joan 11.)*

35. Sed cur Martha, quæ vocem non audivit Magistri Christi, sed tantùm per nuntium audit esse venturum, illicò disruptâ quâvis morâ cucurrit, quò venienti Magistro solicito, & festinato gressu obviaret; cùm sponsa è contra licèt audiat sponsi vocem, adhuc tamen repigrat, & plures congerit excusationes, quibus suam potiùs segnitiem accusat? quia nimirum cum sponsa agebatur de gloria spirituali, & cum Martha de commodo temporali, de vita restituenda fratri suo Lazaro; ideo hæc propero gressu solicitato pede cucurrit, ut venienti Christo obviaret; cùm sponsa, licèt in lecto, frigeat amore, se excuset, & propriam accuset segnitiem, apposité Chrysologus inquiens: *Sic servus non fuit, non proximus, non amicus certè qui aderat consolator, ut mulier sola medias per turbas per castrum totum extra civitatem, & luctus tempore venienti occurreret Salvatori*, & adferens causam hujus pernicissimi gressus ait: aliam non fuisse, quàm commodum temporale fratris Lazari; subdit: *Ut vitam viro referat, hæc anhelat.* *(Serm. 64.)*

36. Martha eatenus solicita exit domo, ad primas nuntij voces medias per turbas currit, venienti Christo obviatura, quia satagit fratri mortuo vitam restituere: sponsa verò ex adventu sponsi nullum speraverat temporale commodum, sed tantùm præsentiam sponsi, ideóque diversa fuit ambarum solicitudo, ut cunctaretur sponsa paucos gressus per cubiculum ponere, cum Martha anhelaverit venienti Christo occurrere; scilicet ut vitam viro adferat, fratri putrescenti jam in sepulcro; aliter enim quæ ad temporalia commoda pertinent tractamus, & aliter quæ ad spiritualem profectum, & cœlestem gloriam attinent; in hisce sumus desidiosi, cum in illis satagamus esse laboriosi: efficaciùs nostros extorquent labores, ac solicitudines, quæ ad comparandam vanam mundi gloriolam conducunt, quàm quæ ad veram & æternam faciunt; & umbra mundialis gloriolæ

totam

totam obscurat veram gloriam, quam impedit; pulchrè Seneca ait: *Contemnenda miramur simillimi pueris, quibus omne ludicrum in pretio est: parentibus quippe nec minus fratribus praeferunt parvo aere empta monialia:* scilicet pueri, qui à sensu, non ratione ducuntur, res ludicras, nulliusque momenti vel proprio praeferunt parenti; & quò lucrentur leves calculos vario depictos colore, res negligunt, flocciqne faciunt, quamvis majoris sint pretij. Quid ni hoc idem videtur, & nobis obtingere: instar puerorum, quae levia sunt, magni censemus esse ponderis, eò quia in extima superficie nobis videantur aliquid humanae gloriolae, vel commodi afferre; cum veram gloriam, quam per studia virtutum enanciscimur, negligamus.

37. Idque ut suos edoceret Discipulos Magister Christus, pueros vocavit, cum piscantes ad mare Tiberiadis eos invenit: *Pueri nunquid pulmentarium habetis*, vocat pueros suos in mare discipulos, non qoia aetate pueri essent, sed piscium aviditate; in capiendis enim pisciculis occupati Christum in littore stantem non adibant, & glorioso carebant spectaculo; quò studerent laborioso: exiguos pisciculos Magistro Christo visi sunt praetulisse, & exiguum lucrum gloriae, quae ex accelerato accessu ad litus iisdem accrevisset; an non pueri erant, non viri? cum pretiosis vilia anteponerent; ludicra magnis praeferrent; & pretiosa non curarent, ut exigua enanciscerentur, ait Chrysologus: *Ibi erat Petrus, qui negaverat, Thomas, qui dubitaverat, Joannes qui fugerat, non ergo ut fortissimos milites, sed ut pueros compellat.* Quia non ut viri steterunt, cum Magistro, sed ut pueri puerilibus gaudebant, cum solis debuissent coelestibus gaudere, & non fluxum in mare expiscari temporalis lucri commodum; sed in adhaesione Magistri aeternam enancisci beatitatem: negavit Petrus Magistrum; è cujus passione etiam se subtraxit Joannes: hinc Petrus, & Joannes studio piscationis fluctuant in mare, & ad magna electi occupantur in quisquiliis legendis, & generosos spiritus abjectè deponunt, paucos expiscaturi pisciculos: quoties hisce mundi fluxis commodis, lucris, ac gloriolae inhiamus, generosos excutimus spiritus, nósque abjicimos ad vilia quaeque, & futilem gloriam praeferimus.

38. Deligitur à Deo Baracus ad triumphum saeculi decantandum, ac immortale trophaeum: *Praecepit tibi Dominus Deus Israel* aiebat Debora, *vade, & duc. exercitum in montem Thabor, tollésque tecum decem millia pugnatorum de filijs Nephtali, & de filijs Zabulon: ego autem adducam te in loco torrentis Cisson; Sisaram exercitus Jabin, & currus ejus, atque omnem multitudinem, & tradam eos in manu tua:* vix potuit Baracus amplioribus promissis allici ad pugnam, ex qua victrices lauros sibi demeteret: sed Baracus non bellicam in se virtutem excitavit, sed potiùs timorem exsuscitavit, respondit enim: *Si venis mecum vadam; si nolueris venire mecum, non pergam*, ecce Baracus quamvis à Deo electus ad triumphum, timuit tamen bellum inire, & hostes adire, nisi in societatem sibi Deboram asciceret, cujus propterea consortium triumpho praetulit, & maluit victoria carere, & triumpho non clarere, quàm à Debora sejungi; cui propterea reposuit: *Ibo quidem tecum; sed in hac vice victoria non reputabitur tibi:* tua fuisset triumphi gloria, nisi ejus nitorem tuus devenustasset affectus in Deboram, cujus consortium victoriae maluisti praeferre: pugna ineunda palmas tibi victrices germinasset; sed has imprudens affectus impedivit, sicque vitrum praetulisti adamanti, lapillum unioni, & lutum auro; scitè Arias Montanus expendens Baraci timorem, ait: *Homines, qui ad virtutem, atque ad rem gerendam nati comparativè sunt; illud in primis curent, ne quid molliter, effoeminatè, atque ignarè, denique ne quid indecorè ab ipsis fiat; quod gerendarum rerum dignitatem, gloriámque imminuat:* quia Baracus solatio Deborae noluit carere, cessavit & victoria clarere: ita plerumque ne nostro studeamus commodo, & ut aliquid fucatae gloriolae enanciscamur, aeternam negligimus: qui à Deo eligitur propriam negligit, contemnitque gloriam, ut compos fiat aeternae.

Qui proprijs studet commodis, per virtutum exercitia nequit ad veram gloriam sibi viam sternere; & frequenter etiam qui praeclarè agunt proprium obscurant nitorem umbrâ futilis gloriolae, quam inde aucupantur, est enim haec tinea illa, quae non purpurae tantùm corrodit splendores, sed & gesta ipsa gloriosa corrumpit: plerumque deformes sunt, qui ex venustis parentibus filij oriuntur, qui propterea & sibi probrum inferunt, & parentibus ignominiam: Ita dixerim ex virtutibus, probisque affectibus, perinde ac ex pulchris genitoribus prolem enasci adulteratam, quae à sua deviat origine, à propria discrepat radice, quam etiam vitiat. Quae à nobis exercentur virtutes, aguntúrque illustria gesta, quandam in nobis solent elationem excitare, seu vanam, futilémque gloriolam, quae virtutes ipsas, probósque nostros affectus inficit, ac veluti tinea corrumpit, & devenustat: dum enim haec gloriola cor afficit, illud inficit, mentem dum subit, infuscat, ac dedecorat. 39.

Cum Christus tumentia aequoris terga sicco calcaret vestigio opem allaturos Discipulis periclitantibus exortâ procellâ, & unà cum undis animo fluctuantibus; Petrus ut caeteris erat Discipulis ferventior, Magistrum advolavit, marinósque fluctus haud dissimili calcavit gressu: *Ambulabat super aquam,* 40.

*aquam; ut veniret ad JESUM*, ne mente fluctuaret in capite, pedibus tumentes fluctus conculcavit: Viator gloriosus fluxa perambulavit itinera: in salo perinde ac in solo audax suos direxit gressus: verùm cum ventus invalesceret, marini fluctus tumidiores surgerent, aër nubibus fœdus solis lucem, non ampliùs adveheret, cœpit & ipse Petrus unà cum fluctibus fluctuare: *cum cœpisset mergi, clamavit.* Sed cur cum ventus validiùs cœpit urgere ex discipulis unum tantùm Petrum ad clamorem imminens periculum compulit? silverunt, quotquot in navi periclitabantur, & solus Petrus, cum fluctibus mente fluctuans, timidus clamat, cum tamen ipse miraculo veheretur super undas, & reliqui Discipuli exiguo navigio; si ventus acriùs urgens in cymba fluctuantes non sollicitat, cur Petrum miraculo undas calcantem ad clamores excitat? & ventus, qui naves rapit, Petri sacram remoratur audaciam? quia nimirum viderat Petrus se fidei ardore cæteros præcellere Discipulos, cum ex ipsis nullus fuerit ipsum secutus per fluxa maris itinera; neque ausus fuerit intrepidis gressibus iter instituere per undas: & ex hac præ cæteris excellentia ventus oritur vehemens, qui æquè fluctus in mari, ac mentem Petri inflat; vanam solet excellentia secum gloriolam trahere, quæ instar venti non mare tantùm, sed & mentem turbat, quam inflat: non solum Petrus procellam veretur, sed & de conculcata procella victoriam; hæc enim fluctus excitavit in corde, cum mentem turbavit; & de ipsa fidei præstantia ventus reflavit vanitatis; & cursus fuit vento sollicitatus. Caveant sibi, qui virtutum studiis clarescunt, qui mira ope divina agunt, ne timeant vanæ gloriolæ intromittant: hæc enim licèt exigua, potis tamen est purpuræ nitorem corrodere, & totam corrumpere virtutem; huc accersendus est D. Bernardus in Psalmum *Qui habitat*, ubi de vana gloria ait: *Non est, unde hac impugnet pusillanimes, remissos: qui ferventiores esse videntur; ipsi paveant, ipsi sibi caveant in parte.* Cùm reliqui condiscipuli non fuerint ausi laudabili audacia tumentes fluctus pedibus premere, nec curaverint citius ad Magistrum Christum pervenire, solus Petrus excellens fiducia, & audacia, fluxa petcurrit undarum itinera, nec maris timet inconstantiam, dummodo gressu celeriori ad suum perveniat Magistrum: verùm dum probatur cæteris excellentior, vento etiam exagitatur tumidior; ut inde conjiciamus, vanitatis ventum ens exagitare, qui cæteris sunt præstantiores, & ipsos impetere excellentiores, vel studio virtutis, vel splendore alicujus præclari facinoris, imò etiam cultura pietatis, & obsequij DEO præstandi. Qui igitur ferventiores esse videntur ipsi paveant; si Princeps Apostolorum per marinos fluctus incedens vanitatis flatu, & vanæ

Serm. 6 in Psalm.

gloriolæ vento periclitatur, quanto magis, qui non Dei miraculo diriguntur per fluctus, sed propria Cymbula maris trajiciunt procellas, erunt naufragijs obnoxij?

## §. VI.

### *Inanis mundi gloriola umbra est vacua, quæ virtutum infuscat splendorem; & claritatem denigrat victoria.*

Est mundi futilis gloria, quæ vel ipsum miraculorum infuscat splendorem, & claritatem denigrat victoriarum. 41.
Testem voco Ezechiam, fuit is Rex pietate & religione, ac reliquarum virtutum cultura commendatissimus Princeps, optimus, qui initio Regni res divinas pro viribus promovit, nil enim ei fuit magis cordi, nil magis in votis, quàm ut collapsam erigeret religionem, restauraret altaria, & Numini restitueret debitum cultum; & quidquid fovere poterat superstitionem, & ad impium cultum incautos, ignarósque allicere, illud omnino eradicandum, ac perdendum curavit. Primo sui regiminis anno vix impij patris infosso cadavere, occlusum ab Achaze templum reclusit Kalendis Martijs, apertis, ac reparatis, quas pater deformaverat, valvis: altare itidem reposuit, quod à parente remotum, ac dirutum fuerat: idola, arásque simulacrorum, lucos, ac delubra non solùm in Judæa, sed etiam in Samaria destruxit, & exussit, projectis cineribus in Cedronem rivum; imò & serpentem illum confregit æneum à Moyse Numinis imperio propositum, & è sublimi monstratum; sed processu temporis, ab Hebræorum malitiâ versum in superstitiosum, ac sacrilegum cultum, cùm non thus tantùm ei adolerent, ut morborum depulsori Numini; sed illius etiam similes, aut dispares incisas saxo figuras in formam ductas spiræ abscinderent, ac collo suspensas circumferrent, contra morbos omnes præsentissimum amuletum; nec alia propterea indigerent ope ad morbos propulsandos. Sustulit igitur Ezechias colubri priscum illud simulacrum, ut simul idololatriæ vestigia omnia deleret, si qua fides Eusebio, Anastasio, & Niceno adhibenda est. Tantus cùm esset in divinis Ezechias, non tamen impar fuit curis civilibus: siquidem circa ærarium sedulus plures congessit opes, quas tamen nulla vi extorsit, sed vel sola industria peperit, vel effusus civium amor obtulit: urbes plures collabentes restauravit, imbecilles munivit, & plures à fundamentis exstruxit; annonæ, & fontium commodis indigentiæ consuluit populorum, ne pauperes negligerentur, quos acerba tempora penitus exhauserant, Militiam quoque instruxit non bello intentus, sed paratus. Primus omnium divinis

innixus opibus Afyrium confregit fœdus, fimul, & jugum, quod tanti fervili formidine Pater ejus Achazes fecerat, or illud omni tum facro, tum profano thefauro turpiter egefto redimendum fibi perfuaderet. Philifthæam gentem femper adverfus DEI populum infolefcentem prælio aggreffus fudit, ac profligavit.

42. Cumque poft hæc Afytiorum Imperator Sennacheribus ruptum ab Ezechia fœdus, negatúmque ftipendium cruento bello vindicaturus in Judæam irrupiffet, ac noo folùm peditum copiis, verùm & equitum longè majoribus, imò & maledicis verbis contra Deum, & Regem, Jerofolymitas omnes in extremum conjeciffet terrorem: Deus ad Regis, & Ifaiæ Vatis preces, Angelum diftricto gladio armatum è fummo cœlo dimifit, qui nocte intempeftâ barbarorum aggreffus caftra centum, & octoginta quinqoe millia fortiffimorum militum interemit, & Sennacheribum, cum decem oon ampliùs fociis fuperftitem relictum io turpem adegit fugam, & Ezechias fæculis retro invifum, ac inauditum de Sennacheribi exercitu triumphum reportavit. Sed quia nulla eft in hoc mundo felicitas, quam aliquanoo corrumpat adverfitas, nec ulla ferenitas, quam nubes aliquæ oon iofufcent, oec malacia ulla, quam fupetaccedens procella nou turber, Ezechias poft delatam infignem victoriam morbu afflictarur: *In diebus illis ægrotavit Ezechias usque ad mortem:* fed cur cum ante triomphum afflictaretur periculo belli, poft delatam victoriam de proftrato hofte ægritudine laborat? ac morbo ad mortem ipfam vexatur? oimirum triumphi lætitiam ægritudinis luctus corrupit, & gaudium victoriæ dolor divexantis morbi extinxit: *In diebus illis ægrotavit Ezechias usque ad mortem.*

4. Reg. c. 20. v. 1. 6

43. Verùm quòd ægrotaverit iu diebus illis aliquod videtur occludere myfterium: ægrotavit enim Ezechias in diebus illis, quibus Dei Angelus de cœlo irruens in caftra Afyriorum cruenta clade centum octoginta, & quinque millia percuffit, fugato Sennacheribo cum paucis comitibus: fi igitur ex eo, quòd eeciderint tot millia Afyriorum firmior ftetit Ezechiæ felicitas, ac victoria, cur potiùs ex tot hoftium lapfu non forgit ipfe ad uberiorem felicitatem? cùm debuiffet potiùs Ezechiæ fanitas fulciri firmior, fulcro innixa delatæ victoriæ; cur potiùs ægritudine labefactata conteritur? & ipfa caufa falutis, occafio fuit ægritudinis? Nimirum viderat Ezechias fe victoria antehac inaudita ab orbe toto commendari; populorum plaufus ejus pulfabànt aures, lætitia Jetofolymitarum mentem erexerat, ac inflaverat Ezechiæ; ideóque plaufu, ac laude victoriæ intus intumefcens aditum adaperuit vanitati, ægritudini, ac morti, & vanæ gloriolæ tinea totum corrupit triumphum, ut adnotavit Cyrillus Alexandrinus inquiens: *Ezechias abductus eft brevi (ut Hebræorum filij aiunt) & animo magno, elatóque fuit, ac in fuperbia laqueos incidit.* Splendorem triumphi umbra infufcavit futilis gloriolæ; & victoriæ gaudium tinea corrupit fuperbiæ; quò difcant viri virtutum ftudijs addicti, hunc à fe vanæ gloriolæ vermem abigere. Ezechias tametfi pietate, religione, & reliquarum virtutum apparatu ornatus, & commendatus; licèt idola gentium protriverit, fuperftitionem extioxerit, veri Numinis cultom promoverit, aras Deo erexerit, templa conftruxerit, pauperum indigentiis confulverit, & cœli armigerum habuerit pro fo pugnantem, eóque hoftes expugnante infignem retulerit de proftratis Afyrijs, & fugato Sennacheribo triomphum; quia tamen cum populotum plaufus, & hominum laudes ejus eblandirentur auribus tineam oon excuffit vanæ gloriolæ triumphi gaodia verfa fuêre in luctus ægritudinis: *In diebus illis ægrotavit Ezechias usque ad mortem*, nec alia fuit hujus ægritudinis caufâ ait Cyrillus, quàm ipfa vanæ gloriolæ rinea, *Animo magno, elatóque fuit, ac in fuperbia laqueos incidit.*

Lib. 3 in Ifaiam c. 38.

44. Caveant fibi, qui fummarum virtutum ftudijs incumbunt, & dum excellentiùs operantur, fua confultiùs opera vereantur; fciaot etiam in pulcherrimis pomis, fructibúsque dulcioribus vermes generari, à quibus & poma, & fructus interiùs corrumpuntur: Pomum vides extimo cortice, vel rofis pictum, ac liliis, vel purpura iudutom, quod tamen intus vermem alit: fic in excellentioribus, ac gloriofis factis facilè vanæ gloriolæ vermis gignitur, quo opus aliàs fpeciofum corrumpitur: culturæ virtutum egregiè incumbit io afceterio divino cultoi emancipatus Religiofus; pulchra funt, ac laude digna, quæ profert virtutum exempla, abftioentiæ, orationis, corporis afflictationis, charitatis in proximum; fed nifi fibi folerter caveat facilè irrepit vanæ gloriolæ vermiculus, qui paulatim perfectionem arrodit, & peftifero dente perdit. Idque caufæ, cur Jobus cum DEO difputans dixerit: *verebar omnia opera mea fciens, quia non parceres delinquenti*, fed quænam fuêre Jobi opera? certè fummarum virtutum, feu holocauftis altaria cotonare, effufis eleemofynis alienis miferijs opitulari, panis buccellam cum famelico partiri, cum afflictis madere lachrymis, contra adverfitates firmum ftare, clypeo patientiæ ictus cacodæmonis retundere, & fuam divinæ voluntati in omnibus conformare: quid igitur verebatur Jobus de operibus hifce? cum nonnifi fanctitatem redolerent, nonnifi fummæ virtutis fplendore nitefcerent, cum flamma charitatis

Job 9. v. 28.

luceret vividior, & splendor misericordiæ micaret clarior? non verebatur Jobus ipsam virtutem, sed excellentiam virtutis, ne spiritum suggereret inflantem, & rimulam adaperiret vermiculo vanæ gloriolæ; timuit, non ad sectandam ignaviam, sed ad vincendam superbiam, appositè D. Gregorius Magnus: (Lib. 9 moral. cap. 17.) *Quid est, quòd mira opera faciens hæc ipsa etiam veretur pavens? cùm dicit: Verebar omnia opera mea: nisi quòd in sanctis viri actibus, verbisque colligimus, ut si placere DEO veraciter cupimus; postquam perversa subegimus ipsa in nobis etiam bene gesta timeamus*: non solùm quæ nobis mala videntur hæc timenda sunt; verùm & quæ sanctè gesta, & præclarè acta; quia ne dum elationis flatu mentem inflant; verùm etiam vanæ gloriolæ vermi tramitem adaperiunt, qui intus corrodit, quod exteriùs præclarè gestum putatur: quapropter ut hanc tineam arrodentem purpuram virtutis procul abigeret Jeremias, maledictis exterret, & timorem incutit comminationibus: (Jerem. 49. v. 10.) *Maledictus qui facit opus Domini, fraudulenter*, utrumque junxit Propheta & Domini opus, & hominis fraudem: opus Domini est opus virtutis; & fraus hominis vana est ejusdem gloriola, quâ sibi de re bene acta complacet, & sibi eam tribuit gloriam; quæ soli est Deo debita, qui dat vires, ut possimus, & actum ut velimus, neque quid aliud est opus Domini fraudulenter peragere, nisi aliquid de gloria sibi surripere: si gregarius miles de prostrato hoste victoriam sibi arrogat, id fraudulenter suo surripit Duci: ergo qui præclaré agens superbit & ex opere excellente vanam haurit gloriolam, gloriam DEO surripit, quæ illi est debita: pulchrè D. Gregorius: *Fraudem in DEI opere perpetrat, quisquis semet ipsum inordinatè diligens, per hoc quod rectè egerit ad remunerationis transitoria bona festinat: sciendum quoque est, quòd tribus modis fraus ipsa committitur; quia per hanc procul dubio, aut tacita cordis humani gratia, aut favoris aura, aut res qualibet exterior desideratur*: dum sibi quis complacet de re præclarè à se gesta, sibique plaudit, ipsa quâ sibi blanditur favoris aura excellentiam corrumpit operis, totúmque ejus infuscat nitorem: non quærenda, sed fugienda est hæc aura, quæ aures allicit, dum blandè eas pulsat, ut vanæ gloriolæ vermi rimulam adaperiat, & mentem subiens per aures excellentiam arrodat operis: ambitiosus est hujus vanæ gloriolæ affectus, & nisi coërceatur tacitè irrepit, & intus arrodit, quod exteriùs splendet in cortice.

45. Tinea est vana gloriola subtilissima, & per rimulas quasque mentem ingreditur, & intus inficit venenato dente, quod exteriùs virtus præclarè efficit: & tam multiplici vaframento nobis insidiatur, ut ejus laquei nonnisi difficulter declinentur. Reliqua vitia nobis duntaxat in terra insidias nectunt, sed vana gloria etiam in ipso pœnè cœlo pedicas tendit, & virtutum studiis addictos ubique invadit lncorum: & eos acriùs impetit, qui sanctiorem vitæ normam instituunt, & tantò in eos irruit audaciùs, quantò plus contra se putat præsidij habere. Vitium est hoc vanæ gloriæ, quod cum nostris alitur, crescitque virtutibus: tinea est, quæ nonnisi virtutum gaudet nitoribus exornari, & nonnisi rebus innutriri præclarè gestis: reliqua insectorum genera; cujusmodi sunt ranæ, muriees, scarabæi, & alia id genus animalcula è putri enascuntur materia, sed tinea vanæ gloriæ licèt fœdissima, nonnisi ex semine prodit generoso, ut è larga eleemosyna, rigido jejunio, ferventi pietate, jugi oratione: quia ut loquitur D. Hieronymus omnia penetrat loca; quamvis abdita, secessus pervadit solitudinis, & Eremicolas, ac anachoritas pulsat, sacra ingreditur asceteria, religiosorum cellulas invadit, & quos virtutis studium commendat, hujus vitij turpitudo devenustat: castra invadit militum, & delatis victorijs intumescens victores ipsos vincit, dum inficit, nulli patet statui, ætati nulli, ordini, aut sexui.

46. Vehemens est febris hectica vana gloria intimas exugit medullas, & viribus paulatim destituit, donec interimat, seu præclarè gestum prorsus corrumpat, ut in filio natu majore, qui patri suo annis plurimis inservierat, cum natu minor portionem suam in lupanaribus prodegisset: erant hi duo fratres amantissimi patris chara pignora, quorum alterum è paterna domo excluserat degener libidinis appetitus, & salacitati junior traditus in longinquam fugit regionem, ubi quidquid in paterna domo opum cumulaverat, vendidit; & quidquid honestæ famæ, ac claritatis, secum attulit, obscuravit; cúmque famis tortura è salaci mente caliginosas extersisset tenebras, séque in cœno cum porcis sordescentem novisset, totus expavit, & ocissimus ad patrem redijt: cumque se non posset extra paternos lares sustinere, satagit se pro patris vernula commutare: frater alter natu major de ruina superbiens minoris, gloriosa sua commemorat gesta, quæ dum recenset, inquinat: & in fratrem in domum reducem simul livorem acuit, & superbiam auget: *Ecce tot annis servio tibi, & nunquam mandatum tuum præterivi*: (Luc. 15. v. 29.) quamvis natu minor paterna exulaverit è domo, libidini indulserit, suam prodegerit substantiam, & vitiorum omnium sordibus se coinquinâsset; quia tamen humilis revertitur ad patrem, & resipiscens

veniam

veniam exposcit anteactæ vitæ, paterno fit dignus amplexu, & albâ vestiri stola, ac lautioribus refici ferculis: & dum natu major de bene gestis, & gloriosè actis in paterna domo gloriatur; quæ rectè gesserat, fœdè inquinat, quia tumore inflatus aditum adaperuit vanæ gloriæ, quæ intus rerum præclarè gestarum extinxit nitorem: dum junior ex fratribus de perpetratis delictis confunditur apud patrem, senior de bene gestis gloriatur, cùm timere potiùs debuisset paterno lateri semper conjunctus, ne abduceretur superbiâ; & quod hactenus lucratus fuerat, unus perderet superbiæ tumor, pulchrè S. Chrysologus de filio prodigo: *Nunquam mandatum tuum præterivi, Judæus loquitur, & non facientis verba sunt; sed tumentis*, dum natu major tumet, quæ fecit, inficit; & dum timet natu minor, quæ destruxerat, restaurat; tumor evanidum reddit laborem, quem timor fulcit, ne labatur; inutili dispendio virtuti servit, qui virtutem ipsam cogit vanæ gloriæ famulari: *non facientis verba sunt*, ait Chrysologus, *sed tumentis:* & sicut tumor disruptâ cute evanescit, ita & vana gloria præclarè gesta rumpit, ut evanescant: hinc David quò tumorem hunc à se procul abigeret, enixim cor humiliatum ab omni tumore sejunctum fovere studuit. *Cor contritum, & humiliatum Deus non despicies:* contritioni humiliatem conjunxit, ne in ipsis pœnitentiæ sordibus elatione superbiret, ut enim eleganter S. Leo Papa. *Quia fortitudo paucorum est, & dum carnis fragilitate austerior observantia relaxatur, dumque per varias actiones vita hujus solicitudo distenditur; necesse est, de mundano pulvere etiam religiosa corda sordescere*, plerumque madent oculi lachrymis, quæ rigandis virtutum floribus aptæ, si autem vanæ gloriæ secum trahant, inficiunt, non reficiunt virtutum germina: sunt, qui carnem jejunijs macerant, flagellis cruentant, abstinentijs exsiccant, & arido ventre horrorem repræsentant cadaveris, qui tamen in ipsa afflictatione intumescentes inutili absumuntur labore, & elatione superbientes, quas satagunt virtutes excolere, exscindunt, ac eradicant; quia ut ait D. Gregorius. *Mentem extollerunt, & ventrem affligunt, se humiliari contemnunt:* despicit Deus cor contritum, nisi & humiliatum fuerit: unde David contritioni apposite humilitatem adjunxit: *Cor contritum, & humiliatum Deus non despicies:* corporis afflictio, si humilitas desit, non virtutes excolit; sed si qua virtus fuerat exculta exscindit, & perdit.

Serm. 6.

Psal. 50. v. 19.

Serm. 4. de quadrages.

Lib. 9. moral. cap. 19.

47. Volupe æquè fuit, ac suave Jonæ Prophetæ sub umbrosa hedera meridiari, hederam solari jubari obtecerat; folia veluti clypeos, queis suos obtunderet æstus, ne sedenti in ejus umbra Prophetæ ullum adferrent incommodum: delicijs perfundebatur Jonas quiescens sub hederæ umbra: sed unicus vermiculus omnem amœnitatem illam turbavit, & Prophetam perturbavit; hederam enim irrepens vermis corrodit, & corrupit, & toto virelcens amœnitas exaruit, & unà cum umbra deliciæ disparuêre. Quid ni virent plerumque opera nostra, & non secus ac arbor ferax, suos diffundunt ramos, foliorum pompam explicant, umbras peramœnas spargunt, sed plerumque vermiculus irrepit vanæ gloriæ, & hanc corrodit arborem, quæ momento exarescit: cadunt folia bonorum operum, evanescit umbra, & desinit tota amœnitas: est vermis iste adeò subdolus, ne furtim sciat se abdere, ac intus rodere, ut qui vana gloria turgent, non tantùm id non notent, sed nec credant notanti, & monenti: & quamvis vermis iste se abigi patiatur, cedátque incantationi, mox tamen redit, ut non satis sit semel, & iterum vanam gloriam fugasse, nisi millies abigatur, si millies revertatur, adhibenda est contra venenatum hunc vermiculum Regij Vatis incantatio. *Non nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam*, Deus est, qui dat posse, & ut possimus vires suppeditat, quapropter, si quid boni agimus, nostrum non est, & gloria soli Deo impertienti posse, & suppeditanti vires debetur: quæ ex recto, sinceróque affectu procedunt opera, hac gaudent incantatione, quâ venenatus vanæ gloriæ vermis interimitur; adeò necessaria est hæc incantatio, ut sine illa vix cultor virtutum morsus evadat hujus vermis, qui sacris cum Davide urgendus est carminibus, quibus omnia in solam Dei gloriam refundantur; alioqnin irrepit intus vanæ gloriæ vermiculus, & recondita penetrans cordis arcana, mentésque spirituàliores, corrodit quæ ibi virtutum reperit ornamenta; quia ut eleganter ait D. Petrus Chrysologus. *Vana gloria est secretum virus, virtutum luctus, tinea sanctitatis.*

Psal. 113. 9.

Serm. 7.



# DISSERTATIO XXIX.

## Deo serviendum non ob ullum nostrum commodum, nec vanam gloriam, sed quia meretur ipse, utpotè summè bonus, ut creaturæ omnes ei inserviant.

### §. I.

*Vermis vanæ gloriæ triplici confodiendus est vulnere, ut cadat interemptus.*

1. 

Nterimendus est triplici vulnere vermis iste vanæ gloriolę, ne nostram invadens mentem virtutes corrodat. Lethaliter vulneratur, si rebus omnibus unicum duntaxat Dei attendamus honorem, & propter solum Deum operemur: tunc enim omnis affectus ad hæc caduca jugulatur, & id duntaxat, quod Deo placet intendimus, nec ullum nostrum attendimus commodum: qui divino æstuat amore, omnem exuit ad hæc fluxa affectum, ut in solo Deo respiret, scitè Bernardus. *Quomodo enim perfectè diligis, aut diligeris, si in summorum desiderio ad superna non raperis? collige te ipsam ad temetipsam, & in solo divinitatis desiderio requiesce.* (De domo interiore cap. 69.) Secundum vulnus huic infligendum vermi vanæ gloriæ est oblivio sui ipsius, ut solius Dei recordemur; sui non meminisse est in sola Dei requiescere voluntate, & eidem in omnibus acquiescere: quemadmodum in cœlesti patria summæ est cœlitibus voluptati Dei videre voluntatem per universum orbem, pérque ipsos inferns inoffenso, ut ajunt progredientem pede, nec quidquam reperiri in summis montium fastigijs, in profundo vallium, in exporrectis camporum planitiebus, in matinis tractibus, quò divinæ valeat voluntati obsistere, sed cuncta eidem obsequuntur: ita qui sui ipsius obliviscitur omni satagit divinæ in omnibus obsequi voluntati, in qua unicè acquiescit, & quamdam videtur in terris cœlestis patriæ prægustare beatitatem: non enim cœlesti gloria donati lætitiâ perfunduntur ex eo, quòd bona possideant nunquam amittenda, verùm etiam ex eo; quòd videant Deum in illos esse benevolentissimum. Idque est, quod David ajebat: *Confitemini Domino, quoniam bonus,* (Psal. 117. v. 1.) lætabatur Regius Vates, non quia Deus ipsum ex Opilione Regem fecerat, non quia pannosum regia chlamyde induerit, laceras vestes cum purpura mutaverit, baculum in sceptrum verterit, & pileum in aureum diadema; sed quia Deus in se bonus est, & summè bonus, *confitemini Domino, quoniam bonus.* Tertio vulnere interimitur vermis vanæ gloriæ, si quis Deo serviat, non ea de causa, quia id Deo placet, & in commodum refunditur creaturæ, id enim redolet quid humani, & amoris proprij: sed ideo toto cordis affectu Deo inservit, quia Deus placet ita Deo servienti, & Deus adeo est bonus, ut nostrum dignetur obsequium approbare, quapropter David, *Introibo,* (Psalm. 70.) inquit, *in potentias Domini, memorabor justitiæ tuæ solius. Deus docuisti me à juventute mea, & usque nunc pronuntiabo mirabilia tua.*

2. Etiam viri rudes, qui non cognoverunt literaturam, in potentias Domini introeunt, Deique omnipotentiam sentiunt, & justitiam capiunt edocti, vel ab ipsis cœlorum luminibus enarrantibus, ac ostendentibus Dei gloriam: vel Deo inserviunt, eò quia sit summè bonus, & dignus ut creaturæ omnes ei impenso serviant amore: unde exclamat D. Bernardus lib. de diligendo Deo. *O pura, & defæcata intentio voluntatis! eò certè defæcatior, quò in ea de proprió nil jam admixtum relinquitur. Sic affici, Deificari est.* Fertur, cacodæmonem duos in eremo accessisse Anachoretas Deo magis viventes, quàm sibi, Deóque inservientes, eò quia sit Deus summè bonus, mereatúrque, ut ipsi soli creaturæ omnes toto corde inserviant: cúmque sua in solitudine illa Deo obsequia exhiberent, ac jugiter inservirent, tempúsque impenderent in divinis laudibus occinendis, fundendis precibus, & cultura virtutum omnium, nullum inde intendentes proprium commodum; magna propterea concordiâ, ac profectu in studio virtutum vitam instituerent: cúmque has vitæ delicias, ac divitias in illa solitudine, ac paupertate ana-

anachoritica invidisset Dæmon eremiculis illis; tartareus hostis exuit umbras,& nitidissima indutus luce senioti Anachoritæ obviavit,quem faciliùs falleret: cúmque inciperet cùm ipso de eremiticæ vitæ instituto varios miscere sermones, tandem loquens de socio juniore dixit, scias in hac palæstra commilitonem tuum, ac socium à Deo præscitum esse; flammísque æternis destinatum, & incassum tot in hac solitudine exantlare labores; abstinentiâ, & jejunijs; fame, & siti corpus torquere; nil ei prodesse noctes traducere insomnes ad preces Deo fundendas, cum sententia æternæ damnationis jam lata fuerit à justo Judice. Exhorruit senex ad hæc, & toto corpore contremiscens, O terribilem exclamavit sententiam! ergóne frustraneæ sunt tot vigiliæ, nil proderunt tot jejunia, quibus & caro deprimitur, & concupiscentia coërcetur: nullum fructum adferet jugis, ac continuata virtutum cultura, & pessum ibunt omnes juvenis eremiculæ conatus: cúmque inciperet senex madere lachrymis, & præ dolore cordis voces prærumpere, ac singultus querulos edere, subjunxit cacodæmon sub specie nitidissimi Angeli fallens senis simplicitatem: sciebam bone vir, non sine dolore, ac gemitu te hæc auditurum: sed divina decreta rescindi ampliùs non possunt, & his dictis ab oculis se illicò senis eremiculæ subduxit,disparuítque, relinquens senem afflictissimum, ut socium juvenem nonnisi lachrymis madens videret, & nonnisi cum præsago suspirio eum alloqueretur: cúmque id semel, & iterato observâsset juvenis, non distulit quærere, quidnam causæ esset, quòd non sine lachrymis eum aspiceret, nec sine suspirio cùm ipso loqueretur? tunc uberiùs ingemiscens senex: quæso, non petas à me, quid causæ sit mei luctus, & doloris, satiùs est, me causam reticere, quàm tibi aperire, cùm minimè tibi placeret, si tibi innotesceret: hæc senis tergiversatio stimulos addidit acriores juveni ad responsum extorquendum, cúmque non desisteret senem rogare, ut in sua eum flecteret vota, & quid causæ esset, illius tristitiæ, loqueretur; tandem senex precibus defatigatus, & altiùs ingemiscens dixit: significatum mihi est ab Angelo è summo cœlo delapso te damnatum iri, ac frustra pro acquirenda cœlesti gloria te hac in solitudine laborare, nil tibi prodesse jejunia, vigilias, cilicia, & preces, quas die, noctúque fundis,& ideo hæc cogitans dissolvor in lachrymas, & dolor cor meum torquet. Tunc juvenis animo lætus, fronte serena, vultúque ridente dixit: O mi pater, & id causæ est tantæ tristitiæ! non quæ ab Angelo audivisti te turbent, non veni in eremum, ut servus mercenarius, non laboro, virtutes non excolo, nec tot preces fundo, nec mea Deo obsequia præsto, ut inde pro mercede cœlestem accipiam beatitatem: erubesco pro mercede inservire; Deo inservivi, & inserviam ad mortem usque non ut mercenarius; sed ut filius, & ex debito meo: an quia lata sit sententia meæ damnationis, deperdidit Deus suam bonitatem? si Deus adhuc est summè bonus, cur non debeam ego illi inservire, si ipsi me totum debeo, si quidquid in me est ab ipso in me derivatur, & omnia mea sua sunt, cur non debeam ipsi inservire? Ita est, mi pater! non ob latam damnationis meæ sententiam desistam Deo inservire, imò impensiùs imposterum ei serviam, & plus temporis impendam in ejus laudibus, cum post mortem non ampliùs possim ipsum laudare cum beatis in cœlo. Admiratus senex juvenis eremitæ animum, ac ferventissimum in Deum amorem defæcatum à quovis amore proprio, & quem vermis vanæ gloriolæ non corroderet, subjunxit, serviamus, serviamus quidem Deo fili mi, quàm possumus fidelissimè, bonum habemus Patrem in cœlis, serviamus illi propter suam duntaxat bonitatem, quâ meretur, ut omnes, & singulæ ei inserviant creaturæ: pater est, non poterit patrem exuere: ipsi curæ de nobis erit. Hos post sermones ut omnem abstergeret Deus tristitiam, omnem abigeret dolorem, verum submisit Angelum, qui senem monuit, quò imposterum non ita facilè crederet cacodæmoni, qui mendacia in eremo serit, ut lolio triticum corrumbat: non fuit ille nuntius è cœlo in terram missus, sed ab Orco emersus, ut te falleret: scias juvenem illum, eò quia non ut mercenarius, sed ut filius Deo in hac solitudine inservit, æternis præmijs esse à Deo destinatum. Vult igitur Deus, ut nos illi serviamus, non tamen ob nostrum commodum, sed quia meretur ipse, ut omnes ei creaturæ inserviant: non nostram inquiramus gloriam, sed studeamus Deo placere: si non nostrum in Dei famulatu quæramus emolumentum, sed solius Dei gloriam, nil erit, quod nobis esse possit timori.

Expertus id fuit Moyses: cùm enim Dei populus ex Ægypto profugus per inviam incederet eremum, & in Arabia Petræa finea attingeret Amalecitarum. Amalechus fraternæ quondam simultatis invidiosæ memor armatos congessit milites. Erant Amalecitæ ab Amalecho Esavi nepote oriundi; quorum Rex inveterato in Jacobi posteros odio ob præreptam patris benedictionem,& etiam metuens, ne agri devastarentur ex transitu Israëlitarum, ideò excitata oppidatim juventute petentibus Israëlitis transitum, denegavit; subdens; quòd si armis conarentur sibi viam aperire, speraret ipse fore, ut recenti militia, & validis viribus, defessum ex prolixo itinere populum debellaret: re hac per Exploratores delata ad Moysem, hic fortissimum quemque bellatorem statim seligit, quibus Josuem præficit Imperatorem, cui aleam committit pugnæ: interim Moyses cum fratre Aarone, & Hute Mariæ sororis marito fastigiũ conscendit Orebi montis,

tis, ubi procumbit in preces, expansis, & extentis cœlo brachijs: incipiunt mox ad montis radices binos inter exercitus velitationes, mox acriori pugna urgetur conflictus, & totis viribus utrinque pugnatur: mira sanè res! dependet victoria non ab armato pugnante, sed ab inermi orante. Vincit Israël levante Moyse in altum manus; succumbit, si laxentur, ac concidant brachia orantis, quæ propterea nituntur Aaron, & Hur sustentare, quò simul victoriam fulciant, quæ non cum die finem habuit, fusis, fugatis, ac trucidatis Amalecitis cum suo Rege.

4. Mirùm sanè, quòd cum utrinque pugnarent acies, tunc Josue vinceret, si Moyses manus suas in sublime elevaret; perderet verò Josue, & prævaleret Amalechus, si Moyses lassitudine fessus paululum brachia remisisset? plùsque propterea ad obtinendam victoriam, ac validiùs pugnaverint manus inermes Moysis orantis, quàm armatæ manus Josuë dimicantis? Post delatam victoriam Moyses Deo victoriæ datori aram struxit, sacrificium instituit, victimas obtulit, & vocavit nomen ejus, *Dominus exaltatio mea*. Vel ut Cornelius vertit, *Dominus miraculum meum*: & statim subdit sacer historicus: *Quia manus solij Domini, & bellum Domini erit contra Amalech*. Chaldæus Paraphrastes explicatiùs exponit: *Dictum est hoc à facie terribilis, cujus majestas est super solium gloriæ, ut committatur prælium à facie Domini contra viros domus Amalech*: Insuetus sanè videtur esse loquendi modus: quænam est, *hac manus solij Domini, aut terribilis, cujus majestas est super solium gloriæ*: ad quid tot apparatus verborum ad victoriam de Barbaris Amalecitis delatam indicandam? an forsan simul certabant de victoria obtinenda æquè manus inermes Moysis orantis, ac armatæ manus Josuë præliantis? ad rem nostram plures cum translatione Gothica apud Marianam loco *manus solij Domini* legunt *manus solius Domini*: nimirum Dei Majestas gloriæ solium est, quando manibus solius Domini tota tribuitur victoriæ gloria: tunc habetur veræ gloriæ solium, cum tota gloria ob delatam victoriam soli Deo tribuitur; nec pugnantes, qui hostes expugnârunt, quidquam sibi usurpant gloriæ, quam totam, & integram soli tribuunt Deo, ac Duci exercituum.

Exod. 2.

5. Vera tunc, & non fucata est gloria, quæ ex delata hauritur victoria: non manus inermes Moysis orantis, nec manus armatæ Josuë præliantis, sed manus solius Domini Amalecitas fuderunt, fugârunt, ac prostrârunt, soli igitur Deo, & Duci exercituum gloria debetur, quò inde, & nos discamus non nostram in rebus præclarè gestis gloriam quærere, sed solius Dei, quapropter David ajebat. *Non nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam*; *non nobis* David,

Psal. 113.

*non nobis*, æquè Judæos, ac gentiles respiciebat, quorum neutri gloria debebatur, sed uni, ac soli Deo: imò geminata illa confessione suam gloriæ indignitatem palam David fatetur, & duplicata, ac repetita renuntiatione indicat soli Deo totam deberi gloriam, & nihil prorsus creaturæ: huc accersendus Eusebius Cæsariensis *in catena græcorum Patrum*, ubi sic fatetur: *Non nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam: ne quando dicant gentes, ubi est Deus eorum, &c. Sed ne unquam istiusmodi sermonem proferant, concede, ac tribue nobis misericordiam tuam*.

Res omnes, quæ à nobis benè geruntur, non à nostra, sed Dei virtute prodeunt, proinde non nobis, sed soli Deo tota debetur gloria, & qui aliquid inde sibi usurpat gloriolæ, vana est, ac futilis, quia sibi non debita. Hinc Esther ex servili conditione ad regni elata solium, humili sua tecta, & protecta dejectione Deum alloquitur, inquiens. *Tu scis, quòd abominer signum superbiæ, & gloriæ meæ, quod est super caput meum in diebus ostentationis meæ*. Non mirum, si Esther exosum habeat Regni diadema, & veluti superbæ gloriæ signum illud detestetur: siquidem omnem gloriam in solum Deum refuderat, & solum coronari concupierat sicut David. *Qui coronat te in misericordia, & miserationibus*, coronam quidem ambierat, non humanæ gloriæ, sed divinæ miserationis; gloria enim tota in solum Deum referenda est, quia ipse suam nobis impertitur gratiam, vires suppeditat, quibus nobis operantibus, ut instrumentis, coronam sibi fabricat; apposite D. Augustinus expendens illud Regij Vatis, *Qui coronat te in misericordia, & miserationibus*, ait: *Gaudeamus, quia nos vicimus, qui in nobis victi sumus, in illo* (scilicet Deo) *vicimus. Ergo coronas te, quia dona sua coronant, non merita tua*.

6.

Esther. 14. v. 10.

In Psal. 102. v. 4.

7. Deus non tam merita nostra, quàm dona sua in nobis coronat, quatenus in misericordia coronat, seu nobis miseretur, ac suam impartitur gratiam, qua probè operemur, & ideò rectè agimus; quia dat ipse ad rectè agendum, sitque propterea soli Deo tota nostri operis probitas tribuenda; & gloria debita, sitque de furto culpandus, qui gloriosam divinæ gratiæ coronam rapaci gloriæ furto sibi usurpat; hæcque illa est gloria, quam Esther detestatur, ut sibi exosam, vocàtque signum superbiæ, & gloriæ in diebus ostentationis suæ, Idque videtur adumbratum in visione illa, quæ objiciebatur Joanni, ubi Seniores ante sedentem in throno procidentes suas abijciebant coronas: *Procidebant viginti quatuor seniores ante sedentem in throno, & mittebant*, (seu ut legit textus Arabicus, relinquebant, vel ut Syrus, projiciebant) *coronas suas ante thronum dicentes, dignus es Domine Deus noster accipere gloriam, & honorem, & virtutem, quia tu crea-*

Apocal. 4. v. 10.

*creâsti omnia*, nimirum cœli proceres ante solium gloriæ Numinis suas deponebant coronas, quas & projiciebant, ne quidquam sibi gloriæ usurparent, quæ tota uni est Numini debita.

## §. III.

### *Destruit, quod adstruit, & Sisypheo labore saxum volvit, qui suum impendit opus, ac in id toto nisu incumbit studij, ut mundi enanciscatur gloriolam.*

8. QUi studio incumbit virtutum, ut inde aliquid aucupetur gloriolæ, vel honoris, is Sisyphi movet frustrato labore saxum: fabulantur Poëtarum commenta, Sisyphum eo supplicij genere apud inferos plecti, ut saxum ingens in montis cujusdam verticem cogatur pervolvere, quod cum ad summum montis cacumen pœnè extulerit, repentè deorsum relabitur, ad eundem repetendum laborem. Quod adstruit, destruit, qui ut honoretur, & vanam enanciscatur gloriolam impensè laborat: in nullum siquidem opus futilius nostros impendimus labores, quàm ut inde gloriam nanciscamur, vel honorem: hæc enim intentio totam corrumpit virtutis honestatem, & infuscat nitorem, quapropter est periculosæ aleæ opus plenum, quod in id tendit, ut aliquid aucupemur gloriolæ, vel ad altiorem promoveamur gradum. Nemo profundiùs cadit, quàm qui altiùs ascendit, quòd enim sublime est, id profundiori fit statim ruinæ obnoxium: cuilibet montis fastigio finitimum semper est præcipitium, & quò altiùs cacumen surgit, eò profundius præcipitium ruinam aperit: & quantò est gradus excelsior, tantò & est casus profundior. Faciliùs feriunt fulmina montium, turriúmque culmina, quàm vallium ima: & fortuna ridens simul, & irridens, quos ut primos extulit, mox in postremos deijcit. Cœli via illis fit invia, qui ideo agunt, laborántque, quò aliquid inde nanciscantur gloriæ, vel honoris; & sicut affinia sunt nomina dominatio, & damnatio; ita & re nec latum unguem videntur discrepare.

9. Inhonorus est omnis honor, nisi Dei intendat honorem: & indignum se prodit honore, honori qui inhiat. Non est, cur homo honorem sibi quærat, vel gloriam, nec est, cur quæratur sibi, vel non deferri, aut auferri honorem. Quid homo est ex se nisi peccatum, mendacium, & purum nihil? quidquid boni habet, non à se, sed à solo Deo habet, ex se nihil est, & ex nihilo à solo Creatore traductus. Quis igitur tam mente inops, ut nihil honoret? quod non est, nihili fit, & in nullo potest pretio haberi; quòd si homo ex se nihil est, nequit de se veriùs sentire, nec veriùs, quàm cum Jobo dicere. *Redactus sum in nihilum*, quòd si homo nihil valet ultra, nisi ut conculcetur ab hominibus, quid intumescit? quid superbit? quid honores auspicatur, & aura cupit gloriæ pasci? quæ insania potest insanior excogitari, quàm velle eorum laudibus honorari, quorum pedibus dignus est conculcari? An non ridendus simul, & irridendus esset opilio, vel miser alius pannosus, qui conquereretur se non esse in Imperatorē electum, vel cum Regibus sceptra tractare? An non stolidus esset vir ille nequam, qui dignus, vel plecti gladio, vel suspendi laqueo, id enixim locò supplicij à Judice exposceret, ut coronâ donaretur, vel sceptro? An non helleboro indigerent lictores illi, qui ambirent, ut essent Senatores? Quamvis se jactet homo, velit, nolit, aliud non est, quàm pura vanitas, imò & mera vilitas, ne dicam exosa perversitas; & tamen ac si ex se, quid esset excellentis, gloriam sibi audet tribuere, & arrogare honorem: quid hæc arrogantia aliud intendit, quàm totum inficere, quod efficit homo? Tunc aliquid est homo, cùm putat se nihil esse; & fit dignus gloriâ, cùm omni se fatetur gloria indignum, quam soli Deo tribuit.

Cap. 30. v. 15.

10. Plurimum refert totam gloriam in Deum solum referre, & sibi nihil tribuere; tunc enim incipimus aliquid promereri, cùm nihil nobis tribuimus, si enim studijs ideo incumbimus virtutum, ut inde aliquid aucupemur vanæ gloriolæ, hæc totum, quod agimus, corrumpit, totámque operis elegantiam devenustat, quapropter D. Chrysostomus exclamat: *O nova calamitatis genus! o furiosam hanc turbationem! quæ tinea corrumpere non potest, nec fur violare, ea inanis gloria omninò dispergit. Hæc est tinea cœlestis thesauri; hic est fur, qui æterna regna furatur, qui immarcescibiles à nobis divitias aufert, qui tanquam contagiosus morbus omnia corrumpit:* & quia tartareus hostis scit, quantum obtineat roboris fucus vanæ gloriæ ad virtutum corrumpenda honestamenta, hac utitur tinea, ut quidquid boni agimus, corrodatur, & corruat: vana gloria furtivo surrepens meatu quiquid boni nobis inest, ac virtutis surripit, & clangulum foras asportat. Custodienda est igitur mentis janua, ne huic tineæ pateat, nec alium debemus custodem asciscere janitorem, quàm probum affectum nostra in solum Deum opera dirigentem.

Homil. 17. prope fin.

11. Plurimum interest, quò res agatur affectu: etenim eadem Salvatoris sententia de morte subeunda duabus lata fuit in curijs, nimirum in curia Hierosolymitana Præside Caipha, qui in pleno consessu Senatorum sententiam tulit. *Expedit nobis, ut unus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat*, tulit hanc mortis sententiam Pontifex, quam & reliqui subscripsere. Profectò hæc eadem sententia in curia itidem fertur cœlesti à tota sanctissima Trinitate, *expedit ut unus moriatur homo pro populo:* eadem fuit sententia in utraque curie, sed quàm dispari affectu prodijt. In Hierosolymitana summæ fuit stul-

Joan. c. 11. v. 50.

titiæ, ac injustitiæ; in cœlesti summæ sapientiæ, ac justitiæ: ex odio, & invidia lata fuit Jerosolymis; ex amore verò, & charitate in cœlesti curia: per eandem sententiam mors ex invidia,&livore intendebatur Hierosolymis; in cœlesti verò coria,vita, & redemptio totius humani generis prætendebatur: adeò est efficax cordis affectus, ut in diversa, eáque opposita rem eandem pertrahat, sitque altero affectu salubris, & altero noxia. Narra: Appianus Alexandrinus duplicem fuisse Romæ eodem die, quo Julius Cæsar in curia occubuit,victimam excordem mactatam: ingressurus Imperator Senatum, ut moris erat, aperta fuit victima, sed excors, cúmque inde vaticinium de obitu Cæsaris, nescio quis inferret, irrisit Imperator, ac risit hominem ita vaticinantem, jussitque aliam admoveri victimam, quæ cùm aperitur, etiam excors reperitur, otráque corde caruit. Verùm sicut victima sine corde certus fuit mortis nuntius: ita & quodvis opus nostrum sine probo in Deum affectu inanime est, inutile, ac nullius pretij: valdè attendendum est, quo exercitia virtutum à nobis affectu fiant, si precaturi, vel sacrum audituri templum ingredimur, vel eleemosynam elargimur, vel jejunium servamus; id unicè caremus, ut hisce operibus cor non desit, seo probus in Deum affectus, quò ad Dei unicè gloriam,& honorem hæc agamus; non ad solum effectum Deus attendit, sed magis affectum intendit, ac spectat in omnibus nostris operibus; tametsi sexcentis quis rotis frustatim discerpatur, licèt millenis catenis trahatur obligatus per gladios, ignes, vepreta; tametsi pellem exuat, ut D. Bartholomæus; vel vivus assetur, ut D.Laurentius; vel membratim gladijs saucietur, ut plures alij; non tamen hæc supplicia ei prosunt ad vitam, & gloriam cœlestem, si probus ei desit affectus, quo intendat ea perpeti ob solum Dei amorem: quia ut ait D. Hieronymus: *Non pœna, sed causa Martyres facit:* hoc est non supplicium solum, sed magis affectus, & intentio, quâ quis patitur supplicium.

12. Plerumque vel in ipsa passione,& exercitio virtutis pravus, qui irrepit vanæ gloriolæ affectus totum devenustat, perditq; opus:sicut ignis innata sibi subtilitate, ac efficacia omnibus se se rebus insinuat, quas & depascitur:ita affectus vanæ gloriolæ subtiliter omnibus nostris se se inserens actionibus,eas sibi unit, ac corrumpit,adeò ut scitè dixerit Joannes Climacus apud Antonium in Melissa. *Jejunans inanis gloriæ cupidus sum; abdo me,ut ignotus sim, tanquam prudens rursus gloriam appeto: splendidè vestitus ab illa vincor; vili habitu tectus rursus gloriam cupio: loquens vincor; tacens rursus victus sum, utcumque projeceris istum tribulum, aculeus stat rectus.* Non igitur solum opus nostræ est virtutis mensura, quæ affectu magis,quàm effectu taxatur:si vitiatus, ac distortus fuerit affectus, talis etiam erit nostra actio: quia haud degeneri tinctura,pingitur opus, quâ coloratur affectus. Joannes prænuntians Christum, & de ejus adventu turbas instruens ait:*Cujus ventilabrum in manu sua:& permundabit aream suam:& congregabit triticum in horreum, paleas autem comburet igne inextinguibili.* Scio plures ex sacris Interpretibus plurimum desudare in hac Joannis expendenda allegoria: omnes tamen in eo videntur convenire, ut per *ventilabrum* incorruptum Dei judicium interpretentur, unumquemq;ad congruentem locum secernens juxta ea, quæ gessit. Per aream velint universi orbis terrarum ecclesiam intelligi,in qua omnem humanæ naturæ messem Deus congerit. Ex hominibus, qui sunt instar paleæ, ij sunt instabiles,infrugiferi, quovis vento depravati affectûs jactati,& flammis propterea adijciendi æternis:qui verò solidam enacti sunt virtutem, hi veluti triticum, ac proximorum nutritores sunt,ut ait Cæsarius, ac propterea in cœlesti reconduntur horreo,sed si palea grano inservivit,cui & cunas aptavit, & ad maturitatem usque custodivit, cur paleæ igni traduntur absumendæ,& triticum horreo reconditur conservandum?appositè D.Basilius ait: *Qui sunt illi, de quibus dicitur: paleas autem comburet igne inextinguibili: Ij nimirum, qui eo modo utiles ijs,qui digni sunt regno cælorum, quemadmodum palea tritico: neque id ex ullo charitatis instinctu adversus Deum proximúmve faciunt, sive in donis spiritus, sive in corporis officijs: atque ita imperfectos se ipsos deserunt.*

Paleares, ait Basilios, homines, non ideo flammis extraduntur gehennalibus, quia inutiles fuerint electorum granis. Quis inficiatur plurimum non adferre paleas tritico utilitatis? cùm hoc priùs ex occata tellure emergens germinet in herba, succrescat virore, & frondibus aculeatis luxurians in erectum adolescat calamum, ac in plenam tandem fastigietur spicam,in qua succum è terra hauriens,non solùm ipsa nutritur palea, sed & per occultos meatus velnti lac granis propinat, quo nisi nutrirentur, spica exaresceret; involucra etiam plora texit,ut in ipsa spica grani multiplex coalescat, & ab injurijs contegat aëris: tandem aristis spicam coronat, quibus delitescentia grana à rapacibus avium morsibus tueatur. Non igitur paleæ igni traduntur flammis absumendæ, quia nullam præstiterint tritico opem; sed quia flexiles sunt, leves,& evanidæ, frondea luxuriantes ambitione ad omnem ventum mobiles,ad quamcunq; tentationem flexiles,ac mutabiles;ideóq; igni mancipantur in flammarum pabulum,quia evanidæ,& vacuæ,frondeáque luxuriantes ambitione;tametsi plurimum tritico præstiterint comodi, & utilitatis; sicut & homines paleares, qui tametsi virtutum sint studio addicti, & per bona opera satagant alijs prodesse:quia tamen evanidi sunt,vanæ gloriolæ appetentes, ac futili ambitione luxuriantes, ideò flammis extraduntur, & ipsi æternùm comburendi. Sunt plures, qui eleemosynas pauperibus elar-

Part. 2. cap. 74.

Matth. 3. v. 12.

Dialog. 4.

In regul. brevior. in ter. 251.

13.

elargiuntur, non affectu eorum miseriæ levandæ, sed gloriam inde aucupandi: sunt qui ecclesias frequentant, preces fundunt, sacris intersunt, non ut à Deo audiantur, sed, ut ab hominibus videantur: sunt, qui Xenodochia ingrediuntur, ægrotis inserviunt, non ut charitatem exerceant, sed ut inde laudem nanciscantur, & ab alijs viri habeantur probi, ac cultura pietatis cæteris clariores: sed isti homines sunt paleares, qui licèt pauperibus, seu frumento electorum aliquid adferant utilitatis, & commodi; quia tamen depravato affectu intus turgent, & tinea vanæ gloriæ corrodit quidquid medullæ potuisset opus bonum ingerere; superest ut paleæ sint flexiles, leves, ac evanidæ, proinde extradendæ gehennalibus flammis, ut scitè, ac acutè notavit Basilius. *Paleas autem comburet igne inextinguibili. Si nimirum, qui eo modo utiles sunt ijs, qui digni sunt Regno cœlorum, quemadmodum palea tritico: neque id ex ullo charitatis instinctu adversus Deum, proximúmque faciunt, sive in donis spiritus, sive in corporis officijs.*

14. Quàm subtilis est, & quam noxia tinea vanæ gloriæ! irrepit per tenuissimas rimulas, & mentem subit, totámque boni operis medullam corrodit, & corrumpit. Cavendum omnino est ab hac tinea, quæ dente venenato, etiam probos affectus devenustat, & viros etiam pietate, & sanctitate insignes tangit, & mordet, idque causæ, cur Magister Christus suos redarguerit Discipulos, *Reversi sunt septuaginta duo, dicentes etiam Dæmonia subijciuntur nobis.* Quamvis nulla in verbis hisce appareat devenustas, quâ promeruerint Discipuli reprehensionem Magistri, quin potiùs laudem, cùm rem præclarè gesserint, ac miracula etiam perpetraverint, attamen Christus illa narrantibus subjecit. *Verumtamen in hoc nolite gaudere*, tametsi Christus opus non improbaverit Discipulorum, iisdem tamen inhibet, ne in quæ bene gesserunt, suum dirigant affectum, ne tinea surrepat vanæ gloriolæ, perdátque, quod impensis laboribus lucrati fuerant: neque pellucidus fuit fons ille gaudij, in quo aliquid potuit vanitatis latere; ideóque dixit *verumtamen in hoc nolite gaudere*, hoc est: vestrum affectum ad ea, quæ gessistis, nolite dirigere; sed ad eum duntaxat, qui vobis potestatem dedit in cacodæmones, & gratiam, quâ possitis mira patrare: scilicet bonus Medicus vitiatos omnes humores voluit detergere, ne per fluxum pravi affectus ipsa virtus detrimentum pateretur, & honestas boni operis inficeret. Metuenda est hæc tinea vanæ gloriolæ, quæ ornamenta corrodit, ac dissipat virtutum, & proborum affectuum præmia subducit, ac gravissimis damnat supplicijs.

Lu. 10. v. 17.

15. Faciliùs videtur Deus alia condonare delicta, quàm vitium vanæ gloriæ. Herodes Agrippa tametsi Jacobum filium Zebedæi virum pietate insignem, sanctitate illustrem, virtutibus omnibus ornatum impiè interemerit; dissimulavit tamen Deus flagitium in virum innocentem impiè pattatum: licèt Petrum detruserit in carceres, conjecerit in vincula; neque hoc scelus in suum in militante ecclesia Vicarium intentatum vindicavit; ut nec alia punivit in Herode flagitia: sed cùm primùm ausus fuit è suggesto ad populum concionari, regiâ veste coruscus, non populum docendi causâ, sed sui ostentandi gratiâ, & plebs acclamaret Dei voces, & non hominis; percussit statim eum Angelus, eò quia non dedisset honorem Deo: & qui tineam admiserat vanæ gloriolæ in suo corde corrosus, & absumptus à vermibus, fœdè, ac miserè perijt: nimirum quando Herodes homini vitam ademit, tacuit Deus, & quasi à scelere eum redemit, nullâ eidem inflictâ pœnâ; sed cùm ausus fuit divina sibi usurpare obsequia, ac Deo gloriam rapere, tunc in iras justas visus est Deus exarsisse, suum defensurus honorem; proinde Herodes confestim absumptus à vermibus expiravit; adeò est Numini exosa vanæ gloriolæ tinea, ut hanc Deus tolerare nolit. Scitè D. Augustinus ait. *Qui laudari vult Domine de tuo dono, & non quærit in illo tuam gloriam, sed suam; hic licèt propter tuum donum laudetur ab hominibus, à te tamen vituperatur, quia de dono tuo suam, non tuam gloriam quæsivit. Qui autem ab hominibus laudatur vituperante Te, non defenditur ab hominibus judicante te, nec liberabitur condemnante te.* In m edstat.

## §. III.

*Tinea vanæ gloriæ nisi excutiatur, non solùm ornamenta corrodit virtutum: verùm & venenato dente vulnus infligit.*

16. EXcutienda, ac procul abigenda à nobis est hæc vanæ gloriæ tinea, quæ non solùm ornamenta corrodit virtutum, verùm & venenato dente vulnus infligit lethale: explorandę, ac excutiendæ lepræ formula præscribitur sacerdotibus: *die septimo, si deprehenderit crevisse, lepra est perseverans, & pollutum judicabit vestimentum, & omne, in quo fuerit inventas & idcirco comburetur flammis:* hunc textum expendens Radulphus, infert eundem esse finem depravatæ virtutis, ac carnalis illecebræ; adeò ut æquè mentem inficiat, quæ ex cultura virtutum vana colligitur gloriola, ac de lenocinijs concupiscentiæ fœda hauritur voluptas; ait ipse: *Hoc de lepra vestium, vel pedum dicitur. O igitur sententia non exponenda, sed timenda! ecce eadem est consummatio depravata virtutis, quæ illecebrarum carnalium, aut infidelitatis: ad eundem redit finem superba continentia, & carnalium voluptatum immunditia, quod namque impijs, & contaminatis in fine dicendum est: Ite maledicti in ignem æternum.* Idem est finis depravatæ virtutis, seu vanæ gloriolæ, quam nititur quis ex virtutum exercitio aucupari, ac obscœnæ libidinis: & ad eundem spectat finem superba continentia, seu gloria, quæ hauritur ex studio continentiæ; & obscœna scortatio,

Levit. 13. In allegor. vet. testam.

catio, seu infidelitatis sacrilegium: ecce quantum infert damni vanæ gloriæ tinea, quæ non solùm ornamenta corrodit virtutum, sed venenato etiam dente lethale infligit vulnus, non secus, ac obscœna scortatio! Est vana gloria virtutum tumulus, & improborum affectuum fons putidissimus.

17. Quid superbit homo de cultura virtutis, si hæc nulla potest humana arte urgeri, nullius machinis promoveri, nisi divina eidem accesserit manus: quàvis tellurem excolat homo sui cordis, non tamen veræ virtutis semina potest in excultâ terram aratro mortificationum semina jacere, ac serere, nisi eadem munificus Deus suppeditaverit: è cœlo in terras depluunt virtutes, quæ in nobis germinant; nisi enim Deus rorem effunderet suæ gratiæ, exaresceret cor nostrum, nec ullum posset germen producere probi affectus: sicut imber lac est germinû, quod tumentibus è nubium mammillis mulgetur, & è cœlo descendit in campos, ubi foventur semina, promoventur germina, reficiuntur plantę, vestiuntur frondibus rami, ditescunt fructibus arbores: ita quidquid in nobis pullulat, germinátque virtutis à solo Deo seritur in nobis, à divina gratia fovetur, promovetur, & incrementum subit. Non minùs è cœlo pendent virtutes animi, quàm commoda corporis, eò tantùm discrimine, quia influxus corporis dimittitur per plenum, cum influxus animi nonnisi per vacuum; hoc est, cum se ipsum homo evacuat, suam cognoscit inanitatem; nihil sibi tribuit gloriolæ, nilque boni, séque totum vacuum asserit: tunc divinus influxus benefico illapsu in ipsum irroratur, & in tellure vacui cordis sua cœlestis agricola semina jacit, quæ fovet, promovet, quò in flores germinent virtutum: hæc vacuitas cordis magnes est divini influxus, & magnus divinitatis illex: adest Deus ei, qui sibi deest; replet eum, qui se evacuat; qui nihil sibi boni tribuit, sed totum Deo attribuit, hunc Deus suæ gratiæ ditat thesauris, ac bonis omnibus replet: negligenda est umbra vanæ gloriolæ, ut radius in nos divini auxilij illabatur.

18. Vitium contrahit ipsa virtus, cùm primùm vanæ gloriolæ umbrâ afficitur, quia tunc inficitur, & exarescit, & virtus ipsa partu degeneri fœdum progignit vitium, quod de virtutum abortu prodit obstetricante vana gloria: quod enim cœpit in cultura virtutis florere, in vitij vepreto consummatur. Antiochus Eupater Epiphanis filius pugnaturus contra Judæos in aciem educit centum millia peditum, & viginti millia equitum, cum triginta, & duobus elephantis pugnaciter turritis: Judas cum eo fortiter confligit, vidítque Eleazar frater Judæ unam de bestijs loricatam loricis regis, visúmque ei fuit, quòd in ea Rex ipse esset, totòque impetu in eam irruit, ut non tantùm populum suum liberaret ab extera tyrannide, verùm, *& acquireret sibi nomen æternum*: penetravit hostium cuneos, plures legiones interficiens à dextris, & à sinistris. *Et ivit sub pedes Elephantis, & supposuit se ei, &*

1. Machab. cap. 6. v. 14.

*occidit eum: & cecidit in terram super ipsum & mortuus est illic.* Machabæus Eleazarus vir martia virtute fortissimus, & animo intrepidus contemptâ morte ferocior, abjecto clypeo, & utraque manu feriens punctim, cæsim confertissimam pervadit hostium aciem, & cum Elephantum subiret, validiore vulnere, ut eum feriret, tota bestiæ mole occlusus magis, quàm oppressus; sepultus prius, quàm mortuus interfectæ bestiæ contectus mole, hac ruina gloriosè occubuit, *suo*, ut loquitur D. Ambrosius, *sepultus triumpho*. Verùm licèt Eleazarus rem præclarè, ac fortissimè gessisset, quia tamen eo fine aggressus fuit audax facinus, quò *acquireret sibi nomen æternum*, totam martiam virtutem unus devenustavit vanæ gloriæ vermiculus; & eadem virtus, quæ stetit, cum caderent hostes utrinque victi; cecidit, & ipsa, cùm primùm stetit in animo tinea vanæ gloriæ, cùm primùm cogitavit de fama acquirenda, de nomine perenanndo: obscuravit vana gloria, imò & extinxit, totum splendorem martiæ virtutis, & ipsam gloriam de prostrato hoste delatam ingloriam effecit, & purpuram infecit, quam hostilis cruor ad æternos coloraverat honores: appositè D. Gregorius, hoc idem luculenter edisserit, inquiens: *Eleazar in prælio Elephantem feriens stravit, sed sub ipso, quem extinxit, occubuit, quos ergo ipse significat, quem sua victoria oppressit, nisi eos, qui vitia superant, sed sub ipsa, quæ subijciunt superbiendo succumbunt? quasi enim sub hoste, quem prosternit, moritur, qui de culpa, quam superat, elevatur.* Lib. 19. Moral. cap. 13.

Sunt, qui injurias sibi delatas condonant, inimicos beneficijs cumulant, à vitijs se abstinent; sed ad eum finem, ut ab hominibus uberiùs laudentur, habeantúrque eximij christianæ pietatis cultores: sunt, qui in manus pauperum pecunias effundunt resonante metallo, non ut proximi opitulentur miseriæ, sed quò popularem inde auram, & laudem aucupentur, inflentúrque tumidiores: & isti uno flatu vanæ gloriæ totam prosternunt excultarû virtutum segetem. Sunt, qui lacrymis conscientiam abluunt, quò peccata deleant; sed volunt etiam oculos exteriùs madere lachrymis, ne à circumstantibus sicci videantur, & arescentes. Ut inde aliquid enancisćantur laudis, habeantúrq; viri pietatis teneritudine insignes, ac conscientiæ prorsus emaculatæ: sed dum nituntur lachrymis peccata delere tetro atramento super detersam culpam, labem inducunt inanis gloriæ, & quod nituntur lachrymis oblitterare vitij atramento fœdiùs inficiunt: & isti resorbent, quæ in mare amaritudinis bona projecerant, & ut charybdim declinent, impingunt in scyllæ scopulos, & naufragium incurrunt. An non est id suo se ipsos in triumpho tumulare? partam gloriosè victoriâ turpiter perdunt. Non sufficit hostem vicisse, nisi etiam victoria ipsa vincatur, ne vincentem adsultu vanæ gloriæ vincat, ac prosternat; plura enim ab hac inani gloria emergunt virtutum stupra, victoriarum neces, ac triumphorum cadavera. 19.

Me-

20. Metuenda est inanis gloria, quæ non solùm probos corrumpit affectus virtutum, devenustat ornamanta, verùm etiam gloriam ipsam è prostrato hoste delatam ingloriam efficit. Hinc Joannes Apostolus nos monet, ut ea caveamus quæ mundi sunt, & præsertim inanem illam gloriam, quam impensiùs homines exantlatis laboribus, continuatis vigiliis, obitis periculis, pugnisque ad cruentas strages pugnatis nituntur enancisci.

1 Joan. 2. v. 16. *Quoniam omne quod est in mundo concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ*, quasi dicat Apostolus, nolite vestrum affectum in mundum dirigere, nec illi corde adhærere, quæ in ipso splendent bona, umbras spargunt lethales inanis gloriæ, quam cùm homines aucupantur, totum obscurant rei præclarè gestæ splendorem: quidquid spectandum mundus exhibet suis spectatoribus, aut concupiscentia carnis est, quæ voluptatum illecebris animum aliàs fortem emollit, inconcussum disrumpit, desœcarum coinquinat: vel concupiscentia oculorum, quatenus accendit cupiditatem, qua homines opibus inhiant, & satagunt divitijs affluere, quibus delicijs diffluant; inhiant divitijs, ut vitijs indulgeant: vel est superbia vitæ, quia quæ in mundo sunt, fomenta habentur superbiæ, quę tumido fastu superbientem extollit, inflátque, ut acriori dolore disrumpatur, quia quæ in mundo sunt nonnisi fluxa, ruinosa, caduca bona sunt; imò nec bona, cùm nil boni parturiant; sed tantùm, si bona apparent, ea fucata sunt, non vera, larvæ sunt, & umbræ bonorum. Sed cur Joannes dixit, ea quæ in mundo sunt concupiscentiam esse oculorum? cum fortassis aptiùs dixisset, concupiscentiam esse divitiarum, honorum, dignitatum, gloriæ, & commodorum; si hæc omnia concupiscunt mundi sectarores; cur Joannes hujus non meminerit concupiscentiæ, sicut concupiscentiam expressit carnis, & oculorum? hujus honorum, ac dignitatum concupiscentiæ non fuerat Joannes oblitus, sed hanc maluit per superbiam vitæ exprimere: *omne quod est in mundo concupiscentia carnis est, concupiscentia oculorum, & superbia vitæ*, hoc est consectariè ad duo priora membra adjecit cupiditatem honoris, dignitatis, ac divitiarum; est enim hæc concupiscentia ipsa gloriatio, ac superbia vitæ: superbus enim, qui aliquid extra se concupiscit, virijs omnibus eblanditur, ijsque favet, ac improbos quosque affectus fovet, teste enim D. Bernardo in Psal. *Qui habitat. Est superbia, & gloriatio, vitiorum origo, criminum fomes, virtutum erugo, tinea sanctitatis ex remedijs morbos creans, ex medicina languorem generans*; unde vana gloria rectè & ipsa concupiscentia dicitur, cùm sit origo vitiorum, improborum affectuum progenitrix, & criminum omnium fomes: ex eo igitur, quòd Joannes vanam gloriationem superbiam dixerit vitæ, nervosiùs expressit malignantem ejus indolem, quàm si concupiscentiam duntaxat appellâsset; cum superbia fœcunda sit vitiorum omnium mater, & improborum omnium affectuum fons, putidissimus.

Serm. 6. in Psalm.

21. Vitiorum est gloriatio origo, & virtutum erugo: quia non solùm vitiis favet omnibus, eaque fovet; verùm & si quid inest virtutis corrodit, ut erugo, ac corrumpit, omnémque infuscat rei benè gestæ splendorem. Amasias Rex Juda administrationem Regni à religione, & obsequiis exhibendis Deo, ac pietate in Joam parentem per insidias occisum auspicaturus, ejus interfectores promeritis affecit suppliciis, quamvis pœnam in filios non extenderet, malens eam æquitate definire, quàm ulciscendi libidine præscribere. Repetitæ tamen Israelitarum de Syris hostibus victoriæ, ipsum quoque excitârunt Amasiam ad gloriam ex prostratis hostibus sibi comparandam, alienum sitivit sanguinem; non tantùm ut illum funderet, sed quò uberius campum rigaret martium, in quo palmarum segetem demetens nominis claritate, ac gloriâ delatæ victoriæ clarior suis progenitoribus illuresceret. Nec defuit causa belli. Recesserant Idumæi à dominatu Regni Judæ tempore Jorami Regis, habitóque proinde delectu geminis in tribubus Judaica, & Beniamitica conscripsit ex florescente juventa armatorum trecenta millia, ad quas copias adjunxit virorum centum millia, quos Rex ex Israelitis ingenti pecunia in militiæ subsidium selegerat. Parato exercitu cùm esset propediem in hostem moturus, accessit Propheta, qui jussit Amasiam Israelitas à signis dimittere; acquievit Rex, qui stipendiarios exauthoravit Israelitas, & patriis duntaxat miles contra Idumæos educitur; magno quidem ob obsequiū Deo præstitum emolumento, quia sicut fuerat Deus belli causâ, ita & comes fuit. Initur bellum, inchoatur pugna, utrinque milites magno clamore, signisque infestis concurrunt, nudatis gladiis res geritur, acriùs inardescit pugna, utrinque feritur, cæsim, punctim infliguntur vulnera, funditur sanguis, sed tandem favente Deo stat victoria pro Amasia, cujus hostis cruenta clade prosternitur; decem scilicet millibus in prælio occisis; totidémque millibus captis, & ex edita rupe, (quam divinæ litteræ Jectehelem vocant seu obedientiam) in præceps actis.

2. Paralip. cap. 25.

Sed Amasias ob sibi partam victoriam tumidus, sibique arrogans gloriam, quæ soli Deo tribuenda erat à religione, ac pietate defecit, & Deum, cui se, suáque omnia debebat suo extorrem exclusit è pectore in id dementiæ lapsus, ut victos, debellatósque Deos ex Idumæis asportatos, sibi præ cœli Numine venerandos putaret. Reposuit in domestico larario pudenda simulacra, quibus thura adolevit; quæ flammis injicere, & meliores in usus conflare debuerat: *Amasias post cædem Idumæorum, & allatos Deos filiorum Seir, statuit illos in Deos sibi, & adorabat* 22.

2. Paralip. 25. v. 14.

*eos, & illis adolebat incensum.* Quòd scelus plenius sugillans Josephus Hebræus veluti insensatum ait: *Quamobrem à Propheta conventus est mirari se dicente, si hos Deos crederet, qui cultoribus suis nil opis afferre valuerint: neque eos ab Hebræorum vi tutos præstiterint, sed tanquam ad se non pertinentes cadi, & captivos trahi passi sint.* In eam vesaniam vana gloriatio ex parta victoria Amasiam egit præcipitem, ut verum è suo pectore Deum expelleret, qui arma ad pugnam, animos ad conflictum, & vires ad victoriam suppeditaverat; ita factum est, ut vana gloriatio victoriam dehonestaverit Amasiæ, quem & turpissimo idolorum mancipatu corrupit: adeo maligna est, ac perversa vanæ gloriationis indoles, ut quos afficit, non solùm infistat, verùm & fatuos, insolentes, ac insipientes reddat: hæc enim vana gloriatio licèt in aliis studiis vesania sit, ac perniciosa; in rebus tamen bellicis perniciosissima est, cujus rei frequentissima sunt in utraque historia sacra, & profana documenta, ac proinde sapienter monet Paulus

Lib. 45. Consul apud Livium: *In secundis rebus nil quemque superbè, ac violenter consulere decet, nec præsenti credere fortunæ, cùm quid vesper ferat incertum sit. Is demum vir erit, cujus animum, nec prospera flatu suo efferent; nec adversa infringent.* Amasias antequam vana inflaretur gloriatione hausta ex prostrato hoste, ex parta victoria à religione in Deum, pietate in parentem & cultura virtutum regni laudabiliter inchoaverat administrationem: sed post partam victoriam cùm primùm cœpit vanâ gloriâ intumescere, à religione, pietate, & cultura virtutum, non solùm defecit, sed & Deum ipsum è suo expulit pectore eò dementiæ delapsus, ut victos, debellatósque Deos ex Idumæis asportatos castris, ut vera coluerit Numina. Hanc impiè fatuam Amasiæ idololatriam expendens Stephanus Cantuariensis appositè ad mores & rem nostram flectit, in-

In allegor. test. quiens: *Amasias post eadem Idumæorum Deos eorum statuis sibi in Deos, & adoravit eos. Qui vitia mortificat, ex quibus oritur superbia, nec ipsam superbiam eliminat, similis est Amasiæ, qui interfecit filios Seir, & adoravit Deos eorum.*

23. Plerique bellum indicunt vitijs, muniunt se lorica fidei, scuto constantiæ ad retundendos hostiles ictus, caput tegunt galeâ salutis, manum armant gladio justitiæ, & hostes lacessentes, robore mortificationis vitia vel prosternunt, vel fugant, qui tamen licèt steterint contra vitiorum assultus; fœdè tamen ceciderunt ad primum vanæ gloriæ accessum; ut, qui de cæteris vitiis celebres retulerint triumphos ad unicum vanæ gloriationis flatum prosternantur ipsi, ac profligentur: & hos pares dixeris fatuo Amasiæ, qui Idumæos vincens, victos eorum Deos adorat, & colit; de victis enim vitiis vanam gloriam eorundem reginam verè colunt.

## §. IV.

*Nullus est anguis vana gloriatione deterior, venenum evomit, quò virtutum omnium decora inficit, ac obliterat. Qui gloriam sibi arrogat: injuriam Deo irrogat.*

Excutienda est vana quævis gloriatio, quæ & virtutum decora devenustat, & splendorem victoriæ de prostratis vitiis delatæ extinguit; nullus est anguis vana gloriatione deterior? suo enim veneno quos afficit, inficit, ac interficit: loquens Christus adhuc de monte ait: *Multi dicent mihi in illa die: Domine Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, & in nomine tuo dæmonia ejecimus? & in nomine tuo virtutes multas fecimus? & tunc confitebor illis, quia nunquam novi eos,* quam Christi sententiam expendens S. Cyrillus Alexandrinus ait: *Non enim probè me quæsivistis, nec sanctimoniâ splendere voluistis, sed mercatura modo religionem ostentâstis, propterea vos non cognovi.* Perniciosa est, ac mala, quæ ex cultura virtutis, & obsequio religionis mercatura instituitur, quæ dum humanas laudes virtutum pretio nundinatur, quæstuosa virtutum jactura cœlestes deperdit divitias, pessimus est ille mercator, qui plurimum fundit sudoris, subitque laboris, maria trajicit, pericula incurrit, terrarum tractus peragit, eo fine, ut inanem vanæ gloriolæ auram nundinetur, cui per Michæam Prophetam dicit ominus: *Tu seminabis, & non metes: tu calcabis olivam, & non ungeris oleo; & mustum, & non bibes vinum:* ingens sanè malum est proprio frustrari labore, & sudores frontis incassum fundere, ac opus, oleúmque perdere, quod Stephanus Cantuariensis apud Tilmanum de inani gloria, ac vana laudis appetentia ethicè explicat inquiens: *Tu calcabis olivam, & oleo non ungeris, seu tu venaberis gloriam, de qua elicitur oleum adulationis, & tamen eam minimè assequeris.* 24.

Matth. 7.

Lib. 5. in Joan. cap. 27.

6. v. 15.

Sunt qui blandè pinguem, ac deliciosè florentem, ac voluptuose adipantem vitiorum olivam operosè calcant; & tamen quia tanto virtutum sudore nituntur inanem aucupari gloriolam exantlati frustrantur præmio laboris, & concupitâ destituuntur gloriâ: quinimò plerumque ubi putant gloriæ consequi nitores, ferales incurrunt Libitinæ umbras, ut Eleazar Machabæus, qui in prælio elephantem feriens stravit, sed sub ipso, quem interfecit, occubuit: Elephas symbolum ponitur superbiæ, ejus enim natura talis esse dicitur, ut ossa illius juncturis careant, & ideo flectere membra sua nequeat, jugiter stare coactus: tametsi Eleazarus animo imperterrito, manúque armata hostium penetraverit cuneos, utrinque cruentas sparserit clades, & vestigia impresserit victoriæ, quia tamen id egit, ut nomen sibi non amplius 25.

plùs interitui obnoxium acquireret, & præ cæteris Machabæis clarior splenderet virtute martiâ, vanámque in hostium castris gloriam quæreret; in suo triumpho sepultus occubuit, Elephanto, seu superbiâ non tam oppressus, quàm sepultus; & superbus vanæ gloriæ quæsitor sub virtutis triumpho devictus cecidit, simúlque martiam virtutem, & victoriam tumulavit.

26. Matth. 6. Hinc Magister Christus, suos edocens Discipulos ait: *Cùm jejunatis, nolite fieri sicut Hypocritæ tristes, exterminant enim facies suas, ut appareant hominibus jejunantes.* Hoc est exterminant facies suas subtractione esculentorum, ut animus vanâ inflatus gloria intumescat uberius; jejunio carnem coërcent, quò futili, ac vanâ aurâ mentem pascant, vires per continuata jejunia frangunt corporis, cùm mentis integritati non consulant; maciem ostentant frontis, qui intus tumorem fovent, eleganter D. Basilius (Homil. 1. de laudibus jejun. Matth. 6.) elucidans præfata verba Christi ait: *In hac vita plerique vitam suam velut in proscenio ad ostentationem componunt, aliud in corde gerentes, aliud in specie hominum oculis præseferentes. Noli igitur obscurare faciem. Qualis es, talis appare: ne te ipsum transfigures in habitum tristem, ac tetricum, hinc gloriam, ac laudem aucupans, si videaris sobrius, & temperans.* Macies quam jejunium vultui imprimit jejunantis ob vanam gloriolæ auram inde captandam, non virtutis est character, sed vitii ac superbiæ larva, quæ speciem exhibet quidem virtutis exteriùs; sed intus fœditatem tegit vitii.

27. Non gloria à nobis quærenda est, sed utilitas tenenda: hæc duo utilitas scilicet, & dignitas in cunctis Dei operibus inveniuntur; & ex hisce duobus Deus utilitatem homini cedere voluit, servatâ sibi tota dignitate, seu gloriâ, quæ ex artefactis à sapientissimo artifice Deo dimanat, adeo ut creaturæ omnes, etiam anima destitutæ hanc suo Conditori gloriam referant: cœli enim quamvis elingues, adhuc tot clamantibus linguis, quot in ipsis splendent sydera, enarrant gloriam Dei; & creaturæ omnes in id incumbunt studii, quò excellentiam sui Artificis prodant, ut enim scitè ait Trismegistus (Cap. 6. Asclep.): *Terra dimensiones, qualitates, quantitates, maris profunda, ignis vim, & horum omnium effectus, naturam cognoscens miretur, adoret, ac collaudet artem, mentémque divinam.* In horum enim corporum adunatione, figuratione, ac proportionata, quoad quantitatem, & permixtionem productione patefecit conditor Deus divitias divinæ industriæ, exprompsitque Arithmeticam, Geometriam, & Musicam divinam, quibus omnia in numero, mensura, & pondere extiterunt. Certè si è sublimi specula singulos posset quis terrarum tractus oculis lustrare, & intueri tellurem hîc fluminibus irrigatam, alibi restagnantibus aquis epotam, vel annuis imbribus recreatam, marium divortio in locis plurimis sejunctam ad commodiorem ineundam hominum societatem; redeunte vere herbas enasci, flores adolescere, ridere prata, vestiri gramine colles, species varias herbarum, olerúmque, vel agricolarum industriâ satas, vel sua sponte nascentes; arbores foliis, frondibúsque ornari, gemmis florum ditescere; & fructuum ubertate hominum, & animalium consulere indigentiis, & talem simul fructuum copiam exhibere, quibus non solùm inedia arceatur, sed & lassitudini succurratur (quippe oleæ fructus defatigatis medetur corporibus; vinúmque modicè potum, animi excutit tristitias, propulsat angores) si præterea avium varios audiret concentus, suaves omnes sentiret auras è floribus exhalantes, eorúmque colores arte divina depictos: móxque deflexis oculis ad arbores infrugiferas videret ubique terrarum longè, latéque, protensas sylvas, virescentes lucos, sylvestres populos, præcelsas tilias, piceas abietes, quercuum robora procerissima, cæterásque id genus materies, quæ non solùm præcelsos montes, sed & camporum planities radicibus eorum sobjectas opacant; procul dubio agnosceret, hæc omnia vel ipso silentio gloriam enarrare sapientissimi artificis Dei, cùm creaturæ omnes unanimes clament: *ipse fecit nos, non ipsa nos,* hinc Nissenus, hanc cœlorum enarrationem divinæ gloriæ admiratus eleganter ait: *Artificiosum quod in cœlis ex conversionis concentu spectaculum visitur apud peritos munere fungitur orationis;* (In Hexamer.) quia sapientissimi Conditoris gloriam luculenter enarrat; unde Seneca quamvis Ethnicus admiratus & ipse creatoris sapientiam, & gloriam in artefacto cœlorum ait: *Ipse mundus quoties per noctem ignes suos fundit, & tantùm stellarum innumerabilium refulsit, quem non intentum in se tenet?* (Lib. 4. de benefic. cap. 23.) etenim si nocte serena quis eo mentis affectu, quò plures pij ascetæ solent, oculos in cœlum, ac splendentes stellas defigat, descriptas ibi in extimo cortice suspicit paradisi delicias, ut pulchrè adnotavit Ambrosius inquiens: *Si quis, quomodo per Lunæ, ac stellarum fulgorem cœlum velut quibusdam floribus coronatum, ita ignitis luminaribus micet, intueatur, ut paradise putet vernante depictum, spirantium resarum vivis monilibus renitere.* (4. Hexam. cap. 2.) Quamvis igitur, quæ ex creaturis utilitas hauritur, hanc munificus Deus hominibus impertiatur: gloriam tamen, quæ ex creaturis oritur, totam pro se exigit, quatenus creaturæ omnes, & singulæ excellentiam produnt, commendántque sapientissimi artificis Dei.

Perinde ac pictor celeberrimus imaginem à se delineatam haud difficulter alteri cedit, unum illud suum esse ducens, quod subscripserit; Protogenes inveniebat, Timantes faciebat, Apelles pingebat: ita Deus quamvis usum, ac utilitatem sui operis hominibus impertiatur; non tamen gloriam, quæ ex artefacto resultans suum commendat artifi- 28.

cem.

cem. Idque causæ etiam, cur olim jusserit ita fieri sacrificia, ut cum carnibus, frugibus, panibus simul thus lucidissimum offerretur partitione tam benigna, ut quidquid hic commodi esset, in utilitatem cederet sacrificantium, exigens pro se solùm cremati thuris suffitum. Idem nobiscum agit Deus, quod duo inter se mercatores societatem ineuntes negotiorum; uterque suam in negotiatione operam impendit, vel pecuniam expendit; vel unus expensas profundit, alter industriam ponit, ea conditione, ut lucrum ex negotiatione partum, vel æqua dividatur portione, vel juxta mensuram impositæ pecuniæ; ita tamen ut neutri totum lucrum accrescat, sed utrique sua obtingat portio.

29. Hanc Deus nobiscum mercaturam instituit, ac societatem negotiationis init, cum à Joanne dicamur *societatem habere cum Deo:* (Cap. 1. v. 3.) eò hæc societas initur, ut æterna beatitudo, quasi mercaturæ lucrum obtineatur; sed nec solus Deus, nec solus homo hanc facit mercaturam asserente Augustino: *qui creavit te sine te; non salvabit te sine te.* Hujus negotiationis obeundæ causâ Deus omnes suppeditat expensas; testante Apostolo: *Deus est qui operatur in nobis & velle, & proficere pro bona voluntate*; (Ad Philip. c. 2. v. 13.) adeout homo solam adferat industriam; & quidquid lucri ex hac negotiatione provenit binas partitur in partes, quarum prima Deo debetur, altera homini; hæc autem partitio ab ipsis fit Angelis tribuentibus gloriam soli Deo, & pacem hominibus: *Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus.* Deus sola contentus gloria, & honore; quidquid utilitatis, & opum est, homini assignat, ac cedit: rectâ igitur, & æqua est divisio, quâ ex nostris operibus tota gloria soli tribuitur Deo; & nobis pax cordis, & tranquillitas animi; qui igitur ex re præclerè gesta gloriam sibi arrogat, injuriam Deo irrogat; quia quod Deo debetur sibi attribuit; & alienum surripit invito Domino; meretúrque ab hac dejici societate, privarique bonis universis, quia *universa propter se ipsum operatus est Dominus:* (Prov. c. 16. v. 4.) hoc rerum Conditor Deus exigit à creaturis vectigal, scilicet gloriam, quam nulli cedit: *Gloriam meam alteri non dabo*, (Isai. cap. 42. v. 8.) & quia hoc Dei vectigal nequissimè rapiunt superbi inhiantes inani gloriæ; Deus iisdem resistit, neque patitur hanc sibi inferri injuriam: *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.* (1. Petri c. 5.) Quid? quòd Deus dicatur superbis resistere? & non potius homicidis, avaris, furibus, mœchis, & aliis hujus furfuris viris nequam? An quia hi damnum hominibus inferant; & superbi Dei intentent honori detrahere, cujus gloriam nituntur sibi usurpare? ita est tumidorum hominum ambitiosa vana gloria, adeò superbè, ac temerariè audet, quò veluti acie instructa Deum injuriosè invadere stultè præsumat; tunc enim humana temeritas Numinis lacessit omnipotentiam, cùm ejus audet gloriam sibi arrogare, ac Deo derogare, cui proptereà injuriam infert, & quidem in honore, seu parte illa, quæ apud homines est cæteris delicatior, & acerbiùs sentit inflictum sibi vulnus: eleganter D. Ambrosius ait: *Quid igitur* (loquens de vana gloria) *hoc peccato potest esse deterius, quod à Dei cœpit injuria? ideòque scriptura dicit Dominus superbis resistit: tanquam sua contumelia propulsator: veluti quoddam suscepit adversus superbiam speciale certamen.* (In Psal. 118. Orat. 7.)

Imò hanc pugnam contra superbientes, vel ab ipso mundi conditi exordio inivit, quò superbiâ tumidos, suámque nitentes gloriam sibi usurpare prostravit, ac è summo cœlo in imum inferorum egit præcipites. 30. Quòd enim cœlestes spiritus à constantia descisceremt, & è cœlo extorres detrusi fuerint in carceres inferorum culpâ id contigit turbatoris unius, cui nomen Lucifer, in quem congestum fuerat quidquid ornamentorum spiritualium, quidquid naturæ, gratiæque dotium omnes alii novem ordinum Angeli possedissent, quibus propterea principabatur: sed obfuit Angelo hæc felicitas, quæ aliis profuit. Cùm enim se cognosceret tot ornatum naturæ, & gratiæ dotibus, & supra cæteros eminere, in id devenit dementiæ, quò ausus fuerit Dei gloriam sibi usurpare, séque illi æquare *Conscendam super thronum Dei, & similis ero Altissimo*, sed ejus superbiæ, ac vanæ gloriæ restitit Deus, qui aliorum spirituum accersito exercitu, cui Michaëlem præfecit, voluit superbientes rebelles punitos, & è cœlo ad imum detrusos inferorum. Cùm scinderentur in factiones defæcatæ ab omni materiæ crassitie mentes illæ Angelorum, melior, sinceriórque pars fuit peracriter in Luciferianos invecta: atrocis hujus prælii dux Michael fuit unus de Seraphinis, qui Angelici sermonis vocibus desertores attonitos dixit clamore horribili, simulque minaci. *Quis sicut Deus?* redarguens rumorem Luciferi, ejúsque excutiens inanem gloriam. Tenuit prælium mutuis initum odiis arbitrio Dei, quo ei visum est, inhiantes suæ gloriæ dignis punire cladibus, & emeritam virtutem præmiis donare æternis. Tum fulminante Numinis decreto fulguris instar è summo cœlo Lucifer cum suis in tartarum præceps agitur, fitque ærumnosorum extremus, qui paulò ante Numinis inhians gloriæ parem Deo se facere somniaverat; & cum incentore Lucifero corruunt ejus asseclæ, quos superbiæ, ac vanæ gloriæ procellosus turbo è cœlo dejecit in tartara, & *qui nidum inter sydera posuerunt, detracti sunt*, & non solùm in terram detrusi sunt, (Abdias v. 4.) sed in flammeum terræ carcerem, hinc Isaias *Quomodo cecidisti de cœlo Lucifer, qui manè oriebaris plenus Sapientia, & perfectus decore*, nimirum è venustissima creatura, ac spiritu omnibus naturæ, & gratiæ ornato doribus, momentò deven[u]stratus in deterri[m]um, ac spurciss[i]mum mutatur cacodæmonem,

monem, & unica superba cogitatio plures Angelorum milliones in æstuantes perpetuis ignibus voragines percipites egit. Quis si centum Imperatorum, Regúmque filios unius ob culpam damnari capite, ac securi subjici videret, non attoneretur, ac ingemisceret? Zachariæ cap. 11. *Quia ceciderunt cedri, non ululet abies?* *Luc. 10.* Septuaginta duo Discipuli ex missione Evangelij prædicandi ad Magistrum reduces, ae lætantes dixerunt: *Etiam dæmonia subjiciuntur nobis in nomine tuo:* sed Christus eos redarguens objecit illis lapsum Luciferi,
Luc. 10. *Et ait illis: Videbam Sathanam sicut fulgur de cœlo cadentem*, hoc est sicut fulgur ingenti vi, ac violenta collisione, magnóque fragore unà cum tonitru per spissatas, frigidásque nubes, sibique adversantes excutitur; ita Lucifer deturbatus è sua in cœlo sede ex-tempore violenter, ac celerrimè in imum protruditur tartari, *videbam Sathanam sicut fulgur de cœlo cadentem*, casus Luciferi fulguri pariatur, tum ob velocitatem delcensûs, cum momento ruat; tum ob brevitatem lucis, quæ vix oritur moritur, & in suo ortu extinguitur, sicque plures ad litteram expendentes textum Lucæ 10. asserunt, Christum fuisse locutum de Luciferi cum suis è cœlo ruina, & luciferum fulguri pariâsse, eò quia vanæ gloriæ mole gravatus è cœlo ruit, scitè Albertus
Sermone de dominica 3. advent. Magnus fatur: *Superbia sive vana gloria est quasi quoddam fulmen excæcans oculos animæ. Sicut enim fulmen quandam brevem claritatem habet; sed tamen teneris creaturis valdè nocuam, ita etiam de superbia, quâ superbi lucere volunt in hoc sæculo per elatam superbiam.* Nimirum ambitio, superbia, & vana gloria claritatem quidem præseferunt; sed perbrevem, & nocuam; sicuti est fulminis claritas, quæ non illuminat, sed excæcat; momento coruscat, sed cæcutiente coruscamine, quo visio deperditur cœli, & cœlestis gloriæ fit jactura.

31. Hæc est vanæ gloriæ claritas, quæ fulmineam æmulatur: vitia enim obscurissima videtur quidem valenter illustrare, sed clarescentes virtutes obscurat, & vanæ gloriæ appetentes fulmineo impetu in tartarum detrudit, ac in gehennales lorbet favillas. Ita est tinea vanæ gloriæ omnem corrumpit virtutum purpureum ornatum, quapropter vir probus hanc à se tineam excutit, ne quas excolit ipse virtutes, inde
Epist. 29. lædantur, quapropter Seneca. Ad Christianum potius scribens institutum ait: *Nunquam volui populo placere, nam quæ ego scio, non probat populus, quæ probat populus, ego nescio:* ideo non curavit Stoicus populo placere, quia vix potest placere populo is, cui virtus placet. Conciliari nisi turpi ratione amor turpium non potest, & licèt Seneca videatur Christiano coturno vanam omnem excutere gloriam, ejus tamen monitum moribus corrigendis prodest.

Quòd si puerile dixeris vitium vanæ gloriæ, debet vel maximè vapulare à vetere pædagogo, quò saltem verberibus dediscat intumescere. Matth. 4. postquam quadragintadiale absolvisset Christus in deserto jejunium, & cacodœmon eum vidisset esurientem, selectos à se lapides ei obtulit, non quibus eum saxis pulsaret, sed ut ipsum tentaret, *Ductus est JESUS à spiritu in desertum, ut tentaretur à Diabolo*; qui accedens dixit ei; *si filius Dei es, dic ut lapides isti panes fiant.* An non dœmon astutissimus hic videretur desipere, dum esurienti non panes, & fercula, sed lapides offert, quos tametsi in panes converteret; non tamen exinde ejus posset divinitatem conjicere, nec hanc inferre ex illa lapidum conversione in panes, potest enim similia miracula & alia majora Deus perpetrare, per instrumenta creaturarum: & plura Prophetæ miracula effecerunt; ex quibus tamen nemo fuit, qui inde inferret, Prophetam patrantem miracula Deum esse. Imò non debuisset cacodœmon de Christi dubitare divinitate, nec ambigere eum esse Dei filium, cùm Patris de cœlo vox in Jordane filium suum illum publicaverit? unde igitur tanta sagacissimi Dœmonis inertia? pulchrè D. Gregorius ait: *Antiquus hostis cùm hunc passibilem cerneret, & posse mortem perpeti humanitatis videret, omne quod de ejus divinitate suspicatus est, ei fastu superbiæ sua in dubium venit. Nihil quippe, nisi superbè sapuit, dum esse hunc humilem conspicit, quem DEUM esse dubitavit: unde ad tentationum se argumenta convertit dicens: si filius DEI es, dic ut lapides isti panes fiant.* Lib. 2. moral. Nimirum sicut insolens vana gloria illum ex Angelo effecerat Cacodœmonem, & superbiæ fastus è summo cœlo in imum dejecerat tartarorum; ita nunc arrogantiæ vana gloria malum tentatorem, & malum imperitè dœmonem effecit, cum ipse licèt superbissimus, & proprio fastu tumidus, ita desipuerit; ut cor esurientis Christi intra humanam speciem perstringeret humilitate, nec Deum existimaret, quem tanquam humilem contemptim aspiciebat; cùm enim nil Dœmon saperet, nisi superbiam; nilque spiraret, nisi fastum; nilque appeteret, nisi vanam gloriam, ideo dum humilem, & esurientem vidit in deserto Christum, cœpit intus dubitatione mentis pulsari, an revera Deus esset; licèt in Jordane vocem audierit Patris, qui eum suum promulgaverit filium. Adeò cæcutit superbiens vana gloria, ut suos vitiet, depravetque sectatores.



## § V.

### *Vana gloriola inhians perverso ambitionis officio gloriam aucupatur, vel in ipso gloriæ contemptu: quia de ipsa vana gloria neglectu tumidus gloriatur.*

32. QUamvis vitium inanis gloriæ cæcutiat, est tamen adeò subtile, ut ibi non censeatur esse, ubi revera stabulatur. Quis crederet etiam in ipso contemptu vanæ gloriæ hoc inanis gloriæ vitium triumphare? persæpe vir etiam in ascetetrio humilitatis cultor de ipso vanæ gloriæ contemptu vanus gloriatur: non enim eam contemnit, ut omnem à se gloriam abigat, sed ut intus glorietur de gloria, quæ foris est ipsi contemptui; hoc est ipso gloriæ neglectu, & contemptu, perverso ambitionis officio gloriam aucupatur; gloria ut acquiratur, plerumque spernitur, & ab ipso vanæ gloriæ interitu inanis nascitur gloria: non moritur, sed oritur ex tali contempta inanis gloria, quæ propterea eos, qui omnem jam pridem gloriam visi sunt proculcâsse fortissimè aggreditur: est siquidem inanis gloria fallax suavitas, quæ suos etiam contemptores fallit, tam subtiliter, blandè, ac suaviter eorum subic mentem, ut extincto lumine tutiùs virtutem corrumpat; nemini enim cenodoxiæ, seu inanis gloriæ vitium parcit, quin & ipsos viros ascetas in eremo summarum cultores virtutum invadit; & quidem ut loquitur S. Basilius leniter, blandè, suaviter, insensibiliter, & antequam advertatur omne bonum, opus inficit, totámque illius destruit pulchritudinem, consumit venustatem, ut monet D. Gregorius inquiens: *sæpe bono operi dum laus humana obviat, mentem operantis immutat, quæ quamvis quæsita non fuerit, tamen oblata delectat, cujus delectatione cum mens bene operantis resolvitur, ab omni intentionis intima vigore dissipatur, nam qui bona agere videtur, & per hæc non DEO, sed hominibus placere desiderat, intentionis suæ faciem deorsum premit.*

*De constit. Monach. cap. 11.*

*Lib. 9. moral. cap. 9.*

33. Hinc inanis gloria est infructuosus labor, obscura claritas, perpetuus tumor, lubrica sublimitas splendor deficiens, mentita gratia, fucus nitoris, larva honoris, spolium arrogantiæ, elationis tumor, phantasiæ præsumptio audax, mendacium verum, jubar falsum, & fastigium absque basi, & fundamento sublime: & tamen nulla est humilitas, quam aliqua gloriæ dulcedo non afficiat simul, & inficiat? est vana gloria, quæ de rebus modicis immodicè turget, idque propterea causæ, cur viri sanctitate insignes hanc pestem omni studio fategerunt effugere. Refert Laurentius Surius. Quòd cùm Abbas Pachomius suos inviseret Monachos; ac eorum, qui texuerant storeas, quemdam fuisse, qui storeas duas eodem die à se confectas attulerit; cùm moris esset, ut Monachi ad otium excutiendum nonnisi unam per diem stoream texerent: eúmque Monachus, qui in confectione geminæ storeæ laborem duplicaverat diurnum, speraret, fore, ut ab Abbate ejus commendaretur diligentia, & aliquid inde haberet laudis, & gloriolam ipse hauriret; Pachomius ob vanissimum hoc laudis aucupium seriò ingemiscens dixit: quid putatis mei fratres de hoc nostro fratre, qui diurnum opus sibi duplicavit in duabus storeis una die texendis, cùm vos nonnisi unam absolvatis? à summo manè ad vesperam diei multum quidem laboravit frater iste, sed omnem suum laborem Diabolo dedicavit, quia humanam laudem divinæ prætulit; & gloriam, quæ soli DEO tota est debita, ausus est sibi usurpare. Cúmque Monachum verbis objurgâsset gravissimis, jussit ad tumorem abigendum, omnémque vanam gloriolam excutiendam, ut cæteris ad meditationem euntibus, ipse cum suis storeis in humeros receptis & genuflexus cæteros rogaret fratres, ac diceret: Obsecro vos Patres, & fratres; Deum ut mihi miserrimo homuncolo parcat exorate, qui duas storeas pluris feci, quàm cœlum. Rursus præcepit Abbas Pachomius, ut aliis ad cœnam vocatis iste plus æquo sedulus Monachus incœnatus staret, cum suis storeis in medio triclinio. Sed neque dum satisfactum arbitratus Pachomius, hominem cellæ includi jussit, & quinque totis mensibus solo pane, sale, & aqua parcissimè refici, adjecto gravamine, ut duas singulis diebus storeas flecteret, vetuitque ita clausum, & occupatum ab ullo adiri, aut salutari. Censuit Pachomius his machinis expugnandam esse cenodoxiam, cùm aliàs sit expugnatu perdifficilis; præsertim cum post reliqua omnia vitia expugnata valentiùs insurgat, & ab ipsis quoque virtutibus suum hauriat incrementum: quòd si reliqua vitia virtutum exercitio enervata corruunt cenodoxia corroborata invalescit petulantior; ut rectè ait Joannes Clymachus: *Gaudet spiritus desperationis, cùm videt vitia multiplicari: ridet verò cenodoxia cum virtutem videt augmentari.*

*Tom. 3. die 14. Maij.*

*De cenodoxia.*

34. Imò non solùm de virtutum gaudet exercitio, sed & de rebus modicis immodicè turgens superbit. Importuno coaxantium ranarum exercitu infestatur Ægyptus, nullus adest locus sive in urbe, sive in suburbio, sive in campo, monte, & valle, in quo non coaxent, saltiténtque ranæ prægrandem incolis ingerentes molestiam. Pharao molestiæ impatiens Moysem accersit, & Aaronem ineluctabilis plagæ authores, eniximque rogat, quò suis precibus hanc avertant calamitatem: *Dixitque Moyses ad Pharaonem constitue mihi, quando deprecer pro te, & pro servis tuis, & pro populo tuo, ut abigantur ranæ à te.* Magna fanè fuit authoritas Moysis, qui non solùm plagam illam

*Exodi 8.*

*Exodi 8. v.*

illam valeret exterminare, verùm & illius exterminandæ tempus arbitrio permittere Pharaonis. Magna quidem Moysis authoritas, sed major Pharaonis cenodoxia, cùm inde gloriam sibi inaniter usurpet, unde credi potuisset deturbatus. Accersendus huc Cajetanus, qui ex hebræo fonte hauriens doctrinam, ita textum vertit, & expendit inquiens: *quod in vulgata editione legitur: constitue mihi, quando deprecer pro te: juxta hebræum legitur: gloriare super me & dic quando deprecer &c. Nimirum authoritatem limitandi tempus exequendi petita tribuit Moyses Pharaoni, & hanc appellat gloriationem super ipsum; quia gloriari poterat Pharao, quòd ipse definiret tempus impetrandi per Moysem à DEO miraculum hoc*, seu expulsionem ranarum ex Ægypto. Perpendendum est, quantula res potis fuerit Regem Pharaonem authoritate potentem, & divitiis affluentem, vitibùsque præpotentem in vanam erigere gloriationem: tametsi Moyses fuisset ovium pastor, ei tamen indulgenter connivet, & Pharao rogat, ut de Mosaica authoritate portiuncula quædam temporis definiendi sibi indulgeatur; & per hoc perhibetur. Rex super Moysem gloriari. Mirum sanè, quòd tantilla res præpotentem Regem valuerit ad gloriationem stimulare! an non futilis est, inanis, ac vacua ea gloria, quæ rebus minutulis impletur, & aura turget ita inani?

35. Abigenda est hæc cenodoxia, seu cupiditas vanæ gloriæ, quæ nonnisi futilibus, ac inanibus inflatur; & quisquiliis pascitur. Gen. 3. Produxit Deus ex humo primum hominem, quem Adamum vocavit, & ex Adami profundè sopiti costa Evam eduxit vitæ, thorique consortem, & hisce plenum dedit regimen cæterorum omnium viventium. Mensam, quâ alerentur, & viverent, eis proposuit totum terrarum latum, ac frugiferum tractum; & super hæc, felicitatem contulit hic calamo exprimendam: condidit enim Protoparentes ad suam imaginem Deus, quibus animum impertivit nulli obnoxium interitui, eúmque instruxit non rerum tantùm naturalium omnis generis, sed earum etiam, quæ supra naturam sunt, scientiâ, & cognitione, addiditque gratiam, quâ ab ipso ortu Numini grati, justi, sancti, amici, imò & filii constituerentur; corpus iisdem dedit vividum, robustum, succo vitali vegetum, & humorû fluiditate sanum, ut & membrorum omnium compage, sensuúmque perfectione absolutissimum, nulli vulneri, nec dolori, aut ægritudini, ac morti obnoxium; imò adjunxit beneficium innocentiæ primigeniæ, quâ appetitiones omnes, ac affectus utriúsque portionis inferioris concupiscibilis, & irascibilis nonnisi ad nutum moverentur rationis. Pro domo hortum ipsis assignavit ad omnem consitum amænitatem, quique erat cujusvis honestæ voluptatis, ac deliciarum, vivarium, ubi humus jugi virore ridebat; aëris elementia, cœlestísque auræ placidissima temperies arridebat, ut & syderum favor. Hisce præditus Adam animæ, & corporis dotibus, ac ditatus statu, Numinis præceptum sibi injunctum, quo abstineret à fructibus arboris scientiæ boni, & mali, suasu mulieris transgreditur, cúmque prævaricationis convictus esset, severam ab æterno Judice in se latam sententiam audivit: *In sudore vultûs tui vesceris pane tuo, donec revertaris in terram, de qua sumptus es, quia pulvis es, & in pulverem reverteris*: gravis quidem sententia, sed quæ grandi etiam temperatur misericordia; cùm cognati pulveris per ipsam admoneatur homo; qui cum deliquerit per superbiam, humiliationis alexipharmacum ei præsto esset, quo tumorem coërceret cenodoxiæ, ac ambitionis excellendi supra humanum fastigium; cùm enim per superbiam cecidisset, debuit humili suæ vilitatis cognitione resurgere, ac suæ formationis luto eas obturare superbientis animi rimulas, per quas tinea vanæ gloriæ mentem subiit, & virtutes omnes devenustavit. Pulchrè D. Bernardus apud Tilmannum: *Pulvis es, & in pulverem reverteris. Quid gloriaris ô homo? terra addictus es, factus ex terra, ut ipsa tibi sit patria, quæ materia fuit. Sed audire, inquies, vellem: Spiritus es, & in spiritum ibis; siquidem etiam spiritus sum: agit hoc non tam substantia, quàm culpa, traxit animam corpus in regionem suam; & ecce prævalens opprimit peregrinam. Et licèt quodammodo cœlum sit homo, cœlestibus spiritibus similis, minimè audire meretur, cœlum es, & in cœlum ibis.*

Gen. 3. v. 19. Gen. f. 3.

Novetat Deus primum hominem, adeò vento cenodoxiæ inflatum, quò vel ipsam ambiret divinitatis portionem; & ideo ne in ipso lutosæ pœnæ squalore consortium cœlestis spiritus arrogantiùs præsumeret vanæ gloriæ instinctu; occasiones quæ potuissent illi obviare, amputavit, cùm dixit, *Pulvis es, & in pulverem reverteris*: 36. quamvis nobilior hominis pars vitæ fuerit spiraculum, seu anima spiritualis cœlestibus spiritibus affinis, non tamen dixit spiritus es, ad spiritum ibis: quia terrenum corpus animam spiritualem in suam quodammodo regionem traxit, ut scitè D. Bernardus: *Traxit animam corpus in regionem suam; & ecce prævalens opprimit peregrinam*: voluit DEUS in homine adhuc squalore culpæ, ac rigore pœnæ torpente luto suæ originis, & conditionis præcludere vanæ gloriæ rimulas, ne tinea cenodoxiæ animum penetrans corroderet quidquid inibi virtus possideret ornamenti, & ne in ipsa ruina ampliùs de se quidquam sublime præsumeret; pulverulentam materiam, ex qua effictus fuerat ei objecit, in qua velut in speculo propriam intuens conditionem non auderet

ret imposterum ampliùs intumescere, quapropter non dixit DEUS Adæ *spiritus es, & ad spiritum ibis*, id enim potiùs intumescendi occasio ei fuisset; sed dixit pulvis es, & in pulverem reverteris, quò tumor cenodoxiæ disceret hoc pulvere culpæ mederi squalori, & ipse detumescere.

37. Sunt, qui tumore inflati superbiæ, aurâ duntaxat pascuntur vanæ gloriæ, nitentes præ cæteris excellere, & quæ ipsi agunt plurimi facere. Populus Israelis ex Ægypto eductus impio consilio, aureum, quem conflaverat vitulum, pro Deo colendum proposuit inquiens: *Hi sunt Dij tui Israel, qui te eduxerunt de terra Ægypti*. Profectò hoc idem peragunt, qui se suorum operum Magistros magnifico circumspiciunt supercilio; & si quid consilio, arte, vel industriâ efficiunt, quasi pro cœli Numine censeri, ac coli volunt, sibi usurpantes eam gloriam, quæ soli DEO tota debetur, cùm dicat Apostolus: *Soli DEO honor, & gloria*, quòd si gloria soli Deo debetur, quod suum non est, sibi arrogat homo, cùm ex suis gestis vanam nititur gloriam aucupari, quod sanè mentis est insanæ, ut eleganter adnotavit S. Valerianus Cimeliensis, & Niciensis Episcopus inquiens: *Stultitia genus est, ut cùm alijs debeas vita beneficium, eibi adscribas ornamenta virtutum: ecce hic honore extollitur, ille sibi de corporis integritate blanditur; hic divitias labori suo importat; ille scientiam doctrina vigilijs adsignat; O miseri! vacillat humanum studium, ubi non requiritur DEI auxilium: nostrum est bonum velle, Christi verò perficere: totum perdidit, quod laboravit, qui proprijs virtutibus fructum sanctitatis adscripserit.* Ita est, vacillat humanum studium, ubi non requiritur DEI auxilium; nil enim possumus, si divina simus ope destituti, omnis noster labor inanis est; & suo frustratur fine conatus: qui de re præclarè gesta gloriam sibi arrogat, injuriam DEO irrogat, quód, que illi soli debetur, sibi usurpat. Tametsi excellat quis loquendi energia, pingendi elegantiâ, pugnandi fortitudine, scribendi claritate, canendi suavitate, si tamen ex hisce vanam aucupetur gloriam stillicidio veneni totam inficit, & corrumpit excellentiæ præstantiam: utilitas quæ ex creaturis eruitur, hanc Deus hominibus cedit, sed tota gloria, quæ ex iisdem oritur, suam vult esse, quia: *universa propter se ipsum operatus est Dominus*: neque hoc vectigal gloriæ, quod ex creaturis singulis DEUS exigit, hominibus vult cedere, cùm per Isaiam dicat: *Gloriam meam alteri non dabo.*

Exod 32. v. 4.

1. Timoth. cap. 1. v. 17.

Homil. 82.

Proverb. cap. 16.

Cap. 42.

38. Refert Herodotus Agassiclem è patria extorrem factum fuisse ea de causa, quia tripodem, quem ipse ludis obtinuerat, Deo non consecraverit, sed donum istuc domum retulisset. Profectò extorres è cœlesti patria fient, qui gloriam sibi arrogant, quæ soli Deo tribuenda est. Is veram enanciscitur gloriam, qui verè nullam sibi gloriam atrogat, nec adipisci studet: qui enim ex præclarè gestis gloriam aucupatur, gloriâ excidit. Is dives est, non qui divitiis affluens, adhuc divitiarum inhiat incremento; sed qui sua sorte contentus nulla re indiget: ita is celebris est, & gloriosus, non qui gloriæ æstuat cupiditate; sed qui eam contemnit, ac nihili facit: pura umbra est mundi gloria, sequitur quos fugientes videt; & nunquam eam assequuntur præviam, qui nituntur illam consequi; fugientes sequitur, sequentes fugit; & umbras sequi hominis est umbratilis, non cordati, insaniâ laborantis non ratione judicantis: non enim fieri potest, ut quispiam magnus sit, qui ab inani gloria se non præstet immunem.

Hæc est inanis gloriæ indoles, ut contempta mitescat, & blanditiis illecta exasperetur; obest ei, qui ipsi prodest; & illi prodest, qui eidem obest: arma sumit, & eos aggreditur, qui nituntur ipsam aucupari, honoribus eam prosequi; & dum nituntur alij inanis gloriæ splendescere claritudine, hæc ipsos ad ignes pertrahit gehennales, quia ut ait Chrysostomus: *Mater gehennæ est inanis gloria; ignémque illum vehementer accendit, vermémque pestiferum consovet*: & addens causam subdit: *Alia vitia finiuntur morte, hæc & in mortuis vires obtinet*. Si enim sepulchra adeamus prænobilium, quique præclaris gestis mundanæ gloriæ inhiârunt, cùm viverent; vel sordescentes inter Manium umbras, aliquid inanis gloriæ, quam semper sitierunt, ostentant in sepulchris plus æquò sumptuosis, & in quibus vel muta marmora insculptis epitaphiis adiguntur alienam gloriam loqui, quam ipsa non intelligunt. Quid prodest in cinerario sordescente tam ambitiosè quæsita memoria? quid è saxis emendicat splendores, qui in umbris jacet squalidus? & plerumque torquetur ubi est, & laudatur, ubi non est. 39.

Homil. 17. in Epist. ad Rom.

Quamvis modica sint, quæ peragunt homines, adhuc tamen vanam ex ijsdem, nituntur gloriolam extorquere. Audacissima Judæorum arrogantia his à Propheta coërcetur minis: *Facti sunt Principes Juda quasi assumentes terminum* (scilicet alienum) *super eos effundam quasi aquam iram meam, & ego quasi tinea Ephraim, & quasi putredo domus Juda*: quamvis ex sacris Expositoribus plerique censeant, putredinem domûs Juda fuisse teredinem ossa, & ligna corrodentem, & de cujus corrosione intus medulla putrescit ligni; & alij velint, esse ipsam putredinem ex corrosione invectam; ut ut res est, id unum certum, Principes Juda rapinis pauperum gloriosos, & inani gloriâ arroganter tumidos esse putredine mulctandos, nisi fortâssis humiliter sapiant, & animi demissione calamitatem detorqueant: eos verò ambitiosâ elatione enutrios de in- 40.

Osea cap.

cunda adhuc putredine gloriam insolenter aucupari: hoc est, qui inani gloriâ arrogāter intumescunt, mulcta puniendi sunt putridinis, nisi detumescentes, ac resipiscentes humiliter sapiant, & animi demissione calamitatem declinent, quæ ipsis imminet: eos autem esse putredini tradendos, qui de ipsa adhuc ineunte putredine gloriam aucupantur: scitè Tertullianus de malignè pœnitentibus apposité ad rem nostram interpellans illos ad desiderandum ex pristinis aliquid gloriæ ait: *Velut poma, cum jam in acorem, vel amaritudinem senescere incipiunt* (seu putrescere) *ex parte aliqua tamen adhuc ipsi gratia sua adulantur.* Sicut enim poma cùm jam putrescere incipiunt, & acore, ac amaritudine infici, cùm tamen nondum putruerint, adhuc partem aliquam retinent, quæ pristinum saporem servat, nitorémque retinet antiquum, de quo adhuc poma putredini mox tradenda gloriantur: ita qui mundanam gloriam nituntur enancisci per gesta, quibus putant, aliquid nitoris in ipsos derivari: nunquam de portiuncula, quam credunt nondum putredine corruptam, perinde gloriantur, ac poma, quæ ut ait Tertullianus, in acorem, vel amaritudinem incipiunt senescere, ac putrescere: quòd si poma ipsa loquerentur, hæc proferrent verba; quæ in nobis superest modica hæc pomi portiuncula nativum, ac incorruptum suum servans nitorem satis indicat, qualia nos intus in medulla, & foris in cute fuerimus: nimirum visum depictis coloribus allecimus, & gustui dulcorato sapore arrisimus. Quidni putre pomum, ac in sui squaloris ignominia tumidè superbiens vanam aucupatur gloriolam, quàm arroganter præsumit invenisse? nimirum vel in ipsa putredine adhuc rimulæ vanæ gloriæ patent; & humo assuetus cenodoxiæ indulgere, tametsi putredini extradatur in sepulchro, & vermibus absumatur corrodentibus, adhuc de sui squaloris ignominia aliquid nititur gloriolæ aucupari, & cum non possit ampliùs ipse corruptus putredine loqui, id munus lapidi injungit sepulchrali, ut qua arte, vel scientia, aut officio excelluerit, qui ibi tumulatur, posteris illac transeuntibus enarret; an non id perinde dixeris esse, ac ex portione aliqua, ex putredinis contagio superstite futilem extorquere gloriam? cùm jam squalidus jaceat, ac putrescat in tumulo, adhuc de nitore pristino sibi adulantiùs eblanditur, præsumitque arroganter eam in putredine enancisci gloriam, quæ & ipsa putrescens malè olet in sepulchro: *& quasi putredo domus Juda*, quæ suum in captivitate squalorem inanis gloriulæ aucupio admititur delinire.

*De pœnit. cap. 6.*

41. Quid ni? improbi non solùm vitiorum fomites nefaria quærunt solertiâ, sed ijs inventis triumphant, ut enim ait Salomon Proverb. cap. 2. v. 14. *Exultant in rebus pessimis;* ille plurimum gloriatur, eò quia absque capitis læsione laxiori haustu plures possit spumantes vino calices exsiccare: alius ex eo putat posse gloriam aucupari, eò quia plus cæteris possit stomachum ingestis esculentis onerare: sed isti non gloriæ propriæ consulunt, sed Zabulo sacrificant.

Refert Cyprianus de aleatoribus, Zabulum primum aleam invenisse, & huic fuisse statuam consecratam, cujus in gremio tabula inspiciebatur lusoria, in qua vellet sibi ab aleatoribus sacrificari, antequam ludum aggrederentur: tales sunt imprubi, qui non solùm vitiorum fomites quærunt, sed ijsdem etiam triumphant. Nullus quasi est, qui propriè non studeat gloriæ in negotijs: ab illo nil frequentiùs auditur, quàm id meæ debetur prudentiæ, meæ fuit vigilantiæ; meâ si fuisset negotium ope destitutum, statim corruisset: in bello passim strategus sibi victoriæ gloriam arrogans ait, nisi tale consilium ductoribus dedissem exercitus; nisi copias quavis disruptâ morâ provocâssem in hostes, milites ita direxissem, nunquam victoria ex nostra stetisset parte: in officinis ait artifex, neminem novi, mihi in hac arte parem, opera mea, quanti à peritis fiant, satis exploratum habeo. O somnium in rebus fluxis inane! quid inanis gloriulæ illicio inanius? scitè Syracides de vanissimis hisce ostentatoribus. *Vana spes*, ait, *& mendacium viro insensato: & somnia extollunt imprudentes.* 42.

*Eccles. cap. 34. v. 1.*

## §. VI.

*Exaggerata hominum laus, vanissima est fr.. ; & vana mundi gloria fumus, qui sicut ex alvearijs apes mellificantes abigit: ita in homine probos excutit affectus, mellificio incumbentes virtutum.*

Quid aliud hominis laus est, quàm vanissima fraus? quid mundi gloria, Principum favor, hominum honor, aliorum commendatio aliud est, quàm ventus, aura, flatus, bulla, fumus, vanitas, ac merum somnium? quapropter Apostolus scribens, ad Galatas ait: *Si quis existimat, se aliquid esse, cùm nihil sit, ipse se seducit:* quando rustici ex alvearijs mella colligunt, tunc fumo apes abiguntur, ne suis aculeis manus vulnerent mella surripientium. Quid aliud fumus prodit, quàm vanam gloriam? hunc fumum nititur cacadœmon immittere, quò mella bonorum uperum diripiat, & nostras nobis surripiat opes: apposité D. Basilius in Asceticis: *Odium, quo apes fumum prosequuntur, eos significat, qui Deo mellificant, re nulla æquè offendi, quàm humanarum laudum fumo;* ideóque hunc fumum debemus à nobis abigere, ne tartareus hostis mella nostra surripiat, ne si quid studia nostra præseferunt splendoris, is infuscetur. Tametsi potuisset omnipotentis artificis Dei manus totam mundi fabricam, & molitionem uno ab- 43.

*Cap. 6 v. 3.*

abſolvere momento, ſatiùs tamen cenſuit certis dierum intervallis creaturas è ſuo nihilo traducere ad lucis uſuram, & proprijs venuſtare naturis, ac dotibus.

44. Prima itáque die condidit Deus è nihilo cœlum empyreum ab ſplendoris, & lucis copia ſic denominatum, éſtque auguſtiſſima Divinitatis ſedes, Beatorum domicilium, in quo innumeræ Angelorum miriades divinas concinunt laudes. *Dixítque, Deus fiat lux, & facta eſt lux.* Rectè ſapientiſſimus artifex Deus mundi fabricam inchoaturus in ſui opificij propitium auſpicium lucem ſtatim accendit, ne quicquam niſi in luce poſtea feciſſe videretur: ſicut, quæ mala ſunt opera dicuntur in tenebris fieri; ita quæ bona ſunt nonniſi auſpicio lucis prodeunt; bona erant cuncta, quæ rerum Conditor fecerat; præviam videbantur lucem exigere; cujus beneficio ſtatim paterent, ſed cur ſolem lucis fontem, à quo reliqua in cœlis ſydera ſuos hauriunt nitores; & lunam ſplendidam noctis lampadem, accendere die quarta diſtulit; prima enim die cœlum condidit empyreum, & Angelos à quavis materiei craſſitie defœcatos, terram quoque & aquam traduxit ex nihilo, ac in unum commiſcuit terraqueum globum, & nullus tum rerum ornatus viſebatur, ſed ſtatim imperio divino lux quædam in aquis cœpit coruſcare, ſuúmque nitorem per longa, ac lata diffundere ſpatia.

Geneſ. 1. v. 3.

45. Secundo die, quem lux illa rudis, & imbecilla ei ſimilis, quæ ſplendet, cùm abeunte nocte diluculum inſtat, illuſtrabat; orbes cœleſtes exiſtere ſunt juſſi, medij inter aquas ſuperiores, quas criſtallinas vocant, & inferiores, ſeu elementares nullis nondum ſyderibus illuſtrati, ſed medio interſtitio ſuſpenſi inter aquas hærebant, nulla externa incitatione agitati.

46. Die tertio ſublatâ aquarum, ac telluris confuſione terram in ſpeciem magni orbis glomeravit, & aquæ in ejus cavernas recedere juſſæ ſunt, & vel fluctuare in pelago, vel currere in fluminibus, vel quieſcere in lacubus, ac ſtagnis: & terra ſuſcepto divino mandato germinandi, cœpit ſtatim herbas, & fructus profundere; arbores viſæ ſunt fœtibus gravidari, campi ſegetum maturitate flaveſcere; fluminum ripæ mira ſtirpium varietate veſtiri; non quidem ut modò contingit, campos non fluctuare ſegetum copijs niſi aratio ſationem, ſatio occationem, occatio ſarritionem, plantatio putationem præceſſerit, ſed omnia hæc conjunctim, & eodem tempore proruperunt, adeò ut plantæ, & arbores ſimul radices egerint, incrementa ſubjerint, in ramos ſe dilataverint, foliorum ornatu ſe veſtierint, & fructuum copiâ diteſcerent.

47. Quarto igitur die tantùm accendit rerum Opiſex Deus, diurnam mundi lampadem in ſole, & nocturnam in luna, & reliqua ſydera, quæ veluti gemmæ collucent; vel florum inſtar vernant, ac paradiſum exhibent vernantibus renitentem roſis: *dixit autem Deus, Fiant luminaria in firmamento cæli, & dividant diem, & noctem, & ſint in ſigna, & tempora, & dies, & annos, ut luceant in firmamento cæli, & illuminent terram, fecitque Deus duo luminaria magna; luminare majus, ut praeſſet diei, & luminare minus ut praeſſet nocti, & ſtellas.* Sed ſi lux quævis à ſole dimanat, perinde ac rivulus quivis à ſua ſcaturit origine, cur non niſi quarto die ſolem mundi lampadem, & cujuſvis lucis fontem accendere diſtulit, & non priùs hæc duo luminaria ſtatim primo die condidit, ut noctem dividerent, ac à die diſtinguerent? cur triduo antequam ſolem conderet, & communem mundi lampadem accenderet, lucem duntaxat rudem, & imbecillam præmiſit? ſi lux à ſole, perinde ac rivulus à ſonte dimanat, cur voluerit, effectum ſuam antevertere cauſam, & mundo prælucere? éſtque dubitatio, quæ diu pulſavit Theodoretum, qui ait. *Luminaribus creatis ad quid priùs facta eſt lux?* Quòd ſi ſapientiſſimus mundi Opifex Deus, cùm primùm unumquodque viventium produxit, cognatam eidem indidit virtutem, quâ ſuas exereret vires, ſuóſque produceret effectus; cur maluerit effectum ſolis ſuam per triduum præceſſiſſe cauſam? reſpondet Theodoretus: *Igitur lucem creavit rudem, & imbecillam prima die, & luminaria magna quarta die, quemadmodum ei libuit.*

Geneſ. 1. v 14.

Quæſt. 14 in Geneſ.

Putârim voluiſſe Deum, ut ſolis creationem præcederet lux, quæ è cœlo empyreo cœpit prima die in aquis coruſcare, ſéque per longa, ac lata ſpatia diffundere, ne ſol unquam inaniter gloriaretur de primigeniâ lucis origine; & ne de proprio nitore, tanquam de re ſua tumidus ſuperbiret, ſibíque fulgendi gloriam arroganter uſurparet: hæc vanæ gloriæ, ut præcideret Deus, ac amputaret incitamenta, *ei quemadmodum libuit, lucem creavit:* non quia timeret Deus ſolem potuiſſe de ſuo lumine inaniter gloriari, nec tumidè ſuperbire, cùm ipſum nullus ſuperbiæ tumor inflet, nec affectus vanæ gloriæ pulſet, ſed ad hominum eruditionem, ne de proprijs dotibus gloriarentur, nec de qualitatibus ſibi inditis ſuperbirent, ſed ſatagerent omnem præcidere vanæ gloriæ captandæ occaſionem. 48.

Hinc cum exul Abrahamus è patrio ſolo peregrinaretur in Gerara Regia Palæſtinorum urbe, & dixiſſet de Sara uxore ſua, *Soror mea eſt.* Miſit ſtatim Abimelechus Rex Geraræ Aulæ Proceres, qui Saram lectiſſimam fœminam corporis venuſtate, vultûs pulchritudine reliquas omnes præcellentem fœminas ad ſe ducerent: cúmque putaret Rex non uxorem, ſed ſororem eſſe Abrahami voluit, ſibi ſociam habere à thalamo: ſed adfuit Deus per ſomnium Abimelecho, & caſtæ fœminæ ſtuprum præproperè prohibens ſeveriſſimis etiam ſuppliciorum minis injunxit Regi, ut Saram intactam reſti- 49.

tueret

tueret Abrahamo. Obsecutus Rex Numinis præcepto abstinuit à Sara, quam honoribus duntaxat est prosecutus, eámque ad Abrahamum muneratam mille argenteis remisit. *Ecce mille argenteos dedi fratri tuo, hoc erit tibi in velamen oculorum ad omnes, qui tecum sunt.* Plura, & pulchra ingeniosè excogitârunt sacri Interpretes in hoc Saræ velamine expendeodo, præ cæteris Abulensis ait: *hoc erit tibi in velamen oculorum. Id est, de illis mille argenteis emes unum velamen: & quia mulieres honestæ maximè virgines velant vultum suum, ne videantur; ideo vocatur velamen oculorum.* Sed si Deo revelante, & populo promulgante jam coostiterat Abimelecho, Saram non sororem, sed uxorem esse Abrahami, ut fama tota urbe populariter percrebuit, cur Rex mille ei argenteos dedit, quibus velamen sibi compararet oculorum? si velamen tessera erat, ac signum virginitatis; & Sara non ampliùs virgo, & puella erat, sed uxor Abrahami, cur voluit Rex Saram virginitatis signum, ac inculpatæ pudicitiæ symbolum sibi emere, ac usurpare? an quia Abimelechus à Saræ amplexu, tactûque omninò abstinuerit, ac intactam, & prorsus incorruptam eam ad Abrahamum remiserit, & ab Aula dimiserit? nimirum quò suam Abimelechus proderet continentiam, Saram perinde dimisit, ac si virgo fuisset aulam ingressa, quia talis etiam fuisset egressa, nullo constuprata regio amplexu. Vel fortassis, quia cum Aulæ Procéres ad Regem duxissent Saram fœminarum pulcherrimam, sinistra in populo suspicio exorta fuerat, quâ innocentia fœminæ, & Regis lædebatur virtus, per inconsultam linguarum garrulitatem, voluit Rex hoc velamine tegere, ac protegere Saræ pudiciciam; immo & extergere, si qua in populo orta esset prava cogitandi occasio: nonnihil fortassis devenustata fuit Sara, cùm valdè tenera sit in venustioribus fœminis honestæ vitæ valetudo, quamvis ut scribit D. Hieronymus, *Nan sit facilè malum de perfecta ætate credendum; quam vita præterita defendit, & honorat vocabulum dignitatis.* Proni sunt, ac procliveshomines ad insuscandum alienæ famæ nitorem, ideóq; Abimelechus, ut famæ consuleret fortassis læsæ Saræ ex sola aura palatij, pretiosum eidem faciei velamen suppeditat, quod est honestæ fœminæ ornamentum simul, & virginitatis notamentum; sed Sara sibi bene conscia pudicitiæ servatæ, hoc non legitur adhibuisse velamen, quia cùm esset ornamentum virginum aliquid fortassis, inde potuisset vanæ gloriæ haurire; maluítque propterea velamen non admittere, quàm animi demissionem amittere: ornamentum velaminis exclusit, ne vitium vanæ gloriæ accerseret, ac velamine obtegeret. Virtus enim sua gaudet simplicitate, neque adscititium, ac affectatum ullum cupit ornatum, neque se ipsam prodere.

Gen. 20. v. 16.

In epist. ad Rustic.

50. Hinc Magister Christus quamvis nunquam provocaverit Auditores suos ad vultûs hilaritatem, nec multò minus luxum ullum iisdem suaserit, permisit tamen, imò præcepit jejunantes ritu Patrio unguentis illiniri, quo jejunium dissimularent. *Unge caput tuum, ne videaris hominibus jejunans,* hoc est odore, ac nitore vultûs jejunium tegas, ne homines observent abstinentiam, quâ carnis coërces insolentiam. Pharisæi enim, cùm jejunarent, omnia sibi signa hilaritatis, præcidebant, & omnem interdicebant lætitiam, quo omnibus testatum facerent, se mundi voluptatum contemptores esse, & luctuoso, asperóque jejunio operam date. E contra Christus jubet, ne jejunantes quidquam de consueta vitæ ratione immutent ad ostentationem jejunij, quin potiùs pro more regionis injungit, ut caput ungant, sint læto vultu, ore hilari, fronte serena, ad occultandum jejunium, ut secreti, ac sinceri operis præmium referant jejunantes. Sara à pristina noluit recedere incedendi consuetudine, uti velamine ab Abimelecho sibi dono dato respuit, ne per ostentationem excultæ continentiæ, & castitatis, vitium vanæ gloriæ intus irreperet, & quod foris virtutis proderet nitorem, intus fœdam contraheret vitij turpitudinem. Ne igitur alij nostram laudent continentiam, hanc potiùs præ nobis feramus cautelam, quia sæpissimè virtutum officia prodere, est illa perdere.

Matth. cap. 6. v. 17.

51. Qui per loca proficiscuntur malè tuta, ut quod secum deferunt aurum, custodiant illud in calceis, caligis, cingolo, toraci, pileo insuunt, quin plerumque etiam in baculo recondunt, imò & in stomachum, ac ventrem etiam demittunt, ut olim Judæi Hierosolymis in obsidione illius urbis. Quid ni ne metallum amittatur, cùm aliquid in se pretij præseferat, summis custoditur cautelis; abditur ne ullum detur signum, quod adsit, ait enim D. Gregorius. *Qui in itinere deprædari formidat, abscondat, necesse est, bona, quæ portat.* An non quovis auro est virtus pretiosior? hac enim cœlum emimus, & illo nonnisi terrena, ac fluxa nobis comparamus; virtus animum ornat, cùm aurum nonnisi in extima corporis superficie, & in vestibus splendeat. Quòd si virtutis pretium, quo Regnum ipsum cœleste nobis emimus, longè excedit pretium auri, quo nonnisi fluxa coëmimus; cur non solertiores sumus, ac cautiores in virtutis cultura, & in ejus tuta conservatione? præsertim cùm ubique locorum mundus, caro, & cacodœmon eidem insidientur? Officia virtutis exponere oculis, auribúsque alienis, perinde est, ac foribus, ac itinerum grassatoribus aurum ostendere.

Lib. 1 Moral. cap. 30.

52. Idque causæ, cur Ezechias suos perdiderit thesauros, quia nimirum eos ostenderit, quapropter Christus. *Nesciat sinistra tua, quid faciat dextera tua.* Incustodita vir-

Matth. cap. 6. v. 3.

virtus tuta non est; quoties alijs patet, in discrimine versatur, quapropter monet D. Hieronymus contra Luciferianos. *Conveniat unumquemque cor suum, & in omni vita inveniet, quàm rarum sit fidelem animum inveniri, ut nihil ob gloriae cupiditatem, nihil ob rumusculos hominum faciat*, qui enim suum propalat jejunium non Deo jejunat, sed sibi, qui virtutis est jejunus, fit opere bono vacuus; qui manum extendit pauperi, ut ab adstantibus observetur, Deo non fœnerat, sed vanam sibi pecuniâ illâ emit gloriam, quâ opus bonum perdit: affinia sunt virtutibus vitia, & præsertim istud vanæ gloriæ, quod cum velamine virtutis satagat suam tegere turpitudinem, eam prodit, splendore ejusdem, & quo occultiùs affectat, quis vitium obtegere, illud manifestiùs prodit, quia ut scitè S. Gregorius. *Peccatum peccato addit, qui culpa, quam fecit, patrocinia adjungit defensionis*: appetens vanæ gloriæ in id incumbit studij, ut velamine virtutis suum tegat vitium, superbus enim exambit, se magnanimum credi; prodigus liberalem; avarus solertem; temerarius fortem; ambitiosus solertem; inhumanus justum; timidus cautum; & humana ambitio vanæ gloriolæ insolenter candidata satagit ornamento virtutum vitij exornare turpitudinem, sed dum virtutum famæ adlaborat, vitiorum fœditatibus proniùs militat, ac solicitiùs studet. Scitè Joannes Sarisberiensis Carnotensis Præsul profopiam describens vanæ gloriæ ait. *Si quempiam inanis gloria stimulat, necesse est, ut per abrupta vitiorum præceps ruat. Hoc est autem, quod nobile censetur vitium, adeòque humana fragilitatis demulcet ingenium, ut vix sit, vel à præclaris mentibus alienum; nam & ortum nobilem habet, suique dispendij processum nescit, antequam à fastigio corruat, quod optavit. Nam & de se invicem vitia oriuntur. At inanis gloria etiam in virtute originis sua figit radicem: in quo enim quis præ cæteris pollet, in eo nisi adsit moderatrix gratia faciliùs intumescit. Vix tamen est, qui vana gloria non insistat, & eam, quæ ab hominibus est, non concupiscat laudem. Ad hanc alij virtute, alij virtutis imagine, alij natura, & fortuna beneficio proficiscuntur.*

Cap. 6.

Lib. 12. moral.

Lib. 8. Polic. cap. 2.

53. Rari sunt, qui vanæ gloriolæ appetentes non satagant eam ab hominibus, vel virtute, vel virtutis imagine, vel naturæ, aut fortunæ beneficio sibi comparare; & propriæ gloriæ adeò sunt homines amantes, ut vix pati possint ab alijs superari: testem accersitum volo Saulem Regem: arma moventibus Philisthæis pro inveterato odio in Hebræos, non dissita locârant inter se castra Hebræi, & Philisthæi, utrinque in colle parati ad pugnam, si fortassis hostis in vallem interjectam conserturus certamen descenderet, quod mutuis clamoribus crebrò poscebatur. Jámque quadraginta effluxerant dies, cum bellum magis duceretur, quàm gereretur; neutris martis aleam tentantibus: tandem ex Philisthæa gente prodijt Goliathus statura gigantea, armísque robori paribus ferox; hic in valle interjecta voce truculenta ad pugnam provocavit, si quis ex toto Hebræorum exercitu auderet prodire, ac in singulare descendere certamen, ac de imperio utriúsque gentis dimicare: cúmq; insolenti arrogantia, ac barbaro fastu minas spargeret, & convicia profferret in Hebræos, nullus ex istis fuit, qui in vallem descenderet pugnaturus contra Goliatum, tametsi à Saule Rege non solùm tributorum fuisset immunitas promissa, & divitiarum ingens congeries, verùm etiam & regiæ filiæ nobile, ac splendidissimum conjugium ei, qui ad ineundum singulare certamen permoveri pateretur; quippe gigantis truculentia, & corporis in hostili provocatore vastitas terrorem omnium animis incusserat.


54. Eo tempore David, qui paulò ante ex aula Regia Saulis, ubi Psaltem egerat, ad sua fuerat pascua remissus, reversus ad fratres missus à parente cum commeatu, rursúsque munusculis ad Tribunum perferendis, auditâ Goliathi ferociâ, & insultatione, qua Hebræos lacessere non destiterat; & observatâ trepidatione in Hebræis timore percitis, abstersurus suæ gentis dedecus, secum cogitavit periculo suo cæterorum pudori consulere, ac velle contra Goliathum ad singulare certamen descendere: quod cùm advertisset Eliabus fratrum natu maximus jussit, eum cum objurgatione ad sua pascua reverti, ac inconsultam ferociam in tuendis gregibus in reliquos prodere Opiliones, ac relinquere arma viris. Sed David licèt adhuc adolescens ab incepto non destitit ausu, vires, animósque suggerente Numine, imò ferventiùs se sentiit desiderio æstuare, Martémque tota præcordia spirare; quod cùm ad aures Saulis Regis delatum fuisset, adolescentem accersivit, cui imparitatem objecit certaminis, ut & inexpertam contra militem veteranum militiam; sed David subridens respondit acriora à se fuisse in sylvis inita certamina contra rugientes leones, aliásque ferocientes belluas formidabiliores Philisthæo gigante, cujus bellica virtus magis in lingua esset, quàm manu: hac delectatus Saul responsione, animóque magnitudine pugnam poscenti permittit: & ut humana præsidia cum divinis nectere, armis depromptis ex suo armamentario jubet adolescentem muniri, magis tamen id patientem, quàm optantem; cùm præmunitus jam esset Numinis fiduciâ, quovis ferro, & chalybe firmiore ad retundendos hostiles ictus, & ad palmas ex inita pugna legendas; quapropter depositis ferreis munimentis, armísque, quibus magis gravabatur, quàm ad prælium excitaretur, secum tantùm tulit baculum, peram, fundam, & lapides de proximo selectos

peram, fundam, & lapides de proximo selectos torrente, & ita Numinis obarmatus fiduciâ descendit in vallem contra Philisthæum, scilicet inermis quoad humanas vires, & absque ullo dimicationis apparatu.

55. Cumque Goliathus Davidem contra se venientem inspiceret inermem, indignabundus jussit è conspectu abire suo imbellem canem, nisi statim mallet pedibus proteri, corvisque dari in pabulum, sed David animo, & lingua retundens Philistæi convicia post velitationem verborum, ad decretorium se accingit certamen spectantibus utrinque è proximis montibus exercitibus varia exspectatione suspensis, quin Philisthæi de parta jam victoria quasi certi voce hilari epinicia sibi canebant: cùm è converso ex Hebræorum exercitu potior pars temeritatem damnaret adolescentis, cùm alij incertæ fortunæ aleam committerent certaminis. Jam Goliathus toto corpore cataphractus adolescenti obviat ore minans, & manu hastam vibrans; sed David raptum è pera silicem illicò fundæ imponit, quam ictu tam destinato librat, ut excussum silicem mediæ Philistæi fronti infigeret, caput infringeret, eo impetu, ac conatu, ut fracto cerebro excussus silex fixus hæreret fronti: & gigantea moles prostrata caderet victa, & simul instar bovis, icta in fronte; tunc David celeri pede ad prostratum cucurrit Goliathum, & detracto gladio, eductóque ex adversarij vagina prostrati hostis caput amputat, quod pro opimis spolijs ad Regem defert Saulem in symbolum delatæ victoriæ.

56. Hoc spectaculo cum uno Goliathi corpore ceciderunt etiam animis Philisthæi, qui in effusam mox se fugam dedêre persequentibus tamen Hebræis, qui erectis animis terga fugientium inflictis vulneribus, cædibúsque cruentis percullêre, & fugatis, cæsisque hostibus, reversus in civitatem victor exercitus, lætitiâ gestiens, spolijs dives, triumphum egit pro parta ram insigni victoria, in quo Saul Rex cum Jonata, ac reliquis filijs curru regio sublimis vehebatur Regio diademate coruscus, sequebantur alij militiæ Duces, quos inter adolescens David author publicæ lætitiæ vestibus, & armis Jonatæ refulgens. Ante currum plurima Philisthinorum præibat turba Tonante compede vincta, ac in bello victa. Huic agmini triumphali obviam ex urbe prodijt plenus Hebræarum puellarum chorus festivis cantibus, ac choreis victores salutantium, & epinicium adolescenti Davidi occinentium. *Et præcinebant mulieres ludentes; atque dicentes: Percussit Saul mille, & David decem millia.* (1. Reg. 18. v. 7.) Sed ut felicitatis comes est invidia, iratus est Saul, cui displicuit puellarum plausus, idqoe causæ fuit, ut non rectis oculis Saul ampliùs Davidem aspiceret, imò & modis omnibus eidem cædem moliretur. Præ cæteris sanctis PP. S. Joannes Chrysostomus in homilia de David & Saul multis philosophatur, ac subtiliter pervestigat hanc præconcepti odij in Saule causam contra Davidem: cùm enim debuisset Saul sua se fateri sorte contentum, quòd puellæ ei mille attribuissent, cùm ipse nil victoriæ tribuisset; eò quia forsan talis in Israële percrebuisset fama ingenio evulgata regiæ adulationis: nihilominus cùm nil egisset Saul, cui aliquid victoriæ potuisset tribui, adhuc indignatur, eò quia puellæ psallentes illi tantùm mille tribuerint, & Davidi decem millia attribuerint, appositè S Chrysostomus ait: (Homil. de David & Saule) *Etenim si Rex ad bellum finiendum, vel paululum aliquid momenti contulisset, rectè tunc dictum fuisset Saul in millibus, David in decem millibus. Quòd si ipse quidem pavidus, ac tremens domi sedit in singulos dies mortem exspectans, hic autem totum facinus peregit, an non absurdum erat, eum, qui nihil ad depellenda pericula contulerat, ad id indignari, quòd hic plus laudis tulisset? nam si indignandum erat; Davidem potiùs convenibat indignari, quod cùm solus totum gessisset, alterum haberet laudis participem.*

57. Sed hæc Saulis indignatio non ab alio fonte scaturijt, quàm ab appetitu, ac siti vanæ gloriæ, cujus, cùm esset Saul appetens, totam sibi tributam laudem voluisset; adeò sunt Principes gloriæ, ac laudis appetentes, ut vel alienas laudes sibi usurpare exambiant; neque facinoris unicè patratorem in elogij consortium admitti sustineant. Vox illa adgratulantium puellarum: *percussit Saul mille, & David decem millia*, scintilla exitialis fuit, quæ odiorum excitavit incendia, quòd si ut vulgata fert parœmia: *nullum sine sale sacrificium*: ita & nulla sine invidia felicitas; nunquam est ignis sine suo fumo: mellis dulcedinem, & rosarum fragrantiam sparserat triumphus iste, quo gaudijs, & gratulationibus faustis omnia resonarent; sed repentinos fellis imbres effudit livor, qui & omnem diei hilaritatem corrupit, & animorum serenitatem fœdavit. Adeò vana gloria alienæ invidet laudi, ut eam proprium censeat dedecus; adeò malignantis est naturæ, ut alienum corrumpat splendorem, quò illustrior ipsa eniteat: sibique velit tribuere, quod alteri ex generoso virtutis studio debetur: hinc non mirum, si quem vana gloria pulsat, præcipitem in plura scelera agat, & vel in ipsa adblandientium laudum malacia naufragium apparet.



## §. VII.

### *Eſt inanis gloria ſcopulus, in quem illiſa virtus, vel naufraga perit; vel plurimum patitur detrimenti.*

58. EST inanis, & futilis gloria, immanis ſcopulus, ad quem, homines impingentes, vel naufragium, vel ſaltem plurimum inde patiuntur detrimenti: & rari ſunt nautæ adeò periti, qui ſatis caveant, ne navis ad hunc illiſſa ſcopulum naufraga pereat. Verſicolor eſt vana gloria, pluréſque induit formas, ac diverſa nomina, quibus ſuaviùs eblanditur, & lethaliùs vulnerat: ídque cauſæ, cur moneat D. Baſilius viros aſcetas, ut hanc caveant blandulam ſirenulam, quæ voce allicit, ut manu interficiat, ait D. Baſilius. *Fugiamus dulcem ſpiritualium operum exſpoliatricem: jucundum animarum noſtrarum hoſtem, tineam virtutum, blandiſſimam bonorum operum deprædatricem, eandémque mellis illitu, veneni coloratricem:* vocat D. Baſilius vanam gloriam dulcem ſpiritualium operum expoliatricem, quia deceptricem æmulatur Dalilam, quæ homaniſſimis blanditijs Samſonem viribus exuit, hoſtibúſque objecit. Eſt etiam ex ſententia Baſilij vana gloria, blandus, ac jucundus animæ hoſtis, quia eò graviùs lædit, quò blandiùs delectat, & ut ait D. Cyprianus, dum extollit, emollit, & dum ungit, pungit. Virtutum dicitur tinea, quia ſicut quò pretioſior eſt purpura, eò robuſtior in ea naſcitur tinea, quæ ſuam lacerat genitricem, corrodit parentem: ita quò virtus eſt nobilior, eò ex ipſa naſcitur gloria vanior, ac pernicioſior, quæ mortem molitur ſuæ matri: oritur ex virtute futilis gloria ipſam enecatura fœdi matricidii rea, venenatæ haud abludens viperæ, quæ matrem enecat, à qua gignitur. Eſt etiam blandiſſima bonorum deprædatrix, quia ſi allicit, inficit; ſi delectat, enecat; ſi demulcet, jugulat; ſi erigit, deprimit; & ſi animum ſubit, omni ſuo virtutum ornatu ſpoliat. Demum eſt veneni coloratrix, quia ſatagunt omnes hoc venenum fucato alicujus virtutis colore pingere, ac tegere, quò fit, ut etiam viros ſanctitate, ac pietate inſignes hoc vitium nitatur pulſare: id quod in ſe ipſo deploravit olim D. Gregorius Magnus Chriſtianæ Religionis ſplendor, ſummarum virtutum cultor eximius, eccleſiæ oculus defœcatiſſimus, pietatis ſtudioſus indeſeſſus, qui non ſiccis oculis ait: *Dum ipſam ſubtiliter radicem meæ intentionis inſpicio, Deo quidem ex ea me ſummopere placere voluiſſe cognoſco, ſed eidem intentioni, qua Deo placere ſtudeo, furtim ſe neſcio quomodo intentio humana laudis interſerit. Quòd cùm jam poſtmodum, tardéque diſcerno; invenio me aliter agere; quod ſcio me aliter inchoaſſe.*

De coſtit. Mon. c. 11.

Lib. 35. Moral. cap. 16.

59. Idque fortâſſis cauſæ, cur Jobus cum ab amicis argueretur iniquitatis, ob quam acerbiùs à Deo plecteretur, dixit. *Si juſtificare me voluero, os meum condemnabit me, ſi innocentem oſtendero, pravum me comprobabit:* quaſi diceret, ſi deficientibus patronis, Advocatis, & teſtibus velim meam tueri cauſam, ſeu me juſtificare in judicio, ac objectam mihi culpam eluere, meámque probare innocentiam, & evincere adverſantium calumnias: *os meum*, ſeu mea defenſio, & exculta oratio *condemnabit me, & pravum comprobabit:* ſcio plurimum deſudare Interpretes, ut evincant, ac explicent, quomodo innocens, & irreprehenſibilis Job, ſi velit ſuam innocentiam calumnijs impetitam, ſuámque vitam malè culpatam juſtificare, eadem juſtificatione, & proprij oris ſuffragio potuerit ſe damnare? Olympiodorus expendens præfata Jobi verba: *Si juſtificare me voluero, os meum condemnabit me:* ait: *Si enim me juſtum eſſe dicere audeam; id demum dicere puto eſſe impietatis. Quòd ſi illud etiam ſim dicere auſus, omni me reprehenſione vacare, mihíque ipſe fuero eblanditus: hoc ipſum meam pravitatem coarguet, nec me rectum eſſe teſtabitur; quandoquidem, ſi juſtus eram, id ipſum ſilendum erat, neque enim ſe juſtus prædicat:* nimirum ſi voluiſſet Jobus propriam tueri innocentiam, quas excoluit ipſe virtutes reticuiſſet, ne inde aliquid vanæ gloriolæ mentem ſubijſſet, ſéque condemnâſſet, ac redarguiſſet pravitatis, cùm ſuam tueri vellet innocentiam: adeò noxia eſt propria laus, ut etiam ad falſum crimen in defenſionem propriæ innocentiæ excutiendum ſordeſcat in ore proprio, & ornamentum excultæ virtutis devenuſtet, culpámque, quam non invenit, invehat.

Cap. 9. v. 20.

60. Semel, quòd virtutis cultor ſuam deprædicat virtutem, ſuam arguit improbitatem; & dum objectam ſibi culpam nititur diluere, eam contrahit: eſt enim vana gloria, quæ ex ipſa naſcitur virtute, quam fœdat, & devenuſtat: hinc Jobus ſuam renuit culpatam defendere innocentiam; ne cum innocentem ſe probaret, fieret tunc ipſe nocens; & dum vellet objectæ ſibi culpæ diluere labem, maculam contraheret vanæ gloriolæ, quâ ſuam corrumperet innocentiam, ſuæque virtutis infuſcaret nitorem; ſatiùs eſt; probum in ſe eſſe, quàm probum apud alios videri, cùm hoc plerumque vitio non vacet vanæ gloriolæ; à quo fit immunis, qui contentus ſua probitate, non curat, hanc ab alijs approbari. Animi demiſſio, quâ virtutis cultor gaudet deliteſcere, tutior eſt virtutum cuſtodia.

61. Refertur in fabulis ab accipitre olim irriſum Trochilum avem ſcilicet litoralem, eò

eò quia cum colore sibi non sit absimilis, adeò tamen angusti sit pectoris, ut malit vermiculis, ac vilissimo pastu nutriri, quàm delicatioribus aliarum avium vesci carnibus. Cui Trochilus respondit, non est mi frater, quod tam hianti ore tibi adgratuleris de cibis delicatioribus, quos iniquum tibi aucupium parat: tu per aëra volitans, huc, illúcque discurris, aves aucupaturus, quos rostro, & ungue discerpis, & lanienam, vel in medio aëre agis, alieno sanguine tuam extinguis sitim, tuámque famem aliena cæde impiè exples: ego verò viliori mensa contentus longè lætiore, quàm tu, pace fruor: & erit fortassis, quod gulam tam delicatam debeas quandòque malè luere, téque serio pœnitere tot cædium. Vaticinio Trochili respondit rei eventus; siquidem post paucarum dierum fluxum accipiter in ipso aucupio à Rusticello captus, cujus columbas insectabatur, more cæterorum, ex præalta turri in terrorem aliorum suspensus est; cúmque Trochilus illac pervolans pendulum fuisset sutem intuitus, dixit; nonne verum tibi præsagivi mi frater, tutiùs vitæ tuæ consuluisses, si unà mecum vermiculos in prandium tibi apparâsses, & alienas aves non fuisses insectatus, modo pendes cæterarum avium ludibrium. Ita dixerim, obtingere aucupi vanæ gloriæ, qui nonnisi rumusculos, laudes, ac praconia aucupatur: omne impendit studium, què plausus, encomia, gratulationes, laudes, voculas allicientes, commendatiunculas venetur, quò auram sibi adblandientem depascatur; sed non est hæc gloria, quam ejusdem appetens quærit; non uitores, sed umbras, & quidem funereas consectatur gloriæ in proprium exitium. Tutiùs esset, Trochilum æmulari, ac vermibus victitare, illis scilicet, quos nobis sepulchrum exhibet, hos enim, si seriò cogitaremus, non alienas aves, seu futiles laudes, gloriámque inanem sectaremur, imò essent nobis contemptui, quia ut scitè D. Augustinus. *Melius est, vel de parvo Dei dono gratias ipsi agere, quàm sibi agi velle de magno.*

Epist. 31. ad Paulin.

61. Cupiunt plures, & quidem decepti inanem haurire gloriam ex rebus præclarè gestis in bello, ex opibus diuturnâ solertiâ congestis; ex eruditione impenso labore parta, quæ tamen omnia citiùs evanescunt, quàm videantur elucescere, & cùm ipsis etiam humana gloria perit, & extinguitur; est enim hæc floris instar solstitialis, qui eùm oritur, moritur. Volatica est omnis laus; & fugitiva omnis mundi gloria, euro citiùs efflat, ac dissparet, nec ulla remorari potest vi, scitè D. Chrysostomus. *Præsentis temporis gloria, & nulla est, & instabilis fluctuat, & si aliquamdiu remaneat, repentè tandem extinguitur.* Ab umbra haud dissentit vana mundi gloria, perinde enim, ac umbra, fugientes sequitur, & sequentes fugit. Et tamen licèt umbra sit futilis, & vana mundi gloria; hanc tamen illius appetentes nituntur fulgore virtutum illustrare, ut ipsi eam enacti splendeant; sed ipse virtutis splendor, hujus vitij turpitudinem luculentiùs prodit. 3. Genes. Adam, qui fortassis solus non fuisset in exitium iturus, per Sathanam, & fœminam, sine quibus vix magna inchoatur elades, extorris excluditur è paradiso; cùm enim invidia torqueret cacodæmonem tantæ Protoplastorum felicitatis in terra, serpentem animal præ cæteris astutum, & sagax ingressus, illum artibus sibi notis vocalem effecit: magis tamen ipse ex ejus gutture locuturus, quàm facturus anguem eloquentem.

Homil. 3. in epist. ad Timoth.

Induit igitur cacodæmon speciem serpentis: eúmque fortassis per paradisum incessu solitario Eva vagaretur, ac consisteret, ut eam animi libido pepulerat, ad arborem scientiæ boni, & mali; ibi adfuit, & serpens ramis circumvolutus, vel trunco, seu cauli, & tanquam homo hominem alloquitur; mirâ sermonis illecebrâ fœminæ benevolentiam sibi captat; virúsque pestiferæ cupiditatis excellendi, ac gloriam enanciscendi supra humanum fastigium suggerit, gustúmque, ac sapotem vetitæ arboris persuadet. Illecta mulier, & desiderio æstuans uberioris gloriæ pomum prohibitæ stirpis dentibus invadit, & unà cùm pomo, non sibi fictam gloriam enanciscitur, sed mortem deglutit: & confestim ad maritum advolans, vim pomis illis insitam suadet, & esum ipsum persuadet; & eodem temporis momento aperiri cœpti sunt oculi amborum, & qui antea suam non viderant vilitatem, nunc spoliati innocentiâ de corporis erubescunt nuditate. *Cùmque cognovissent se esse nudos, consuerunt folia ficus, & fecerunt sibi perizomata.* De mentito vetitæ arboris flore propriæ nuditatis, & erubescentiæ fructum vindemiârunt, & qui gloriam nitebantur supra humanum fastigium aucupari; nuditatis ignominiam ens&i sunt: adeò rapax est vanæ gloriolæ vitium, ut omnes surripiat Protoplastorum ornatus; adeò virulentum, ut omnes corrumpat virtutes, abigátque probos affectus, virus enim pestiferæ cupiditatis excellendi supra humanum fastigium, cùm primùm Protoplastos infecit ad divini præcepti transgressionem illexit; & simul in baratrum detrusit miseriarum: siquidem post pomi esum statim irrequieta legis membrorum rebellione, corpus amborum cœpit in spirituon caput attollere, ut nonnisi cum difficultate valuerit spiritus seditiosos utriusque portionis inferioris concupiscibilis, & irascibilis coërcere, affectus com-

62.

Genes. 3. v. 7.

## §. VII.

### *Est inanis gloria scopulus, in quem illisa virtus, vel naufraga perit; vel plurimum patitur detrimenti.*

58. Est inanis, & futilis gloria, immanis scopulus, ad quem, homines impingentes, vel naufragium, vel saltem plurimum inde patiuntur detrimenti: & rari sunt nautæ adeò periti, qui satis caveant, ne navis ad hunc illisa scopulum naufraga pereat. Versicolor est vana gloria, pluresque induit formas, ac diversa nomina, quibus suaviùs eblanditur, & lethaliùs vulnerat: idque causæ, cur moneat D. Basilius viros ascetas, ut hanc caveant blandulam sirenulam, quæ voce allicit, ut manu interficiat, ait D. Basilius. *Fugiamus dulcem spiritualium operum expoliatricem: jucundum animarum nostrarum hostem, tineam virtutum, blandissimam bonorum operum depradatricem, eandémque mellis illitu, veneni coloratricem:* vocat D. Basilius vanam gloriam dulcem spiritualium operum expoliatricem, quia deceptricem æmulatur Dalilam, quæ humanissimis blanditijs Samsonem viribus exuit, hostibúsque objecit. Est etiam ex sententia Basilij vana gloria, blandus, ac jucundus animæ hostis, quia eò gravius lædit, quò blandiùs delectat, & ut ait D. Cyprianus, dum extollit, emollit, & dum ungit, pungit. Virtutum dicitur tinea, quia sicut quò pretiosior est purpura, eò robustior in ea nascitur tinea, quæ suam lacerat genitricem, corrodit parentem: ita quò virtus est nobilior, eò ex ipsa nascitur gloria vanior, ac perniciosior, quæ mortem molitur suæ matri: oritur ex virtute futilis gloria ipsam enecatura fœdi matricidii rea, venenatæ haud abludens viperæ, quæ matrem enecat, à qua gignitur. Est etiam blandissima bonorum deprædatrix, quia si allicit, inficit; si delectat, enecat; si demulcet, jugulat; si erigit, deprimit; & si animum subit, omni suo virtutum ornatu spoliat. Demum est veneni coloratrix, quia satagunt omnes hoc venenum fucato alicujus virtutis colore pingere, ac tegere, quò fit, ut etiam viros sanctitate, ac pietate insignes hoc vitium nitatur pulsare: id quod in se ipso deploravit olim D. Gregorius Magnus Christianæ Religionis splendor, summarum virtutum cultor eximius, ecclesiæ oculus defœcatissimus, pietatis studiosus indefessus, qui non siccis oculis ait: *Dum ipsam subtiliter radicem meæ intentionis inspicio, Deo quidem ex ea me summopere placere voluisse cognosco, sed eidem intentioni, qua Deo placere studeo, furtim se nescio, quomodo intentio humana laudis interserit. Quòd cùm jam postmodum, tardéque discerno, invenio me aliter agere; quod scio me aliter inchoâsse.*

De coſtit. Mon. c. 11.

Lib. 35. Moral. cap. 16.

Idque fortâssis causæ, cur Jobus cum ab amicis argueretur iniquitatis, ob quam acerbiùs à Deo plecteretur, dixit. *Si justificare me voluero, os meum condemnabit me, si innocentem ostendero, pravum me comprobabit:* quasi diceret, si deficientibus patronis, Advocatis, & testibus velim meam tueri causam, seu me justificare in judicio, ac objectam mihi culpam eluere, meámque probare innocentiam, & evincere adversantium calumnias: *os meum*, seu mea defensio, & exculta oratio *condemnabit me, & pravum comprobabit:* scio plurimum desudare Interpretes, ut evincant, ac explicent, quomodo innocens, & irreprehensibilis Job, si velit suam innocentiam calumnijs impetitam, suámque vitam malè culpatam justificare, eadem justificatione, & proprij oris suffragio potuerit se damnare? Olympiodorus expendens præfata Jobi verba: *Si justificare me voluero, os meum condemnabit me:* ait: *Si enim me justum esse dicere audeam; id demum dicere puto esse impietatis. Quòd si illud etiam sim dicere ausus, omni me reprehensione vacare, mihíque ipse fuero eblanditus: hoc ipsum meam pravitatem coarguet, nec me rectum esse testabitur, quandoquidem, si justus eram, id ipsum silendum erat, neque enim se justus prædicat:* nimirum si voluisset Jobus propriam tueri innocentiam, quas excoluit ipse virtutes reticuisset, ne inde aliquid vanæ gloriolæ mentem subijsset, séque condemnâsset, ac redarguisset pravitatis, cùm suam tueri vellet innocentiam: adeò noxia est propria laus, ut etiam ad falsum crimen in defensionem propriæ innocentiæ excutiendum sordescat in ore proprio, & ornamentum excultæ virtutis devenustet, culpámque, quam non invenit, invehat. 59.

Cap. 9. v. 20.

Semel, quòd virtutis cultor suam deprædicat virtutem, suam arguit improbitatem; & dum objectam sibi culpam nititur diluere, eam contrahit: est enim vana gloria, quæ ex ipsa nascitur virtute, quam fœdat, & devenustat: hinc Jobus suam tenuit culpatam defendere innocentiam; ne cum innocentem se probaret, fieret tunc ipse nocens; & dum vellet objectæ sibi culpæ diluere labem, maculam contraheret vanæ gloriolæ, quâ suam corrumperet innocentiam, suæque virtutis infuscaret nitorem; satiùs est; probum in se esse, quàm probum apud alios videri, cùm hoc plerumque vitio non vacet vanæ gloriolæ; à quo fit immunis, qui contentus sua probitate, non curat, hane ab alijs approbari. Animi demissio, quâ virtutis cultor gaudet delitescere, tutior est virtutum custodia. 60.

Refertur in fabulis ab accipitre olim irrisum Trochilum avem scilicet litoralem, 61.

eò

eò quia cum colore sibi non sit absimilis, adeò tamen angusti sit pectoris, ut malit vermiculis, ac vilissimo pastu nutriri, quàm delicatioribus aliarum avium vesci carnibus. Cui Trochilus respondit, non est mi frater, quod tam hianti ore tibi adgratuleris de cibis delicatioribus, quos iniquum tibi aucupium parat: tu per aëra volitans, huc, illúcque discurris, aves aucupaturus, quos rostro, & ungue discerpis, & lanienam, vel in medio aëre agis, alieno sanguine tuam extinguis sitim, tuámque famem aliena cæde impiè exples: ego verò viliori mensa contentus longè lætiore, quàm tu, pace fruor: & erit fortassis, quod gulam tam delicatam debeas quandòque malè luere, téque ferio pœnitere tot cædium. Vaticinio Trochili respondit rei eventus; siquidem post paucarum dierum fluxum accipiter in ipso aucupio à Rusticello captus, cujus columbas insectabatur, more cæterorum, ex præalta turri in terrorem aliorum suspensus est; cúmque Trochilus illac pervolans pendulum fuisset furem intuitus, dixit; nonne verum tibi præsagivi mi frater, tutiùs vitæ tuæ consuluisses, si unà mecum vermiculos in prandium tibi aparâsses, & alienas aves non fuisses inlectatus, modo pendes cæterarum avium ludibrium. Ita dixerim, obtingere aucupi vanæ gloriæ, qui nonnisi rumusculos, laudes, ac præconia aucupatur: omne impendit studium, quò plausus, encomia, gratulationes, laudes, voculas allicientes, commendatiunculas venetur, quò auram sibi adblandientem depascatur; sed non est hæc gloria, quam ejusdem appetens quærit; non nitores, sed umbras, & quidem funereas consectatur gloriæ in proprium exitium. Tutiùs esset, Trochilum æmulari, ac vermibus victitare, illis scilicet, quos nobis sepulchrum exhibet, hos enim, si seriò cogitaremus, non alienas aves, seu futiles laudes, gloriámque inanem sectaremur, imò essent nobis contemptui, quia ut scitè D. Augustinus.

*Epist 32. ad Paulin.* *Melius est, vel de parvo Dei dono gratias ipsi agere, quàm sibi agi velle de magno.*

61. Cupiunt plures, & quidem decepti inanem haurire gloriam ex rebus præclarè gestis in bello, ex opibus diuturnâ solertiâ congestis; ex eruditione impenso labore parta, quæ tamen omnia citiùs evanescunt, quàm videantur elucescere, & cùm ipsis etiam humana gloria perit, & extinguitur; est enim hæc floris instar solstitialis, qui eùm oritur, moritur. Volatica est omnis laus; & fugitiva omnis mundi gloria, euro citiùs efflat, ac disparet, nec ulla remorari potest vi, scitè D.

*Homil. 3. in epist ad Timoth.* Chrysostomus. *Præsentis temporis gloria, & nulla est, & instabilis fluctuat, & si aliquamdiu remaneat, repentè tandem extinguitur.* Ab umbra haud dissentit vana mundi gloria, perinde enim, ac umbra, fugientes sequitur, & sequentes fugit. Et tamen licèt umbra sit futilis, & vana mundi gloria; hanc tamen illius appetentes nituntur fulgore virtutum illustrare, ut ipsi eam enacti splendeant; sed ipse virtutis splendor, hujus vitii turpitudinem luculentiùs prodit. 3. Genes. Adam, qui fortassis solus non fuisset in exitium iturus, per Sathanam, & fœminam, sine quibus vix magna inchoatur clades, extorris excluditur è paradiso; eùm enim invidia torqueret cacodœmonem tantæ Protoplastorum felicitatis in terra, serpentem animal præ cæteris astutum, & sagax ingressus, illum artibus sibi notis vocalem effecit: magis tamen ipse ex ejus gutture locuturus, quàm facturus anguem eloquentem.

Induit igitur cacodœmon speciem serpentis: cúmque fortassis per paradisum incessu solitario Eva vagaretur, ac consisteret, ut eam animi libido pepulerat, ad arborem scientiæ boni, & mali; ibi adfuit, & serpens ramis circumvolutus, vel trunco, seu cauli, & tanquam homo hominem alloquitur; mirâ sermonis illecebrâ fœminæ benevolentiam sibi captat; virúsque pestiferæ cupiditatis excellendi, ac gloriam enanciscendi supra humanum fastigium suggerit, gustúmque, ac saporem vetitæ arboris persuadet. Illecta mulier, & desiderio æstuans uberioris gloriæ pomum prohibitæ stirpis dentibus invadit, & unà cùm pomo, non sibi fictam gloriam enanciscitur, sed mortem deglutit: & confestim ad maritum advolans, vim pomis illis insitam suadet, & esum ipsum persuadet; & eodem temporis momento aperiri cœpti sunt oculi amborum, & qui antea suam non viderant vilitatem, nunc spoliati innocentiâ de corporis erubescunt nuditate. *Cúmque cognovissent se esse nudos, consuerunt folia ficus, & fecerunt sibi perizomata.* De memito vetitæ arboris flore propriæ nuditatis, & erubescentiæ fructum vindemiârunt, & qui gloriam nitebantur supra humanum fastigium aucupari, nuditatis ignominiam ensecti sunt: adeò rapax est vanæ gloriolæ vitium, ut omnes surripiat Protoplastorum ornatus; adeò virolentum, ut omnes corrumpas virtutes, abigátque probos affectus, virus enim pestiferæ cupiditatis excellendi supra humanum fastigium, cùm primùm Protoplastos infecit ad divini præcepti transgressionem illexit; & simul in baratrum detrusit miseriarum: siquidem post pomi esum statim irrequieta legis membrorum rebellione, corpus amborum cœpit in spiritum caput attollere, ut nonnisi cum difficultate valuerit spiritus seditiosos utrinsque portionis inferioris concupiscibilis, & irascibilis coërcere, affectus com- 62. *Genes. 3. v. 7.*

## §. VII.

*Est inanis gloria scopulus, in quem illisa virtus, vel naufraga perit; vel plurimum patitur detrimenti.*

58. EST inanis, & futilis gloria, immanis scopulus, ad quem, homines impingentes, vel naufragium, vel saltem plurimum inde patiuntur detrimenti: & rari sunt nautæ adeò periti, qui satis caveant, ne navis ad hanc illisa scopulum naufraga pereat. Versicolor est vana gloria, pluresque induit formas, ac diversa nomina, quibus suaviùs eblanditur, & lethaliùs vulnerat: idque causæ, cur moneat D. Basilius viros ascetas, ut hanc caveant blandulam sirenulam, quæ voce allicit, ut manu interficiat, ait D. Basilius. *Fugiamus dulcem spiritualium operum expoliatricem: jucundum animarum nostrarum hostem, tineam virtutum, blandissimam bonorum operum depradatricem, eandémque mellis illitu, veneni coloratricem:* vocat D. Basilius vanam gloriam dulcem spiritualium operum expoliatricem, quia deceptricem æmulatur Dalilam, quæ humanissimis blanditijs Samsonem viribus exuit, hostibúsque objecit. Est etiam ex sententia Basilij vana glotia, blandus, ac jucundus animæ hostis, quia eò gravius lædit, quò blandiùs delectat, & ut ait D. Cyprianus, dum extollit, emollit, & dum ungit, pungit. Virtutum dicitur tinea, quia sicut quò pretiosior est purpura, eò robustior in ea nascitur tinea, quæ suam lacerat genitricem, corrodit parentem: ita quò virtus est nobilior, eò ex ipsa nascitur gloria vanior, ac perniciosior, quæ mortem molitur suæ matri: oritur ex virtute futilis gloria ipsam enecatura fœdi matricidii rea, venenatæ haud abludens viperæ, quæ matrem enecat, à qua gignitur. Est etiam blandissima bonorum deprædatrix, quia si allicit, inficit; si delectat, enecat; si demulcet, jugulat; si erigit, deprimit; & si animum subit, omni suo virtutum ornatu spoliat. Demum est veneni coloratrix, quia satagunt omnes hoc venenum fucato alicujus virtutis colore pingere, ac tegere, quò fit, ut etiam viros sanctitate, ac pietate insignes hoc vitium nitatur pulsare: id quod in se ipso deploravit olim D. Gregorius Magnus Christianæ Religionis splendor, summarum virtutum cultor eximius, ecclesiæ oculus defœcatissimus, pietatis studiosus indefessus, qui non siccis oculis ait: *Dum ipsam subtiliter radicem meæ intentionis inspicio, Deo quidem ex ea me summopere placere voluisse cognosco, sed eidem intentioni, qua Deo placere studeo, furtim se nescio, quomodo intentio humana laudis interserit. Quòd cùm jam postmodum, tardéque discerno, invenio me aliter agere; quod scio me aliter inchoâsse.*

De constit. Mon. c. 11.

Lib. 35. Moral. cap. 16.

59. Idque fortâssis causæ, cur Jobus cum ab amicis argueretur iniquitatis, ob quam acerbiùs à Deo plecteretur, dixit. *Si justificare me voluero, os meum condemnabit me, si innocentem ostendero, pravum me comprobabit:* quasi diceret, si deficientibus patronis, Advocatis, & testibus velim meam tueri causam, seu me justificare in judicio, ac objectam mihi culpam eluere, meámque probare innocentiam, & evincere adversantium calumnias: *os meum*, seu mea defensio, & exculta oratio *condemnabit me, & pravum comprobabit:* scio plurimum desudare Interpretes, ut evincant, ac explicent, quomodo innocens, & irreprehensibilis Job, si velit suam innocentiam calumnijs impetitam, suámque vitam malè culpatam justificare, eadem justificatione, & proprij oris suffragio potuerit se damnare? Olympiodorus expendens præfata Jobi verba: *Si justificare me voluero, os meum condemnabit me:* ait: *Si enim me justum esse dicere audeam, id demum dicere puto esse impietatis. Quòd si illud etiam sim dicere ausus, omni me reprehensione vacare, mihíque ipse fuero eblanditus: hoc ipsum meam pravitatem coarguet, nec me rectum esse testabitur, quandoquidem, si justus eram, id ipsum silendum erat, neque enim se justus prædicat:* nimirum si voluisset Jobus propriam tueri innocentiam, quas excoluit ipse virtutes reticuisset, ne inde aliquid vanæ gloriolæ mentem subijsset, séque condemnâsset, ac redarguisset pravitatis, cùm suam tueri vellet innocentiam: adeò noxia est propria laus, ut etiam ad falsum crimen in defensionem propriæ innocentiæ excutiendum sordescat in ore proprio, & ornamentum excoltæ virtutis devenustet, culpámque, quam non invenit, invehat.

Cap. 9. v. 20.

60. Semel, quòd virtutis cultor suam deprædicat virtutem, suam arguit improbitatem; & dum objectam sibi culpam nititur diluere, eam contrahit: est enim vana gloria, quæ ex ipsa nascitur virtute, quam fœdat, & devenustat: hinc Jobus suam renuit culpatam defendere innocentiam; ne cum innocentem se probaret, fieret tunc ipse nocens; & dum vellet objectæ sibi culpæ diluere labem, maculam contraheret vanæ gloriolæ, quâ suam corrumperet innocentiam, suæque virtutis infuscaret nitorem; satiùs est; probum in se esse, quàm probum apud alios videri, cùm hoc plerumque vitio non vacet vanæ gloriolæ; à quo fit immunis, qui contentus sua probitare, non curat, hanc ab alijs approbari. Animi demissio, quâ virtutis cultor gaudet delitescere, tutior est virtutum custodia.

61. Refertur in fabulis ab accipitre olim irrisum Trochilum avem scilicet litoralem,

eò

eò quia cum colore sibi non sit absimilis, adeò tamen angusti sit pectoris, ut malit vermiculis, ac vilissimo pastu nutriri, quàm delicatioribus aliarum avium vesci carnibus. Cui Trochilus respondit, non est mi frater, quod tam hianti ore tibi adgratuleris de cibis delicatioribus, quos iniquum tibi aucupium parat: tu per aëra volitans, huc, illùcque discurris, aves aucupaturus, quos rostro, & ungue discerpis, & lanienam, vel in medio aëre agis, alieno sanguine tuam extingnis sitim, tuámque famem aliena cæde impiè exples: ego verò viliori mensa contentus longè lætiore, quàm tu, pace fruor: & erit fortassis, quod gulam tam delicatam debeas quandòque malè luere, téque serio pœnitere tot cædium. Vaticinio Trochili respondit rei eventus; siquidem post paucarum dierum fluxum accipiter in ipso aucupio à Rusticello captus, cujus columbas insectabatur, more cæterorum, ex præalta turri in terrorem aliorum suspensus est; cúmque Trochilus illac pervolans pendulum fuisset furem intuitus, dixit; nonne verum tibi præsagivi mi frater, tutiùs vitæ tuæ consuluisses, si unà meeum vermiculos in prandium tibi sparasses, & alienas aves non fuisses insectatos, modo pendes cæterarum avium ludibrium. Ita dixerim, obringere aucupi vanæ gloriæ, qui nonnisi rumusculos, laudes, ac præconia aucupatur: omne impendit studium, què plausus, encomia, gratulationes, laudes, voculas allicientes, commendatiunculas venetur, quò auram sibi adblandientem depascatur; sed non est hæc gloria, quam ejusdem appetens quærit; non nitores, sed umbras, & quidem funereas consectatur gloriæ in proprium exitium. Tutiùs esset, Trochilum æmulari, ac vermibus victitare, illis scilicet, quos nobis sepulchrum exhibet, hos enim, si seriò cogitaremus, non alienas aves, seu futiles laudes, gloriámque inanem sectaremur, imò essent nobis contemptui, quia ut scitè D. Augustinus. *Melius est, vel de parvo Dei dono gratias ipsi agere, quàm sibi agi velle de magno.*

Epist. 33. ad Paulin.

61. Cupiunt plures, & quidem decepti inanem haurire gloriam ex rebus præclarè gestis in bello, ex opibus diuturnâ solertiâ congestis; ex eruditione impenso labore parta, quæ tamen omnia citiùs evanescunt, quàm videantur elucescere, & cùm ipsis etiam humana gloria perit, & extinguitur; est enim hæc floris instar solstitialis, qui cùm oritur, moritur. Volatica est omnis laus; & fugitiva omnis mundi gloria, euro citiùs efflat, ac dispaгet, nec ulla remorari potest vi, scitè D. Chrysostomus. *Præsentis temporis gloria, & nulla est, & instabilis fluctuat, & si aliquamdiu remaneat, repentè tandem extinguitur.* Ab umbra haud dissentit vana mundi gloria, perinde enim, ac umbra, fugientes sequitur, & sequentes fugit. Et tamen licèt umbræ sit futilis, & vana mundi gloria; hanc tamen illius appetentes nituntur fulgore virtutum illustrare, ut ipsi eam enacti splendeant; sed ipse virtutis splendor, hujus vitij turpitudinem luculentiùs prodit. 3. Genes. Adam, qui fortassis solus non fuisset in exitium iturus, per Sathanam, & fœminam, sine quibus vix magna inchoatur clades, extorris excluditur è paradiso; eùm enim invidia torqueret cacodæmonem tantæ Protoplastorum felicitatis in terra, serpentem animal præ cæteris astutum, & sagax ingressus, illum artibus sibi notis vocalem effecit: magis tamen ipse ex ejus gutture locuturus, quàm facturus anguem eloquentem.

Homil. 3. in epist. ad Timoth.

62. Induit igitur cacodæmon speciem serpentis: eúmque fortassis per paradisum incessu solitario Eva vagaretur, ac consisteret, ut eam animi libido pepulerat, ad arborem scientiæ boni, & mali; ibi adfuit, & serpens ramis circumvolutus, vel trunco, seu cauli, & tanquam homo hominem alloquitur; mirâ sermonis illecebrâ fœminæ benevolentiam sibi captat; virúsque pestiferæ cupiditatis excellendi, ac gloriam enanciscendi supra humanum fastigium suggerit, gustúmque, ac saporem vetitæ arboris persuadet. Illecta mulier, & desiderio æstuans uberioris gloriæ pomum prohibitæ stirpis dentibus invadit, & unà cùm pomo, non sibi fictam gloriam enanciscitur, sed mortem deglutit: & confestim ad maritum advolans, vim pomis illis insitam suadet, & esum ipsum persuadet; & eodem temporis momento aperiri cœpti sunt oculi amborum, & qui antea suam non viderant vilitatem, nunc spoliati innocentiâ de corporis erubescunt nuditate. *Cúmque cognovissent se esse nudos, consuerunt folia ficus, & fecerunt sibi perizomata.* De mentito vetitæ arboris flore propriæ nuditatis, & erubescentiæ fructum vindemiârunt, & qui gloriam nitebantur supra humanum fastigium aucupari, nuditatis ignominiam ensecti sunt: adeò rapax est vanæ gloriolæ vitium, ut omnes surripiat Protoplastorum ornatus; adeò virulentum, ut omnes corrumpat virtutes, abigátque probos affectus, virus enim pestiferæ cupiditatis excellendi supra humanum fastigium, cùm primùm Protoplastos infecit ad divini præcepti transgressionem illexit; & simul in baratrum detrusit miseriarum: siquidem post pomi esum statim irrequieta legis membrorum rebellione, corpus amborum cœpit in spiritum caput attollere, ut nonnisi cum difficultate valuerit spiritus seditiosos utrinsque portionis inferioris concupiscibilis, & irascibilis coërcere, affectus compe-

Genes. 3. v. 7.

## §. VII.

### *Est inanis gloria scopulus, in quem illisa virtus, vel naufraga perit; vel plurimum patitur detrimenti.*

58. Est inanis, & futilis gloria, immanis scopulus, ad quem, homines impingentes, vel naufragium, vel saltem plurimum inde patiuntur detrimenti: & rari sunt nautæ adeò periti, qui satis caveant, ne navis ad hunc illisa scopulum naufraga pereat. Versicolor est vana gloria, pluresque induit formas, ac diversa nomina, quibus suaviùs eblanditur, & lethaliùs vulnerat: idque causæ, cur moneat D. Basilius viros ascetas, ut hanc caveant blandulam sirenulam, quæ voce allicit, ut manu interficiat, ait D. Basilius. *Fugiamus dulcem spiritualium operum expoliatricem: jucundum animarum nostrarum hostem, tineam virtutum, blandissimam bonorum operum deprædatricem, eandémque mellis illitu, veneni coloratricem:* vocat D. Basilius vanam gloriam dulcem spiritualium operum expoliatricem, quia deceptricem æmolatur Dalilam, quæ humanissimis blanditijs Samsonem viribus exuit, hostibúsque objecit. Est etiam ex sententia Basilij vana gloria, blandus, ac jucundus animæ hostis, quia eò graviùs lædit, quò blandiùs delectat, & ut ait D. Cyprianus, dum extollit, emollit, & dum ungit, pungit. Virtutum dicitur tinea, quia sicut quò pretiosior est purpura, eò robustior in ea nascitur tinea, quæ suam lacerat genitricem, corrodit parentem: ita quò virtus est nobilior, eò ex ipsa nascitur gloria vanior, ac perniciosior, quæ mortem molitur suæ matri: oritur ex virtute futilis gloria ipsam enecatura fœdi matricidii rea, venenatæ haud abludens viperæ, quæ matrem enecat, à qua gignitur. Est etiam blandissima bonorum deprædatrix, quia si allicit, inficit; si delectat, enecat; si demulcet, jugulat; si erigit, deprimit; & si animum subit, omni suo virtutum ornatu spoliat. Demum est veneni coloratrix, quia satagunt omnes hoc venenum fucato alicujus virtutis colore pingere, ac tegere, quò fit, ut etiam viros sanctitate, ac pietate insignes hoc vitium nitatur pulsare: id quod in se ipso deploravit olim D. Gregorius Magnus Christianæ Religionis splendor, summarum virtutum cultor eximius, ecclesiæ oculus defœcatissimus, pietatis studiosus indefessus, qui non secius culis ait: *Dum ipsam subtiliter radicem mea intentionis inspicio, Deo quidem ex ea me summopere placere voluisse cognosco, sed eidem intentioni, qua Deo placere studeo, furtim se nescio, quomodo intentio humana laudis interserit. Quòd cùm jam postmodum, tardéque discerno, invenio me aliter agere; quod scio me aliter inchoasse.*

De coslit. Mon. c. 11.

Lib. 35. Moral. cap. 16.

59. Idque fortassis causæ, cur Jobus cum ab amicis argueretur iniquitatis, ob quam acerbiùs à Deo plecteretur, dixit. *Si justificare me voluero, os meum condemnabit me, si innocentem ostendero, pravum me comprobabit:* quasi diceret, si deficientibus patronis, Advocatis, & testibus velim meam tueri causam, seu me justificare in judicio, ac objectam mihi culpam eluere, meámque probare innocentiam, & evincere adversantium calumnias: *os meum*, seu mea defensio, & exculta oratio *condemnabit me, & pravum comprobabit:* scio plurimum desudare Interpretes, ut evincant, ac explicent, quomodo innocens, & irreprehensibilis Job, si velit suam innocentiam calumnijs impetitam, suámque vitam malè culpatam justificare, eadem justificatione, & proprij oris suffragio potuerit se damnare? Olympiodorus expendens præfata Jobi verba: *Si justificare me voluero, os meum condemnabit me:* ait: *Si enim me justum esse dicere audeam, id demum dicere puto esse impietatis. Quòd si illud etiam sim dicere ausus, omni me reprehensione vacare, mihique ipse fuero eblanditus: hoc ipsum meam pravitatem coarguet, nec me rectum esse testabitur, quandoquidem, si justus eram, id ipsum silendum erat, neque enim se justus prædicat:* nimirum si voluisset Jobus propriam tueri innocentiam, quas excoluit ipse virtutes reticuisset, ne inde aliquid vanæ gloriolæ mentem subijsset, séque condemnasset, ac redarguisset pravitatis, cùm suam tueri vellet innocentiam: adeò noxia est propria laus, ut etiam ad falsum crimen in defensionem propriæ innocentiæ excutiendum sordescat in ore proprio, & ornamentum excultæ virtutis devenustet, culpámque, quam non invenit, invehat.

Cap. 9. v. 20.

Semel, quòd virtutis cultor suam deprædicat virtutem, suam arguit improbitatem; & dum objectam sibi culpam nititur diluere, eam contrahit: est enim vana gloria, quæ ex ipsa nascitur virtute, quam fœdat, & devenustat: hinc Jobus suam renuit culpatam defendere innocentiam; ne cum innocentem se probaret, fieret tunc ipse nocens; & dum vellet objectæ sibi culpæ diluere labem, maculam contraheret vanæ gloriolæ, quâ suam corrumperet innocentiam, suæque virtutis infuscaret nitorem; satiùs est; probum in se esse, quàm probum apud alios videri, cùm hoc plerumque vitio non vacet vanæ gloriolæ; à quo sit immunis, qui contentus sua probitate, non curat, hanc ab alijs approbari. Animi demissio, quâ virtutis cultor gaudet delitescere, tutior est virtutum custodia. 60.

Refertur in fabulis ab accipitre olim irrisum Trochilum avem scilicet litoralem, 61.

eò

eò quia cum colore sibi non sit absimilis, adeò tamen angusti sit pectoris, ut malit vermiculis, ac vilissimo pastu nutriri, quàm delicatioribus aliarum avium vesci carnibus. Cui Trochilus respondit, non est mi frater, quod tam hianti ore tibi adgratuleris de cibis delicatioribus, quos iniquum tibi aucupium parat: tu per aëra volitans, huc, illácque discurris, aves aucupaturus, quos rostro, & ungue discerpis, & lanienam, vel in medio aëre agis, alieno sanguine tuam extinguis sitim, tuámque famem aliena cæde impiè exples: ego verò viliori mensa contentus longè lætiore, quàm tu, pace fruor: & erit fortassis, quod gulam tam delicatam debeas quandóque malè luere, téque serio pœnitere tot cædium. Vaticinio Trochili respondit rei eventus; siquidem post paucarum dierum fluxum accipiter in ipso aucupio à Rusticello captus, cujus columbas infectabatur, more cæterorum, ex præalta turri in terrorem aliorum suspensus est; cúmque Trochilus illac pervolans pendulum fuisset furem intuitus, dixit; nonne verum tibi præsagivi mi frater, tutiùs vitæ tuæ consuluisses, si unà mecum vermiculos in prandium tibi apparâsses, & alienas aves non fuisses infectatus, modo pendes cæterarum avium ludibrium. Ita dixerim, obtingere aucupi vanæ gloriæ, qui nonnisi rumusculos, laudes, ac præconia aucupatur: omne impendit studium, què plausus, encomia, gratulationes, laudes, voculas allicientes, commendatiunculas venetur, quò auram sibi adblandientem depascatur; sed non est hæc gloria, quam ejusdem appetens quærit; non nitores, sed umbras, & quidem funereas consectatur gloriæ in proprium exitium. Tutiùs esset, Trochilum æmulari, ac vermibus victitare, illis scilicet, quos nobis sepulchrum exhibet, hos enim, si seriò cogitaremus, non alienas aves, seu futiles laudes, gloriámque inanem sectaremur, imò essent nobis contemptui, quia ut scitè D. Augustinus, *Melius est, vel de parvo Dei dono gratias ipsi agere, quàm sibi agi velle de magno.* Epist. 35. ad Paulin.

61. Cupiunt plures, & quidem decepti inanem haurire gloriam ex rebus præclarè gestis in bello, ex opibus diuturnâ solertiâ congestis; ex eruditione impenso labore parta, quæ tamen omnia citiùs evanescunt, quàm videantur elucescere, & cùm ipsis etiam humana gloria perit, & extinguitur; est enim hæc floris instar solstitialis, qui cùm oritur, moritur. Volatica est omnis laus; & fugitiva omnis mundi gloria, euro citiùs efflat, ac disparet, nec ulla remorari potest vi, scitè D. Chrysostomus. *Præsentis temporis gloria, & nulla est, & instabilis fluctuat, & si aliquamdiu remaneat, repentè tandem extinguitur.* Homil. 3. in epist. ad Timoth. Ab umbra haud dissentit vana mundi gloria, perinde enim, ac umbra, fugientes sequitur, & sequentes fugit. Et tamen licèt umbra sit futilis, & vana mundi gloria; hanc tamen illius appetentes nituntur fulgore virtutum illustrare, ut ipsi eam enacti splendeant; sed ipse virtutis splendor, hujus vitij turpitudinem luculentiùs prodit. 3. Genes. Adam, qui fortassis solus non fuisset in exitium iturus, per Sathanam, & fœminam, sine quibus vix magna inchoatur clades, extorris excluditur è paradiso; cùm enim invidia torqueret cacodœmonem tantæ Protoplastorum felicitatis in terra, serpentem animal præ cæteris astutum, & sagax ingressus, illum artibus sibi notis vocalem effecit: magis tamen ipse ex ejus gutture locuturus, quàm facturus anguem eloquentem.

62. Induit igitur cacodœmon speciem serpentis: cúmque fortassis per paradisum incessu solitario Eva vagaretur, ac consisteret, ut eam animi libido pepulerat, ad arborem scientiæ boni, & mali; ibi adfuit, & serpens ramis circumvolutus, vel trunco, seu canli, & tanquam homo hominem alloquitur; mirâ sermonis illecebrâ fœminæ benevolentiam sibi captat; virúsque pestiferæ cupiditatis excellendi, ac gloriam enanciscendi supra humanam fastigium suggerit, gustúmque, ac saporem vetitæ arboris persuadet. Illecta mulier, & desiderio æstuans uberioris gloriæ pomum prohibitæ stirpis dentibus invadit, & unà cùm pomo, non sibi fictam gloriam enanciscitur, sed mortem deglutit: & confestim ad maritum advolans, vim pomis illis insitam suadet, & esum ipsum persuadet; & eodem temporis momento aperiri cœpti sunt oculi amborum, & qui antea suam non viderant vilitatem, nunc spoliati innocentiâ de corporis erubescunt nuditate. *Cùmque cognovissent se esse nudos, consuerunt folia ficus, & fecerunt sibi perizomata.* Genes. 3. v. 7. De mentito vetitæ arboris flore propriæ nuditatis, & erubescentiæ fructum vindemiârunt, & qui gloriam nitebantur supra humanum fastigium aucupari; nuditatis ignominiam enacti sunt: adeò rapax est vanæ gloriolæ vitium, ut omnes surripiat Protoplastorum ornatus; adeò virulentum, ut omnes corrumpat virtutes, abigátque probos affectus, virus enim pestiferæ cupiditatis excellendi supra humanum fastigium, cùm primùm Protoplastos infecit ad divini præcepti transgressionem illexit; & simul in baratrum detrusit miseriarum; siquidem post pomi esum statim irrequieta legis membrorum rebellione, corpus amborum cœpit in spiritum caput attollere, ut nonnisi cum difficultate valuerit spiritus seditiosos utriusque portionis inferioris concupiscibilis, & irascibilis coërcere, affectus com-

## §. VII.

*Est inanis gloria scopulus, in quem illisa virtus, vel naufraga perit; vel plurimum patitur detrimenti.*

58. Est inanis, & futilis gloria, immanis scopulus, ad quem, homines impingentes, vel naufragium, vel saltem plurimum inde patiuntur detrimenti: & rari sunt nautæ adeò periti, qui satis caveant, ne navis ad hunc illisa scopulum naufraga pereat. Versicolor est vana gloria, plurésque induit formas, ac diversa nomina, quibus suaviùs eblanditur, & lethaliùs vulnerat: idque causæ, cur monent D. Basilius viros ascetas, ut hanc caveant blandulam sirenulam, quæ voce alliciat, ut manu interficiat, ait D. Basilius. *Fugiamus dulcem spiritualium operum expoliatricem; jucundum animarum nostrarum hostem, tineam virtutum, blandissimam bonorum operum depradatricem, eandémque mellis illitu, veneni coloratricem:* vocat D. Basilius vanam gloriam dulcem spiritualium operum expoliatricem, quia deceptricem æmulatur Dalilam, quæ humanissimis blanditijs Samsonem viribus exuit, hostibúsque objecit. Est etiam ex sententia Basilij vana gloria, blandus, ac jucundus animæ hostis, quia eò graviùs lædit, quò blandiùs delectat, & ut ait D. Cyprianus, dum extollit, emollit, & dum ungit, pungit. Virtutum dicitur tinea, quia sicut quò pretiosior est purpura, eò robustior in ea nascitur tinea, quæ suam lacerat genitricem, corrodit parentem: ita quò virtus est nobilior, eò ex ipsa nascitur gloria vanior, ac perniciosior, quæ mortem molitur suæ matri: oritur ex virtute futilis gloria ipsam enecatura fœdi matricidii rea, venenatæ haud abludens viperæ, quæ matrem enecat, à qua gignitur. Est etiam blandissima bonorum deprædatrix, quia si allicit, inficit; si delectat, enecat; si demulcet, jugulat; si erigit, deprimit; & si animum subit, omni suo virtutum ornatu spoliat. Demum est veneni coloratrix, quia satagunt omnes hoc venenum fucato alicujus virtutis colore pingere, ac tegere, quò fit, ut etiam viros sanctitate, ac pietate insignes hoc vitium nitatur pulsare: id quod in se ipso deploravit olim D. Gregorius Magnus Christianæ Religionis splendor, summarum virtutum cultor eximius, ecclesiæ oculus defœcatissimus, pietatis studiosus indefessus, qui non siccis oculis ait: *Dum ipsam subtiliter radicem mea intentionis inspicio, Deo quidem ex ea me summopere placere voluisse cognosco, sed eidem intentioni, qua Deo placere studeo, furtim se nescio, quomodo intentio humana laudis interserit. Quòd eùm jam postmodum, tardéque discerno, invenio me aliter agere; quod scio me aliter inchoasse.*

De coslit. Mon. c. 11

Lib. 35. Moral. cap. 16.

Idque fortàssis causæ, cur Jobus cum ab amicis argueretur iniquitatis, ob quam acerbiùs à Deo plecteretur, dixit. *Si justificare me voluero, os meum condemnabit me, si innocentem ostendero, pravum me comprobabit:* quasi diceret, si deficientibus patronis, Advocatis, & testibus velim meam tueri causam, seu me justificare in judicio, ac objectam mihi culpam eluere, meámque probare innocentiam, & evincere adversantium calumnias: *os meum*, seu mea defensio, & exculta oratio *condemnabit me, & pravum comprobabit*: scio plurimum desudare Interpretes, ut evincant, ac explicent, quomodo innocens, & irreprehensibilis Job, si velit suam innocentiam calumnijs impetitam, suámque vitam malè culpatam justificare, eadem justificatione, & proprij oris suffragio potuerit se damnare? Olympiodorus expendens præfata Jobi verba: *Si justificare me voluero, os meum condemnabit me:* ait: *Si enim me justum esse dicere audeam; id demum durere puto esse impietatis. Quòd si illud etiam fim dicere ausus, omni me reprehensione vacare, mihíque ipse fuero eblanditus: hoc ipsum meam pravitatem coarguet, nec me rectum esse testabitur, quandoquidem, si justus eram, id ipsum silendum erat, neque enim se justus prædicat:* nimirum si voluisset Jobus propriam tueri innocentiam, quas excoluit ipse virtutes reticuisset, ne inde aliquid vanæ gloriolæ mentem subijsset, séque condemnâsset, ac redarguisset pravitatis, cùm suam tueri vellet innocentiam: adeò noxia est propria laus, ut etiam ad falsum crimen in defensionem propriæ innocentiæ excutiendum sordescat in ore proprio, & ornamentum excultæ virtutis devenustet, culpámque, quam non invenit, invehat. 59. Cap. 9. v. 20.

Semel, quòd virtutis cultor suam deprædicat virtutem, suam arguit improbitatem; 60.
& dum objectam sibi culpam nititur diluere, eam contrahit: est enim vana gloria, quæ ex ipsa nascitur virtute, quam fœdat, & devenustat: hinc Jobus suam renuit culpatam defendere innocentiam; ne cum innocentem se probarer, fieret tunc ipse nocens; & dum vellet objectæ sibi culpæ diluere labem, maculam contraheret vanæ gloriolæ, quâ suam corrumperet innocentiam, suæque virtutis infuscaret nitorem; satiùs est; probum in se esse, quàm probum apud alios videri, cùm hoc plerumque vitio non vacet vanæ gloriolæ; à quo fit immunis, qui contentus sua probitate, non curat, hanc ab alijs approbari. Animi demissio, quâ virtutis cultor gaudet delitescere, tutior est virtutum custodia.

Refertur in fabulis ab accipitre olim irrisum Trochilum avem scilicet litoralem, 61.
eò

eò quia cum colore sibi non sit absimilis, adeò tamen angusti sit pectoris, ut malit vermiculis, ac vilissimo pastu nutriri, quàm delicatioribus aliarum avium vesci carnibus. Cui Trochilus respondit, non est mi frater, quod tam hianti ore tibi adgratuleris de cibis delicatioribus, quos iniquum tibi aucupium parat: tu per aëra volitans, huc, illócque discurris, aves aocopaturus, quos rostro, & ungue discerpis, & lanienam, vel in medio aëra agis, alieno sanguine tuam extinguis sitim, tuámque famem aliena cæde impiè exples: ego verò viliori mensa contentus longè lætiore, quàm tu, pace fruor: & erit fortassis, quod gulam tam delicatam debeas quandòque malè luere, téque serio pœnitere tot cædium. Vaticinio Trochili respondit rei eventus; siquidem post paucarum dierum fluxum accipiter in ipso aucupio à Rusticello captus, cujus columbas insectabatur, more cæterorum, ex præalta turri in terrorem aliorum suspensus est; cúmque Trochilus illac pervolans pendulum fuisset furem intuitus, dixit; nonne verum tibi præsagivi mi frater, tutiùs vitæ tuæ consuluisses, si unà mecum vermiculos in prandium tibi parâsses, & alienas aves non fuisses insectatos, modo pendes cæterarum avium ludibrium. Ita dixerim, obtingere aucupi vanæ gloriæ, qui nonnisi rumusculos, laudes, ac praeconia aucupatur: omne impendit studium, què plausus, encomia, gratulationes, laudes, voculas allicientes, commendatiunculas venetur, què auram sibi adblandientem depascatur; sed non est hæc gloria, quam ejusdem appetens quærit; non nitores, sed ombras, & quidem funereas consectatur gloriæ in proprium exitium. Totiùs esset, Trochilum æmulari, ac vermibus victitare, illis scilicet, quos nobis sepulchrum exhibet, hos enim, si seriò cogitaremus, non alienas aves, seu futiles laudes, gloriámque inanem sectaremur, imò essent nobis contemptui, quia ut scitè D. Augustinus.
Epist. 32. ad Paulin. *Melius est, vel de parvo Dei dono gratias ipsi agere, quàm sibi agi velle de magno.*

61. Cupiunt plures, & quidem decepti inanem haurire gloriam ex rebus præclarè gestis in bello, ex opibus diuturnâ solertiâ congestis; ex eruditione impenso labore parta, quæ tamen omnia citiùs evanescunt, quàm videantur elucescere, & cùm ipsis etiam humana gloria perit, & extinguitur; est enim hæc floris instar solstitialis, qui eùm oritur, moritur. Volatica est omnis laus; & fugitiva omnis mundi gloria, euro citiùs efflat, ac dispaeret, nec ulla remorari potest vi, scitè D.
Homil. 3. in epist. ad Timoth. Chrysostomus. *Præsentis temporis gloria, & nulla est, & instabilis fluctuat, & si aliquamdiu remaneat, repentè tandem extinguitur.* Ab umbra haud dissentit vana mundi gloria, perinde enim, ac umbra, fugientes sequitur, & sequentes fugit. Et tamen licèt umbra sit futilis, & vana mundi gloria; hanc tamen illius appetentes nituntur fulgore virtutum illustrare, ut ipsi eam ensecti splendeant; sed ipse virtutis splendor, hujus vitij turpitudinem luculentiùs prodit. 3. Genes. Adam, qui fortassis solus non fuisset in exitium iturus, per Sathanam, & fœminam, sine quibus vix magna inchoatur clades, extorris excluditur è paradiso; cùm enim invidia torqueret cacodæmonem tantæ Protoplastorum felicitatis in terra, serpentem animal præ cæteris astutum, & sagax ingressus, illum artibus sibi notis vocalem effecit: magis tamen ipse ex ejus gutture locuturus, quàm facturus anguem eloquentem.

Induit igitur cacodæmon speciem serpentis: 62.
cúmque fortassis per paradisum incessu solitario Eva vagaretur, ac consisteret, ut eam animi libido pepulerat, ad arborem scientiæ boni, & mali; ibi adfuit, & serpens ramis circomvolutus, vel trunco, seu cauli, & tanquam homo hominem alloquitor; mirâ sermonis illecebrâ fœminæ benevolentiam sibi captat; virúsque pestiferæ cupiditatis excellendi, ac gloriam enanciscendi supra humanum fastigium suggerit, gustúmque, ac saporem vetitæ arboris persuadet. Illecta mulier, & desiderio æstuans uberioris gloriæ pomum prohibitæ stirpis dentibus invadit, & unà cùm pomo, non sibi fictam gloriam enanciscitur, sed mortem deglutit: & confestim ad maritum advolans, vim pomis illis insitam suadet, & esum ipsum persuadet; & eodem temporis momento aperiri cœpti sunt oculi amborum, & qui antea suam non viderant vilitatem, nunc spoliati innocentiâ de corporis erubescunt nuditate. *Cúmque cognovissent* Genes. 3. v. 7.
*se esse nudos, consuerunt folia ficus, & fecerunt sibi perizomata.* De mentito vetitæ arboris flore propriæ nuditatis, & erubescentiæ fructum vindemiârunt, & qui gloriam nitebantur supra humanum fastigium aucupari; nuditatis ignominiam ensecti sunt: adeò rapax est vanæ gloriolæ vitium, ut omnes surripiat Protoplastorum ornatus; adeò virulentum, ut omnes corrumpat virtutes, abigátque probos affectus, virus enim pestiferæ cupiditatis excellendi supra humanum fastigium, cùm primùm Protoplastos infecit ad divini præcepti transgressionem illexit; & simul in baratrum detrusit miseriarum: siquidem post pomi esum statim irrequieta legis membrorum rebellione, corpus amborum cœpit in spiritum caput attollere, ut nonnisi cum difficultate valuerit spiritus seditiosos utriusque portionis inferioris concupiscibilis, & irascibilis coërcere, affectus com-

pescere, motus coërcere; præ cæteris eos fuit aggressus furor erubescendæ libidinis, cujus ipsi turbulento sensu cœperunt exagitari, & paribus oculorum dejectibus, vultuúmque confusione erubescere. In arbustum igitur densius ambo illicò concessêre verecundiæ suæ lucem, & luci verecundiam suam subducturi, sibique subligaria frondea de connexis ficuum folijs consuerunt: sed quid, quòd ex frondibus arboris, de qua, vel circa quam deliquerunt, nuditatem, & erubescentiam delicti proditricem ambiunt dissimulare? Pulchrè ad rem nostram Basilius Seleociensis. *Consuerunt folia ficus: Ipsi nudati nudant arbores, circa arborem prævaricati, ab arbore tegumentum mutuantur.* An non consilium hocce fuit, quod de inconsulta prodijc ambitione? de arbore circa quam prævaricati sunt, tegumentum consuunt, quo nuditatem indicem prævaricationis vestiant, sed ipsa vestis dum investem erubescentiam festinat abscondere; investitæ erubescentiæ, & spoliatæ nuditatis causam prævaricatricem manifestè prodit; & ipso vestitu denudat: in hac enim veste velnti in translucido velo se prodit vitium vanæ gloriæ, quod Protoparentes omnibus spoliavit ornamentis, ut propriam erubescentes nuditatem, eam obtegere ficus folijs satagerent; nempe arrepta præproperè frondea vestis vanam gloriam, quæ protoparentes è paradiso egit extorres, non tegit, sed prodit; oon occultat, sed manifestat; non excusat, sed accusat: *circa arborem prævaricati de arbore nuda erubescentia tegumentum mutuantur.* Orat. 3.

61. Sed cur Protoplasti ob unicum pomum malè admorsum supplicio tam gtavi afficiuntor, ut non solùm extorres è paradisi excludantur delicijs; verùm etiam omnibus spolientur ornamentis virtutum, è statu eijciantur innocentiæ, & ærumnis doloribus, miserijs, infirmitatibus, & morti non solùm fiant ipsi obnoxij, verùm & omnes eorum posteri? Quis vel Diocletianus, vel Phalaris, aut alius Tyrannorum sævissimus ob pauculas ficus, vel unicum pomum plura centena millia hominum morte damnaverit? cur igitur Deus, cujus natura est bonitas, cujus voluntas est salus hominum, totum humanum genus ob malum unum malè admorsum, morti, & quidem æternæ, voluerit damnare? cur ob unam duntaxat arbusculam non radicitùs è solo exeisam, non coma foliorum, nec pomorum omnium divitijs privatam, sed unico tantùm pomo, tam graviter totum punitur genus humanum? quòd Deus primis parentibus inhibuerit, ne de ligno comederent scientiæ boni, & mali, *præceptum,* ait Theodoretus, *puerile potiùs, quàm virile potuit videri, ac infantibus magis conveniens, quàm viris*, cur igitur tam diuturna severitate, ac severa pœnâ, plectuntur primi homines ob transgressum puerile præceptum? Id causæ fuit, quia, cùm præceptum fuerit observatu facillimum, & Protoplastis injunctum ad refricandam memoriam subjectionis, quâ tenebantur eorum Conditori obsequi, adhue ausi fuerint præceptum hoc transgredi, quod vel à pueris facilè potuisset servari; cùm non deessent aliæ arbores fructibus fœtæ, nec deessent omnia alia pomorum genera, quibus potuissent gustui satisfacere: si grandia Deus, ac difficilia Protoparentibus imperâsset, utique habuissent, quò culpam purgâssent; sed cùm illis plena esset libertas in omnes alias amœnissimi paradisi arbores unicâ exceptâ; ideo fuit transgressio intolerabilis, ac dignissima tanto supplicio. Ex quo conijcitur, quantum eos detestetur Deus, qui gloriam, quam sibi uni vult deberi, audent usurpare: tametsi dicatur Deus odisse omnes vitiosos, superbis tamen, & suam sibi volentibus gloriam arrogare validè resistit, quapropter pravus iste affectus ad gloriam sibi indebitè usurpandam, debet omninò coërceri, ac jugulari; est enim vana gloria, ut loquitur D. Chrysostomus. *Sæva bellua, horrendus dæmon, pestis orbis terræ, venenata vipera.* Serm. 10. de Provident.

Homil. 11. in epist. ad Corinth.

Rectè vana gloria vipera dicitur venenata, quia sicut vipera unguibus uterum matris discerpit, ita & vana gloria parentem lacerat: solet hoc vitium è virtute prodire, fitque propterea deformis, ac turpissimus filius venustissimæ matris; sed sicut vipera mater dum parit, perit; ita & virtus tunc devenustatur, & totam suam deperdit honestatem, quando ab ipsa prodit vana gloria, quam generat. Imò adeò intumescit vana gloria, ut suos genitores velit sibi famulari. D. Augustinus refert, priscos Philosophos in prægrandi tabula pinxisse sedentem in sublimi solio Voluptatem delicijs omnibus diffluentem; ita tamen ut utrinque starent nobilissimæ virgines veluti ancillæ paratæ, & expeditæ ad quemlibet herilem nutum: erant ancillantes puellæ ipsæ virtutes, qoas proterva hera variis jogiter defatigabat imperijs, & in suo famulitio egregiè vexabat. Profectò non voluptatem pinxissem in throno illo sedentem, sed vanam gloriam substituissem imperantem, huic enim virtutes omnes videntur ancillari: nil plerúmque videtur prævidere prudentia, nil distribuere justitia, nil ferre patientia, nil tolerare fortitudo, nil moderari temperantia, nisi quod è vana gloria ipsis suggeritur: quisque enim ut plurimum studio virtutum vanam nititur gloriolam aucupari, Lib. 5. de Civit. cap. 20.

Adeò

65. Adeò potens est cenodoxia, ut ejus imperio virtutes omnes obsequantur, adeo ut sub vanæ gloriæ dulce imperium videantur omnia fluere; sed qui virtutes impenso labore excolunt exteriùs, quò vanæ gloriæ famulentur, non aliam proprij famulitij mercedem recipiunt, quàm vacuam vanæ gloriæ umbram, de hisce enim loquens Christus ait: *Amen dico vobis receperunt mercedem suam.* Plura fuerunt, & quidem præclara, quæ prisci Romani gesserunt æquè gladio, ac calamo; sed quia cenodoxiæ inservierunt, non aliam receperunt ipsi mercedem, quàm larvatæ gloriæ umbratilem laudem, ait Augustinus: *Honor, & gloria, quâ Deos Romanos fecit illustrissimos, merces fuit bonorum operum, quæ egerant, nec est, quod de summi, & veri DEI justitia conquerantur.* Laudata fuit eorum justitia, commendata prudentia, celebrata clementia, illustrata temperantia, & fortitudo pluribus donata encomijs, sed quia in hisce virtutibus exercendis vanæ fuerunt famulati gloriæ, quam ambierunt, ideo non aliam receperunt inde mercedem, quàm larvatæ gloriolæ inanem umbram. Quòd Cainus per invidiam, Abiron per superbiam, Zambri per luxuriam, Judas per avaritiam, Evangelicus Epulo per gulam, Virgines fatuæ per socordiam ad inferos ruerint, non videtur id mirum, cùm sensui, & concupiscentiæ indulserint: sed mirum sanè est, quòd non pauci per preces, quas fundunt; per Ecclesias, quas frequentant; per divina, & sacra, quibus intersunt; per eleemosynas, quas largiuntur; per officia charitatis, quæ exercent; & per labores plurimos, quos subeunt, sibi ad gehennam viam sternant. Est enim *inanis gloria*, ut ait Climachus: *laborum dissipatio, sudorum perditio, thesaurorum insidia, perfidia alumna, superbia præcursor, in portu naufragium.*

Matth. cap. 6. v. 2.

Lib. 5 de civit. cap. 5.

Grad. 21. de cenod.

66. Excutiamus igitur hunc vanæ gloriæ fumum aptum duntaxat lachrymis eliciendis, & ornamentis virtutum devenustandis; abigamus hanc tineam vanæ gloriæ, quæ mentem subiens animi divitias corrodit, & quidquid pretiosi est, corrumpit. Etenim vana gloria, ut ait S. Petrus Chrysologus: *Subtile malum est, secretum virus, venenum latens, virtutum fucus, tinea sanctitatis. Adversa omnia nituntur suis viribus, armis suis pugnant, impugnant palam: unde & caventur tam facilè, quàm videntur: hæc tamen crudeli arte virtutes truncat mucrone virtutum, jejunium jejunio perimit, orationem oratione evacuat, misericordiam miseratione prosternit: hoc vitium de remedijs creat morbos, & de medicinâ conficit languorem.*

Serm. 7.



# DISSERTATIO XXX.

## Pravis omnibus Affectibus coërcendis probísque ciendis nil accommodatius adversitatibus patienter toleratis.

### §. I.

*Exercitium præbent non exitium viro culturæ addicto virtutum, quæ ipsi obtingunt adversa; quibus pravos concupiscentiæ, ac libidinis affectus excutit; & probos fovet.*

1 Etus est & vulgaris querela, cur toleret Deus probos ab improbis, justos ab injustis non solùm conviciis divexari; sed & persecutionibus, ærumnisque obrui: sed qui de Numinis conqueritur providentia necesse est, colonum redarguat, eò quia ferreo vomere sinum telluris evertat, discerpat: aurifabrum, eò quia aurum in crucibulum injiciat igne torquendum: carpentarium, eò quia Dolabellâ ligna, & asseres dilaceret, & scalpat: sicut enim colonus aratro terram excolit, ut inde fructus colligat; aurifaber aurum dirè torquet, ut ab scoria, ac impuritate illud desœcet, ac purget; & carpentarius dolabellis, aliisque ferreis instrumentis ligna, & asseres dilacerat, ut cælet, læviget, & exasciata ligna perpoliat: perinde Deus justos permittit ab iniquis divexari, & torqueri, ut eos magis perficiat, ornet, ac excolat, ac uberiorem fructuum segetem ab iisdem colligat: siquidem per tolerantiam, & patientiæ exercitium virtus perficitur, & justus sua incrementat merita: exercitium præbent non exitium viro justo, quæ ipsi obtingunt adversa: etenim etiam uniones innocentiæ soboles in sinu conchæ matris gignuntur puriores, & candicant innocentiores in turbido Erythræi sinu, quando aër coacervatis nubibus fœdus, luridus, ac áter, fulmina cudit, minas spargit, & ignita tela ejaculatur: perinde vir probus ex adversantis fortunæ procella nullum haurit damnum, nullúmque sentit exitium; sed virtutis exercitium, quò magis perpolitur, ac perficitur: etiam aratri vomer ex jugi defatigatione in terræ sinu proscindendo detersâ ferri rubigine fit illustrior, & excussa obscuritate ferreæ ruditatis, splendet clarior & æmulatur argentum. Etiam Asbestinum si flammis uratur, non solùm non comburitur, sed quas contraxerat maculas exuit, & purius, ac candidius ex igne tortore exit. Etiam basilica herba, regia scilicet hortorum proles magni animi, virique probi, ac fortis apud Ethnicos extitit symbolum, eò quia cùm atteritur, grandescit altior, ac eminentior: ut & palma triumphantium gloria, quæ dum stringitur, & alligatur, crescit sublimior. Etiam Chrystallus gelu scilicet illud pretiosum, quod mortalium inflammat avaritiam inter furentis Boreæ flatus, ac rigentis hyemis rigores durescit pretiosior, & tunc fit gemma, cum vel borea gelidus furit, vel cùm tempestatum parens aquilo ferit. Neque iris viveret discolor, neque in signum fœderis oriretur, nisi ipsa serenitas priùs moreretur; adeo ut iridis gaudium nonnisi ex lachrymis lugentis aëris enascatur. Silex itidem tunc tot coronatur stellulis, quot emittit scintillas, cùm prædu-ro chalybe vulneratur: & Sabæa hilaris lachryma thus gratum suum odoramentum exhalat, cum in accensa flagrat acerra, ubi fragrat suaviùs. Balsami itidem orientis ille ab occidente exoptatus liquor, nisi sauciaretur planta sui thesauri tenax, minimè nostris vulneribus suo vulnere mederetur. Tabellæ ipsæ nunquam exhiberent posteritati grandes magnorum heroum imagines, nisi colores umbra animaret, ac si lux imaginum, ac effigierum gaudeat ab umbra matre oriri. Etiam Æolia maria ventorum turbinibus exagitata altiùs extolluntur: quin etiam luna planetarum Regina nunquam elucesceret nocturno in theatro halonibus coronata, nisi præcederet, vel subsecutura esset tempestas. Quinimò librorum volumina, quę æmula æternitatis præterita cogunt esse præsentia, nunquam tacito loquerentur silentio prægrandia heroum gesta, nisi priùs gravi prælo torquerentur, ac angustiis premerentur.

Viri igitur probi non est opprimi adversitatibus, sed perfici; imitatur enim aurum, quod in flammis perficitur: linum, quod dentato ferro, ac ferreo dente dilaceratum melius evadit: Assyrium volucrem, 2.

seu

seu phœnicem, qui cum perit, se parit, & è mortis cinerario ad novam resurgit juventam. Est in viro probo adversitatum tolerantia religionis emphasis, virtutum majestas, & sanctimoniæ titulus. Quamobrem ideo Deus improbos tolerat, ut per ipsos virtus exerceatur proborum; neque inutiles dixeris mundo esse, cum ad perpoliendos justos destinentur: dignitas electorum merebatur, ut non tantùm illis naturæ inservirent inanimes, sed etiam animatæ, & homines: siquidem si naturæ bonæ serviunt, non mirum si & homines mali. Ab utrisque enim suffragium virtus exoptat, ait Augustinus: *Surgunt procellæ stagni hujus, vides malos florere, bonos laborare, tentatio est, fluctus est; sed dicet anima tua; ô Deus meus haccine est justitia tua, ut mali floreant, & boni laborent? sed Deus tibi respondet, haccine est fides tua? haccine tibi promissio? aut ad hoc Christianus factus es, ut in sæculo floreres?* Virum Christianum vult Augustinus non esse mollem, sed fortem, & constantem, quique urgentibus adversis non frangatur, nec sæviente procellâ obruatur: stagno, & mari æquiparat fluxam hanc mortalem vitam, cujus mare variis adversitatum fluctibus agitatur, quibus ne obruamur, necesse est pisces imitemur, qui nihil mali, nihil periculi, aut incommodi à fluctibus patiuntur, sed in ipsis vivunt vegetiores: huc accersendus D. Ambrosius inquiens: *Ergo tibi sæculum hoc mare est. Habet diversos fluctus, undas graves, sævas tempestates, & tu esto piscis, ut sæculi te unda non mergat.* Perinde ac pisces nonnisi in aquis nascuntur, adolescunt, incrementa subeunt, & vivunt, & extra aquas moriuntur; ita viri probi aquis adversitatum obruti vivunt cœlo lætiores; cui videntur non vivere si adversis destituantur.

*De Sacram. cap. 1.*

3. Talis fuit beata Ida de Nivella, ut enim in ejus legitur vita *cap. 32.* dicere consueverat: Sicut nec pisces vivere possunt sine aqua, nec aves absque aëre; periode nec vir Christianus, & virtutum culturæ addictus sine adversitatibus, quibus tum ipsa careret; querula Deum adibat, eúmque alloquens aiebat: *Quare mi dulcissimè tam diuturno somno dormis, & me ancillam tuam vexationibus tribulationum carere permittis.* Hæc est mens cujusvis viri probi, licèt à mundi mente prorsus aliena. Aqua quæ subsidet, & non movetur, nec excurrit, vitium facilè contrahit, & corrupta putrescit; & Christianos qui aqua afflictionum, ac adversitatum non agitatur, sed torpet, deses quiescit, & & noxia malatia, corripitur, à perfectione facilè labitur, quâ non destitueretur, si moveretur: apposité D. Chrysostomus: *Aqua quæ consistit, & non meat, est noxia; quæ verò movetur, exhauritur, & per tubos, & aqua ductus transmittitur non solùm ea est salubris, sed & visu, & tactu, & potu est jucundior, sæpe enim vicit naturam afflictio.* Conducunt adversitates ad excitandos probos affectus in Deum, & improbos coërcendos: sicut enim aquâ ignis extinguitur; ita insolescentis concupiscentiæ libidinei æstus adversitatibus, & tribulationibus coërcentur: & sicut beneficio aquæ rigantur areolæ, ubi flores germinant discolores; ita tribulatio excultam cordis nostri tellurem si irriget, lætiores in nobis vernant virtutum flores, germinant probi affectus: aqua quæ arbores ad vitam alit, myricam dicitur necare, unde Victor expendens illud Jeremiæ, *Et erit quasi myrica in deserto* apposité ad rem nostram ait: *Myrica mori dicitur cum imber supervenerit.* Est myrica genus humilis virgulti, cujus duæ sunt species hortensis, quam Plinius sativam vocat; & altera sylvestris, cui imber dicitur noxius esse: myricæ naturam induunt, humilem scilicet, & abjectam, quotquot sinunt se obrui imbribus tribulationum: hi enim non vitam ebibunt, sed mortem hauriunt; quia nequiores fiunt, cùm debuissent puriores evadere.

*In catena Græca cap. 17.*

*Lib. 1. cap. 21.*

Id interest discriminis inter probum, & improbum; quia ille vitam ab aquis adversitatum haurit, hic verò mortem bibit; idque evincit S. Chrysostomus inquiens: *Quando David quando mirabilis fuit, & gloriosus? Nonne dum in tentationibus fuit? Absolon autem quoad fugiebat, nonne modestus erat? postquam autem rediit, & tyrannus, & parricida factus est.* Idque etiam eruitur ex Apocalipsi, ubi cùm facta esset hæc interrogatio, quæ duo membra complectitur: *Qui sunt, & unde venerunt?* unica responsione utrique interrogationi satisfit, cùm dicitur, *hi sunt, qui venerunt ex magna tribulatione.* Sed qui sunt hi qui venerunt ex magna tribulatione? cur nobis eorum dignitas, nobilitas, & virtus non explicatur? At quia satis fuit ad hæc omnia significanda dixisse, eos ex magna tribulatione venisse? siquidem ille magnus, qui è tribulatione magna emergit: qui exsurgit ut victor, non succumbit ut victus: ex ipsa igitur tribulationum perpessione, qualis sit excellentia, & dignitas venientium abundè conjicitur, ut non fuerit opus, dignitatem, excellentiam, & virtutem venientium explicuisse; qui tribulatione non obruitur, sed è procella, cum qua fuit luctatus, victor emergit, is virtutum efflorescit, & ejus excellentia illustrior emicat. Quæcunque aquis merguntur, grandiora, quàm verè sint, imò & defæcatiora apparent: aquis verò tribulationum, & adversitatum obrutus, si eas æquo animo toleret, non solùm major apparet; sed etiam est: quapropter Chrysostomus loquens de Davidis æquanimitate in adversitatibus tolerandis ait: *David quando mirabilis fuit, & gloriosus? nonne dum in tentationibus fuit? Absolon autem quoad fugiebat, nonne modestus erat? postquam autem rediit tyrannus, & parricida factus est.* Tunc modestiæ, & virtutum culturæ fuit addictus, cùm adversitatum aquis rigabatur, *quoad fugiebat*

4.

*Homil. 66. ad popul.*

*Cap. 7. Apocal.*

*Homil. 66. ad popul.*

*fugiebat modestus erat*, ex quo conjicimus, quam utilis, & proficua sit hominibus tribulatio, quæ virtutes excolit, probos affectus fovet, & improbos coërcet.

5. Terret plerumque Deus, vel per inflicta supplicia, vel per adversitates, quibus plerumque etiam justos exercet, & excolit, ut inde flores virtutum, ac proborum affectuum germinent; & tunc ex forti dulcedo profluit benignitatis: terruit pluries Deus Israeliticum populum per permissas adversitates, quibus premeretur; sed tunc ex Leone de tribu Juda mellea dulcedo visa est effluxisse. Tanta enim exundat in Deo benignitas, ut vel è fulgure suppliciorum ros stillet in nostram refectionem; & è terrore gratia scaturiat: id experti fuère Tobias, Abraham, & Jonas; hic enim in ceto nactus cymbam, & in procella portum, naufragium evasit, cùm naufragus dejectus in mare à ceto hiante ore deglutitus fuit: Tobias ex irruentis piscis in suam perniciem jecore pharmacum hausit, non funus: & Abraham cum tenebrosa ad vesperam caligo aërem occupâsset, ac inhorruisset; ignitâ è lampade lucem prosperitatis, vel ab ipsa caliginis tetricitate enactus fuit: *Facta est caligo tenebrosa, & apparuit clibanus fumans. In illo die pepigit Dominus fœdus cum Abraham dicens: semini tuo dabo terram hanc.* (Gen. 15. v. 17.) Quis credidisset regiæ purpuræ splendorem suos è tetra caligine natales ducturum? quis somniâsset, egressurum è clibano Regni sceptrum? quis exspectâsset tantæ felicitatis meridiem è vespertina caligine emersurum? Ita est, adversitates plerumque nobis Deus apparat, quibus nostræ præludat felicitati. Accipitres scimus primùm in Patriarchæ hostias irruisse, quibus vix abactis quidam germinavit felicitatis flos, sed pertenuis: *Descenderúntque volucres super cadavera, dixitúmque est ad eum subjicient eos servituti. Post hæc egredientur cum magna substantia.* (Gen. 15. v. 12.) Ex illis est, quæ flavescit spica faustitatis, ubi adversantes accipitres, nostrisque bonis insidiantes longiùs abiguntur. Opulentiam insequuntur vultures, flammæ verò sceptrum assequuntur; & fulgorat, splendétque illustrior è tetra nebula, & oppansa caligine chlamys: ubi procellæ turbo debacchatur turbulentior, ibi auspicacior adolescit hæreditas, non solùm compedes disrumpens famulitij, verùm & coronam cudens libertatis, & chlamydem texens principatûs.

6. Quis in Rubo ignito excidium; vel saltem ærumnarum uberem messem non expavisset: & tamen sceptrum, ac Regnum spopondit; accessit Moyses ad Rubum excalceatus, ut Regiam indueret purpuram: baculum vidit in anguem conversum, sed ut sceptrum fieret regendo populo aptius: præludunt enim felicitati ærumnæ, & quæ nobis videntur adversa: terret Deus suos, quos irrorat: quid rubo immitius? flammâ voracius? excalceatione probrosius? angue nocentius? & aversione oculorum à Dei vultu tristius? & tamen hæc inter adversa, has inter subortas tempestates discolor emicavit libertatis iris; & suum sumpsit Regnum exordium: *Vidi afflictionem populi mei, & sciens dolorem ejus descendi, ut liberem eum:* (Exod. 3. v. 8.) hoc est, tunc libertate eum donavit, cùm visus est Deus populum servili compede illaqueâsse. Ostendit plerumque Deus gladium, non ut vulnera infligat, sed inflicta curet: prodiit è Christi labiis præacutus utrinque gladius: quis armatam telis non credidisset ejus dexteram; si enim labia vagina sunt ensis, telorum pharetra credenda manus erat, & tamen non sagittas manus stringit, sed blandos stellarum splendores depromit; si os nudato gladio armatur, manus eblandientibus astris ornatur: in Apocalipsi legimus *Habebat in dextera sua stellas septem:* (Apoc. 1. v. 16.) quinimò gladio labiorum non terrorem incutit, sed timorem excutit in Apocalipsi: *Noli timere ego sum primus, & novissimus.* (Apocal. 1.) Sed iterum in throno sedens exitiales flammas accendit, fulmina cudit, & fulgura jacit in Apocalipsi: *Et de throno procedebant fulgura, & tonitrua: & septem lampades ardentes ante thronum.* (Apoc. 4. v. 5.) Sed si expavescis ad fragorem tonitruum, ardorem lampadarum, ac fulgurum exitialem splendorem, illico lenitur terror, & excutitur timor. *Et in conspectu sedis tanquam mare vitreum*, nimirum qui timetur ignis, mare est; & si lampas terret, maris malacia eblanditur: quia in officina adversitatum nostram divinus Faber cudit felicitatem.

7. Jacebant passim in agro ossa impallescentia, & ad Dei imperium suo eruperunt ex antro Eurus, Notúsque turbulentus, Austérque procellosus, & Corus: *Hæc dicit Dominus à quatuor ventis: Veni spiritus, & insuffla super interfectos istos.* (Ezech. 37. v. 9.) Quis ex has orta pugna, ac procella ventorùm difflatam non putet mortuorum congeriem, & exsufflata albentia in campis ossa; ac prorsus deleta impallescentiæ mortuorum vestigia pulveri impressa sepulcrali? & tamen unde supplicium timebatur, vita speratur: efflant venti, non ut ossa arida perdant, sed vitam iisdem spirent; non ut in mortuos sæviant, sed eorum ossibus eblandituri Ezech. *Insuffla super interfectos istos, & reviviscant:* spiraculum fuit vitæ ipsa ventorum irruptio: Ipsa enim adversitatis procella naufragos, & in scopulum sepulchralis lapidis illisos ad portum pertraxit vitæ. Plerique pares unionibus, & corallio, quamdiu aquis obruuntur, molles sunt, ac flexiles, qui ab aquis emersi obdurescunt. Talis fuit Pharao, qui adversitatibus agitatus mollis fuit, ac flexilis, petieritque rogari pro se *Exodi* 8. Sed ab hisce tribulationis fluctibus emersus in lapidem, corallium imitatus obduruit: *Induratum est cor Pharaonis.* Excitant adversa salubres cogitationes, probósque fovent affectus, qui tamdiu adolescunt, quamdiu adversitas

sitas premit, quâ cessante, qui Deo adhæserat cordis affectu, & virtutis exercitio, mox satietatis suæ oblitus in sceleribus obdurescit: huc accersendus Petrus Berchorius lib. 19. Reductorii moralis ubi ait: *Margarita in aqua mollis est, maximè dum est in sinu matris, duratur autem evisceratâ: tales sunt mali qui pro certo dum sunt in aqua tribulationum molles, & benigni sunt; sin verò inde extracti fuerint per obstinationem protinus indurescunt.*

8. Ferunt lupinos amaros aqua maceratos amarorem exuere, & dulces fieri, ac mites, qui nisi priùs aquâ obruerentur, minimè saperent; & insuaves essent. Quid ni, amaritiem peccati abstergit adversitatum aqua, quæ etiam divinæ nos gratiæ imbuit dulcedine. Mundi felicitas à vera suos subducit felicitate, ad quam adversitas perducit. Idque causæ, cur Abraham ex Ægypto digressus, pecore, divitiis opulentus, ac numero famulorum dives ad altare, quod priùs extruxerat substitit nulla ad eum voce Numinis illapsa: *Reversúsque est usque ad locum ubi priùs fixerat tabernaculum inter Bethel, & Hai in loco altaris, quod fecerat priùs, invocavit ibi nomen Domini. Sed & Loth, qui erat cum Abraham fuerunt greges ovium, & armenta, & tabernacula. Nec poterat eos capere terra.* Mirùm sanè quòd invocatum Numen Abrahæ non responderit, eò quia cum ipso Loth, & greges fuerint, cùm tamen ab iisdem sejunctus statim vocem audivit Dei eblandientis: *Dixitque Dominus ad Abraham postquam divisus est ab eo Loth: leva oculos tuos in directum, & vide.* Vix à Lotho, armentis, & opulentia se subduxerat statim divino solatur alloquio, quasi copia gregum, & mundi opulentia aures obduraverit, ne vocem audiret loquentis Numinis. Tunc Abraham DEI voce solari potuit, cùm à Lotho sejunctus fuit. Quid quòd Lothi divitiæ fuerint Abrahæ impedimento, ne DEI vocem audiret? cùm tamen Lothi divitiæ minimè recenseantur, & Abraham divitijs dicatur affluere? *Erat autem dives valdè.* An quia is verè dives, qui divitias possidet, non qui à divitijs possidetur? sed nisi suis imperâsset Abraham opibus; nec agrorum optionem obtulisset Lotho, nec Angelos epulo refecisset, neque spolia rejecisset, quæ Rex Sodomorum illi detulit: verùm quia dives novam aram non erexit: *Erat autem dives valde, reversúsque ad locum, ubi priùs fixerat tabernaculum: in loco altaris, quod fecerat priùs.* Ecce opum incremento Numinis decrescit cultus, & Religionis minuitur obsequium. Opibus affluens de nova construenda ara ad Numinis cultum propagandum non cogitat, sed aram repetit olim à se constructam: nimirum quo ditior in mundo, eò parcior in culto Numinis; quò opulentior, eò indevotior. Si quæras quo tempore Abraham aram DEO construxerit; id contigit cum profugus in alienas proficiscebatur Provincias, eum adversitatibus obrueretur, angustijs premeretur: tunc pios in DEUM excitavit affectus; desideria non fuerunt alia, quàm circa Numinis cultum, aras construendas, Religionem propagandam: inops tunc erat cùm aram construxit, quam divitijs affluens non excitavit; nec profusior in Deum fuit opum accessione; sed parcior divitiarum opulentiâ.

Gen. 13. v. 3. | Gen. 14. | Gen. 2. | Gen. 3.

9. Mirabatur Amos Propheta ob id causæ Israelem, qui cùm inopiâ laboraret, pios in DEUM non excitaret affectus, non illicò resipisceret, nec per pia desideria summo adhæresceret bono; ac si monstrosum esset, pauperie laborare, angustijs premi, tribulationibus affligi, & pios in DEUM non excitare affectus, proba non fovere desideria, & Numini vero non adhærere amore; quia si Religio tunc exulat cùm opulentia redundat; è converso tunc floret, cum adversitas nos divexat. *Percussi vos in vento urente, & in aurugine, multitudinem hortorum vestrorum, & vinearum vestrarum, oliveta vestra, & ficeta vestra comedit eruca, & non rediistis ad me dicit Dominus.* Quasi sublato vallo, rescisso aggere, submoto obice, debuisset illicò fontibus adversitatibus ad DEUM accedere: favet tunc adversitas eùm ad summum bonum perducit: adversatur verò prosperitas cùm à DEO nos subducit: ficulneæ, oliveta, vites vindemiam despumantes, seu mundi divitiæ, & arridens prosperitas sunt nobis obici, quo minus ad DEUM propèremus. Pauci sunt, qui sua sub vite sedentes DEI meminerint; pauci, qui ficubus ventrem explentes, mentem pijs impleant desidetiis, & affectibus: rari qui sub umbra olearum dormientes expergefacti surgant virtutum culturæ operam daturi, ac summo bono per probos affectus adhæsuri. Quòd si ficulneæ radicitùs evellantur, oliveta exarescant, & vites sterilescant, tunc quasi obice sublato iter ad DEUM reseratur dicente Isaia: *Omnes sitientes venite ad aquas*, qui in mundo esuriunt, sitiunt, pauperie laborant, adversitatibus premuntur, hi DEI sitiunt Sapientiam, solo Deo cupiunt exsaturari: pergit Isaias: *Et qui non habetis argentum properate emite, & comedite.* Pugnat plerumque cum fideaurum, repugnat virtutum culturæ divitiarum copia: flores sunt virtutes, vomere adversitatum excoli gaudent, & aquis rigari tribulationum: utilis enim est tribulatio, si in illa statim ad interiora mentis feramur, relictis externis, ut nos monet D. Augustinus inquiens: *Nullum majus, nullum melius negotium est in tribulatione, quàm recedere ab eo strepitu, qui foris est: & ire in interiora mentis secreta, & ibi Deum invocare,*

Amos cap. 4. v. 9. | Cap. 55. v. 1. | In Psal. 54.

*vocare, ubi nemo videt gementem, sed sub venientem.* Ingredimur mentis interiora, cum per pios affectus Deo adhæremus, dum virtutum studijs incumbimus, & per pia desideria in Deum à creaturarum tumultu nos subducimus.

## §. II.

### *Quæ nos divexant novercantis fortunæ adversitates, stimulos addunt, quibus celeriùs ad DEUM properamus, eique per pios affectus arctiùs adhæremus.*

10. QUæ nos divexant adversa in mundo, eadem ad mentis interiora nos vocant, quò per pios affectus arctiùs Deo adhæreamus. Idque adeo naturali est etiam veritati consonum, ut in externa schola etiam Senecæ innotuerit, aiebat siquidem: calamitates nobis tanquam stimulos à Dijs admoveri; ait ipse *cap. 4.* Cur bono viro mala accidant; tribulationes commendans, esse adversitates optabiles probat dicens: *Nolite obsecro vos expavescere ista, quæ Dij immortales velut stimulos admovent animis. Calamitas virtutis occasio est, illos meritò quis dixerit miseros, qui nimia felicitate torpescunt.* Verbera, & adversa, quia mores corrigunt, & errata emendant, etiam apud Turcas moris est, ut commendentur. Mira est apud ipsos patientia in excipienda punitione in suris, soleis, natibus persæpe ultra centom excipientes plagas, ut plures cornei fustes nonnunquam frangantur ipsi animo infracti, licèt corpore læsi: quinimò consueverunt etiam ut

*Epist. 2.* notat Busquequius: *Eum adire cujus jussu cæsi sunt, ejúsque manum deosculari, coguntúrque gratias agere, imò & lictori pro singulis verberibus certam mercedem solvere. Fustem etiam, quo puniuntur sacrum habent, nec dubitant primùm credere cœlo delapsum, non minùs quàm Romani sua ancylia.*

11. Qoæstionem proponit Cardanus, cur rosæ spinis obarmentur, & post prolixam è Philosophia dissertationem, concludit, quòd si rosa spinis non cingatur, nullam odoris spirat suavitatem: hac ratione asserit, rosas sylvestres, quæ quinis plerumque foliolis constant, minores habere spinas, quàm quæ in hortis educantur; ideóque imbecilliorem etiam emittere odorem. Quid ni, virtus nobilissimus est flos, sed si suis fuerit spinis destituta, si tribulationibus non fuerit vallata, odoris non est probati, David adhortans ad divinas laudes occinendas, & per pios affectus mente. & corde

*Psalm. 97. v.5:* DEO adhærendum, ait: *Psallite Domino in cythara, in cythara, & voce Psalmi, in tubis ductilibus, & voce tubæ corneæ*; efficax est ad virtutis culturam adhortatio; si tamen cythara, vel lyra; pluribus instructa sit fidibus, quæ inter se solerter comparatæ assonent: si enim unica duntaxat sit fides discors, totus perit concentus; & ita contingit in concentu virtutum, & fidei harmonia: ait enim D. Jacobus: *Quicunque totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus*, licèt excolat *Cap. 2. v. 10.*

quis lilium castitatis, sit effusus in stipem, si tamen homicida sit totus corruit virtutum concentus, & factus est omnium reus; quapropter nos Regius Vates hortatur, ut *Psallemus Domino in cythara*, ne harmonicus virtutum concentus disrumpatur: imò & etiam *in voce Psalmi*, ut vox harmoniæ respondeat cytharæ: oratio enim tunc DEO est grata, quando harmonico respondet virtutum concentui: & non solùm in voce Psalmi, sed etiam *in tubis ductilibus & voce tubæ corneæ*, vult David ut Numini in tubis ductilibus Psallemus, tuba ductilis nonnisi pluribus contusa ictibus efformatur: ictus autem, quibus tuba tunditur afflictiones, & adversitates præsignant; & adversa superare, se ipsum vincere multo est operosius, quam hostem fortissimum prostrâsse: *Non enim gloriosa est victoria* (ait D. Ambrosius) *nisi ubi fuerint laboriosa certamina.* *Lib. 2. offic.* Tubam igitur ductilem inflat, qui sibimet imperat, & pravos quosque rebellantes affectus, ac insolescentes concupiscentias compescit. Tuba itidem cornea instrumentum est angustum, sed artificiosum, & suave, si peritum habeat cornicinem; hoc est si virtus inter adversitatum pressuras, & angustias non corruat, floret vegetior, vernáque Deo gratior. Languet virtus, si fortuna floreat; florescit verò, si adversitates in ipsam irruant. Sunt adversa, quæ nos poliunt, nósque ad æternam felicitatem, & Deum summum bonum viam sternunt, quapropter Regius Psaltes ait: *Imple facies eorum ignominiâ, & quærent nomen tuum Domine.* *Psalm. 81. v. 17.* Non quæsituri Deum nisi ignominiâ priùs impleti; non elicituri pios in Deum affectus, nisi adversitatibus pressi, nisi mortificationibus afflicti. Idque confirmat David: *Multiplicatæ sunt infirmitates eorum. postea acceleraverunt.* *Psalm. 15. v. 4.* Seu per pios affectus properârunt ad Deum, à quo per prava desideria se averterant.

Tribulatio est, quæ pios omnes fovet affectus, & vota omnia in DEUM dirigit, ac linguam solvit in pios clamores: *Et clamaverunt ad Dominum cum tribularentur*, tunc DEUM invocamus, cùm calamitas nos premit, nec prius DEUM invocamus, quàm tribulatio nos stimulet, nec priùs per pios affectus in DEUM tendimus, quàm ærumnæ nos exerceant: pij enim clamores, & affectus in Deum calamitatibus extorquentur: perinde ac fistulæ Organorum sonum non edunt, nisi cum follium flatu impellontur; Unde David: 12.

*Psalm. 106.*

*Cum*

*Cùm occideret eos, quærebant eum, & rever-*
*tebantur, & diluculo veniebant ad eum.* Im-
pius Manasses nunquam resipuisset; nec à suis
emersisset sceleribus, nisi calamitas eum
pressisset; tunc cœpit pios in se excitare affe-
ctus, & Deum enixim rogare pro venia, cùm
1. Paral. 33. decrusum se vidit in carcerem: *Postquam*
*coangustatus est oravit Dominum Deum su-*
*um, & egit pœnitentiam valde coram DEO*
*Patrum suorum:* sunt quædam arbores, ut
nuces, amygdalæ, quercus, adeo pervicaces,
ac suorum fructuum tenaces, & avaræ, ut
nonnisi diverbecatæ batulo fructum dent ul-
lum; nisi enim fustibus hæ arbores excipian-
tur, nulli ab iisdem fructus recipiuntur: per-
inde Deus Manassem calamitatibus percussit,
quo pœnitentiæ fructus daret; possétque cum
Davide dicere: *Bonum mihi domine, quia*
*humiliasti me*, quia detrusus in carcerem sce-
lerum confregit catenas, laqueos dissolvit
vitiorum; & per pios affectus ad Deum, in
quo solo est libertas, sibi viam aperuit: do-
lentes lachrymæ non solùm corporis vincula,
verùm & animi laqueos ruperunt, & ut ait I-
Cap. 58. saias: *Flendo dissolvit colligationes impietatis.*
13. Nou solùm impii, sed & viri probi, ac
sanctitate insignes, ac virtutum cultores, tunc
floruerunt pulchriores, cum ærumnis acer-
biùs premerentur; Moyses enim plurimis
pressus calamitatibus; Jacob fraternis agita-
tus insidiis; Samson à Philisthæis illusus; To-
bias post amissas opes, & oculos, tribulatio-
nibus coangustatus; Sara gravibus lacerata
conviciis; tres juvenes Hebræorum in me-
diis Babylonicæ fornacis flammis; Daniel in
fovea leonum; Petrus in pelago procelloso;
Paulus in ergastulo; & alii plures inter ad-
versa per pios affectus Deo arctiùs adhæsere;
quin & Jonas Propheta nonnisi in ventre ceti,
nonnisi nauftrgus sibi proposuit Deo obe-
dire, eique per obsequia adhærere. Apostoli
etiam cum exoctâ procellâ cymba periclita-
retur enixim divinam expetierunt opem, &
Magistrum Christum propensiori affectu
fuêre prosecuti. Tunc fera latibulum petit,
cùm venatici canes à tergo insequuntur; tunc
accensas prunas laudamus, & ignem com-
mendamus, cùm frigida hyems, & gelida
bruma riget; tunc arbor patula gratior est
proficiscenti, & ex itinere lasso, cùm vel sol
acriùs urit; vel subitus imber depluit. Quam-
diu aër mitis nobis arridet, & fortunæ pro-
speritas favet; vix clamoribus Deum exora-
mus, & nonnisi segniter nostras ad eum pre-
ces fundimus; vix per pios affectus nostras
in eum cogitationes dirigimus; vix per pia
desideria ipsum quærimus: sed si adversita-
tum canes nos à tergo insequantur, nósque
suis rictibus petant; si exocta tempestas ex-
cidium minetur; si fluctus calamitatum nos
quatiant; tunc pios omnes ex corde affectus
elicimus, ut ad Deum properemus, eique ad-
hæreamus, ac in ipso asylum inveniamus; si
æstus ærumnarum nos urat, tunc sub umbra
illius quiescere cupimus: neque ad ipsum
accederemus, nisi nos ad se virgis, & adversi-
tatibus vocaret, idque fassus est ipse Da-
vid: *Ad Dominum, cum tribularer clamavi.* Psalm. 119.
Tametsi frangere nos adversitatibus vi-
deatur Deus, nos tamen non frangit, sed 14.
nostram tuetur integritatem; cum virgis
nos excipit, neutiquam à se nos excludit,
sed ad domum suam nos ducit: si mortifica-
tionibus nos premit, ad vitam nos invitat, id-
que expertus David ait: *Si ambulavero in* Psalm. 137.
*medio tribulationis vivificabis me*, non di-
cit liberabis me, sed vivificabis, quia dum
mortificat, vivificat; dum premit, felicita-
tem dilatat; non igitur, qui tribulationibus
obsepitur, liberari quærat, sed studeat per
pios affectus Deo arctiùs adhærere: adversa
non sint nobis exitio, sed virtutum exerci-
tio: ambulemus per hanc tribulationum
angustam viam, est enim hæc, quæ nos in val-
le hujus vitæ peregrinos ad cœlestem perdu-
cit patriam. Appositè D. Augustinus ex-
pendens præfata verba Davidis ait: *Sed quo-* Psalm. 137.
*modo? si ambulavero in medio tribulatio-*
*nis vivificabis me, id est aliter non vivi-*
*ficabis me, nisi in medio tribulationis am-*
*bulavero. Væ ridentibus: beati lugentes.*
Non stare, nec quiescere, sed ambula-
re, ac progredi in tribulatione debemus;
imò & in medio tribulationis, ut utrinque
ex omni latere nos tribulatio premat, cala-
mitas obruat; quia tunc tutiores per arctam
viam ad Deum tendimus: præsentis enim
vitæ labores, & ærumnæ, ad celestis liberta-
tis amorem nos vocant.
Quòd si moris olim fuit, ut servi liber- 15.
tate donandi per inflictam alapam priùs per-
cuterentur; hîc & nos ærumnis percutimur,
adversitatibus diverberamur, tribulationi-
bus cædimur, quò libertate donemur; huc
illud flecto, quod populo inculcavit D. Chry-
sostomus inquiens: *Propterea Deus præsen-* Homil. 64.
*tem vitam nobis fecit laboriosam, ut ab illa*
*nos absolvat servitute, & ad puram liberta-*
*tem perducat. Propterea pœnas quoque mi-*
*natus est, & vita nostra labores constituit,*
*lasciviam reprimens:* ecce quàm magnum
in tribulatione bonum delitescit, cùm non
solùm à servitute nos liberet, sed cœlesti e-
tiam nns gloria donet; ac Dei filios consti-
tuat, ac Christi cohæredes: est tribulatio
specialis character, quo qui Deo placent ab
aliis secernuntur: appositè D. Augustinus
ait: *Si putas te non habere tribulationes, non-* In Psal. 55.
*dum cœpisti esse Christianus; & ubi est vox*
*Apostoli? omnes qui volunt in Christo piè vi-*
*vere, persecutionem patientur: si ergo non pa-*
*teris pro Christo ullam tribulationem, vide ne*
*nondum cœperis in Christo piè vivere.* Imò
etiam debemus gaudere in tribulationibus,
quia Dei opem secum trahunt, ut notavit D.
Chrysostomus in illud Psalmi: *Adiutor in op-* Psalm. 9.
*portunitatibus, in tribulationibus*, nectit op-
portunitatem tribulationi, quia cùm tribu-
lamur opportunè à Deo succurrimur; & Dei
opem sentimus: licèt ubique nobis Deus o-

pituletur, sitque in omni loco adiutor; opportuniùs tamen in tribulationibus, quia cùm angustiæ premunt, cùm adversitates affligunt, cum tribulationes diverberant auxilium suum nobis Deus offert, nosque uberiori ope solatur, ait Chrysostomus: *Ejus semper opus habemus auxilio, etiam cùm res sunt nobis secundæ: sed tunc maximè sentimus auxilium, quando versamur in afflictionibus.*

16. Quinimò adeo est nobis tribulatio proficua, ut non solùm pios nostros excitet, ac foveat affectus; sed & divina quadam etiam polleat authoritate: plerumque quod non possunt Dei verba à nobis extorquere, id exigunt Dei verbera: persæpe cor nostrum non emollit Dei inspiratio, quod tamen flectit opportuna tribulatio, quæ propterea quandam videtur divinam præseferre authoritatem, ut efficaciùs per ipsam spiret spiritus sanctus, quàm per prophetas & scripturas sacras; quibus non raro resistimus, & sanctorum PP. monitionibus obsistimus; cùm tamen tribulationibus illicò cedamus, ac pareamus; nimirum Deus tunc non voce tantùm, sed & manu nos excutit, redditque sibi attentos. Quamdiu Pharao Dei virgam non sensit, Deo loquenti in servo suo Moyse restitit, & improbissimè pervicax ausus est dicere: *Nescio Dominum, & Israel non dimittam*, quia scilicet nondum senserat flagella Dei, quem propterea à se ignorari aiebat. At ubi acrioribus flagris cœpit excipi, aliter etiam loqui didicit, tunc duritiem fregit, pervicaciam exuit, & humilis enixim rogavit, ut Moyses Deo supplicaret, quatenus suam averteret indignationem: *Orate Dominum, ut desinant tonitrua Dei, & grando.* Tunc cœpit Pharao oculos mentis aperire, Deum cognoscere, & per pia desideria ei adhærescere, cùm primùm tonitrua, & grando, ac calamitates cœperunt Ægyptum concutere, premere, totúmque populum affligere: tametsi Pharao inflexilis, & pervicax fuerit, didicit tamen ad Dei virgam se flectere, & profecit verberatus, qui steterat obstinatus. Jeremiæ nec populus obtemperavit, donec in captivitate resipuerit; quia nemo surdus est, nec durus tribulationi, quæ mentis caligines excutit, cordis diritiem emollit, linguæ impedimenta solvit, & consopitos pios affectus excitat.

Exodi cap. 5. v. 2.

Exodi cap. 9. v. 28.

17. Est tribulatio, quæ nos perficit, nostrámque exasciat ruditatem, sylvescit vitis, & in labruscas degenerat, nisi Martiam sentiat falcem; & nisi amputetur, infructuosa sylvescit: ita nisi homo cultrum sentiat tribulationum, pravique in ipso amputentur affectus, pia non excitantur desideria; quia palmitum luxuria, nisi coërceatur, in pampinos se se effundit botris destitutos, & foliorum vanitate duntaxat inumbratos: quòd si ferro vitis castigetur, uvis ditescit crebrioribus, & spumante dulcescit vindemia. Vitis naturam diceres, hominem æmulari; nisi laboribus, ærumnis, afflictionibus, perinde ac vitis falce, curetur in vitia degenerat, vel in folia duntaxat effunditur vanitatum; sin verò ferreo calamitatum ungue carpatur, ferocire, ac luxuriare desinit, & per pios affectus fructus spondet resipiscentiæ: Nos non opprimunt, dum premunt adversa, sed perficiunt; scitè D. Laurentius Justinianus: *Sicut cera igni apposita emollitur; & veterem imaginem deponens, novam recipit; ita corda nostra ad ignem tribulationis apposita emolliuntur, deponunt pristina vitia, & se reformant in novum hominem*: sicut hominis industriâ, ac studio feræ cicurantur; ita homo à Deo beneficio calamitatum edomatur, ac perficitur; est Deus domitor noster profert etiam flagella, quibus in pia nos flectit vota; sicut equum indomitum sessorem admittere recusantem frœnis, fustibus, flagrisque edomamus, ut mitescere discat, ac parère sessori: sic nobiscum Deus agit, nostram pervicaciam flagris, & adversitatibus frangit, & per frœnum tribulationis nostram coërcet insolentiam, ut nos flectat in pia vota, ac per rectam ducat salutis semitam; Dei jumenta sumus, insolescimus indomiti, nisi tribulationum frœno nos Deus compescat, ait David: *Homo cùm in honore esset, non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus, & similis factus est illis.* Verùm perinde ac nos frœnis, fustibus, flagrisque, ac perticis indomitos cicuramus equos; ita & Deus nostram flectit pervicaciam frœno ærumnarum, fustibúsque tribulationum, scitè D. Augustinus: *Equus non se domat, elephantus non se domat, aspis non se domat, leo non se domat; sic & homo non se domat, sed ut dometur equus, bos, camelus, elephantus, aspis, leo, quæritur homo: ergo Deus quæratur, ut dometur homo.*

Cap. 3.

Psalm. 48.

Serm. 4. de verbis Domini.

## §. III.

*Flagris tribulationum solet Dei miserentis benignitas cicurare, quos pravi affectus indomitos effecerant: eos deprimit, quò altiùs surgant.*

18. Non unum tantùm Manassem, Achabum, Antiochum, Nabuchodonosorem flagris tribulationum cicuravit Deus; verùm & plures alios, qui tunc desierunt ferocire, cùm didicerunt Dei virgam sentire; indomita fuit fera Nabuchodonosor, Princeps arrogans, prætumidus; ferox, sed cœlesti veluti fulmine divinæ vindictæ sideratus, & percussus de potestate mentis dejectus est; & ultrix Nemesis, ne hominem quidem passa fuit, repere adactus est per terram quadrupes, qui bipedum neminem sui parem sustinuit; furere in obvios quosque cœpit, qui nec Deo pepercerat; sed ferreis constringitur vinculis, qui superbo imperio compescere gentes omnes putabat; etenim Nabuchodonosor omnibus antea hominibus altior instar bestiæ pronus in pastum abigitur; fugit tecta, sylvestribus se consociat feris, & toto

toto integro ſeptennio ſylvarum receſſus, & avia, manibus, pedibúsque perreptat, capillis, & unguibus in morem aquilarum excreſcentibus, totúmque corpus hiſpidantibus. Hoc jumentum Deus frœno adverſitatum, & virgâ tribulationum tandem cicuravit, *Fœnum, ut bos comedit, & rore cœli corpus ejus infectum eſt:* hanc metamorphoſim, auribus, ac oculis ingerendam ſceleratorum, vitium, ac peccandi licentia dedit; ſicut tribulatio hominem perficit; proſperitas inficit; illa è ſuilli cœno hominem revocat; hæc immergit, & inter bruta deprimit animantia? quòd ex homine pecus fiat, ex rege bos, effectus eſt arridentis fortunæ, ac [Pſalm. 48. 21.] eblandientis proſperitatis. *Homo, cum in honore eſſet, non intellexit, comparatus eſt jumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis;* idque cauſæ cur brutis parientur, qui depravatis ducuntur affectibus: Syracides c. 4. iracundum Leoni confert. D. Petrus *epiſt. 2. c. 2.* inqlitis depravatos vitijs, & à bene cœptis reſilientes cani ſimiles edicit ad vomitum fœdè revertenti; vel ſuculæ ad cœnoſum redeunti volutabrum. Servator itidem noſter verſipellem Herodem vulpem appellat, [Luc. 13.] & Matth. 25. impios veluti Hædos ſeparat ab ovibus, ſtatuítque à ſiniſtris. [Cap. 10.] Zacharias in perſona Dei loquens, vocat fœdæ libidini addictos hircos olentes perversè, & ait: *ſuper hircos viſitabo:* & David improbos omnes, ab hominis ſtatu aſſerit dejectos Pſal. 31. *Nolite fieri ſicut equus, & mulus, quibus non eſt intellectus:* improbus ſiquidem, perinde ac mulus iracundiæ calcibus alios impetit, & inſtar equi per indomitam libidinem, æſtumque concupiſcentiæ mulierum formis adhinnit. Heu quàm miſerum eſt homo animal, ſi moribus depravatus ab humana deſciſcit indole. Ut perfectione ſuſcepta optimum cunctorum animalium eſt homo, ait Ariſtoteles: [Lib. 1. Politic. 2.] ita ſi alienus fiat à lege, peſſimum eſt omnium animalium; & ad libidinem, cibationémque animal deterrimum.

19. Nabuchodonoſur, quia vitijs indulſit, hanc induit bruti naturam: dixit ei Daniel 4. *Ejicient te ex hominibus, & cum beſtijs, feriſque erit habitatio tua:* hæc fuit decretoria Numinis ſententia, quam per ſuum internuncium Danielem Deus fulminavit in prætumidum regem, quare id muneris Danieli demandatum, & non potiùs alicui ex aulæ proceribus? an quia id Aulicis proprium, aures principis aſſentationibus demulcere, non triſtibus lædere? miſerè ab ipſis torquetur veritas, ne principis aures offendat. Vafrè loquuntur, & ambiguitate verborum obtegere ſatagunt, quud nollent principi innoteſcere, quem per varios flexus, & ambages circumducunt, non ducunt ad veritatis notitiam; malúntque inſidi audiri, quàm principi minùs grati.

20. Hinc Auguſtus Imperator ob impudicitiam Juliæ filiæ, contractâ infamiæ notâ, quam lachrymis eluere nitebatur, ingemiſcens ajebat: hoc mihi haud obtigiſſet dedecus, ſi Agrippa vixiſſet, aut Mœcenas; duo enim erant viri ab ingenua dicendi libertate valdè commendati, utpote qui ab aſſentationibus abhorrentes, non niſi vera Imperatori loquerentur. Secus Nabuchodonoſor, quia ſuperbiâ elatus, ambitione inflatus, obſequia ſategit ab hominibus exigere, quæ ſoli Deo debentur; nonniſi aſſentationibus delectabatur: audi regem prætumidè loquentem. [Daniel. 4.] *Nonne hæc eſt Babylon magna, quam ego ædificavi in domum regni in robore fortitudinis meæ? & in gloria decoris mei? cumque ſermo adhuc eſſet in ore regis, vox de cœlo ruit. Tibi dicitur Nabuchodonoſor rex regnum tranſibit à te.* Regem grandi ore, buccíſque inflatis ampullantem vox è cœlo delapſa, velut improviſum tonitru, ac fulmen à cœleſti excuſſum Nemeſi proſtravit: nimirum in foribus, in veſtigio adfuit divina vindicta, quæ ſuperbienti thraſoni cornua decuſſit, & inflato regi tumorem depreſſit. Timeant quotquot æquales inambulant aſtris, quo altiùs inſcendunt, eò lapſu ruunt graviore; nil Deo exoſius homunculo ſuperbo divinis inhianti obſequijs. Licèt ſit Deus mitiſſimus, & ad veniam paratiſſimus, ſeveriſſimè ſuperbis reſiſtit, quorum elata cornua confringit. Rogatus à Chilone Æſopus, quid Jupiter ageret; reſpondiſſe ferunt: ut excelſa deprimat, & humilia extollat: ſuperbè intumuit Nabuchodonoſor, ſed de regni ſolio dejectus, à filijs hominum fuit etiam ejectus: quantùm enim in ſtatua illa ſua aurea aſſurrexit, tantùm ex alto in imum usque ad beſtiarum conſortium dejectus fuit. Quòd ſi mundi proſperitas in imum Regem Babylonium detruſit miſeriarum, dejecit usque ad brutorum conſortium: ipſæ miſeriæ, & tribulationes ipſum iterum in ſublime erexerunt: qui enim in throno ſedens, in purpuræ, aurique ſplendore cæcutijt; ſylvarum inter umbras oculos aperuit. *Poſt finem dierum ego Nabuchodonoſor oculos meos ad cœlum levavi, & ſenſus meus redditus eſt mihi, & Altiſſimo benedixi, & viventem in ſempiternum laudavi, & glorificavi.* [Daniel. cap. 4. v. 31.]

21. Tunc reſipuit, cum ultricis Nemeſis virgam excutientem humanæ inſolentiæ pulveres ſentijt; tunc tumorem ſuperbiæ depreſſit, & arrogantiam coërcuit, cum brutorum gregi ſe novit adſcitum. Faſtum tyranni terræ, cœlòque inſultantis ſola tribulatio edomuit: inter feras ſiquidem mitior factus, abjectóque in humum corpore demiſſior, oculos tandem aperuit, quos in altum ſuſtolleret, & arrogantiæ ſuæ vindicem illum videret, cognoſceret, ac deprædicaret; cujus potentiæ par nulla eſt poteſtas. Cùm ſedit in throno, cùm mundi proſperitas ei arriſit, è regio ſolario urbis Babylonicæ ſplendorem, & amplitudinem perluſtrans, & tanta molium, & extructionum magnificentia, turrium celſitate, palatiorum laxitate ela-

tus videbatur sibi humanum supergredi fastigium, & caput novus Enceladus astris ipsis inferre: ajebat enim inflatis cogitationibus pertumidus, an non hæc est Babylon, quam ego mundi miraculis adnumeravi, quam tot molitionibus instauravi, ut omnibus orbis structuris efficerem prodigiosiorē? sed hæc mundi prosperitas eum in imum detrusit miseriarum. *Eadem hora fermo completus est super Nabuchodonosor, & ex hominibus abjectus est, & fœnum ut bos comedit, & rore cœli corpus ejus infectum est: donec capilli ejus in similitudinem aquilarum crescerent, & ungues ejus quasi avium.* Sed hoc lapsu surrexit Nabuchodonosor; quia calamitas, & tribulatio ejus depressit arrogantiam, coërcuit fastum, compescuit superbiam, & ad resipiscendum induxit: sylvestribus aggregatus feris, calamitatibus pressus per saltus, & avia manibus, pedibusque perreptans, ac inconditè stridens pœnitentiam egit, & resipiscens beneficio tribulationum pristino restituitur decori: loquitur ipse apud Danielem. *In ipso tempore sensus meus reversus est ad me, & ad honorem Regni mei, decorimque perveni*, & paucis interjectis *v. 34.* subdit: *Nunc igitur ego Nabuchodonosor laudo, & magnifico, & glorifico Regem cœli: quia omnia opera ejus vera, & via ejus judicia, & gradientes in superbia potest humilare.* Postquam coangustatus fuit, calamitatibus obrutus, ærumnis pressus oculos adaperuit, resipuit, & fastum suum depoluit. Nabuchodonosor si in throno sedens de divinis cogitavit, id fuit, ut eadem sibi usurparet, sed mox abjectus inter bruta, & resipiscens Regno, iterum restituitur, quia ut ait David. *Cor contritum, & humiliatum Deus non despicies*, quod etiam per Ezechielem divinæ clementiæ constitutum internuntium voluit hominibus intimari. *Dic ad eos: Vivo ego, dicit Dominus Deus: nolo mortem impij, sed ut convertatur impius à via sua, & vivat*, quia ut ait D. Basilius, *quoniam hominum scelera numero, at magnitudine possunt circumscribi.*

*Daniel 4. v. 30.*

*Daniel 4. v. 33.*

*Psal. 50.*

*Ezechiel. cap. 33.*

22. Tanta enim est divinæ misericordiæ mensura, quanta & ejus Majestatis, quam nullus terminus claudit; & licèt reliqua attributa, justitia, sapientia, & potentia Deo insint; misericordia tamen intimis inhæret Dei visceribus, quapropter Zacharias ejus magnitudinem indicaturus ait: *Per viscera misericordiæ Dei nostri* innuens æternum Solem Christum Jesum mundo exortum fuisse ex infinita Dei misericordia. Quòd si scire velis, quanta sit hæc Dei misericordia metire, quanta sint gehennæ tormenta, horum mensurâ metiri facilè potes, quantæ sit Dei misericordia magnitudinis, hæc enim peccantibus gratiam elargitur, quâ resipiscunt, & à supplicijs gehennalibus extrahuntur: quòd si vilitatem etiam, & miserias hominis à summo bono se avertentis per peccatum metiaris, deprehendes, has omnes miserias à Dei absorberi misericordia; perinde ac mare fluminum aquas, ac pluviæ guttas ita absorbet, ut quales fuerint, amplius non appareat: idque causæ cur abyssus miseriæ humanæ abyssum invocet misericordiæ divinæ. Quòd si multitudinem etiam gravitatem, ac enormitatem omnium scelerum metiaris, exinde conjicis, quàm magna, laxa, & sublimis sit Dei misericordia, quæ peccata omnia condonat, obliterat, & totaliter abolet quoad culpam, & plerumque etiam quoad pœnam, quod cùm observâsset, Regius Vates ait: *Et miserationes ejus super omnia opera ejus:* Ubi Dei miseratio aspicit, peccatoris iniquitas obliteratur, & qui peccantes ceciderunt, resipiscentes resurgunt: nisi Dei miseratio lapsis opituletur, viresque suppeditet ad resurgendum, jugiter jacent in umbra mortis, seu peccati, quia resipiscere est ad summum bonum se convertere, à quo peccatum avertit, ait enim Apostolus: *Non est volentis, neque currentis, sed miserentis Dei.*

*Psal. 144.*

23. Ceciderunt Pharao, & Nabuchodonosor ambo natura homines, dignitate Reges, peccato similes, & tamen surrexit Nabuchodonosor, & non Pharao: quia illum, non istum Dei miseratio è throno dejecit, quem brutis adjiceret, ut in sylvis inter belluas mores corrigeret, quos in Regia inter homines corruperat: appositè D. Augustinus, producens Pharaonis, & Nabuchodonosoris exempla ait: *quantum ad naturam ambo homines erant: quantum ad dignitatem ambo Reges: quantum ad culpam ambo captivum Dei populum possidentes: quantum ad pœnam ambo flagellis clementer admoniti; quid ergo fines eorum fecit esse diversos? nisi quòd unus manum Dei sentiens in recordatione propriæ iniquitatis ingemuit: alter libero contra misericordiam Dei pietatem pugnavit arbitrio?* surrexit è lapsu Nabuchodonosor, quia in crucibulo tribulationum, & ærumnarum, in sylvis brutorum cœtui aggregatus, scoriam humani fastus exuit, morésque meliores induit, & resipiscens per humilitatis gemitum, per contriti cordis sacrificium irato Numini satisfecit. Ubi luctus, ubi lachrymæ fluunt, ibi semina irrigantur virtutum, quæ germinant, adolescunt, ac florent in violas humilitatis, lilia castitatis, rosas charitatis, quapropter ait. *Melius est ire ad domum luctûs, quàm ad domum convivij*, quia ex illa modestiores, prudentiores, ac sanctiores eximus, ex hac autem petulantiores, & nequiores: sicut corpus, si multò sit succo oppletum, sua laborans obesa mole ægritudinum est officina, & quod cùm laboribus, ac fame luctatur, ab adversa est tutum valetudine: perinde animus inter mundi tripudia, & carnis delicias enutritus, enervatur, & in vitia pronissimus lascivit; quem verò tribulatio divexat, angustia premit, ca-

*De prædest. & gratia.*

*Eccles. cap. 7. v. 3.*

calamitas opprimit, à vitijs plerumque alienus inter procellosos imbres crescit vegetior, & efflorescit suavior.

24. Binæ sunt in mundo domus, nubentium una, altera lugentium; in illa madet vino temulentus Bacchus, stomachum replet saturata Ceres, & inter utrumque lasciviæ impudica Venus: ibi verba audiuntur incomposita, lasciviæ, confabulationes; videntur gestus protervi, incessus turgidi, aspectus impudici, ferculorum copia, vestium pompa, & rerum omnium luxus; verùm quotquot hanc ingrediuntur, nubentium domum in bruta degenerant, vorantes ut porci, potantes ut vaccæ, hinnientes ut equi, calcitrantes ut muli, lascivientes ut hirci, hinc Chrysostomus ait: *Non nuptias damno, sed quæ fiunt in nuptijs, diaboli pompam, cymbala, & tibias, & cantica, fornicatio-nis, & adulterij plena.* (Homil. 62. ad popul. Antioch. in init.) Secus in domo lugentium frigescit Venus, ab ea exulat Bacchus, mœror animos occupat, dolor viscera torquet, genæ lachrymis madent, pravæ concupiscentiæ extinguuntur, & luctu velut frœno pravi omnes affectus coërcentur, & probi excitantur, qui imbre irrigati lachrymarum florescunt in virtutes. Pergit Chrysostomus, loquens de domo lugentium. (Loc. cit.) *At non ita illic, ubi luctus est, ibi omnia composita, multa requies, altum silentium, mortis memoria, futurorum meditatio, vera sapientia, inordinatum nihil, nihil incompositum. Quisquis hic loquitur, submissè, breviter, modestè loquitur. Talis est natura, luctus sapere docet, & ad omnem modestiam, ac frugem se componere.* Deus igitur luctum, & afflictionem in nos immittit, ut excolere discamus cordis nostri tellurem, noxias vitiorum radices evellere, urticas pravorum affectuum, & serpentia improbarum concupiscentiarum gramina præscindere, & per vomerem afflictionum sulcos efficere, ac semina virtutum serere, quæ in flores, & fructus excrescant.

25. Ardent in nobis pravæ cupedines, insolescunt indomiti affectus, qui nisi frœno coërceantur afflictionum, nos ad præcipitium trahunt: & quia perinde ac canes Nili nonnisi cursim, & per transitum parcissimè torrentem mortificationum libamus; hinc est, quòd misericors Deus molestijs, ærumnis, ac miserijs nos exerceat, ut magis compositos, & ad bonam mentem induendam faciliores nos efficiat; quæ enim nos premunt angustiæ animum laxant, cor dilatant, ut à vinculis solvatur scelerum, sursùmque ad Deum avolet; est tribulatio, quæ

Psal. 17. v. 14. suis ærumnis nos à miserijs liberat. Hine ajebat David. *Altissimus dedit vocem suam; grando, & carbones ignis, & misit sagittas suas, & dissipavit eos, fulgura multiplicavit, & conturbavit eos.* Cum in nos videmr Deus irasci, nosque ærumnis premere, tunc jacula sua evibrat, non tamen ut occidat, sed vitam restituat; fulminibus exterret, non ut mortem inferat, sed vitam afferat; videatúrque propterea rorare in fulgure cœlum, & vel in ipso igne latices scaturire dulcedinis: hinc postquam Regius Vates voce grandinum, carbonum, ignis, & sagittarum, ac fulgurum exterruisset, statim eblandirur fontium scaturigine subdens. *Et apparuerunt fontes aquarum*, exundant enim fontium eblandientes latices ex carbonum torrente, ex flammis ignis; & Numinis ira veluti in sua misericordia naufraga, quasi perire videtur. Quòd si Pharao insecuturus ad internecionem fugientem Israëlem, & ut lupus grassaturus in Dei oves, Erythræis fluctibus obrutus prius sepultus, quàm mortuus perijt, iras Neptuni expertus, dum Martis furorem inferre satagit. Deus, tametsi ignes, fatésque concipiat, aquas tamen, ac fontes parit, quibus ejus ira attemperata mitescit.

Idque causæ cur Regius Vates tametsi funeribus, cladibúsque obviasset, omnem 26.
excusserit timorem. *Si ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala.* (Psal. 22. v. 4.) Tametsi cruentas stragés pede premeret, funestæque mortis umbras perambularet, nil tamen inde hausit timoris, nec ipsas formidavit calamitates; quia ei innotuerat, ex officina ærumnarum, ex crucibulo tribulationum defæcatiùs prodire aurum; & deliciarum rosas nonnisi spinis florere circumseptas, neque sua Davidem fefellit opinio: siquidem in inumbrantis funeris squalore non tabe sorduit, sed oleo perlinitus viguit, nec in sepulchrum inter funera illatus fuit, sed ad convivia delatus. Audi, quid statim dicat, postquam in medio umbræ mortis ambulasset. *Parasti in conspectu meo mensam adversus eos, qui tribulant me, impinguasti in oleo caput meum, & calix meus inebrians, quàm præclarus est.* (Psal. 22. v. 5.) Ecce illatus à Deo Sarcophagus in abachum reseratum, ubi nec calix deest, nec discus. Funereæ Manium umbræ in faces splendescere Himenæi, & ubi horror funereus timorem incusserat, deliciarum blanditiæ gaudium, & lætitiam excitârunt. Quis non expavisset, si cum Jeremia vidisset hinc excubantem virgam, & inde ebullientem, & fumantem ollam, cùm præsertim audivisset ex Dei ore, totius Aquilonis excitandas esse contra Jerusalem nationes: & tamen ubi omnia videbantur in luctu, & squalore jacere, ac postremo deleri excidio; illicò doloris scena in lætitiæ proscenium vertitur. *Vade, & clama in auribus Jerusalem: Hæc dicit Dominus, recordatus sum tui miserans adolescentiam tuam.* (Jerem. 2. v. 2.) Ex spumante igitur olla sulphur, veluti è sereno aëre roscidus stillat imber: eadem olla, quæ supposito igne ebullire videbatur irâ Dei, nonnisi fluenta dedit dulcedinis, ut inde sciremus esse tribulationem fœcundam solatiorum matrem, ac felicitatis parentem.

§. IV.

## §. VI.

*Virtus perinde, ac lilium inter senticeta tribulationum floret vegetior, & olet suavior.*

27. NOn fuit evangelica ficulnea unquam felicior, quàm cùm in jus à Christo vocata, imò & damnata; quia fru-
Luc. 13. v. 8. ctibus destituta, exscindi timuit. *Succide ergo illam: ut quid etiam terram occupat?* sed tunc vinitor ex fossione, & stercoratione eam recreavit; solatium, non funus ei Deus apparavit, cùm supplicium indixit: securis exscindens caulem in ligonem abijt circum radices fodientem, & arborem reficientem; quæ perijsset, nisi damnata à Christo fuisset:
Luc. 13. dixit Vinitor: *Usque dum fodiam circa illam, & mittam stercora.* Tunc arbor coli cœpit, cum in securim incidit: arsisset, nisi Christus damnationis sententiam fulminâsset, tunc cœpit feliciori cultura virescere, cùm in ipsam visus est Christus sævire, cujus indignationi suam debet fertilitatem. Hinc viro cordato, non terrori, sed solatio est tribulatio, est ipsa procella portus quietis. Aba-
Cap. 3. v. 6. cuc. *Ut requiescam in die tribulationis,* quis dormiturо in fenticeto, sessuro in spineto, pulvillum assuisset? quis in commotione procellæ, inter fluctus decumanis tumidiores thorum sibi ad quietem instravisset? & tamen Vates id præstitit, qui falli non potuit, cum ex Numinis afflatu loquutus fuerit; noverat latere in turbine serenitatem, in procella malaciam, in concussione somnum, in infirmitate robur, & salutem in vulnere, ac sanie: Abacuc. *Ingrediatur putredo in ossibus meis. Ponet pedes meos quasi cervorum.* Nimirum in putredine ossium pedes cursui aptavit, ideo cucurrit per semitas salutis, quia ossa putruêre, quia corporis membra ærumnis pressa ægritudinem
Cap. 17. v. 13. contraxerant: hine etiam Job. *In tenebris stravi lectulum meum:* tunc quievit, cùm in tenebris ærumnarum, in caligine adversitatum lectulum suum stravit: à tenebris adversitatum ad lucem emersit prosperitatum.
Job. 11. v. 17. *Cum te consumptum putaveris, orieris ut Lucifer:* quia virtus perinde, ac lilium inter senticeta tribulationum non solùm revivscit vegetior, sed & floret illustrior. Quæ nos adversitatum tenebræ circumcingunt ad lucem veri solatij nos ducunt: *Cùm te consumptum putaveris,* id est, ærumnarum pressuris, calamitatum angustijs, *orieris ut Lucifer.*

28. Miserum, ac infelicem dixisses Jacobum in exilium abeuntem à domo discedentem paterna, ùt fratris iram declinaret; tunc solo baculo Jordanem trajecit; sed in regressu substitit ad ejus ripas duabus stipatus armatorum turmis; plurimis diffluens divitijs, uxore, & prole felix. Scio in pœnam nutantis fidei obstructum fuisse guttur Zachariæ, adeò ut ira Numinis visa sit in senem grassata. *Et ecce eris tacens, & non poteris*
Luc. 1. v. 20. *loqui usque in diem, quo hæc fiant: pro eo, quòd non credidisti verbis meis.* Sed paucis dilapsis mensibus non solùm linguæ impedimenta solvuntur, & loquitur, sed etiam prophetat. *Apertum est autem illicò os ejus,*
Luc. 1. v. 64. *& lingua ejus, & loquebatur benedicens Deum.* Non tam præpedita Zachariæ lingua fuit silentio illo, quàm expedita, perpolita, & edocta ad Dei magnalia evulganda: dum impedita fuit ad humanos sermones, expedita erat ad divina vaticinia. Adversitas, & tribulatio est, quæ hominem edocet sapientiam, & virtutem expolit, puerilia, & humana abigit, & cœlestia edocet: hinc Salomon de Indole puerili differens, ait: *Stultitia colligata est in corde pueri, & virga disciplinæ fugavit eam:* Magister Christus, cui nostra indoles, morúmque propensio ad mundi ludicra exploratissima est; eandem excussurus virgis non parcit; & ut scribit
Ad Hebr. cap. 12. v. 6. Apostolus. *Flagellat omnem filium, quem recipit:* sed filijs, qui virgis hisce excipiuntur, id accrescit emolumenti, ut segnities virgâ excutiatur; virtus excitetur; & probi omnes in Deum affectus foveantur; sitque ipsa virga, quæ excutiens sordescentes pulveres abigat pravos affectus, simúlque perficiat probos. Idque Ezechielem edocuit admirandum illud animal, quod hominis, leonis, aquilæ, & bovis quadruplex vultus insigniebat, sed eum hoc idem animal ei iteratò objiceretur pro vultu bovino Cherubici Angeli vidit speciem substitutam.
Ezech. cap. 10. v. 15. *Et elevata sunt Cherubim: ipsum est animal, quod videram juxta fluvium Chobar;* quid quod bovillo vultui, species fuerit Angeli substituta? quid eum cornipeta bellua Cherubica venustas? quid quòd frons bovis in faciem Angelicam tam mira fuerit metamorphosi mutata? Hebræo idiomate Cherubim idem est ac magister, & interpretatur scientiæ multitudo: ecce mysterium evolutum; Bos symbolum habetur laboris, cujus est patientissimum animal, nam & onustis trahendis plaustris adhibetur, rhedis jungitur, ac telluri arandæ admovetur aratro; quid ni huic bovi ferendis laboribus assueto Cherubica species assignatur; quia ubi labores, ærumnæ, ac tribulationes, ibi virtutis species efflorescit perfectior; ibi facies cherubica frontem abolet bubulam; & ab ijs, quæ quis tolerat, Deum nosse incipit.

Hussæns princeps Jobus quæstionem pro- 29.
Cap. 28. v. 12. ponens ait: *Sapientia ubi invenitur, & quis locus intelligentiæ?* & sibi respondens subdit:
Numer. 13. *Nescit homo pretium ejus, neque invenitur in terra suaviter viventium:* sapientia indigitans quàm fluxa, & evanida sint bona temporalia, & quanti facienda sint æterna, non reperitur, ubi homines mundi delicijs diffluunt, ac voluptatibus deliniuntur; sed ubi discunt mundum contemnere, ejus solatia flocci facere, & adversa quæque tolerare; ædes sapientiæ non sunt, quas mundi pre-

prosperitas, rerum opulentia, & divitiarum copia beant; & ubi bacchanalia vivere quotidiani est moris, ac inolita consuetudo: appositè Seneca loquens de virtute ait: *Altum quiddam est, regale, invictum, infatigabile, nec satietatem habet, nec patientiam, immortale. In templo eam invenies, in foro, in curia, pro muris stantem, pulverulentam, coloratam, callosas habentem manus.* Virtutem non mundi voluptas pingit, sed labor pulverulentus colorat, & tribulatio perficit; cui & ipsa adversitas venustatem impertitur: hinc Salomon meliore spiritu calescens ait. *Virga, atque correptio tribuit sapientiam.* Calamitas est, quæ virtutem edocet, cæcitatem abstergit, & lumen invehit. Quid è Tobiæ oculis tenebras abstersit cæcitatis, quàm fel piscis? & quid fel piscis procelloso innatantis pelago innuit, quàm adversantis in mundo fortunæ calamitatem? fellea igitur calamitatis amaritudo præsentissimum est pharmacum ad hebetem visum restituendum, ad caligantium oculorum nebulas excutiendas: tribulatio est, quæ oculos aperit, ut videat quis clariùs in ærumnarum nocte, quàm misera, quàm fluxa, & labilis sit præsens mortalis vita, plena erroribus, referta ærumnis, morti semper proxima, & momento casura; & quàm melior, felicior, ac perennior alia vita, proinde omni solicitudine quærenda, omni labore acquirenda: est enim in qua olea æternæ pacis jugiter viret; ubi hâc potitus nil sentiet adversi à se ipso, nil patietur quispiam ab alio: pax siquidem est; quæ non discordiæ metu, non contentionum curâ, non odij animum carpentis incessitur stimulis; quæ nulla dissolvitur clade, nulla corrumpitur ægritudine; nulla variatur vicissitudine; quia in ea certa securitas, secura tanquillitas, tranquilla jucunditas, jocunda liberalitas, libera felicitas, felix claritas, clara agilitas, agilis sanitas, sana immortalitas, & immortalis gloria; in qua rerum omnium pulchritudo continetur, & qua divitijs omnibus affluimus non labentibus, nec fluxis, sed perpetuis: quâ nulla interveniente ægritudine constanti quadam, & æquabili voluptate perfruemur tantò excellentiore omnibus corporis delicijs, quantò mens sensibus, & Deus rebus omnibus extra se positis, est potior, & præstantior.

Lib. de Beata vita cap. 7, 4, 8.

Proverb. c. 29. v. 18.

30. Ad hanc melleam beatitatis dulcedinem fellea ærumnarum amaritudo nos manuducit; siquidem homo angustijs adversitatum pressus, oculos tandem aperit; quia eorum detergendis nubeculis, excutiendisque caliginibus nullum salubrius collyrium afflictione, quæ dum corpus premit, animum perficit, pravos affectus sopit, probos excitat; quatenus homo ærumnis pressus in se ipsum tandem descendit, suósque mores, & errores sibi objicit; quos corrigat. Fellea calamitatum amaritudo est, quæ oculos abstergit caligantes, quæ mores corrigit corruptos, quæ animi dispellit ægritudines, Idque in se ipso expertus Hieremias ait: *De excelso misit ignem in ossibus meis, & erudivit me:* quia ignis tribulationum non solùm clausos oculos aperit, & diducit; verum & splendores suppeditat, quibus clariùs suos videant errores, quos corrigant; pulchrè D. Gregorius: *oculos, quos culpa claudit, pœna aperit:* hâc sportulâ suos mundus clientulos donare solet, culpam suggerit, fluxas spondet voluptates, quibus cùm adhærescunt, oculos Deo claudunt, à quo per noxam lethalem se avertunt; & sola tribulatio, Numinis opitulante gratiâ, aperit, quos culpa oculos clauserat, mores corrigit, & ad frugem erudit meliorem: quapropter ærumnosus quispiam cum Hieremia dixit. *Ego vir videns paupertatem meam in virga indignationis ejus. Castigasti me, & eruditus sum, quasi juvenculus indomitus:* erudit nos castigatio, & dum corpus scalpit, animum polit, dum ventrem affligit, mentem reficit, quia *sola vexatio*, ait Isaias *dat intellectum.* Miseri cum simus, nostras satagimus miserias sopire, ne alijs innotescant; & tunc tantùm sapere incipimus, cum desinimus desipere; tunc miserias excutimus, cum Deus pravos, qui in nobis ardent, affectus aquâ tribulationum extinguit.

Trenor. cap. 1. v. 13.

Jerem. c. 31. v. 18.

Cap. 28. v. 19.

Pares illis sumus, qui negant ardere domum suam, quamdiu ignem inter penetralia credunt posse sopiri; verùm cum primùm flamma per fenestras vi eluctata prodit exteriùs grassari intus incendium, tunc sapere incipiunt, & vicinorum implorare auxilium; cum res ampliùs dissimulari non possit; & incendium tot linguis, quot ejaculatur per fenestras, & tecta flammas clariùs, & clamorosiùs loquatur, quàm homo, cujus domus igne absumitur: ita vexatio nos docet divinum implorare auxilium, preces fundere, ac enixim rogare cœlites, quia calamitas nos erudit modum implorandi Dei opem, & quæ imminent pericula declinandi. Fertur de piscatore quopiam, qui ictu scorpii læsus sapere didicerit; is prædæ nimis avidus præproperas manus, cum in sagenam injecisset, à latente scorpio percussus dixit: me scorpius edocuit, ne imposterum tam præceps rete invadam, & sim cautior: *castigâsti me*, ait Hieremias, *& eruditus sum:* tribulationes erudiunt, docéntque pravos quosque affectus excutere, & probos fovere: cum affligunt corpus, mentem perpoliunt, intellectum acuunt. Quamvis singula Senecæ scripta digna sint, ut cedro, & auro exarentur; palmam tamen præ cæteris videntur sibi vindicare, quæ ab exilio ad matrem Helviam scripsit: tunc enim magis intellectum acuit, cum acriùs cum calamitas urget; tunc feliciùs sapuit, cum minùs sensit solatij. Non sævit Deus, cum nos punit, sed nostram expolit ruditatem, nostram abstergit rubiginem, excutit pravitatem: nunquam fulgurat sine rore; nunquam sine iride procellas 31.

excitat adversitatum; si ningit blandimento candoris demulcet: instar cometæ suas in nos Deus minas spargit, terret, & lucet; dum castigat, blanditur; dum flagellat, osculatur; & dum punit, miseretur: discamus ab Israële etiam in compede Deum credere nobis misericordem; & in Ægyptiaca servitute, in calamitatum pressuris nobis ad libertatem; ad felicem promissionis tellurem, ad cœlestem beatitatem iter nobis aperire: discamus à Deo ita per lilia myrrhâ distillare; ut circumsepti ærumnarum spinis rosas legamus, quibus in cœlis coronemur, quarū spinas fuimus in terris experti; veræ deliciæ rosas æmulantur, quæ nonnisi inter vepreta vernant tribulationum; quæ ex spinis non prodeunt solatia, fucatam tantùm exhibent lætitiam, cui si larvam detrahas, quæ speciem præseferebat hilaritatis, luctum edit, & lachrymas fundit. Idque fortassis causæ, cur Salomon Rex in dedicatione templi sui boves immolaverit cornu ferocientes: & captivus Zorobabel vitulos obtulerit pinguedine allicientes: quia jugum regni, & captivitatis delicias voluit Deus in sacrificio adumbrari: quia inter mundi solaria, ac voluptatum lenocinia misera est principum conditio; rectè Rex Salomon regijs diffluens delicijs boves adolet jugo trahendo assuetos: captivus autem Zorobabel pingues vitulos deliciarum illecebris mactandos; quia captivitatis ærumnæ suas in vitulo delineant illecebras; vitulus enim uberibus insultat, & lacte saginatur: ecce captivorum felicitas designata in vitulo lacte pasto; & regnantium famulatus in bove cornipeta descriptus.

32. In aula Balthasaris regis Daniel purpuram induit, ostro fulget, & auro splendet: sed à quibus fodinis Propheta aurum eduxit? quo muriee prætextam tinxit? an quia ut moris est, assentatus fuit regi? Audi, quâ voce fuerit Daniel Balthasari assentatus. *Appensus es in statera, & inventus es minus habens, divisum est regnum tuum, & datum est Medis, & Persis*: hisce blanditijs clamidem sibi intexuit, & purpuram tinxit; quantum minarum, ac calamitatum effudit in regem, tantum sibi uberioris gloriæ, ac decoris cumulavit: quinimò cohonestatus à Balthasare fuit Daniel, postquam ei vas iræ Dei propinavit: ex vulnere, è quo sanguis emanavit, etiam purpura promanavit; ut scias ex opprobrijs decora oriri dignitatum; & ex tribulationum tenebris illustriorem enasci gloriæ splendorem; ornamenta virtutum non ex armario depromuntur voluptatis; sed ex armamentario eruuntur severitatis: idque causæ, cur ipsamet ecclesia, *quasi plantatio rosæ in Hiericho* dicatur, quia hic flos nunquam sine dumis floret. Paulus cum spirans minarum, & cædis prima ecclesiæ germina niteretur evellere Damasci, quia cœlesti exterritus fulgure, perculsus tonitru, & ab equo excussus, ac prostratus in via fuit; rores stillavit benedictionis, & gratiæ; & qui cecidit ut persecutor, surrexit ut protector. Etiam Nabuchodonosor, quia

Daniel. 5. v. 29.

abactus ad pecudes fuit, mox expiatus, throno fuit restitutus. Quis Manassem è cœno, quo fœdè volutabatur, extraxit vitiorum? quis pravos edocuit eum affectus excutere, & probos fovere quàm ipsa calamitas? Etiam qui ante conspectum agni amicti erant stolis albis, venerunt ex magna tribulatione: quòd si calamitas inaugurat; quid mirum si ecclesiæ monilia tonitrua esse dicantur? si ejus flores nonnisi spinis circumsepti germinent? nec ejus mala punica maturiant in martyribus, nisi æstu persecutionum discerpta, ac dilacerata? sed fracta cutis animi prodit integritatem. Hinc etiam Christus caput ecclesiæ in Thaboris vertice non splenduit nisi medius Moysem inter & Eliam, quorum alter sacrificulos trucidavit, & alter fornicatores interemit; ut nimirum suo è capite discant membra, splendoris, & gloriæ lenocinia nonnisi terrore fulciri incusso, ac fulo deliniri cruore; ut vel ipsum splendoris blandimentum terrorem incusserit discipulis, qui dum magistet fulgeret in monte, exanimati præ timore procubuêre in squalore.

Sicut mundi prosperitas sceleris est parens, ita & tribulatio virtutis obstetrix. Scio plerósque mirari, nullum ab Evangelista Matthæo ex Christi atavis, & abavis regio fuisse titulo condecoratum uno excepto Davide. An non reges fuerunt Josias, & Ezechias? cur & ipsi in principum non recensentur cathalogo? cur solus David regio decoratur titulo. *David autem Rex genuit Salomonem ex ea, quæ fuit Uriæ.* An honestandæ sanctitatis gratiâ in scenam David inducitur regia redimitus corona? sed alij etiam fuerunt sanctitate illustres, qui tamen hoc destituuntur honore. Putârim præ cæteris regibus unum Davidem fuisse à Matthæo regem inscriptum, eò quia regio titulo mundanæ prosperitatis indici, scelus illicò attexitur à Davide cum Bethsabea patratum; quia mundi prosperitas scaturigo est scelerum; sicut ejusdem calamitas virtutum fomes. Post epulas meridianæ indulserat David quieti, marcidúmque è somno diurno corpus agitatione reparaturus in solarium domus regiæ conscenderat ambulandi, auræque refrigerantis captandæ causâ: cumque Bethsabeam vidisset in horto domestico abluentem se in saliente fonte incautiùs renudatam impuros ignes ex frigido illo hausit fonte, & libidinis æstus ex gelidis ebibit laticibus: ecce à somno, & epulis, à mundi luxu, & prosperitate quàm proclivis fuit ad Venerem transitus. 33.

Matth. 1. v. 6.

34. Affectio animi curâ vacantis, & stomachi epulis oppleti est libido: quot scintillas ejaculatur succensa fornax, totidem prava desideria mens otio, & libidine æstuans suscitat, ac fovet: Pulvillo dormientis Davidis cupido incubuit; surrexit, viditque mulierem se lavantem; lascivus aspectus scintilla fuit, quæ in paleam delapsa fœdi amoris turpe incendium excitavit in corde; mulier longè distabat, sed libido prope urebat; sed si ceci-

cecidit David delicijs difluens ; surrexit, & stetit calamitatibus divexatus, ærumnis
1. Reg. c. 12. pressus, flagellis castigatus. *Non recedet gladius de domo tua usque in sempiternum:* cum primùm has terribiles minas per Nathanem sibi intentatas audivit David, resipuit, pœnitentiam egit, quia ut scribit Aposto-
Ad Hebraeos 10. lus. *Horrendum est incidere in manus Dei viventis, & videntis, & ulciscentis :* & noctis unius nefariam voluptatem plurium annorum lachrymis abolere fategit, inqui-
Psalm. 37. ens. *Rugiebam à gemitu cordis mei :* dicit à gemitu cordis, seu spiritûs, non carnis: quia gemitus David editus fuit, non ob vulgi sermones, nec ob contractam ex scelere infamiam ; sed ob injuriam Numini super omnia diligendo illatam; hinc lectulum turpitudinis instrumentum per noctes singulas lachrymarum imbribus rigavit, lavitque.
Psalm. 6. *Lavabo per singulas noctes lectum meum, lachrymis meis stratum meum rigabo :* & oculi, qui fuêre ad flagitium duces, qui impuros æstus, ignésque libidineos in frigido Bethsabeæ fonte hauserunt, in fontes colli-
Psal. 118. querunt ipsi lachrymarum. *Exitus aquarum deduxerunt oculi mei, quia non custodierunt legem tuam ;* & quia non solùm oculi, sed & caro per fœdas suas concupiscentias à summo Bono defecerat, hanc jejunijs castigavit, & per subtractionem obsonij illi vires abstulit, ne ampliùs insole-
Psal. 108. sceret. *Genua mea infirmata sunt à jejunio;* & si quid alimenti sumeret, cinere inspersus erat panis, & potus lachrymis immixtus,
Psalm. 101. *quia cinerem, tanquam panem manducabam, & potum meum cum fletu miscebam:* vulnus quod animæ suæ per patratum adulterium David inflixerat, per cruciatuum pharmacum curavit, & per abjectum luxum virtutis restauravit detrimenta : disertè Salvia-
Lib. de Gubern. Dei. nus. *Agnoscit David reus culpam, humiliatur, compungitur, confitetur, luget, pœnitet, gemmas regias abdicat, crepantia auro textili indumenta deponit, purpurâ exuitur, diademate exoneratur, corde, & cultu mutatur, totum regem cum ornatibus suis abjicit, jejunio exugitur, ariditate siccatur, fletu effunditur, solitudine carceratur.*

35. Non tamen censeas, hos virtutis flores in alijs vernâsse excultis areôlis; quàm in senticetis ærumnarum ; nec ab alia credas emersisse radice, quàm ab ipso tribulationum vepreto. Tametsi resipiscentis Davidis lachrymæ sceleris absterserint fœditatem, non tamen peccati deleverunt supplicium : adhuc remisso scelere luendæ erant pœnæ, quas cœlestis Nemesis exigit, licèt temporarias, non gehennales. Inter calamitates, quæ Davidem afflixerunt, enumerantur filiorum Davidis flagitia ; incestus Amnonis cum Thamare sorore, permissus à Deo in pœnam patrati à Davide adulterij ; Amnonis interfectio ; Thamaris tabitudo ex mœrore contracta tolerati fraterni stupri ; Absolonis tumultus, rebellio, & interitus; Adoniæ perniciosa factio, & triste fatum ; Salomonis mollities à cultura virtutis defectio, & senilis dementia ; Roboami stoliditas: ac decem tribuum à regnatrice Davidica domo avulsio ; Joabi è sorore geniti cruenta trucidatio; ac demum prolixæ posterorum improbitates, & calamitates. Cæterum David inter primas calamitates ob adulterium, & Homicidium patratum recensere potuit pueri vix nati lethalem ægritudinem, quam tam impotenter tulit, ut septendio fleverit jejunus, incesserit atratus, saccóque opertus, humi jacuerit prostratus, nimirum ut acutè ait Salvianus, *natum ex crimine puerum, crimen ipsum occidit, quod creaverat.* Hisce calamitatibus accesserunt mœrores, angoresque afflicti animi, angustiæ oppressi cordis, dolores tristantis mentis : obversabantur ob oculos gemina potissimùm spectra, vetita libido, serpentinis horrida comis, spuriam prolem manibus tenens, & voce horrissona occlamans: & tu alienum thorum violâsti? te cœnosa libidine fœdâsti? alterum, quod ei objiciebatur spectrum, Uriæ erat umbra atrata, pallida, fuso cruore fœda, torvis oculis contuens, minaci voce ingeminans : Et cur tu me interfecisti, post meum violatum thorum? Hisce pressus angustijs David jugi lachrymarum imbre perfusus exclamabat. *Peccatum meum contra me est* Psalm. 50.
*semper*, hoc est patratum à me flagitium, me quovis in loco omni tempore redarguit ; meis, die, noctúque obversatur oculis ; à mea nunquam recedit memoria. Fusus Uriæ cruor me terret, & divinam Nemesin contra me excitat, quia vindictam exigit.

Dixisses Davidem instar feræ tot sauciatum telis, quot patratorum scelerum stimulis, & aculeis confossum, cum dixerit ipse. 36.
*Sagittæ tuæ infixa sunt mihi*, acutissima scilicet tela, penetrantes aculei, qui non solùm Psalm 37.
animum, sed & corpus, & intima viscera, imò & ossium medullas feriunt, sauciant, extenuant. *Non est sanitas in carne mea à facie* Psal. 37.
*iræ tuæ : non est pax ossibus meis à facie peccatorum meorum.* Bellum itidem sentiebat intestinum, carnis scilicet stimulos insurgentes contra spiritum, & pravas, ac putendas commotiones excitantes, quapropter ajebat.
*Lumbi mei impleti sunt illusionibus.* Hisce Psalm. 37.
internis ærumnis externæ etiam adjectæ fuerunt calamitates : siquidem Deus per internuntium Prophetam triplicem optionem pœnæ subeundæ obtulit, ut eligeret, vel famem septennio grassaturam : vel bellum trimestri spatio cruorem fusurum, & funeras clades daturum : vel pestem per triduum in populos sævituram : quâ optione auditâ attonitus hæsit saxum inter & cultrum, cùm non haberet, quo se verteret; tandem diram præoptavit pestem, malum scilicet sibi cum subditis commune futurum ; quò nimirum in partem veniret supplicij, qui pars maxima fuerat ultricis Nemesis iræ, & vindictæ. *Melius* 2. Reg. cap. 24.
*est ut incidam in manus Domini (multa enim*

*misericordiæ ejus sunt* ) quàm in manus hominum.

73. Cùm vidisset David utrinque se calamitatibus premi, miserijs opprimi, flagellis impendentibus excruciari has inter rerum angustias maluit à peste, seu à Domini manu, quàm ab hominum gladio, qui obstinato furore injurias persequuntur, torqueri, & pati. Annuit Deus Davidis voto, & præ fame, quæ septennis; præ belli violentia, quæ trimestris futura erat, triduanam immisit pestem, quæ cœpit in corpora hominum serpere, & in multorum etiam necem debacchari; domos, fora, & plateas enectis opplevit cadaveribus, florentem absorbuit juventam, plures in primævo adolescentiæ flore prostravit, & in adulta ætate utriusque sexus plura hominum millia extinxit: dixisses, cœlestem Nemesim Saturniam falcem in terras demisisse, quâ populum veluti fœnum demeteret; ubique audiebantur ejulatus morientium, funera videbantur interfectorum, inhumata ubique occurrebant cadavera horrorem incutientia: solo contactu lethale hauriebatur venenum, solo halitu mors contrahebatur: tanta fuit strages, ut virorum septuaginta millia teste scriptura perierint absque ulla lugubri pompa, donec Deus placatus jussérit Angelum gladium recondere. *Et ait Angelo percutienti: sufficit contine manum tuam*, etenim ut criminum apud Deum est mensura, sic & plagarum modus, quarum administros adhibet Angelos: singula enim, ad quæ gemimus, quæ expavescimus, quæ patimur, in numerato, & ad justitiæ lancem expensa sunt Deo; qui ferit, ut parcat; vulnerat, ut sanet; premit, ut dilatet; deprimit, ut erigat; affligit, ut soletur; enecat, ut vitam impertiatur juxta æquissimas providentiæ leges; & perinde videtur agere, ac cytharedus, qui fides citharæ tamdiu tendit, attrahit, vel remittit, donec unà assonent. An non David ad hanc fidium, seu plagarum tensionem harmonicum didicit concentum edere, vocésque emittere cœlesti harmoniæ consonas? inquiens. *Quoniam iniquitatem meam ego cognosco, & peccatum meum contra me est semper:* & quamvis Natham Propheta eum condonati sceleris certiorem fecisset. *Dixit Natham ad David, Dominus quoque transtulit peccatum tuum*, adhuc tamen in cinere, & cilicio pœnitentiam egit, lachrymis lectum suum rigavit, jejunio membra corporis, quæ instrumenta fuerant peccati, punivit: cineres tanquam panem comedit, ut promeritæ mortis memoria altiùs suis hæreret visceribus, & lachrymis sceleris vestigium adnixus est obliterare. *Cinerem tanquam panem manducabam, & potum meum cum fletu miscebam. Peccavit David*, ait D. Ambrosius, *quod solent Reges: sed pœnitentiam gessit, flevit, ingemuit, quod non solent Reges: confessus est culpam, obsecravit indulgentiam, humi stratus deploravit ærumnam, jejunavit, oravit, confessionis suæ testimonium in perpetua sæcula vulgato dolore transmisit*.

2. Re. cap. 24. — Psalm. 50. — 2. Reg. c. 12. — Psal. 101. — Apolog. 1. David. c. 4.

Hinc D. Ambrosius arguens Theodosium Imperatorem, quòd ex ira tot millia Thessalonicensium ob dejectam uxoris suæ statuam interemisset, & ille objecisset Davidem, qui manus innocentis Uriæ sanguine fœdavit, subjecit Ambrosius, *si secutus es errantem; sequere pænitentem*. Ideò varijs Deus calamitatibus, & ærumnis Davidem afflixit peccantem, & lapsum; ut vegetiorem erigeret, ac beneficijs cumularet uberioribus; ac disceret flores solatiorum lætiùs non vernari, quàm post gelidam, ac luridam calamitatum hyemem. David quia post lapsum pluribus fuit calamitatibus pressus, ex lapsu fortior surrexit, ac vindicem Dei iram pro virtutis incitamento habuit, dixitque propterea. *Bonum quia humiliâsti me, ut discam justificationes tuas*. Est siquidem afflictio, quæ prædura corda in obsequia emollit Numinis, & in studia flectit virtutum; licèt non desint iniqui, qui verberibus duriores evadant, de quibus Jeremias conqueritur. *Percussisti eos, & non doluerunt: attrivisti eos, & noluerunt recipere Disciplinam*. Eodem tenore conquestus Ezechiel ait. *Multo labore sudatum est, & non exivit de ea nimia rubigo ejus, neque per ignem*: quia obduruit, & obriguit ad inflicta verbera. David verò post lapsum, quia calamitatibus pressus, vegetior surrexit, cautior, & sanctior vixit. In Davide ærumnis torio tribulatio veluti fornax fuit, in qua quia David resipiscens aurum fuit, non palea, sordes exuit, nec in cineres abijt: appositè D. Augustinus. *Nunquid lucet aurum in fornace aurificis, in monili lucebit, in ornamento lucebit, patiatur tamen fornacem, ut purgatum à sordibus, veniat ad lucem. Fornax est ubi palea, ubi aurum, ubi ignis, ad hanc flat aurifex. In fornace ardet palea, & purgatur aurum: illa in cineres vertitur, à sordibus istud exuitur. Fornax mundus, palea iniqui, aurum justi, ignis tribulatio, aurifex Deus. Quod vult aurifex, facio: ubi me ponit, tolero: jubeor ego tolerare, novit ille purgare. Ardeat licèt palea ad incendendum me, & quasi consummendum me: illa in cinerem vertetur, ego sordibus carebo.*

38. — Psal. 118. — Cap. 5. — Cap. 24. — In Psal. 61.

## § V.

### *Adversa viris probis non adferunt nocumentum; sed inferunt emolumentum quia tunc Deus eos exercet, ut vegetiores virtutum cultura floreant.*

Qui angustijs, & adversitatibus premuntur, protectorem sentiunt Deum; & non solùm peccantes tribulatio urget, ut resurgant; sed & innocentes affligit, ut lætiores virtutum culturâ floreant. Etiam præ cæteris fratribus morum integritate eminuit Josephus, ætate puer, vitâ innocens, moribus integer; & tamen, quò ad principatum surgeret in Ægypto tribulatio stimulante fraterna invidia eum in siccam detrusit cisternam fame, & siti interficiendum. 39.

*Projicite eum in cisternam hanc, quæ est in soli-* Genes. cap. 37.

*solitudine*: deliberaverant invidi fratres hanc in cisternam demittere Josephum, ut omni destitutus obsonio deficientibus sensim viribus fame periret; sed dum fraterna invidia eum in cisternam illam demisit, ærumnosa calamitas eum ad principatum erexit: quos enim Deus impensiùs diligit, hos gloriosiùs erigit, afflictionibus priùs probat, ærumnis premit. Ex Jacobi familia justior Joseph detruditur in cisternam, fame interficiendum. Ex familia Adæ occiditur à fratre Abel innocens, & Deo gratus. Ex Prophetis exulare adigitur Elias divinæ gloriæ zelotissimus ob impij Regis Achabi, & Jezabelis persecutionem. Daniel licèt vitæ sanctimoniâ, morum integritate conspicuus, in lacum projicitur à leonibus discerpendus, ac vorandus; imò licèt inter natos mulierum non fuisset major Baptistâ, in carcerem tamen detruditur & ab impio Herode capite minuitur: quia virtus non adolescit vegetior, nec floret pulchrior, quàm ærumnis, ac tribulationibus exculta; quos enim Deus amat hos ærumnis probat, ac perficit; perinde ac autifex in crucibulo aurum torquet, quod purius extrahat: ait D. Gregorius: *Hinc ergo unusquisque colligat, quid illic sint passuri, quos reprobat, si hic cruciat, quos amat.* Non putemus à supplicio immunes, qui vitijs indulgentes minimè hic puniuntur, ubi innocentes ærumnis affliguntur, & calamitatibus premuntur: suas & ipsi erunt pœnas daturi, sed in æternum interitum. Innocentes verò & virtutum culturæ addicti, quò acriùs hic ærumnis premuntur, eò uberiori donantur gloriâ. Joseph ideo in Ægypto purpuram induit, quia polimita veste à fratribus fuerat antea exutus, & perinde, ac vilissimum mancipium divenditus; sed nunquam clariùs divina in ipso affulsit protectio, quàm cum in cisterna detrusus omni fuit humano subsidio destitutus, quia inde extractus & in Ægyptum ductus principatum enanciscitur, cum libertatem amisit.

Lib. 2. moral. cap. 4.

40. Servitus nisi cum scelere cohæret, libertas verò, & gloria inocentiæ adsciscitur. Idque causæ cur Israelitæ, tunc servi fuerunt nuncupati, cùm libertate donati vitijs indulsêre: ait Esdras *Quia servi sumus*, abstinuerat Esdras hactenus à verbo servitutis; tametsi pluries sermonem instituerit de filijs Israel, tum Babylone considentibus, tum è Chaldæa emissis, tum Jerosolymis commorantibus; tametsi squalido premerentur famulitio, non tamen probrosa servorum nomenclatione eos notavit. Cur igitur libertate donati servi vocantur? qui captivitate ligati probrosa hac non fuerunt servi voce appellati? cur à captivitate respirantes servi vocantur, qui nusquam Babylone catenati, contabuisse feruntur in servitute? quia nimirum tunc vincti ferreis catenis, animi libertate in corporis servitute gaudebant; nunc verò in corporis libertate animi incurrunt servitutem; tunc vinciebantur, ounc peccâtuot, ut inde inseramus, non ab ansulis, sed à piaculis servitutem pendere: famulatur Israel, non cùm servit homini, sed cùm vitio indulget; & peccato inservit; non compede vinctus probrosam servi nomenclationem patitur, sed vitio coinquinatus. Hanc unam peccati servitutem agnovit Esdras, eámque expavit, quia in eam incidens, nec auro, nec libertate respirat. Si moribus sis integer, innocentiâ candices; tametsi Babylone in cavea detinearis, compede vinciaris, liber es, quia innocens: secus si Jerosolymis multò perfulgeas auro, prolixo servorum comitatu incedas stipatus; si vitijs indulgeas, eò turpiore servitute detineris, quò liberiore sensu mundi voluptatibus deliniris, carnisque delicijs diffluis. Israelitæ cum Babylone morarentur inter compedes templi meditabantur structuram, hostiásque cogitabant Numini immolandas: *Et surrexerunt Principes Patrum, & omnis cujus Deus suscitavit spiritum ut ascenderet ad ædificandum templum Domini*; quia de construenda Numinis domo Babylone commorantes moliebantur; Persarum dominatus eos principatu non valuit exuere; quamvis & torquem detraxerit, & catenas injecerit. Sed quid? quòd Jerosolymis mox degentes, & templum construentes, servi audiant, nec ab Esdra aliter vocentur, quàm *servi sumus*? si à Rege Persarum dimissi, si compedes exuêre, vincula fregerunt, si à satrapis sublevati, aureis vasis prædivites, murorum extructione gloriosi, ubi servitus? ubi famulitium? servitutem, quam Babylone inter catenas, & compedes excusserunt; Jerosolymis, quia libertate donati incurrerunt, quare? audi ipsos *Dereliquimus mandata tua*, nimirum in libertate, in auro servitus peccantibus insidiatur: & libertas etiam in ferro, & vinculis innocentibus patrocinatur. Quid? quòd nec divitias possedit, soluta vinculis iniquitas, cùm in luto, in latere præfulserit innocentia castenta? Non Babylone captivus peccavit Israel, sed Jerosolymis solutus in scelera solvit; neque inter vinculorum & ærumnarum procellas, sed in malacia arridentis libertatis fuit æstu agitatus exitiali; & naufragium subiit è Chaldæa redux in patriam, cum rore divinæ misericordiæ perfusus inter compedes fuerit. *Inclinavit super nos misericordiam coram Rege Persarum, ut dares nobis vitam.*

Esdra lib. 1. cap. 9.

Esdra lib. 1. cap. 3.

Esdra lib. 1. cap. 9.

41. Sed è roscido imbre divinæ beneficentiæ lappa germinavit iniquitatis, & qui in sulphure lilia excoluerat, tribulos produxit in melle. Compede vinctus Israel de templo cogitavit construendo, si libertate donaretur; sed disruptis vinculis servitutis, vel in ipso templo lupanar omnis impudicitiæ architectatus est; & qui fuerat agnus, quamdiu non procul abfuit à leonibus rugientibus ad escam: inter oves sanctuarii in lupum, & draconem degeneravit; unde si calamitas profuit ad culturam virtutis; prosperitas ob-

obſuit ob indulgentiam vitij; quò inde inferamus, nocentiora eſſe felicitatis oſcula, quàm vulnera calamitatis: quòd ſi populus reſpiravit à nervo, & compede Babylone: conſpiravit Jeroſolymis in libertatis ſuæ authorem; nimirum illic reſpiravit, & proba fovit deſideria, pios in Numen excitavit affectus, quia calamitatibus preſſus: hic verò quia deliciis diffluens, divitiis affluens, proſperitate delinitus in ſcelera ſolvit; & legem inter tonitrua, & fulgura ſcriptam, inter flores, & armillas delevit; quæ enim lapideæ erant præceptorum tabulæ, ſi ferro ſculpebantur; auro expungebantur; ſicque è melle divinæ miſericordiæ fellea ſcaturivit iniquitas, quæ in laniena Chaldæorum obdormierat. Iniquitas tametſi nullius ſit pretij, aurum tamen æmulatur, ſi in ærumnarum crucibulo exuratur, quia purgatur, & ejus fœditas cinereſcit: qui ſordes contraxit vitijs indulgendo, niſi in crucibulo adverſitatum ſuppoſito tribulationis igne expurgetur, fœditates non exuit. Abſoloni pretioſa coma tunc fuit, cum illam quot annis ferro tondebat: niſi tribulatio ſuperflua præcidat; pretium, & venuſtatem deperdit ſuam virtus, quæ tunc effloreſcit pulchrior, cum raſtro tellus cordis excolitur, appoſitè D. Chryſoſtomus: [*Homil. 4. de pænit.*] *Quemadmodum aratrum immittens deorſum terram, aperit tutam ſeminibus cuſtodiam, ne jacta in ſuperficie remaneant, ſed tanquam in ipſos terra ſinus immittantur, & in tuto radices figant: ſic & nos facere debemus, & tanquam aratro tribulatione utentes cordis profundum ſcindere. Scindite corda veſtra ait Propheta; corda igitur ſcindamus, ſi qua doloſa herba, & improba cogitatio nobis ineſt: radicitùs eam evellamus & puras pietatis ſeminibus terras exhibeamus, niſi tunc renovemus novale, niſi tunc ſeramus cum adeſt tribulatio, quando unquam in compunctionem veniemus?*

42. Suſpecta eſt virtus, ne probro laboret ſterilitatis, quamdiu vomere non excolitur tribulationum, nec laboribus probatur. Virtutis examen nullibi tutius fit, quàm in trutina adverſitatis, & patientiæ; quapropter ſcribit Apoſtolus: [*Ad Rom. 5. n. 4.*] *Tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem.* Hinc D. Baſilius ait: [*In Pſal. 33.*] *Qui tribulationem detrectat, probatione ſe privat*: quia ſicut igne torquente aurum probatur; ita virtus ærumna premente comprobatur: hinc David [*Pſal. 57.*] *Si ambulavero in medio tribulationis vivificabis me.* Non nititur, tribulationes à ſe excutere, nec Deus permittit carere Davidem afflictionibus, ne fructibus deſtituatur excultæ virtutis: de ſola fortitudine, & vivificatione in medio ærumnarum fuit David ſolicitus; quia nemo tutior vivit, quàm ærumnis preſſus, quas libenter tolerat: eſt enim tribulatio, quæ animum à vitiorum retrahit lenocinijs; ab occaſionibus removet peccandi: hinc D. Baſilius expendens præfata Davidis verba in eundem ait. [*Ibidem.*] *Tribulationes repelles; ſed in ipſis etiam me afflictionibus conſtitutum ſervare, & mortem expectantem vivificare poteris.* An non vox eſt illa Dei punientis ſimul, & miſerentis? *Ego occidam, & ego vivere faciam.* Sed ſi mortem infert, quomodo vitam affert? ſi proſternit, quomodo erigit? ſi enectus jacet homo, quomodo vivere dicitur? quia inter labores juſtum morti deſtinatum, dignum meliori vita Deus efficit. Improbi in rerum copia; juſti verò, & virtutum ſtudio addicti, in ærumnis probantur.

43. Populo incredulo, ac ingrato bonorum affluentiam concesserat Deus eum probaturus; *Ecce ego pluam vobis panes de cælo; egrediatur populus, & colligat per ſingulos dies, ut tentem, utrum ambulent in lege mea, an non.* Tentaturus Deus, ſeu probaturus ſuum populum abundantiam indulſit bonorum, quia pluries jam defecerat: ſecus virtutem exploraturus juſti Jobi, bona, quæ poſſederat abſtulit, cúmque torquendum cacodœmoni permiſit: *Extende paululum manum tuam, & tange cuncta, quæ poſſidet;* [*Job. 1. v. 11.*] quia ad probandum num aurea virtus ſit, vel cuprea, nullus lydius lapis adverſitate, & afflictione opportunior: ſed ſi in rerum affluentia Deus impium probat, cur per bonorum ſubtractionem, cur per immiſſas calamitates, & afflictiones, excultam à juſto explorat virtutem? An quia de impio Deus minus ſperat, & pro merito ducit ſi in rerum copia non [*Genſ. 22. v. 1.*] intumeſcat? ſi in bonorum affluentia non ſuperbiat? & quia de juſto majora ſemper ſperat, ærumnis preſſuris meliorem efficit; ac propterea anguſtiis premit, languoribus affligit, ut tribulationibus probet. Quapropter tunc virtutem probavit Abrahami, cùm diſtricto gladio filij ſui dilectiſſimi Iſaac cervicem amputare paraverat: *Tentavit Deus Abraham, & dixit ad eum tolle filium tuum,* [*1. Timoth. 4.*] *quem diligis Iſaac, & vade ad montem viſionis, ibique offeres eum in holocauſtum*, quòd ſi virtus juſti lydio tribulationum probatur; non eſt, quòd conquerantur qui multiplici premuntur calamitate; argumento id eſt, à Deo eorum probari virtutem: ſunt ærumnæ, quæ probos erudiunt ad virtutum exercitia, quippe ait D. Paulus: *omnes qui piè volunt vivere perſecutionem patientur.* Nos premit adverſitatum pondere Deus, ut pretioſiorem virtutis eliciat liquorem. Uva premitur in torculari, quo muſtum dulcius eliquetur: oliva contuſionibus preſſa oleum fundit ſymbolum charitatis: Roſa vernat lætior, adoleſcit vegetior, & redolet ſuavior, quæ pluribus circumcingitur ſpinis, quæ dumetis circumſepta allicit, & pungit; delectat, & vulnerat; placet & cruentat: ardente ferro adamas perpollitur; & limæ morſu excruciatus pretium induit. Spicarum manipuli in terram proſtrati, bacillis diverberati, pedibus conculcati triticum à paleis ſeparant in cœleſtibus horreis aſſervandum. Miles non qui in caſtris deſes jacet, ſed qui labores ſubit

in

in hostes irruit, & stans fortiter pugnat, victricem sibi coronam texit, & per inflicta vulnera viam sibi ad gloriam aperit, scitè D. Chrysostomus: *Ut in certamine Athletam sudore, calore, frigore, pulvere, multo labore periculis luctari oportet. Sic & justum in hac militia plurima pati, & omnia strenuè ferre decet, si splendidam utique palmam accipere debeat. Si corpus ita maximè laudamus, si frigus, calorem, famem, sitim, & cæteros labores haud gravatim ferat, multò magis laudanda anima, quæ possit omnes impetus malorum fortiter, ac strenuè pati.* De patient. Job ad virg.

44. Miser non est, qui adversitatibus premitur, trucique impetitur fortuna; sed qui adversa pati detrectans, labores refugit, & somno, otióque indulget. Quo tempore Sardanapalus vitiorum mancipium imperium regebat Assyriorum in urbe Ninive, injunxerat Deus Jonæ, ut quavis disruptâ morâ in urbem illam se conferret, ac Niniviris ad extremum prolapsis flagitiorum excidium denuntiaret: verùm quia timuit, ne eversionis nuntius haberetur mendax, & ne pœnitudo scelerum vibrandum fulmen à Deo coërceret, ac retineret & ipse vanus territator in populorum traheretur ludibrium; non Niniven adivit, sed Joppen se contulit, mediterranei maris in Palæstina portum; ubi conscensâ navi, vela ventis dedit secundis Tharsum versus urbem Ciliciæ nobilem: sed cum fugæ administram inscendisset navim fluctibus ipse præpeditur, quibus se commendare fugæ cogitaverat: venti, & procellæ in Prophetæ pertinaciam insurrexere; cœperunt nubes in aëre conglomerari, & undique obductæ tenebris, diem eripere, terrores incutere, fulgura evibrare, minas repetito tonitru spargere, imò & fulmina cudere: cœpit cùm aëre etiam mare furere, & decumanis fluctibus navem quatere, exagitare, quâ Jonas vehebatur; & quem sæva tempestas inquirebat latentem. Quid tunc? *remigabant viri, ut reverterentur ad aridam,* Jon. 1. v. 13. cum discurrerent alij nautæ ad officia trepidantes, vela subducentes tempestati, imò & quidquid navigio visum fuerat onerosum id fluctibus extraderent. Jonas malè sibi conscius interno magis tumultu, quàm nautarum clamoribus, & procellæ fragore percellitus ad inferiora descendit navis, ubi morere pariter, ac sopore oppressus somno indulsit: sed ingravescente procellâ mittuntur sortes à nautis, victima inquiritur danda irato Neptuno, & in fluctus mergenda: nomen ex urna educitur Jonæ, qui de lignea nave ad vitale marini ceti navigium transfertur: *Tulerunt Jonam, & miserunt in mare, & stetit mare à fervore suo:* Jonæ cap. 1. & tunc fluctus veluti lustrali hostiâ deliniti cœperunt illicò detumescere, cœlum itidem pristinam repetere serenitatem, ut & mare malaciam. Sed si tempestas omnes quotquot in navi aderant fuit adorsa, cur solus Jonas naufragus in mare dejicitur; & cæteri superatis spumosis vorticibus faustum, lætúmque cecinêre Pœana? quia licèt eadem procella in totam navim sæviisset; solum tamen Jonam invenit in eadem gravi sopore demersum: dormivit ille, cum reliqui in navi discurrerent trepidantes, ac laborantes, ut vela subducerent tempestati, & quidquid navigio erat grave in undas projicerent, ut nautica arte fluctuum impetus illuderent, ventorum flatus retunderent: idque igitur causæ, cur in solum Jonam procella sævierit. Pulchrè D. Basilius ait: *Mandatis communitum mare funditus turbat navigantes, undarum montes circumstantes prophetam deposcebant. Qui verò navigabant, ignari viri sancti, arte cum tempestate depræliabantur, & gubernaculo periculum repellere sperabant, & adversum mare navalem pugnam suscipiebant:* Orat. 12. & paucis interjectis subdit de Jona. *Propheta fugacitatis argutus est, casus damnationis sententiam excipit.*

Insanientes fluctus in perniciem tumultuârunt navis torosæ: undæ furorem despumârunt, irruerunt venti in ejus excidium procellis armati, & tota tempestas in naufragæ navis excitata fuit excidium: sed quia præter Jonam reliqui quotquot aderant navalem contra procellam susceperant pugnam, desudârunt, ac strenuè pugnârunt contra marinos fluctus, illorum impetus illudentes, ventorum flatus declinantes, & imminens effugientes naufragium: hæc calamitas undarum, hæc adversitas tempestatis, laborantes, & afflictos incolumes perduxit ad portum, & solum Jonam in nave tunc stertentem, gravi sopore demersum vivum absorbuit. Tametsi atrox tempestas mortem omnibus minaretur; periculum tamen evaserunt, qui cum ventis, & fluctibus fuêre luctati, & solus Jonas quia deses, somnóque indulgens vivo extraditur sepulchro à ceto deglutitus. Cùm primùm cœpit procella insurgere Jonas descendit ad interiora navis, ut somno indulgeret. Quid deterius, quid periculosius hac segnitie, & otio? debuisset tunc Jonas, modò in puppi, modò in prora, vel ad navis clavum consistere, & veluti Numinis Præco, ac Legatus reliquos admonere de illius providentia, potestate, judicio, & præsertim de cura salutis animæ, sed sibi malè conscius solus se se abdidit, & quia à communibus laboribus, & ærumnis se eripuit, periculum non evasit, quia per susceptos labores, & adversitates, noluit, ut reliqui nautæ, ad portum tutum dirigere iter. Profectò spectat Deus luctantes viros cum adversitate, ac strenuè laborantes: ærumna stadium est, in quo sortes currunt, palmæ inhiantes; asperitates, & adversitates, quas in corpore tolerant, formidini sunt imbelli, & excitamento forti: quos enim vir imbellis formidat labores, hos vir fortis exambit. 45.

§. VI.

## §. VI.

*Viro forti adversa non sunt formidini; sed masculæ virtuti addunt incitamenta, spondent adoreas, & triumphale cudunt diadema.*

46. Viro forti rarò sunt adversa formidini; quapropter de viro forti, ærumnisque presso ait Salomon: *Certamen forte dedit illi, ut vinceret, & sciret quoniam omnium potentior est Sapientia*, & alludit ad luctam illam gloriosam, quâ Patriarcha Jacob deprælatus cum Deo, triumphum rapuit de virtute, de constantia palmam, & de victoria gloriam; cùm pugnam horis invisi set antelucanis, animosè irruit in adversarium, nec timidus detrectavit certamen, quia ipsius noctis caligines, itineris labores, soceri persecutiones felicitatis spondebant auspicium, & unde videbatur ruina imminere, inde securitas oriebatur: infelix non fuit Jacob, nec prostratus cecidit, sed victor stetit, quia impetitus, percussus, exagitatus; cùm enim luctam præcessissent labores, & persecutiones, & Esaui fratris timeret insidias, paveret occursum, has inter angustias victor stetit, ac de adversarijs triumphavit; siquidem ut ait Lyra *ad hoc fuit illa lucta, ut Jacob assecuraretur de Esau, quem nimis timebat*. Quos Deus amat, hos & protegit, licèt exagitet, varijsque premat tribulationibus, & angustijs, idque cùm novisset Seneca ait: *Miserum te judico, quòd non fuisti miser, transivisti sine adversario vitam: nemo sciet quid potueris, nec tu quidem ipse: opus est enim ad notitiam sui experimento, quid quidem quisque posset, nisi tentando non didicit*. Jacobi fortitudo non emicuisset, nisi certaminis tentamenta eam promulgâssent. Quantum quis sibi laboriosi certaminis subtrahit, tantumdè uberioris gloriæ hosti addit, Goliathus ingens robore, truculentus aspectu; cædis, ac minarum spirans, altum vociferans optimum quemque ex fortioribus Israëlitis ad singulare certamen provocaverat. Vicina inter se castra locaverant; Hebræi & Philisthæi parati ad pugnam si fortè hostis in vallem interjectam conferturus certamen descenderet; quod mutuis clamoribus dietim audiebatur utrinque expósci, quamvis quadraginta jam effluxissent dies, neutris aleam tentantibus; idque causæ fuit Goliatho staturâ giganteâ, viribus, ac armis munito, ac ferocienti in medium vallis progrediendi, & ad pugnam provocandi, si quispiam esset ex toto Hebræorum numero, qui vellet secum dimicare, & quia nemo fuit ex Hebræis, qui auderet pugnam cum Goliatho inire, & publicum dedecus abstergere; neque promissis à Saule divitijs, tributorum immunitate; imò & Regiæ filiæ conjugio, passus fuit quispiam se permoveri ad singulare illud certamen incundum; Goliathus enim oris truculentiâ, gigantea corporis statura, aspectûs tumore, vocisque minaci clamore tantum incusserat Israëlitis terroris, ut nemo auderet cum ipso dimicare: hinc Saul pavidus unà cum suis in tumultu erat, & hostis supercilium Israëlitas omnes priùs prostraverat, quàm expugnaret: sed sub idem ferè tempus cùm ad castra David accessisset, adolescens missus à parente cum commeatu ad fratres, & audivisset gigantem consueta ferocia, ac insultatione Israëlitas lacessere, si quis esset, qui secum cominùs vellet congredi, taliter ut suæ genti vel æternam servitutem victus; vel imperium victor adferret: & observâsset Israëlitas animo cecidisse, ac trepidâsse; ipse licèt adolescens, & inermis, quo tamen erat excelso animo præditus, zelóque divini amotis inflammatus Israëlitis intuitus trepidantes, & barbarum Goliathum extimescentes: *Omnes namque Israëlitæ cùm vidissent virum, fugerunt à facie timentes eum valdè*. Totam pugnæ provocationem ad se rapuit, descendítque inermis in vallem interjectam; victoria potitus ante initum certamen, jacto enim lapide, quem in torrentis alveo selegerat, superbiæ turrim prostravit; & caput Goliathi quod toti Israëli terrorem incusserat, Davidis manui cessit pugnanti. *Infixus est lapis in fronte ejus, & cecidit in faciem suam super terram*. Quid, quòd David adhuc adolescens ovibus pascendis assuetus, belligerando Goliathum prostraverit, qui toti Israëli terrori fuerat? quia licèt armis pertractandis nondum David assuevisset, laboribus tamen, & adversitatibus tolerandis induruerat: & quia labor in adversis victoriam spondet, torrentem adivit procellæ, ac adversitatum symbolum, in quo lapides selegit, quibus catneam Goliathi turrim prosterneret; pulchrè Basilius Seleuciensis: *Misso lapide galea rumpebatur, plagam caput admittebat, & anima de corpore fugiebat, sternitur mortuus Goliath, sternitur alienigenarum turris*. Armatus David lapide tribulationis è torrentis alveo selecto opprobrium delevit Israel, & in prostratione Goliathi monumentum sibi construxit æternæ gloriæ.

Cap. 10. — Lib. de provid. — 1. Reg. c. 17. v. 24. — Orat. 15.

47. Etiam Annibal Romanorum terror referente Suida plures sibi victrices demessuit palmas, quas proprio sudore rigavit, & labore excoluit; septendecim enim annos sub dio egit bellicis cladibus exercitatissimus, rebus adversis assuetus, & per quas ad victorias, & nominis gloriam sibi viam stravit, adeò ut liceat cum Plinio in panegyrico exclamare. *O quàm utile est ad usum secundarum rerum per adversa venisse!* Goliath, qui mole sua gigantea toti Israeli materia fuit dedecoris; Davidi occasio fuit laudis, & gloriæ, nimirum qui timidis, & imbellibus, ac delicijs diffluentibus terrorem incusserat, & dedecus inusserat; Davidi adolescenti uberem triumphi segetem suppeditavit, quia hic non ferreis armis, sed prædurο tribulationis lapide pugnavit, quo Goliathum expugnavit

& qui

& qui ignominia affecerat Israelitas, trophæis Davidem coronavit.

48. Viro forti laboribus, ac adversitatibus tolerandis assueto etiam ipse terror fit gloria. Expertus id Moyses fuit ad Pharaonem à Deo delegatus pro petenda populi dimissione. Projecit ipse coram Pharaone in humum virgam, quæ in colubrum statim versa fuit, adeò ut expaverit ipse hiantem aperto ore belluam revolutis caudæ spiris mortem minantem: sed Deus nuda manu jussit serpentem apprehendere, qui, dum Moyses fugeret, deterrebat aspectu, & sibilo; dum excitato animo fortiter audet, insueta naturæ prodigio in virgam vertitur alliciente, & qui terrebat caudæ spitis serpens, jam eblanditur in sceptro imperij. *Versa est in colubrum ita ut fugeret Moyses, dixit Dominus: Extende manum tuam, & apprehende caudam ejus. Extendit, & tenuit, versáque est in virgam:* nimirum eadem virga, quæ pavido erat serpens terrores incutiens, animoso ac forti, & tolerandis adversitatibus parato fit virga imperio præludens. Si semper Moyses fugisset, semper serpens eum fuisset insectatus; sed dum audaci manu apprehendit serpentis caudam spiris mortem minitantem ferinum statim deposuit serpens venenum, & se se in virgam insueta metamorphosi transformavit. *Timent injusti,* ait Oleaster hic, *facere opera justitiæ, ac si serpens esset: ea verò in manu, seu in opere virga levis, & mitis est:* quid ni, tribulatio, & adversitas instar truculenti serpentis plurimos territat, qui si viriliter auderent; si labores, terrores, & adversa non detrectarent tolerare; vel ipsos serpentes in florescentes virgas, & eblandientia sceptra transformarent: est enim tribulatio, quæ vel ipsos terrores in gaudia vertit: & quamvis flagellum videatur esse exteriùs, glorificat tamen interiùs; licèt pulveres excutiat in cute corporis, animum tamen perpolit: est enim veluti fornax accensa, in qua cinerescit palea, & purga-
In Psal. 60. tur aurum, hinc Augustinus: *In fornace ardet palea, & purgatur aurum, illa in cinerem vertitur, & illud sordibus exuitur; fornax mundus, aurum justus, ignis tribulatio, artifex Deus; quod vult ergo artifex facio, ubi ponit me artifex tolero, jubeor ergo tolerare, novit ille purgare. Ardeat licèt palea ad incendendum me, & ad consumendum me, illa quasi in cinerem vertitur, ut ego sordibus caream.*

49. Hinc David quamvis millenis fuisset à Deo beneficiis cumulatus, ne ingratus moreretur, oculos in Deum dirigens aiebat:
Psalm. 118. v. 71. *Bonum mihi Domine, quia humiliâsti me.* Sed cur solius humiliationis, & afflictionis meminit David? & potiora obliviscitur, seu suscepta reticet beneficia? cur non potiùs debitas reddit Deo grates; eò quia è caula ad aulam eum perduxerit? & à pascendis ovibus ad regimen promoverit populorum? & pedum cum sceptro, penulam cum chlamyde, pileum stramineum Regio cum diademate permutaverit? & à pecoris custodia ad imperium evexerit populorum? cur igitur potiùs non dixit: Bonum mihi, quia ex opilione Regem me fecisti; ex paupere divitijs affluentem? An non hoc beneficium præferendum erat humilitati, & afflictioni? Dixisset Joseph Pharaoni, bonum mihi quia promovisti me in aula tua: dixisset procul dubio Ruth mulier suo Bozin; bonum mihi, quia fecisti me divitijs affluere: dixisset Esther Regi Assyriorum; bonum mihi, quia coronâsti me: dixisset Mardochæus Assuero; bonum mihi quia honorasti me: Tobias Angelo, quia illuminâsti; Naaman Eliseo, quia mundasti me; Claudus Petro, quia gressum dedisti mihi; Lazarus Christo, quia ad vitam me revocâsti; vita enim restituta fuit bona Lazaro; ut & sanitas Claudo; à lepræ purgatio Naamano; visus restitutus Tobiæ; honor Mardochæo, Regium Diadema Estheri, copia divitiarum Ruth, & promotio ad purpuram Josepho: cur igitur David tot reticens beneficia, quibus fuerat à Deo ditatus solius meminit humiliationis? quasi hæc fons ille fuisset, à quo bona omnia hauserit: *bonum mihi,* ait David, *quia humiliâsti me:* quia nimirum hoc longè utilius, ideóque & charius ei fuit, quàm si omnes mundi divitias, montes ipsos aureos à Deo accepisset. Quòd si quæras, cur humiliatio tam bona Davidi fuerit, ut præ cæteris bonis illius tantùm meminerit; audi quid ipse pergens dicat: *Bonum mihi Domine, quia* Psalm. 118.
*humiliasti me, ut discam justificationes tuas.* Humilitas enim & tribulatio optima est Magistra, quæ justificationes Dei, observantiam legis, suadet, & edocet; idque fortassis causæ, cur Deus nonnisi inter tonitrua, & fulmina, dum cœlum mugiret, aër fulguraret, nubes fulmina ejacularentur leges tradiderit Moysi; nimirum quò significaretur ad divinas leges observandas nunquam nos attentiores esse, quàm cum calamitatum fulmina in nos ruunt; cùm grandine furentium cladium prosternimur; tunc arrectis auribus stamus, & nos omnia facturos amplissimè pollicemur; si tribulatio nos vexet, angustiæ premant, adversitates affligant, Numini supplicamus, observantiam divinæ legis pollicemur, ut nobis opem suam impertiatur; nósque ab angustiis eruat: nunquam attentiores sumus in divinis præceptis servandis, precibúsque ad Deum fundendis, quàm cùm ærumnæ, & adversitates nos urgent, tribulationes affligunt, & angustiæ premunt, quapropter scitè aiebat David *Bonum mihi Domine, quia humiliasti me, ut discam justificationes tuas,* est tribulatio alexipharmacum animi ægritudinibus curandis aptissimum, ac sanitati restituendæ perideneum quapropter Augustinus ait: *Intelligat ho-* In Psal. 21.
*mo, Medicum esse Deum, & tribulationem medicamentum esse ad salutem, non pœnam ad damnationem: sed medicamento ureris, se-*

*carie, & clamat: non audit medicus ad voluntatem, sed audit ad sanitatem.* Tribulationes homini patientiæ præsertim exercitijs assueto generatim plurimum adferunt utilitatis, suntque propterea virtutis exercitio, non homini exitio; quia dum nocent, docent salubriora.

50. Jobus Numinis commendans providentiam, præsertim in constipandis in aëre nubibus; illisque per varios ducendis telluris tractus, ad terram ubique locorum rigandam, campósque arescentes restaurandos ait: *Qui ligat aquas in nubibus suis, ut non erumpant pariter deorsum:* Ex vaporibus sursum è terra solis beneficio avolantibus concrescunt in aëre medio pendulæ nubes, beneficæ pluviæ, frigidæ nives, & grandines, in quibus quanta mirabilium florescat seges, quanta divini Artificis splendeat sapientia, conjicitur ex tam variis effectibus ex uno eodem materiali principio in eodem solo procreandis per variam frigoris in aëre temperationem. Docet enim Aristoteles: in medio aëre tria concrescere beneficio frigoris; & concreta ad nos descendere; pluviam, nives, & grandinem: & asserit, pluviam fieri ex multo vapore, qui infrigidatur, seu frigefactione non tam subita, ut aqua statim rigescat: nivem, cùm nubes ipsa congelatur, quando enim subitò frigus nubem corripit, antequam in aquam vertatur, eo frigore correpta nubes gelascit; & inde oritur nix, quæ in vellera descendit: grandinem verò fieri per majorem constrictionem, vehementem, ac subitam vaporis in aquam jam concreti: sed quis satis intelligat, quomodo idem vapor non totus subitò sive in pluviam, sive in nivem, & grandinem concrescat? Quis non miretur divinæ sapientiæ, ac potentiæ artificium, cùm ex tam modicis principiis in aëris officina, tam insignia, ac mirabilia cudat opificia? quæ admiratus quondam sapiens quispiam, DEUM patrem pariavit pluviæ, & stillarum roris genitorem prædicavit, de cujus utero egressa sit glacies: & qui thesauros nivis, & grandinis in diem pugnæ, ac belli paravit, non in favilla aliqua asservatos, sed ad nutum voluntatis suæ ex aëre statis temporibus educendos? Quis satis intelligat, quomodo nubes imbribus graves libero cœlo librentur, & non toto impetu simul in terram ruant? quomodo intra sinus tam molles aquæ se contineant intra nubes, instar uteri conglomeratæ? quomodo nimbis gravidæ huc, illúcque per varios aëris tractus volitent, & deorsum non ruant? quomodo figuras, & colores, quibus variè pinguntur semper mutent, & nunquam destruantur? Mille modis trahantur, & nunquam angulosæ, sed semper sinuosæ, & veluti involutæ & accumulatæ, ac alpium instar fastigiatæ, & mox vario colore veluti depictæ aureæ, rubentes, cinereæ, atræ, candidæ appareant? Quis nubium varios motus satis percipiat, nunc sursum scandunt, nunc in contrarium pergunt, nunc inter se se concurrunt, nunc aliò, & aliò tendunt: neque otiosè discurrunt, quia receptacula sunt ipsæ pluviarum ad necessitatem instituta. Haustas enim & conceptas pluvias variis rigandis terrarum tractibus huc, illúcque bajulæ Dei providentiæ advehunt; adeò ut divina sapientia aëreas claudat aquas, & veluti panno, ac veste constringat, ne diffluant, nisi ubi exarescens tellus eas exposcit, in quo sensu videtur dixisse Jobus, *qui ligat aquas in nubibus suis, ut non erumpant pariter deorsum:* sunt enim nubes veluti plaustra aquis onusta, & venti instar equorum, nubes & aquas trahentiom. Quòd si DEUS has aquas uno, eodémque impetu in terram simol præcipitari fineret, plus obessent, quàm prodessent: sed quia stillatim duntaxat, & guttatim defluunt, fœcundo illapsu terram irrigant, plantas humectant, totámque vegetantium naturam restaurant, ait Job. *Si continuerit aquas omnia siccabuntur, & si emiserit eas, evertent terram;* perinde ac in cataclysmo cùm dimissæ facto agmine præcipites ruebant.

*Job. cap. 26. v. 8.*

*1. Meteor c. 9. & seq.*

*c. 12. v. 15.*

51. Numinis igitur Providentia eam aquarum molem temperat, nec penitus detinendo agris subtrahit, nec subitò emittendo campos suffocat, sed medium tenet; & singulis terrarum tractibus necessarium suppeditat solatium imbrium depluentium, quibus æstu fatiscenti, rimásque agenti terræ, omnique ope sua destitutæ opportunè succurrit. Rigantur igitur pluviâ, & recreantur fatiscentes terrarum tractus, restaurantur arescentes præ nimio æstu plantæ, & languentia vegetantium germina reficiuntur, ac lætiora virescunt. Hinc ille prædives telluris proventus, & alimentum, in quo anceps hæreas; num imber magis proficuus sit si sitienti suppeditetur terræ; vel eidem subtrahatur luxurianti; cum non minus æstus, quàm humorum excessus frugibus obsit: idque causæ, cur si ex diutina, ac redundanti pluvia vitium plantæ contrahant, accedat illicò serenator aliquis ventus, qui nubes excutiens pristino suo nitori cœlum restituat, & solari radio terram antea aquis natantem exsiccet, & recreet: sitque aër ut loquitur Tertullianus *organum temporum;* eò quia varietas hæc aëris, & temporum, quam in hisce inferioribus experimur, ex variis in aëre oritur impressionibus. Ex pluvijs igitur plurimæ ad nos utilitates proveniunt.

52. Eh quis nesciat, aquas in divinis paginis tribulationum procellas prodere, ac symbolum esse afflictionum? unde David dixit: *intraverunt aquæ usque ad animam meam;* sicut igitur Deus ita pluvias terrarum tractibus impertitur, & attemperat, ut nec illarum defectus dehiscenti noceat terræ; neque copia fructibus obsit: ita nostros

*Psalm. 68. v. 2.*

nostros tam apposité dolores attemperat, solatiis miscet, ut amaritudo adversitatum dulcedini admixta internæ gratiæ uberiùs prosit; quatenus copiosiores à nobis fructus exigit; plerumque nos Deus adversitatibus concutit, quò plures inde fructus colligat. Nuces, & Amigdalæ arbores adeo avaræ sunt, ac propriorum fructuum tenaces, ut non nisi perticis percussæ, ullum dent fructum: hisce arboribus similes sumus; fructus nostri, probæ sunt actiones, rectæ operationes, pia desideria, probi affectus: hos fructus à nobis petit Deus, Proverb. *Prabe fili mi cor tuum mihi; & oculi tui vias meas custodiant* alibi: *Fili mi ne obliviscaris legis meæ: Fili honora dominum, & valebis.* Sed quia hisce suis precibus amantissimus Pater Deus plerumque parum impetrat à nobis indignis suis filiis, aquas adhibet tribulationum, ac tempestatum, quibus nostram emolliat duritiem; & cor nostrum flectat in viam mandatorum suorum.

Cap. 23. v. 26. Cap. 4. v. 20. Cap. 7. v. 1.

53. Hac marinâ procellâ Jonæ pervicaciam flexit. Jonæ c. 1. injunxerat ei Deus prædicationis munus obeundum contra Ninivitarum scelera: *surge, & vade in Ninive, & prædica ibi:* surrexit Jonas non profecturus Ninivem; sed Tharsin iturus, quò à facie Dei imperantis prædicationem se subduceret: *surrexit Jonas, ut fugeret in Tharsis à facie Domini.* Duplicem patravit Jonas inobedientiam, quia jussus adire Niniven, aliò se contulit; secundò quia detrectavit munus obire concionatoris; sed Deus ejus duritiem emolliturus aquis adversitatum marinam excitavit procellam, quâ venti, nubes, fluctus, & omnes aëris injuriæ pugnaverunt contra Jonæ pervicaciam: non tamen adhuc resipuit Propheta, sed procellæ metum evasurus in carinam descendit navis. *Et Jonas descendit ad interiora navis, & dormiebat sopore gravi,* sed mox deprehensus per sortes Numinis providentiâ moderatas, in fluctus decumanos pervicax Propheta excutitur, & à ceto hiante ore exceptus vivus sepelitur in vivente sepulchro; ubi veluti in gymnasio de munere eruditur prædicationis: *cùm angustiaretur in me anima mea Domini recordatus sum,* angustiæ & tribulationes eum edocuerunt obedientiam, & parêre Numini; tunc enim cœpit rectè velle, quod diu malè noluit; intra ferinam piscis alvum, marinæque belluæ viscera sepultus, docente adversitate, & magistrâ procellâ eruditur ad exercitium virtutis ipsi injunctæ; quòd si anima, seu vitæ spiraculum intus per totum diffusum corpus viscera omnia permeabat intranea, ac spiritus diffudit per membra singula vitales: ita Jonas quasi ceti anima, seu feræ, ac bestialis vitæ spiraculũ, intra belluæ latebras disciplinam didicit, ut vitales spiritus diffunderet per singula Ninivitarum corpora: quòd si fœtebant tunc Ninivitæ in peccatorum sepulchris, quibus tumulati jacebant putrescentes, Jonas è ventre ceti clamore valido vitam perfundere decrevit, ac salutem desperatam cadaveribus impertire; *Cùm angustiaretur in me anima mea Domini recordatus sum,* nimirum Numini imperanti parêre statuit in ventre ceti, cui pervicax obedire detrectaverat, antequam marinis fluctibus pulsaretur navis, & exorta procella imminens exhiberet naufragium, & marina bellua hiante ore eum deglutiret; ærumnæ, adversitates, ac procellæ eum docuerunt obedientiam, cujus arridente malacia oblitus fuerat; huc accersendus S. Zeno inquiens: *demissus in altum, ferina voraginis est receptus hospitio. Vigilat in ceto, qui stertebat in navi. Mira res! post naufragium, post natatile sepulchrum incolumis tertio post die Ninivitas illustrat, terribilibus oraculis salutem civitati credula præstiturus.*

Jonæ 1. Jon. 2. Sermone de Jona.

Tribulatio in ventre ceti veluti in officina in vocalem tubam efformavit Prophetam, cujus sonitus Ninivitas è somno excitaret vitiorum, & segnitiei; & ad vitam suscitaret. Jonas siquidem intra piscis ventrem vocem tubæ ductilis emisit: *clamavi de tribulatione mea ad Dominum, & exaudivit me de ventre.* Tuba ductilis ærea est, & plurima effingitur tunsione: quid ni tempestas Jonam tutudit, & in tubam efformavit ductilem, ad sonos edendos, quibus Ninivitas excitaret ad resipiscendum; ideo sonuit hæc tuba ductilis, & Ninivitas excitavit, quia in ventre ceti veluti in officina tribulatio eam percussit: quoties Deus supremus faber tubam perficere vult, eam tundit, traditque malleo tundendam. Malè sonabat Jonas, antequam in officina ceti in tubam ductilem tunderetur malleante ærumnâ; sed mox percussus, ac tonsus flectitur in tubam ductilem, suóque sonitu aures percellit Ninivitarum, quos ad resipiscendum excitat: sed si de ventre ceti Jonæ clamorem Deus audivit: *clamavi de tribulatione mea ad Dominum, & exaudivit me de ventre,* qualisnam fuit clamor ille, quem marini ceti viscera, decumanus inter fluctus, procellásque sonoras obtendere non valuere? quomodo sonum edere potuit cœlo, quem vasta tumultuantis æquoris moles frangebat? ait Tertullianus, *quomodo oratio Jonæ de ventre ceti per tanta bestiæ viscera ab ipsis abyssis, per tantam æquoris molem ad cælum potuit evadere?* sed licèt tumultuantium fluctuum strepitus, fremitúsque procellæ sonantis, clamores, vocésque valuerint Jonæ prohibere, ne marinas extra undas audientium aures pulsarent; non tamen ejus desideria, & vota Numini injungenti prædicationem parendi inhibere tempestas valuit: *Cum angustiaretur in me anima mea Domini recordatus sum.* Tunc enim quasi tuba exaltavit vocem suam spiritu potiùs, quàm sono: in ventre ceti obedientiam edoctus, & de prædicatione sibi injuncta eruditus. Exivit è marini ceti ventre, veluti è gymnasio doctor, & laureatus; qui pervicax, & rudis fuerat

54. Jon. c. 2. v. 3.

marinæ bestiæ scholam ingressus: feræ alvus Jonam restituit littori, & quasi à schola subeundæ prædicationis post triduum emeritum, ac edoctum evomuit: & Magister factus Ninivitas vitæ errores edocuit, quos per pœnitentiam, in cinere, & cilicio corrigerent, quin & mortuos peccato ad vitam beneficio resipiscentiæ revocavit divinæ gratiæ; & rectè spiritum Ninivitis audientibus redonavit, quos è sepulchro etiam peccatorum ad auras elevavit vitales, cùm symbolum fuerit resurrectionis; etenim qui sacer instruebatur Orator, priùs absorbetur à fluctibus, deglutitur à ceto, subducitur à lucis usura, & per triduanas inducias in latebris, ac visceribus detinetur marini piscis, donec sibi superstes à natante bestia incolumis reddatur ad superna. Dedit Jonas typum dominicæ resurrectionis; surrexit à ceto Jonas, & mortuis Ninivitis peccato resurrectionem ministravit; acutè D. Chrysologus. *Currit, occurrit, adest bellua de profundo toti dominica resurrectionis impletura, & proditura, imò & conceptura mysterium.* Serm. 37.

55. Quos non emolliret scopulos, non flecteret saxa, non everteret montes, & populos ad Deum non converteret Verbi Dei prædicatio? si spiritu Dei sua concionatores animarent eloquia? si id essent, quod loquuntur? si sonitus oris ab affectu cordis non dissideret? Quid non potuit æterni Verbi prædicatio, si vel cùm taceret, Verbum erat, quo & aures pulsabat, & prædura corda flectebat? nec priùs se dedit ad eloquium, quàm per integram æternitatem è mente patris gigneretur ut Verbum, quod licèt, linguam non moveret, potuit tamen corda commovere: & licèt in tempore tantùm locutus filius fuerit, ab æterno tamen Verbum erat; Joan. 1. *In principio erat Verbum*, ut discant Concionatores Verbi Dei, id esse, quod loquuntur, Christus mundo concionaturus, id ipsum esse voluit, quòd loquebatur, nec ejus lingua alia fuit, quàm Verbum. *Lingua mea calamus scribæ velociter scribentis.* Psal. 44. v. 2. Sed nisi calami crena fissa cultro sit, mentis nescit conceptum exarare: in geminas est calamus portiones scindendus, ut atramentum reddat, characteres efformet, manui obtemperet, & nisi quis cultro scindatur tribulationis, ferróque vulneretur adversitatum, vix obtemperare imperanti Numini addiscet, & pervicax cum Jona non munus obibit prædicationis, sed vestigium premet obstinationis, nitetúrque, se à facie Domini subducere, cujus lingua calamus scribæ, seu calamus in duas portiones scissus. *Semel locutus est Dominus, duo hæc audivimus:* Psal. 61. v. 12. scilicet utrumque testamentum vetus, & novum, quæ in Christo consibulata sunt, proinde lingua patris, quæ ejus est Verbum, seu filius, calamus dicitur, ut utriusque vocabulo testamenti gaudeat, illúdque esse putetur, quod docet. Jonas in ventre ceti veluti in erudita sedens schola Magistra tribulatione munus didicit Concionatoris, & id esse in corde, quod ore loqueretur; Christum imitatus, cujus erat typus, & cujus lingua calamus erat conceptum Patris scribens, cum utrumque testamentum ita scidit, ut simul jungeret eleganter S. Zeno. *Lingua mea calamus scriba, calamus visus est, duosque vertices gerit; in unius acuminis tenuitate digestos, unam litteram utróque conficiens: cui si unum adimas alterius inanis est usus. Unde rectè testamenta sunt duo; quæ similiter duobus capitibus unam litteram fingunt, unum Christum Dei filium spiritali temperamento conscribunt. Quæ sine se inutilia esse non possunt, quia veteri sicut novum præstat fides; ita novo vetus perhibet testimonium. Semel locutus est Dominus, & hæc duo audivimus.* Serm. de somno Jacobi.

DIS-

# DISSERTATIO XXXI.

## Tribulatio optima est morum Magistra, vitæ errores corrigit, pravos affectus castigat, quos & ærumnarum flagello abigit. Probos edocet, qui excitentur, ac foveantur.

### §. I.

*Virtutum cultores mundi non deliniuntur voluptatibus; sed adversitatum divexantur asperitatibus, quò solertiores fiant in virtutum exercitio.*

1. Ptima est tribulatio morum Magistra, quorum errores corrigit, & virtutum edocet exercitia. Idque causæ, cur Deus pios quosque homines nolit delicijs diffluere, nec velit mundi voluptatibus deliniri, sed potiùs asperitatibus, ac tribulationibus divexari, quos inde magis perficiat: adversa enim exercitio sunt virtutum cultoribus, non exitio; est enim calamitas, quæ virtutem expolit, quæ licèt prematur angustijs, non tamen quidquam patitur detrimenti; imò perinde ac rubus flammis circumseptus citra noxam splendet illustrior.

*Lib. 1. Natur hist. cap. 1.* Refert Plinius Arboris genus esse, cui nomen larix, & hanc inter proceriores enumerari, & talis esse naturæ, ut folia illi non decidant: vis ejus incorrupta, & emori nescia, contumax est, & vitæ tenax, imò injecta igni non ardet, nec carbones efficit; nec ulla ignis vi absumitur: quo pacto hoc ligni genus utpote immortale, nullisque rimis fissile, nec cariem sentiens, nec vetustatem, pictorum *Lib. 10. cap. 10.* inservit tabellis, & Cœlius Rhodiginus asserit, visam à se turrim ex puro larice structam, & quam Julius Cæsar subjectis flammis comburere, & dejicere non potuerit. Hæc arbor virum præsignat pium, ac fortem, quem tribulatio non lædit, sed potiùs perficit: licèt nonnunquam ardeat; cingaturque medijs calamitatum flammis, nullum tamen in eo, vel foliolum comburitur, nec ullum edit verbum, quod vitium oleat impatientiæ. Laricem arborem diceres Jobum fuisse, qui tribulationum flammis circumseptus nil inde detrimenti contraxit, & de *Job. cap. 1. v. 10.* quo dicitur: *In omnibus his non peccavit Job labijs suis.*

2. Persecutio non prosternit, sed erigit virum probum; obsequitur viro justo, non eum persequitur; famulatur viro addicto virtutum culturæ, non dominatur. Cum *Genes. cap. 25. v. 22.* Rebecca geminos in utero infantes simul collidi, ac veluti pugnas inire sentiret: *perrexit, ut consuleret Dominum.* Cui Deus: *Duæ gentes sunt in utero tuo &c. & major serviet minori*, quæ verba perpendens D. Augustinus: qua ratione id factum fuerit, seria quæstione percunctatur; eò quia natu major fuit Esau, qui nunquam minori legitur serviisse, sed potiùs necem tentâsse inferre: quomodo ergo obsequitur, qui necem molitur? quomodo non persequitur, qui perniciem inferre satagit? Esau funus patris sui Isaaci expectabat, quò manus violentas injiceret in fratrem suum minorem Jacobum, cujus sanguine manus proprias fœdaret: *Venient dies luctus patris mei, & occidam Ja-* *Genes. cap. 27. v. 41.* *cob fratrem meum.* Si igitur Esau nil aliud mente volvebat, quàm fraternum sanguinem fundere, eique mortem inferre, quomodo major dicitur minori servire? Pulchrè D. Augustinus: *Servire non obsequendo, sed* *Tom. 1 serm. 78.* *persequendo, eò modo quo mali serviunt bonis:* sicut flamma in furno clausa pani deservit coquendo, diverberatio eidem pinsendo, falx segeti metendæ; bacculi, & quassatio, ac diverberatio frumento purgando; & malleus auro diducendo, ac lima ferro perpoliendo; ita mali dicuntur in mundo servire probis, quos perficiunt in exercitio virtutum, quando cum adversitatibus, ac molestiis eos exercent. Neque Jacob Isaaci filius natu minor tantæ virtutis vir fuisset, nec tot documenta, ac monumenta reliquisset fortitudinis, ac probitatis, nisi à fratre suo natu majore exagitatus fuisset. Quamdiu omnia ad votum fluxêre Jacobo, ac prosperitas eidem arrisit, in domo paterna lautè degebat, & quia matri charior, omnia pro libitu agebat; sed tunc nondum virtutum exercitio illustris fuit: sed cùm primum cœpit Esau ad necem eum persequi; tunc in Mesopotamiam ad Labanum profugit avunculum, ubi ultra

ultra annos viginti opilionem egit, & armentis præfectus sensit se à paterna domo extorrem: siquidem durissimè habitus fuit adactus famem, & sitim ferre; æstum, & gelu tolerare; labores, & improperia deglutire, sub dio frigido insomnes ducere noctes: harum omnium ærumnarum, quibus fuit Jacob apud Labanum divexatus, causa fuit Esau fratris improbitas, & invidia: sed quia probatum fuerat Jacob aurum, hoc igne tribulationum uberiorem fuit enactus virtutis splendorem, morúmque puritatem: & fraterna persecutio, tametsi ad tolerandos labores in Labani avunculi obsequium adegerit, non tamen Jacobo obfuit, sed profuit: siquidem mortem intentatam effugit, otium ex maternis blandimentis ortum excussit, delicijs diffluere destitit, & laboribus tolerandis assuevit, quibus & vires, & divitias sibi comparavit, Lyam, & Rachelem sibi conjuges acquisivit, è quibus duodecim Patriarchæ orti fuêre; & Christus ipse suam traxit originem. Esau igitur persequendo Jacobum, eum ad apicem promovit felicitatis, & hoc pacto natu major minori inservivit, non obsequendo, sed persequendo; quia virtus adversitatibus non inficitur, sed perficitur:

2. ad Corinth. cap. 12. v. 10.
quapropter Apostolus ait: *Cùm infirmor, tunc potens sum.*

3.
Cùm ærumnis obsessa virtus premitur, ampliatur laxior; & cùm adversitatibus opprimitur, surgit eminentior; neque lætior floret, quàm tribulis, dumísque cincta. Plures habet ipsa adversarios, quotquot scilicet vitijs indulgent, mundi voluptatibus, ac delicijs diffluunt: hi sunt, qui virtuti adversantur; non ipsius virtutis merito, sed ipsorum vitio. Tametsi innoxia sit, & mitis, virtus; implacabiles tamen sustinet adversarios, à quibus impugnatur quidem, sed nunquam expugnatur, quia virtus, cùm infirmatur; eò est validior; cùm prosternitur, surgit fortior; cùm sauciatur, splendet integrior: licèt sævam violentiam, trucémque tyrannidem spirent virtuti adversantes, non tamen ullum eidem incutiunt timorem, quin & animos addunt. Hinc non mirum si virtutis cultores, & ipsi hostes experiantur, & adversarios habeant contra ipsos insurgentes; necesse enim est, se certaminibus ineundis præparet, qui virtutem sequi peroptat; quia nulla sine certamine virtus: perinde, ac nulla sine spinis rosa floret: idque causæ, cur

Oratio de laud. S. Blasij.
Nazianzenus virtutis cultores vocaverit *virtutis aliptas spirantes, columnas, & vivos Martyres:* fuit alipta magister athletarum, cujus officium erat certaturos inungere, & ea curare, quæ ad corporis attinerent. Qui virtutem sequitur, necesse est, alipta sit virtutis, quam debet certaminibus inungere, ac præparare: perinde est virtutis gymnasium ingredi, ac martium campum adire; ubi adversarij plures, pugnæ multæ, qua-

Eccles. cap. 2. v. 1.
propter monet Syracides. *Fili accedens ad servitutem Dei sta in timore, & prepara animam tuam ad tentationem:* non tamen vincitur virtus, licet adversarijs obruatur.

Quia Gabaonitæ dejerârunt idololatriam, & è vitiorum castris confugerunt dissertores ad Israëlitarum campum, virtutis insignia in veri Numinis cultu secuturi, adversarios habuerunt, qui contra ipsos insurrexère, eò quia cum Josuë fœdus injerint religionem

Josuë c. 10.
professuri Israëlis. *Congregati igitur ascenderunt quinque Reges Amorrhaeorum, & castra metati sunt juxta Gabaon oppugnantes eam.* Gabaonitæ nulla alia causa Reges illos quinque in se concitârunt, nisi quia dejeratâ idololatriâ, tergis vitio datis ad veri Numinis religionem transierant, & ad culturam virtutis; tunc superbi Principes honestos armantur in transfugas, qui auxilium à Josue exorantes, suppetias sibi ferri quavis disruptâ morâ enixim deprecantur. *Ne retrahas manus tuas ab auxilio servorum, ascende citò, & libera nos.* Ecce viri Gabaonitæ virtuti adhæsère, & quinque Reges Amorrhæorum contra se excitârunt, quia virtus sine hoste, & adversitate non colitur, non adolescit, nisi rigata, vel sudore, quem labor elicit, vel sanguine, quem hostis fundit; verùm, quid intererit Josue, si suppetias afferat, si defensor accedat? Quomodo unus Josue stare poterit contra quinque Reges

Cap. 10. v. 5.
Amorrhæorum. *Congregati ascenderuns quinque Reges Amorrhaeorum Rex Jerusalem, Rex Hebron, Rex Jerimoth, Rex Lachis, Rex Eglon simul cum exercitibus suis, & castra metati sunt juxta Gabaor oppugnantes eam;* quomodo unus, quinque resistet, & non potiùs cadet prostratus? Id proprium est virtutis, pluribus impeti adversarijs; & ab ijs premi, sed non opprimi; divexari, sed non frangi.

Quamvis Josuë sub initium hæsisset an- 5
ceps, veritus, ne delatas hactenus ab ipso victorias esset obscuraturus à Regibus Amorrhæorum devictus, quorum falcati currus, armorum copia, militum numerus immetatus, terrorem ingeminabant: animos tamen, & vires Deus addidit, qui excusso timore victoriam spopondit propugnanti virtutem, defendenti Gabaonitas, quià cultu idolorum ad exercitia veræ religionis tran-

Josuë c. 10.
sierant. *Ne timeas eos: in manus enim tuas tradidi illos: nullus ex eis tibi resistere poteris.* Virtus impugnari quidem potest, nor expugnari; stetit virtus cum Gabaonitis, & innumeri ciciderunt hostes, cum Regibus Amorrhæorum, quia plus roboris habet virtus ad hostes fundendos, quàm innumeri exercitus ad virtutem evertendam. Hic

Orat. 39.
arcersendus Basilius Seleuciensis, qui acsi induceret Josuë loquentem, pulchrè ait: *Hostem à Deo oppugnatum non metuo ego, cui cælum pro clypeo est, cum eo manus confero, cui res est cum Deo. Instrumentum ero Deo visibile, quia invisibilia jacit tela; satis mihi est ad victoriam fides.*

Soa

6. Sola siquidem virtus est, quæ pugnans hostes prosternit, & ipsa non prosternitur: vicit Josuë, quia pugnavit cum ipso virtus confœderata, ubi enim virtus pugnat, cœlum hostes expugnat: dimicavit Josuë contra quinque Reges Amorrhæorum, & ne virtus caderet, cœlum hostes prostravit; *Dominus misit super eos lapides magnos de cœlo*; priùs sepelivit Deus hostes, quàm isti manus ad pugnam consererent, & de parta victoria sine conflictu gavisa est virtus, quæ pugnis assuescit, ut triumphet gloriosior; si enim certamine careret, gloriâ destitueretur victoriæ, non enim absque certamine, sine hostibus virtus triumphat. Idque causæ, cur Apostolus dixerit: *Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi*: virtutum culturam certamen vocavit, quia sine hostibus, & adversitatibus exculta virtus non germinat, neque adolescit nisi plurimo rigata sudore, quem labor extorquet; vel cruore, quem tribulatio fundit, adeò ut perinde sit, virtutem excolere, ac certamen inire, adversitates pati. Potuisset Apostolus scripsisse Timotheo; ego virtuti studui, ut meo fungerer munere, cursum consummavi, fidem servavi, quo meum implerem officium; sed maluit certaminis nomine virtutis culturam exprimere, eò quia nunquam sine conflictu excolatur, ut rectè innuit Tertullianus, inquiens: *Certaminis nomine Deus nobis martyria proponit, per quæ cùm adversario experiremur, ut à quo libenter homo elisus est, eum jam constanter elidat. Hic quoque liberalitas magis, quàm acerbitas Dei præest. Evulsum enim hominem de Diaboli gula per fidem, jam & conculcatorem ejus voluit efficere per virtutem.*

*2. ad Timot. 4. v. 7.*

*Adversus Gnosticos cap. 6.*

7. Nascitur virtus in agone, quò ad bellum instruatur, pugnisque assuescat; absque certamine non splendet virtus, quæ in solo conflictu nutritur, adolescit, & incrementum subit: unde fallitur, qui virtutis appetens, ejúsque culturæ amans adversarios respuit, & pugnas detrectat inire; extinguitur virtus, si hoste careat: raró sine pugna castitas, & rarior sine conflictu honestas; idcóque Apostolus, eatenus virtutem excoluit, quia certamen inivit; neque virtutis culturâ floruisset, nisi pugnam contra carnis stimulos intus in membris, & contra homines exteriùs irruentes inivisset, qui si non vulnera ferro; convicia tamen linguâ, & calumnias fingentes, & sæviùs pungentes, acriùs sauciârunt; sed Apostolus virtutis clypeo eorum ictus retudit.

8. Tunc virtus adolescit vegetior, & uberius subit incrementum, cùm fortiori premitur adversario. Annos 25. thori maritalis sine prole toleraverat Sara, cui Deus licèt ætate provectæ fœcunditatem fuit impertitus, filiúmque genuit anno ætatis nonagesimo, cum Abrahamus centesimum ageret. Nomen puero à lætitia inexpectata inditum fuit Isaacus, risum significans: sed quia culturæ virtutis unicè addictus erat Abrahamus, debuit post lætitiam procellam pati. Fortassis nocturnæ se quieti dederat, cùm vox è cœlo ad aures allabitur, quâ jubetur filium tollere, quem è Sara susceperat, gaudium scilicet suum, delicium parentum, & spem unicam familiæ, & Isaacum suis jugulatum manibus hostiam Deo immolare. Fuit id non solùm filij, sed & patris jugulum petere: sed qualis religio erat credentis, tale fuit obsequium obtemperantis; nil cunctatur in negotio luctuoso, cui vel ipsa natura repugnabat: parat cuncta necessaria sacrificio, comitem secum ducit Isaacum, quem offert fronte serena, nulla rugositate contractâ, exerit ferrum, intrepidam armat dexteram: en quali tribulatione premitur in Abrahamo virtus, cùm unico debeat suo privari solatio; cùm videat spem totius familiæ, mox exarescere; & delicium Saræ uxoris extingui, evanescere; sed quia virtus premitur, non opprimitur adversitatibus; excidium Deus non solùm prohibuit Isaaci filij, verùm etiam votum parentis uberiùs remuneravit, quia virtus tunc crescit uberior, cùm angustijs premitur anxior. *Benedicam tibi, & multiplicabo semen tuum sicut stellas cœli, & velut arenam, quæ est in littore maris: possidebit semen tuum portas inimicorum suorum.* Unum virtus paraverat Isaacum immolare, & calicem mortificationis in effusione ejus sanguinis haurire; sed non est passus Deus tam insignem virtutem ullum pati detrimentum, sed immetato ditescere incremento in multiplicatione seminis: sed si propemodum innumeri erant posteri nascituri ex semine Abrahæ, cur non potiùs pulveri terræ pariantur, quàm maris litorali arenæ? *& velut arenam, quæ est in littore maris*: si benedictio fœcunditatis in posteros erat Abrahæ transfundenda, cur non potiùs pulveri comparatur telluris? cùm hæc laude honestetur fœcunditatis, & maris arena litoralis probro redarguatur sterilitatis? nullam arenæ litorales maris plantam generant, nullam producunt arborem, imò nec ullam enutriunt herbulam, cur ergo fœcundissimum Abrahæ semen multiplicandum in posteros sterilescenti pariatur arenæ? quia nimirum virtutis semina bellorum laboribus, pugnis, procellis, adversitatibus deberent assuescere; quid litorali maris arenâ tempestatibus magis obnoxium? has non solùm cœli grandines percutiunt, ventorum turbines evertunt, sed & marini fluctus jugiter diverberant, & jugem cum fluctibus, undique procellosis pugnam debent sustinere: non igitur telluris pulveri, sed arenæ maris pariantur posteri ex semine Abrahæ oriundi, quia non terræ pulveres, sed litoralis maris arenæ implacabiles, ac perpetuos retundunt fluctuum assultus, contra quos jugiter confligunt: spumosæ undæ arenam obruere adnituntur, sed arenæ vexatæ ad

*Genes. 22. v. 17.*

vi-

victoriam instruuntur, & fluctus terga in fugam vertere compelluntur.

9 Irruit procella in litoralem arenam, quam obruere fluctuum exercitu aggreditur, sed licet pulsetur accessu, impetus tamen arena retundit, & ad fugam cogit, quos procella fluctus immiserat exitiales. Premere quidem nituntur arenam fluctus, imò & obruere, sed nunquam opprimere, nec superare; quippe Dei verbo armata, ubi fluctus Dei mandatum in litore legunt, tumorem deponunt, superbiam, & audaciam excutiunt, & retrocedentes suas resorbent rabiei spumas: eleganter Basilius Seleuciensis (Orat. 1.) explicans quomodo mare licèt procellosum, ac tumidum legens in litorali arena inscriptum Dei præceptum, curvatis fluctibus illud adoret humiliatum, & deosculetur in spumantem candorem resolutum, ait: *Arena quasi habena formidabili mare continet, terram liberans, servans à pelagi eluvione; isto ventorum impetu ad terram mare propellatur. Fertur illud quidem fluctibus altè elatum: ubi verò terminos attigerit, revertit, refugitque; & Domini vocem litoribus inscriptam, cùm intuitum fuerit, curvatis fluctibus termini positorem adorat: cùmque terram violenter feriat, refertur, ac divini imperij memor revertitur in fugam*: (Orat. 1.) Maris irascentis adsultus, quibus per intumescentes fluctus terram obruere, & exsorbere videntur, si in virtutem impingant, oscula figunt, quæ vulnera infligere marinæ undæ credebantur.

## §. II.

### *Myrrhea adversitatum, & ærumnarum amarities dulcescit, si foveatur in corde, ac æquo animo toleretur; & in alexipharmacum ad pravos affectus curandos adhibeatur.*

10. Adversitas virtuti exercitio est, non exitio, & ærumnarum amaritudo dulcescit, ejus culturæ addicto; idque causæ, cur sponsa in sacro epitalamio (Cant. 1. 12.) Myrrhæ fasciculum ærumnarum, ac tribulationum symbolum non à se projecerit, sed inter ubera collocaverit: *Fasciculum myrrhæ dilectus meus mihi inter ubera mea commorabitur*; adeò sapuit, & suavis fuit sacræ sponsæ myrrha, ut eam in suo duxerit pectore reponendam; sed non credas, suavem ei myrrham obtigisse, sed suavem fuisse dilectum, eò quia & myrrham præbuit, & in myrrha latêre credebatur. Sapientior certè fuit sponsa Jobo; cùm hic à Domino dixerit (Job. 1. v. 21.) prodijsse, quæ sibi adversa obtigerunt. *Dominus dedit, Dominus abstulit*, imò & sapientior fuit Davide, quia hic cum Deo in ærumnis, ac tribulationibus esse tantùm autumavit. *Cum ipso sum in tribulatione*: (Psal. 90. v. 15.) etenim sponsa longè perspicacior, non solùm cum Jobo Deum intellexit calamitatum authorem; nec solùm socium cum Davide, sed insuper & parentem, imò & ipsas calamitates, ipsam myrrham, dilectum suum esse censuit; ac fasciculum myrrhæ non à dilecto suo tantùm insitum, aut satum putavit, sed ipsum esse dilectum eredidit; *Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi*, ideòque amaram mortificationis myrrham in sponso sponsæ dulcescentem, pectori admovit, inter ubera reposuit, cordíque inseruit. Pergit sponsa. *Botrus Cypri dilectus meus mihi in vineis Engadi.* (Cant. 1. 13.) Quid quòd dilectus, si myrrha est, admovetur pectori? uberibus inseritur? cùm autem est botrus, non manu colligitur, sed relinquitur in vineis? si sponsa amarescentem sponsum amplectitur in myrrha, quam inter ubera collocat; cur dulcescentem in botro suo non inserit cordi? an quia Christus, cùm dulcescit in botro, plures habet vindemiatores? qui cùm amarescit in myrrha, paucos habet collectores? botri, & prosperitatis dulcedo pluribus placet, quibus adversitatis, ac myrrhæ amaritudo displicet.

11. Etiam per invia sterilescentis deserti plures habuit Christus sectatores, eum ageretur de turbis pascendis ex multiplicato pane, pisciúmque obsonio; non ita cum paupertatem suos edocens discipulos, famem illis ostendit tolerandam, ac sitim propinavit, & compedes, ac catenas exhibuit: cum inops de una in aliam peregrinaretur civitatem, non obsonia impertiturus, sed paupertatis toleraturus incommoda caruit sectatoribus: & unica recensetur sponsa, quæ in botro, & myrrha dilectum suum sibi esse protestatur; & quia præviderat à plerisque colligendum botrum in vineis, & negligendam myrrham in horto sponsi; myrrhæ inexistenti hospitium apparavit in ubere; quia myrrhea tribulationis amarities lactis non destituitur dulcedine; nimirum lilium castitatis vernat jucundius, & sapor virtutis dulcescit gratior, cum myrrhea pascitor amaritudine tribulationis. Sponsa, quò dilectus ei magis saperet, non cum è vite pependit pampinis coronatus, amplexata est eum in botro dulcescentem; sed in fasciculum myrrhæ coalescentem: sed cur inter ubera myrrha? nisi ut inde discamus, lactis dulcedine temperandam esse myrrhæ amaritudinem: quos Deus filios recipit, non ita myrrhæ amarorem ijsdem propinat; quin etiam lactis dulcedinem è mammis spargat suæ benignitatis.

Dulcescit myrrha tribulationis, non pede eam conculcantibus, ut lutum; sed eam amplexantibus, ut botrum. Placet cœlesti sponso amarities myrrhæ, dummodo non pede conteratur, sed sinu foveatur; hoc est tribulatio æquo animo toleretur. Qui in fasciculo myrrhæ coarctabatur sponsus, mox dilatatur in vite, ac dulcescit in botro; quia myrrha inter ubera, cum foveretur à sponsa, lactis exsuxit dulcedinem: dulcescit enim tribulatio

bulatio, ſi ametur, ſi ex myrrha in botrum mutetur, ſi non humeris ſufferatur, ſed in ſinu alacriter feratur. Sponſa dilectum ſuum priùs in amaritudine myrrhæ amplecti-tur; poſtea in botro exoſculatur dulceſcente in vite; quia veri ſolatij nobis dulcedinem Deus non propinat, niſi in calice myrrhæ. Neque ad Deum properamus, niſi per tribulos, & nonniſi per ſenticeta adverſitatum viam nobis ad ipſum ſternamus.

13. Acceſſurus Petrus ad Dominum fluxa marini æſtûs dorſa intrepido pede, greſſúque haud titubante calcavit; ſed qui ſcaphâ adverſantis procellæ impetus, ac fluctuum irruentium deluſit adſultus; mox eorum liquida perambulans itinera timore percellitur. *Videns ventum validum timuit*, ſi fluctuum ſpumantia terga intripedo eius non cedebant greſſui, duritiémque è marmoreo mutuaverant ſtrato, quo gradientis Petri obſiſterent pedibus, cur pavet, mergi neſcius? quia nimirum ventus invaleſcebat: quamdiu ventus non fuit validus ſcapha citra naufragij pericula fluctus eludebat marinos; ſed cum ventus validiori flatu Apoſtolicum greſſum cœpit ſuper undas remorari, tunc cœpit timore concuti, vultu impalleſcere, opémque Magiſtri expoſcere. Tametſi ventus eſſet contrarius, & ſcapha marinos fluctus difficulter traijceret, quia tamen validus non erat, non timuit; ſed cum primùm cœpit invaleſcere, & contrarius eſſe extimuit; quia flatus validior Petro obſiſtebat gradienti, cui fluctus obtemperabant ambulanti: nec mirum; ex amoris impatientia, ex fervore virtutis acceſſit Petrus ad Magiſtrum, cùm fluctus marinos intrepido greſſu, pedéque audaci calcavit; non igitur mirum, ſi cùm virtute duceretur, vento contrario, & valido remoraretur; quia ubi virtus, ibi adverſitas: eleganter Zeno Veronenſis. *Petrum æſtu marino fertur non naufragus, ſed viator; timet profundum intercipere non timentem, nec tamen in totum diſſimulat; ne per mare pedibus ſe ambulare non credat.* Neceſſum fuit adverſarium experiri, obſiſtenti obviare Euro proceiloſo, ut manuducente virtute ad Dominum ſe tetendiſſe crederet; quia tunc rectè ambulamus, cùm virtus per medias adverſitates nobis iter ſternit, per vexantes contrarietates nos ducit; quò certior Petrus fieret recti ſui itineris, opus fuit, adverſantis venti experiretur contrarios impetus. Summum videri potuiſſet Petro iter ad Dominum ſine conflictu; neque à virtute ſe manuduci crediſſet, niſi procelloſi venti adverſantes impetus, flatúſque remorantes ſimul, & vexantes fuiſſet expertus: venti adverſitas comprobavit, Petrum non gloriæ ambitione, ſed virtutis exercitio tumidos calcâſſe æſtuantis maris fluctus: quia ibi conflictus, & pugna, ibi adverſarius inſurgit, ac inſuleſcit; ubi virtus adoleſcit.

*Matth. 14. v. 30.*

*Serm. de timore.*

14. Idque cauſæ; cur gemelli fratres Jacob, & Eſau paleſtram materno in utero nacti priùs quàm nati pugnaciſſimè decertaverint; plus enim valuit ad diſſidia excitanda, & ſovenda, ingenij diverſitas, quàm ad conciliandam concordiam naturæ germanitas, & ſanguinis neceſſitudo; vix conceptus Eſau ſe habitu corporis, animíque indole perdiſſimilem Jacobo prodijt. Fuit enim Eſau natura ferocior, ingenio aggreſti: cùm è converſo Jacobus fuerit ingenio facilis, moribus elegans, ad virtutum ſtudia pronus: hi ergo fratres priùs bellatores, quàm armorum delatores; priùs pugnaces, quàm nati; priùs adverſarij, quàm fratres, materno in utero, perinde ac martio in campo pugnas iniêre. *Collidebantur in utero ejus parvuli:* ſed quæ tam inſolentis diſſidij cauſa fuit? non ſuſpiceris aliam, niſi quia Eſau natura ferox, ingenio turbulentus, vitio præludebat; & Jacobus ingenio facilis, animo pacatus, moribus elegans, & comis, perſonam egit virtutis: non igitur mirum, ſi adverſarium ſenſit etiam materno in utero clauſus: non enim potuit virtus ſine adverſario concipi, nec ſine certamine incrementum ſubire: appoſitè Gloſſa moralis ait: *In ſingulis quoque hoc dici poteſt: duæ gentes, & duo populi intra nos ſunt, ſcilicet vitiorum, & virtutum, iſte minor, ille major: plures enim ſunt mali, quàm boni, & vitia plura virtutibus.* Cùm primùm Rebecca virtutem concepit, bellum excitavit implacabile: caro enim cœpit pravis ſuis affectibus inſurgere adverſus ſpiritum puerorum; ſenſit conflictum in utero, quia virtus ſine adverſario, nec concipi, nec creſcere potuit: neque Rebecca Jacobum concepiſſet, niſi luctam excitâſſet implacabilem. Huc accerſendus D. Gregorius. *Quiſquis accingi in divino ſervitio properas, quid aliud, quàm ſe contra antiqui adverſarij certamen parat? ut liber in certamine illius ſuſcipiat, qui quietus ſub tyranno in captivitate ſerviebat.* Nimirum flores legunt, & quieti degunt, qui mundi indulgent voluptatibus, carnis adhærent concupiſcentijs, vitio ignominiosè parent, carni indecorè ſerviunt, & pravis concupiſcentijs ignavè ſubijciuntur: ſed deteſtanda eſt hæc quies, abijciendi flores, excutienda tranquillitas, quæ virum prodit virtutis expertem, & vacuum: virtus enim, ſi flos eſt, nonniſi ſpinis vernat circumſepta, quibus ad pugnam armatur; quotquot enim virtutem excolunt, neceſſe eſt, pugnas ineant; conflictus ſuſtineant; quia ubi virtus, ibi adverſarius, & & pugna: vix conceptus in Rebeccæ utero Jacob, quia virtuti præluſit, materna in alvo vitium enactus eſt adverſarium, priuſquàm natus: *quiſquis accingi in divino ſervitio properat*, ait D. Gregorius, *quid aliud, quàm ſe contra antiqui adverſarij certamen parat?* non declinandus igitur eſt conflictus, ſed ex animo ambiendus, quo victoria non ſolùm quæritur, ſed & poſſidetur, quamdiu conflictus urget, pugna perſeverat.

*Geneſ. 25. v. 22.*

*In cap. 25. Geneſ.*

*Lib. 4. Mor. cap. 21.*

15. Virtus adversarium non timet, quia pugnando palmas demetit, & ad triumphum properat; propterea, non quid passura sic, cogitat, sed quò tendat, aspicit; quia quod passura est, gloriæ pars est. Ideo adversarios permittit Deus, ut virtus illustrior splendeat, victorijs coronata: præludunt adversitates triumpho virtutis, nec sinit Deus procellas oriri, quin sit subsecutura aëris serenitas: idque causæ fuit sponsæ, cur ex eo, quid senserit, sponsi lævâ caput suum premi, intulerit dextræ amplexum. *Læva ejus sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me*, non dicit, amplexatur me dextera ejus, sed amplexabitur, infert enim ex minante tetra nube discolorem iridem; ex turbine procellæ arridentem aëris serenitattem; & delicias sibi spondet affuturas, eò quia pondere lævæ, seu tribulationis prematur in capite: non enim quid ipsa optet, sed quid sponsus agere soleat, candidè prodit, lurida tribulationum hyeme caput obruit, cùm læva manu premit; sed cum dextera postea amplectitur, vernantes piorum affectuum flores excitat, legitque è corde. Non igitur tristemur, quoties lævam nostro sentimus capiti incumbentem, non prosul dextra aberit, quæ per amplexus solatia adferet: ubi læva adest ærumnarum, procul non abest dextera deliciarum: neque censenda est læva gravis, cui dextra ob viciniam adnectitur: amplexus enim dextræ pondus omne excutit lævæ: sponsa cum capite gravaretur non flagella, non persecutiones, nec adversitates recenset, quibus concuti solent, quos læva tangit: sed horum oblita solius meminit manûs vulnerantis, & fulminantis; & quia manus est sponsi ex pressura lævæ, amplexus infert dexteræ.

*Cant. cap. 8. v. 3.*

16. Hanc lævam sensit, cum suo sederet in fimeto Jobus, & quia noverat, cujus esset manus; non irruentium Chaldæorum, nec Sabæorum meminit, qui greges, & armenta fuerant depopulati, & segetes combusserant, & omnia sua bona sus, déque everterant; sed rerum suarum jacturam in Deum refudit; & in ipsa adversitate Deum vidit sibi eblandientem, non adversus se sævientem, sciens Deum per adversa virtutem expolire, quæ arridente prosperitate minimè splenderet: qui divitijs affluit, quantum in ipso virtus paupertatis emineat, prodere nequit: non enim scire possumus, quantum adversus convicia, & contumelias habeat quis constantiæ, si inter plausus adolescat, vivat, & senescat: virtutem obedientiæ non quærimus in Principe, cui omnes parent, & obsequuntur. Quem nulla adversitas premit, nec contraria fortuna exercet, quantæ sit vir fortitudinis dignoscere non possumus; nec an sit alius humilis, qui nemini est contemptui, quique nullis impetitur injurijs: quomodo is patiens dicetur, qui nullis premitur calamitatibus? torpescit sine adversatio virtus; nec sua prodit decora, imò nimia felicitate corrumpitur: quidquid enim illi inciderit, molestum obtinget: tenellæ cervici quodvis jugum est grave, quia ponderi tolerando non assuevit: & tyro in castris ad solam vulneris suspicionem impallescit; cùm veteranus pugnis assuetus, & castrensi pulvere sordescere cupiens, cruorem suum audacter spectet, sciens plus gloriæ è tali vulnere fluere, quàm sanguinis. Huc pertinet D. Chrysostomus: *Nisi adsit conflictus, abest corona; nisi præcedant certamina, non accipiuntur bravia; si non sunt studia, nec honores; si tribulatio non vexat, nec remissio solatur; si gelida hyems non præcedat, verna temperies non subsequitur. Et hoc non in hominibus tantum, sed in seminibus quoque ipsis intueri licet. In his enim multam pluviam, multam nubium collisionem, multámque glaciem fieri oportet, si vernans spica exurgere debet.* Ideo læva sponsi priùs pressit sponsæ caput, quia amplexus dexteræ solatium cordi erat allaturus: *Læva ejus sub capite meo & dextera, illius amplexabitur me,* quid quòd pluris fecerit lævam, quàm dexteram? hanc enim infra pectus locavit, cùm illam juxta mentem, & in vertice capitis habuerit? nimirum sponsa, cum myrrheum novisset dilectum suum, non potuit calamitates lævæ, non prætulisse amplexibus dexteræ. Per ærumnas igitur, & calamitates, quas læva manus nobis immittit, ad Deum ducimur, quem & religiosiùs colimus: quem enim ignis tribulationis intus decoquit, & in flammea probat ærumnarum fornace, religionis decor illustrat, & splendor virtutis condecorat.

*Homil. 4. de divite, & pauper.*

17. Id nobiscum videtur agere Deus, quod aquila cum suis pullis, quos in examine flagrantis solis pendulos ungue tenet, ut si cujuspiam pupilla hæsitet, nutétque solari circumfusa jubare, veluti prolem degenerem, partúque illegitimo natam condemnet: sin verò immotis palpebris radios ebibat phæbeos, constantique intuitu solem aspiciat, ut proprium fœtum innutrit. Quid ni ungue adversitatum nos Deus tenet, ut sursum elevet; & ad divini solis hauriendam lucem illuminantem omnem hominem venientem in hunc mundum nos in sublime evehit; & quidem supra nubes, quia ut ait Regius Vates, Ad Deum non accedit malum, nec flagellum ejus tabernaculum lædit. *Non accedet ad te malum, & flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo.* Veræ virtutis cultores, ac divinæ amicitiæ candidati, nonnisi tribulationum probantur examine; neque divini contubernij beatam metam attingunt, nisi totum patientiæ stadium percurrerint, totúmque virtutis cursum consummaverint. Abraham licèt in Dei conspectu pulvis, & cinis deprehensus fuerit, per ærumnas tamen agitatus, per limam tribulationum perpolitus Dei familiaritate, & amicitiâ insignitus fuit, quia tribulatio, & angustia, ita ærumnis pressum, & dolentem nobilitant; ut Deus

*Psalm. 90. v. 10.*

di-

dicatur quodammodo ejus amicitiam ambire, & ex sublimi majestatis solio se cupere declivem in amicos amplexus dolentis, & angustijs pressi, quia quos adversitatum turba exercet, hos virtutis splendor nobilitat.

## §. III.

***Virtus flos est, qui aliâ non germinat culturâ, quàm adversitatum: nec alio gaudet imbre rigari, quàm sudorum, quos labor improbus ex fractis corporis defessis membris elicit.***

18. IN Dei amicitiam Isaacum, & Jacobum alius favor non adscivit, quàm tribulationis divexatio; tunc Jacob singulari amicitiæ divinæ tesserâ insignitus claruit, cum Labano socero inserviens fundendis sudoribus assuevit, laboribúsque tolerandis obduruit, & Esau fratris persecutiones sustinuit. Dei amicitia flos est, qui alio imbre rigari non gaudet, nisi sudorum, quos labor è fronte elicit; vel sanguine, quem persecutio è vulnere fundit. Ut sinceri Labani jurgia sedaret Jacob, ejúsque iras extingueret, studuit humilitatis dulcore ejus acorem perfundere: cúmque à socero abscessisset, ne in recrudescens incideret fratris Esau odium anxius secessum, latebrásque secretas quæsivit. *Vir luctabatur cum eo usque mane.* Cum defessus ex itinere cuperet defatigata corporis membra quieti dare, ultrò ad luctam provocatur, & necessitatem videns sibi impositam congrediendi cum adversario descendit in arenam; somnum excutit, quietem abigit, & stans manum manui conserit, pedem pedi, ea virium contentione, ut cœlestis colluctator videretur ei palmam concedere; nisi os femoris ei luxâsset, nervúmque distorsisset; sed exasperatur dolor in medelam, & qui luctari cum homine timuit, inter pugiles Dei se novit recensitum: exercuit Deus Jacobum luctâ, quâ segnitiem animi excuteret, spiritum corroboraret; dolores auxit, ut incolumitatem impertiret, & à timore dolentem erueret: siquidem nulla efficacior medicina in pharmacopæa virtutis reperitur, quàm quæ afflictione, & dolore apparatur: hæc enim est, quæ vulneribus medetur, quæ animi consulit ægritudini: luctatus fuit Deus cum Jacobo, quem cùm arctiùs premeret, fortiorem efficit, ut constantiùs contra fratrem invalesceret; & per brachia in Dei sinum insertus omnem excuteret è corde formidinem: appositè D. Chrysostomus. *Magna Domini misericordia; quoniam occursurus erat fratri, ut sciret re ipsa, quòd nihil asperum daturus esset in figura hominis, luctari cum justo voluit. Totum hoc factum est, ut se illius humilitati attemperaret, & formidinem ex anima justi eximeret, & persuaderet ei, ut citra angorem fratri occurreret.*

Genes. 32. v. 24.

19. Quàm aptè insignem vocat misericordiæ tesseram, cœlestem colluctatorem Jacobum è Labanio socero in patriam reducem divexâsse certamine, pressisse luctâ, contrivisse obsistentem: sed ubi pietas? ubi misericordia? in lucta, in ipso dolore: quia cum premeretur certamine, evehebatur ad nobiliorem hominis conditionem; cum luxato femore, distortóque nervo contereretur, fortior evadebat ad prælia; nec erat, cur formidine contabesceret ob fratrem obviantem percitũ ira, & severitate, cujus se Deus obtemperavit simul in benignitate, & pietate: per brachiorum complexus, se Deus colluctator Jacobo immiscuit, quasi unam cum ipso personam gereret; ecce quâ arte, quo artificio Deo adnectitur homo; certamine tribulationum, luctâ laborum ad Dei evehitur amicitiam; quid enim amicitiæ magis proprium quàm amplexus? quid periculis magis obnoxium quàm pugna? in qua & corporis vires conteruntur, & membrorum artus confringuntur; & cruenta vulnera infliguntur; & non solùm corpus teritur; sed etiam animus pavore concutitur? Luctatus fuit Deus cum Jacobo, pugnam inivit, non ut ipsum expugnaret ad necem, sed ut propugnaret ad vitam; non ferro, sed pugilatu certamen instituit; non vulnere, sed amplexu insequutus est adversarium, ne tribulatio, & dolor longiùs à Dei amicitiæ tessera distaret; ne à divini amoris symbolo tentatio abscederet: lucta brachijs exercetur, ut quò arctiùs premeretur, eò intimiùs Deo adhæreret, & magis appareret amari, quò acriùs videretur oppugnari: scitè Chrysologus. *Jacob redeuntem pro certamine provocat, luctatoris constringit amplexu, ut amaret patrem certaminis, non timeret:* hic certaminis pater, quem Jacob adamavit, Deus fuit colluctator, in quem per mutuum amplexum pio exardebat Jacob amore: quia nullibi pij affectus excitantur in Deum uberiùs, nisi cum adversarius, & tentatio urget acriùs in homine: rosarum dixeris indolem pios induere affectus, lætiùs non florent, quàm tribulationum circumsepti spinis: ea est tribulationis industria; ut perinde, ac tribula, dispersa grana conterat, in trituram redigat; & ferrato discerniet carpento, quò in horreo coagmententur viribus reficiendis perapta.

Serm. 142.

20. Adversitate non languescit virtus, sed fortior corroboratur ad pugnam, non viribus destituitur, sed ad palmam victrix instruitur. Quàm decorum pulverem hac in arena virtus collegit, non ut sordesceret victa, sed splenderet victrix? singuli gressus claudicantis Jacobi argumenta fuêre fortitudinis; sed quando fortis in lucta Jacobus? si ejus femoris nervus ex solo colluctatoris contactu disruptus cessit, & infectus contagione emarcuit? habetur in Genesi. *Qui cum videret, quod eum superare non posset, tetigit nervum femoris ejus, & statim*

Genes. 32. 25.

*emarcuit.* Si emarcuit, quomodo fortis? si saucius, quomodo victor? si solo digito pressus claudus evasit, quomodo stetit illæsus? triumphavit victor? ita est vix nervum pupugit, & fortiorem depredicat, validiorem pronunciat, ut legitur in Genesi, *Nequaquam Jacob appellabitur nomen tuum, sed Israël: quoniam si contra Dominum fortis fuisti: quanto magis contra homines prævalebis.* An non belligerandi ordo invertitur? is fortis dicitur, cujus nervus emarcescit, robur deficit; is victor qui saucius; is victus, qui vulnera infligit; triumphat, qui læditur; cedit, qui vincit; adoreas canit, cui vulnera epicedia pangunt: ita est, hæc pugnandi ratio divino addiscitur in certamine, in palæstra divino edocetur virtutis; hac in pugna pati, ac vulnerari vicisse est; viribus destitui, validiùs ad victoriam corroborari; sanguinem fundere, gloriam enancisci: colluctator Deus infirmum reddit Jacobi femur, quo caput firmiùs staret virtutis fulcro subnixum: piè & eleganter D. Bernardus. *Utinam & meum nervum Angelus tangat, ut marcescat, si fortè ex hac infirmitate incipiam proficere, qui ex mea firmitate non possum nisi deficere. Lego profectò: quod infirmum est Dei fortius est hominibus: sic quoque Apostolus: libenter gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Christi.*

Genes. 32.

De gradu humilitatis

21. Tunc corroboramur, cum adversitatibus pressi infirmamur. Vel colluctator Deus os femoris Jacobo luxavit, cum quo luctam conseruit, quia prælusit homo fieri, qui in homine non fuit dedignatus colluctator apparere, os femoris in lucta luxavit adversario, ut naturæ nostræ ab ipso assumendæ infirmitatem proderet; cùm esset Christus Servator suam ex semine Abrahæ per Isaac, & Jacob originem ducturus, bene Jacobo colluctanti solo attactu femur, è quo tradux generationis emanat, luxavit, quò auspicaretur, se absque viri semine post aliquot sæcula generandum in utero matris virginis: Debilitavit femur, cui & vim abstulit, ut firmiùs suæ generationis imprimeret illo attactu symbolum: idque causæ cur humanæ formæ manum ei admovit loco, è quo solet hominis generatio prodire, ne crederetur ope humana gignendus, qui Spiritûs Sancti opificio virginali in aula erat efformandus. Tanto ardebat amore nostram assumendi humanitatem, ut adumbrare modum, quo erat eâ vestiendus, voluerit plura ante sæcula: nec leviter femur tetigit colluctantis Jacobi, ut mulceret, sed graviori impetu, ut feriret, eoque luxaret, quò certius significaret, se ejusdem cum Jacobo naturæ futurum: quin non solùm femur tetigit, sed & inflicto vulnere sauciavit, doloribus afflixit, quia ad consortium divinæ naturæ nonnisi per vulnera, & dolores nobis via sternitur: quin & portionem illam in corpore concussit, & torsit, quò ejus caro inde progressura priùs de passione disciplinæ erudiretur, quàm ex virgineo sanguine formaretur: quin per inflictum vulnus nostræ voluit intimiùs humanitati adhærere; proximior enim tunc humanitas est Deo, cum in lucta ærumnarum pungitur, sauciatur: noluit carnem Jacobi colluctatoris dolore expertem, cùm ab eadem esset carnem ipse sumpturus: quò vir dolorum diceretur, non solùm dolores ad se traxit, verùm ex dolore suam voluit originem ducere: moriturus inter vulnera, & dolores crucis, ex doloribus oriri voluit, & in doloribus vivere, ut ad patrem redux de prostrata morte victor, nos edoceret, nullam ad cœlestem gloriam, quàm per dolores tutiorem nobis patère viam.

Idq; causæ cur sponsus ad coronam sponsæ vocaturus non de excultis hortorum areolis eam ad se vocat, sed de montibus excelsis Libani, & Parthorum, & de cubilibus leonum. *Veni de Libano sponsa mea, veni de Libano, veni: coronaberis de capite Amana, de vertice Sanir, & Hermon, de cubilibus leonum, de montibus parthorum*, sponsam invitat, ut veniat è loco, in quem sponsus secesserat in montem scilicet myrrhæ, & collem thuris, quia virginitas adumbrata in Libano, nonnisi in montibus myrrhæ, & thuris coronatur. Thus, cùm adoletur, orationis est symbolum, sicut & myrrha mortificationis, & ærumnarum: quia lilium castitatis nisi adversitatibus excolatur, suaviter non redolet, nec thus nisi inter accensas tribulationum prunas excrucietur: castitas enim, quæ oratione, & mortificatione caret, non claret; & propinquior est lapsui, captivitati, & compedi, quàm coronæ: scitè igitur à Libano evocatur Sponsa ad montem myrrhæ, ut coronam non solùm virginitati excultæ, sed etiam doloribus æquo animo toleratis debitam accipiat. 22.

Corona, quâ virginitas coronatur in sola dolorum, & tentationum officina cuditur: quæ enim delicijs diffluit castitas coronam à se abigit; lilio enim castitatis nil lethalius, quàm mundi voluptas, quamdiu David pugnavit cum adversarijs, Saulis persecutiones sustinuit, lilium excoluit pudicitiæ; quod tunc elanguit, cùm primùm cœpit ipse in aula delicijs diffluere. Si castitas avis est paradisiaca inter thalami plumas volare desijt in regia; licèt cœlum conscendere didicerit in eremo; si flos est, rubere cessavit in purpura, & olere; si pugnatrix Amazon dicitur, tunc triumphare dedidicit post victorias, quando adversarium ampliùs non novit. Quæ extra aulam floruit exculta, perijt in aula neglecta; & servivit in imperio, quæ didicerat imperare in famulatu; friguit inter odoratas pelles, quæ inter nives fovebatur; ornamenta deperdidit, cum accepit, nunquam enim Davidis pudicitia ancillata fuerat nisi in solio, tunc ejus lilium etiam prope fontes exaruit; propterea rectè sponsus non 23.

ex

ex deliciis thalami, neque ex odoratis floridisque hortorum areolis ſponſam vocat ad coronam; ſed de montibus parthorum, de cubilibus leonum: quia caſtitas nonniſi per montium labores, per parthorum timores, leonum terrores, adverſitatum pugnas ad coronam ducitur. Aptè igitur à libano evocatur ſponſa ad montem myrrhæ, ut coronetur. *Veni de libano ſponſa.* Vocat ſponſam, quam ſecum trahit: non ei injungit ut eat, ſed ut ſecum veniat, ut haberet ſequentem. Validior enim ad trahendam ſponſam fuit vox illa *Veni*, quàm ſi dixiſſet *eas*, quia plures ſunt, qui licèt viam indicent ſalutis; perpauci tamen, qui quos ad montem myrrhæ vocant, & ad luctum cohortantur, exemplo præcedant: ſolus ſponſus ſponſam præcedit ad montem myrrhæ, ut exemplo fortiùs, quàm voce eam traheret ad ſtudia virtutum.

24. Ad coronam non pervenimus, niſi per montem myrrhæ cum ſponſa cœleſtem ſequamur ſponſum; tunc cum illo coronamur, ſi per tentationes, labores, & cruciatus poſt ipſum tranſeamus: hac fuerunt corona donati Martyres Chriſti pugiles, ſed quia in officina perſecutionum, cruciatuum, tunſionum eam ſibi cuderunt: eleganter Tertullianus tyrannos alloquens, & Chriſtianorum tortores ait: *Crucibus, & ſtipitibus impoſitis Chriſtianos, quod ſimulachrum non priùs argilla deformat cruci, & ſtipiti ſuperſtructa? In patibulo primum corpus Dei veſtri dedicatur. Ungulis deraditis latera Chriſtianorum: at in Deos veſtros per omnia membra validiùs incumbunt aſcia, & runcina, & ſcobina. Cervices ponimus ante plumbum, & glutinum, & gomphos: ſine capite ſunt Dij veſtri. Ad beſtias impellimur certè quas Libero, & Cybele, & Cereri applicatis. Ignibus urimur: & hoc illi à prima quidem maſſa. In metalla damnamur: inde cenſentur Dij veſtri. In Inſulis relegamur, ſolet & Inſulis aliquis Deus veſter, aut naſci, aut mori.* Varios deſcribit Tertullianus Martyrum cruciatus, & labores, quibus ſuperſtitioſa crudelitas ſibi perſuadebat Deorum prodeſſe ſimulacris, quibus tamen ad triumphum Chriſti pugiles coronam ſibi cudebant, quin & in ipſo ſupplicio portionem hauriebant ipſi divinitatis: ſi enim metalla, ad quæ Chriſtianorum turmæ damnabantur: conflandis Numinibus inſerviebant; & ipſa metalla, quæ è terræ intimioribus viſceribus labor ervebat Chriſtianus Ethnicorum habebantur Numina; jam labor aliquid divinitatis impertiebat non falſæ & fucatæ Ethnicis, ſed veræ, & probatæ Chriſtianis ſcitè concludit Tertullianus: *Si per hæc conſtat divinitas aliqua: ergo qui puniuntur, conſecrantur, & Numina erunt dicenda ſupplicia;* quia ſcilicet perſecutiones, & ſupplicia aliquid conferunt divinitatis, quâ ſupplicia tolerantes cœleſti merentur diademate coronari: coronatur ſponſa, ſed ſi procedat de cubilibus leonum, de montibus Parthorum: *Veni coronaberis de capite Amana, de cubilibus leonum, de montibus parthorum:* quæ debuiſſent terrorem incutere ferocientes beſtiæ, coronæ præluſerunt.

*In Apolog. cap. 12.*

*Loc. cit.*

Etiam Samſoni leo in itinere occurrit ore hiante, & necem minitante, ſed heros venientem feram pede intrepido expectavit, & oculo impavido aſpexit, ejus ferociam deſpexit, & bellua Samſonem, quem debuit vorare, enutriit; fauces enim unde pœna timebatur in penum vertit; & oris hiatus, terrorem rugitu incutiens, favos exhibuit mellis; & ubi mortis amaritudo timebatur, vitæ dulcedo hauritur: melle non fuiſſet Samſon paſtus, niſi cum leone luctam inſtituiſſet; tunc meruit melle dulcorari, cùm feram proſtravit. Eſt adverſitas officina, è qua ſplendor noſtræ gloriæ dimanat: nunquam miraremur in metallorum principe allicientem nitorem, niſi cruciantis flammæ opificium ipſum torſiſſet: ſi procellas tollas, iridem non ſperes; noctem qui faſtidit ærumnarum, ſiderum choreis non delectatur. Sponſa inter Parthos & leones non deperdidit quidquam de propria venuſtate, quin & longè venuſtior inde ſplenduit, & digna non vinculo, ſed corona: non igitur horreamus montes myrrhæ; ſi diadema nos delectat; ſi premunt nos tribulationes, non tamen opprimunt; abſtergunt nos ærumnæ, non feriunt; etiam Apoſtoli pluries procellâ pulſati in cymba fuerunt periclitati, ſed nunquam merſi; & Petrus quamvis videretur fluctibus abſorberi, portum tamen vel in ipſo naufragio appulit, & in tutum venit, cùm ad Chriſtum pervenit. Paulus itidem tametſi anguſtijs preſſus, nunquam tamen iiſdem fuit oppreſſus. 25.

Petrus ſæviente procellâ per marinos fluctus proceſſit, & tutè inceſſit; quia per adverſitates tempeſtatum non timuit ad Magiſtrum accedere, qui citius non invenitur, quam inter dolores, & preſſuras ærumnarum. Quæſierunt Deum ſponſa, & David, ſed hic fuit illâ felicior in quærendo, cùm ſponſa ſe fraudatam reſtetur, ſuóque voto fruſtratam, quem enim quæſivit ſponſum minimè invenit; cùm tamen Davidi quærenti ſtatim obviaverit. Quid cauſæ, cur ſponſa anxia in quærendo non invenit, ad quē David illico pervenit? quia ſponſa in lecto deliciarum, in thalamo quietis ſuum quæſivit ſponſum, quem David per inacceſſa tribulationum, per prærupta cautes ærumnarum, ac laborum invenit, ait ſponſa: *In lectulo meo per noctes quæſivi, quem diligit anima mea, quæſivi illum, & non inveni:* ſe fruſtratam deſiderio fatetur, quia non per aſpera tribulationum, ſed per delicias lectuli ſponſum quæſivit, hinc quem David adulter invenit, hic ſponſæ virgini non obviavit; quia David quæſivit, ubi ſciverat 26.

*Cant. cap. 3.*

 poſſe

Psal. 76. v. 3. posse inveniri: *In die tribulationis meæ Deum exquisivi manibus meis, nocte contra eum, & non sum deceptus.* Sponsa segniùs sponsum quæsivit post solis occasum cum indulgendum est quieti; & propterea non in campo, tametsi ipse esset flos campi; non in monte myrrhæ, sed in lectulo per noctes quæsivit: nimirum, quia diem suum quæsivit in nocte, minimè invenit. David verò ut quem quæreret inveniret, antevertit solis occasum, lucis utitur beneficio conversurus in diem ipsam tribulationis suæ noctem: est tribulatio perinde ac nox lurida, omni solatij claritate destituta, sed hanc noctem in diem meridiano jubare clarescentem David vertit, quia tribulationibus pressus ad Deum se convertit, quem quæsivit, & invenit: *in die tribulationis meæ Deum quæsivi, & non sum deceptus.* Non expectavit, ut amicorum occumbens patrocinium ad Deum ipsum vocaret, veluti extremum profugium, & ultimam in naufragio desperatæ salutis tabulam, sed illicò ad ipsum confugit, cùm primùm sensit se ærumnis exagitari, calamitatibus premi, quæsivit David non pedibus tantùm, sed & manibus laborando simul, & operando: *in die tribulationis meæ Deum exquisivi manibus meis:* quem sponsa non invenit otiosa in lectulo; adinvenit David laboriosus in opere; illa desiderio frustratur suo, quia suspirijs deses; iste fit voti compos, quia manibus strenuus; sponsa igitur decipitur, quia otio indulget io lectulo; David verò, quem quærit invenit, quia nec labori parcit, nec diei expectat occasum, ut accedat ad Deum: non otium, sed labor; non voluptates lectuli, sed tribulationum pressuræ ad Deum manuducunt.

27. Non ita inter delicias sponsus suam quæsivit sponsam, sed inter angustias foraminum prædurì saxi, inter horrescentes, ac

Cant. cap. 2. caligantes maceriæ cavernas: *Columba mea in foraminibus petræ, in caverna maceriæ; ostende mihi faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis.* Vocem auditurus sponsæ, quam quærebat, non perambulavit vernantes floribus hortorum areolas, sed cavernas maceriæ; imò & foramina penetravit petræ; columba siquidem cultrix castitatis, audiri non debet nisi in foraminibus petræ in secessu, eminus ab hominum frequentia; & tunc tuta degit cùm saxeis foraminibus angustiatur, cùm tribulationum angustijs premitur, cum in caverna maceriæ, & adversitatis commoratur: tunc enim ostendit faciem suam sponso, & ejus vox aures demulcet sponsi. Non lusciniam Deus sponsam nominat, cum expetit ejus vocem audire: neque curat, ut cubet in viola, sed ad cavernas maceriæ eam evocat.



## §. IV.

*Per sola Christi vulnera, eorúmque foramina arctam ingredimur cæli viam: & nocturna tribulationum caligines, veluti prælucentes faces, quà sit eundum præmonstrant.*

28. Consortium cœlestis sponsi, qui quærit, tribulationes non fugiat, sed amet; non enim Deus ad mundi delicias animam invitat, sed ad ærumnas, & tribulationum angustias: *Surge amica mea speciosa mea, & veni columba mea in foraminibus petræ, in caverna maceriæ.* Ecce quomodo eam ducit, per latibula cavernarum, rimásque saxorum? antra montium, caverna maceriæ, præruptæ cautes, excisæ rupes horti sunt, in quibus sponsa vernante suo gaudet flore campi; quia sola Christi vulnera deliciæ esse debent Christianorum; per ipsa, eorúmque foramina arctam ingredimur cœli viam; neque foramina petræ, & caverna maceriæ, quid aliud sunt quàm vulnera Christi. Adamavit cœlestis sponsus columbam formosam, & speciosam, non pascentem in campo, sed dolentem in foraminibus petræ, quia in angustiis durioris tribulationis spatia dilatantur veri amoris. Lydius amoris tribulatio est, quæ charitatem prodit, non obruit. *Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem:* non divitiæ affluentes, sed ærumnarum aquæ diffluentes amorem commendant. Cant. 8. v. 7.

29. Imò ærumnæ altaria sunt, ubi lampas charitatis, lumina piorum affectuum uberiùs ardent, illustriùs splendent, & cultus Numinis viget sanctior. Infortuniorum exercitum, ærumnarum phalanges denso agmine in Jobum hostis tartareus armaverat, quem & in simetum prostravit; non tamen victum credas, quem jacentem saucium vides: *Tunc surrexit Job, & scidit vestimenta sua, & tonso capite corruens in terram adoravit:* Job. 1. 20. sed cur Job surrexit, si statim voluit se in humum prosternere? cur celet se erexit, si statim corruens se depressit? nimirum quò ferventiùs in adorationem procumberet, eò celeriùs surrexit; priùs voluit surgere, ut sanctiore devotione demissiùs adoraret: si non surrexisset, demissum adorationis statum non exhibuisset: tunc devotiùs Deum adoravit, cum acriùs tribulatio ursit: cum primùm audivit, malorum exercitum in sua irruisse bona, Sabæos suæ regioni contermines irruptione factâ mille quingenta majoris pecoris capita abegisse custodibus ferro interemptis; voracem ignem ovium septem millia unà cum opilionibus sævo incendio delevisse, nec unâ quidem victimâ placando Numini superstite; Chaldeos equites rapto vivere assuetos tres in turmas partitos tria camelorum millia abstraxisse cæsis famulis, alijs-

aliisque nitentibus obsistere: septem filios, & tres filias simul in eadem domo convivantes, excussis vehementi exorto turbine à fundamento quatuor ædium angulis vivos à ruina labentis domûs fuisse sepultos, non cacodæmones harum authores cladium quærulus accusavit, sed satis habuit, internum dolorem externa vestium dilaceratione prodere; & animi mœrorem capitis testari abrasione; non ut in quærulas voces post filiorum cladem, segetum combustionem; totiúsque census prædam gemens irrumperet; sed ut flexo poplite, strato corpore, humi procumbens pios proderet exteriùs affectus, amoris, devotionis, & cultus, quos tribulatio intus excitaverat, ut notat Lyra inquiens: *corruens in terram adoravit scilicet Deum. Ex quo patet, quod ista prostratio post erectionem præcedentem non fuit ex tristitia animum dejiciente, sed magis ex devotione.*

30. Quamvis capitis abrasio, vestiúmque scissio signa essent interni mœroris, ac doloris non tamen dolens fuit conquæstus; sed corruens in terram Deum adoravit, & per pios affectus arctiùs ei adhæsit, suámque voluntatem, divinam dixit Job: *Dominus dedit, Dominus abstulit; sicut Domino placuit, ita factum est, sit nomen Domini benedictum* nimirum ait Augustinus: *Tuba ductilis erat Job, quando repentè percussus tantis damnis, tunsione illa tanta tribulationis, tactus sonuit: Dominus dedit, Dominus abstulit:* sua Deus dederat, quæ iterum abstulit; ergo nihil amisi aiebat Job, nullum passus sum detrimentum; nec mihi aliud superest, quàm ut humi procumbens Deum meum adorem; Magistra tribulatio Jobum edocuit per adorationem ferventiorem arctiùs Deo adhærere; quin & in crucibulo tribulationum coronam sibi eudere ad æternos triumphos auream: appositè Origenes: *corruens in terram adoravit, surrexit ad victoriæ perfectionem, prostravit se ad coronæ acceptionem. Nam ante Imperatores, qui victores extiterunt, non stantes, sed deorsum adorantes coronam accipiunt, formámque illius ostendit, qui ut granum frumenti cadens in terram, diabolum devicit.*

I.1.V.21.

In Psal. 97.

31. Cecidit in terram Job, non prosternendus, sed coronandus; imitatúsque fuit granum cadens in terram non mortificandum, sed multiplicandum. Tritici granum in terram cadens sinu excipitur putris glebæ, materno fovetur occatæ telluris gremio; & opitulantis humoris pinguescens satio herbam germinat, radices agit, adolescens incrementum subit, gratámque speciem herbescentis viriditatis prodit, séque in ipso suæ stirpis exordio manifestat, & quales sperandi sint ex lactescente herbula fructus edocet; móxque sensim sine sensu adolescens in fœnum, culmóque pubescens ab humo in sublime erigitur; & ubi jam geniculata spica sustulerit, vaginæ frugi parantur, in quibus granum formatur interiùs, ne tenella ejus primordia rigens pruina decoquat, aut urentis solis æstus arefaciat; vel violentiæ excutiat ventorum, vel imbrium labefactet redundantia; vel aëris lædat inclementia; quædam succedunt spicæ partitiones mirâ naturæ industriâ distributæ ad speciem gratæ, ad tutamen perutiles, nexu quodam naturalis colligationis una confœderatæ: neve exuberantis frugis pondere pressa spica detrimentum patiatur, vel impar oneri curvetur in terram, quadam munitur fultura culmorum geminatis protecta vaginis: quin ipso in culmine flavescens spica vallo circumcingitur aristarum, quibus & ab avium minutarum tuetur morsibus; & suis coronatur aculeis, quos inter flavescente maturitate perficitur granum: quo discamus nonnisi tribulis circumseptam virtutem excrescere, ac perfici.

Hinc vel ipsum æterni Patris Verbum, cujus in sacris paginis granum tritici typum gerit, non nisi in terra nostræ humanitatis pluribus in passione vibicibus occata mortificatum in nostræ salutis uberrimam excrevit messem; imò cum primitùs in terram appulit in paleis voluit reclinari, non tantùm ut frumentum se proderet electorum; verùm ut ærumnarum, ac tormentorum aculeis illicò assuesceret, nósque vix factus viator viam edoceret virtutis; & quia ignem erat in terram missurus charitatis, aptam concipiendæ flammæ materiem quærens descendit in fœnum. Quòd si olim in rubo splendens ignis, spinas indicavit, quibus coronatetur: è medio rubi vidit Moyses ignem lucidum pullulare in vertice spinoso serto redimitum. Ignem hunc urentem, & non comburentem Christum præsignâsse communis est Patrum censio, præsertim D. Ambrosii, prælusit enim splendens in rubo ignis, Verbum divinum in terram descendere, & primus typus, in quo se parat conspiciendum rubus est afflictionum, atque laborum emblema, quibus amandatus fuit homo, dum spinas, & tribulos terram ei germinaturam audivit. Moyses mysticum visurus ardentem rubum, & non conflagrantem ad montem ascendit Horebum; quia virtus laborem exigit, & secessum, & quò quis remotior est à mundi turbis, à creaturarum tumultu; eò propinquior fit Deo, ac divinorum capacior. 32.

Lib. 2. de fide.

Venerat Dei filius homines regere, ac pet viam salutis dirigere: ignis in rubo Rectorem populi præfiguravit: in eo siquidem conjunctæ sunt Sapientia ad regendum, seu ignis illuminans; & Rubus, in quo spinæ severitatis, & justitiæ delinquentes coërcent, ac puniunt. Sed quid filium Dei ad rigidos addixit sentes? perpende quid dicat eum dudum splendnisset in rubo: *Vidi afflictionem populi mei in Ægypto, & descendi.* Nullus efficacior illex Deum ad nos attrahit, quàm tribulatio patienter tolerata. Sed cur spinis 33.

Exod. 3.9

spinis cingitur in rubo? cur inter senticeta splendet? ut oculos in sui acuat intuitum; ut clariùs se præbeat adorandum; Deo enim nullum illustrius exhibemus tabernaculum, quàm quod labores, & ærumnæ construunt: ubi spinæ afflictionum, & senticeta tribulationum; ibi Deus in suo colitur tabernaculo in sua adoratur sede; unde Moysem coarguit, quòd calceatus fuerit ausus rubum ardentem, & non conflagrantem accessisse. *Ne appropies huc: solve calceamenta de pedibus tuis; locus enim in quo stas, terra sancta est.* Cur calceos exuere jubetur Moyses ad rubum accessurus? cur pellendi sunt calcei? pedes denudandi? si calcanda pedibus tellus est vepretis hispida, sentibus horrida, dumetis consita, spinis armata? cur non potius calceatus accedit, ne terræ impressa vestigia nudo, & exulcerato pede cruentet? Imò quia spinis pungebatur, tribulis urgebatur, & dominus splendebat in rubo veluti in quodam sacrario, ubi se Moysi adorandum exhibuit, factu optimum fuit, ut Moyses nonnisi nudo pede ad spinas properaret; non solùm quia munus est sacerdotis nudis pedibus, seu absque ullo pravo affectu, sine ullo terrenæ cupiditatis involucro, ac impedimento sacrum accedere altare: verùm etiam ut inde nobis innotesceret, tribulos, & ærumnas ad Numinis cultum, & adorationem viam sternere; apposité Theodoretus: *Duas igitur res hoc loco significare mihi videtur Dominus, Moysem è rubo, veluti è cathedra erudis, qua ratione sacerdotes in tabernaculo Deo ministrent, nudis enim pedibus sacerdotale munus obibant.* Quam opportunè in Rubo Dei filius splenduit, quia cùm esset legem daturus, cujus prima sanctio de cultu Numini præstando, & adoratione protestanda est: *Deum suum adorabis, & illi soli servies*, aptè inter vepreta conspicuum se exhibuit, & in flamma splenduit, quæ pungentes spinas non absumeret, sed illustraret; quia tribulos, & ærumnas, quibus affligimur suæ gratiæ nitoribus ornat, & illuminat: illæsas voluit in Rubo esse spinas; ut possint simul lædere, & splendere; sauciare, & ornare; sanguinem elicere, & gloriam ubertim impertiri: tunc tutiùs Numen adoramus, dum laborum, & ærumnarum manipulis cingimur.

*Exod 3. 5.*

*In Matth. 4.*

34. Quinimò Verbum splendescens in Rubo typum exhibuit dominicæ incarnationis, cui hoc spinetum exordium cecinit; ut & spinea in passione corona, & clavi in cruce vulnerantes epilogum, ut tota Christi vita spinis & tribulis premeretur, & floreret sacer sponsus, ut lilium inter spinas. Spinea coronâ redimitur, sentibus vertex perforatur, ut à quo inceperat in Rubo, in vepreto se in terra hominibus manifestare; in eadem speciе cum hominibus degeret, & quia initiis sui affines sunt fines, initium si posuit in Rubo, finem spineo serto cinxit. Regium caput non auro præcingitur, nec gemmis illuminatur, sed horrentibus obruitur dumetis, & utrinque transfigitur cruentatum; quò nos edoceret, nonnisi per spinas, & tribulos reversurum ad Patrem incedere debuisse: si flammæ rigor, & voracitas, rubi consumpsisset spinas sacro perforando capiti nullus superstes adfuisset aculeus: non rosis, sed spinis coronari voluit in terris, quò discere mus per spinas tribulationum patienter toleratas ad cœlestem perveniri coronam; eleganter Clemens Alexandrinus: *Cum omnipotens universorum Dominus cœpit per Verbum legem ferre, & Moysi suam Omnipotentiam voluit manifestare, divina illi visio ostenditur formata lucis in rubo ardente, spinosa autem planta est rubus. Postquam autem legem ferre, & cum hominibus conversari desiit, mysticè rursus coronatur, tunc illuc, unde descenderat abiens, veteris descensus principium instaurans, ac de integro veluti recapitulans, ut quod primum per rubum visum fuerat Verbum, per spinam rursus assumptam ostenderet, omnia esse unius potentia, cùm sit unus Patris Filius principium, & finis sæculi.*

*Lib. 2. Pædag. cap. 8.*

An debebatur dolorum Regi fructicum Rex, ut omnes in uno recrearet? siquidem cùm primùm in Christi vertice consiti fuêre aridissimi sentes, vitam sentire cœperunt homines redempti; quin & rubi ipsi viriditatem, quam perdiderat arescentes, iterum induerunt lætantes, & non potuerunt non revivescere Rubi, qui rosas etiam divinissimi sanguinis protulêre; tametsi Verbum Dei inter spinas ceciderit, non tamen senticeta illud obruerunt, cùm floruerit uberiùs in spina. Regio corporis indumento regium etiam congruebat capitis tegmen; ideóque spina cùm sit plantarum imperatrix meruit in coronam dolorum imperatoris inflecti, ejúsque capiti inseri, ut simul foret candor lucis æternæ, & lilium inter spinas; quinimo spinæ sanguinem elicientes, divini candoris lilium in rosam commutârunt charitatis, quæ nostros coronaret tribulos; si enim defluentes divini sanguinis guttas vernantes dixerimus rosas, non spinæ rosam præcingunt; sed rosæ spinas coronant. Quòd si spinæ adversitatum nos pungunt, nil inde verendum; nostras & rosæ coronabunt spinas; si earum aculeos patienter toleraverimus. Quòd si sacer Christi vertex spineo cruentatur diademate, voluit suo sanguine purpuræ nostræ colorem impertiri, imò & suis spinis nos contra tartareos hostes armare; agnoscimus siquidem in hoc spinarum serto peregrinum armorum genus. Moris fuit, quò populi olim in acie pugnaturi sagittas in morem radiorum capiti circumponerent: quò nostros expugnaret hostes, peccatum prosterneret, & de ipsa morte redivivus triumpharet, telis spinarum caput circumcinxit, ut hoc telorum, bellíque apparatu

35.

paratu terrorem hostibus incuteret, & rosas amoris nobis pararet, nosque illiceret ad Numinis amorem, & cultum.

36. Cùm in rubo se Deitas explicâsset, ineffabile suum illicò nomen protulit, & inexhaustus divinæ naturæ fons latices suos ubertim exhibuit: sciscitanti enim Moysi, quodnam esset ejus nomen reposuit, Exodi 3. *Ego sum, qui sum*, fuit Rubus, in quo divinitas se Moysi visibilem exhibuit in ignis splendore, symbolum laborum, & afflictionum; ut sciremus, tunc Deum nobis splendescere, cùm videmur ærumnarum senticetis obrui; tunc nobis latices suæ gratiæ ubertim impertiri, cùm spinæ tribulationum nos pungunt; & tunc roseum nobis intexere sertum, cum labores nostros imbre rigamus sudorum; & adversitates, quæ in nos irruunt nostrum ideo eliciunt sanguinem, quia tunc per toleratas ærumnas intimiùs Deo adhæremus, & ferventiùs ejus adoramus majestatem, reveremur nomen; est siquidem tribulationis senticetum veluti Numinis tabernaculum, ad quod proni humiliamur, & spinis circumsepti ærumnarum ferventiùs Deum adoramus: etenim etiam Judæi illudentes ei, & præ malignitate stolidi, ac nefarij milites postquam JEsum ferientibus spinis coronârunt, flexo poplite adorârunt vel inviti, & nolentes: *Et plectentes coronam de spinis posuerunt super caput ejus, & arundinem in dextera ejus, & genu flexo ante eum illudebant ei.* Matth. 27. v. 29. Quid? quod non flagellis cæsum ad colum nam, non cruci affixum, vulneribus saucium flexu genu adorârunt? sed cùm primum sentibus sacra tempora circumcinxêre, tunc didicerunt genu flectere; quia nimirum spinæ adversitatum ad culturam virtutum nos perducunt, & Numinis cultum, & adorationem edocent: sed quid? quod milites illicò genu flexerint, cum densa ærumnarum sylva Christi verticem viderint coronatum: quia spineum sertum ultimus fuit contumeliæ terminus, cùmque ad summum pervenisset tribulationis, docuit hæc, vel ipsos impios in Numinis adorationem genua flectere; scitè Chrysostomus ait: *Etenim quod fiebat in Christum ultimus terminus contumeliæ erat, nec una particula tantùm, sed universum corpus patiebatur injurias:* tunc nefarij milites adorant genua flectentes, cùm primùm rubum, & spinas viderunt sacrum Christi verticem transfixisse, & cruentâsse, tribuli enim, & ærumnæ ad studia virtutum, ad Numinis venerationem, Deique cultum viam aperiunt, & manuducunt. Homil. 88. in Matth.

37. Tunc ad Deum accedimus cùm à mundi voluptatibus recedimus, & tribulationum spinis cingimur. Hinc sponsa tunc surrexit, & venienti aperuit sponso cùm ejus manus myrrham distillaverunt: *Surrexi, ut aperirem dilecto meo: manus meæ distillaverunt myrrham.* Cant. cap. 5. Non aperuisset, neque suo adhæsisset sponso, nisi didicissent manus myrrham stillare; nisi sponsa assuevisset laboribus ærumnis, ac tribulationibus tolerandis: nec fuisset sponsa; si cùm sponso aperuit, quid aliud habuisset in manibus præter myrrham; cujus amaritudo sacrum allexit sponsum, qui si absit, vel ipsi hyacinthi flores vertuntur in myrrham. Sed cur Christus oleum à virginibus exegit, quô suas ornarent lampades? si sola myrrha eum delectat in manibus sponsæ? cur apud Matthæum virgines obviaturæ Christo oleum satagunt suis habere in lampadibus: cùm sponsa ideo surrexit occursura sponso, quia è manibus myrrham stillat? quare virgines oleum Christo exhibent in lampadibus, & sponsa myrrham, è manibus stillantem? quia nimirum suam intensiori amore, promiori affectu sponsam prosequebatur sacer sponsus, quam virgines licèt cultura pudicitiæ insignes, & lilio castitatis ornatas: ab amante plus exigit Deus, quàm ab innocente: sponsa quia intensiori amore ardebat in sponsum, manus myrrham stillantes debuit exhibere venienti sponso: virgines aurem, quarum amoris flamma exigua erat in lampade, nonnisi oleum secum detulêre, quo lampades ornarent; quia sufficit Deo si virgo lilium excolat pudicitiæ, & luceat exemplo excultæ virtutis: sponsa verò nisi amaritudine myrrhæ veluti inebrietur, Deo non satisfacit; ideóque sponsa non audet sponso aperire; nisi in ea myrrha exundet amaritiei; sciens sacrum sponsum nostris delectari ærumnis, quas floribus coronat. Plus sponsa debet myrrhæ manuum, quàm innocentiæ cordis: imò & paupertati totius corporis, cum loti pedes, & projecta tunica eam ab occursu retardaverint sponsi; ad quem tamen compulerunt manus myrrham distillantes: nisi manus assuevissent myrrhæ, seu laboribus, & ærumnis tolerandis, pedes non surrexissent, nec venienti obviâssent sponso, qui & ipse fasciculus myrrhæ fuit, cùm inter dilectæ ubera requievit: non quòd ipse sponsus myrrha sit, sed quia tunc quiescit in corde illius, qui tribulationibus premitur, qui ærumnis affligitur, qui myrrhæ adhæret fasciculo, seu ærumnoso, ac tribulato, quapropter ait: *Cum ipso sum in tribulatione*, quasi dicat, tametsi non sim ego myrrha, ubi tamen myrrhæ fasciculus adest, ibi sum & ego; & ideo in uberibus requiesco sponsæ, quia si ab uberibus lactis distillat dulcedo, myrrhæ fructus mihi dulcescunt. In Psal 90. v. 15.

38. Idque causæ, cur post plures exantlatos ab Israelitico populo in Ægyptiaco famulatu labores, eum duxerit in terram fluentem lacte, & melle; quia fructus myrrhæ, ærumnarum, ac laborum nonnisi dulcedinem sapiunt: *Educam vos ait Dominus in terram, quæ fluit lacte, & melle*, sed si populus per prolixa deserti itinera à Moyse perducendus erat, si promissionis terram non fuit ingressus, si siti debuit æstuare, & solo absynthio ærumnarum inebriari, si fame debuit torqueri, si lachrymas, & sanguinem fundere, si hostili insultui pluries obsistere, pugnantes manus hostibus Exodi 3. v. 8

hostibus inserere, tribulos deserti experiri, & arescentes solitudinis arenas tolerare, quomodo fuit populus eductus in terram fluentem lacte, & melle? Imò fluxerunt in deserto cum lacte mella, quin ita fluxêre, ut refluxerint, & affluxerint, quia quò prolixior fuit ærumna, quò procerior excrevit myrrha, eò uberiùs cum lacte mella fluxêre. Terra enim Dei tametsi deserta, spinis, & vepretis horrida, ærumnis sata, manat tamen lacte, & melle, quibus non insulsè palato sapit; hinc cultoribus virtutum, studio addictis pietatis, & exercitio pœnitentiæ myrrhæ amarities adeo dulcis fuit, ut viderentur non labores tolerâsse, sed mella epotâsse, non ærumnas sensisse, sed lacteam dulcedinem bibisse. Hinc est, quòd Nazianzenus dixerit, Christi pugiles tormenta carnificum veluti thesauros præripuisse, *qua non magis illata formidabant, quàm relicta requirebant, unum illud veriti, ne tyrannus à pœnis desisteret.*

Orat. 20. de Machab.

## §. V.

### *Adversitates, ærumnæ, & ægritudines æquo animo toleratæ uberem suppeditant gaudiorum segetem: probisque fovendis affectibus aptam suggerunt materiam.*

39. MEam subit memoriam leprosus quispiam in vitæ extremis constitutus, qui cùm mox acturus esset animam, sua exosculabatur membra, quibus & gratias egit, eò quia eum egregiè per annos plurimos torserint, simúlque uberrimam meritorum segetem ipsi paraverint, & tunc dulces myrrhæ fructus fuit expertus. Idque etiam causæ, cur D. Paulus gaudio superabundaverit in omni tribulatione sua; & D. Jacobus putaverit, omne gaudium esse existimandum, cùm homines in varias incidunt tentationes; sponsa pudoris privilegio floruerit sicut lilium, sed inter spinas dolorum, & vulnerum; & D. Cyprianus Martyrum cadavera vulneribus lacerata, flammis exusta, ungulis discerpta, sanguine fœda, sanie sordida non spinas vocaverit; sed nascentis Ecclesiæ vernantes rosas, quia spinæ tribulationum, & adversitatum fœtæ sunt floribus; & persecutio, si sanguinem fundit, gloriam accersit; si ignem accendit, coronam cudit. Nec mirum, si supplicia efflorescant in rosas, cùm etiam vermes è vulnerum sanie ebullientes in pretio margaritarum splendeant. Ideóque sponsa tunc surrexit, dilecto obviavit, cui & cor aperuit, cùm manus myrrham distillârunt: dulcedinem sponsi, ejúsque suavitatem tunc prælibavit fatiscentibus labijs; & lacteam ejus dulcedinem, cùm manus myrrham distillaverunt.

40. Placet sponso sponsa, & tunc illum recipit, quando myrrham ipsa accipit. Tribulationibus, & ærumnis debet sponsa, quòd suo fruatur sponso; quia tunc surrexit nòn quando pedes lavit, vestes exuit, sed cùm ejus manus myrrham distillaverunt: & ideo sponsus ad sponsæ hortum invitatus celer accessit, non ut fructus nucum ibi comederet, sed ut myrrham in horto decerperet, dixit sponsa: *Veniat dilectus meus in hortum suum, & comedat fructus pomorum suorum*, sed statim reposuit sponsus: *Veni in hortum meum soror mea sponsa, messui myrrham meam.* Quid? quòd sponsus ad delicias invitatus pomorum, myrrham seligat, quâ depascatur, ejúsque amarities dulcori præferat pomorum? An poma neglexit, & myrrham demessuit, eò quia sponsa non propter poma, sed propter myrrham sponsum invitaverat? Si enim soli flores vernâssent in horto, vel poma duntaxat maturuissent, non fuisset sponsus hortum ingressus; sed quia non pomorum dulcedinem, sed myrrheam amaritiem suas putavit delicias, hortum adivit, ut suas inter delicias succrescentem in myrrha colligeret amaritiem: *Messui myrrham meam*, quasi diceret sacer sponsus; pomorum delicijs fruantur alij, mihi præ cæteris plantis grata est myrrha, quæ licèt amaritudinem stillet, reddit tamen optabilem.

Idque causæ, cur ubi floridus describitur sponsæ lectulus, nulla fiat sponsi mentio, 41.
qui nec quæritur; *lectulus noster floridus:* & ubi quæritur, nulla fiat florum mentio, sed umbrarum duntaxat noctis: *In Lectulo meo per noctes quæsivi, quem diligit anima mea:* nimirum ad excitandum pium affectum, & castum amorem in sponsum, aptior est lectulus tenebris ærumnarum circumseptus, & tribulationum caligine inhorrescens, quàm vernantium florum stipatus pulchritudine; ideóque etiam David non inter flores solatiorum; sed inter tribulos ærumnarum, quæsivit, quem per peccatum perdiderat, & invenit; quem enim peccando amiserat, resipiscendo invenerat, sed cùm plenum ærumnarum exercitum ultro contra se excitavit, genua propter jejunium fuerunt infirmatâ, lectum turpitudinis instrumentum lachrymis per singulas noctes lavit; labores vocavit à gemitu, cinerem tanquam panem manducavit, & potum cùm fletu miscuit: *In die tribulationis meæ DEUM exquisivi manibus meis, nocte contra eum, & non sum deceptus.* Quæsivit Regius Vates DEUM, quem invenit, quia *manibus suis*, seu proprijs laboribus, dum ærumnis defatigaretur, quæsivit in nocte tribulationis; in umbra ærumnarum: privatio cujusvis solatij, & carentia lucis lætitiam ingerentis, stimulos addunt ad quærendum Deum *Imple facies eorum ignominiâ, & quærent nomen tuum.*

Cant. cap. 3

Psal. 76 v. 3.

Psalm. 82 v. 17.

Tunc homo ad Deum convertitur, & à 42.
creaturis avertitur, cùm ignominiâ afficitur, opprobrijs impetitur; tunc cum David Altissi-

Psalm. 90. Altissimum ponit refugium suum, in quem unicè sperat: *Quoniam tu es Domine spes mea altissimum posuisti refugium tuum*, docet tribulatio asylum quærere in Deo cùm creaturæ persequuntur, & in illo solo confidere, ac sperare, quæris quare? quia in solo Deo potest quis tuto quiescere, ait enim Psaltes: *Non accedet ad te malum, & flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo.* Est flagellum, quod Prophetam edocuit ad Dei solium confugere, qui ideo fuit spes ejus, quia ad ipsum non accedit malum: *Tu es spes mea: Non accedet ad te malum, & flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo*, quia vulnera exhorruit flagelli punientis, refugium in Deo quæsivit miserente. Hinc
Ad Rom. 13. v. 12. Apostolus, lucis solatium enactos fuit post nocturnas tenebras, quæ præcesserunt, inquiens, *Nox præcessit, dies autem appropinquavit*: est autem hic dies, quæ veram solatij lucem secum affert, & alijs impertitur, ex mente D. Ambrosij, ipse Christus, cui appropinquamus, si nox tribulationis, prius nos suis tenebris circumsepserit: ideo lux solatij accessit, quia tribulationum obscuritas præcessit. *Nox præcessit, dies autem appropinquavit.* Non dicit nox recessit, quasi diei obex sublatus fuerit, sed nox præcessit; quia hæc diei pronuba nisi præcesserit, lux
Cap. 17. v. 11. non consequitur. Quapropter etiam Job. fassus fuit, dissipationem ærumnarum ex accessu hujus diei, inquiens: *Cogitationes meæ dissipatæ sunt torquentes cor meum*, sed licèt ærumnæ torserint; cogitationes molestias ingesserint, tribulationes afflixerint: & angustiæ in pressura tribulationum cor presserint, ac noctem terroribus plenam attulerint; hanc tamen subsecuta dies abegit, & omnes excussit caligines: pergit Jobus inquiens: *Noctem verterunt in diem:* ò quàm felices umbræ tribulationum, quæ diem pariunt veri solatij! caliganti in tenebris ærumnarum obstetricante calamitate lux defœcatioris solatij illucet splendidior, arridet serenior; & David hanc lucem tunc fuit enactus, & ad Deum conversus, cùm spinâ
Psalm. 31. v. 4. saucius, ærumnis premi cœpit: *conversus sum in ærumna mea dum configitur spina:* quia nimirum rosa veri solatij, & conversionis in Deum, nonnisi ex spina oritur tribulationis.

43. Sponsa tunc florem campi suo quæsivit in lectulo, cum flores aruerunt agrorum. Adest in horto sponsus si myrrha inde non absit: surgit celer è lecto sponsa januam pulsanti dilecto apertura, non cùm floribus suaviter olet, sed cùm manibus myrrhæ distillat amaritudinem. Non splendet in excultis florum areolis aurum, sed sua in luto cunabula ponit Non fulgent sidera meridiano in jubare, sed suos in tenebris duntaxat nitores delegant; & cœlestis sponsus mavolt flos campi, quàm horti audiri; quia qui in horto vernat flos spinis non cingitur, quas cultura abegit: qui verò in campo flos nascitur spinis cingitur, & urticis; quia tellus nec aratro proscissa, nec segetibus sata negligitur inculta. Hinc ubi vulgata legit, *Ego flos campi*, hebraica versio habet, *Ego rosa campi*, quæ spinis cingitur, dumetis coronatur. Tunc virtus vernat lætior, & floret vegetior cùm spinis cingitur ærumnarum, cum omni destituitur solatio, & sola desolatio premit: aiebat David: *Ego dixi in ex-* Psalm. 30. v. 23.
*cessu mentis meæ. Projectus sum à facie oculorum tuorum:* nimirum cùm se projectum à facie Dei putavit, tunc in excessu mentis suæ locutus fuit. Tunc Joseph in Ægypto ardentiùs fratres suos dilexit, cùm duriùs ipsos fuit allocutus; & tunc magis placuere, cum se Proregi fratres concredidêre. Sara tunc intensiùs adamata fuit ab Abrahamo, cùm non uxoris, sed sororis nomine vocata fuit. Jacob Patriarcha tunc Josephum impensiùs dilexit, cùm acriùs eum redarguit de somnio siderum. Nos Deus osculatur, cùm videtur nobis vulnus infligere: idque experta sponsa dixit: *Labia ejus lilia stillan-* Cant. 5. v. 13.
*tia myrrham:* si myrrhæ amaritudinem stillat sponsus, lilio eblanditur; & tunc osculatur labijs, cùm amaritudinem instillat: est tunc gratior myrrha, quando ex osculo fluit. Si amaritiem sentis tribulationum, non procul distas à labijs cœlestis sponsi, qui est adjutor in tribulationibus.

Sunt tamen, qui sentientes se premi 44.
angustiis nullum experiuntur refugium, neque auxilium, videturque Deus ipsis deesse, dum tribulationes adsunt: sed isti fortassis in tribulationes se injecerunt, non verò tribulationes ipsos invenêre: est Deus refugium, & virtus in tribulationibus, quæ nos inveniunt, non quas nos nobis cudimus: quapropter David ait: *Deus noster refugium* Psalm. 45. v. 2.
*& virtus, adjutor in tribulationibus, quæ invenerunt nos nimis:* ideo plerumque Deus non experimur refugium in tribulationibus, quia non istæ nos invenerunt, sed nos eas quæsivimus, quatenus pravas non declinavimus occasiones; quia tentationes ad nos non venerunt, sed nos illas adivimus; & malè cauti tribulationes incurrimus, contra quas Deus, nobis affuturum, minimè pollicetur. Ideo periclitanti Josepho adfuit Deus adjutor, & virtus, quia non ipse heram, sed hera ipsum quæsivit; ideo Davidem fœditates permisit è pellucido fonte haurire, quia quò non debuit, oculos inflexit. Quòd si infirmitas, quæ nos premit, suam à nobis originem non traxerit, mortem non infert: unde Christus, cùm primùm ægrotantem Joan. 11. v. 4.
invisit, & originem novit infirmitatis dixit: *Infirmitas hæc non est ad mortem, sed pro gloria Dei, ut glorificetur filius Dei per eum.* Annuit infirmitati, quâ non modò Dei gloria, verùm & Dei filius exaltaretur; amplexus fuit languorem, quia optavit utilitatem: opprobrium adamavit, ut in ærumnis Deus glorificaretur: *Infirmitas hæc non est ad mortem, sed pro gloria Dei:* vis scire, quo-

modo pro gloria Dei? audi Judæos oblo-
*Matth. 27. v. 40.* quentes: *Si filius Dei est, descendat de cruce* crucem ascendis, ut ad Dei gloriam conscenderet; imò & ubi descendit, resurrexit, & glorificatus ascendit in cœlum.

45. Plerumque quæ videtur infirmitas esse, incolumitatem ingerit, & quod videbatur periculum inducere, securitatem firmat; divendirus fuit Joseph veluti servus, sed ut regnaret tanquam Dominus. Expositus Moyses fuerat adhuc parvulus fluminis undis, sed ne periret; exulavit ab aula, ne diu exularet populus. Æstuavit rebellantis carnis incendio Paulus, sed ut veluti aurum in crucibulo defœcatiùs purgaretur. Cæcutiit Petrus, & caligines invenit ad splendorem ignis, cùm dixit, se Magistrum non novisse; sed caligo oculos aperuit, quos in lachrymas solvit, & ex lapsu fortior surrexit: nimirum friguit ad ignem Petrus, quia tunc minùs dilexit; & tametsi Christo semper adhæserit, cùm primùm tamen ab ipso recessit, ac si eum nunquam novisset, alienum se dixit, quò inde discamus, non sufficere Deum vidisse, ac audivisse, sed eum dilexisse optandum esse: etiam Jezabel Eliam audivit redarguentem, quam tamen Profeta non vidit resipiscentem, nec Jezabel esse desierit. Herodes Joannem audivit corripientem, sed eum voluit capite diminutum; Judas Christum audivit, quem tamen vendidit; Caiphas eum agnovit, quem etiam damnavit; solus amor est, qui rigente adversitatis brumâ nos Deo agglutinat, quem sequi debemus, non quia commodo trahimur, sed amore ducimur. Sponsa quia hoc ducebatur amore suum per tribulationes non destitit
*Cant. 5. v. 7* sponsum quærere: *Tulerunt pallium meum mihi custodes murorum*, quio & vulneratam se fatetur; sed per vulnera, & nuditatem
*Cant. 5. v. 8.* adhuc sponsum quærit: *Adjuro vos filiæ Jerusalem, si inveneritis Dilectum meum, ut nuntietis mihi.*

46. Quòd si quæras, cur tam anxiè sponsum quærat? quia scilicet amore ducitur: aiebat ipsa *amore langueo*: tametsi denudata pallio, & vulneribus saucia, non tamen Judices accessit accusatura vulnerantes, & spoliantes; sed sponsum quæsivit, quia nimirum solus Deus, cùm angostiæ nos premunt, ærumnæ obruunt, potest nobis esse solatio, & quam amisimus restituere sanitatem; ipse enim & inflicta nobis vulnera curat, & pallium nobis ablatum restituit. Id notatu dignum, quod sponsa post sublatum sibi pallium, post inflicta sibi vulnera, in nuditate, & tribulatione sui non fuerit sponsi oblita. Rarus qui JESUM quærens, & pallij jacturam faciens, si vulneribus saucietur non desinat quærere, ut conqueri incipiat, contra spoliantes, & vulnerantes: sed quia sponsa non temporali commodo illecta, sed amore ducta sponsum quæsivit, ideo non destitit etiam in tribulatione in vulnere, & nuditate eum sitire.

47. Turbæ secutæ Christum fuère trans mare, sed propter panes, aut commodum; 47.
quod inde sperârunt, sed cùm Christus à Juda proditus, & à militibus ad præsides ductus fuit, tunc vel ipsi Discipuli aufugerunt, vel nonnisi à longè secuti sunt eum. Sponsa verò, quia amore languescens etiam inter vincula, vulnera, & opprobria nuditatis, non destitit sponsum quærere: si petas à quanam fornace prodierit tantus amoris ignis? certè ex ipsis vulneribus, & nuditate; cùm primùm vulnerata laboravit nuditate, cœpit ardere charitate: vulnera amoris flammas excitârunt, quibus nuditas fomitem suppeditavit: non igitur timeamus vulnera, quæ tantum amoris infundunt, quantum cruoris effundunt; non timeamus nuditatem, quia flores virtutum eò vernant pulchriores, quò sunt nudiores, & omne à se integumentum abjiciunt: lilium alio non delectatur ornatu, quàm proprio candore; rosa non aliam amat purpuram induere, quàm proprium nativum ostrum: tametsi sponsa pallio spoliata algere debuisset, uberiori tamen æstuavit ardore, quò amore langoit; quòd si Petri charitas accensos prope carbones friguit, sponsæ amor ardentior in nuditate æstuavit: imò semel atque iterum præ amoris vehementia languit sponsa, quia non solùm pallio spoliata, sed etiam vulneribus sauciata. *Introduxit me in cellam vinariam ordinavit in me charitatem: fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo.* *Cant. 2. v. 4.* Tametsi spinis sauciaretur, adhuc præ amore urticas flores censuit, quibus fulciri optavit. Ideo amor sponsæ non elanguit, licèt langueret ipsa amore, quia & nuditas corporis per sibi ablatum pallium, & membrorum vulnera, uberem suppeditârunt amori fomitem; friguit verò prope accensas prunas Petri amor, quia commodum caloris quæsivit in atrio, & frigus, quod calore satagebat excutere, contraxit.

48. Qui verus est amor aurum æmulatur; in crucibulo enim tribulationum non detrimentum patitur, sed purgatur, & pretium incrementatur; tunc charitas est virilior, cùm cruentatur; tunc sanctior, cum sanciatur. Idque causæ, cur Christus felices dixerit quotquot ærumnas, & persecutiones patiuntur: *Beati qui persecutionem patiuntur*, sed quomodo *Matth. 5. v. 10.* beatitate donantur, qui persecutione affliguntur? quia nimirum tunc beneficio persecutionis depurantur à scoria noxarum, & pravorum affectuum; & periode ac aurum in crucibulo expurgantur, & monilibus omnium virtutum exornantur: cùm tribulatio urget, ærumnæ nos premunt, persecutiones affligunt, tunc arctiùs Deo adhæremus, pro quo hæc pati non recusamus, mentem ad ipsum erigimus, eùmque rogamus: Est enim tribulatio, quæ stimulos addit ad virtutem, ait David: *Cum consisteret peccator adversum me obmutui, & humiliatus sum, & silui à bonis, & dolor meus renovatus est.* *Psal. 38. v. 2.* Sed quid tunc charitatem, & amorem auxit, cujus igne accensus sursum ad DEUM mente

[Pſal. 38. v. 4.] mente avolavit, niſi tribulatio? *Concaluit cor meum intra me: & in meditatione mea exardeſcet ignis.* Ecce perſecutio fomes eſt cœleſtis flammæ, tribulatio pium amoris affectum non ſolùm excitat, ſed enutrit. Stephano non viduæ ab eo paſtæ; ſed Scribæ in eum lapidibus ſævientes, cœlum aperuêre: ſuſpexit cœlum apertum, non ut Levita inter hoſtias, ſed ut reus inter ſupplicia; JESUM ſtantem vidit à dextris Dei, ſed cum lapidibus ipſe humi jacens obrueretur. Moyſes non in aula Pharaonis Deum vidit, ſed in Orebi ſenticeto: Deum audivit ſibi loquentem non delicijs delinitus in civitate, ſed dumetis circumſeptus in deſerto. Quàm miſeri, qui ærumnarum horrent ſpinas, ut floribus deliciarum, quas mundus exhibet, fulciantur! eſt Deus, qui tribulationes immittens calcaribus nos premit, quò celeriores ad ipſum curramus: neque enim adverſarij in nos ſævirent, ſi Deus nos ipſis non traderet. [Pſal. 105. v. 41.] *Et tradidit eos in manus gentium*, hoc eſt, tradidit excruciandos, ut reciperet coronandos: corona gloriæ in officina tribulationum cuditur pretioſior; & Agonotheta Deus ſuos non ſine voluptate pugiles ſpectat ſtrenuè cum adverſitate luctantes, quibus coronam impertiatur: aſpera, & ærumnoſa imbellis formidat, ſed vir fortis culturæ addictus virtutis, quæ dura ſunt, & adverſa optat, & exambit; ſciens contra imbelles eſſe blanda, & proſpera, quibus vincantur; & pro fortibus adverſantia, quibus devictis, ac patienter toleratis dignè coronentur; ærumnæ iſtis ſunt exercitio virtutis: deliciæ illis exitio; ferrum vulnerans iſtis ſalutem impertitur; voluptas alliciens illis necem molitur: ſine adverſario non vincit virtus; ſed neglecta languet: [Lib. de providentia, cap. 4.] *Non licuit illi*, ait Seneca, *ſe experiri, ubi ex voto illi fluxerunt omnia.*

## §. VI.

*Virtus tunc excolitur feliciùs, cùm duriùs divexatur: floret vegetior, cum arctiùs premitur; & in uberem proborum affectuum meſſem maturit, cum improbos abigit.*

49. VIrtutis ſplendor ſydus eſt, non lucet, niſi nocturnæ ingruant tribulationum tenebræ; nemo ſciret, an ſuas in cœlis ſydera choreas ducerent, niſi noctis atræ cimmeriæ eas proderent; nulli innotuiſſet Huſſæi principis patientia, niſi ærumnoſus jacuiſſet in fimeto; tunc apparet, quantum quis valeat, quantâque virtute polleat, cùm adverſarijs fatigatur, contrarijs oppugnatur: vis thuris odora, nonniſi in prunis ſentitur: aromata tunc magis ſe produnt, cùm in mortario malleis percuſſa teruntur: obobalſama ſuaviùs olent, cum agitantur, excutiuntur; vix odorem exhalant, ſi quieſcant; & Magdalenæ unguentum tunc totas ædes penetravit, cum in Chriſti verticem effuſum fuit; ſine exorta in mare procella naucleri peritia non cognoſcitur; neque in campo ſine hoſtili conflictu virtus bellica palmas colligit; quapropter D. Hieronymus ad amicum ægrotum ſcribens, ait: [Tom. 3. epiſt. 9.] *Chriſtiana militia eſt infelicitatibus feliciter ampliari, preſſuris adoleſcere, & preſſuras pubeſcendo calcare. Frequentibus procellis Chriſtiana vita quatitur, atque tentatur, & preſſuris innumeris lætatur, ac creſcit.* Virtus, non ſi ſopita quieſcat in plumis, ſed ſi appugnata dimicet in campo dignoſcitur. Idque cauſæ cur Democritus apud Plutarchum [Lib. adverſ. Colot.] commendaverit artem bellicam tanquam artem maximam, eò quia labores ſubeat, adverſarios experiatur, quibus corona egregiè pugnanti paratur.

50. Virtus quando cum adverſitate confligit, coronam ſibi procudit; cùm ſudores fundit, victrices ſibi irrigat palmas: ſtrenuis Athletis agon non eſt timori, ſed voto, & deſiderio; quia ſuam conflictando virtutem oſtendunt, quæ ante experimentum alios latebat. Adverſitas eſt veluti fomentum, & fermentum virtutis, dummodo eidem patientia ſuffragetur, unde Job ajebat: [Cap. 7. v. 5.] *Induta eſt caro mea putredine*, cum ſcilicet in fimeto jaceret ærumnoſus, ulcus, ſeu phagedæna maligna, tetra, & verminoſa ſerpens per ſingula corporis membra carnes omnes corrumperet; lepra ad ipſas oſtium medullas deſcenderet, plumbeúmque ſanguinem, ac mœrores pareret, & ſomnia excitaret terrifica; cùm ebullirent per artus ſingulos vermes, & viſcera ipſa intùs exulcerata putreſcerent, & os malè olentem halitum, ſputúmque emitteret ſanioſum, tunc enim verè dixit: *Induta eſt caro mea putredine*, ſeu ut vertit D. Ambroſius. [Lib. de interpell. Job. cap. 1.] *Fermentatur mihi corpus in putredine vermium.* Eſt fermentum, quod totam maſſam corrumpit, ſed corruptione ipſa perficit; acorem inducit, ſed ſaporem producit: quid ni calamitas, quâ homo premitur ærumnoſus, veluti fermentum eſt, virtuti enim ſaporem impertitur, ac perfectionem communicat; nemo eſt, qui virtutem excolens adverſarium non experiatur, & tunc in ipſo virtus eluceſcit clarior, cùm ærumnoſis circumſepitur caliginibus: hinc Chriſtus, ut ſuos ad incrementum virtutis expetendum alliceret, ſimilitudinem adduxit grani ſinapis. [Matth. cap. 17. v. 20.] *Si habueritis fidem ſicut granum ſinapis*, ſed quam dixeris eſſe hanc fidem grano pariatam ſinapis cùm minutiſſimum ſit, ac vile ſemen ſinapis? Verùm ſi non in cortice tantùm ſemen hoc minutum luſtremus, ſed intimam illius penetremus virtutem, ac naturam, liquebit, non abs re grano ſinapis virtutem pariari, tametſi nullam in extimo cortice præſeferat dotem, quâ laudem ſibi conciliet; ſi tamen piſtillo contuſum in mortario, tritúmque fuerit, & ore commanſum, tunc ſuas exerit vires,

acrimoniam ingerit palato, odorem immittit naribus; & nemo credidisset, tantum ignis potuisse sub tam modico cortice latere: & nisi pistillo tunderetur suam minimè virtutem proderet.

51. Qui virtutem omnibus ex voto fluentibus excoluit, qui cum adversitate nunquam conflixit, non adeò spectabilem se alijs exhibuit, nec laude dignum: pauci sunt, qui spectent naves secundis ventis, & aura favente portum appellentes; currunt è contra plures, si eas aspexerint cum procellâ, & fluctibus colloctantes; quia non in malacia, neque cùm venti favent nautica virtus se prodit, sed cum procellæ sæviunt, & imminens minantur naufragium; scitè Seneca ait:

*Lib. de Provid.* *Avida est periculi virtus, & quò tendat, non quid passura cogitat, quoniam & quod passura est, gloria pars est; militares viri gloriantur vulneribus, læti fluentem meliori casu sanguinem ostentant, idem licèt fecerint, qui integri revertuntur ex acie, magis spectatur, qui saucius redit. Ipsis inquam Deus consulit, quos esse quam honestissimos cupit; quoties illis materiam præbet aliquid animosè, fortitérque faciendi, ad quam rem opus est aliqua rerum difficultate.* Aurea virtus non purgatur defæcatior, nec splendet illustrior, quàm in crucibulo ærumnarum, in igne adversitatum. *Bonum quod in tranquillitate sumitur*, ait D. Gregorius lib. moral. cap. 4. *in tribulatione manifestatur:* victorijs legendis assuevit Josuë,

*Josuë cap. 9. v. 2.* sed etiam pugnis sustinendis: *Cuncti Reges congregati sunt pariter, ut pugnarent contra Josuë:* sed Israëliticæ militiæ Dux strenuus nunquam adversarios expavit, sed potiùs exoptavit, quò Dei perduelles prosterneret; ajebat; quamvis numerosissimi sint hostium exercitus, non tamen mea mihi genua labant, non corporis membra contremiscunt, nil animus trepidat, quia mihi militat æther. Perinde christiana virtus hostem provocans ait: Adeste afflictiones, & innumerabilium calamitatum agmina, fames, sitis, egestas, morbi, luctus, injuriæ, convicia, calumniæ, & omnes ærumnarum exercitus in me irruite, non movebor, neque trepidabo,

*Psal. 26. v. 3.* & cum Davide dicam. *Si consistant adversum me castra, non timebit cor meum*; tametsi Acheron debacchantes suas Megeras in me moveat; tametsi cœlum in me ruat, & omnis calamitas in me veluti in scopulum collimet, adhuc intrepidè stabo.

52. Afflictio est, quæ virtutem probat; ærumnas, qui à se excutit, virtutis exercitia abigit: nemo est virtutis cultor, qui ab omni sit procella adversitatis immunis. Ferunt Artaxerxi Regi amicum perchatum fuisse demortuum, & Regem misisse Joniam suum familiarem ad Democritum, ut si quid in eo esset artis, satageret suum sibi amicum restituere; aut si quod aliod remedium foret deperditi amici recuperandi, id modis omnibus tentaret, non sine spe opulentioris præmij. Democritus verò reposuit Joniæ; rem difficilem postulari: sin verò Rex vellet, posset à se postulatis annuere, sibi satisfacere, & in opus rem deducere, ac amicum restituere. Promisit Rex omnia facturum juxta Democriti petita; tunc subjunxit Philosophus: si ita res est, & votis meis velit Artaxerxes annuere defunctum ei restituam amicum; si ejus tumulo hanc fixerit inscriptionem: nimirum triginta nomina eorum, qui ad vigesimum ætatis annum nil adversi fuêre experti, nilque dolorum passi tumulo insculpantur defuncti. Jussit Rex per singulas suis Regni ditiones hæc triginta fausta nomina inveniri, quæ sepulchro insculperentur defuncti amici: sed post diuturnam perquisitionem nec unus potuit homo reperiri, qui ingenuè fateretur, se per tantum temporis nullam unquam fuisse adversitatem expertus; imò nec ullo ævo, ut est credibile, tot nomina inveniri possent: tunc Democritus ad Artaxerxem, si igitur nullus est mortalium, qui nil sentiat adversi, cur tam acriter doles, eò quia mors tuum abstulit amicum? non amico repetendo; sed adversitatibus superandis necesse est, studeas. Absynthium omnibus propinatur mortalibus; sed huic calix, alteri congius, illi caliculus miscetur, prout Deo magis libuerit. Idque ob eam etiam causam, ut alter alterius commiseratione tangatur, & quilibet suam exerceat virtutem, quam adversitatibus magis perpoliat, & proximiùs Deo appropinquet; non mundi commodum, & prospera nobis ad Deum viam sternunt, sed adversa ad ipsum nos manuducunt; mundi commoda potiùs à summo bono nos avertunt, ad quod adversa convertunt.

Ingens erat hominum turba, quæ per invia deserti fuerat Christum secuta; & quæ nullam poterant aliam errore vacuam viam invenire, rectam in Salvatore invenêre turbæ, quibus fontes misericordiæ in arescente deserto scaturiêre, & benignitas Salvatoris refertam obsonijs mensam apparavit, ne præ panis copiâ angustaretur eremus, & pisces incrementati in sicca solitudine marinis longè, latéque diffusis tractibus non inviderent; cum multiplicatum obsonium famelicæ turbæ voracitatem vicerit; & administri Apostoli ex superstitibus reliquijs duodecim impleverint cophinos; tametsi non nisi quinque duntaxat panes Christo obtulerint pascendis turbis minimè sufficientes, & longè impares: sed cùm primùm cœperunt Discipuli panibus exundare, annonâ ditescere Domini caruêre præsentia, & in ipsa opulentia, se Magistro novêre destitutos. 53.

*Fugit in montem ipse solus: ut autem serò factum est, descenderunt Discipuli ejus ad mare.* *Joan. 6. v. 15.* Sed cum scapha malefidas marini tractus undas trajceret, & de arridente malacia tuta procederet; ecce ventus statim vehemens flatu turbulento malaciam excutit, marinos fluctus excitat, aërem tetris nubibus

bus fœdat, procellam commovet, quâ na- Matth. 6. viculâ periclitatur. *Mare autem vento magno flante exurgebat.* Fluctus decumanis tumidiores in ſcapham irruebant, cujus latera acriùs diverberabant, & excreſcens procella per momenta naufragium minabatur, & diſcipuli in navicula anguſtijs preſſi de nautica videbantur arte deſperâſſe; ſed ecce turbatos fluctus, commotam procellam, venti inſoleſcentis impetum ſedavit illicò Chriſti præſentia. *Vident JESUM ambulantem ſuper mare, & proximum navi fieri.*

54. Quid quòd Diſcipuli in deſerto cùm panibus exundarent, & annonâ diteſcerent Magiſtri caruerint præſentia? tunc enim Chriſtus in montis ſeceſſu oravit ſolus, ſed ejus Diſcipuli ad mare deſcendentes ſcapham conſcenderunt; marinas undas trajecturi Magiſtro abſente, quamdiu malacia arriſerit: ſiquidem cùm primùm cœpit procella ingruere, mare intumeſcere, fluctus ſcapham quatere, & naufragium minitari, & Diſcipuli in navi metu exagitari, apparet illicò Magiſter, qui & navigio appropinquat. Cùm panibus diteſcerent Apoſtoli in ſolitudine, cùm annonâ abundarent; cùm favente aurâ, & arridente malaciâ mare trajcerent, Magiſtri præſentiâ incedunt deſtituti; qui tamen ingruente procellâ, intumeſcente mare, imminente naufragio Magiſtrum vident præſentem afflicti, quem gaudentes habuerant abſentem; quem proſperitas portum ſalutis perdiderat, hunc adverſitas, & tempeſtas recuperavit; maris procella magnes fuit divinæ præſentiæ, quam ad ſe traxit, cum cœpit navem quaſſare, & diſcipulos in ipſa timore percellere, anguſtijs premere: & quamvis diſcipulis faviſſet Chriſtus, antequam tempeſtas inſurgeret, proximior tamen fuit, cum fluctus cœperunt in navim irruere, ejus latera quatere, & naufragia minitari; appoſitè Theophilactus, In Joan. 6. *aſſiſtit illis*, ait, *cùm tempeſtas eſſet; & ſermone timorem ejiciens, & tranquillitatem in mare faciens, duplicem ſerenitatem operatur ſedando tam animarum, quàm navis turbationem:* ecce tunc Deus aſſiſtit, cùm adverſitas oritur, cùm tempeſtas excitatur; anguſtiæ premunt: cùm Diſcipuli panibus diteſcerent in eremo, remotior ab ipſis abfuit Magiſter, quibus proximior adfuit periclitantibus. Tametſi Diſcipuli amicitiâ fuerint Chriſto ſemper devincti: eò tamen diſcrimine; ut annona affluentes præſentia deſtituantur Magiſtri, quâ mox calamitate afflicti dignantur, & fruuntur: divinum ſolatium divitibus ſubducitur, & afflictis addicitur.

55. Hinc etiam ſponſa quamdiu inter delicias ſui lectuli ſponſum quæſivit, non invenit. Cant. 3. v. 1. *In lectulo meo per noctes quæſivi, quem diligit anima mea, quæſivi illum, & non inveni.* Non contenta ſemel quæſiiſſe; iterum quæſivit, & licèt ſedulam adhibuiſſet perquiſitionem, non tamen dilectum ſuum invenit; quia eum quæſivit inter lectuli delicias; quia virtus non quieſcit in lectuli pluma, ſed floreſcit in campi ſenticeto: erat ſponſus flos campi, malè ſponſa ſponſum in lectulo quæſivit, qui vernat in campo. Cùm verò ſurrexit è lectulo, & plateas circuivit, labores plurimos quærendo ſubivit, imò & pallio expoliata, ac inflictis vulneribus ſaucia, per anguſtias tribulationum dilectum quæſivit. *Invenerunt me* Cant. 5. v. 7. *cuſtodes; qui circumeunt civitatem, percuſſerunt me, & vulneraverunt me:* quia percuſſa non deſtitit ſponſum quærere, quia inter anguſtias ærumnarum inter verbera, & vulnera ſponſum quæſivit, voti compos facta eum invenit. *Paululum, cùm per-* Cant. 3. *tranſiſſem, inveni, quem diligit anima mea*, quem in delicijs lectuli non potuit invenire, eidem in arcta tribulationum via illicò obviavit: delicijs delinita, & commodis affluens non invenit ſponſum, quem vulneribus ſauciata, adverſitatibus preſſa, commodis deſtituta ſtatim adinvenit. Cuſtodes civitatis, quos Angelos fuiſſe teſtatur D. Ambroſius, non pallium abſtulêre, ut ſponſam virtute ſpoliarent; ſed ut purpurâ veſtirent uberioris charitatis; non vulnerârunt, ut ferirent; ſed ut ad dilectum ſponſam dirigerent: noverant Deum afflictis, & laborantibus jugiter adſtitiſſe; quid ni? ſuffragaturi ſponſæ votis, quo citiùs quæſito obviet ſponſo charitate animati, non ſævitia ſtimulati vulnera infligunt, ſponſam coarctant, anguſtijs premunt, tribulationibus obruunt, quia hæc eſt arcta, & compendioſa illa via, quâ illicò ad cœleſtem ſponſum pervenitur: Pulchrè D. Ambroſius: *Bene tollitur ei pallium, quæ ad Chriſtum appropinquat, ut Deum viſura mundo corde gradiatur.* Nuditas alas explicat, ut celeriori volatu ad ſponſum perveniatur. Quærit D. Ambroſius, quomodo cuſtodes ſponſæ percuſſores Angeli fuerint, cùm caſtæ animæ pallium ſuſtulerint; & reſpondet, ideo ſponſam afflixiſſe, ut ſponſi urgerent adventum, ejúſque præſentiam accelerarent, & uberius in ſponſa deſiderium excitarent dilectum ſuum inveniendi, in quo unicum tot inter anguſtias ſolatium ſponſa ſperaret; quia tribulatio eſt, quæ pios omnes affectus excitat, quos & fovet.

Jobus quæſtionem proponit, quónam 56. in loco ſapientia reperiatur. *Sapientia ubi invenitur? & quis eſt locus intelligentiæ?* & Job. cap. 28. v. 12. ſibi reſpondens, ſatisfacit quæſito inquiens v. 13. *Neſcit homo pretium ejus, neque invenitur in terra ſuaviter viventium.* Ecce, qui delicijs in terra diffluunt, ſuaviter vivunt, & mundi voluptatibus indulgent, minimè ſapientiam inveniunt, quia hæc digito monſtrat, quanti ſint facienda mundi fluxa, caduca, ac ruinoſa, & quanti æterna nulli obnoxia viciſſitudini: neque reperitur in ædibus, quæ divitijs affluunt,

&

& ubi inhabitantes bacchanalia vivunt; sed in ærumnis, adversitatibus, ac calamitatibus reperitur, ideóque sponsa, quia vulneribus saucia, pallio spoliata, dilectum suum invenit. Cæcutimus, si inter mundanæ voluptatis blandimenta, ac deliciarum lenocinia rerum quærimus solatium; quamvis ridentem vultum præseferat terrena voluptas, non tamen ridet, sed suos irridet sequaces, qui si larvam ei detraherent; nonnisi luctus, funera, ac neces deprehenderent; & ideo cæcutiunt, quia qualia sint mundi blandimenta, non vident. In Tobia oculorum cæcitatem fel piscis exenterati abstersit; & fellea calamitas verum est collyrium, quo hæ crassæ in nobis tenebræ excutiuntur, & nostri emendantur errores; quotquot ærumnis premuntur, tribulationibus affliguntur marcentem illicò, & hebetem visum excutiunt; vidéntque, quàm misera sit, quàm errorum plena, ærumnarum referta, momento casura, ac morti semper proxima præsens hæc vita; homo ærumnis pressus, tribulationibus afflictus, ægritudinibus absumptus tandem in se descendit, & ipse sibi objicit mundi fallacias, & clarè videt, quâ sportulâ soleat mundus suos donare clientulos; cognoscit quem fœtorem, & amarorem post se relinquat turpis voluptas, quæ citò implet, & fastidium, ac stomachum movet; quæ post primum impetum marcet; cum delectat, vulnerat; cum titillat, discerpit; cum osculatur, mordet; & cum eblanditur, mortem infert.

## §. VII.

*Est tribulatio veluti panacea à cœlesti Pharmacopola hominibus data animi ægritudinibus omnibus, morbísque pravorum affectuum curandis peridonea.*

57. CORrigendis hebetum oculorum ægritudinibus nullum præstantius pharmacum hoc tribulationum felle, hoc afflictionum collyrio, quod oculos clausos aperit, ac diducit, caligantes abstergit; cæcutientes illuminat; idque expertus Hieremias dixit: *De excelso misit ignem in ossibus meis, & erudivit me*; & luculentius D. Gregorius: *oculos, quos culpa claudit, pœna aperit*, ut ærumnosus in calamitatum nocte Deum videat, ac quærat, quem inter mundanos perdiderat splendores: hinc Hieremias. *Ego vir videns paupertatem meam in virga indignationis ejus. Castigâsti me, & eruditus sum quasi juvenculus indomitus, quia tu Dominus Deus meus.* Est afflictio veluti panacea à cœlesti pharmacopola hominibus data morbis omnibus curandis perapta. Fuit Hierosolymis Probatica piscina, ubi pecudes immolandæ abluebantur, ut quas contraxerant maculas, & sordes, abstergerent, ac exuerent; quinque in hoc stagno porticus erant, quas omnis generis infirmi, ulcerosi, paralitici, ac deploratæ valetudinis homines implebant coacervati expectantes stipem à Deo, quam stato tempore Angelus è summo cœlo illac descendens tulit, cum aquam moveret, ac turbaret; ut qui primus in motam aquam descenderet, morbum in aqua extingueret, ac valetudinem reciperet. Quid mundum esse dixeris, quàm omnis generis ægrotantium Nosocomium? quid aliud piscina probatica est quàm tribulatio? hæc siquidem omnes animi dispellit ægritudines, pravos omnes excutit affectus, probos excitat, ac fovet: ut autem tot pessimè affectis hominibus medela fieret, descendit è sinu æterni Patris magni consilij Angelus, aquam movit, undas turbavit; procellam excitavit ærumnarum; nubes immisit afflictionum; ut animi morbos abigeret, mentémque multiplici pravorum affectuum nebula caligantem serenaret. Sed si Hierosolymis non deerant pellucidi latices, nec fontes salientes, nec putei latentes, quorum aquæ crystallinæ, pellucidæ, ac dulces solatio erant sitientibus; cur Deus pellucidis hisce, ac saluberrimis aquarum laticibus cœnosam prætulit piscinam, putridâ, fœdâ, ac turbidâ aquâ redundantem, quam vellerum fœdıtates, ac sanguineæ maculæ occisarum infecerant animantium? An non illustriùs fuisset, si unda Jordanis ad ægritudines abstergendas selecta fuisset? Ita est: prætulit cœnosam, turbidámque Hierosolymis piscinam aquis fontalibus, putealibus, Hierochuntinis, Damascenis, aliisque saluberrimis; quia in undis, quas ipsemet suâ cruentâ cruce turbavit, seu in salso ærumnarum gurgite in vasto calamitatum pelago voluit nostras curare ægritudines; quò inde discamus animi nostri infirmitatibus sanandis, pravísque affectibus curandis nullum esse pharmacum aptius ipsis calamitatibus patienter toleratis: hæ nostræ sunt thermæ, in quibus lavamur; & quas per pravos affectus, per æstuantes concupiscentias contraximus infirmitates mundati exuimus.

Trenor. cap. 1. v. 13.

Cap. 21. v. 18.

Scimus, Deum olim Hebræis ad immundorum expiationem aquas præscripsisse cinere, vel sanguine mistas; quia non alio flumine puriùs, ac defœcatiùs mens humana lavatur, quàm cum cruenti fontes salientes è Christi vulneribus, scaturientes è foraminibus petræ, emanantes ab ærumnis, ac tribulationibus in nos derivant: cruenti fontes è Salvatoris vulneribus ad nos saliunt; cineres autem mordacitatis, & lixivium quotidianæ hujus labentis vitæ suppeditant ærumnæ: hæ siquidem lixivium ministrant, quò maculas, quas per fœdas concupiscentias contraximus, abstergimus. Ad has scaturigines animo sospitamur; in hoc lavacro sordes deponimus, 58.

vi-

vires reficimus; ac sanitate donamur, sed quid? quòd cœlestis medicus Christus cum templi porticum Hierosolymis subiret, ægrotorum turmas invenerit, ex quibus nonnisi uni fuit sanitatem impertitus; cum æquè facilè omnes potuisset pristinæ restituere incolumitati? diceret quispiam perparcum fuisse in suorum beneficiorum impertitione: cur uni duntaxat sanitatem restituit, si plures idem exposcebant beneficium? eadem indigebant curatione? An quia id præstitit, quod piscina, quæ stato tempore nonnisi unum sanitate donavit? sed si Deus est infinitè munificus, & misericors, cur tam arctis limitibus suam coarctat beneficentiam? si virtutem curandi infirmos cœnosæ impertivit piscinæ; cor ægrotos omnes quotquot in templi porticu languebant, pristinæ non restituit incolumitati? si sol licèt unus, cœlo affixus ubique per omnes longè, latèque diffusos terrarum tractus singulis vegetantibus, ac sentientibus sua munificè impertitur beneficia, suis radijs velnti extensis brachijs fert omnibus opem, absque ullo sui detrimento; cur solis Conditor sanitatis beneficium omnibus non fuit ægrotis impertitus? cur omnium miserias non excussit? infirmitates non sanavit? An quia licèt sol benefico suo jubare sublunaria quæque persundat, vim insitam promoveat, & omnibus opituletur; si tamen sit aër nubibus nnà conglobatis fœdus; si addensatæ nubes solarium radiorum trajectioni sint obici, suæ lucis ad nos beneficia non transfundit? Peccata, quæ à summo Bono peccantes avertunt, densissimæ sunt nubes; & quidem atræ, & fœdissimæ, ac obscuræ, quæ divinæ gratiæ solares nobis abripiunt nitores, cui privationi lucis à Divino sole in nos profectæ illachrymans Hieremia ait. *Opposuisti nubem tibi, ne transeat oratio.* Hæ fortassis fuêre tetræ, ac obscuræ nubes, quæ in infirmis illis solem divinæ misericordiæ excluserunt: peccata, quibus plerumque à summo Bono avertimur, in causa sunt, quo minus à miserijs, quibus premimur, emergamus. Quòd igitur cœlestis medicus ex pluribus ægrotis, qui se illi obtulêre, ut sanitatem reciperent, unicum duntaxat pristinæ restituerit incolumitati, ex eo fortassis obtigit, qoia cæterorum neminem hoc dignum reperit beneficio: qnia excepto uno reliqui obicem opposnerint, quo minus benignus divini solis influxus in ipsos transfunderetur. Vel non fuit reliquis sanitatem impertitus, qnia fortassis ijsdem non expediebat, pristinæ tunc restitui incolumitati; & utilius fuit morbo divexari.

*Threr. cap. 3. v. 44.*

59. Plura hominum millia ægrotant, vel hydrope inflati, vel podagra torti, vel nephriti excruciati, vel febri absumpti, qui si commodè valerent, si affixi violentiâ morbi in lecto non essent, ad gehennales cruciatus pleno cursu properarent; cùm vario morborum genere vexati per fusas preces divinam exposcunt opem, Numinis recordantur, cujus sanitate donati penitus obliviscerentur, & per indulgentiam vitiorum divinam contra se Nemesim armarent. Felices censentur à mundanis cæcutientibus, qui delicijs diffluunt, & divitijs affluunt; sed plerumque extremum attingunt malorum, qui ad fastigium videntur pervenisse felicitatis. Quis felices non censeret bombyces serici mollioris, ac pretiosioris industrios textores, ac ingeniosos opifices; cum sericam sibi domum construxerint, quam à laboribus immunes inhabitent? & tamen, si Bombycis conditionem intimiùs inspiciamus, deprehendemus, sepulchrum Bombyci esse, quam sericam nos domum esse putamus; infelices, ac improvidi textores sunt Bombyces, sepulchrum sibi ædificant, quo operi suo immoriantur priùs sepulti, quàm mortui. Hoc perinde hominibus obtingit, quos felices credimus, plerumque sunt cæteris ærumnosiores: corruptum est nostrum judicium, depravatus appetitus; judicamus utile, & jucundum, quod noxium, & exitiale est. Hinc Christus, quæ nobis utilia sunt, non quæ jucunda, confert, & crucem offert, non in amœnum hortum ad omnes delicias consitum, sed in funestum Calvariæ clivum deportandam: *si quis vult venire post me, tollat crucem suam, & sequatur me:* dicit crucem suam, quia cuilibet sequenti Christi vestigia, sua, & propria crux datur, ne cuipiam desit: quia crux, seu ærumnæ, labores, calamitates, vulnera, persecutiones, dolores, & angustiæ sunt, quæ nobis viam sternunt ad Christi premenda vestigia: & quia quæ nobis sunt solatio, minus prosunt, quàm quæ sunt oneri, & tristitiæ; ideo paucos selegit Christus gloriæ suæ contemplatores, cum plurimos voluerit esse suæ necis spectatores, quos exemplo fortiùs, quàm voce edoceret viam salutis, quam crucis clavis adaperuit: etenim in rupe Taborea suæ gloriæ ostensurus specimen, tres duntaxat ex suis discipulis selegit tanti coruscaminis conscios: ah cur ad tam gratum spectaculum totam non evocavit Hierosolymam, ut tantæ gloriæ illicio deses populus excussâ segnitie ad studia excitaretur virtutum, quas spes præmii fovet, ac promovet? vel cur saltem non omnes secum in montem Apostolos traxit, ut forent conscij gloriæ, qui futuri erant passionis testes? sed multitudinem à glorioso exclusit theatro in rupe Taborea aperiendo; quam ad funestum admisit spectaculum in colle Calvariæ repræsentandum; quia prosperitas, & gandium vix ullis; crux verò innumeris solet prodesse.

*Matth. cap. 16 v. 24.*

desse. Idque causæ fuit D. Bonaventuræ præeligendi cum Christo crucem deferre in montem Golgotha; quam cum eodem Taboris inscendere verticem: quia plus nobis prosunt ærumnæ, quàm deliciæ; illæ probos excitant affectus, quos & fovent; istæ verò improbos alunt; illæ virtutum exercitia suadent; istæ vitiorum accersunt fœditates.

60. Hinc cum olim Romæ anno reparatæ salutis centesimo sexagesimo septimo M. Aurelius, & Lucius Verus jussisset, ut omnes milites lauro incederent coronati causa publicæ lætitiæ testandæ; fuit qui lauream corollam non capiti imposuit, sed brachio tulit: sciscitatus, cur ipse à publici triumphi pompa discreparet in laurea deferenda corolla, reposuit, quia non decet christianum militem in hac vita coronari: quod effatum adeò visum fuit Tertulliano præclarum, dignúmque viro christiano, ut in ejus defensionem, & laudem librum ediderit; cui titulus est *de corona militis*. Non decet sub capite vepribus obruto, & cruentato, membra aliter coronari, quàm spinis. Corona Christi in brachio eminebat, è quo labores prodeunt; quia solus labor est, qui in hac vita coronat; neque laurus viret, si aliâ rigetur undâ, quàm sudore, quem labor è fronte elicit; ad victoriam sine prævio labore non pervenitur. Hinc cœlestis sponsus fructus carpturos victricis palmæ ait. *Ascendam in palmam, & apprehendam fructus ejus.* (Cant. cap. 7. v. 8.) Quid opus ascensu ubi brachiorum proceritas colligendis fructibus sufficit? æquè facilè divino sponso est superiores Arboris fructus carpere, quàm inferiores è curvescentibus ramis pendulos: sed ut nos edoceret victricis palmæ fructus à nobis non carpi nisi prævio labore, ac conflictu contra pravos omnes affectus; ideo dicit, *ascendam in palmam*, quò laborem innuat ascensûs: inferiores fructus arboris stans carpit olitor, dum ramos lenta manu incurvat, trahítque; sed carpturus superiores, necesse est, non brachijs tantùm, sed toto corpore laboret, arboris caulem inscendat, superiores ramos pedibus premat, quos nonnunquam etiam frangit, ut fructibus potiatur. Non carpuntur fructus victricis palmæ, nisi labores præcesserint toleratæ molestiæ. Quòd si hominem arbori pariaveris; non credas hujus arboris fructus alios esse, quàm pios affectus; hisce igitur potimur, cùm labore frangimur, cùm in conflictu pugnantes stamus, ærumnis premimur; quia tunc per pia desideria ad Deum ascendimus, quem mundanis delicijs deliniti vix salutamus.

61. Nabuchodonosor accensæ fornaci extraditos pueros a flammis absumptos, & jam in cineres solutos visurus, fornacem adaperuit, flammas quidem evomentem, sed pueros indemnes servantem, quorum innocentiam reveritus ignis propriæ oblitus voracitatis, alienæ eblandiebatur sanctitati; obstupuit rex, cùm audivit adolescentes in medio igne choreas ducentes, & hymnos occinentes. Obmurmuravit ignis repetito crepitu, sed ut ovantibus plauderet juvenibus. Quòd si Vulcanus olim fulminum faber fuit, nunc palmarum extitit sator; flammas in fornace excitavit, ut clariores cuderet triumphos. Imò non flammæ, sed famæ sunt lignæ, ideo ignescunt, quò efficaciori ardore adoreas caperent; cum in conum erigerentur flammæ, gloriæ illustrioris perenne fiebant monumentum; cum circumdarent, multiplici amplexu adblandiebantur; cum cingerent, coronabant; & carbones splendentes in gemmeos abjere carbunculos victricis coronæ, ut in honorem triumphi transirent etiam instrumenta supplicij; ad quod spectaculum attonitus Rex dixit. *Ecce, ego video, quatuor viros solutos, & ambulantes in medio ignis, & nihil corruptionis in eis est, & species quarti similis filio Dei.* (Daniel. 3. v. 92.)

Quid quòd tam illustri edoctus miraculo 62.
Nabuchodonosor, nondum didicerit Deum miraculi patratorem perfectè agnoscere? & in tanta luce incendij adhuc subobscurè dixerit, *& species quarti similis filio Dei?* licèt excellentiam videatur fateri, adhuc derogat dignitati, & ne Deus expressè intelligatur; involucro similitudinis ejus obtegit majestatem; & in tanti splendoris incremento caligines nescivit cæcitatis detergere: sed quas incendij splendor non valuit tenebras minuere, & abigere; has ærumnæ, & calamitates abstersere. Sequere Nabuchodonosorem è regno pullum, eúmque comitare extorrem per invia sylvarum: quia Dijs se se miscuit, ultrix Nemesis nec iter hominum cœtus eum passa fuit; sed inter bruta dejecit; repsit per terram quadrupes, qui bipedum neminem sibi parem sustinuit; furere incœpit in obvios quosque, qui nec Deo pepercit; vinculis obstringitur ferreis, qui superbo imperio gentes omnes sibi subjicere, ac coërcere putaverat. Ecce Nabuchodonosor hominibus omnibus altior, mox instar bestiæ pronus in pastum abijcitur, tecta fugit, sylvestribus se feris aggregat, totóque septennio saltus, & avia manibus, pedibúsque perreptat capillis, & unguibus in morem aquilarum excrescentibus, ac totum corpus horrificantibus. Quid? in campo bestijs adscitus, ærumnis pressus, calamitatibus obrutus didicit clariùs Deum cognoscere, quàm in aula delicijs diffluens, divitijs affluens; in sylva bruti instar oberrans, non insidens throno scientiâ donatur nobiliore; oculos aperit in nemoris umbris, & Deum videt; cujus similitudinem subobscuram tantùm conijcere valuit inter illustriores fornacis splendores: collyrium quod vitium deter-

detersit, oculorum calamitas fuit: tunc oculorum excussit caligines, cum calamitatum pondere pressus, curuus per terram bruti instar ambulavit quadrupes: tunc Deum agnovit, cui & benedixit. *Altissimo benedixi, & viventem in sempiternum laudavi, & glorificavi: quia potestas ejus potestas sempiterna.* Daniel 4. v. 38.

63. Quem in fornace viderat Deo similem, hic detractâ similitudine Deum fatetur; nimirum calligavit, cum in aula divitijs affluerer, delicijs difflueret, & singula prosperè, ac ad votum fluerent; tunc vel in ipso gemmarum splendore, nonnisi subobscurè, & in umbra similitudinis Deum vidit; quem pronus in pastum, abjectus in campo, per saltus, & avia manibus, pedibúsque perreptans ut bestia, Deum asserit; cui & benedicit, & per pios affectus adhærescit, quos pressuræ excitant, & calamitates fovent: appositè Theodoretus inducens Nabuchodonosorem loquentem, ait in Danielem. Orat. 3. *Qui somniaveram fore, ut in cælum ascenderem, & super astra ponerem thronum meum, experientia edoctus dedici, quid deceat: meo supplicio sapere didici, meam servitutem agnovi*: & nonnullis interjectis subdit. *Tantum utilitatis ex calamitatibus percepit Nabuchodonosor, ut Propheta instar de Deo, & sentiat, & loquatur.* Tametsi prodigium Ludimagistri officio functum in accensa fornaci, veluti in illustri schola veritatem edocuisset; non tamen hanc Nabuchodonosor didicit, quia tunc regni prosperitate delinitus oculos clausit veritati, quos aperuit vanitati; ut gentibus præesset omnibus, ac divina sibi obsequia arrogaret: nec ignis, quamvis rationalis ob assistentiam angeli prodigia loqueretur in crepitantibus flammis, quæ propriæ voracitatis oblitæ adolescentum innocentiam reveritæ fuerant, sua valuit luce veritatem ostendere, quam calamitas illico edocuit; in ærumnarum gymnasio citiùs discipulatum obivit, imò & magisterium enactus, docet ut magister, imò & Prophetæ æquatur: *tantum utilitatis ex calamitatibus percepit Nabuchodonosor*, ait Theodoretus, *ut prophetæ instar de Deo & sentiat, & loquatur.* Adeo excellet calamitatum magisterium, ut prophetiam edoceat.

64. Idque fortassis causæ Tertulliano fuit parandi ærumnas carceris cum deserti secessibus, ubi Elias prophetavit; non segniùs divina fruuntur præsentia, & arcana docentur compede vincti, & catenis obstricti in carcere, quàm prophetæ ab hominum frequentia sejoncti, & ad divinæ familiaritatis evecti fastigium. Etenim D. Petrus in carcere tenebricoso dormiens ferreis vinctus catenis cœlestis nuncij dignatur præsentia. *Ecce Angelus Domini astitit; & lumen refulsit in habitaculo*, ærumnis obrutus, calamitatibus vexatus, carceris pressus angustiâ, ferreis vinctus catenis cœlesti oblectatur præsentiâ; & in terra carceris, & ærumnarum caligine cœlestis luminis perfusus splendore, veri fit solatij compos, quia calamitatum erat particeps: *& lumen refulsit in habitaculo.* Act. 12. v. 7. Ex Petri carcere mox exeuntes, Eliam sequamur montis secessus adeuntem; ibi Propheta in spelunca degit, & veluti in schola instruitur à cœlesti magistro. *Mansit in spelunca, & ecce sermo Domini ad eum.* 3. Re. cap. 19. v. 9. Sermones cum Elia in montis secessu miscet cœlestis Instructor, & qui Petrum edocuit libertatem in carcere, Eliam erudivit in monte; hinc pulchrè Tertullianus ait. *Hoc præstat carcer Christiano, quod eremus Prophetis*: æquè Deus Prophetas erudit in eremo, & in montis secessu edocet arcana cœlestia; ut afflictis in carcere vera impertiatur solatia, eósque mysteriorum notitiâ nobilitet: Petro enim carcer præstitit, quod Eliæ eremus: Elias jejunijs, Petrus ferreis vinculis cœlestis nuntij meruit ministerium, Ærumnæ sive in carceris squalore, sive in eremi secessu divinæ opis solatium semper ad se trahunt. Lib. ad Martyres cap. 2.

65. Quamvis rea Agar, & relapsa, imò & Dei imperio in exilium acta, quia tamen extorris è domesticis parietibus cœpit in campo exul ærumnis premi, afflictionibus angi, necessario vitæ subsidio destitui, ac lachrymis madere, quas è corde tristitia extorsit, & per oculos fudit; tunc non solùm Angelorum recreatur alloquio; sed etiam solatur ministerio. Ne diutiùs æstu sitis exardesceret aquæ puteum indicavit, cujus frigescente latice sitis extingueret torquentes ardores, & fauces reficeret arescentes. Quòd si Eliæ persecutionem fugienti Jezabellæ, & pro domino delitescenti annonam charitatis baiulus corvus diebus singulis advexit; Agari Angelos siti levandæ opportunam propinavit frigidam. Felicior sanè in exilio serva fuit, quàm herus domi! Abraham siquidem juxta tabernaculum suum Angelis ministrat; cum Agari in solitudine ab Angelis ministretur: cur hero felicior serva? quia hæc annonæ, & aquæ inopiâ premebatur; ille rerum copiâ dilatabatur. Tunc ancilla Deum vidit, cum è domo Patriarchæ ejecta cœpit in deserto esurire, sitire, ac ærumnis affligi. Moyses, cùm in Orebi fastigio Deum accessit in rubo splendentem, calceamenta è pedibus solvit, quò purior sine mundano pulvere, seu pravo concupiscentiæ affectu in parte hominis inferiore properaret. Sed Agar, quia non solùm pulveres excusserat è domo Patriarchæ ejecta, sed etiam lachrymis maduerat afflictionis; non solùm Deum quærit in solitudine, sed & convertitur, & sublevatur à Deo. Quid igitur piorum præ-

ces in templo fusæ non erunt impetraturæ? quando exulantis ancillæ ejulatos è cœlo in lucum, nemusque Deum accersit, trahitque Angelos Domini in sui obsequium: oratio, quam tribulatio fundit, afflictum orantem nunquam confundir. Sed si oratio, quam afflictio in Agare in cœlum transmisit, Angelum Dei administrum in terram demisit Agaris consolatorem; fortassis non persolutæ à prima fœmina sub mundi exurdio Numini preces anguem ad Evam adduxerunt tentatorem. Forsan permisit Deus Evam ab angue decipi, ac virum perlapsum dejici è fastigio humanæ felicitatis, & in barathrum mergi omnium miseriarum; quia nondum debitas Deo laudes persolverant, nec cecinerant, tametsi innumeris cumulati beneficijs.

66. Nil Deo gratius oratione, quam tribulatio imbre irrigat lachrymarum; in flores illicò germinat virtutum, & odorem emittit cœlitibus gratum: huc accersendus senior Tobias, cui Angelus ait: *Quando orabas cum lachrymis, & sepeliebas mortuos, & derelinquebas prandium tuum, & abscondebas eos per diem in domo tua, & nocte sepeliebas eos; ego obtuli orationem tuam Domino.* Cap. 12. v. 12. Oravit Tobias non siccis oculis, sed fletu madidis, sed afflictione mœrentibus, ac ærumnarum mole turgidis; & hæc oratio quam afflictio fudit, reliquas præcessit pientissimi senis virtutes; quamvis vir Dei jejunâsset, mortuos sepelivisset, officia charitatis omnibus impendisset; oratio tamen, quia lachrymis madida, quia ab afflictione orta pietati præfertur, & jejunio; quamvis Moyses solo refectus jejunio ad Dei colloquium meruerit admitti; & Elias jejunio corroboratus in cœlum conscenderit: hinc conjiciamus quantæ sit præstantiæ oratio, quam afflictio imbre irrigat lachrymarum. Licèt fateatur Raphaël, jejunâsse Tobiam, mortuos tumulâsse; unam tantùm profitetur à se delectam orationem, quia lachrymis madidam, Deo obtulisse: *Quando orabas cum lachrymis: ego obtuli orationem tuam Domino.* Jobo visa est prælusisse Agar; quas ille calamitates passus est à Satana; hæc à viro tulit; non tamen silens tacnit, sed cum fletu oravit, & afflictio rebelli filio supparem Regibus impetravit celsitudinem; quin & Angelorum ministerium. Quid ni? an non est illa Agar, quæ adversus heram intumuerat? quæ Ismaëlem fortassis docuerat Isaaco illudere? quin & illum depravare in domo Abrahami? cur nunc cum lachrymis tristis orat, & in luctu jacet, quæ ubi in domo fuit Abrahæ intumuit, ac rebellavit? quia nimirum, cùm domi degeret, cubavit in pluma, divitijs afflaxit, ac delicijs diffluxit, opimo pasta obsonio: at in deserto exul, angustijs premitur, ærumnis affligitur, hordeo, ac frigida vescitur, uterum gestat, & in præduro saxo procumbit; ubi afflictio orationem fundit lachrymis madidam, Deum emollit, flectitque in sua vota. Agar in Abrahami domo; quia rerum copiâ affluebat, intumuit, ac rebellavit; in deserto autem exul rastro tribulationum virtutes excoluit; oleam imitata, quæ in solo steriliori virescit felicior, & in pinguiori marcescit deterior.

## §. VIII.

### *Quæ nos videntur ærumnæ premere, non nocent, sed nos docent, quà sit eundum per exercitia virtutum, perque probos affectus.*

67. Non nocent ærumnæ, sed docent, quà sit eundum per semitas virtutum, per exercitia bonorum operum; tunc pios in Deum excitamus affectus; tunc ejus opera enixim imploramus, cum ærumnis affligimur, tribulationibus premimur. Lazarus in florente adhuc ætate occubuit; & mors invida suo gelu Marthæ, & Magdalenæ fraternum florem decoxit; non enim Libithinæ uncinus poma semper matura decerpit; sed vernantes, ac tenellos flores plerumque carpit; afflictæ sorores querelis, lachrymis, & luctu domum totam impleverant. Accedit Christus, ne amicitiæ videretur deesse officio, quamvis periculum decumbentis Lazari, ac morbi violentiæ succumbentis fuisset aspernatus. Domum mœroris, & luctûs ingredienti Salvatori solers obviat Martha; quod sacramento tribuit Chrysologus, ubi eleganter ait: *Mulier currit pro morte, quæ cucurrit ad mortem; festinat ad veniam, quæ festinavit ad culpam: ad Redemptorem plena pervenit; seductor pessimus quam prævenit.* Serm. 64. Alludit ad serpentem, qui primam in orbe condito fœminam prævenit, quam alliceret, & deciperet: cum Eva paradisiacas inter voluptates delicijs diffloeret, serpentem audivit allicientem, & seducentem; sed cum cœpit laboribus affligi, ærumnis vexari, doloribus torqueri; tunc beneficio hujus cólysrij oculos aperuit, & pios cœpit in Deum excitare affectus, eósque æstu tribulationum fovere. Sicut tribulatio Evæ non nocuit, sed eam docuit per pios affectus Deo adhærere, à quo delicijs diffluens seducta se averterat: ita Lazari præmatura mors, domûs totius mœror, & afflictio spiritûs Marthæ non nocuerunt, sed eam docuerunt carnis resurrectionem, & spoponderunt fratris, è fœtido sepulchro resurrectionem: Christus enim in illa mœrentis domûs afflictione, veluti in erudito gymnasio Martham edocuit se esse resurrectionem. *Ego sum* Joannis 11. v. 25.

*resurrectio, & vita, qui credit in me etiam si mortuus fuerit, vivet.* Obstupescit Chrysologus, Christum sic retardâsse è sepulchro Lazarum evocare redivivum; & cùm Martha mœrente tot prævios miscuisse sermones ait: *Qui ad Lazarum venerat: quid sic occupatur in Martha? quid? ut antea ista in fide surgeret, quàm ille resuscitaretur in carne.* serm. 63.

68. Permisit Christus Martham diutius mœreri, distulit fratrem mortuum ad vitam revocare, ut citiùs, ac expeditiùs in schola tribulationis, ac mœroris fidem edoceret resurrectionis. Opportunè gressum maturavit ad resurrectionem Lazari; ut citius de carnis resurrectione Martham erudiret; miraculum distulit resuscitati fratris, ut pertinax, & diuturnior tribulatio Martham disponeret ad fidem resurrectionis; adversa enim non nocent, sed docent. Vel miraculum distulit, ut carnis resurrectionem, quam verbis Martham docuerat, altiùs imprimeret exemplo resuscitati fratris quatriduani: *occupatur in Martha, ut anteà ista in fide resurgeret, quàm ille resuscitaretur in carne.* Distulit fratrem ad vitam resuscitare, ut soror prior ad fidem sorgeret resurrectionis. Voluit ut priùs Martha mœrore confecta, & dolore perculsa oculos lacrymis corrumperet; ut intellectum purgaret lavaero lacrymarum, & expeditiùs, ac defœcatiùs crederet verbis edocta, & mox exemplo firmanda. Quid ni; ut Deus Martham in fidè confirmaret, ærumnarum delegit tempus, quia adversa quæ acriùs nocent, uberiùs docent. Si priùs Lazarum redivivum vocâsset è sepulchro, miraculum Martham docuisset gaudentem; & quia tribulatio est quæ in adversitatum umbris erudit illustriùs; resurrectionem fratris distulit, ut afflictio clariùs sororem edoceret mœrentem; dolor resurrectionis fidem docuit, quam miraculum confirmavit, ne nutaret, sed firmior staret. Martha igitur magisterio doloris edocta, citiùs resurrectionem didicit mœrens, & afflicta, quàm didicisset gaudens, & fratri jam redivivo addicta; quapropter Chrysologus ait: *Qui ad Lazarum venerat, occupatur in Martha: ut anteà ista in fide resurgeret, quàm ille resuscitaretur in carne.* Imò afflictio non solùm patientem in ærumnarum gymnasio erudit; verùm etiam ipsam consolidat, ac incrementat virtutem, quæ suspicione non caret, si adversitate sit vacua: prospera enim virtutem corrumpunt, quàm adversa corroborant, ac fovent vegetiorem. *Marcet sine adversario virtus*, ait Seneca, *tunc apparet quanta sit, quantum valeat, polleatque, cum quid possit, patientia ostendit.*

69. Tunc iris discolor illucescit gratior, cùm minans procella aëri serenitatem arripuit, cœlum turbavit, & terram vel grandine concussit, vel immodicâ pluviâ obruit. Crœsus apud Herodotum aiebat: tametsi casus, & infortunia mihi obtigerint ingrata; id tamen ex iisdem hausi emolumenti, quod disciplinam me docuerint; & quæ videbantur mihi exitio, virtutis fuere exercitio. Hinc Christus, *Beati qui persecutionem patiuntur.* Matth. 5. Sed quomodo Beati, qui calumnijs impetuntur, conviciis dehonestantur, suppliciis affliguntur, adversitatibus opprimuntur? quomodo beati si miserijs obruuntur, si angustiis premuntur; doloribus torquentur? Ita est, ideo beati, quia perinde ac aurum in crucibulo, tunc depurantur à scoria pravorum affectuum, & virtutis exercitio splendent nobiliores, ac monilibus proborum affectuum cohonestantur: Dei siquidem testantur dignitatem, pro quo plura pati non recusant; ad virtutis enim fastigium adversa eis viam aperiunt; & per pios affectus, ac ardentia desideria arctiùs Deo adglutinant: id expertus David ait: *cum consisteret peccator adversum me*, seu cum impii contra me insurgerent, & opprobrijs, calumniis, persecutionibus me affligerent: *obmutui, & humiliatus sum, & silui à bonis: & dolor meus renovatus est:* Psalm. 38, 2. ecce quomodo virtus in crucibulo tribulationis perficitur? quomodo humilitas in silentij umbris, & adversitatum tenebris splendet illustrior? renovatur dolor, quo virtus excolitur uberior; subdit *concaluit cor meum intra me: & in meditatione mea exardescet ignis.* v. 4.

70. Persecutio fomes est, quo cœlestis desiderij flammâ nutritur. Cœlum Stephano non paupères ab eo pasti, nec inopes à miseriis elevati, sed Scribæ in eum lapidibus sævientes patefecerunt. Laurentio non pecuniæ pauperibus distributæ, sed ferrea crates, in qua subjecto igne assatus fuit, cursum apparavit æterno triumpho nobilem; Christi enim Athleta olympium stadium nactus in pyra, accersivit in honorem triumphi etiam ipsa instrumenta supplicij: non enim cœlestis Salamandra in igne vultum exhorruit Libithinæ: noverat fidei, & Christianæ religionis phœnices, nonnisi è rogo assuevisse ad cœlestem immortalitatem evolare; nec mirum, si visus est Laurentius de tortore igne triumphâsse: quia laurus, quam nomine præseferebat Laurentius, Vulcani fulmina non potuit non illudere. Moyses etiam cum primùm cæpit invidorum exprobratione exulare ab aula, ac persecutionibus affligi, Deum vidit in spineto splendentem; ejúsque etiam vocem audivit è rubo.

71. Non solùm permittit Deus, justos adversitatibus premi; sed etiam ipsemet tribulationes immittit, quò luculentiùs fulgeant: unde David loquens de viris probis, quos impij persequuntur, ait: *Et tradidit eos in manus gentium*; seu adversariorum persequentium; & quidem Deus eos tradidit; quia tribulationes justorum à Deo mittuntur, non ad justorum exitium; sed ad virtutis exercitium. Neque improbi debacharentur in virtutum cultores, nisi Deus Psal. 105, 4. eorum

eorum sævitiei extraderet: hinc David, *Quoniam quem tu percussisti, persecuti sunt: & super dolorem vulnerum meorum addiderunt.* Nunquam adversarij fuissent ausi Davidem vulnerare, si Deus eum non vulnerâsset. Crux nostra à Deo est, à quocunque nobis imponatur.

*Psalm. 68. v. 27.*

72. Idque nos Christus edocuit initium suæ passioni daturus, ut suo uberiùs nos erudiret exemplo. Petrus utpote strenuus magistri sui propugnator ab insultu insolescentis militis, ut Christum defenderet, gladium nudavit, quo Pontificis servum Malchum nomine auriculâ mutilavit; sed magister discipulum redarguit, eò quia obstaret, ne crucem sibi à Deo Patre missam susciperet, & calicem biberet suæ passionis. Joan. *Mitte gladium tuum in vaginam. Calicem, quem dedit mihi pater, non vis, ut bibam illum?* Quid, quod Christus in cœlestem suum Patrem suæ passionis derivet calicem? & non potiùs in discipulum proditorem, qui fictis subdolæ salutationis officijs, & osculo in vitæ authoris temperato perniciem, & mortem; hostibus tradidit, quem amicitiæ tesserâ salutaverat magistrum? siquidem fidei symbolo, amicitiæ tessera abusus, bellum indixit, cum osculum fixit; ad proditoris enim osculum veluti ad ferale classicum tota se vesana cohors effudit in furias, ac innocentis Servatoris in capturam.

*c.18. v.11.*

73. Cur igitur calicem suæ passionis non dixit sibi à discipulo proditore propinatum? vel saltem ab Anna, & Caipha, aut ab Herode, & Pilato, qui supplicijs, & morte eum damnârunt? Præsides fuerunt, qui hunc calicem tunc miscuerunt, cum militibus Christum crucifigendum tradiderunt. Cur igitur in patrem refundit haustum calicis, quem absinthio, & felle homines oppleverant? *calicem quem dedit mihi pater, non vis bibam illum?* quasi diceret: hic calix ab amantissima manu mihi venit; pater meus eum mihi propinavit, & non bibam illum? Ita est, nullus hominum quidquam potuisset in Christum, nisi æterni Patris providentia, & sapientia id decrevisset; quapropter ait Christus: *Sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio.*

*Joan. c. 14. v. 31.*

74. Quisquis afflictionum suarum Deum authorem agnoscit, credit etiam voluisse Deum ab æterno, & velle etiamnum ut ea omnia sibi adversantia patiatur, quæ revera patitur, ac in ærumnis, in angustijs se in Dei voluntatem flectit; ejúsque manus punientes osculatur, quas novit, habiturum præmiantes. Has Dei manus fuit Jobus exosculatus cum dixit: *Dominus dedit, Dominus abstulit, sit nomen Domini benedictum.* Diceret quispiam, si Jobus amplum patrimonium suis acceperat à majoribus, si propria industria opes congessit, pecora auxit; & suopte ingenio plura acquisivit, quomodo dicit *Dominus dedit*? præterea si Chaldæi, & Sabæi pecus omne abegerunt, si Satan segetes combussit, si ventorum impetu domum evertit, filios, & filias ejusdem collabentis insepelivit ruinis. Si Satan fuit qui ignem è cœlo præcipitavit, ventum excitavit, hostes ad irruendum, & rapiendum instigavit, domum solo æquavit, & omnia ipse abstulit; quomodo Job ait: *Dominus abstulit?* ita est, ait Jobus: *Dominus dedit, Dominus abstulit;* quia omnia bona ab inexhausto Divinæ Bonitatis fonte scaturiunt, & in nos derivantur. *Quid habes,* ait Apostolus, *quod non accepisti*, & sicut *Dominus dedit*, ita *Dominus abstulit;* quia si noluisset, nil Satan contra ipsum potuisset: quòd si Deus sciens, & volens hanc fecit Satanæ potestatem irruendi in Jobum, ejúsque bona diripiendi; jam Dominus abstulit, sine cujus voluntate non potuisset Satan ullum ex ovibus lanæ flocculum rapere: ergo Dominus abstulit, qui unico dumtaxat nutu coërcere potuisset Satani impetum, ac impedire ne quidquam in Jobum ageret, & quia sciens, & volens non impedivit; *Dominus abstulit:* ideóque nulla est afflictio, nulla tentatio, nullum malum, nulla calamitas, quæ non sit à Deo, ejúsque providentia; ac voluntate.

75. Sed si Job erat vir justus, & secundùm cor Dei, cur tot ærumnis premitur, tot calamitatibus affligitur, tot morbis inficitur, & doloribus torquetur? Cur viri probi virtutum culturæ addicti, morum innocentiâ commendati affliguntur adversitatibus, & impij vitiorum cœno immersi prosperantur voluptatibus? *quare via impiorum prosperatur*, querit Jeremias: *bene est omnibus, qui prævaricantur, & impiè agunt?* Plerumque impij, vitiis indulgentes divitiis affluunt, delicijs diffluunt, honoribus insigniuntur, ad dignitates promoventur; & prosperitas iisdem jugiter arridet; imò & victoriis grassantur in bello; & orbem sibi terrarum subjiciunt, ut olim Babylonii hominum scelestissimi, & Turcæ Christiani nominis hostes infensissimi: & plures è populo Dei insontes, morum probitate insignes, studio virtutum commendati in servitutem abripiuntur, miseriis affliguntur, calamitatibus, & ærumnis premuntur, inopiâ laborant, persecutionibus anguntur, infirmitatibus absumuntur, doloribus torquentur? fluctuabat in hac quæstione etiam David: *mei autem pene moti sunt pedes, pene effusi sunt gressus mei; quia zelavi super iniquos, pacem peccatorum videns:* ac si diceret, putare cæpi, & parum abfui à lapsu, hærens quasi anceps circa justitiam, & providentiam Dei res iniquorum adeo prosperantis. Unde non mirum si tanta proborum infelicitas, & improborum felicitas, gentes idolorum cultrices in varios pertraxerit errores.

*c. 12.*

*Psalm. 72.*

76. Verùm quòd florere sontes sinat, & premi insontes; id ad Numinis pertinet providentiam; quapropter David excussa omni

hæsita-

Psalm.36. hæsitatione; dixit: *Noli æmulari in malignantibus, neque zelaveris facientes iniquitatem.* Mox causam innuens subdit. *Quoniam tanquam fœnum velociter arescent, & quemadmodum olera herbarum cito decident;* quasi dicat: non te ancipitem teneat impintum prosperitas, quia fucata est, fluxa, caduca, fallax, & instar virentis graminis mox falce amputanda, solis æstu exurenda, ac siccanda, & in nihilum redigenda. Secus Deus viros probos, morum innocentiâ commendatos, virtutum culturâ illostres in hac vita deprimit, quos altiùs evehat in cœlesti patria; ærumnis, & adversitatibus affligit, ut eorum virtus in infirmitate perficiatur: ait D. Augustinus in sententiis: Num. 239. *Deus per malos erudit bonos, & per temporalem potentiam damnatorum exercet disciplinam liberandorum.*

77. Ideo Jobum virum probum, ac innocentem potentiæ Deus tradidit Satanæ, ærumnis, infirmitatibus, bonorum jacturâ, doloribus, ac calamitatibus pressit, ut nitor ejus virtutis in caliginosa tribulationum nocte splenderet illustrior. Virtus silicem imitatur, non splendet nisi percussa; imò syderis naturam induit, tunc clarior splendet cum tenebris cingitur ærumnarum, cum caliginibus obruitur calamitatum: scitè Seneca, Lib. de provid. *Magnus es vir? sed unde scio, si tibi fortuna non dat facultatem exhibendæ virtutis? Descendisti ad olympia, sed nemo præter te: victoriam non habes, olympicam coronam habes. Non gratulor tanquam viro forti, sed tanquam consulatum, præturamve adepto.* Non prospera, sed adversa virtutem probant. Jobi patientia nunquam splenduit clarior, quàm cum Satan pleno calamitatum armatus agmine in eum irruit. Job. 1. v. 8. *Considerasti servum meum Job, quòd non sit ei similis in terra; homo simplex, & rectus, ac timens Deum. Tange cuncta quæ possidet, nisi in faciem benedixerit tibi.* Quia fuit Jobus vir probus, studio virtutis insignis, extraditus fuit cacodæmonis facultati vexandus, ut ejus virtus clarior illucesceret; & ob id fortassis ante probatæ virtutis testimonium *homo* duntaxat vocatus fuit; & post cum dæmone conflictum, ac toleratas In cap. 1. v. 8. ærumnas *vir* dicitur: etenim dicitur, *homo simplex, & rectus;* & postea habetur. In cap. 2. v. 3. *Numquid considerasti servum meum Job, quòd non sit ei similis in terra vir simplex,* quem adversitas fortem probaverat, virtus virum eduxit; mascula enim virtus est, quam lydius prædurus tribulationum probat. Eleganter Tertullianus Lib. de patientia c. 14. exclamat: *o felicissimum illum, quem non abacti greges, non illæ in pecore divitiæ, filij uno ruinæ impetu adempti, non ipsius denique corporis in vulnere cruciatus à patientia, (fide Domino deditâ) exclusit! Quem Diabolus totis viribus frustrà cæcidit. Nec enim à respectu Dei tot doloribus avocatus ille est; sed constituit nobis exemplum, & testimonium.*

Quòd si adversitas virum fortem probat, prosperitas hominem prodit inconstantem, in qua fastum nutrit, & elationem fovet, cui enim fortuna arridet, is plerunque tumidus superbit. 78. *Res est inquieta felicitas,* ait Seneca Epist. 36. *ipsa se exagitat, movet cerebrum non uno genere: alios in aliud irritat, hos in potentiam, illos in luxuriam, hos inflat, illos mollit, & totos resolvit.* Si prosperitas arrideat, animus intumescit; non sibi imperat, sed improbis famulatur, ac obsequitur affectibus; si adversa irruant robur deficit, vires enervantur, præcordia timore quatiuntur, & homo toto animo cadit: quippe si ærumnæ nos premunt imbecilli sumus; si prospera faveant superbimus; infaustâ fortunâ dejicimur, felici extollimur. Verùm cum Deus nos tribulatione affligit; deicit ut sublevet; mortificat, ut vivificet, unde David: *si ambulavero in medio tribulationis, vivificabis me.* Psalm. 57. Non admititur David adversa declinare, nec tribulationes à se expellere: nec Deus permittit Davidem adversitatibus carere; sed ut uberiores hauriat spiritus, sinit eum ærumnis divexari, quò discant homines, tutiores in tribulationibus vivere, si patienter eas tolerent, quàm si à laborum pondere subleventur: scitè D. Basilius: *Non dicis tribulationes repelles; sed in ipsis etiam me tribulationibus constitutum servare, & mortem expectantem vivificare poteris.* In Psal. 57. Mortificat Deus non necem illaturus, sed vitam impertiturus, ait enim: *ego occidam, & ego vivere faciam.* Sed quomodo occisus vivet? quia inter ærumnas, ac labores destinatur morti; & Deus tunc meliori vita dignum efficit, quem calamitas premit. Mala non sunt quæ vulgus in mundo putat mala esse; nonnisi personata sunt mala, quibus si larvam detrahas patientiæ tolerantiâ, germana bona esse deprehendes; cum non mortem inferant, sed vitam impetrent: mala judicantur, quæ nobis sunt adversa, cum tamen viro patienti non noceant, sed eum doceant per exercitia virtutum, per pios affectus vitæ, seu Deo adhærescere; qui cum nulli possit esse errori obnoxius in rerum delectu, adversa immittit suis dilectis, quos poliat, perficiat in officina tribulationum, è qua puriores, ac nitidiores exiliunt.

79. Non sunt mala, quæ ab optimo in nos derivant, nos enim vel bonos faciunt, si non inveniant; vel meliores si inveniant: nonnisi iniquè creduntur mala, quæ ex Christi oraculo sunt perennium bonorum fundamenta, quibus vita æterna nititur; & quæ propterea Christus in se ipso conservavit, cui alimentum fuerunt labores, deliciæ cruciatus, solatia ærumnæ, vestitus paupertas; gloria humilitas, honor opprobrium, gaudium mœror, voluptates injuriæ: hæc sunt quæ ad gradum veluti divinitatis nos evehunt, ad fastigium Christianæ perfectionis nos manuducunt. Inchoaturus Christus

qua-

quadragintadiale jejunium ducitur in desertum locum, ab hominum frequentia sejunctum à spiritu; & quidem ut tentetur. *Tunc JESUS ductus est in desertum à spiritu, ut tentaretur à Diabolo.* Divinus Spiritus Christum ducebat ad preces fundendas, ad colloquia cum æterno suo Patre miscenda, ad conciones habendas populo, ad miracula perpetranda; verùm singulariter dicitur à spiritu duci, ut tentetur à Diabolo; quid in hoc ductu latet mysterij? nisi ut inde discamus, homines Deo charissimos ad crucem, ad tentationem, velut velatis oculis duci. Etenim etiam filios Dei ad certaminis locum ducitur, ut impugnetur. Non est igitur cacodæmon, qui crucem nobis offert deferendam, sed Deus ut mediante cruce patienter delata per rectas salutis semitas nos ducat; ipse deicit, ut sublevet; affligit ut consoletur; vulnerat ut sanet; abest ut proximiùs adsit. *Matth. 4. v. 1.*

80. Flavescentes segetes æstuante sole sicca in area bacillis Gedeon flagellabat, cum apparuit illi Angelus assistens, levánsque labores, dixit: *Dominus tecum virorum fortissime*, cui Gedeon: *obsecro mi Domine, si Dominus nobiscum est, quomodo apprehenderunt nos hæc omnia? Ubi sunt mirabilia ejus, quæ narraverunt patres nostri? Nunc autem dereliquit nos Dominus.* Ideo conqueritur Gedeon, ut à Deo desertus; quia id temporis Hebræi à Madianitis miserè opprimebantur; & quia utrinque erant angustiæ, urgebant adversitates, affligebant tribulationes, se putabant Hebræi ope divina destitutos, & arbitrabantur Deum longiùs ab ipsis abfuisse: hunc Gedeon Angelum redarguit consolantem, & Dei præsentiam asserentem: *Si Dominus nobiscum est, quomodo apprehenderunt nos hæc omnia?* ex Dei præsentia, & assistentia non potuit Gedeon inferre tribulationem ullam; quia argumentabatur juxta mundi philosophiam, quæ ex principum favore nonnisi prospera infert; quasi æquè calamitates, ac quæ ad votum contingunt non essent à Deo: Angelus igitur hanc veritatem docturus Gedeonem subjunxit: *vade in fortitudine tua, & liberabis Israel de manu Madian*; quasi diceret: scias, Deum neutiquam à populo suo recessisse, quamvis in ipsum adversarios immiserit; hostes in nos excitat, ut virtus nostra splendeat illustrior; non enim sine conflictu leguntur victrices palmæ, nec ullus instituitur triumphus sine prævio labore: nisi terra proscindatur aratro, discerpatur rastro, madeat pluviis, quæ suo susceperat in sinu semina non fovet, nec multiplicata restituit. *Judic. c. 6 v. 12.* *Ibid. v. 14.*

81. Non abest igitur Deus, cùm permittit nos adversitatibus divexari; sed nos excolit, ut uberiores virtutum fructus demus. Etiam à sponsa in sacro epithalamio videbatur longiùs abesse sponsus; *Ecce iste venit saliens in montibus, transiliens colles:* visi sunt montes exultâsse domicilio sponsi; & valles abundâsse frumenti copiâ; cum sponsa ob sui sponsi absentiam in luctu jaceret, mœrore confecta: sed quia tristabatur sponsa ab ea non abfuit sponsus, & qui credebatur colles transilire, & montium juga inscendere suam aspiciebat sponsam angustiis pressam, & tribulationibus afflictam: *En ipse stat post parietem nostrum respiciens per fenestras, prospiciens per cancellos:* sponsa, quæ judicaverat dilectum suum per montes decurrere, vix duabus expeditis periodis, se ipsam retractans, affirmat, stare post parietem, & spectare per cancellos. Tametsi ut gigas exultâsset ad absolvendam viam, non tamen tam brevi tempore tantum potuisset itineris conficere: ergo ad cancellos sponsus excubavit, cum à sponsa mœrore confecta credebatur montes conscendere, colles transilire, ac longiùs abesse: non longè abfuit cum crederetur abesse; neque aberrat à cubiculo dilectæ, qui credebatur sponsus procul in montibus errare; quia ut ait David, *Juxta est Dominus his qui tribulato sunt corde:* nimirum tribulationis æstus suggerit nobis, quamlongissimè Deum à nostro corde exerrare; cum tamen unà cum tribulatione tuoe adsit afflicto, cujus tolerantiæ, ac patientiæ sit spectator, prospiciens per cancellos, seu foramina calamitatum; ut ærumnas excutiat, adversitates abigat, & animum mœrore obnubilatum serenet, ac soletur. Audi quid facer sponsus loquatur sponsæ è cancellis: *En dilectus meus loquitur mihi: surge, propera amica mea, columba mea, formosa mea, & veni, Jam hyems transiit.* Tam vicinus est dilectus sponsæ, ut familiares cum eo miscere sermones valeat; cancelli, vocem non impedientes audiri, interponuntur inter sponsum, & sponsam; & ubi vox auditur sponsi; quæ in hyeme rigebant persecutionis, florent in vere amoris; post hyemem flores erumpunt è gemmis; quia è gelida hyeme tribulationum prodeunt vernantes solatiorum flores; quibus cœlestis sponsus coronat, quos diligit. Hæc est ejus consuetudo, ut quos impensè amat, igne tribulationum purget, ac majoribus cumulet beneficiis: neque censenda sunt mala, quæ ad summum bonum perducunt; imò & in se probavit, ac nobis commendavit, qui summum est bonum. *Cant. c. 2.* *Cant. 2.* *Psal. 33. v. 19.* *Cant. c. 2.*



## §. IX.

*Hi Christum sequuntur ejúsque vestigia assequuntur, qui pravos omnes coërcentes affectus piè vivunt, & adversa quaque patienter tolerant, atque sacra patientis Christi lipsana venerentur.*

[82. Quæ nos angunt, & acriùs tangunt, cujusmodi sunt paupertas, labor, humilitas tolerantia, ignominia, quid spirant divini; quippe attactu rei divinæ quamdam contraxerunt divinitatis speciem; cujus propterea superstites sunt veluti reliquiæ. Quòd si monumenta virorum illustrium venerantur etiam non illustres; & sanctorum reliquias, & imagines veneramur non sancti: quæ in censu collocamus malorum, ut paupertas, patientia, subjectio, tormenta, dolores, vulnera, cruciatus, reliquiæ sunt Christi, & sacra pignora minimè à Christiano rejicienda, sed admittenda; non contemptui, sed honori habenda. Quòd si corporum colimus reliquias, non est cur eas negligamus animorum; si reverentes instrumenta osculamur suppliciorum, quibus passi sunt martyres; cur ea despicimus, quæ ipse sanctus sanctorum consecravit, & propter quem passi sunt martyres? Quòd si corporum reliquiæ sunt ossa, & ossium cineres; lipsana animorum sunt virtutes, & earundem exempla. Quid ni, cum non solùm corporis, verùm etiam quæ nobilior est, animæ Christi reliquias habemus, seu virtutes heroicas, quas propterea necesse est plurimi pendemus, nobiscum in salutis subsidium jugiter circumferamus: sunt hujusmodi reliquiæ pravorum omnium nostrorum affectuum amuletum præstantissimum; ægritudinum omnium salubris panacea. Hæc si seria mente volueremus, flexo genu manus exosculaemur paupertatis, pectus nostrum ærumnis, at tribulationibus ultro exhiberemus; humeros nostros cruci consecraremus. Quòd si procumbentes, & in obsequia proni crucem adoramus, eò quia fuerit Christus in ea passus, cor & ipsum pati, ipsos cruciatus, vulnera cruenta, spineum sertum afflictionum, quæ animum pungunt non lubentes amplectimur? non lætantes suscipimus? Si Christus sub crucis pondere fatiscens, montisque Golgothæi subiens fastigium; jam pluries ob trabis pressuram, pondúsque ingens in terram lapsus tibi in hoc cruento itinere obviaret, ac supplicibus eblandiretur verbis, ut velles succolando vicarios supponere tanto oneri humeros, ac laboris partem subire: num auderes id Christo petenti, & pro te fatiscenti denegare? An non omni te censeres dignum supplicio, si opem tuam Christo opus habenti inficiari præsumeres? An non nequiorum omnium te crederes nequissimum, si Christo pro te lanienam patienti repulsam dares? quòd si ipse suis manibus crucem humeris tuis imponeret, auderes tu eam respuere? non ne ambas extenderes manus, quibus tam pretiosum pignus amplecterere? nonne labia submitteres, ut per crebra oscula tuum in crucem Christi amorem testareris? nonne humeros inclinares, ut celeriùs eam susciperes, ac gestares? imò hoc unum tibi votum esset, non tantùm Christi crucem baiulare, verùm & pro Christo in cruce mori. Quid ni hanc crucem tibi Christus exhibet, cum adversitates te premunt, calamitates affligunt, tribulationes undique gravant; has si æquo animo, si adamantina patientia toleraveris, crucem tibi à Christo exhibitam gestabis, si non humeris corporis, affectu tamen animi; & hoc est crucem baiulare, & Christum sequi; hi dicuntur crucem ferre, & Christum sequi, ejúsque vestigia calcare, qui pravos omnes coërcentes affectus piè vivunt, & persecutiones, ac adversitates patienter tolerant, D. Paulus ait: *Omnes qui volunt piè vivere in Christo JESU persecutionem patientur.* 2 Timoth. c.3 v.12.

83. Tunc Hebræi Ægyptios habuere persecutores, cum libertate à Deo donati ad terram promissionis duce Moyse iter instituerunt. Non dixit Rex Pharao: *Persequar, & comprehendam* quando vidit Hebræos suis in ditionibus luto mersos, ac variis pressos laboribus; sed cum in fugam effusos aspexit. Hoc idem cum hominibus agit tartareus hostis; quos videt vitiorum luto mersos vix ulla in ipsos arma movet: cum verò fugam quærunt per veram resipiscentiam, & à vitiorum luto emergunt; tunc hostilibus incursionibus nititur eos persequi, ac terrere. Immittit Deus tribulationes, & tempestates, ut ad portûs nos ducat malaciam: quia cœlum ipsum contra elovionem nubium nos communit agglomeratione: *Cumque obduxero nubibus cœlum, apparebit Arcus meus in nubibus. Et recordabor fœderis mei vobiscum.* Quid portendi sive nubilo, sive arcu poterat? quàm vel fulmen è nube excussum; vel telum ab arcu emissum? & tamen non sagittam arcus eiaculatur, sed pacis osculum figit; non fulmen in nubis cuditur officina, sed discolor, & atridens pingitur Iris: fausta omnia prodeunt è procella: non igitur mirum si è tempestate tribulationum malaciam hauriamus consolationum. Credidisses à Josepho contrusis nubibus agglomeratam in saccum tempestatem in suos fratres, cum eos sublati scyphi reos severo redargueret supercilio; putâsses scyphum catenas secum, & compedes traxisse; *Qui furatus est scyphum ipse sit servus meus:* & quamvis fratres gemebundi propriam obtestarentur innocentiam, veniam exposcerent; Joseph tamen nec precibus flectebatur, nec lacrymis molliebatur. Sed cùm procella tonitru minarum fulmini pœnarum videretur præludere, ac terrorem incutere, iris delineabatur

Exodi c.15. v.9.

Genes.9.v.14.

tur in turbine; & ubi servitutem metuerunt, inde fratrem receperunt: quæ tetra fuerat tempestas fraternos serenavit animos: non furtum, sed charitas in tritico latuit; scypho recondito in annona non mortis venenum Joseph suis propinavit fratribus, sed vitæ lac. Amoris non odij instrumenta fuerunt scyphus, & frumentum; bina scilicet vitæ fulcimenta, convivium spondent, non supplicium; vitæ augmentum, non mortis argumentum.

84. Sed cùr Joseph fratres saltem non redarguerit? eò quia necem ei inferre adnixi fuerint; in cisternam siccam eum demiserint fame, & siti perimendum; & tandem mercatoribus venum dederint, ut exteris duro famulitio inserviret? quia nimirum tribulatio omnem obliteraverat injuriarum sibi illatarum memoriam: perinde ac aurum in crucibulo scoriam exuit; etiam tribulatio quidquid in homine est vitij delet, ac prorsus extinguit: imò est afflictio præpropera delictorum venia, sanctimoniæ præsagium, & dissimulata felicitas, ut innuit D. Zeno Veronensis, ubi de ærumnoso Jobo ait: *Job felicitatis pristina statum dissimulando non perdidit, sed mutavit:* hoc est, Jobi calamitas, non amissio, sed dissimulatio felicitatis fuit. Non solùm Deus prosperitatibus homines beat; verùm & calamitatibus illos felicitat. Jobi virtus nullibi splenduit illustrior, quàm in sterquilinio, tunc defœcatior, ac purior enituit; hinc diris vexatus calamitatibus, nunquam ærumnis satur aiebat: *Et qui cœpit, ipse me conterat*, & postea subjungit. *Hac mihi sit consolatio, ut affligens me dolore, non parcat:* in ærumnarum pelago procellâ exagitatus dolorum, ac laborum, non fluctuavit impatiens; sed accersitâ animi lætantis malaciâ ærumnis, perinde ac vernantibus rosis delectabatur: quamvis spinis circumseptus; adhuc tam avidè perseverantiam sitivit laborum, ut se consolari, imò & beari ærumnarum diuturnitate existimaverit; & id enixim optavit, ut DEUS non parceret doloribus infligendis, ærumnisque augendis; & inde parceret peccatis, quæ ærumnæ patienter toleratæ obliterant: quia ut scitè Tertullianus: *Omne delictum, aut venia expungit, aut pœna: venia ex castigatione; pœna ex damnatione.* Vocat veniam delicti castigationem delinquentis; quia afflictio veluti pœnitentiæ æmula, quædam est anticipata noxarum venia; tribulatio enim remittit delictum, quod delectatio admittit; & ærumnæ expungunt quod deliciæ contraxerant.

*Serm. de patient.*

*c. 6. v. 9.*

*Lib. de Pudicitia.*

85. Imò non solùm tribulatio noxas delet, quas delectatio contrahit; sed etiam sanctitatem suggerit, quam patientia ingerit; adeout quem ærumnæ excruciant, hunc sanctitas ornet; neque sanctitas Christi splenduit clarior, quàm in rubo ærumnarum: *Quem pater sanctificavit.* Plerique quærunt, quænam sit hæc Christi sanctificatio; num à persona Verbi divini in naturam redundet humanam Christi? an potiùs à fontali origine gratiæ sanctificantis scaturiat? tametsi his omnibus sanctitatis generibus fuerit Christus perfectissimè insignitus; adhuc tamen alia specialis in Christo sanctitas splenduit, quæ à sua passione, suis è vulneribus foras emicuit, ut explicat Theophylactus in Joan. 10. inquiens: *Quem Pater Sanctificavit: sanctificavit eum, hoc est sanxit sacrificari pro mundo:* ærumnæ quas Christus toleravit; dolores quos sensit; persecutiones, quas sustinuit; opprobria, quæ devoravit; spinea serta, verbera, & vulnera, quæ passus fuit, Christi fuere sanctificatio; & licèt pluribus alijs esset titulis sanctus; hac tamen speciali sanctitate, quam dolorum acerbitas ingessit, maximè delectatus, dolores, & vulnera, ac reliqua cruciamenta, perinde ac quædam monilia aurea, & gemmea amavit, quibus ornaretur; imò & speciali etiam quadam donaretur in ærumnis beatitate, quodam in pressuris solatio; in acerbitate dolorum lenimento; in vulnerum inflictione gaudio; & in necis perpessione felicitate; quia calamitas patienter tolerata, quædam est anticipatæ beatitudinis prægustatio; vel saltem certum beatitudinis obtinendæ præsagium; eleganter Zeno Veronensis: *Clamat de profundis, & Paulus obrutus calamitatibus beatis, cum pro nomine Domini latrones in itineribus, latrones in civitatibus patiatur; cum à Judæis virgis ter casus, naufragio trino diluitur, cum insani populi furibunda tempestate lapideis imbribus feliciter grandinatur:* vocat calamitates beatas, & felices lapidum grandinationes; quia ærumnæ, & adversitates, quæ calamitates secum trahunt; ad beatitatem ducunt, & ad æternam manuducunt felicitatem. Hinc Christus qui apud Joan. munere fungitur boni Pastoris: *Ego sum Pastor bonus*, suum gregem non deliciis inter vireta delinivit, non inter flores ei pascua exhibuit; sed inter lupos prædæ inhiantes pericula, persecutiones, ærumnas apparavit. *Ecce ego mitto vos sicut oves in medio Luporum*, oves simplices, innocenter balantes inter lupos mittit crudeliter vorantes; inermes agnos luporum famelico denti exhibet discerpendos, vorandos; quomodo igitur bonum se fatetur pastorem? *Ego sum Pastor bonus:* bonus Pastor dies, noctésque excubat, ne lupi in gregem irruant; & si irruunt, alacer proprio periculo redimit ovium discrimen. Non is bonus Pastor, qui suas lupis exponit oves; sed qui lupos arcet ne, gregi noceant.

*Joan. 10. v. 36.*

*Serm. de Jeova.*

*c. 10. v. 11.*

*Matth. 10. v. 16.*

Sed ea est persecutionis prosperitas, ut tunc securiùs tutetur, cùm pericula fre- 86.

quentiùs

quentiùs imminent; tunc incolumitati consolat, cùm hostes ferociunt truculentiùs; tunc salutem conferat, cum lanienam apparat: pascit Christus oves suas periculis; saginat gregem suum persecutionibus, cingit ærumnis, premit adversitatibus, obruit calamitatibus, affligit tribulationibus, ut noxas excutiat, pravos affectus coërceat, probos excitet, virtutem foveat, & sanctitatem coronet: ovis Christi fuit D. Paulus, sed hunc nulla adversitas fregit, nulla procella mersit, nulla persecutio perdidit: quia ut apposite ait D. Gregorius Papa in Moral. *Adversitas, quæ bonis votis, aut viris objicitur, probatio virtutis est, non indicium reprobationis. Quis enim nesciat, quàm prosperum fuit, quod Beatus Paulus Apostolus prædicaturus ad Italiam veniebat; & tamen veniens naufragium pertulit: sed tamen cordis fluctibus integer stetit?* ærumnis premi potuit non perimi; quin calamitas non mœrorem animi tortorem accersivit; sed virtus lætitiam fovit cordis instauratricem, & miseriarum expultricem; viris studio virtutum addictis agnatum contexitur gaudium, quod nullâ rumpitur causâ, nullâ abigitur fortunâ, nullaque obruitur procellâ: vir enim quem virtus ornat, nunquam ab animi dejicitur serenitate, semper tranquillus est, ac hilaris; quia ejus lætitia non ex alieno pendet, nec favorem hominum expectat, nec novercantis fortunæ minas timet; innata, vel saltem agnata est illi, quia jugiter duratura; in eo nascitur parturientis, ac obstetricantis gratiæ beneficio, adolescit, & nunquam immoritur: quidquid ei obtingit sive extrinsecùs ab hostis violentia, sive intrinsecùs à pravitate naturæ fortiter propellit, si noxam suggerit; sin verò dolorem ingerit fortiter sustinet: non enim urgentibus calamitatibus animum despondet, nec tristatur ærumnis, nec prosternatur adversis; sed

Ad Rom. 5. v. 3.

stat gloriosior; ait Apostolus: *Gloriamur in tribulationibus:* non enim anxiæ calamitates, nec ærumnosæ miseriæ, nec sævæ persecutiones in Christi Athletis mœrorem ullum sollicitant, nec lacrymas cient; sed serenati animi lætidam excitant, & beatam in cœlis gloriam negotiantur, uc innuit Tertullianus lib. de Patien. c. 13. ubi vocat tribulationem negotiationem patientiæ, inquiens: *Quæ igitur negotiatio patientiæ in corpore:* est autem hæc patientiæ negotiatio, quâ per toleratas patienter in corpore passiones animi emitur beatitudo; idque causæ, cur

Serm. 4. Jov.

D. Zeno Veronensis vocaverit *beatas calamitates*, & miserias dixerit *feliciter grandinari*; quia calamitates, & ærumnæ patienter toleratæ veræ obstetricantur felicitati; unde Tertullianus, loquens de Christi Athletis, sanctisque martyribus, cum ad

Lib. de Patientia c. 13.

supplicium traherentur è carceribus educti, pædore squalidi, macie titubantes, viribus deficientes, inedia flaccidi, sonanti compede vincti, dedecore contumeliosi, & ad omnia sævitiei cruciamenta destinati, ait: *Producitur Martyr ad experimentum felicitatis, ad ipsum divinæ sedis ascensum.* 87.

Non mundi larvatæ deliciæ, non sensuum fucatæ voluptates; sed corporis toleratæ passiones, sed calamitatum coacervatæ pressuræ experimentum exhibent felicitatis. Qui sævioribus pro Christo suppliciis lubens destinatur, experimentum suscipit felicitatis, & cœlestis gloriæ sublimem auspicatur ascensum; quia quò martyr pluribus frangitur vulneribus, eò uberiùs ejus consulitur integritati; quò copiosiore madet sanguine, eo nobiliore vestitur purpurâ; si tyrannico ictus ferro cadit, ut hostia mactata; de hoste triumphans surgit victor, & altior evehitur ad cæleste capitolium; quia non martyr in martyrio perimitur; sed fides in martyrum corporibus veluti feraciore in tellure suppliciorum instrumentis excolitur, ut sanguineis rigata pluviis vegetior floreat, & illustrior crescat: nam si martyr cruciatuum felicitate gloriatur, fides Christiana ingruente persecutionis procellâ lætatur laureata; neque anhelæ tribulationes, anxiæ calamitates, ærumnosi dolores ei sunt exitio, sed virtutis exercitio, quapropter aiebat Apostolus *Gloriamur in tribulationibus:* quia sicut hilaris illa Arabiæ lacryma thus fragrantiam suam non exerit, nisi cum flagrat, suam non prodit virtutem nisi cum igne torquetur: ita quidquid in viris sanctis redolet virtutis in tribulationibus innotescit: est virtus veluti sydus, quod nocte tantùm splendet, & die latet; si dies prosperitatis arrideat vix suos virtus nitores delegat, quos ingruente noctis tribulatione pleno agmine diffundit. Viris Christianis, qui cum Apostolo gloriantur in tribulationibus, adversa non obsunt, sed prosunt; scinne enim triturari granum ut reponatur in horreo; seccari, & quadrari lapides, ut collocentur in templo; moveri turbinem, ut Elias rapiatur in cœlum.

Viris virtutum addictis studio non sunt 88.
ærumnæ detrimento, sed gloriæ incremento; duplicantur, non amittuntur, quæ calamitatum procella viro rapit patienti in tribulationibus. Debacchata in Husseum principem fuerat adversuatum tempestas, quæ cum armentis, pecoribus, & bonis quæ possederat, filios etiam, & filias demersit in ruentis domûs naufragio; sed tandem desæviit procella calamitatum; & bona quæ adversitatum fluctibus obruta perierant, læta exorta tranquillitate duplicata, auctòque fœnore emerserunt; *Et addidit Dominus omnia quæcunque fuerant Job duplicia.* Job. 42. v. 10.
Auxerunt calamitates Jobo armenta, greges, pecora, agros, censum, & gloriam: filios verò non duplicârunt, sed tantumdem restituerunt, quot abstulerant; tot enim post

ortam malaciam Job filios suscepit, quot naufragos in procella calamitatum perdiderat, sed cur cum reliqua bona fuerint Jobo duplicata, seu aucto fœnore restituta, etiam amissa soboles non excreverit ad uberiorem numerum? ne scilicet in filiorum incremento, virtus decresceret patris, cujus patientia in sobolis orbitate, in funerum umbris splenderet illustrior: huc accersendus Tertullianus: *Jobus, qua amiserat reduplicata possedit. Et si filios quoque restitui voluisset, pater iterum vocaretur; sed maluit in illo die reddi sibi tantum gaudij. Sustinuit eam voluntariam orbitatem, ne sine aliqua patientia viveret.* Amissa bona aucto fœnore Job recuperat, sed ultrò recusat redivivam charæ sobolis restaurationem, ne patientiæ exercitia sibi præriperet; maluit carere prolis instauratione, quàm virtutis exercitatione; *ideóque maluit in illo die reddi sibi tantùm gaudij.* Lugubris filiorum orbitas gaudium Jobo incrementaverat, quia exercitium suppeditaverat patientiæ. Funesta filiorum funera paternum animum mœrore opplebant, Jobi viscera dirè torquebant; & ne hac careret tribulatione, quâ virtus exculta flores vegetior, noluit sibi filios restitui, quibus maluit destitui, ne patientiâ orbatus viveret. O arcanum tribulationis Sacramentum! merum est mundi calamitas ænigma, id minus significat, quod magis videtur indicare, fentum torquet, & menti eblanditur; spondet cruciatus, & gaudia elargitur; intimat angores, contumelias, dolores; & spargit delicias, spirat blandimenta, fovet gaudia: hæc est ænigmatica tribulationis felicitas, extrinsecus avara est gaudij; cum intus solidioris gloriæ sit dives incremento, quapropter aiebat Apostolus: *Gloriamur in tribulationibus* quia hæ patientiam fovent homini necessariam ad redundendas adversitates, ne feriant, sed tantùm virtutem exerceant: sicut nihil est homini familiariùs, quàm pati; ita nil magis necessarium, quàm patientia; hæc præstantissimum est alexipharmacum, quo vulnera à novercante fortuna nobis inflicta curantur; impenetrabile scutum, quò tela adversitatum retunduntur; & amuletum contra ærumnas omnes, ne quidquam inferant nocumenti; neque iniquius nobiscum actum est, quàm cum feris; quòd si Aper suam habet hederam; draco sylvestrem lactucam; anguis marachum; hirundo chelidoniam; cervus frigidos fontis latices; & alijs etiam vicinior data est medela, quæ præsto semper est, seu ipsa proprij corporis membra; cani exulcerato lingua est balsamum inflicto vulneri curando peraptum; quod ni lingat, languet: hominibus verò contra adversantia quæque commune pharmacum est patientia; adeout fit malorum maximum non posse pati; seu patientiæ non sustinere exercitium; quia perinde est ac respuere medelam cum ægritudo ingravescit; patientiæ qui assuescit ab omnibus facilè se malis expedit, quæ patitur.

Lib. de Patientia c. 14.

Ad Rom. 5.

## §. X.

### *Malis omnibus curandis nullum Alexipharmacum aptius adamantino patientiæ exercitio.*

89. TOt sunt calamitates, quibus est homo obnoxius, ut ipsæ videantur homini dominari, si patientiæ clypeo non didicerit eas retundere: *calamitates:* ait Demetrius, *hominibus imperant; & non homines calamitatibus;* quia præsidio destituti patientiæ, iisdem cedunt, à quibus cæduntur. Qui verò studio assuevêre virtutum palmam de omnibus retulerunt gloriosi; id præstiterunt in Ecclesia Christi pugiles, SS. Martyres, qui adamantinâ loricati patientiâ gloriosiores de armata tyrannide reportârunt, licèt inermes, triumphos; hi enim cruciatus delicias putârunt, martyria victorias, cruces, & paribula currus triumphis onustos; & mortem vitam, cujus ortus nulli ampliùs fit occasui obnoxius, & hanc enacti fuerunt in lacrymis, quibus madebant; opprobriis, quibus insectabantur; contemptu bonorum, quæ à se rejecerant; calamitatibus, per quas opprimebantur; ærumnis, quibus affligebantur; in equuleo suspensi, virgis cæsi, admotis facibus exusti; adeout manus arderent, pellis corrugaretur, adeps liquesceret, caro difflueret, venæ contraherentur, & sanguis ex consumptis membris foras excurreret. Quis Christi discipulis, & primis nascentis Ecclesiæ magistris minerval æternæ gloriæ solvit, quàm tribulatio, persecutio, supplicium, & mors ipsa violenter illata? Ad hanc Paulus aditum sibi reseravit cum sub nudato gladio caput, non animum inflexit; Jacobus fuste concussus; Simon serrâ dissectus; Matthæus securi disissus; Bartholomæus pelle detractâ; Thomas hastâ transfixus; Andreas cruce infixus; & alij alijs suppliciorum generibus ad æterna pervenerunt gaudia; ad quæ tribulatio, & persecutio manuducit; & propter quæ martyrum purpuratæ myriades ad ferrum, gladios, ignes, equuleos, pectines discerpentes membratim corpora, forcipes, candentes laminas, aculeatos clavos, dilaniantes uncos cucurrerunt, perinde ac ad flores vernantes, delicias eblandientes.

In Epist.

90. Laurentius, cujus nomen triumphi omen lauream victricem sonat, tyrannorum domitor, & contemptor candentes inter prunas assatus, & tostus, veluti purpureis exultavit in rosis; & quę erant instrumenta supplicii, visa

viſa ei ſunt lenimenta voluptatis; & gratiâ barbariem, patientiâ furorem ſuperavit gentilium in Chriſti pugilem debacchantium; nimirum quia ferventius exarſit ipſe amore in Deum, quàm ſubjectus ignis arderet in ejus membra, tormentum ignis ſopivit amoris ardure. Hinc illæ lætitiæ inter tormenta voces, cum ſuaviores roſis ardentes prunas amor efficeret, mollius ſpongiâ excrucians ferrum, dulciorem ſaccaro liquatam picem. Quid non potuit tribulatio? quid non valuit perſecutio? quæ tot millia martyrum per ſæviora tormenta, quæ ingenioſa tyrannis barbarè adinvenerat, ad cœleſtes perduxit delicias? quippe ſi barbaries ſævijt, patientia ejus minas riſit, ejus furores victrix ſuperavit; ſcitè D. Hieronymus: *cunabulis eccleſia non defuit iniquitas premens; & juſtitia patiens.* Eſt tribulatio veluti exardens crucibulum, ſed in quo non timet aurum; veluti mare procellis percitum, ſed in quo ſupernatat oleum; veluti malleus, ſed cujus ictu non frangitur adamas; veluti ventus turbulentus, ſed cujus flatu mons Sion non commovetur; quia patientia eſt aurum, quod igne perficitur; oleum quod mari innatat; adamas, qui malleatus, non frangitur; mons præcelſus, qui vento non quatitur. Premitur virtus adverſitatibus, ſed non opprimitur: etiam nimbus cum cœlo incumbit, triſte in terris portendit: & atra procella, cum horrenti, tumultuantique fluctibus ſimul collidentibus imminet pelago, noctem trahit fulminum corulcatione relucentem, & exitium minatur ineluctabile, apertúmque naufragium, cum mare decumanis fluctibus volvitur; & undæ ſaxis tetuſæ ſpumam altiùs expuunt, quàm undas ipſas ventoſa inflaſſet tempeſtas, ſed mox ſubſecuta aëris ſerenitas mare tranquillat, fluctuum reprimit tumorem, ventorum abigit turbines; & omnia priſtinæ reſtituit malaciæ; & quæ fuerant incitamenta triſtitiæ, fiunt fomenta ſolatij: id patientia præſtat, cum perſecutio irruit, quod ſerenitas aëris poſtquam procella ingruit.

91. Non ſemper, quæ videntur adverſari obſunt: ſed plerumque proſunt. Tunc uberiores æſtate colliguntur meſſes, cum hyeme obruta altis nivibus lata jacent emortua in imo telluris ſinu; & redeunte vere imbrium lactatu frumenta turgeſcunt, & adoleſcunt in ſtipulis. Vitis tunc luxuriat vegetior, & erumpentibus pampinis veſtitor elegantior, & ſpumantibus ad vindemiam botris diteſcit uberior, cùm ferro ſcinditur, & ſylveſcentia ejus amputantur ſarmenta; tunc licèt fuſis lachrymis videatur abreptam ſibi lugere ſobolem; novis tamen locupletatur pampineis divitijs, ſertíſque coronatur uvarum. Etiam tetræ, luridæ, ac gelidæ hyemi verna ſuccedit temperies, quæ moderato calore, & opportuno humore fœta producendis ſtirpibus, generandis animalibus, ac viventibus omnibus alendis, ac fovendis perapta viretis lætatur laſcivientibus, floribúſque coronatur, ſub propitio arietis aſtro feliciter vernantibus, ſuóſque odoriferos ſinus communis parens tellus recludit, & herbarum benè olentium multitudines expromit; prata florum ornatu ſe condecorant; & arbores foliorum comis contectæ, florúmque copis adornatæ fructuum ſpondent ubertatem. Quid ni? horridam perſecutionem, ac ærumnarum hyemem læta ſequitur cœleſtis gloriæ verna temperies, roſis, floribúſque coronata immarceſcibilibus: eleganter S. Cyprianus martyres alloquens, qui invictâ patientiâ hyemem tolerarunt perſecutionem ait. *Vobis roſa, & flores de paradiſi delicijs aderant, & caput veſtrum ſerta cæleſtia coronabant.* Lib. 2. epiſt. 4. *Æſtas, ecce meſſium fertilitate, fæcunda eſt; & area frugibus plena; ſed vos, qui gloriam ſeminâſtis, exuris paleas inextinguibili igne conſpicietis. ipſi ut tritici grana purgata, & frumenta pretioſa jam probati, & conditi, hoſpitium carceris horreum computatis. Nec deeſt autumno ad munera ſingenda, temporis gratia ſpiritualis. Vindemia foris premitur, & profutura populis in torcularibus uva calcatur. Vos de Domini vinea pingues racemi, & jam maturis fructibus botri preſſura ſecularis infeſtatione calcati, torcular noſtrum ſentitis. Vini vice ſanguinem funditis: ad paſſionis tolerantiam fortes, martyrij poculum libenter hauritis: ſic apud ſervos Dei annus evoluitur: ſic ſpiritualibus meritis, & cæleſtibus præmijs agon unus, ſed multiplici præliorum numeroſitate congeſtus.*

Sunt calamitates fœcunda cœleſtis gloriæ ſemina, quæ ſata in everſa per ægritudines, ac adverſitates noſtri corporis tellure germinant ubertim; & plenam ſpondent fructuum meſſem. 92. Imò ipſa tribulatio ferax eſt gloriæ parens; & calamitas ſymbolum filiationis Dei, Chriſto naturalis, nobis adoptivæ. Oſtenſurus ipſe æternæ beatitatis prodromum radium Thaborei montis inſcendit faſtigium; ubi veſtis, quâ tegitur, niveo albicat candore, & lilia exhibet floreſcentia in collis vertice; decuit florem campi etiam in monte vernare: ſcintillat facies fulgoribus ſolis æmulis; cœleſtis gloriæ jubare prænitet corpus dotibus beatitatis inſtructum; & gloria divinitatis ſuos exteriùs ſplendores mirificè diffundit; quibus adſtantes perſtricti conſternuntur, corruúntque in terram, teſtes transfigurationis effecti firmiùs labentes, quàm ſtantes. Cœleſtis aura nubem advehit, multiplici coruſcam ſplendore, ac lucidiſſimè opacam, quo novo regi novum oppandit thronum, non terræ auro illitum; ſed cœleſti nitore ſplendeſcens: è nubis fragore vox auditur æterni Patris. *Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.* Matth. 17. v. 5. Non abs re videntur ſacri interpretes in ancipiti hærere, cur Deus Pater cognatum filium ab æterno genitum ſibi conſubſtantialem agnoſcat gloriæ fulgo-

re coruscum; quem in ærumnis, ac passionis dedecore, veluti inglorium, videtur dediscere? Thaboreus vertex, quia splendore circumfusus beatitatis, & gloriæ, divinam Christi, per nubem veluti tubam, buccinatur filiationem; quam Calvarius collis crucis opprobrio signatus reticet in dedecore, calamitate, & Christi doloribus, ac nece. Cur Deus Pater in Christi ærumnis, quasi mutus tacet divinam ejus filiationem, quam vocalis in gloriæ solatio, & lætifico splendore loquitur? Nascitur Deus factus homo, in pecuino tugurio; è cœlesti aula in brutorum caulam delapsus, exclusus à diversorio, qui homines cœli hospites venerat constituere, quibus & factus viator occurrere voluit in via: & ne obsonium illis deesset in loco panis, nasci voluit caro factus, ut plenum ejs convivium daret, quo & vires reficerent, & vias suas rectiùs dirigerent: & tamen licèt cœli militia fecialis paci declarandæ, non bello indicendo destinata fuerit; non filium denuntiat, quem terra rigente brumâ suscepit in palea, ne deessent aculei, quibus pungeretur in carne tenellus.

93. Reliquas percurre Christi ærumnas, vix natus stigmate peccatoris notatur in circumcisione, ubi pretiosissimum nomen *JESU* tanti emit, quanti æstimatur pretium mundi redempti; nec sine vulnere hoc fuit insignitus nomine; Lapideo cultro recisus nostræ consuluit integritati; & ne lacteam crederemus cœli viam, dulcedine, ac delicijs perfusam; suo ipse sanguine eam cruentavit; quam primus omnium ingressus fugit in Ægyptum: Magorum auro, alusque muneribus donatus ad vitam, Herodis ferrum in se acuit ad necem: impetitur maledictis, conviciatur contumelijs, proditur à discipulo, capitur à militibus, vincitur catenis, ducitur ad Præsides, alapâ percutitur, sputis dehonestatur, verberibus cæditur, spineo serto coronatur, sceptro donatur arundineo ad opprobrium vacuo, ac inani; joculari purpurâ contegitur ad ignominiam; laborat sub crucis pondere semivivus, compellitúrque Deus conscendere extremæ miseriæ collem; ubi tandem cruci affixus emoritur. Quid, quod æternus pater in hisce omnibus tacuerit ærumnis, quibus ejus filius affligebatur? silet in Calvario Pater filium videns confossum; & tamen loquitur in Thabore, ubi gloriæ splendore novit irradiatum; testatúrque filium suum esse, quando gloriâ eum, & solatio cumulat; non quando ærumnæ eum confusione opplent, ac ignominiâ. Intempestivum esset censendum Thaboris præconium, nisi nobis indoles innotesceret tribulationis; hæc enim cum sit fœcunda gloriæ parens, ac Dei filiationis buccinatrix musica; apertè non alia voce, nec sono, quàm ipsis ærumnis, ac calamitatibus declaravit, Christum ab Herode ad necem adhuc infantem quæsitum, à Juda venditum, à militibus colaphis percussum, flagellis cæsum, spineo serto redimitum, jocolariâ purpurâ indutum, arundineo sceptro donatum, & cruci affixum, filium esse æterni Patris: ah quàm beatæ sunt calamitates, quàm felices ærumnæ, quæ dum Christum atrociter torquent, contumeliosè dehonestant, ejus beatam buccinantur gloriam, divinam ejus manifestant filiationem? Ideo in Thaboris fastigio Deus Pater suum dixit filium esse, quem splendor gloriæ ambiebat; quia excussis tunc ærumnis nullus apparens ei supererat character, quò æterni Patris filius dignosceretur; necesse propterea fuit, ut vox de cœlo in nube audiretur, quâ Dei filius manifestaretur. Dei filiatio non prosperitatis gloriâ, sed tribulationis cruciatu cognescitur; idque causæ cur Tertullianus cæcitatis redarguerit Judæos, eò quia non viderint filium Dei esse, quem cruci perforatis manibus, & pedibus affixerant; Judæis enixim postulantibus à Christo pendente in cruce, ut ex cruce gloriosè descenderet, sponsione factâ ipsum pro vero Dei filio suscipiendi, ita loquitur de Christo gloriosum descensum arcanè recusante. *Hinc vel maximè ô Pharisæi, Dominum agnoscere debuistis: patientiam ejusmodi nemo hominum perpetraret:* ex patientia, & cruce æquo animo tolerata infert Tertullianus, Christum filium Dei foisse. Quem igitur Beata crucis calamitas Deum probaverat, voce non indiguerat cœlesti, quâ Deus declararetur. Ipsa passio vox fuit omni tubâ sonorior, & clarior ad ejus dignitatem, ac divinitatem promulgandam. Non solùm Christum Dei filium naturalem promulgant tormenta patienter tolerata; sed etiam puros homines filios Dei adoptivos, ut de SS. Martyribus loquitur D. Basilius, inquiens: *Patria martyrum civitas Dei est, cujus author, & Conditor ipse Deus. Communis ejus pater Deus, fratres, omnes, non ab uno descendentes; sed ex adoptione Spiritus in unam concordiam inter se per charitatem convenientes.*

*Serm. in 40. Martyr.*

94. Vera gloria est, cui ærumnæ obstetricantur, & illud verum gaudium, quod ex calamitatibus patienter toleratis suam trahit originem; idque ut innueret Hebræarum mulierum heroina Juditha post plures exanthlatos labores, declinata pericula, penetratum exercitum, obtruncatum Holofernem, fugatos Assyrios, solutam Bethuliæ obsidionem, deletum excidij metum, excussúmque captivitatis pavorem, Deo exultans, hostibus insultans, Patriæ gratulabunda induit vestes lætitiæ. *Exuit se vestimento viduitatis, & induit se vestimento lætitiæ in exultatione filiorum Israël.* Unde hæc uberrima lætitiæ incrementa in filijs Israël? nonne ab ipsis ærumnis, calamitatibus, hostium aggressione, & obsidionis pressura? Bethulienses enim ad id fuerunt angustiarum redacti ab Assyriorum pertinaci vallatione, ut de turpi jam inciperent deditione cogitare; siqui-

*Judith. 16. v. 7.*

siquidem Holofernes centum viginti millibus peditum, equitúmque viginti duobus millibus per triginta jam dies Bethuliam premebat; cúmque de die in diem cuncta fierent obsessis arctiora, & civitas obsessa aquarum penuriâ conflictaretur, incisis, eversísque fontium canalibus, vel militari circumseptis custodiâ; & undique in plateis, foro, domibus audirentur complorationes, lamenta, querellæ, ejulatus, ac desperationes, nec quidquam ampliùs superesset salutis, cum foris premeret hostis, instarent obsidentes; & intus deficerent necessaria vitæ subsidia, tunc Juditha rebus ita desperatis quarto jam anno viduata marito, & cultuæ addicta virtutum, assueta ita cum suo vivere gynecæo, ut ejus domus schola esset probitatis docente ipsa exemplo fortius, quàm verbis; de fugando hoste cogitavit, & liberanda civitate ab angustijs, calamitatibus, ac diuturna, & pertinaci obsidione, quâ premebatur; cumque ad custodiam pudicitiæ aspero cilicio delicata cingeret membra, jejunijs corpus emaciaret, fusis ad Deum precibus, lacernam exuit ex pilis horridam, cingulum abijcit hispidum; & oris venustati cultum addit vestium, ac muliebris mundi ornatum; aptatur mitra capiti, digitis induntur annuli, appenduntur auribus elenchi, pedibus sandalia induccuntur; *exuit se vestimento viduitatis, & induit se vestimento lætitiæ in exultatione filiorum Israël:* ecce lætitia, & exultatio veluti fontales rivuli ex cavis ærumnarum rupibus, saxorúmque rimis scaturiunt; in extremo excidio, in clade jamjam imminente, in obsessæ Bethuliæ angustijs, & calamitatibus vernat lætitiæ flos jucundior; hunc circumvallatæ urbis statum mundi ignorantia credidisset barathrum desperationis, procellam sævientem, naufragium ineluctabile, funus deplorandum, sepulchrum patens, & mortem accersitam; & tamen aurora fuit, quæ lætam diem attulit victoriæ, quam de prostrato Holoferno, Assytuisque fugatis Juditha reportavit.

95. Calamitas patienter tolerata nonnisi in extima superficie infelix apparet, quatenus mundus miseriæ larvam ei imponit; & quia hanc ei detraxit Juditha; & intimè penetravit arcanum calamitatis ænigma, non mœroris tetram noctem, sed exultationis serenatum diem introspexit, seu diem festum, hilarem, gloriosum. Tametsi adversitates exteriùs minentur gladios, flammas, cædes cruentas, excidia funesta; intus tamen meditantur triumphi gloriam, virtutis victoriam, & patientiæ decora; appositè de militante in terris ecclesia dicitur. *Nigra sum, sed formosa filia Jerusalem, sicut tabernacula Cedar, sicut pelles Salomonis:* apparet in extima superficie squalida, horrida, denigrata; cum tamen in intimis visceribus sit nitida, opulenta, & exculto pudicitiæ candore lilia æmuletur in hortis florescentia; in luctus jacet externa facies, cum intus cor lætitiâ oppletum tripudiet; id asseruit Antistes Veronensis de tribus adolescentibus, quos Nabuchodonosor accensæ fornacis extradidit flammis absumendos.

Erexerat Nabuchodonosor imperij sui 96.
potentiâ insolescens colosseam statuam, cujus caput ex puro puto conflatum auro, indicaret, Nabuchodonosorem tantum ceteris præcellere regibus, quantum aurum reliquis inferioribus metallis antecelleret; suam in colosso effigiem exprimi jussit; altitudine ad sexaginta cubitus erigebatur ex ligno aureis laminis objecto. Ad venerationem statuæ convocantur principis edicto cum populo universo etiam aulæ proceres, quibus accensebantur tres adolescentes Hebræi Sidrach, Misach, & Abdenago. Statuæ circumfusi jam erant symphoniaci, capitis in eum pœnâ sancitâ, qui ad tubarum sonitum flexo poplite non decresceret in genua adoraturus in colosso regis effigiem: cúmque ad sonitum instrumentorum omnis multitudo sese coram colosso prosterneret; soli tres Hebræi juvenes steterunt; qui intrepidi, adamantinâ præmuniti constantiâ negârunt sua statuæ obsequia præstare; mortem potiùs parati centies oppetere, quàm tam immane patrare semel piaculum. Accusantur spreti mandati, rapiuntur in carcerem, postulantur ad extremum subeundum supplicium; cúmque nec suasiones, nec terrores, nec minæ valuissent hebræam fortitudinem in obsequia statuæ flectere; jussit Rex fornacem naphtâ, stupâ, pice, ac malleolis accendi, ac septuplo acriùs inflammari, quam muris esset; & in eam Juvenes manibus, pedibúsque vincti, nunquam tamen victi, vivi mittuntur, vestiti braccis, & tiaris Persicis: sed ò prodigium divinæ potentiæ, cui famulantur elementa, sive ad clementiam sive ad vindictam? Inambulant juvenes per medios undantium flammarum vortices illæsi; ne capillo quidem adusto, imò & solutis vinculis liberi, laudes læta voce Deo canentes; cœlesti intus Genio lenem auram mirâ cum voluptate ejs efflante, & roscidos imbres fundente; cúmque intus ignis eblandiretur juvenibus, eísque sua exhiberet obseqnia, quæ denegârunt adolescentes aureæ statuæ; exteriùs gehennam videbatur fornax evomere suppliciorum; naturam fornax calamitatis, ac tribulationis suo splendore illustriùs declaravit; gaudio, & beatitudine sunt intus ærumnæ fœtæ, quæ foris extimo in cortice supplicia, & cruciatus videntur præseferre: scitè S. Zeno Veronensis ait de tribus adolescentibus in fornacem missis: *Ubi jactati sunt in fornacem ignis ardentis, hos devotè cupidus ignis excipit. Lambunt roscidos flamma blandientes. Mirares! opacitas intus, incendium foris est. Intus hymnus canitur, foris ululatus auditur:* nimirum ubi peccator ululat calamitatibus pressus, canit justus blandimentis deli-

*Serm. 5. de Daniele.*

delinitus: ubi calamitas foris terret supplicio, intus gaudium demulcet solatio. Adolescentes stadium nacti in fornace, eò alacriores properârunt ad coronam gloriæ, quò flammis cingerentur acrioribus, quæ si murmurant, triumpho plaudunt; si in conum eriguntur, fiunt gloriæ monumentum; si circumdant coronant. Hæc spectacula in illustri fornacis Babilonicæ theatro spectanda exhibuit mascula juvenum hebræorum virtus plena heroicæ libertatis, ac fortitudinis. Mascula sanè virtus in utrumque paratissima; sive Deus in rorem, & rosas flammas, & carbones mutâsset; sive in tormenta, & supplicia: hanc spiritus libertatem commendans præcitatus Zeno de tribus Juvenibus
Serm. 1. & 6. præclarè ait. *Tres pueri in illo sacro certamine Deum sibi proposuêre, non flammas; futurum gaudium non præsentes pœnas; sicque intra tetros undantis incendij globos, triumphantes barbarum regem, minas omnes, ipsum quoque supplicium, docuerunt, non esse fortiores ignes hominibus sanctis. Quis non optet sic ardere, quando mors transit in vitam, metus in gloriam?* oh quàm beatæ, ac felices sunt calamitates, quæ excusso metu supplicij, mortis instrumenta cogunt esse gloriosioris vitæ incunabula? Daniel 3. *Angelus Domini descendit, & fecit medium fornacis, quasi ventum roris flantem:* seu ut expendit D. Chry-
Tom. 3. homil. 4. sostomus. *Ignis murus illis factus est, & vestis flamma, & fons fornax; & ligatos capiens, solutos reddit; mortalia accepit corpora, & tanquam ab immortalibus abstinuit; non agnovit naturam, sed pietati exhibuit reverentiam.* Timuerunt flammæ lædere, quos jussæ fuerant incolumes servare; fugerunt incendia quasi timore perterrita, quas beata calamitas contra furiales Nabuchodonosoris minas armaverat: securos flammæ custodiunt, quos homines ad flammas damnaverant interimendos: ubi interitus aperitur, ibi salus reperitur; ubi supplicia apparantur, ibi refrigeria exhibentur. Splenduit hisce in flammis paterna Dei cura, imò & clementia in ærumnosos, & à mundo vexatos persecutionibus; licèt rebus adversis, veluti flammis sint circumdati, ita tamen servantur illæsi, ut ne capillus quidem unus lædatur.

## §. XI.

*Quem adversitates premunt, torquentque, non inficiunt ad dedecus, sed perficiunt ad gloriam? Est tribulatio homini, perinde ac ignis auro, sordes abstergit, à noxis purgat, & mundiție condecorat.*

97. DUro laborum, ac pressurarum examine justos in hac vita Deus probat, ut impij sibi consulant, sintque testes patientiæ, sciántque divini amoris argumentum esse, persecutionibus, calamitatibus, ac afflictionibus probari; ait Job, *causa justi, quasi impij judicata est:* adeò strictè Cap. 36. & 17. Deus Jobum duro ærumnarum Lydio examinavit, ac si de illius dubitaretur probitate; adeò eum afflixit, ac si tot vitijs scateret, quot fulgebat virtutibus; ut inde conijciant impij, quàm severè erunt puniendi, quando justi à Deo dilecti diris flagellis cruciantur: appositè D. Gregorius Papa expendens præfata Jobi verba, ait: *Bonorum causa, quasi impij judicatur, quia eorum hîc justitia paterno flagello fatigatur:* justi torquentur ut collecta in manipulos messis rusticanis flagellatur bacillis, ut frumenti grana purgentur ab aristis, ac à paleis sejungantur: idque causæ cur frequentioribus persæpe tribulationibus justi culturæ addicti virtutum torqueantur, quàm improbi vitijs coinquinati; mundique voluptatibus, sensuúmque delicijs indulgentes; quia à justis uberem sperat fructuum messem: quapropter Christus vocat Patrem suum cœlestem Agricolam, & homines palmites, & illicò addit: *Omnem, qui fert fructum, purgabit eum, ut fructum plus afferat:* non dicit purgaturum palmites fructum non ferentes; sed eos, qui fructus adferunt, ut uberiorem suppeditent vinitori botrorum vindemiam: perinde immissis calamitatibus, ac ærumnis affligit Deus viros probos offerentes fructus bonorum operum, quò ditescant uberioribus, déntque præstantiores: huc accersendus Venerabilis Beda, inquiens. *Fert fructum, quia mundus est, atque ut plus afferat, purgatur adhuc: quis enim in hac vita sic mundus, ut non sit magis, & magis mundandus.* Joannis 15. n. 2.

Frequentiùs igne torquetur aurum, quàm ferrum, quia quo pretiosius est metallum, eò magis, ac solertiùs purgatur: hæcque causa, cur Deus viros justos, virtutum studio commendatos, sibi charos; & quos propterea impensè amat, etiam pro levioribus noxis acriùs puniat, quàm pro gravioribus in hac vita improbos: quò nimirum igne tribulationum excruciati pretiosiùs purgentur, ac uberioribus cumulentur beneficijs: appositè D. Chrysostomus de muliere Chananæa. *Quemadmodum aurum in camino non læditur: ita nec stabili animæ tribulatio nocebit. Quid operatur caminus? aurum mundat. Quid tribulatio operatur? tolerantium ampliorem coronam. Ubi sunt, qui nos tribulant? folia erant, & aspirante aurâ, rapta; ac purum remansit triticum.* Quod auro ignis præstat, id tribulatio animæ; sordes abstergit, à noxis purgat, & munditie condecorat. Si aurum simus non paleæ, ærumnarum, ac calamitatum fornax, nil damni nobis infert; torquemur, non ut in cineres solvamur, sed ut à sordibus caveamus. In fornace ardet palea, sed aurum pur-

purgatur; illa in cinares vertitur; hoc sordibus exuitur. Fornax tribulatio, palea impius, aurum justus, Artifex Deus est: se flectit aurum prout artifici magis libuerit; & nos, si aurum simus, Deo obsequamur; ubi nos punit, maleo tundit, igne torquet, simulâ cruciat, toleremus: discamus nos tolerare, ut perseveret ille purgare. Hinc justi laboribus fracti, calamitatibus pressi, ærumnis circumsepti non tristantur, sed sereno animo, ac mente tranquilla adversitatibus obviant; sciunt enim gratiosiores tunc Deo esse, cum pluribus affliguntur calamitatibus patienter, æquóque animo toleratis; quia ut ait Salvianus: *Labor jejunium, & paupertas, & humilitas, & infirmitas non omnibus onerosa sunt tolerantibus, sed tolerare nolentibus: sive enim gravia, sive levia, animus tolerantis facit.*

*Lib. de Gubern. Dei.*

99. Toleiandæ sunt afflictiones, ærumnæ, & adversitates patienter, & æquo animo; id magister Christus suo nos exemplo edocuit, cum tanquam ovis ad occisionem ductus fuerit. Equi generosiores, ac præstantioris indolis eos interdum in catadromo, seu equarij domitûs in palæstra, ita suis instruuntur a magistris, ut non solùm ad minimum quemque sessoris nutum ex incitato cursu è vestigio subsistant, vel pergant, currant, in gyros se agant, ac orbem versent; crura postica, vel antica ex arte ad numerum scitè flectant, alternatim surrigant, ac deprimant; ungulâ terram feriant, scalpántque, ac numerosa glomeratione premant: verùm etiam genua sessuro submittant; quod à plaustrarijs rusticorum jumentis exigendum non est. Alexandro Macedoni equus fuit, cui nomen Bucephalus; is phaleris regijs ornatus, ac frena spumantia mandens sessorem alium non admisit præter Alexandrum, quem suum herum esse noverat. Quidni patientiâ mansuetos nos mores edocet; nostrum agnoscamus, & nos regem Christum; eique genua submittamus, nósque ad quodlibet ejus mandatum, imò & nutum, flectamus, paratos, & expeditos nos exhibeamus ad agendum, tolerandúmque prout ipsi magis placuerit.

100. Refert Theoderetus cacodœmonem in eremo sævissimas plagas, ac plura infligenda vulnera fuisse minatum Jacobo Anachoritæ, nisi ex illa abiret solitudine, urbicis imbuendus moribus; cui Anachorita fronte serena, animo pacato, vultúque tranquillo subridens repofuit: vel tibi permissum à Deo fuit ut inflictis vulneribus me torqueas, & libenter plagas recipiam, læto animo cruciatus subibo, imperturbato corde dolores, vulnera, ærumnas, & quidquid adversi mihi obtigerit, tolerabo; quia à Deo non à te sauciabor, ac excruciabor. Sin verò id tibi à Deo permissum non fuerit; tuas rideo inanes minas, cum exploratum mihi sit, nil te posse absque Dei permissu: non te timeo, quia me non percuties, imò quamvis ringaris, ac furore insanias, me non tanges. Hoc idem quilibet nostrûm ijs objiciat, quos adversarios putat: si Deus hanc vobis facultatem dedit me divexandi; me dentibus lacerate, convicijs imperite, virgis excipite, injurijs onerate: omnia patienter, ac læto animo tolerabo; verbera, virgæ pulverem tantùm excutient, quem corpus contraxit, non animum lædent: sin verò vobis non sit data facultas in me sæviendi, licèt gladios abstergatis, dentes, & ungues acuatis, rictus laxiores pandatis, me non mordebitis.

101. Quæ viro justo adversa obveniunt, ei non nocent, sed eum patientiam docent; ait D. Gregorius. *Tantò quoque minus ostenditur doctus, quantò convincitur minus patiens.* Ajebat Themonites apud Job. 5. v. 7. *Homo nascitur ad laborem, & avis ad volatum.* Labor autem sine patientia non toleratur. Perpendamus, quomodo sint aves ad volatum instructæ; navésque æquora trajicientes æmulentur: inest illis instar proræ rostrum acutum, quo aërem scindunt, alarum remigio sunt actuosæ, oblongioribus suo ordine pennis utrinque extructæ veluti transtris sunt; cauda est ipsis pro clavo, quo reguntur, ac diriguntur, pedibus collectitijs, digitis sparsis, unguibus aduncis, tanquam anchoris aptè suis hærent arborum portubus. Non minus homo addictus labori nascitur; nil ei deest, quo patiatur; tametsi multum ei desit patientiæ. Totum hominis opificium ad id videtur affabrè elaboratum, ut pati possit; non instructus est alis, & pennis, ne à miserijs evolet, séque ab ærumnis subtrahat; sed nudus, egenus, inermis; & per id tantùm ab ave differt homo, quòd illi instrumenta possunt deesse volandi, non huic tolerandi. Neque ante nascitur homo, quàm patiatur, cum hujus lucis usuram lachrymis auspicetur; suntque lachrymæ vitæ primitiæ, quas priùs lacte bibere discit; seu priùs madere lachrymis, quàm lac sugere; primum igitur hominis tributum est pati; & inde per reliquas ætates sua solvit miseriarum vectigalia. Cur igitur non patienter tolerat adultus, quod infans tulit? pati miserias, cum sit, quod primum docetur, & ultimum quod dedocetur; quid aliud est tota hominis vita, quàm juge pati? non tamen inexitium patientis, sed exercitium, & gloriam tolerantis; ut patiens vel perficiatur, vel ad meliorem frugem reducatur: unde adversa, si advenerint, non reijciantur; si supervenerint, sustineantur: etiam vinea dum ligone scinditur, excolitur; dum aratro evertitur, erigitur; & vitis recisa non minuitur, sed crescit uberior, & lætior efflorescit: & Cassiodorus *epist. 3.* conferens cum auro, quod igne purgatur generosam patientis animam ait: *Purior est dum arseris: potior dum decoxerit.*

*Homil. 35. in Evangel.*

102. Non solùm tribulatio probos perficit; sed & devios ad rectum trahit tramitem: non enim Numinis providentia patitur homines calamitatibus obrui; sed cum ærumnis premuntur, tunc eos quærit, & ad se invitat, vel potiùs trahit. De filio, qui cum meretricibus totum abligurierat patrimonium, totámque prodegerat portionem, quæ illi obtigerat, ait Christus. *Luc. 15.* *Mortuus fuerat, & revixit; perierat, & inventus est*, si filius prodigus inventus dicitur, à quonam quæsitus fuit? certè non à Patre, qui domi sedebat; non à fratre, qui ei invidebat: ergò à Deo Patre quæsitus fuit per famem, & ærumnas, quas cœlestis Pater misit ad prodigum, ut quasi vinctum ad se traheret: quos Deus ad se vocat, ærumnis premit, ut vocantem audiant; & ut veniant, suaviter cogit: fames filium à patre aberrantem pressit. *Luc. 15.* *Facta est fames valida:* ibi ultrix pœna sævit, ubi pœnalis reatus exardet: *& ipse cœpit egere:* benè indiguit, qui à Patre discesserat, affectionis desertor, pietatis refuga; & qui à libertate gratiæ ad servitutem defecerat peccati, vitiisque dissipatis divitijs indulserat: porcorum traditur custodiæ, qui se ipsum custodire neglexerat, & inquieti gregis, teritur, fœdatúrque excursu, ut experiretur, quàm amarum sit, paternæ quietis perdidisse felicitatem; & ministerio addici fami exsaturandæ impari, *Luc. 15.* *& cupiebat implere ventrem suum de siliquis, quas porci manducabant, & nemo illi dabat:* nec porcis convivere fas illi erat, qui porcis vivebat: his edoctus ærumnis, instructus indigentijs, eruditus calamitatibus; dixit: *surgam, ibo ad patrem meum*, quia moderatione jejunij ventrem evacuaverat; & ærumnæ stimulos, & calcaria addiderunt, surrexit, qui porcis addictus in cœno volutabatur vitiorum: nisi jacuisset, lapsum novisset, ruinam sensisset, non dixisset, *surgam;* surrexit, quia calamitas brachium exhibuit, & tribulatio manum porrexit adjutricem; surrexit de ruina mentis, & corporis, de profundo inferni; venit ad patrem non pedum gressu, sed animi resipiscentis incessu: ita est, ait D. Gregorius. *In Matth. 25.* *Mala, quæ nos hic premunt, ad Deum nos ire compellunt.*

103. Neque abs re permisit Deus, populum suum laboribus conteri, ærumnis premi, jugo gravari famulitij, & ab Ægyptijs verberibus excipi, imperio subijci, & adversitatibus divexari; ut saltem prementibus tribulationibus, terræ inhiarent promissionis: appositè præfatus D. Gregorius. *Sævire in electos reprobi permittuntur; ut si ad terram promissionis vocati exire negligimus, pressuris saltem sævientibus compellamur.* Quos cœlestis medicus ad sanitatem nequit potionibus perducere, trahit scissuris venarum, pertrahit membrorum adnexione: si laboret quis ferventi febre, jubet medicus, ut illicò vena scindatur, ab haustu vini, & immodico cibo æger abstineat, non morbum augere intendens, sed ut per effusum sanguinem, & dietâm, seu abstinentiam à vino, & cibo morbi violentia compescatur, & calor defervescat febrilis; perinde ac per subtractionem fomitis flamma præconcepta minuitur.

104. Quos Deus ærumnis premit, non punit, ut interimat; sed vulnerat, ut sanet: idque nos clariùs edocturus, rubo insedit, quem flamma in Orebi vertice illustravit complexu, non absumpsit voracitate. Ardent justi ærumnarum flammis circumsepti; sed nil inde damni contrahunt; dummodo palea quis non sit, nec omni vento affectionis agitetur. Ex palea fit fimus, & fumus, dum vel putredine absumitur, vel igne comburitur. Nemo se paleam prodat; sed arborem, quæ altiùs suas in terram radices defigens, ventorum turbine firmior radicatur per patientiam, quæ teste Cypriano; *Serm. 3. de patientia.* tentationes expugnat, persecutiones tolerat, passiones consummat; & fidei nostræ fundamenta firmiter munit. Refert Plinius: *Lib. 21. natur. histor. cap. 11.* Herbam apud Parthos esse Nyctilopam nomine, eò quia nocte illuni, ac intempesta facis accensæ instar eminus splendeat, nocturnásque abigens caligines, tenebras non patiatur, quas excutit; ait ignei esse coloris, ac folijs vestiri spinarum: symbolum illustre patientiæ hæc splendida herba nobis spectandum exhibet: spinis siquidem non tam patientia cingitur, quàm munitur: est siquidem flos, qui nullibi vernat lætior, quàm cum spinæ pungunt ærumnarum: igneum diceres præferre colorem, siquidem in afflictionum tetra nocte fulget splendidior; & nunquam apparet illustrior, quàm cum Christi causâ fit ærumnosior. Imò constans in laboribus corporis, animíque afflictionibus tolerantia subsequuturæ felicitatis certum est præsagium: scitè Plinius. *In Panegyrico.* *Habet has vices conditio mortalium, ut adversa ex secundis, & ex adversis secunda nascantur. Occultat utrorúmque semina Deus, & plerumque bonorum, malorúmque causa sub diversa specie latent.*

105. Corona gloriæ latet sub persecutionum latebris, & veluti rosa gaudet ex spinis emergere ærumnarum; verá felicitas est, quæ impenso labore sata germinat, ventorum turbinibus, aëris inclementiæ, imbrium inundationi, grandinum flagellationi, ac tempestati obnoxia; sed obstetricante patientiâ, innoxia adolescit vegetior: sicut navis per fluxa undarum itinera currit felicior adspirante, ac favente ventorum flatu, & celeriùs portum appellit inter tumentes procellæ fluctus: ita persecutionis procella, si patientiæ adsit gubernaculum, manuducit ad coronam gloriæ. Nerva, quia patienter mitíque animo tulit labores, ærumnas impavido animo sustinuit, regnum obtinuit. David muta duntaxat munitus patientia omnes Saulis astus elusit, persecutiones evasit:


etenim

etenim Saul hastam evibravit contra Davidem, se subduxit, promissam filiam, pluribus titulis debitam, non solùm, quod leniùs fuisset, denegavit; sed alteri dedit.
1. Reg. cap. 18. *Cum deberet dari Merob filia Saul David, data est Hadrieli Molathitæ uxor.* Studiosè Saul occasiones concinnabat, fomenta Davidi suppeditabat delinquendi in regem, ejúsque incurrendi indignationem, ut severiores pœnas lueret: sed Davidis muta patientia ita placidè adversa quæque tulit, ut nec ullum verbum protulerit, quod animi exasperati dolorem proderet; profuit illi patientia ad impetus retundendos adversarij, ad obtrudenda contorta tela; at persecutiones superandas; id causæ cur Jonathas videns Davidé hac inflexili munitú tolerantia ei prædixerit regnum, suísque misericordiam depoposcerit.
lib. 1. Reg. cap. 20. *Dimittam te, ut vadas in pace, & sit Dominus tecum, sicut fuit cum patre meo,* hoc est, ut Deus patrem meum regem instituit; ita te regali insigniet diademate: & ex ærumnis, quas David mutâ, & invictâ toleravit patientiâ, intulit Joathas sceptrum, diadema, & regnum; quia calamitates patienter toleratæ semina sunt, quæ in coronas germinant gloriæ.

106. Joseph non quia à patre præ cæteris dilectus, non quia polymita indutus veste; sed quia in cisterna detrusus, à fratribus venditus ut servus, vinctus ut reus, afflictiones carceris, calumnias heræ, persecutiones fratrum animo sustinuit imperturbato; ac ærumnarum contortis telis adamantinam objecit patientiam coronam sibi promeruit gloriæ. Si quæramus, cur in Ægypto adoretur à fratribus verè, qui nonnisi per somnium ante colebatur; respondet Basilius Seleuciensis, quia in Ægypto per mutam patientiam, per toleratos labores, deglutitas ærumnas ad supremam dignitatem, quâ fuit insignitus viam sibi stravit; & quia ante in paterna domo delicijs diffluebat; ideò nonnisi somniata fuit tunc illa supra reliquos fratres prœminentia; vera autem, postquam cœpit persecutionibus vexari, angustijs premi, adversitatibus affligi, quas muta toleravit patientia; quia vera gloria nonnisi ex laboribus, & persecutionibus oritur: eleganter Basilius. *Per omnes virtutum gradus pedem promovens, ac veluti inter ignes tentationibus liquefactus, & probissimus Athletes existens præmium virtutis regiam tulit dignitatem, carcerem thronus excepit, & fit Ægypti dominus, adultera captivus.*

Quòd si adversitatibus vexati non semper ad dignitates promovemur, saltem ne stantes cadamus prohibemur. Nobiscum Deus agit, ac puer ligneo cum turbine, quem, ne cadat, flagello torquet: Hunc lusum consuevêre pueri sic instituere. Cum turbinem funiculo circumvolutum in terram quodam deijciant impetu, retento digitis vinculo, in gyros stans se turbo torquet funiculo solutus: mox multiplici jam gyro fatigatus, cum incipit vertigine laborare, videturque brevi collapsurus, puer illum flagello percutit, novósq; erigit in gyros; jam iterum fessum flagello iterum urget, ut resumpto vigore iterú se rotet; & tamdiu stat, quamdiu verberibus urgetur, ne cadat. Hunc videtur Deus in orbe terrarum lusum ludere. Plures stantes flagello percutit, quos prævidet lapsuros, nisi eos verberibus urgeret, & ad standum veluti adigeret; nimirum eos Deus verberat, ut firmet; vulnerat, ut sanet; deijcit, ut erigat; torquet, ut reficiat; & malis onerat, ut bonis omnibus æternùm cumulet. Quidni turbines sumus erecti, ne corruamus, nos Deus flagello torquet tribulationum, ut constantes stemus, ac patienter toleremus: quippe ut ait D. Gregorius. *Adversitas, quæ bonis votis, ac probis viris objicitur, probatio virtutis est, non judicium reprobationis.* In Moral. 107.

# F I N I S.



# INDEX
## RERUM PRÆCIPUARUM,
## Quæ in hoc primo volumine de humanis Affectibus continentur.

*Prior Numerus Paginam indicat; posterior est Marginalis.*

### A.

# Rerum Præcipuarum.

## B.

 stabatur,

## D.

Ex-

H.



 tam

Humi

Evæ

## L.

## M.



Memo-

Mun-

Ora-

## P.

# Q.



# R.



ejús-

## T.

 741



## V.

Vir-

## F I N I S.

# Menda, quæ irrepserunt, præsertim in literis malè admissis, vel omissis currente prælo sic emenda.

PAgina 4. col. 2. lin. 8. impedimneta lege impedimenta. P. 159. col. 2. l. 42. venitatem l. vanitatem. P. 161. c. 1. l. 43. habentes l. habentia. P. 155. c. 2. l. 64. faro l. fato. P. 172. c. 2. l. 52. corrunt l. corruunt. P. 176. c. 2. l. 24. inculinus l. inquilinos. P. 180. col. 2. l. 28. nobilioria l. nobiliora. P. 256. c. 1. l. 58 granium l. cranium. P. 275. c. 1. l. 17. *in* deleatur. P. 358. c. 2. l. 16. unanimis l. unanimis. P. 379. c. 2. l. 15. rubrum l. rubum. P. 389. c. 1. l. 32. & l. sed. Pag. 399. col. 2. lin. 58. impetranda lin. impertienda. P. 582. c. 2. l. 26. caliendum l. caliendrum. Pag. 583. col. 2. lin. 48. eitam l. etiam. Pag 597. col. 2 l. 5. labors leg. laboris. lin. 7. splendeit l. splendet. Pag. 647. c. 2. lin. 50. sentijt l. sensit.

*Alia, si qua irrepserunt, per se ipsum corrigat, & condonet benignus Lector.*

# Quæ à R. P. D. Cajetano Felice Verani C. R. fuerunt opera in lucem edita, quia Monachij ferè omnia cusla, ut tibi innotescant, hîc subijcere non abs re fore duxi.

APotheosis S. Cajetani Thienæi Clericorom Regularium Fundatoris, carminibus, symbolis, & Inscriptionibus exhibita. 4. Messanæ.

Pantheon Argutæ Elocutionis complectens omnia politioris literaturæ genera: seu Rhetorica universa. 4. Messanæ.

De Eruditione Poëtica, Mythica, & Iconica. Déque Metaphoricis Argutiarum Fontibus. 4. Messanæ.

Emblemata Ethico-Politica, Historiæ, & Heroica symbola exhibita in Electorali Residentia Monacensi Serenissimi Electoris Bavariæ: & jussu Serenissimi Clementis Josephi Electoris Coloniensis germanicè edita. 4. Monachij.

Venatica Institutio, seu Dianæ, ejúsque Nimpharum Apologi picturis, emblematis, ac symbolis heroicis repræsentata in suburbanis Ædibus Niphimburgicis Serenissimi Electoris Bavariæ

Multiplex Venationis eruditio vario picturarum illicio Schlaischemij in Ædibus ruralibus Serenissimi Electoris Bavariæ delineata.

Monumentum extremi Honoris perennis Virtutis pijs Manibus Serenissimi Ferdinandi Mariæ Bavariæ Ducis, & Electoris cum emblematis ære incisis, oratione funebri, Inscriptionibus, Elogijs, solutâ,& ligatâ oratione. fol. Monachij.

Ingressus Martio-Nuptialis Serenissimi Electoris Bavariæ Maximiliani Emanuelis Monachium ex Hungaria reducis cum lectissima sponsa Maria Antonia Archiducissa Austriæ Leopoldi I. Imperatoris filia ex Margaritha Hispana. fol. Monachij.

## *Philosopia universa in quatuor divisa Tomos in folio.*

IN Logicam Aristotelis, cui adjiciuntur plures quæstiones Metaphysicæ. fol. Monachij.

In octo Libros Physicorum Aristotelis. fol. Monachij.

De Mundi totius systemate, corporibus cœlestibus, elementis, mistis, & Meteoris. fol. Monachij.

In Libros de Anima, & Metaphysica. fol. Monachij.

Nucleus Theologicus enucleatus. 8. Monachij.

## *Theologia speculativa universa Dogmatica, & Moralis octo Tomis in folio digesta.*

TOmus primus de Deo uno, ejúsque Attributis. fol. Monachij.

De Visione Beata, Scientia, & Voluntate, Dei; Déque Prædestinatione Sanctorum, & Reprobatione Impiorum. fol. Monachij.

De Ineffabili Mysterio SS. Trinitatis. fol. Monachij.

De Angelis, & Homine. fol. Monachij.

De beatitudine, Actibus Humanis, eorúmque principio activo, naturali, voluntario, & libero. Morúmque causa morali: seu de Moralitate, ejúsque bipartita specie, Honestate, & turpitudine. De vitijs, & peccatis. Recto usu probabilitatis juxta Pontificias sanctiones. De Gratia, Justificatione, & Merito. fol. Monachij.

De Virtutibus Theologicis, & Cardinalibus. Déque earum partibus subjectivis, & Potentialibus. Vitiísque oppositis. fol. Monachij.

De Sacrosancto Mysterio Incarnationis Verbi Divini. De cultu Sanctorum tum absoluto, tum respectivo. De Immaculata Conceptione Virginis Matris. Et de Legibus. fol. Monachij.

De Sacramentis in genere, & specie. Déque Indulgentijs, Jubilæo, & censuris. fol. Monachij

## *Juris Canonici universi Commentarius Paratitlaris. Opus digestum quinque Tomis respondentibus quinque libris Decretalium.*

TOmus primus in librum I. Decretalium. fol. Monachij.

Tomus secundus in librum II. Decretalium. fol. Monachij.

Tomus tertius in librum III. Decretalium. fol. Monachij.

Tomus quartus in librum IV. Decretalium. fol. Monachij.

Tomus quintus in librum V. Decretalium. fol. Monachij.

*De Humanis Affectibus ciendis, & coërcendis ad hominem ab eorundem servitute manumittendum, & ad libertatem Christiani Instituti manuducendum. Opus tribus Tomis in folio distributum.*

Tomus primus de Humanis Affectibus generatim sumptis. fol. Monachij.

Tomus secundus. De Humanis Affectibus ciendis, & coërcendis in Appetitu concupiscente. fol. Monachij.

Tomus tertius. De Humanis Affectibus ciendis, & coërcendis in Appetitu irascibili. fol. Monachij.

(o)



FIRENZE - BIBLIOTECA NAZIONALE CENTRALE
SEGNATURA - 2.1.95 I° (115)
RESTAURO - 1998
LABORATORIO - RAIMONDO MILIO
RESTAURATORE PROGETTISTA- CLAUDIO MONTELATICI

SINTESI DELLE OPERAZIONI EFFETTUATE:

Controllo della numerazione, pulizia a secco con pannello morbido, risarcimento con montaggio a scarnire con carta giapponese di adeguato spessore e colore, VANGEROW, velatura con velo giapponese 502 e Tylose MH300P, rifilatura del restauro eccedente, carte di guardia Ingres struttura F, cucitura su n. 5 nervi di spago, indorsatura con tela mussola e pelle di capra neutra scarnita, incartonatura dei quadranti, nuova legatura in piena pelle di capra al vegetale ( fornitore Scaricaciottoli), dorso attaccato, adesivi Tylose MH300P e Vianvil 59 in percentuale (15%).

COLLAUDATORE
DATA DEL COLLAUDO